# NOUISSIMA PRAXIS THEOLOGICOLEGALIS IN VNIUERSAS DE...

Gregorio Rosignoli, Simone Durello

Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 L
19

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-17. 61. 6

Digitized by Google

# NOVISSIMA PRAXIS THEOLOGICOLEGALIS IN VNIVERSAS DE MATRIMONIO CONTROVERSIAS

AVCTORE

D. GREGORIO ROSIGNOLO
Ex Cler. Reg. S. Pauli Nouarienſi,
Et in Arcimboldia D. Alexandri Mediolani Vniuerſitate Publico Moralis Theologiæ Profeſſore.

BIBL.SEC.COLL.ROM.SOC.IESV
IHS

Opus omnibus vtriuſque Iuris, Theologiæ Sacræ, & Moralis Profeſſoribus vtiliſſimum, ac planè neceſſarium.

NOVA AC FACILIORI METHODO CONGESTVM

*Cum duplici Indice, altero Titulorum, altero rerum locupletiſſimo.*




MEDIOLANI 1686.
Typis Camilli Conradi apud S. Sebaſtianum.

Don Alexander Madernus Congregationis Cler. Reg. Sancti Pauli Præpoſitus Generalis.

CVM Librum, cui titulus eſt, *Nouiſſima Praxis Theologicolegalis in vniuerſas de Matrimonio Controuerſias*, à Patre Don Gregorio Roſignolo Congregationis noſtræ Presbytero Profeſſo compoſi-ſitum duo eiuſdem Congregationis eruditi Viri, quibus id commiſimus accurata Lectione, & graui iudicio recognouerint, & poſse in lucem edi probauerint, Nos, vt Typis mandetur, quantum in Nobis eſt, facultatem facimus. Dat. Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſij, & Caroli die 2. Septemb. 1684

Don Alexander Madernus Præpoſitus Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

*D. Antonius Maria Buronius Cancell.*

---

1685. Die 13. Maij.

SVbſcripta *Nouiſſima Praxis Theologicolegalis in Vniuerſas de Matrimonio Controuerſias*, Auctore D. Gregorio Roſignolo ex Cler. Reg. S. Pauli &c. Nutu Reuerendiſſimi D. D. Patris Inquiſitoris Generalis Mediolani à me perſpecta nullis grauidata propoſitionibus, vel Sanctæ Catholicæ Romanæ Fidei, vel morum honeſtati obnoxijs; omnium vtilitatem eruditè paritura, cenſeo, quod Typographorum Præla fatiget, me tamen &c.

*Co. Io. Baptiſta Arconatus I.C.C., & pro S. Officio Mediol. Librorum Reuiſor &c.*

---

Attenta præfata Atteſtatione.

*Imprimatur Fr. Sixtus Cerchius Inquiſitor Generalis Status Mediolani.*

*Iacobus Saita S. T. D. Canonicus Baſilicæ S. Ambroſij pro Eminentiſſ. D. D. Cardinali Vicecomite Archiep.*

*Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.*

# INDEX

## Titulorum, Prænotionum, Sectionum, Diſquiſitionum, & Paragraphorum.

### CONTRACTVS XV.

De Matrimonio I. prout contractus, & ſacramentum eſt.

Prænot. 1 AN & quando inſtitutum ſit matrimonium, tam in lege naturæ, quam gratiæ. pag. 2
2 An modo inter catholicos poſſit eſſe matrimonium, quod non ſit ſacramentum. 5
3 Nonnulla controuerſia circa indiſſolubilitatem matrimonij in vtraque lege ſcilicet naturæ lapſæ, & euangelica. 8
4 An, & quomodo poſſit probari inter fideles rationem ſacramenti eſſe indiſſolubiliter annexam rationi contractus, & è contra. 19
5 Quid propriè ſit matrimonium. 22
6 Quid in matrimonio ſit res, quid ſacramentum, quod res ſimul, & ſacramentũ. 25
7 An ſacramentum matrimonij ſit vnum, an vero duplex ſiuè adequatè ſiue inadequate. 26
8 An matrimonium valide contrahi poſſit per Procuratorem, & an tunc ſit ſacramentum, & quando, & an per literas. 28
9 An ſacramentum matrimonij cauſet gratiã Phyſicè, an tantum moraliter. 32
10 Ad quantam gratiam reuiuiſcat ablato obice matrimoniũ cum obice ſusceptum. 37
11 An matrimonium infidelium poſt conuerſionem ad fidem fiat ſacramentum, & quomodo cauſet gratiam. 39
12 Quotuplex ſit matrimonium. 92
13 Quandonam dicatur matrimonium conſummatum ad effectum, vt alter coniux non poſſit illud diſſoluere per ingreſſum in Religionem. 43
14 An poſt copulam vi extortam poſt matrimonium neutri liceat ingredi Religionẽ. 47
15 An ſi fæmina poſt contractum matrimonium vi oppreſſa intra bimeſtre tranſierit ad Religionem poſſit maritus, qui oppreſſit, alteri nubere. 49
16 An quotieſcumque matrimonium conſummatum non eſt liberum ſit cuicunque coniugi tranſire ad Religionem, & an in eo caſu diſſoluatur vinculum coniugale. 50
17 Quo iure prohibeantur matrimonia clandeſtina, & ſub qua pœna. 55
18 An Concilium Tridentinum irritare potuerit matrimonium clandeſtinum, & an de facto irritarit, & quomodo. 57
19 An per poteſtatem laicalem poſſint induci conditiones, & ſolemnitates, ſine quibus irritetur matrimonium. 59
20 An Concilium Tridentinum quoad ſolemnitatem Parochi, & teſtium afficiat etiam hæreticos degentes in locis, in quibus fuit publicatum. 61
21 An Concilium Tridentinum, vt obliget quoad hanc formam debeat eſſe publicatum, & receptum in loco, in quo celebratur matrimonium. 63
22 De matrimonijs vagorum quoad formam Concilij, & alias conditiones ad ea requiſitas. 69
23 An ſi in aliqua ciuitate fuerit deputatus aliquis ſacerdos ad adminiſtranda ſacramenta vagis ille ſolus poſſit aſſiſtere eorum matrimonijs cum excluſione aliorum. 76
24 Coram quo Parocho debeat contrahere, qui habet duplicem Parochiam. 79
25 An Parochus extra Parochiam poſſit aſſiſtere matrimonijs ſuorum Parochianorũ 80
26 Quinam veniant nomine Parochi, qui poſſint valide aſſiſtere matrimonijs ſuorum ſubditorum. 85
27 Quinam veniant nomine ordinarij, qui poſſint aſſiſtere, vel dare facultatem ſacerdoti aſſiſtendi. 87
28 Quid requiratur ad hoc vt Epiſcopus, vel Parochus poſſint valide aſſiſtere, vel alijs facultatem dare aſſiſtendi. 93
29 An Epiſcopus vel Parochus excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, beneficio priuatus, nondum tamen depoſitus poſſit valide aſſiſtere matrimonio, & facultatem aſſiſtendi dare. 95
30 An Parochus putatiuus in re carens titulo

valide aſſiſtat, & facultatem aſſiſtendi concedat. 96

31 An valeant geſta per Vicarium Generalem Epiſcopi poſt mortem, reuocationem, & excommunicationem eiuſdem Epiſcopi, ſi Vicarius fuerit ignorans mortis, reuocationis &c. 103

32 Qualis præſentia Parochi, & teſtium requiratur ad matrimonij valorem. 109

33 An Parochus in tali aſſiſtentia debeat ex neceſſitate aliqua munera exercere. 116

34 Quodnam ſit ſubiectum capax delegationis ad aſſiſtendum matrimonio. 119

35 Quæ, & qualis licentia requiratur, vt alter à Parocho poſſit valide aſſiſtere matrimonio. 124

36 Quot, & quales teſtes requirantur præter Parochum ad valorem matrimonij. 135

37 Expediuntur omnia, quæ ſpectant ad denuntiationes in matrimonio. 138

38 Expediuntur omnia, quæ pertinent ad benedictiones ante nuptias. 155

39 De pœnis tam clandeſtine aſſiſtentium, quam contrahentium. 162

40 Quinam poſſint contrahere matrimoniũ. 170

41 Quænam ſit materia, & forma matrimonij. 173

42 De cauſa finali matrimonij propria. 174

---

DISQVISITIONES I.

A Prima ad duodecimam prænotionem excluſiuè.

§. 1 AN matrimonium ratum præcedens diſſoluatur per conſummatum poſterius. p. 175

2 An, vt Pontifex diſpenſare poſſit ſuper indiſſolubilitate matrimonij rati requiratur vtriuſque contrahentis conſenſus. p. 176

3 An ex notabili intèr contrahentes in qualitate diſparitate poſſit Pontifex in matrimonio rato diſpenſare. p 178

4 An matrimonium ratum ex Romani Pontificis diſpenſatione poſſit diſſolui proptèr aliud conſummatum ſubſequens. p. 179

5 An propriè ſit Poligamus, qui contracta matrimonio rato cum vna ad alias nuptias viuente prima vxore tranſiuit, eaſque conſummauit. p. 171

6 An Pontifex poſſit ſtatuere, vt matrimonium ratum dirimatur per ſubſequens copula conſummatum. pag. 182

7 An Pontifex poſſit diſpenſare ſuper matrimonio rato, quando alter coniugum aſſerit ſe non habuiſſe animum contrahendi. pag. 183

8 An Poteſtas Procuratori ad contrahendum matrimonium nomine ſui principalis debeat neceſſario conferri coram Parocho, & teſtibus. p. 185

9 An ad valorem matrimonij ineundi per Procuratorem requiratur, vt mandatum exhibeatur Parocho, & teſtibus. p. 186

10 An neceſſarium ſit, quod Procurator ad contrahendum matrimonium conſtituatur in ſcriptis. p. 188

11 An teneat matrimonium, ſi Procurator excedat fines mandati. pag. 189

12 An reuocatio Procuratoris contra iuramentum de non reuocando irritet matrimonium, ſi poſt illam contrahatur. pag. 190

13 An teneat matrimonium, ſi principalis miſſo Procuratore inſaniat, antequam per illum contractus celebretur. pag. 190

14 An in hypotheſi matrimonij contracti per Procuratorem tempore amentiæ principalis poſſit Pontifex ſuper illo diſpenſare. p. 193

15 An verba Procuratoris pertineant ad materiam, & formam ſacramenti. pag 194

16 An contrahentes matrimonium, ſiuè per ſe, ſiuè per Procuratorem, dum exiſtunt in peccato mortali committant duplex peccatum. pag 195

17 An ſacerdos aſſiſtens matrimonio, vel ſolemnitèr benedicens nuptias, ſi fuerit in peccato lethali, peccet lethalitèr. p. 196

18 An in cauſis, in quibus Pontifex poteſt diſpenſare ſuper matrimonio rato ſtandum ſit iuramento alterius coniugis aſſerentis ſe non conſummaſſe. p 197

19 An conatus ad copulam poſt contractum matrimonium, vtroque coniuge in eandem conſentiente reddat matrimonium omni iure humano indiſſolubile. pag. 199

20 An ad validitatem matrimonij ſufficiat, quod conſenſus mutuus contrahentium aperiatur per vnum interpretem coram Parocho, & teſtibus. p. 201

21 An matrimonium contractum per Procuratorem poſſit iterari per ipſos contrahentes, & quomodo. pag. 202

22 An benedictiones nuptiales, poſſint impendi, quando matrimonium celebratur per Procuratorem, & an, ſi fuerint impenſæ, poſſint iterari, quandò iteratur matrimonium inter ipſos contrahentes. pag. 204

23 An ex ſuppoſitione, quod matrimonium initum per Procuratorem vel ex arbitrio vel ex neceſſitate iteraretur, iterari deberet ſeruata forma Concilij. pag. 205

24 Quando non producatur gratia ſacramentalis, quando ſine præſentia Parochi, & teſtium iteratur matrimonium prius inualidum ex impedimento occulto. pag. 206

---

DISQVISITIONES II.

A duodecima ad decimam ſeptimam prænotionem excluſiuè.

§. 1 AN ſponſo, qui poſt contractum matrimonium vas fœminæ penetrauit, credendum ſit, ſi aſſerat ſe non ſeminaſſe ad effectum vt poſſit ingredi Religionem. pag 208

2 An ſponſus qui non conſummauit, ſed tradidit ſponſam conſanguineo violandam poſſit ingredi Religionem. pag 209

3 An ſi ſponſa intra bimeſtre requiſita à viro ad conſummandum non annuat, nec tamen exprimat velle ingredi Religionem, eximatur à culpa ſponſus, ſi illam cogat ad conſummandum. pag. [illegible]

4 An ſponſus, qui intra bimeſtre matrimonium non conſummauit, ſed copulam ſodomiticam habuit

cum

Digitized by Google

cum uxore poſſit ingredi Religionem. pag. 212
5 An ſponſa intra bimeſtre per vim à ſponſo oppreſſa poſſit ſemen, quod recipit, expellere. p.213
6 An coniux pendente bimeſtri ad deliberandum de Religione non intendens eandem Religionem peccat, ſi ſe impotentem reddat ad copulam. p. 214
7 An ſi coniux per media ſiue licita ſiue illicita reddatur impotens ad reddendum debitum poſſit per diſpenſationem diſſolui matrimonium. p. 215
8 Quot peccata committat, qui matrimonium contrahit ad finem lethaliter malum. p. 216
9 An ſi coniux quoad bonum fidei intenderet ſolummodo contrahere obligationem in principio reddendi alteri debitum, non tamen denegandi alijs vſum ſui corporis, validè contraheret. p.218
10 An conſummatio matrimonij ſit actus ex genere ſuo bonus, & meritorius, & quomodo. p.219
11 An alter coniux teneatur habere actum coniugalem quando præuidet in altero coniuge etiam non petente incontinentia. pag.221
12 An in vtroque coniuge ad obligationem reddendi debitum requiratur petitio expreſſa, an ſufficiat tacita. pag.222

DISQVISITIONES III.

A decima ſeptima ad trigeſimam prænotionem incluſiuè.

§. 1 AN matrimonium hodie celebratum ſine Parocho, & teſtibus ſubijciatur pœnis clandeſtini. pag.223
2 Ad quid teneatur vir, qui poſt matrimonium clandeſtinum ſine Parocho, & teſtibus ſub illius prætextu virginem defflorauit. pag.224
3 An ſigna, quibus olim poſt ſponſalia reſultabat matrimonium modo exhibita coram Parocho, & teſtibus efficiant validum matrimonium ſaltem præſumptiuè. pag 226
4 An in dubio præſumi poſſit pro matrimonio clandeſtino. pag 228
5 An contrahentes abſque Parocho in loco Concilij, ſi poſtea affectu maritali extra locum concilij ſe cognouerint, valide præſumantur contrahere. p.229
6 An ſi ſponſalia fierent coram Parocho, & teſtibus tranſirent propriè in matrimonium etiam poſt Concilium. pag.230
7 An matrimonium per verba de præſenti inter impuberes per copulam ætate perfecta ſubſecutam tranſeat in verum abſque nouo conſenſu coram Parocho, & teſtibus. pag.232
8 An forma Concilij ex neceſſitate ſit repetenda quando matrimonium fuit nullum, vel ob defectũ conſenſus, vel ob impedimentum occultum. p.233
9 An ſit repetenda forma Concilij quando matrimonium initum eſt cum impedimento occulto coram Parocho, & teſtibus, qui omnes vel aliquis illorum cognoſceret impedimentum. p. 236
10 An diſpenſatio impedimenti occulti dirimentis cum clauſula, vt renouetur contractus ſeruata forma Concilij, obliget ad eandem formam. p.237
11 An repetenda ſit forma Concilij in renouatione matrimonij inualidi ex defectu ſeu impedimento occulto, quando contractum fuit cum mala fide contrahentium. pag.239
12 An omiſſio repetitionis formæ Concilij extendatur ad quodcunque impedimentum occultum. p.240
13 An poſt matrimonium nulliter contractum ob impedimentum occultum eodem impedimento delato ad forum contentioſum, & minimè probato vel non cognito in renouatione contractus ſit renouanda forma Concilij. pag.241
14 An obtenta diſpenſatione ſuper impedimento occulto in vtroque foro in renouatione contractus ſit repetenda forma Concilij. p. 243
15 An obtenta diſpenſatione ſuper impedimento occulto ſufficienter reualidatur matrimonium per copulam affectu maritali, & alia ſigna inducentia conſenſum. pag 244
16 An contrahentes mutuo conſenſu impetrata diſpenſatione ſuper impedimento occulto teneantur contrahere de nouo. 245
17 An impetrata mutuo conſenſu diſpenſatione, eaque per vnum ex contrahentibus reiecta poſſit reijciens mutata voluntate illa vti. 246
18 Quinam debeat acceptare renuntiationem diſpenſationis, vt diſpenſatus non poſſit amplius ea vti. pag. 247
19 An impetrata diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea, ſi alia ad contrahendum cum alia fuerit obtenta, hæc ſecunda teneat, & contracto cum hac matrimonio prior penitus diſſoluatur. 249
20 An impetrata diſpenſatione ſuper voto, eaque per diſpenſatarium renuntiata poſſit idem renuntians eadem vti. 252
21 An matrimonium conditionale initum ab habilibus coram Parocho, & teſtibus ſub conditione honeſta, & poſſibili perficiatur per copulam affectu maritali ſine nouo conſenſu coram eiſdem Parocho, & teſtibus. 254
22 An, ſi alter fictè, aut per metum contraxerit ignorante altero fictionem, ſeu coactionem ſufficiat, quod internè reuocet fictionem, & liberè per nouum actum contrahat, an verò quid aliud requiratur? 257
23 An, ſi vterque fictè conſenſerit requiratur ad reualidandum contractum nouus vtriuſque conſenſus expreſſus coram Parocho, & teſtibus. 259
24 An, quando matrimonium eſt aliter nullum, quam ob defectum conſenſus interni ſublato impedimento requiratur nouus vtriuſq; conſenſus expreſſus. 260
25 Quomodo ſe gerere debeat coniux conſcius nullitatis matrimonij occultæ, dum aperiendo cognoſcit ſibi grauia damna imminere. 262
26 An coniux conſcius impedimenti occulti, & compulſus per Eccleſiaſticas cenſuras ad permanendum in coniugio, teneatur impetrare diſpenſationem, eaque impetrata de nouo conſentire. 264
27 An conſcius impedimenti non potens illud in iudicio probare, & compellatur ab Eccleſia per cenſuras in illo permanere, vel ſi illud ſit indiſpenſabile, teneatur Religionem ingredi, ſi non fuerit conſummatum. 266
28 An, ſi fœmina impedimenti conſcia nullo modo poſſit ſubterfugere poſſit cohabitare cum animo non reddendi debitũ, & reſiſtendũ quantum poſſit. 267

29 An

Digitized by Google

29 *An Epiſcopus poſſit in impedimento illo occulto diſpenſare ad vitanda prænarrata damna in coniuge conſcio.* 269

30 *An, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare ſuper impedimento occulto requiratur bona fides in vtroque contrahente.* 270

31 *An ſuper impedimento occulto quoad matrimonium iam contractum poſſit Epiſcopus diſpenſare etiam quoad diuites.* 271

32 *An in ea hypotheſi, in qua poteſt Epiſcopus ſuper illo impedimento occulto diſpenſare, poſſit etiam eius Vicarius.* p. 272

33 *An facultas diſpenſandi ſit ab Epiſcopo delegabilis alteri à Vicario Generali.* 274

34 *An Epiſcopus poſſit diſpenſare ſuper impedimentis occultis in omnibus caſibus, in quibus impediti excuſantur perſonalitèr pro diſpenſatione adire Romanum Pontificem.* 275

35 *An Epiſcopus interueniente aliqua graui cauſa poſſit diſpenſare in impedimentis occultis etiam ante contractum matrimonij.* 277

36 *An ſoluto vrgenti neceſſitate per Epiſcopum vinculo impedimenti ceſſante eadem neceſſitate recurrendum ſit ad Romanum Pontificem.* 279

37 *An contracto matrimonio bona fide, ſi alteri coniugum ſuperueniat dubium de valore eiuſdem poſſit ille petere, & reddere debitum.* 281

38 *An in dubio impedimenti poſſit Epiſcopus ſuper illo diſpenſare.* 282

39 *An Parochus notorius fornicator validè aſſiſtat matrimonio.* 283

40 *An Parochus Diaconus non promotus intra annum ad ſacerdotium, ſi poſtea eodem elapſo aſſiſtat matrimonio, valide aſſiſtat.* 284

41 *An Parochus poſſit coniungere matrimonio eum, qui prius confeſſus eſt impedimentum, & poſtea illud negauit.* 285

42 *Quomodo ſe gerere debeat Parochus, qui nouit inter contrahentes adeſſe impedimentum, qui illud negant, & petunt aſſiſtentiam.* 286

43 *Quomodo ſe gerere debeat Parochus, qui nouit impedimentum, & diſpenſationem ſuper illo in foro tantum interno.* 288

44 *Quomodo debeat ſibi conſulere, qui impetrauit diſpenſationem ſuper impedimento pro foro interno, & contraxit, & poſtea ab Eccleſia ſeparatur cognito iudicialitèr impedimento.* 290

45 *An, ſi Epiſcopus ex cauſa diſpenſet ſuper impedimento occulto, ſi poſtea illud detegatur, & fiat publicum, indigeat noua diſpenſatione.* 292

46 *An ordinarius, qui ſolus nouit impedimentum teneatur aſſiſtere, vel licentiam dare aſſiſtendi matrimonio cum illo ineundo.* 293

47 *An denegandum ſit matrimonium publicè petenti ob ſolum impedimentum peccati mortalis noti Parocho.* 294

48 *An Parochus poſſit impedire matrimonium ignorantibus, donec diſcat rudimenta fidei, & orationem ſaltem Dominicam.* 295

49 *An teneatur Parochus, & quo onere librum tenere, in quo omnia ſcribat matrimonia ſuorum ſubditorum cum die, menſe, anno, & loco.* 296

50 *An celebrato matrimonio clandeſtinè ſponſalia præcedentia retineant ſuam vim.* 298

---

## DISQVISITIONES IV.

### Ad Reliquas omnes de Matrimonio I. Prænotiones.

§. 1. *QVid requiratur, vt teſtimonium teſtium non videntium vim faciat, & ſufficientèr probet matrimonium.* 299

2 *An, ſi quoad præſentiam Parochi, & teſtium aliqua omittantur, quæ vel ſynodali concilio, vel ex conſuetudine præſcripta ſunt irritetur matrimonium.* 300

3 *An prohibitio facta non Parocho, ſed eius Vicario ad nutum Epiſcopi amouibili irritet matrimonium, ſi coram illo ineatur.* 301

4 *An licentia aſſiſtendi certis nuptijs expiret morte concedentis.* 302

## CONTRACTVS XV.

### De Matrimonio II. ideſt de Impedimentis.

Prænot. 1. *QVot, & quænam ſint impedimenta ſimplicitèr impedientia.* 306

2 *Explicantur in particulari ea, quæ pertinent ad impedimenta non prouenientia ex delicto, & præcipuè ad Eccleſiæ vetitum.* 307

3 *Explicantur in particulari ea, quæ pertinent ad tempus feriatum.* 309

4 *Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad Cathechiſmum, votum & ſponſalia.* 320

5 *Expediuntur ea omnia, quæ pertinent ad impedimentum criminis, prout impedit, non dirimit matrimonium.* 321

6 *Præambula quædam in communi ad impedimenta dirimentia.* 331

7 *Explicantur omnia generatim, quæ ſpectant ad impedimentum erroris.* 333

8 *Explicantur omnia, quæ pertinent ad impedimentum conditionis.* 336

9 *De impedimento voti, prout dirimit matrimonium.*

10 *De impedimento dirimente cognationis.* 350

Sect. 1. *QVid ſit cognatio carnalis, quid linea, gradus, & ſtipes in eadem.* 363

2 *An inter conſanguineos in linea recta ſit iure naturali irritum matrimonium in quocunque gradu in infinitum.* 364

3 *An, & quo iure, & in quibus gradibus irritetur matrimonium inter conſanguineos in linea tranſuerſali, ſiuè æquali, ſiuè inæquali.* 368

4 *De cognatione ſpirituali.* 369

5 *De cognatione legali.* 372

Prænot. 11. *DE impedimento affinitatis.* 385

12 *De impedimento publicæ honeſtatis.* 391

13 *De impedimento criminis dirimentis.* 398

14 *De impedimento diſparitatis cultus.* 400

15 *De impedimento dirimente vis, & ligaminis.* 40[illegible]

16 De

16 *De impedimento Ordinis.* 414
17 *De impedimento impotentiæ.* 419
18 *De duobus impedimentis Concilij Triden. remiſſiuè.* pag. 424

---

DISQVISITIONES I.

A prima ad quintam prænotionem incluſiuè.

§. 1 *AN Pontifex iuſta exiſtente cauſa poſſit in pœnam perſonam aliquam reddere perpetuo inhabilem ad matrimonium, quæ iure naturæ habilis ſit.* pag 453
2 *Quid agendum ſit, ſi interdicto matrimonio ex cauſa temporali cum decreto irritante illud ineatur contra interdictum.* p. 455
3 *An grauis metus excuſare valeat à culpa, quæ contrahitur per contrahentem matrimonium cum impedimento ſiue dirimente, ſiue ſimpliciter impediente.* pag. 457
4 *An copula habita inter irretitos impedimento dirimenti inducat ſpecialem malitiam neceſſario in confeſſione aperiendam.* pag. 459
5 *An ſacerdos benedicens nuptias ſolemniter, & ſponſi recipientes huiuſmodi benedictiones tempore vetito ſit punibiles, & quâ pœna.* pag. 461
6 *An uxor alligata voto ſimplici caſtitatis ex vi eiuſdem voti teneatur negare gratiam reconciliationis marito adulteranti.* pag. 462
7 *Quomodo ſe gerere debeat Theologus, ſeu Sacerdos ſi interrogetur an matrimonium contractum cum voto ſimplici caſtitatis teneat.* pag 464
8 *An impediatur matrimonium per vſum coniugalem cum ſecundo marito viuente primo, quando ab hoc facto eſt ſeparatio, ſed primus appellauit.* p. 466
9 *An inceſtus cum propria conſanguinea impediat coniugum.* pag. 468
10 *An matrimonium contra prohibitionem Iudicis lite pendente initum teneat.* p. 469
11 *An interfectio proprij filij ſit inter impedimenta impedientia.* p. 471
12 *An prærequiratur ſententia Iudicis, vt inceſtus impediat matrimonium.* pag. 472

---

DISQVISITIONES II.

A prænotione ſexta ad decimam incluſiuè.

§. 1 *AN Quandoque error in nobilitate, & virginitate tranſeat in ſubſtantialem.* p. 473
2 *An intendens contrahere cum primogenita Caij validè cum eadem contrahat, ſi antea fuerit eidem exhibita vna pro alia.* pag. 475
3 *An error nominis, cognominis, & patriæ irritet matrimonium.* pag 477
4 *An Epiſcopus cognita inualiditate ſententiæ à Vicario ſuo prolatæ ſuper matrimonio poſſit illam reuocare.* pag 479
5 *An matrimonium iniens cum corrupta credens eſſe virginem teneatur conſummare.* p. 481
6 *Quomodo poſſit ſibi conſulere coniux; quando ex aliquo errore aprehenſo contra ipſius votum diſſolutum eſt matrimonium.* pag 482
7 *An teneat matrimonium ſi fœmina ſcienti quem habere plures filios, & neminem cognoſcenti ſupponatur ſecundo genitus pro primo genito.* p. 484
8 *An matrimonium inter duos habiles initum ſubſiſtat, ſi alter eorum crederet ſubeſſe impedimentum.* p. 486
9 *An conditio ſeruilis in altero contrahente ſupeueniens matrimonio illud irritet.* p. 488
10 *An vxor conſentiens venditioni mariti ſe ipſam redigat in ſeruitutem.* p. 489
11 *An ſi vxor conſenſerit venditioni mariti ſit ipſa præferenda in vſu coniugali obſequijs Domini, an è contra.* pag 490
12 *An filius ſeruorum ſequatur cõditionem Patris, quoad honores, & nobilitatem.* p. 492
13 *An filij ſequantur conditionem matris quoad ſeruitutem, & libertatem.* pag. 494
14 *An proles concepta, vel nata tempore libertatis matris vel medio tempore inter conceptionem, & natiuitatem, pro quo mater gaudebat libertate, ſit libera vel ſerua, ſi mater fiat ſerua.* p. 495
15 *Quiſnam filium ſeu prolem poſſit diuendere.* p. 496
16 *An vrgente graui neceſſitate poſſit Pater filium pro fundo commutare.* p. 498
17 *An ob alias cauſas à prænarratis poſſit Pater vendere filium.* p. 499
18 *An filij ex filia vendita nati intelligantur vendisi & an redempta matre intelligantur filij eodem pretio redempti.* pag 500
19 *Vtrum filius in æquali neceſſitate Patris, & filij proprij teneatur potius ſubuenire Patri, quam filio, quando non poteſt vtrique.* pag. 502
20 *An ancilla pluribus communis ſi ab vno manumittatur, & poſtea ante ſolutum alteri Domino pretium pariat, pariat liberum an ſeruum.* p. 504
21 *An fœtus ex ancilla ſtatu libera ortus ante conditionem, vel tempus, ſit liber, an ſeruus.* p. 507
22 *An facta promiſſione per Dominum de manumiſſione ancillæ ad tempus certum, eaque ab eodem ancilla acceptata, ſed intra tempus non adimpleta proles poſt illud tempus naſcatur libera* pag. 508
23 *An votum caſtitatis emiſſum in Religione approbata in manibus ſuperioris, non promiſſa obedientia, & paupertate ſit ſolemne, & irritet matrimonium ſubſequens.* p. 509
24 *An vota ſolemniter emiſſa in Religione approbata penes ſuperiorem illius Religionis, quibus vouens non ſe obligat ad illam Religionem, ſed ad Religionem in genere ſint ſolemnia, & irritent matrimonium.* p. 511
25 *An coniuges mutuo conſenſu ſe recipientes in Religionem teneantur pro eodem tempore emittere profeſſionem, & quid ſi alter prius emittat, & alter recedat à Religione.* p. 512
26 *An profeſſio coniugis emiſſa poſt conſummatum matrimonium ignorante altero, vel contradicente, ſi ſciuerit, teneat ſaltem in vim ſimplicis voti caſtitatis.* p 515
27 *An ſi coniuges poſt contractum, & conſummatum matrimonium mutuo conſenſu voueant caſtitatem* poſſint

Digitized by Google

*poſſint ſibi iterum conferre poteſtatem vſus coniugij, & quod ſi de facto conferant.* p.520

28 *An altero coniuge præſtante conſenſum profeſſioni alterius iam emiſſæ ſine ipſius licentia eadem reddatur valida.* p.521

29 *An coniux ſine alterius licentia profeſſus, nec ab eo reuocatus in vita poſſit eo decedente egredi, & ad noua vota tranſire.* p.522

30 *An altero coniuge ſine alterius licentia profeſſo poſſit alter primo inuito ſimiliter in Religione approbata profiteri.* p.525

31 *An profeſſio ordinum militarium irritet ſubſequens matrimonium.* p.529

32 *An infideles, qui contraxerunt per tempore infidelitatis in linea recta vltra primum gradum ſint ſeparandi ſi conuertantur.* p.530

33 *An ſi quis de præſenti contrahat in gradibus lineæ tranſuerſalis prohibitis Leuitici 19., qui nec aduerſantur iuri naturæ, nec aliquo iure Eccleſiaſtico prohibentur, peccet, & quomodo.* p 531

34 *An conſanguinei, ſi alter diſtet à communi ſtipite tantum in primo gradu, & alius in quinto poſſint inter ſe valide contrahere.* p.533

35 *An cognatio ſpiritualis ſuperueniens ſuperueniens matrimonio impediat vſum ipſius.* p.534

36 *An maritus, qui contraxit cognationem ſpiritualem cum vxore ante conſummatum matrimonium teneatur Religionem ingredi.* p.537

37 *An duo poſſint adinuicem eſſe patrini filij alterius, & an tunc duplici cognatione ſpirituali afficiantur, & an in diſpenſatione requiratur vtriuſque expreſſio.* p.538

38 *An contrahatur cognatio ſpiritualis in baptiſmo, & confirmatione cum parentibus illegitimis, & adoptiuis baptizati, vel confirmati.* 540

39 *An baptizans, & tenens puerum in neceſſitate contrahat impedimentum dirimens ſubſequens matrimonium.* p.542

40 *An per ſacramentum pænitentiæ contrahatur cognationis vinculum, ratione cuius ſit explicanda illa circunſtantia in confeſſione, ſi copula habita fuerit cum filia confeſſionis.* 543

41 *An affinis, ſeù conſanguineus, ſiuè cognatione carnali, ſiuè ſpirituali, qui ſuper illis impedimentis impetrauit diſpenſationem, contrahat diuerſam in ſpecie malitiam, ſi ante matrimonium fornicetur, vel [illegible] vel cum conſanguinea.* 545

42 *An cognatio legalis ſuperueniens matrimonio impediat debitum peti.* 546

43 *An, & quomodo ſoluatur legalis cognationis impedimentum.* 54


---

## DISQVISITIONES III.

### Ad reliquas omnes de matrimonio II. prænotiones.


§.1. E*Xplicatur in caſibus particularibus quomodo affinitas non pariat affinitatem.* 549

2 *An ſit inceſtus acceſſus ad conſanguineam eius, cum qua, quis fornicatus eſt vltra ſecundũ gradum.* 550

3 *An conſurgat impedimentum publicæ honeſtatis, quando quis frigidus, vel maleficiatus contrahit ſponſalia in tenella ætate, in qua non poſſit cognoſci impotentia ex illis cauſis.* 552

4 *An contrahentes ſponſalia ſcientèr cum impedimento dirimente, ratione cuius ſunt inualida, contrahat publicam honeſtatem.* 554

5 *An ſit peccatum lethale promittere matrimonium poſt mortem coniugis, & an illa promiſſio teneat.* 556

6 *An inter infidelem, & fidelem conſurgat impedimentum criminis dirimentis, quando interceſſit promiſſio, & adulterium, ſed alterum ante conuerſionem infidelis, alterum poſt.* 557

7 *An teneat matrimonium inter fidelem, & infidelem fictè baptizatum.* 559

8 *An ſubſiſtat matrimonium initum inter Apoſtatam, à fide, & infidelem.* 560

9 *An ſacerdos, qui ſimul profeſſus eſt, fornicans teneatur vtramque circunſtantiam in confeſſione explicare.* 561

10 *An, & quomodo vir poſſit, vel ſine, vel de licentia vxoris ſacros ordines recipere.* 563

11 *An bigamia inducat irregularitatem, & quomodo.* pag. 566

12 *An bigamiæ irregularitas tollatur per baptiſmum, & profeſſionem.* 571

13 *An impotentia, quæ non eſt naturalis, nec extitit in primo matrimonio, præſumatur præceſſiſſe in ſecundo, ex quo nulla fuit proles.* 572

# CONTRACTVS XV.

## De Matrimonio prout contractus eſt, & Sacramentum.

IAM ad eum contractum deuenimus, in quo nedum bona fortunæ per humana commertia adinuicem communicantur, ſed bona quoque vitæ, &corporis ita ſociali fædere commiſcentur, ut in communem quandam, & indiuiduam vitæ tranſeant vnitatem: Hic ille contractus eſt, qui animos ad mutuos conciliat affectus, ſocietatem fouet, ut nedum corda in amoris vinculum nectat, ſed corpora quoque licet ſecundum ſe diſiuncta coniungat, vt vna caro per ſanguinum commixtionem efficiantur, & ſint duo in carne vna. Hic ille eſt, qui licet mutuis hominum conſtituatur affectibus, ita tamen ex diuina diſpenſatione eleuatur, ut ad ſupereminentiam tranſeat ſacramenti. Hinc qua contractus eſt voluntates correſpectiuus adinuicem obligat affectibus, & corpora mutuis ſubdit obſequijs, qua ſacramentum, ita connectit, vt quos Deus coniunxit, nulla vnquam poſſit homo poteſtate ſeparare; hinc humana diuinis ita copulantur, vt quæ ex hominum pendent voluntate diuino munimine roborata nedum naturam compleant in ratione principij ad generis propagationem, ſed donis etiam accumulent ſupra naturam, & dum corpora per conſenſus ad coniugalia iungunt obſequia, animas quoque Deo maritent per gratiam. Huius contractus ad eſſe ſupernaturalis ſacramenti eleuati naturam, cauſas, proprietates, & effectus examinanda in præſenti aſſumimus, nedum toti hactenus verſati fuimus in cæterorum contractuum indagine, à cognitione eius, qui omnibus ne dum dignitate, ſed etiam ſupernatutali eleua-



Digitized by Google

tione præ eſt, deficiamus. Vuiuerſam hanc materiam, quæ certe ſuprà omnes ampla eſt, & difficultatibus inuoluta ad tria capita reſtringam. In primo, quod ſub titulo Matrimonij I. exponam, naturam, proprietatem, & cauſas perſcrutabor; in ſecundo ſub titulo Matrimonii II. de impedimentis tàm dirimentibus, quàm ſimpliciter impedientibus diſſeram. In tertio ſub titulo matrimonij III. ea omnia, quæ ad vſum matrimonij pertinent, quæque eidem vſui, vel matrimonio aduerſantur, comprehendam.

Agunt de Matrimonio Magiſter, & cæteri Theologi *in 4. diſtinct. 27. art. 6. vſque ad* 42. Iuris Pontificij interpretes *4. decret. & in 6. tit. de ſponſalib., & in decret. cauſa* 23. *& ſequentibus*; iuris cæſarei Doctores *C. de ſponſal., & 4. partita per totam*. Summiſtæ *verb. matrimonium*. In vniverſum *Nauarrus in ſumma cap.* 22. *Antonius Cucus lib.* 5. *Inſtit. maior. tit.* 10. Sanchez per duo integra volumina; Ioannes Angelus Boſſius per tria Bonacina *à queſt. 2. vſq; ad quartam*, & alii innumeri, quos non vacat referre.

## PRÆNOTIO I.

An, & quando inſtitutum ſit matrimonium, tàm in lege naturæ, quam gratiæ.

### SVMMARIVM.

*In ſtatu iuſtitiæ originalis inſtitutum fuit matrimonium in officium naturæ.* 1.

*Fuit inſtitutum à Deo non ſolo iure naturæ abſque diuina voluntate.* 2.

*Non tamen fuit inſtitutum, vt ſacramentum. num.* 3.

*In ſtatu legis naturæ, & ſtatu legis ſcriptæ fuit inſtitutum matrimonium in remedium etiam concupiſcentiæ non tamen in ratione ſacramenti.* 4.

*In ſtatu legis euangelicæ eleuatum eſt ad perfectam rationem ſacramenti.* 5.

*Et tunc quando Chriſtus Dominus dixit Quos Deus coniunxit homo non ſeparet.* 6.

ORDO doctrinæ poſtulare videtur, vt præmittatur quæſtioni, quid ſit, quæſitum an ſit; ex exiſtentia etenim facilius deuenimus in cognitionem eſſentiæ, & quidditatis, & licet certiſſimum ſit, & notum, matrimonium in lege naturæ extitiſſe, & in lege gratiæ exiſtere, non diſſonum tamen eſt inquirere, quandonam in vtraque lege ſit inſtitutum, & ad quemnam effectum, nam ex hoc munera eiuſdem, & quidditas facilius conijciuntur.

Et quidem in ordine ad legem, quæ non eſt gratiæ per Chriſtum reparatæ duplex adhuc ſtatus conſiderari poteſt, vel eiuſdem ante lapſum Adami, vel eiuſdem poſt lapſum. In ordine ad primum ſtatum inquiri poteſt, an fuerit de facto matrimonium inſtitutum, an verò inſtituendum ſi Adam in iuſtitia originali perſtitiſſet, & ad quemnam effectum, & finem. In ordine verò ad ſecundum inquiretur primo, an inſtitutum fuerit ſolo iure naturæ abſq; diuina voluntate, an verò à Deo; ſecundo pro quonam tempore, & vbinam in ſacris paginis innoteſcat eiuſdem inſtitutio; tertio, an tunc connumeraretur inter ſacramenta veteris legis.

*Duplex ſtatus naturæ.*

In ordine verò ad legem gratiæ, cum certum ſit, & de fide inſtitutum fuiſſe à Chriſto Domino, & elevatum ad eſſe ſacramenti ſolum remanet dubium, quandonam ab eodem fuerit ſic inſtitutum, & eleuatum, an quando Ioannis ſecundo interfuit nuptiis Canæ Galileę; an quando Matthæi 19. illud commendauit, illiuſq; indiſſolubilitatem præcepit per illa verba *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, an verò quando poſt reſurrectionem loquebatur magnalia de Regno Dei, ideſt de Eccleſia; an vero quando Eccleſiam ſibi deſponſauit per ſanguinem in paſſione iuxta illud Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in ſanguine.*

*Status gratiæ per Chriſtum reparata.*

Aſſer-

1 *In ſtatu iuſtitiæ originalis inſtitutum eſt in officium naturæ.*

Aſſertio I. In ſtatu legis naturæ ante lapſum Adami, ſeu melius iuſtitiæ originalis inſtitutum fuit verè, & propriè matrimoninm in officium naturæ *D. Thomas 3. part. quæſt. 61. art. 2. ad 3. Gonetus in 3. part. D. Thomæ diſp. 1. num. 7.*, qui pro ſe citat *Sotum*, *Alphonſum de Caſtro*, *Caſſarinum*, *Roſenſem*, *Enricum Angliæ Regem* in tractatu de ſacramentis, quem edidit, dum eſset catholicus, nec in hoc exiſtimo poſse eſse diſſidium.

2 Solum difficultas eſse poteſt, an tunc inſtitutum fuerit ſolo iure naturæ abſque diuina voluntate, vt aſseruit *Vaſquez de matrimon. diſput. 1. c. 20.*, an verò ab Adamo tunc, quando Deo inſpirante dixit, Hoc nunc *os ex oſſibus meis*, *& caro de carne mea* prout videtur ſenſiſse *D. Auguſtinus lib. 14. de Ciuit. Dei c. 22. Magiſter in 4. diſt. 26. & ibi D. Bonauentura art. 1. quæſt. 2.* an verò à Deo, & quandonam, an ſcilicet quando dixit, *& erunt duo in carne vna*, an verò alibi. Exiſtimo probabilius eſse inſtitutum eſse à Deo tunc, quando dixit *Adhærebit vxori ſuæ*, *& erunt duo in carne vna* ad quod referuntur verba Adami *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, *& caro de carne mea*, vnde Apoſtolus ad Epheſ. 5. poſt recitata eadem verba Geneſis ſecundo ſubdit. *Sacramentum hoc magnum eſt*. *Ego autem dico in Chriſto*, *& in Eccleſia*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem ęquũ eſt, vt Deus, qui hominem ex ſui diſpoſitione ordinauerat ad eſse, & ad propagationem, inſtitueret modum etiam eiuſdem propagationis.

*Fuit à Deo inſtitutum, non ſolo iure naturæ.*

3 Maior difficultas eſt, an tunc matrimonium ſic à Deo inſtitutum habuerit rationem ſacramenti. Gonetus *d. diſp. 1. num. 7.* allegatis pro ſe præcitatis Doctoribus expreſsè aſseruit matrimonium Adami cum Eua fuiſse verum ſacramentum, quod præcipuè colligit ex præcitatis verbis Apoſtoli ad Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt*. *Ego autem dico in Chriſto*, *& in Eccleſia* Cacheranus verò *in ſua Theologia aſſert. tom. 3. tract. 8. de ſacrament. in gener. c. 2. §. 1. num. 4.* ad mentem *D. Thomæ 3. parte quæſt. 61. art. 20. & in 4. diſt. 1 qu. 1. art. 2. quæſtiuncula 2.* ſuſtinet non fuiſse ſacramentum, quinimmò in illo ſtatu innocentiæ nullum aſserit extitiſse ſacramentum, cui adhærendum abſolutè exiſtimo. Ratio ex eo deducitur primò, quià ſacramenta ex genere ſuo dependent à libera Dei voluntate, vt eſt confeſso apud omnes. Quo poſito ſic argumentor Ea, quæ ſunt libera Dei nobis non poſsunt innoteſcere niſi reuelante Spiritu Sancto in ſcripturis, vel alio modo ſenſibili, quià quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei, & cui voluerit ſpiritus reuelare; ſi enim nos non poſsumus internas aliorum hominum animi notas cognoſcere, niſi exterius nobis manifeſtentur, quo modo poſſumus præſumere internos diuinæ voluntatis conceptus attingere, niſi per eundem Deum nobis exterius manifeſtentur? ſed nullibi in ſacra ſcriptura, nec alibi nobis manifeſtatum eſt matrimonium Adæ, & Euæ in ſtatu iuſtitiæ originalis inſtitutum eſſe in ratione ſacramenti, cum locus hoc manifeſtans in ſacris paginis nequeat indicari, ergo &c.

*Non fuit pro tali ſtatu ſacramentum.*

Dices indicari in illis verbis Geneſis ſecundo præallegatis. *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, *& caro de carne mea*, vbi Apoſtolus ad Ephſ. 5. ſubdit *Hoc ſacramentum magnum eſt*, *Ego autem dico in Chriſto*, *& in Eccleſia*, vbi ly hoc ſacramentum magnum eſt certe refertur ad matrimonium Adæ, & Euæ indicatũ per verba *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, quod vtiq; fuit ante lapſum; dum autem deinde dicit *Ego autem dico in Chriſto*, *& Eccleſia*, magis firmat aſſumptum, quod ſic euinco. Sacramenta antiqua ex genere ſuo ſunt talia, prout ſunt expreſſiua ſacramentorum Chriſti Domini, ad quæ tanquam figuræ ad figuratum referuntur, ergo, dum Apoſtolus dicit *Ego autem dico in Chriſto*, *& Eccleſia*, vtique exponit eſſe expreſſiuum matrimonij Chriſti cum Eccleſia, ad cuius normam inſtitutum eſt ſacramentum matrimonij veri, & realis. Sed contra primo dico ly *Sacramentum* enuntiatum ab Apoſtolo dici ſolummodo per quandam analogicam proportionem, non ſecundum formalem, & germanam proprietatem, vel quatenus ſecundum coniunctionem haberet ſimilitudinem cum ſacramento, quod modo inſtitutum eſt à Chriſto Domino, vel quatenus, vt optimè notat *D. Thomas 3. part. qu. 61. art. 2. ad tertium*, illud quod in ſtatu iuſtitiæ originalis inſtitutum fuerat in officium naturæ poſtea in lege gratiæ per coniunctionem Chriſti cum Eccleſia ordinatum in ratione ſacramenti, vnde ab Apoſtolo dicitur ſacramentum, non quod tunc eſſet tale, ſed quia poſtea factum eſt tale à Chriſto Domino. Ad illud, quod ſubditur ex verbis Apoſtoli *Ego autem dico in Chriſto*, *& Eccleſia*, dicendum eſt ex hoc ſolummodo euinci ad ſummum, quod illud matrimonium Adæ, & Euæ fuerit figura ſpiritualis coniugij Chriſti, & noſtri ſacramentalis matrimonij, non autem ex hoc ſequitur, quod fuerit verè ſacramentum, quia non fuit inſtitutum cum ſacra ceremonia, nec aliquam gratiam ſaltem imperfectam conferebat, quod eſt de eſſentia ſacramenti.

*Dicitur ſacramentum ſecundum quandam analogiam, non ſecundum proprietatem.*

Confirmari etiam poteſt noſtrum aſſertum congruentiſſima aliqua ratione, quia Adamo originaliter non peccante nullum extitiſſet, nec fuiſſet neceſſarium ſacramentum in eo ſtatu innocentiæ, pro



Digitized by Google

quo diutius perſeueraſset *Caietanus in 3. part. D. Thomæ qu. 61. art. 2. Ioannes à Sancto Thoma diſp. 23. art. 2. dub. 2. Gonetus diſp. 2. art. 1. §. 2. Lugus diſp. 3. ſect. 1. Vaſquez diſp. 130. cap. 2.* ergo multo minus extitit pro modico illo tempore, pro quo perſeuerauit in ſtatu innocentiæ, nec fuit neceſsarium matrimonium in ratione ſacramenti. Antecedens probatur, quia rationes, & fines, quæ militant pro ſacramentorum inſtitutione poſt peccatum, non militant pro eorum inſtitutione ante peccatum in ſtatu iuſtitiæ originalis, ſi diu perſeueraſset, ergo pro illo ſtatu nullum extitit, nec fuit neceſſarium ſacramentum. Antecedens item euincitur, quia rationes, ob quas potiſſimum in præſenti hominum ſtatu inſtituta ſunt ſacramenta, ſunt primò, vt homo, qui originaliter, & actualiter peccando ſe auertit à Deo, & ſecundum affectum ad corporalia, & ſenſibilia ſe conuertit, per ſenſibilia quoque præordinata à Deo ad ipſum ſe conuerteret. Secundo, vt, qui propter ſenſibilia perfectam Dei cognitionem amiſerat, ad eandem per ſenſibilia quoque à Deo eleuata quaſi manuduceretur. Tertio, vt ſicuti poſt peccatum eſt maxime procliuis ad corporalia, in quibus, ut plurimum deficit, per aliqua corporalia, in quibus ſalubriter exerceatur, à lapſu ſubleuetur: ſed hæc non militarent in ſtatu innocentiæ, in quo, nec perfectam Dei cognitionem, nec eidem ſubiectionem amiſiſſet, nec ita procliuis eſſet ad noxia corporalia, ergo &c.

*Adamo non peccante nullum fuiſſet neceſſarium ſacramentum.*

Dices, quod quantumuis in ſtatu innocentiæ non militaſſent illæ rationes, de quibus mox egimus, quæque militant in præſenti ſtatu, militaſſent tamen aliæ congruentiæ, eæque ſufficientes ad inducendam maximam conuenientiam inſtitutionis ſacramentorum etiam pro tali ſtatu. Hæ autem congruentiæ ſunt, vt ſignificarētur per ſenſibilia ſigna aſſociatio in eadem Religione, & proteſtationes eiuſdem fidei, oſtenſio diuinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis maximè relucentis in ſignis ſenſibilibus, & his ſimilia. Sed contra, quia hæ rationes, & congruentiæ ex vi præſentis decreti non ſunt primariæ, & fines principaliores, ſed tantummodo conſecutiuæ, & minus principales; ſicuti igitur illæ rationes, & fines ex vi præſentis decreti non fuerunt rationes formales, & motiuæ, quibus non exiſtente peccato Deus poneret decretum incarnationis, ita nec debent dici fuiſſe ſufficientes rationes, cur Deus nullo exiſtente peccato conſtitueret in ſignis ſenſibilibus rationem propriam ſacramentorum.

*Satisfit rationi contrariæ.*

Aſſertio II. Tàm in ſtatu legis naturæ, quàm in ſtatu legis ſcriptæ, ante Chriſti Domini aduentum inſtitutum fuit matrimonium in remedium concupiſcentiæ, non tamen in ratione ſacramenti. Quoad primam partem eſt communis. Quoad ſecundam eſt *D. Thomæ prima ſecundæ qu. 103. art. 5. ad tertium*, vbi aſſignans correſpondentiam quandam figuralem antiquorum ſacramentorum cum nouis aſſerit nullum antiquæ legis ſacramentum correſpondiſſe matrimonio. D. Thomæ adhæret *Cacheranus tom. 3. Theologiæ aſſertiuæ tract. 8. de ſacramentis in genere c. 2. §. 3. num 47., & alij.*

*Etiam in ſtatu legis naturæ, & ſcriptæ fuit inſtitutum in remedium concupiſcentiæ.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, ex quo Deus hominem ordinauerat ad eſſe, conuenientiſſimum fuit, vt eidem de modo conſuleret, quo poſſet permanere in eſſe licitè, ſi non in proprio indiuiduo, ſaltem in propria natura ſpecifica, hocque pro omni ſtatu, in quo contingeret ipſum eſſe, ergo Deus, qui in ſuis operibus omnia diſponit fortiter, & ſuauiter ordinando ſcilicet proportionata media ad ſuos congruos fines debuit matrimonium ità naturæ propagationi neceſſarium inſtituere in quocunque ſtatu. Si autem hic inquiras, quandonam Deus pro vtroque illo ſtatu matrimonium inſtituerit, dicendum erit, quod quoad ſubſtantiam tunc inſtitutum fuerit, quando in officium naturæ in ſtatu iuſtitiæ originalis dictum fuit *Adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, quod poſteà commiſſo peccato ordinauit etiam in remedium concupiſcentiæ, vel forte melius dici poteſt, quod tunc inſtitutum, & propagatum fuerit, quando dixit. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.*

*Quandonam fuerit inſtitutum.*

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod nullibi conſtat eleuatum fuiſſe ad rationem ſacramenti, nec pro eodem inſtituta erat aliqua ſacra ceremonia, nec gratiam aliquam ſaltem imperfectam conferebat, & licet dicatur, quod poſt lapſum neceſſaria eſſent aliqua ſacramenta, per quæ in ſignis ſenſibilibus homo, qui à Deo declinauerat, conuerteretur ad eundem, non propterea ſequitur, quod matrimonium ipſum fuerit eleuatum ad rationem ſacramenti, ſed aliqua alia, de quibus agunt Theologi in tertiam partem D. Thomæ in quæſtionibus de ſacramentis in genere, inter quæ non anumeratur matrimonium.

*Non conſtat fuiſſe inſtitutum, vt ſacramentum.*

Si autem hic inquiras, cur nouis ſacramentis aliquibus nouæ legis correſponderent aliqua antiqua, nullum autem matrimonio, nec confirmationi, nec extremæ vnctioni, reſpondebit *D. Thomas prima ſecunda qu. 103. art. 2. ad tertium*, hoc ex eo prouenire, quia pro illo ſtatu nondum venerat plenitudo gratiæ, quæ per confirmationem præſumatur, nec gloriæ aditus patebat, qui præmonſtratur

tur per extremam vnctionem, nec conſunctio Chriſti cum Eccleſia habebatur, quæ per matrimonium exprimitur.

5 Aſſertio III. In ſtatu legis Euangelicæ matrimonium, quod in ſtatu iuſtitiæ originalis erat inſtitutum in officium naturæ, & in ſtatu naturæ lapſæ in remedium etiam concupiſcentiæ, eleuatum eſt ad perfectam, veramque rationem ſacramenti. Eſt veritas catholica communiter acceptata pluribus in concil. definita, & ex ipſo textu euangelico comprobata, nec indiget probatione.

*Eleuatum eſt ad eſſe ſacramentum.*

Difficultas ſolum remanet in explicando, quandonam à Chriſto Domino fuerit inſtitutum hoc ſacramentum, ſeù eleuatus contractus matrimonialis ad eſſe ſacramenti. Viguerius *lib. 1. inſtit. cap. 16. §. 7. verſ. 1. Ledeſma 2. part. qu 44. art. 2.* aſſerunt tunc eleuatum fuiſſe, quando Ioannis 2. interfuit nuptijs Canæ Galileæ. Adrianus vero *qu. 1. de matrim. D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 2. ante §. 1. Sotus in 4. diſt. 26. qu. 2. art. 2. verſ. ex quo fit, Henriquez lib. 11. de matrim. c. 2. num. 1. Petrus de Soto lect. 2. de matrim. § de inſtitutione,* ſentiunt tunc eleuatum eſſe, quando Matthei 19. dixit, *quos Deus coniunxit homo non ſeparet.*

6 Sentio probabilius eſſe tunc inſtitutum fuiſſe, quando dixit præfata verba. *Quos Deus &c.* Rationem ex eo deduco, quod præcipuum, & ſingularius bonum, quod prouenit matrimonio ex vi ſacramenti, ad quod eleuatum eſt, eſt indiſſolubilitas, nam bonum prolis, & bonum fidei, quæ etiam ſunt propria matrimonij proueniunt etiam ex eodem, qua contractus eſt, ſed Deus per illa verba *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, non ſolum matrimonium commendauit, ſed etiam inſeparabilitatem præcepit, ergo tunc propriè conſtituit ſacramentum, cum matrimonio contulerit bonum, quod formaliter prouenit ex vi ſacramenti, ſine quo illud non haberet.

*Et tunc quando Chriſtus Dominus dixit Quos Deus coniunxit &c.*

---

## PRÆNOTIO II.

### An modo inter Catholicos poſſit eſſe matrimonium, quod non ſit ſacramentum

### *SVMMARIVM*

*Matrimonium contractum cum errore, quo quis falſo exiſtimet, eidem non ineſſe rationem ſacramenti, tenet in ratione contractus, & ſacramenti.* 1.

*Matrimonium contractum inter fideles cum expreſſa excluſione ſacramenti non tenet, nec in ratione ſacramenti, nec contractus.* 2.

*Matrimonium fidelis cum cathecumena, reſpectu fidelis eſt ſacramentum actu, reſpectu cathecumenæ ſolum habitu.* 3.

NON eſt difficultas, quod poſſit eſſe verum, & validum matrimonium ſine gratia ſacramentali, ſeù ſine effectu ſecundario eiuſdem, nam, ſi quis ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus contraheret in peccato læthali indubitatum eſt, quod ratione obicis non conſequeretur gratiam ſacramentalem, nec tamen deſineret eſſe ſacramentum, quod non inualidatur per defectum effectus ſecundarij, vt videre eſt in cæteris omnibus ſacramentis, ſi excipias illud pænitentiæ, quod ex alibi dictis non poteſt eſſe validum, & informe. Difficultas igitur ſolummodo eſt, an poſſit eſſe matrimonium ſubſiſtens, quod in ſubſtantia non ſit ſacramentum, quatenus vel ex intentione poſitiua quis vellet matrimonium, & nullo modo ſacramentum, vel ex errore intenderet matrimonium nullum in eodem exiſtimans eſſe ſacramentum.

*Poteſt eſſe validum ſacramentum ſine gratia ſacramentali*

Aſſertio I. Matrimonium contractum cum errore, quatenus quis intendat efficaciter matrimonium falſo exiſtimans in eodem non exiſtere vim ſacramenti, tenet non ſolum in ratione matrimonij, vt contractus eſt, ſed etiam ſacramenti. *D. Thomas in addit. qu. 51. art. 2. ad ſecundum, Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 11. num. 5. Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 10. num. 6.* Intellige tamen, dummodo ſic efficaciter intendens matrimonium intendat facere, quod fideles per matrimonium efficiunt.

1
*Error, quod non inſit ſacramentum ipſum non inualidat.*

Ratio ex eo deducitur, quia, nec ex intentione contrahentis ab eo contractu excluditur ratio ſacramenti, nec ex vi falſæ exiſtimationis, nec ex ipſa natura contractus, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet, quia ex eo, quod intendat efficere id, quod efficiunt fideles in ſimili contractu ſe accomodat quoad intentionem iuri diuino, & Eccleſiaſtico circa talem contractum; quoad ſecundam item euincitur, quia illa falſa exiſtimatio, ſeù error non excludit debitam intentionem circa ſubſtantiam actus, ergo non eſt, cur ratione debitæ intentionis cum ſubſtantia actus non trahatur indiuiſibiliter ratio ſacramenti, ea proportionali ratione, qua falſo exiſtimans baptiſmum eſſe fictionem, ſi tamen eundem conferret cum intentione efficiendi id, quod facit Eccleſia valide conferret, & efficeret verum ſacramentum. Quoad tertiam etiam ex eo euincitur, quia ex Chriſti inſtitutione eſt inſeparabile à contractu matrimonij eſſe ſacramenti, ergo ex vi ipſius cōtractus per ipſam falſam exiſtimationem non excluditur ratio

*Ex Chriſti inſtitutione eſt inſeparabilis ratio ſacramenti à ratione contractus.*

Digitized by Google

tio formalis ſacramenti. Confirmatur, ſi quis intenderet efficaciter ordinem ſacrum ſubdiaconatus falſo exiſtimans eidem non eſſe annexum votum implicitum ſolemne caſtitatis adhuc teneretur abſolute ad idem votum caſtitatis per ea, quæ alibi fusè ſcripta ſunt, quia, qui vult efficaciter principale vult ſaltem in cauſa ea, quæ eidem, vel ex natura ſua, vel ex diſpoſitione diuina, & Eccleſiaſtica ſunt annexa, ergo etiam, ſi quis efficaciter intendat matrimonium falſo exiſtimans eidem non ineſſe vim ſacramenti indiuiſibiliter cum eodem contractu, quem efficaciter intendit, trahet ſecum rationem ſacramenti.

2

*Error excludens poſitiuè ſacramentum inualidat cōtractum.*

Aſſertio II. Matrimonium contractum cum expreſſa intentione non conficiendi ſacramentum, ſeù cum poſitiua excluſione ipſius non trahit ſecum rationem ſacramenti, nec etiam obligat in vim contractus *Suarez tom.1. de ſacramentis qu.64. art.10. Petrus de Ledeſma de matrim. qu.42. art.1. dub.7. in ſolut. ad primum, & ſecundum, Sanchez lib.2. de matrimon. diſp.10. num.6.*

*Sine intentione miniſtri non ſubſiſtit ſacramentum.*

Prima pars ex eo deducitur, quia ad validitatem ſacramenti non ſolum requiritur materia, & forma, ſed etiam intentio miniſtri conficiendi illud, quæ certè intentio debet eſſe ſaltem virtualis, & interpretatiua, ſed in hac hypotheſi miniſter conficiens ſacramentum ſunt ipſi contrahentes, hicque non habet intentionem, nec actualem, nec virtualem, quin immò, nec habitualem, cum habeat poſitiuam excluſionem ipſius, ergo deficiente parte eſſentiali in ratione ſacramenti contractus non poteſt exiſtere.

*Diſparitas de ſacramento ſine intentione miniſtri, ac de ſuſcipiente ordinem ſacrum cū excluſione voti.*

Dices, non minus ad ſubſtantiam, ſeù validitatem ſacramenti requiritur intentio miniſtri conficientis, quam ad ſubſtantiam voti requiratur libertas vouentis, & deliberatio, ſed quando in ſuſceptione ordinis ſubdiaconatus quis intendit abſolute ordinem, & excludit abſolutè, & poſitiuè votum caſtitatis eidem annexum, votum adhuc abſolute tenet per ea, quæ alibi fusè diximus, eo quia cum velit principale, & cauſam intelligitur velle implicite annexum, & effectum, ergo etiam quando quis vult abſolutè, & efficaciter matrimonium, quantumvis poſitiuè excludat rationem ſacramenti, adhuc tamen abſolutè tenebit idem ſacramentum, quia non minus eſt annexa ratio ſacramenti matrimonio, quam ratio voti ordini ſacro ſubdiaconatus, quin immo fortiori iure, quandoquidem ratio ſacramenti eſt annexa matrimonio de iure diuino, ratio autem voti ordini, nonniſi de iure Eccleſiaſtico. Sed contra, quia ad validitatem voti ſufficit libertas in cauſa cum ſolum requiratur voluntas eius, qui tali voto adſtringitur, cum etenim hic voluerit principale non poteſt non velle id, quod eidem annectitur: ad validitatem autem ſacramenti non ſufficit libertas in cauſa, cum etenim miniſter non agat præcisè in perſona propria, ſed ut miniſter Dei debet applicare ſuam intentionem ad normam intentionis eiuſdem Dei, vt cauſæ principalis. Deus autem ſua dona reſilienti non confert, adeoque &c. Dici etiam poteſt, quod in primo caſu de ſuſceptione ordinis ſubdiaconatus cum excluſione poſitiua quoad intentionem voti caſtitatis ſit poſita ſufficienter libertas ad principale, quod ſecum trahit conſequens, & minus principale, in ſuſceptione vero, ſeù confectione matrimonij deficiente intentione quoad ſacramentum deficiat etiam eſſentialiter intentio quoad contractum, cum ex vi præſentis inſtitiæ ex diuina ordinatione inter catholicos indiuiſibiliter ratio ſacramenti imbibatur in ratione contractus, & viceuerſa, ſicque libertas quoad votum eſt quid conſequens, quod trahitur ab antecedenti volito, intentio autem quoad ſacramentum non eſt quid conſequens cum æque primo, & indiuiſibiliter afficiat, tàm ſacramentum, quàm contractum, adeoque deficiens quoad vnum, non trahitur ab altero.

*Non poteſt eſſe conſenſus ad contractum, quin ſit ſaltem implicite ad ſacramentū.*

Secunda pars etiam euincitur. Impoſſibile eſt, quod matrimonium ſubſiſtat in ratione contractus deficiente conſenſu ad ea, quæ ſunt de ſubſtantia eiuſdem contractus, qua ratione docuimus *tom.5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. I. Prænot.5. ſect.9. num.22.*, quod conditiones contrariæ ſubſtantiæ matrimonij, ſiue fuerint turpes, ſiue honeſtæ ſemper irritent matrimonium non ex alio, niſi quia per illas tollitur conſenſus neceſſarius ad ſubſtantiam eiuſdem contractus, cum repugnans ſit, quod quis aſſentiatur contractui, & diſſentiatur ab ijs, quæ ſunt de ſubſtantia eiuſdem, cæteroqui aſſentiretur ſimul, & diſſentiretur ſubſtantiæ eiuſdem, ſed poſitivè diſſentiendo per voluntatem contrariam, & expreſſam rationi ſacramenti poſitiuè diſſentiretur ſubſtantiæ matrimonij, ergo &c. Minor probatur, quia ex diuina diſpenſatione in ſtatu legis Euangelicæ, ratio ſacramenti eſt eſſentialiter imbibita in ratione contractus, & è contrà, ergo &c.

Dices primò, matrimonium independenter à quacunque diuina diſpoſitione eſt homini naturale, ex quo pleriq; DD. aſſerunt, quod fuerit inſtitutum à ſolo jure naturæ, abſque diuina voluntate *Vaſquez de matrimon. diſp.1. cap.10.*, quod etiam videntur innuiſſe *D. Auguſtinus lib.14. de Ciuit. Dei cap.22. Magiſter in 4. diſt.26. Vgo lib.2. de ſacrament. part.11.*, dum dicunt

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſse ab Adamo inſtitutum dum protulit illa verba. *Hoc nunc os ex oſſibus meis &c.* ſed poteſt quis velle id, quod ſibi naturale eſt, & ex iure naturæ conceſsum abſque eo, quod velit ea, quæ ex diuina voluntate eidem annectuntur, ego &c. Sed contrà primò, quià matrimonium non dicitur homini naturale, quatenùs à natura præcipiatur reſpectu cuiuſcunque, ſed quatenus, vt benè notat *D.Thomas in 4.diſt.26. quaſt.1. art.1.* eſt ex inclinatione naturæ proueniens, quià ſicuti homini inditum eſt à natura ſe ipſum conſeruare per cibum, ità eidem inditum eſt ſe ipſum perficere in propugatione ſpeciei; hæc autem naturæ inclinatio compatitur cum humana libertate, & vtique poteſt ex diuina lege quoad modum regulari, vt taliter vel taliter fiat, non alio modo; ſecundo ex præactis falſum omninò eſt, quod matrimonium fuerit inſtitutum ab Adamo ſine diuina voluntate, cum Deus efformauerit Euam, vt eſset adiutorium ſimile Adamo in officium naturæ, & dixerit, *Et adharebit vxori ſua, & erunt duo in carne vna.* Quod ſi Adam dixerit. *Hoc nunc os ex oſſibus mei*, dixit Deo inſpirante, & verba ſuggerente &c. Cæterum, ſi quam vim haberet inſtantia eſset contra naturam, & omninò illicitum vouere virginitatem quo quid abſurdius?

*Quamuis ſit naturale poteſt quoad eſſe, & debet deperdi a à regulis iuris.*

Dices ſecundo poſt legem Euangelicam ex Pontificia diſpenſatione poteſt contrahi matrimonium fidelis cum cathecumena, quod tamen ex parte neutrius eſt ſacramentum *Angles Floribus 1. part. de matrim. quaſt.12. de diſparitate cultus art.1. dub.1.* Henriquez *lib.11. de matrimonio c.2. in fine, & lib.12.cap.13.num.3.* Sanchez *lib.2. de matrim.diſp.8.num.2. in fin.*, qui eam adducunt rationem., quià matrimonium in vtroque coniuge vnum eſt numero ſacramentum, ſicuti eſt vnum numero matrimonium. ergo ſi reſpectu cathecumenæ non eſt ſacramentum, nec erit reſpectu fidelis, ergo poteſt catholicus poſt legem Euangelicam velle matrimonium, & poſitivè nolle ſacramentum, cum hæc duo ad inuicem ſint ſeparabilia. Sed con-
3 trà reſpondet *Sotus in 4.diſt.26.q.2.art.3. in fin. EKbius tom 4. hom.73. de ſacramentis* in ea hypotheſi quamuis ſit matrimonium reſpectu vtriuſque, eſse tamen tantum reſpectu fidelis ſacramentum, quià ipſe ſolus eſt eiuſdem capax, quinimmò addunt, quod poſtea, quando cathecumenus baptizatur reſultat etiam ex parte eiuſdem ſacramentum, quod ipſi gratiam confert; nec incongrua ſanè ratione hoc ſtatuunt, quandòquidem non eſt repugnans de iure naturæ, quod fidelis cum non baptizato contrahat, ſed tantum de iure Eccleſiaſtico prout colligitur *ex concil. Toletan 3. cap.13.* circà quod propterea Pontifex poteſt diſpenſare; ex ſuppoſitione igitur, qua ex tali diſpenſatione adinuicem contrahant, cum fidelis ex diuina ordinatione non poſſit contrahere niſi ſimul efficiat ſacramentum, hinc eſt, quod ex tali contractu reſpectu ipſius conſurgat ratio ſacramenti, quod quantum eſt ex vi contractus reſultaret etiam reſpectu alterius, niſi incapacitas obſiſteret, vnde merito *D.Thomas in 4.diſt.39.quaſt.vnica art.2. ad primum* dicit, quod quamvis illud matrimonium reſpectu cathecumeni nondum baptizati non ſit ſacramentum actu, ſit tamen potentia, quatenus immediatè ac fuerit baptizatus ſit actu poſtea tale, eidemque confert gratiam ſacramentalem, atque eiuſdem opinionis ſunt etiam *Paludanus in 4. diſt.27. quaſt.4.art.3.n.25.in ſolut.ad ſuum. Argentina in 4.diſt.39.quaſt.1. art.1.ad primum. Vera crux 2. part.ſpeculi art.36. concl.2. Vega lib.4.ſumma caſ.113.* Quamobrem ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, quod ſicuti reſpectu vtriuſque eſt vnum numero matrimonium, ita reſpectu vtriuſque ſit vnum numero ſacramentum cum diſcrimine tamen ratione diuerſitatis ſubiecti, quatenus eſt ſacramentum actu reſpectu fidelis, quià actu eſt capax, potentia reſpectu non baptizati, quia adhuc non eſt capax, cæterum poſita capacitate per ſuſceptionem baptiſmi efficitur immediate, & actu etiam reſpectu ipſius ſacramentum. Nec hic video quomodo tueri ſe poſſit *Sanchez* dum *lib.2. diſp.10. num.6.* aſserit ex diuina ordinatione reſpectu fidelium inſeparabilem eſse rationem ſacramenti à ratione contractus, & è contra adeo vt non ſubſiſtente ratione ſacramenti non ſubſiſtat etiam ratio contractus, & modo *diſp.8.n.2. verſ. ſed dicendum eſt* dicit, quod ſi ex Pontificis diſpenſatione fidelis contrahat cum cathecumeno teneat contractus, & tamen reſpectu neutrius teneat ſacramentum. Si reſpectu fidelis de iure diuino eſt inſeparabilis ratio ſacramenti à ratione contractus, quomodo modo poteſt ſubſiſtere vis contractus, ſi reſpectu ipſius deficit ratio ſacramenti? Certè Pontificis diſpenſatio nequit abrogare iuri diuino. Quod ſi dicas diuinam ordinationem reſpicere ſolummodo contractum matrimonialem, quandò eſt inter vtrumque fidelem, non autem quandò inter fidelem, & infidelem; ſtatim impugnaberis, quià ius diuinum indefinitè reſpicit quoſcunque fideles, reſpectu quorum non vult contractum ſine ſacramento, & fidelis quicunque ille ſit debet iuxta modum à Chriſto præſcriptum contrahere, & quamuis Chriſtus non prohibeat fidelem cum infideli nondum baptizato contrahere, non propterea eximit fidelem ab ijs, quæ circa fideles ipſe ordinauerat.

*Reſpectu fidelis eſt ſacramentum actu, reſpectu cathecumina habitu.*

Vrge-

Digitized by Google

Vrgebis de ratione matrimonij qua ſacramentum eſt, eſt indiſſolubilitas, hicque eſt eiuſdem præcipuus effectus, quandòquidem ante eleuationem contractus diſſoluebatur; ſed matrimonium contractum ex Pontificia diſpenſatione inter fidelem, & cathecumenam non baptizatum vtique eſt ſolubile, cum cathecumena ipſa poſſit reſilire, ius etenim ſacramenti ipſam non afficit, ergo non eſt propriè ſacramentum, vbi etenim non eſt effectus formalis, & proprius cauſæ, nec poteſt eſſe eadem cauſa; nec poteſt dici, quod ſit ſolubilitas tantum reſpectu infidelis, non reſpectu fidelis, non poteſt, inquam, dici, quià cum ſit duorum vinculum, ſi ſoluitur ex parte vnius ſoluitur etiam ex parte alterius. Sed contrà reſpondeo, quod ſicuti in ea hypotheſi reſpectu fidelis eſt ſacramentum actu, & reſpectu non baptizati non niſi potentia, ità reſpectu primi ſit indiſſolubilitas actu, reſpectu verò ſecundi nonniſi potentia, vnde non renuerem concedere, quod ſi cathecumena nondum baptizata recederet à contractu, fidelis adhuc vinculo coniugali remaneret obligatus, nec poſſet alteri niſi poſt obitum primæ nubere. Hæc procedunt de inſolubilitate, quatenus prouenit ex vi ſacramenti; cæterum præſcindendo etiam ab eodem quoquo modo eſſet inſolubilitas reſpectu cathecumenæ, & infidelis, quandòquidem de iure etiam naturali diuino, licet non ità ſtrictò hæc inſolubilitas conſurgit *D.Thomas in 4.diſt. 33.quæſt.2.art.1.in corpore Bellarminus lib. 1. de matrimon. cap. 4. paulo poſt principium, Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 8. num. 2. Lira Matthei 19. ſuper ea verba, qui reſpondens ait, Abulenſis eod.c.19. Matthei quæſt.45, Sotus in 4. diſt. 27, quæſt.1.art.4.verſ. vnde id ipſum*; vndè meritò *Concil.Trident ſeſſ.24. de matrimon. in princip.* habet *Matrimonij perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens diuini ſpiritus inſtructus pronunciauit cum dixit. Hoc nunc os ex oſſibus meis*, hocque maximè conuenit ſobolis educationi, ſi etenim fœmina nunc vni, nunc alij nuberet incerta proles haberetur, malèque educaretur, quod iuri naturæ videtur quodamodò aduerſari.

*Reſpectu fidelis eſt indiſſolubilitas actu.*

Vrgebis vlterius, ſi hæc quæ dicuntur de indiſſolubilitate iure naturali diuino verificarentur, non poſſet dici, quod ratione eleuationis matrimonii poſt legem euangelicam ad eſſe ſacramenti acquiſierit indiſſolubilitatem, quam prius non habebat contra ſuperius dicta, quandòquidem illam haberet, antequam eleuaretur ad idem eſſe ſacramenti, ergo &c. Sed contrà primo, quia per legem euangelicam ſpecialiter inducitur indiſſolubilitas, quatenus tolluntur libelli repudiorum, qui in lege moſaica permiſſi erant Deuteron. 24. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de manu ſua*, & Malachiæ 2. *Cum odio habueris dimitte dixit Dominus Deus Iſrael*, quod multi etiam extendunt ad legem Gentilium, ſecundum quam aſſerunt permiſſum eſſe repudium *Abulenſis cap. 19. Matthæi quæſt. 76.*; ſecundò, quià maior inſolubilitas competit matrimonio ex eo, quod eſt ſacramentum, quam ex eo, quod ſit contractus ciuilis in officium naturæ *Catechiſmus Pij V. ad Parochos tit. de matrimonio §. iam verò*, vbi ſic legitur. *Quamuis matrimonio, quatenus naturæ eſt officium conueniat, vt diſſolui non poſſit, tamen id maximè fit, quatenus eſt ſacramentum*, quod etiam confirmatur ex eo, quod habetur *in cap. quanto de diuortijs*, vbi Innocentius III. habet *matrimonium fidelium eſſe inſolubile, quia ſacramentum eſt*, & è conuerſo habetur *cap.fin.28.qu.1.*, quod *matrimonium infidelium non ſit ratum, & omninò indiſſolubile, quia non eſt ſacramentum*. Vbi verò conſiſtat hæc maior indiſſolubilitas, quæ oritur ratione ſacramenti dici poteſt primo conſiſtere in eo, quod matrimonium fidelium, ſi fuerit conſummatum, non poſſit diſſolui, nec per Religionis profeſſionem, matrimonium autem infidelium diſſolui poterat, & poteſt per alterius conuerſionem. Secundò in eo, quod mox innuebamus, quià per legem Euangelicam tollitur libellus repudij, qui antecedenter permittebatur.

*Quomodo verificetur indiſſolubilitas, quæ eſt præcipuũ bonum ſacramenti*

## PRÆNOTIO III.

Nonnullæ controuerſiæ circà indiſſolubilitatem matrimonii in vtraq; lege ſcilicet naturæ lapſæ, & Euangelicę.

### SVMMARIVM.

*Indiſſolubilitas inter infideles prouenit ex iure naturali diuino.* 1.

*Indiſſolubilitas poſt legem euangelicam ſtrictè ſumpta intelligitur de matrimonio conſummato, & eſt ex precepto poſitiuo Chriſti Domini.* 2.

*Indiſſolubilitas ſtricta prouenit ex eo, quod ſit ordinatum ad repræſentandam vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam.* 3.

*In ſtatu legis ſcriptæ erat permiſſus libellus repudij, & licitus ex diſpenſatione diuina.* num. 4.

*Libellus repudij inter Gentiles nullo modo fuit licitus, nec poſitiuè permiſſus.* 5.

*Poſt legem euangelicam non amplius licitũ*

eſt

Digitized by Google

*eſt hæbræis libellus repudij.* 6.

*Etiam ob cauſam fornicationis poſt legem euangelicam non licet dimittere vxorem, & aliam ducere, & quare.* 7.

*Contracto matrimonio inter infideles, datoque libello repudij, ſi repudians alteri nupſerit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem, non poteſt permanere cum ſecunda, ſed redire debet ad primam.* 8.

*Intellige, ſi prima velit converti, vel cohabitare ſine iniuria creatoris.* 9.

*Si poſt libellum repudij, & poſt conuerſionem ad fidem repudians interpellauerit infidelem, an velit conuerti, vel habitare ſine iniuria creatoris, & hic renuerit, & repudians aliam fidelem duxerit, quantumvis repudiata conuerſa fuerit ad fidem, & velit cum illo habitare, non tenetur ad ipſam redire.* 10.

*Etiam poteſt repudians conuerſus ad fidem, ſi alter interpellatus renuerit ad fidem conuerti, vel cohabitare ſine iniuria creatoris, tranſire ad alia vota, quamuis repudiata antecedenter ad talem tranſitum conuerſa fuerit.* 11.

*Infidelis, qui primam coniugem repudiauit, & poſtea duxit ſecundam, & deinde conuerſus eſt ad fidem interpellata prima, an velit conuerti, vel habitare ſine iniuria creatoris poteſt non interpellata ſecunda tranſire ad alia vota cum fideli.* 12.

*Intellige etiamſi contrahens ſecundum matrimonium fuerit ignarus irritationis libelli repudij.* 13.

*Si infidelis contracto matrimonio cum alio infideli, eidemque dato libello repudij in ſtatu infidelitatis ad alias nuptias tranſierit viuente Chriſto Domino ante irritatam legem repudij obligaretur eadem lege irritata ad permanendum cum ſecunda, ſi hæc voluiſſet ad fidem conuerti.* 14.

*Summus Pontifex poteſt diſpenſare ex legitima cauſa in matrimonio rato, vt diſſoluatur.* 15.

*Pontifex etiam poteſt ex legitima cauſa diſpenſare in matrimonio conſummato infidelium, quando conuertuntur ad fidem.* 16.

QVoniam in præcedentibus ſermo incidit de indiſſolubilitate minus ſtricta in ſtatu naturæ, ſeù inter infideles, & de ea ſtriciori iure ſumpta in ſtatu legis Euangelicæ, ſeù inter fideles, ne alibi teneamur hac de re agere, & coniuncta ſeiungere, placet hic eas omnes difficultates, quæ ad ipſam pertinere poſſunt, perſtringere; & primo inquiremus, vndènam hæc indiſſolubilitas in ſtatu naturæ, ſeù inter infideles proueniat, an ex iure naturæ rigoroſè ſumpto, an verò ex ordinatione diuina. Secundò, an ſtricta illa indiſſolubilitas, de qua ſupra, in lege Euangelica proueniat ex diuina Chriſti Domini ordinatione in ordine ad matrimonium ratum præcisè, an verò dumtaxat ad conſummatum, & ſi in ordine ad hoc tantum, ex quo hoc proueniat? Tertiò, quomodo in ſtatu naturæ lapſæ ante legem euangelicam cohæreret cum indiſſolubilitate ille libellus repudii, & an ille æquè congrueret hæbræis, ac gentilibus. Quartò, an poſt legem Euangelicam æque libellus repudij ſit interdictus catholicis, ac hæbræis, & gentilibus. Quintò, an inter infideles, ſi contigerit libellus repudij, & repudiatus, vel repudians alteri nupſerit, & poſtea alter illorum conuerſus fuerit ad fidem, & baptizatus, teneatur permanere cum ſecundo coniuge, an vero redire ad primum, ſiue ille conſenſerit, ſiue non. Sextò, an poſt legem euangelicam poſſit Romanus Pontifex diſpenſare quoad indiſſolubilitatem in matrimonio rato; & his ſimilia.

Controuerſiæ circa indiſſolubilitatem matrimonij.

1 Aſſertio I. Indiſſolubilitas in ſtatu naturæ, ſeù inter infideles, reſpectu quorum non militat ratio ſacramenti, quæcunque illa ſit, prouenit ex iure naturali diuino *D. Thomas in 4 diſt.* 23. *qu.* 2. *art.* 1. *in corpore, Bellarminus lib.* 1. *de matrim. cap.* 4. *Henriquez lib.* 11 *de matrim cap.* 8. *num.* 2. *Abulenſis Matthæi* 19. *qu.* 45. *Sotus in* 4 *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 4 *verſ. vnde id ipſum Coaruuias* 4. *decret.* 2 *par. c.* 7. *Corduba lib.* 1. *quæſtionarij q.* 25. §. 2. *opinio Gutierez lib.* 1. *qq. canon. c.* 17. *nu.* 13. Sed, antequam procedam ad probationem aſſertionis, ſuppono matrimonio legitimè confecto ineſſe, quoquomodò indiſſolubilitatem independenter à lege euangelica, quod præcipuè colligitur ex illo Chriſti Matthæi 19., dum dixit. *Quoniam Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic*, tùm ex illo Geneſis 2. *Quamobrem relinquet homo &c., & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, & quidem hoc congruit naturæ contractus, qui ordinatur ad educandam ſobolem, quod commodè fieri non poteſt, niſi ex ſe eſſent inſolubilis, ſi enim fæmina modo vni, modo alteri nubat ſoboles eſſent incerta, & male educaretur. Quo ſuppoſito.

Indiſſolubilitas ex matrimonio inter infideles prouenit ex iure naturali diuino.

Probatur per excluſionem cæterarum opinionum; non enim prouenire poteſt ex iure naturæ ſtrictè ſumpto, nec ex iure poſitiuo diuino, nec ex iure præcisè Eccleſiaſtico, ergo debet prouenire ex iure naturali diuino. Antecedens quoad primam partem ſic euincitur, quià ius naturæ ſtrictè ſumptum ſemper remanet immutatum, nec variatur ratione diuerſarum regionum, nec ratione diuerſitatis temporum, cum ſemper ſit vnum, & idem; hoc autem verificari non poteſt ſuppoſita permiſſione repudii, & lege, quod quandò matrimonium eſt contractum in infidelitate, & alter poſtea conuerſus ad fidem catho-

Non prouenit ex iure naturæ ſtrictè ſumpto.



Digitized by Google

catoſicam poſſit diſſolui. Secundò, quià ius naturæ ſtrictè ſumptum æquè omnibus innoteſcit, quia ab ipſa natura omnibus eſt inditum. Quomodo autem dici poteſt innoteſcere, dum peritiſſimis iuris naturalis inueſtigatoribus ignotum erat, dum arbitrabantur licitum eſſet repudium, vt de Romanis teſtatur *Plutarchus in problem. c. 13*, & *Alciatus l. licet ff. de verborum ſignificat*? Quomodo tot iuris periti, cæteroqui ſapientiſſimi hoc ignorabant, dum aſtruebant diſſolubilitatem ex multis cauſis? vt conſtat *ex l. 1. 2. & fin. ff. de diuort.*, & *l. quidquid ff. de donat. inter vir, & vxor*. Quomodo Diſcipuli *D*omini audientes Chriſtum *D*ominum dicentem Matthæi 19., *qui dimiſſam duxit mœchatur* ſcandalizati ſunt dicentes, *ſi ita eſt non expedit nubere*? Certè, ſi naturæ lumine hoc notum fuiſſet, non admirati fuiſſent:

Non ex iure diuino poſitiuo.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quià aliud in ſacris paginis non eſt aſſignabile ius, quod poſſit hoc inferre, niſi illud Geneſis 2. *Propter hanc relinquet homo Patrem, & Matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, quibus verbis expoſitis Chriſtus *D*ominus ſubdit. *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, ſed ex hoc textu potius euincitur, quod antecedenter non fuerit præceptum diuinum poſitiuum, quandoquidem Chriſtus de nouo non præcepiſſet illam indiſſolubilitatem, ſi antecedenter de iure diuino poſitiuo fuiſſet præcepta, ergo &c. *D*einde per illa verba non importatur præceptum poſitiuum ſimpliciter ſumptum, ſed præcisè indicatur, quid eſſet factus homo per coniunctionem cum fœmina, & hoc potius infert naturalem inclinationem inferentem nec ius naturæ præcisè, nec ſimpliciter præceptum diuinum, ſed quodamodo quid medium, nempe ius naturale diuinum.

Nec ex iure eccleſiaſtico.

Probatur quoad tertiam partem, quia antecedenter ad legem Euangelicam, & per conſequens ante quodcunque ius Eccleſiaſticum vrgebat quoquomodo ius indiſſolubilitatis. Secundò, quia ius Eccleſiaſticum non afficit infideles, quos tamen quoquo modo afficit indiſſolubilitas, ergo non prouenit præciſe ex iure Eccleſiaſtico, ergo per excluſionem cuiuſcunque alterius iuris expreſsè deducitur, hanc indiſſolubilitatem prouenire ex iure naturali diuino.

Ratio pro aſſertione.

Confirmatur, quia maior indiſſolubilitas competit matrimonio, quà ſacramentum eſt, quam quo contractus ciuilis eſt in officium tantum naturæ *Magiſter in 4. diſt. 31. c. 1., & 2. D. Auguſtinus relatus in c. omne itaque 27 qu. 2., & lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia c 10., & lib. de bon. coniug. c. 7.* maior autem indiſſolubilitas ſupponit indiſſolubilitatem poſitiuè, quia comparatiuum ſupponit ſuum poſitiuum, ergo, cum hæc indiſſolubilitas poſitiua ſit in officium naturæ non poteſt eſſe, niſi à iure quodamodo naturali diuino.

Indiſſolubilitas ſtricta eſt de matrimonio conſummato, & de præcepto poſitiuo diuino

Aſſertio II. Stricta illa indiſſolubilitas 2
poſt legem Euangelicam intelligitur de matrimonio conſummato, & prouenit ex præcepto poſitiuo Chriſti *D*omini *Alexander III. c. ex publico de conuerſ. coniug. in fin. D. Thomas in 4 diſt. 43. qu. 2. art. 1. ad ſecundum, Paulus Burgenſis Matthæi 19. addit. 1. Medina lib. 5. de ſacror. hominum continentia c. 89. Vera Crux ſecunda parte ſpeculi art. 28.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur primò, quod poſt legem Euangelicam, per quam contractus matrimonialis eleuatus eſt ad ſupereminentiam ſacramenti, adhuc licitum eſt illud diſſoluere per ingreſſum, & profeſſionem in Religionem, ſi nondum fuerit conſummatum, ergo ſtricta illa indiſſolubilitas non competit matrimonio rato, ſed conſummato. Secundò, quia illa verba Chriſti *D*omini Matthæi 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, intelligenda ſunt de matrimonio conſummato, prout explicat *D. Gregorius Papa relatus in c. ſunt, qui dicunt 20. qu. 2.* per illa verba *Sunt, qui dicũnt Religionis cauſa connubia debere diſſolui, lex tamen diuina prohibuit, cum veritas per ſe dicat, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, quod etiam euinci poteſt ex eo, quod Chriſtus *D*ominus in illo textu præmiſerat illa verba, *& erunt duo in carne vna*, quod vtique haberi non poteſt, niſi per conſummationem, & poſteà ſubiunxit *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur cum Soto verba illa Chriſti *D*omini *Quos Deus coniunxit* &c. referri ad illa verba Adami Geneſeos 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, quæ vtique protulit ante conſummationem, ſicque importari indiſſolubilitatem quoad matrimonium ratum, vel verba illa Chriſti *D*omini per Nicolaum Pontificem *in c. ſcripſit 27. qu. 2.* explicari in ordine ad matrimonium ratum præcisè, dum dixit *Licet ſcriptum ſit, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, Deus tamen, & non homo ſeparat, quando diuini amoris intuitu ex conſenſu vtriuſque coniugis matrimonia diſſoluuntur ob Religionem*, ex quibus verbis expreſse conijcitur, quod Pontifex referat illa verba Chriſti *D*omini ad matrimonium ratum. Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia, quantumvis Adam illa verba protulerit ante matrimonium conſummatum, verba tamen Chriſti non referuntur ad illa pro illo ſtatu, quatenus pro illo conſtitueret indiſſolubilitatem, ſed ad illa, prout poſteà erant coniungenda cum actu conſummationis, & proptereà prius præmiſit

Poſt matrimonium ratum licitum eſt ingredi in Religionem.



Digitized by Google

illa verba *Erant duo in carne vna*, & poſtea ſubiunxit præceptum indiſſolubilitatis, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, ſcilicet poſtquam facti fuerint vna caro, quod vtique haberi non poteſt, niſi per conſummationem. Non ſecundum, quia ex verbis eiuſdem textus apertè colligitur, Pontificem ibi loqui de matrimonio conſummato; dum enim dicit, *ex conſenſu vtriuſque coniugis*, certe indicat conſummationem, quandoquidem ante illam ex conſenſu vnius dumtaxat per ingreſſum in Religionem poteſt diſsolui, & re vera ibi Pontifex loquebatur de matrimonio conſummato Lotarij Regis, & Reginæ.

Indiſſolubilitas eſt, prout repræſentat vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia matrimonium, quantumvis conſummatum, de iure naturæ non habet hanc omnimodam indiſſolubilitatem, quamvis hoc ſit valde conſonum naturæ eiuſdem, nam in primis nil noui Chriſtus Dominus quoad indiſſolubilitatem contuliſſet matrimonio, ſi hoc de iure naturæ habuiſſet hanc indiſſolubilitatem ſtrictè acceptam; deinde matrimonium, qua tale eſt, quantumvis conſummatum non habet ſuaptè natura exprimere indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia, ſed tantum ex inſtitutione eiuſdem Chriſti, ergo ex inſtitutione Chriſti Domini, eiuſque præcepto poſitiuo importato per illa verba, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, illa inſeparabiliter ſtricta, & omnimoda conſurgit, & per hoc confirmantur ea, quæ ſupra dicta ſunt, nempe inſolubilitatem prouenire ex vi ſacramenti, quod tamen non intelligendum eſt quomodocunque, ſed vt repræſentat vnionem inſolubilem Chriſti cum Eccleſia.

3 Ratio fundamentalis indiſſolubilitatis.

Aſſertio III. Hæc omnimoda indiſſolubilitas, quæ competit matrimonio conſummato poſt inſtitutionem Chriſti, potiſſimum prouenit ex ſignificatione, quo Chriſtus illud eleuauit non ſolum ad eſſe ſacramenti, ſed ad manifeſtandam vnionem indiſſolubilem eiuſdem cum Eccleſia per carnem aſſumptam; Ita colligo expreſsè ex *Sanchez lib. 2. de matrimonio diſp. 13. nu. 7.*, à quo non diſſentiunt *D. Thomas in 4. diſt. 43. qu. 2. art. 1. ad ſecundum Abulenſis c. 18. Matthæi qu. 45. ad ſecundum Veracrux ſecunda part. ſpeculi art. 28.* Dixi *per carnem aſſumptam*, quandoquidem duplicem vnionem inuenio Chriſti cum Eccleſia, alteram per gratiam, cui correſpondet quoad ſignificationem matrimonium ratum, cum hoc ſit figura illius, & ſicuti hoc eſt aliquo caſu ſolubile, puta per ingreſſum in Religionem alicuius ex contrahentibus, vel etiam in multorum ſententia per Pontificis diſpenſationem, ita, & vnio talis Chriſti cum Eccleſia ſolubilis eſt per peccatum ſcilicet læthale, per quod deſinit eſſe inexiſtentia Chriſti in anima per gratiam; alteram per carnem aſſumptam, cui correſpondet in ſignificatione matrimonium conſummatum, & ſicuti vnio hypoſtatica Chriſti cum carne, per quam iungitur Eccleſiæ, indiſſolubilis eſt, quia, quod verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit, ita inſolubile eſt matrimonium conſummatum quoad vinculum, niſi intercedente obitu alterius coniugis; atque ex hoc clarius deducitur id, quod ſupra dicebamus, quod ſcilicet indiſſolubilitas ſtrictè ſumpta non proueniat, niſi ex matrimonio conſummato, quia tunc ſolummodo contrahentes fiunt vna caro, ſicuti Chriſtus factus eſt vna caro cum Eccleſia per vnionem hypoſtaticam.

Duplex vnio Chriſti cum Eccleſia, per carnem aſſumptã, & per gratiam.

Probatur iam aſſertio, quia illa indiſſolubilitas ſtrictè ſumpta non prouenit à ſacramento, qua præcisè ſacramentum eſt præſcindendo à quacunque alia ſignificatione, nec à iure naturæ, ergo prouenit ex Chriſti inſtitutione ordinantis matrimonium ad ſignificandam vnionem indiſſolubilem eiuſdem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. Antecedens quoad vtramque primam partem patet, quia etiam matrimonium ratum poſt legem euangelicam ſacramentum eſt, & tamen poteſt diſſolui per ingreſſum in Religionem, & forte etiam per Pontificis diſpenſationem, quod etiam patet quoad ius naturæ, quandoquidem, ſi alter ex infidelibus conuertatur ad fidem poteſt diſſolui. Conſequentia verò probatur, quia, cum hoc ſacramentum ex ſua inſtitutione ſit inductum vt eſſet repræſentatiuum vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. *Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, etiam ex eadem inſtitutione debet eſſe omninò indiſsolubile ad expreſſius ſignificandam illam indiſſolubilitatem Chriſti cum Eccleſia; hocque habet ſolummodo poſt conſummationem, quia tunc ſolummodo fit vna caro, ſicuti Chriſtus factus eſt vna caro cum Eccleſia per vnionem hypoſtaticam.

Si infideles conuertantur ad fidem poteſt diſſolui matrimonium.

4 Libellus repudij quo modo permitteretur.

Aſſertio IV. In ſtatu legis ſcriptæ inter Hæbreos libellus repudij non ſolum permiſſus erat tanquam minus malum, ſed etiam tanquam licitum diſpenſante Deo in illo iure minus ſtricto naturali indiſſolubilitatis *D. Chriſoſtomus homil. 34 in Matthæum Albertus Magnus in 4. diſt. 33. art. 25. D. Thomas prima ſecunda q 102. art. 5. ad tertium, Paludanus in 4. diſt. 33. q. 1. art. 2. num 28. Abulenſis c. 19. Matthæi q. 46. Abbas c. gaudemus de diuort. num. 10. Bellarminus lib. 1. de Matrimon. c. 17. in ſolut. ad quartam decimam obiectionem.*

Ratio ex eo deducitur, quià Deus in tali lege potuit diſpenſare, & de facto diſpenſauit, ergo ſtante tali diſpenſatione non



Digitized by Google

erat illicitus interueniente legitima cauſa apud eoſdem libellus repudij. Antecedens quoad primam partem ex eo euincitur, quià illa indiſſolubilitas per ſuperius probata non eſt de iure naturæ ſtrictè ſumpto, quod certè eſt inuariabile, & de potentia ordinaria indiſpenſabile, quin immo non eſt omnimoda indiſſolubilitas, ſi præſcindatur à lege Euangelica Chriſti inſtituentis, & ordinantis matrimonium conſummatum ad illam ſignificationem vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, vnde matrimonium ratum etiam fidelium reſoluitur per profeſſionem alterius ex contrahentibus, & conſummatum infidelium per conuerſionem alterius ad fidem altero nolente cohabitare ſine iniuria creatoris, ergo &c. Quoad ſecundam etiam euincitur ex illo *Deuteron.* 24. vbi ſic legitur. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de manu ſua*, quod idem habetur *Malachiæ* 2. vbi ſic legitur *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael*.

Deus potuit diſpenſare, & de facto diſpenſauit.

Dices huiuſmodi textus non concludere quoad eſſe licitum ex diuina diſpenſatione, ſed quoad eſſe permiſſum ex minoritate mali ad euitandum maius, ne ſcilicet occiderent vxores, quod euincitur in alio contextu in ſacra Scriptura nempe ex illo *Matthæi* 19. vbi ſic legitur. *Quoniam Moyſes ob duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic*, vbi cum dicatur *ob duritiem cordis veſtri*, euincitur, nō concedi ex motiuo liberalitatis *Dei*, ſed ad euitandam duritiem cordis hæbreorum, dum verò ſubiungitur *permiſſum eſt, ſeu permiſit*, non indicatur abſolutè conceſſio, ſed tolerantia ad maius malum euitandum. Sed contrà, quià per illum textum indicatur quidem motiuum conceſſionis, non tamē ſimplex permiſſio indicatur ad euitandum maius malum; cum etenim *Deus* potuerit diſpenſare in ordine ad euitandum quodcunque malum ex begnigna eiuſdem bonitatis diſpenſatione, præſumendū eſt indulſiſſe, ne laqueēs inijceretur in ijs, in quibus erat eiuſdem permiſſio. Hoc etiam à poſteriori euincitur, ſi etenim *Deus* in huiuſmodi repudijs malum quodcunque non ſubtraxiſſet, vtique non defuiſſet per os Prophetarum excitare hebræos vt à tali malo declinarent, ſicuti aſſolet in alijs omnibus malis culpæ. Tandem ex eo euincitur, quod ( cum *Deus* indiferētèr iniquos omnes odio habeat, & æquus ſit vltor omniū malorum ad proportionem eorundem, nec ideo deſinat, ſiue in hoc, ſiue in altero ſæculo minora punire delicta, vt vitentur maiora ad differentiam publicarum poteſtatum humanarum, quæ quandoque, quià vires non habent ad reprimenda omnia ſubditorum, & crebra, niſi cum maxima Reipublicæ perturbatione coguntur minora tolerare delicta, vt euitentur maiora ) non ſit præſumendus in ijs, in quibus poteſt diſpenſare, velle permittere mala minora culpæ, cum poſſit omnia euitare per diſpenſationem, ſicuti non permittit, nec impunita relinquit mendacia, vt euitentur periuria, & falſa iuramenta.

Non permiſit præciſe ad maiora mala vitanda, & quare.

5 Inter gentiles non fuit permiſſus libellus repudij.

Aſſertio V. Libellus repudij inter Gentiles nullo modo fuit licitus, nec poſitiuè permiſſus, adeoque eiſdem licitum non erat à matrimonio legitimè contracto recedere *Sotus in 4. diſt. 33. q. 2. art. 2. concl.* 1. *Sanchez. lib.* 10. *de matrimon. diſp.* 1. *num.* 8.

Ratio ex eo deducitur, quià ex vno capite indiſſolubilitas prouenit ex iure naturali diuino, & maior in matrimonio, quam in cæteris omnibus contractibus præſcindendo etiam à lege euangelica, & inſtitutione Chriſti Domini, quandoquidem cæteri omnes contractus, quinimmo etiam, & ſponſalia diſſolui poſſunt mutuo conſenſu contrahentium, vel ob alias cauſas, matrimonium autem diſſolui non poteſt, niſi à ſuperiori cauſa dirimatur; ex alio diſpenſatio iuris naturalis diuini eſt ſtrictiſſimi iuris, nec extendenda vltra perſonas, ad quas eſt directa; quantumuis autem conſtet diſpenſationem illam dirigi ad Hæbreos, nullibi tamen conſtat eandem extendi ad Gentiles, & potuit Deus erga populum electum ſuæ bonitatis inditia indulgentèr conferre, non autem ad gentem ſibi contradicentem, & præceptis eius non obtemperantem.

Diſpēſatio iuris naturalis nō eſt extendēda.

*Dices ex c. quanto de diuort.*, quod in tantum matrimonium fidelium eſt indiſſolubile, in quantum eſt ſacramentum, quod etiam habetur *in c. omne itaque* 27. *q.* 2., & matrimonium infidelium non eſſe omninò indiſſolubile, quià cum non ſit ſacramentum, non eſt ratum per textum *in c. fin.* 28. *q.* 1.; cum igitur aſſerant *Abulenſis c.* 19. *Matthæi q.* 16. *ad vlt.*, *& Veracrux* 2. *pars. ſpeculi art.* 13. *per totum* matrimonium inter Iudæos eſſe diſſolutum, quia non erat ratum, per conſequens hoc idem intelligendum eſt quoad matrimonium inter Gentiles, cum ex eodem capite non eſſet ratum, cum inter neutros fuerit ſacramentum. Sed contrà, quià independenter etiam à ratione ſacramenti matrimonium, ſiuè inter Hæbræos, ſiuè inter gentiles, dummodò fuerit legitimè contractum, erat quoquo modo indiſſolubile per ſuperius probata; vnde, quando dicitur in allegatis iuribus, quod non erat ratum, quià non erat ſacramentum, hoc eſt intelligendum, non

qua-

Digitized by Google

quatenus non fuerit validum, & legitimum, ſed quatenus non fuerit firmatum cohærentia ſacramenti; per quod tamen nō tollitur, quin ſine auctoritate ſuperiori non ſit ſuo modo indiſſolubile; Cum igitur auctoritas ſuperior extendatur in ordine ad Hæbręos, non autem in ordine ad Gentiles, cum de ipſis non innoteſcat, hinc eſt &c.

6 Aſſertio VI. Poſt legem Euangelicam non amplius licitum eſt Hæbræis, nec alijs infidelibus per ripudium vxores ſuas dimittere, nec per illum propriè dirimitur matrimonium. *Abulenſis c. 19. Matthei q. 63. Auguſtinus Barboſa ff. ſolut. matrim. rub. 2. part. n. 10. Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 1. num. 9.*

Ceſſat etiā Hæbræis poſt legem euangelicā ius repudij

Ratio ex eo deducitur, quià Chriſto Domino data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra ligandi, atque ſoluendi in ijs, ad quod ius diuinum extenditur; ſicuti autem per ius diuinum ex iuſta, & legitima cauſa potuit diſpenſari in iure naturali minus ſtricto indiſſolubilitatis matrimonij ob imperfectionem ſtatus ob duritiem ſcilicet cordis Iudæorum, ita in ſtatu maioris perfectionis, qualis eſt ſtatus legis Euangelicæ potuit derogari tali diſpenſationi, plurima etenim in ſtatu legis veteris permittebantur, quę fuerunt in noua lege abrogata; ſed de factò Chriſtus Dominus abrogauit illi diſpenſationi, reſque reduxit ad terminos iuris naturalis, vt videre eſt in illo Matthęi 19. *Quoniam Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Hoc idem habetur Matthæi 5. vbi ſic legitur. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*; hocque idem definitum eſt *in c. gaudemus verſ. qui autem de diuortijs*.

Chriſtus Dominus abrogauit legi repudij.

Dices primo, matrimonium hæbręorum, & Gentilium ante ſuſceptum baptiſmum non eſt eleuatum ad eſſe ſacramenti, nec in rigore, quantumvis fuerit conſummatum, repræſentat vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, niſi ſecundum quandam analogicam ſimilitudinem, ergo etiam remanet in eodem ſtatu, in quo erat antecedenter ad legem Euangelicam, ſed antecedenter ad illam erat reſolubile per repudium, ergo etiam nunc; Neque obſtant allegati textus Euangelici, quandòquidem dici poteſt, quod illi procedant dumtaxat quoad matrimonium fidelium. Sed contrà, quià adhuc conſiderari poteſt duplex indiſſolubilitas, altera minus ſtricta, quæ competit matrimonio ex genere ſuo in quocunque ſtatu, altera ſtrictiſſima, quæ competit eidem, vt conſummato ex vi ſacramenti, prout ordinatur ad ſignificandam indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam; hæc ſecunda indiſſolubitas ſtricta etiam poſt legem Euangelicam non competit matrimonio infidelium, & hæbræorum, quià non eſt propriè ſacramentum, nec ordinatur, niſi analogicè ad illam ſignificationem; indiſſolubilitas autem prima modo eidem competit, quæ antecedenter non competebat, cum tunc intercederet diſpenſatio diuina, vnde vtramque diuerſimode Chriſtus conſtituit in Euangelio; primam ſcilicet derogando iuri diſpenſationis per illa verba Matthæi 19., & 5. *Ego autem dico vobis, quod omnis* &c.; ſecundam ſcilicet conſtituendo nouum ius, nouumque pręceptum, quod antecedenter non erat per illa verba. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Ad illud, quod ſubditur dic quoad allegatos textus, quod tunc Chriſtus alloquebatur hæbręis in ſua duritiè permanentibus. Ibi. *ob duritiem cordis veſtri*, adeoque ipſius verba diriguntur ad eorum matrimonium, derogando prioribus *Ego autem dico vobis, quod omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam*.

Indiſſolubilitas ſtricta etiam poſt legem euangelicā non competit matrimonio infidelium.

Dices ſecundò. Nec hæbræi, nec Gentiles ſubduntur ſpetiali legi Euangelicæ, quapropter nec obligantur ad præceptum confeſſionis, nec ad ſumendam Eucharistiam, nec ad alia præcepta poſitiua Euangelij, niſi ad præceptum baptiſmi, ergò neque ſubduntur legi Euangelicæ irritanti pręcedentes diſpenſationes diuinas. Sed contra reſponderi poteſt primo cum Sanchez, nō ſubdi quoad ea, quę ſunt de iure poſitiuo diuino præcisè, benè tamen quoad ea, quæ quoquo modo ſunt iuris naturæ ſimul, & diuini, cuiuſmodi eſt indiſſolubilitas illa non ità ſtrictè ſumpta, ſeù non omnimoda, quam Chriſtus confirmauit ablata diſpenſatione ipſam reuocando ad terminos iuris antiqui ante eandem diſpenſationem. Reſponderi poteſt ſecundo, non ſubdi quo ad ea, quæ ſunt propria ſtatus Euangelici, cuiuſmodi eſt præceptum ſacramentalis confeſſionis, & ſacrę Euchariſtię, bene tamen quoad ea, quę ſunt omni ſtatui communia, cum Chriſtus Dominus ſit quoad omnes legiſlator, & Dominus proprietatis, & iuriſdictionis.

Subduntur hæbræi, & gentiles legi euangelicæ quoad ea, quæ ſunt omni ſtatui communia.

Dices tertiò. Saltem ex cauſa fornicationis etiam poſt legem Euangelicam liceret dimmittere propriam vxorem, & aliam ducando non mœchari, quandoquidem cauſa fornicationis excipitur à præcepto diuino irritante diſpenſationem. Ibi. *Dico autem vobis, quod quicunque* 7

que

Non licet poſt legē euangelicam etiam ex cauſa fornicationis vxorē dimittere, & aliam ducere,

*que dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & alteram duxerit, mechatur*, ergò, ſi ob fornicationem dimiſerit, & alteram duxerit non mechabitur argumento legis exceptiuorum, nec arbitrandum eſt, per eum textum ſolum innui licere ob cauſam fornicationis dimittere vxorem, non autem aliam ducere; quià, dum textus dicit *mechatur*, vtique refertur ad vtramque partem non ad ſolam dimiſſionem, quià per illam non committitur crimen Mechiæ. Sed contrà, quià illa exceptio non refertur ad vinculum, ſeù ad ſolubilitatem coniugij, ſed ad dimiſſionem quoad torum, & habitationem ſolummodò; Neque dici poteſt, quod Chriſtus per hanc exceptionem taliter conceptam quoad torum, & habitationem præcisè non ſatisfeciſſet interrogationi Phariſæorum, qui inquirebant de dimiſſione quoad vinculum, quam repudium appellabant; non, inquam poteſt dici, quià vt benè notant *D.Thomas in 4. diſt.33.quæſt. vnica art.5.ad quartum, & ibi D.Bonauentura art. vnico q.4.ad 2.Ricardus art.3.q.1.ad ſecundum* illa exceptio refertur ad priorem partem dicti per Chriſtum Dominum, ſcilicet ad illa verba. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, hoc eſt extra cauſam fornicationis mechatur, & qui dimiſſam quacunque ex cauſa etiam fornicationis duxerit, mechatur; Neque huic explicationi obſtare poteſt id, quod dicebatur in inſtantia, quod cum dicatur in eodem textu *mechatur* non poſſit referri ad ſolam dimiſſionem à toro, quià per illam non committitur crimen mæchiæ, vt inferebat *Durandus in 4. diſt. 35. q. 2.* non, inquam, obeſse poteſt, quià vt benè notat *D.Auguſtinus lib. contra Adimantum* illud verbum *mæchatur*, non eſt intelligendum de actuali crimine, ſed de cauſa eiuſdem in vxore, quatenus eandem facit mæchari, vel dic cum *Abulenſi c. 19. Matthæi q.76.ad 4.* dictum Chriſti Domini in priori parte ſupplendum eſſe per verbum, peccat, quatenus hoc ſonet. *Qui dimiſerit vxorem ſuam extra cauſam fornicationis, & qui ex quacunque cauſa dimiſſam duxerit, mæchatur*; Neque vlterius vrgeas, quod non ſolum ex cauſa fornicationis liceat vxorem dimittere quoad torum, & habitationem, ſed etiam ex alijs cauſis, puta ob duritiem coniugis, ob peruerſos mores, aliaſque cauſas, de quibus fusè agemus, dum de diuortijs, & tamen ibi non excipiuntur; ſignum igitur eſt, quod dum excipitur ſolum cauſa fornicationis eadem referatur etiam quoad vinculum; contra enim impugnaberis, quià ideò in allegato textu *Matthæi* 19. & 5. ſolum expreſsè excipitur fornicatio, quià ob nullum aliud

Quomodò intelligenda ſunt verba Chriſti Domini.

Variæ explicationes eiuſdē textus.

crimen à fornicatione carnali, vel ſpirituali licet coniugibus diuertere *cap. 2. de diuort. D.Thomas in 4. diſt.39 q. vnica art.6. in corpore D. Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domino in monte c.32.*, & colligitur *ex concil.Tolet.12.c.8.*, quod refertur *in cap. præceptum 32. q.5.*, quod intelligo niſi ſit periculum ex crimine delinquentis abducationis innocentis ad peccatum, prout notant præællegati DD. ad differentiam criminis fornicationis, vel carnalis, vel ſpiritualis, quod ſecundum ſe præſcindendo à tali periculo tribuit ius dimiſſionis quoad torum, & habitationem. Quod deindè non exceperit dementiam, ſeù ſæuitiem coniugis, & his ſimilia, ſicut excepit fornicationem, id ex eo factum dicendum eſt, quià ibi erat ſolummodò ſermo de criminibus in actu, non de habitibus naturaliter. Quod ſi vlterius inſtes, quod per hoc Chriſtus non ſatiſfecerit petitioni Phariſæorum, qui eum interrogauerunt, an liceret ex quacunq; cauſa dimittere vxores loquentes de dimiſſione, quæ importat repudium; adhuc contra impugnaberis, quià Chriſtus eorum petitioni ſatisfecit excludendo quaſcunque alias cauſas, & cum poteſtas dimittendi duo dicat, & excluſionem quoad torum, & ſolutionem quoad vinculum ei præſcripta regula quoad primum excepit fornicationem, non autem quoad ſecundum. Cæterum, quod ex fornicatione non ſit ius ſoluendi matrimonium quoad vinculum expreſsè habetur *in c. omnes cauſationes 22. q.7.*, vbi ſic legitur *Quandiu viuit vir licet adulter ſit, licet Sodomita, licet flagitijs omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus tamen eſt reputandus eius, ſcilicet, cui alterum virum recipere non licet.* Quod etiam planè confirmauit *Apoſtolus 1. ad Corint. 7.* illis verbis. *His autem, qui matrimonio iuncti ſunt præcipiò non Ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere; Quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Quem textum explicans *D.Auguſtinus lib.1.de adulteris coniugijs c.1. & ſeqq.* dixit verba Apoſtoli ad plura ſecundum diuerſa referri, dum enim dicit *Præcipio vxorem à viro non diſcedere*, loquitur de iniuſta reſilientia ſine cauſa fornicationis, ſine qua nec licet à toro ſeparari, dum verò ſubdit *Quod ſi diſceſſeris manere innuptam, vel marito reconciliari*, loquitur de reſilientia, vtique ex cauſa fornicationis, quæ tamen eſt reſilientia tantum quoad torum, & tunc cogitur remanere innupta, quod indicat vinculum coniugale non eſſe ſolutum, vel reconciliari marito; Atque per hanc D. Pauli præceptionem optimè explicatur textus Matthæi 19., & roboratur noſtra interpretatio.

Iura euincentia ex cauſa fornicationis non poſſe ſolui coniugium.

Ad-

**Exceptio regulę prę cedentis.**

Aduerte hic tamen, quod quandò ſuperius diximus matrimonium conſummatum infidelium hic, & nunc eſſe indiſſolubile de iure quodamodo naturali, eo quia libellus repudij fuit à Chriſto *Do*mino repudiatus, hoc intelligendum ſit, niſi prout in lege Chriſti eius diſſolutio permittitur, vt quando alter ad fidem catolicam conuertitur, & alter nolit permanere in coniugio ſine iniuria creatoris per ea, quæ alibi fusè agemus, hocque expreſsè habetur *in c. gaudemus verſ. qui autem de Diuortijs, Sotus in 4. diſt. 33. qu. 3. Durandus in 4. diſt. 39. qu. 2. in fin. Aſtenſis in ſumma ſecunda part. lib. 8. tit. 21. art. 2. qu. 6.*

8 **Repudians alteram ducens, & cōuerſus ad fidem tenetur redire ad primam**

Aſſertio VII. Si inter infideles contractum fuerit matrimonium, & per libellum repudij fuerit diſſolutum, & deinde repudians alteri nupſerit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem non poteſt permanere cum ſecunda, ſed redire debet ad primam repudiatam *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 63. D. Antoninus ſecunda part. tit. 1. c. 6. paulo poſt princip. puncto 3. Silueſter verb. Matrimonium 8. q. 10. dict. 7. Roſella verbo impedimentum impedim. 9. n. 6. Armilla verb. matrimonium n. 19. Monaldus in ſumma tit. de matrimonio vbi de diſpari cultu verſ. item patet ex his, Sotus in 4. diſt. 33. q. 3.*

Ratio ex ijs deducitur, quæ hactenus diximus, nempe poſt legem Euangelicam libellum repudij non tenere, cum ex ſupra allegatis textibus fuerit à Chriſto Domino reuocatus, ergo quantumuis hic fuerit interpoſitus, cum tamen ſit nullus, matrimonium præcedens nō eſt diſſolutum, ergo non eſt, cur qui ad ſecunda vota conuolauit conuerſus ad fidem non teneatur ad primam coniugem redire, cum qua nullo modo eſt diſſolutū vinculum.

Dices ex ſuperius dictis in præcedenti aſſertione in fine. Contracto matrimonio inter infideles, ſi alter ipſorum conuertatur ad fidem, poteſt altero permanente in infidelitate diuertere à matrimonio, & ad aliud tranſire, ergo ſi vnam duxerit, eaque per repudium dimiſſa aliam infidelem ſibi copularit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem non poterit compelli ad primam redire, ſi enim quando vnam infidelem duxit, & poſtea tranſit ad fidem infideli in ſua peruicacia permanente poteſt ab eadem recedere, & ad aliam migrare per nouum matrimonium ex ſpeciali priuilegio Chriſti *Domini* manifeſtato per Apoſtolum *prima ad Corinth. 7.* vbi ſic legitur. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror huiuſmodi.* Quem textum explicans D. Ambroſius relatus in *c. fin. 28. q. 2.* plane ad noſtrum hunc ſenſum reducit, & *Innocentius III. in c. quanto de diuortijs* hæc in re dixit, *ſi alter infidelium coniugum ad fidem catholicam conuertatur altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare, volenti, qui relinquitur, ad ſecūda, ſi voluerit, vota tranſibit; Et in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus; ſi infidelis diſcedit, diſcedat, frater enim, vel ſoror non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi,* ergo etiā ſi infidelis duxerit infidelem, illaque per repudium dimiſſa aliam etiam infidelem ſibi copularit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem non poterit compelli ad priorem tranſire, ſed poterit ex priuilegio Chriſti *Domini* vtraque dimiſſa ad aliam fidelem comigrare eam ſibi matrimonio copulando. Sed contra reſpondent aliqui hæc ad ſummum verificari, quando ille, qui remanet in infidelitate, non vult cohabitare cum coniuge conuerſo ad fidem, vel non niſi cum iniuria creatoris, quià tunc certe concurſus ad fidem poteſt ab eodem infideli diuertere, & ſe conuertere ad aliud matrimonium, ne ſeruituti huiuſmodi ſit ſubiectus *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 5. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 1. Riccardus art. 2. q. 2. Durandus q. 2. nu. 12. D. Antoninus 3. partis tit. 2. c. 6. not. 3. Abulenſis primò Reg. 8. q. 30. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 1. punct. 7. Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 5. in fin. Gratianus c. fin. 28. q. 2. Hoſtienſis c. gaudemus n. 13. de diuort.* atq; hic ſenſus valde videtur congruere verbis Apoſtoli, & dicto Innocentij III. ſupra relati, qui procedunt tantum, quando infidelis diſcedit, vel ſimpliciter, quando ſcilicet non vult cohabitare, vel ſecundum quid, quando ſcilicet vult quidem cohabitare, ſed non ſine iniuria creatoris, quod magis firmatur per ſubſequentia verba Apoſtoli, *non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater &c.* quandòquidèm non elucet ſeruitus, quando non trahitur ad deteriora ab ijs, in quibus erat antecedentèr. Iuxta

9 **Si velit alter, ſeù prima conuerti, & habitare ſine iniuria creatoris.**

hanc ſententiam dici poteſt, quod ſimilier infidelis, cum qua primo contraxerat, quamque per repudium reiecerat velit cohabitare, & ſine iniuria creatoris teneatur ad eandem redire, nec poſſit perſeuerare cum ſecunda. Reſpondent alij quod quantum vis vxor perſeuerans in infidelitate velit cohabitare, & etiam ſine iniuria creatoris, & non trahere coniugem conuerſum ad peccatum, adhuc poſſit idem conuerſus diuertere à matrimonio eiuſdem, & ad aliud cum fideli conuerti *Victoria in ſuis prælectionibus Salmantica habitis Turrecremata c. Iudæi 39. qu. 1. art. 3. num. 3. Sotus in 4. diſt. 39. q. vnica art. 4. verſ. eſt tamèn hic Veracrux 2. part. ſpeculi art. 29 ad fin. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 8. num. 4. in fin. Manuel. 1. tom.*

*ſum-*

*ſumma ſecunda edit. c.* 230. *in fin. Sanchez lib.* 7. *de matrimonio diſp.* 74. *nu* 9. qui etiam adducit hanc rationem, quia cum his temporibus non liceat coniugem fidelem habitare cum infideli, ſequitur iuxta dictum Apoſtoli, quod fidelis ſit derelictus ab infideli ex eo, quod hic præcisè nolit conuerti ad fidem, eligit enim eam habitationem, quæ fideli illicita eſt; atque iuxtà hunc ſenſum dicendum eſt, tunc ſolummodo teneri ad primam redire, quando eadem requiſita, an velit conuerti, annueret petitioni, ſecus, ſi illa renuerit.

Duplex difficultas examinanda.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi poſtquam coniux conuerſus fuerit ad fidem, & per interrogationem interpellarit primam coniugem, quam per repudium dimiſit, an velit ad fidem conuerti, & tunc ipſa non annuerit, ratione eiuſdem renitentiæ conuerſus ad aliud matrimonium diuerterit, & illa poſtea à Deo mota conuerſa fuerit ad fidem, teneatur conuerſus ad eandem primam redire, relicta ea, quam in ſtatu fidelitatis poſtea ſibi copularat. Secunda, an, ſi conuerſus ad fidem primam coniugem, quam per repudium reiecerat interpellarit, an velit ad fidem conuerti, & ipſa renuerit, teneatur interpellare ſecundam, quam poſt repudium primæ ſibi copularat in ſtatu infidelilatis, & ſi aſſentiatur cum eadem perſeuerare, an verò habito diſſenſu prioris poſſit immediatè ad aliud coniugium cum fideli transire.

10 Repudiata, ſi renuerit conuerti, & repudians aliam duxerit, non tenetur ad ipſam redire, etiam ſi poſtea repudiata conuerſa fuerit.

Ad primam abſolutè reſpondeo, quod etiam ſi poſt interpellationem, & reluctantiam prioris vxoris eadem conuerſa fuerit ad fidem poſtquam maritus conuerſus aliam fidelem ſibi matrimonio copularit, non teneatur iſte relicta poſteriori coniuge fideli ad eandem primam redire *Gutierez de matrimonio c.* 42. *num.* 5. *Filliutius parte prima tract.* 10 *c.* 6. *nu.* 196. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.* 1. *num* 86., *&* 88., qui quamvis loquantur in diuerſis terminis cathecumenæ, & infidelis conuerſorum ad fidem, poſtquam alter eorum per repudium aliam coniugem dimiſerat ex paritate tamen rationis reducuntur etiam ad ſanum ſenſum huius reſponſionis. Ratio ex eo deducitur, quia poſt reluctantiam prioris coniugis ſe conuertendi ad fidem ad interpellationem alterius iam conuerſi ad fidem ex ſpeciali priuilegio Chriſti Domini manifeſtato per Apoſtolum 1. *ad corinth.* 7. iſte licitè, & validè contraxit matrimonium cum alia fideli, quod vtique vt pote ſacramentum, & contractum in ſtatu fidelitatis vtriuſque, ſi fuerit conſummatum, vt pote repræſentans vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, eſt omnino indiſſolubile, ergo non eſt, cur non debeat cum hac ſecunda permanere in coniugio; nec obeſſe poteſt matrimonium cum prima contractum, quia ſuppoſita illa reluctantia prioris coniugis ex eodem priuilegio Chriſti Domini ſupponitur plene diſſolutum. Si autem hic inquiras, quid ſit dicendum, quando conuerſus ad fidem interpellauit alterum coniugem infidelem, an velit conuerti, & hic renuit, ſed poſtea conuerſus eſt, dum alter, qui prius interpellauerat non tranſiuit ad ſecunda vota, an in hac hypotheſi teneatur ad eandem primam coniugem redire iam auerſam ab infidelitate, an verò poſſit de nouo cum alia fideli contrahere. Prima fronte videtur dicendum teneri ad primam, poſtquam conuerſa eſt, redire, quia vt expreſſe docent *D. Thomas in* 4. *diſt.* 39. *qu. vnica art* 2. *ad primum, Paludanus in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 4. *art.* 3. *nu.* 25. *in ſolutione ad quintum, & ibi Deza qu.* 1. *art.* 4. *ad quintum, Veracrux prima part ſpeculi art.* 36. *concl.* 2. *Sanchez lib.* 2. *de matrimon. diſp.* 9. *num.* 5. *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.* 1. *num.* 87. matrimonium infidelium per ſuſceptionem baptiſmatis ratione vtriuſque redditur immediatè indiſſolubile abſque nouo conſenſu vtriuſque. Cum igitur in hac hypotheſi ad aliam non tranſierit, cum qua ſit initum ſacramentum, per quod matrimonium redditur indiſſolubile, potiſſimum, ſi ſit conſummatum; ſequitur expreſsè, quod primum firmetur per baptiſmum in ratione ſacramenti, adeoque videtur teneri ad idem redire. Nihilominus ſentiendum abſolutè eſt, poſſe cum alia contrahere, nec teneri ad primam redire. Ratio ex eo deducitur, quia per illam reluctantiam prioris vxoris perſeuerantis in eadem infidelitate ſe conuertendi ad fidem coniux interpellans factus eſt omnino liber, cæteroqui, ſi tranſiret ad alia vota inualidè tranſiret, hocque ex priuilegio Chriſti Domini ſupra relati ex Apoſtolo, ergo jam intelligitur prius matrimonium diſſolutum in ſua radice; quod autem ſemel extinctum eſt, non amplius reuiuiſcit, niſi per nouos conſenſus, aliaque ſubſtantialia requiſita de nouo conſtituatur; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo aſſerebantur, de conſtitutione immediata ſacramenti, poſtquam vterque per baptiſmum conuerſus fuerit ad fidem; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia ea procedunt in ſuppoſitione, qua æquè primo vterque conuertatur ad fidem, & perſeueret in eodem conſenſu, vel ſi conuertantur ſucceſſiuè, perſeueret vterque in fide ſibi data; tunc etenim cum ſint omnia requiſita ad valorem ſacramenti non eſt, cur non tranſeat matrimonium prius celebratum in ſtatu infidelitatis in rationem ſacramenti, & fiat indiſſolubile; hic autem non perſeuerant

11 Etiam ſi repudiata conuerſa fuerit antequam repudians tranſiret ad ſecunda vota.

ſeuerant

ſeuerant in eodem conſenſu, cum fide*lis* ex iure ſibi competente ex priuilegio à Chriſto Domino ſibi conceſſo legitimè à conſenſu, & à fide data receſſerit, & matrimonium prius validè diſſoluerit, vnde per baptiſmum non poſſunt tranſire in ſacramentum, cum non extet materia eiuſdem ſacramenti, quæ eſt conſenſus vtriuſque.

12 Repudiata prima vxore, & in ſtatu infidelitatis alia ducta, ſi repudians conuerſus fuerit ad fidẽ reluctante prima conuerti poteſt ducere aliam fidelem.

Ad ſecundam item reſpondeo, renuente poſt interpellationem prima coniuge, quam per repudium dimiſerat, conuerti ad fidem, poteſt conuerſus non interpellata ſecunda, cum qua contraxerat in ſtatu infidelitatis nouum matrimonium contrahere cum alia fideli *Sotus in* 4. *diſt.* 32. *q.* 3. *Durandus in* 4. *diſt.* 39. *qu.* 2. *in fin. D. Antoninus* 2. *part. tit.* 1. *c.* 6. *paulo poſt princip. punct.* 3. *Sanchez lib.* 10. *de matrimon. diſp.* 1. *nu.* 11. *in fine*. Ratio ex eo deducitur, quia ſtante diſpoſitione Chriſti Domini *Matthæi* 19., & 5., per quam ſublatus eſt libellus repudij, & res reducta ad ſtatum iuris antiqui, & quodamodo naturalis ſecundum matrimonium contractum poſt legem Euangelicam obſtante primo eſt omnino irritum, & nullius roboris, ergo coniux conuerſus ad fidem nullo habito reſpectu ad idem ſecundum matrimonium inualidum poterit liberè ad alia vota conuolare; quod etenim ſecundum ſe nullum eſt, nullos poteſt parere effectus, nullaſque inducere obligationes, ſicuti enim non entis ex vulgatis iuribus nullæ ſunt paſſiones, ita non contractus, ſeu contractus nullius, & irriti nullæ poſſunt eſſe obligationes. Si autem hic inquiras, an ea, quæ hic dicuntur verificentur etiam, ſi dum contractum fuit ſecundum matrimonium dimiſſa per repudium priori coniuge ipſi contrahentes erant ignari

13 Etiam ſi ipſe repudians in celebratione ſecundi contractus in ſtatu infidelitatis fuerit ignarus irritationis libelli repudij.

diſpoſitionis Chriſti Domini irritantis libellos repudij, & reducentis res ad ſtatum iuris naturalis; Reſpondendum erit, ea procedere quoad inualiditatem eiuſdem ſecundi matrimonij, non autem in ordine ad conſtituendos eoſdem contrahentes reos culpæ, niſi ignorantia fuerit craſſa, & vincibilis. *Barboſa ff. ſolut. matrim. rub.* 2. *part num.* 10. *Sanchez lib.* 10. *de matrim. diſp.* 1. *num* 10. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia diſpoſitio Chriſti Domini eſt maximè concors iuri naturali, & ſufficienter ſupponitur promulgata, vnde quoad effectum irritandi libellos repudij non ſolum nõ præſumitur ignorantia, ſed etiam, quando præſumi poſſet adhuc ſecundum matrimonium non poſſet, ſubſiſtere, quia talis diſpoſitio ſecundum ſe illud irritat, & afficit contractum ſecundum ſe, & ſicuti, ſi modo inter fideles poſt Concil. Trident. iniretur matrimonium clandeſtinum ſine præſentia Parochi, & teſtium, abſolutè eſſet irritum, quantumuis contrahentes diſpoſitionem illius iuris ignorarent, ita, ſi poſt legem Euangelicam inter infideles iniretur ſecundum matrimonium reiecta per repudium prima vxore illud eſſet irritum, quantumuis ipſi ſecundo contrahentes ignorarent diſpoſitionem Chriſti Domini irritantis libellos repudij; tàm etenim fideles ſubduntur diſpoſitioni Concilii, quam infideles diſpoſitioni Chriſti Domini, & diſpoſitio iſtius eſt innixa iuri naturali, non ſic diſpoſitio illius. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ad euitandam culpam ſufficit ignorantia inuincibilis præcepti irritantis, quæ licet in foro externo, in quo vim habent, & attenduntur præſumptiones, non præſumatur, in foro tamen interno animæ, in quo nudè veritas attenditur, poteſt habere locum præcipuè in ordine ad culpam, quæ conſurgit, ſecundum quod res eſt, non ſecundum quod præſumitur, & apparet; ſed talis ignorantia vtique poteſt eſſe eo, quod indiſſolubilitas matrimonij non procedit ex principijs naturæ per ſe notis, ſed deducitur per remotas conſequentias, & infidelibus lex euangelica ſecundum aliquas partes, & præcepta poteſt non innoteſcere, ergo &c.

Hinc alia ſuboritur difficultas, an, ſi ſcilicet infideles contraxerint matrimonium, & eodem per repudium diſſoluto nouas nuptias inierint pro tempore, quo Chriſtus viuens in hoc ſæculo non dum legem repudij reuocauerat, & poſtea eadem lege reuocata alter ipſorum conuerſus fuerit ad fidem, teneatur permanere cum ſecunda, ſi hæc interpellata voluerit conuerti, an verò, ſi hæc noluerit conuerti teneatur ad primam redire, ſi voluerit ipſa conuerti, an verò nolente ſecunda conuerti poſſit cum alia fideli irrequiſita prima nubere. Abſolutè ſentio, teneri cum ſecunda permanere, ſi voluerit ad fidem conuerti, & ipſa renuente conuerti non teneri ad primam redire, ſed poſſe cuicunque voluerit nubere. Ratio ex eo deducitur, quia ante legem euangelicam Chriſti Domini irritantis libellum repudij matrimonium cum ſecunda contractum repudiata prima ſtante diſpenſatione Dei *Deuteron.* 24. validum erat, & efficax & primum abſolutè diſſolutum, ſed matrimonium ſecundum, de quo loquimur, contractum erat abſolutè perſeuerante lege moſaica, in qua permiſſum erat repudium, nec Chriſtus Dominus in lege irritante peremit ius contractuum iam initorum, ſed ineundos prohibuit ſub pœna irritationis, quod colligitur ex verbis textus, per quæ imponitur talis lex irritans *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam*; vbi ly *dimiſerit* importat tempus futurum ſubiunctiui temporis, quod etiam clarè deducitur ex ſubſequen-

14 Dubium excitatũ, & diſſolutum.

C

Vrgebis de ratione matrimonij qua ſacramentum eſt, eſt indiſſolubilitas, hicque eſt eiuſdem præcipuus effectus, quandòquidem ante eleuationem contractus diſſoluebatur; ſed matrimonium contractum ex Pontificia diſpenſatione inter fidelem, & cathecumenam non baptizatum vtique eſt ſolubile, cum cathecumena ipſa poſſit reſilire, ius etenim ſacramenti ipſam non afficit, ergo non eſt propriè ſacramentum, vbi etenim non eſt effectus formalis, & proprius cauſæ, nec poteſt eſſe eadem cauſa; nec poteſt dici, quod ſit ſolubilitas tantum reſpectu infidelis, non reſpectu fidelis, non poteſt, inquam, dici, quià cum ſit duorum vinculum, ſi ſoluitur ex parte vnius ſoluitur etiam ex parte alterius. Sed contrà reſpondeo, quod ſicuti in ea hypotheſi reſpectu fidelis eſt ſacramentum actu, & reſpectu non baptizati non niſi potentia, ità reſpectu primi ſit indiſſolubilitas actu, reſpectu verò ſecundi nonniſi potentia, vnde non renuerem concedere, quod ſi cathecumena nondum baptizata recederet à contractu, fidelis adhuc vinculo coniugali remaneret obligatus, nec poſſet alteri niſi poſt obitum primæ nubere. Hæc procedunt de inſolubilitate, quatenus prouenit ex vi ſacramenti; cæterum præſcindendo etiam ab eodem quoquo modo eſſet inſolubilitas reſpectu cathecumenæ, & infidelis, quandòquidem de iure etiam naturali diuino, licet non ità ſtrictò hæc inſolubilitas conſurgit *D. Thomas in 4. diſt. 33. quæſt. 2. art. 1. in corpore Bellarminus lib. 1. de matrimon. cap. 4. paulo poſt principium, Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 8. num. 2. Lira Matthæi 19. ſuper ea verba, qui reſpondens ait, Abulenſis eod. c. 19. Matthei quæſt. 45, Sotus in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. verſ. vnde id ipſum*; vndè meritò *Concil. Trident ſeſſ. 24. de matrimon. in princip.* habet *Matrimonij perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens diuini ſpiritus inſtructus pronunciauit cum dixit. Hoc nunc os ex oſſibus meis*, hocque maximè conuenit ſobolis educationi, ſi etenim fæmina nunc vni, nunc alij nuberet incerta proles haberetur, malèque educaretur, quod iuri naturæ videtur quodamodò aduerſari.

*Reſpectu fidelis eſt indiſſolubilitas actu.*

Vrgebis vlterius, ſi hæc quæ dicuntur de indiſſolubilitate iure naturali diuino verificarentur, non poſſet dici, quod ratione eleuationis matrimonii poſt legem euangelicam ad eſſe ſacramenti acquiſierit indiſſolubilitatem, quam prius non habebat contra ſuperius dicta, quandòquidem illam haberet, antequam eleuaretur ad idem eſſe ſacramenti, ergo &c. Sed contrà primò, quia per legem euangelicam ſpecialiter inducitur indiſſolubilitas, quatenus tolluntur libelli repudiorum, qui in lege moſaica permiſſi erant Deuteron. 24. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de manu ſua*, & Malachiæ 2. *Cum odio habueris dimitte dixit Dominus Deus Iſrael*, quod multi etiam extendunt ad legem Gentilium, ſecundum quam aſſerunt permiſſum eſſe repudium *Abulenſis cap. 19. Matthæi quæſt. 76.*; ſecundò, quià maior inſolubilitas competit matrimonio ex eo, quod eſt ſacramentum, quam ex eo, quod ſit contractus ciuilis in officium naturæ *Catechiſmus Pij V. ad Parochos tit. de matrimonio §. iam verò*, vbi ſic legitur. *Quamuis matrimonio, quatenus naturæ eſt officium conueniat, vt diſſolui non poſſit, tamen id maximè fit, quatenus eſt ſacramentum*, quod etiam confirmatur ex eo, quod habetur *in cap. quanto de diuortijs*, vbi Innocentius III. habet *matrimonium fidelium eſſe inſolubile, quia ſacramentum eſt*, & è conuerto habetur *cap. fin. 28. qu. 1.*, quod *matrimonium infidelium non ſit ratum, & omninò indiſſolubile, quia non eſt ſacramentum*. Vbi verò conſiſtat hæc maior indiſſolubilitas, quæ oritur ratione ſacramenti dici poteſt primò conſiſtere in eo, quod matrimonium fidelium, ſi fuerit conſummatum, non poſſit diſſolui, nec per Religionis profeſſionem, matrimonium autem infidelium diſſolui poterat, & poteſt per alterius conuerſionem. Secundò in eo, quod mox innuebamus, quià per legem Euangelicam tollitur libellus repudij, qui antecedenter permittebatur.

*Quomodo verificetur indiſſolubilitas, quæ eſt præcipuũ bonum ſacramenti*

---

### PRÆNOTIO III.

Nonnullæ controuerſiæ circà indiſſolubilitatem matrimonii in vtraq; lege ſcilicet naturæ lapſæ, & Euangelicę.

*SVMMARIVM.*

*Indiſſolubilitas inter infideles prouenit ex iure naturali diuino.* 1.

*Indiſſolubilitas poſt legem euangelicam ſtrictè ſumpta intelligitur de matrimonio conſummato, & eſt ex præcepto poſitiuo Chriſti Domini.* 2.

*Indiſſolubilitas ſtricta prouenit ex eo, quod ſit ordinatum ad repræſentandam vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam.* 3.

*In ſtatu legis ſcriptæ erat permiſſus libellus repudij, & licitus ex diſpenſatione diuina.* num. 4.

*Libellus repudij inter Gentiles nullo modo fuit licitus, nec poſitiuè permiſſus.* 5.

*Poſt legem euangelicam non amplius licitu' eſt*

Digitized by Google

*eſt hæbræis libellus repudij.* 6.

*Etiam ob cauſam fornicationis poſt legem euangelicam non licet dimittere vxorem, & aliam ducere, & quare.* 7.

*Contracto matrimonio inter infideles, datoque libello repudij, ſi repudians alteri nupſerit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem, non poteſt permanere cum ſecunda, ſed redire debet ad primam.* 8.

*Intellige, ſi prima velit converti, vel cohabitare ſine iniuria creatoris.* 9.

*Si poſt libellum repudij, & poſt conuerſionem ad fidem repudians interpellauerit infidelem, an velit conuerti, vel habitare ſine iniuria creatoris, & hic renuerit, & repudians aliam fidelem duxerit, quantumvis repudiata conuerſa fuerit ad fidem, & velit cum illo habitare, non tenetur ad ipſam redire.* 10.

*Etiam poteſt repudians conuerſus ad fidem, ſi alter interpellatus renuerit ad fidem conuerti, vel cohabitare ſine iniuria creatoris, tranſire ad alia vota, quamuis repudiata antecedenter ad talem tranſitum conuerſa fuerit.* 11.

*Infidelis, qui primam coniugem repudiauit, & poſtea duxit ſecundam, & deinde conuerſus eſt ad fidem interpellata prima, an velit conuerti, vel habitare ſine iniuria creatoris poteſt non interpellata ſecunda tranſire ad alia vota cum fideli.* 12.

*Intellige etiamſi contrahens ſecundum matrimonium fuerit ignarus irritationis libelli repudij.* 13.

*Si infidelis contracto matrimonio cum alio infideli, eidemque dato libello repudij, in ſtatu infidelitatis ad alias nuptias tranſierit viuente Chriſto Domino ante irritatam legem repudij obligaretur eadem lege irritata ad permanendum cum ſecunda, ſi hæc voluiſſet ad fidem conuerti.* 14.

*Summus Pontifex poteſt diſpenſare ex legitima cauſa in matrimonio rato, vt diſſoluatur.* 15.

*Pontifex etiam poteſt ex legitima cauſa diſpenſare in matrimonio conſummato infidelium, quando conuertuntur ad fidem.* 16.

QVoniam in præcedentibus ſermo incidit de indiſſolubilitate minus ſtricta in ſtatu naturæ, ſeù inter infideles, & de ea ſtrictiori iure ſumpta in ſtatu legis Euangelicæ, ſeù inter fideles, ne alibi teneamur hac de re agere, & coniuncta ſeiungere, placet hic eas omnes difficultates, quæ ad ipſam pertinere poſsunt, perſtringere; & primo inquiremus, vndènam hæc indiſſolubilitas in ſtatu naturæ, ſeù inter infideles proueniat, an ex iure naturæ rigoroſè ſumpto, an verò ex ordinatione diuina. Secundò, an ſtricta illa indiſſolubilitas, de qua ſupra, in lege Euangelica proueniat ex diuina Chriſti Domini ordinatione in ordine ad matrimonium ratum præcisè, an verò dumtaxat ad conſummatum, & ſi in ordine ad hoc tantum, ex quo hoc proueniat? Tertiò, quomodo in ſtatu naturæ lapſæ ante legem euangelicam cohæreret cum indiſſolubilitate ille libellus repudii, & an ille æquè congrueret hæbræis, ac gentilibus. Quartò, an poſt legem Euangelicam æque libellus repudij ſit interdictus catholicis, ac hæbræis, & gentilibus. Quintò, an inter infideles, ſi contigerit libellus repudij, & repudiatus, vel repudians alteri nupſerit, & poſtea alter illorum conuerſus fuerit ad fidem, & baptizatus, teneatur permanere cum ſecundo coniuge, an vero redire ad primum, ſiue ille conſenſerit, ſiue non. Sextò, an poſt legem euangelicam poſſit Romanus Pontifex diſpenſare quoad indiſſolubilitatem in matrimonio rato; & his ſimilia.

Controuerſiæ circa indiſſolubilitatem matrimonij.

1 Indiſſolubilitas ex matrimonio inter infideles prouenit ex iure naturali diuino.

Aſſertio I. Indiſſolubilitas in ſtatu naturæ, ſeù inter infideles, reſpectu quorum non militat ratio ſacramenti, quæcunque illa ſit, prouenit ex iure naturali diuino *D. Thomas in 4 diſt. 23. qu. 2. art. 1. in corpore, Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 4. Henriquez lib. 11 de matrim cap. 8. num. 2. Abulenſis Matthæi 19. qu. 45. Sotus in 4 diſt. 27. q. 1. art. 4 verſ. vnde id ipſum Coaruuias 4. decret. 2 par. c. 7. Corduba lib. 1. quæſtionarij q. 25. §. 2. opinio Gutierez lib. 1. qq. canon. c. 17. nu. 13.* Sed, antequam procedam ad probationem aſſertionis, ſuppono matrimonio legitimè confecto ineſſe, quoquomodò indiſſolubilitatem independenter à lege euangelica, quod præcipuè colligitur ex illo Chriſti Matthæi 19. dum dixit. *Quoniam Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic*, tùm ex illo Geneſis 2. *Quamobrem relinquet homo &c., & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, & quidem hoc congruit naturæ contractus, qui ordinatur ad educandam ſobolem, quod commodè fieri non poteſt, niſi ex ſe eſſent inſolubilis, ſi enim fæmina modo vni, modo alteri nubat ſoboles eſſent incerta, & male educaretur. Quo ſuppoſito.

Non prouenit ex iure naturæ ſtrictè ſumpto.

Probatur per excluſionem cæterarum opinionum; non enim prouenire poteſt ex iure naturæ ſtrictè ſumpto, nec ex iure poſitiuo diuino, nec ex iure præcisè Eccleſiaſtico, ergo debet prouenire ex iure naturali diuino. Antecedens quoad primam partem ſic euincitur, quià ius naturæ ſtrictè ſumptum ſemper remanet immutatum, nec variatur ratione diuerſarum regionum, nec ratione diuerſitatis temporum, cum ſemper ſit vnum, & idem; hoc autem verificari non poteſt ſuppoſita permiſſione repudii, & lege, quod quandò matrimonium eſt contractum in infidelitate, & alter poſtea conuerſus ad fidem

catolicam poſſit diſſolui. Secundò, quià ius naturæ ſtrictè ſumptum æquè omnibus innoteſcit, quia ab ipſa natura omnibus eſt inditum. Quomodo autem dici poteſt innoteſcere, dum peritiſſimis iuris naturalis inueſtigatoribus ignotum erat, dum arbitrabantur licitum eſſet repudium, vt de Romanis teſtatur *Plutarchus in problem. c. 13*, *& Alciatus l. licet ff. de verborum ſignificat?* Quomodo tot iuris periti, cæteroqui ſapientiſſimi hoc ignorabant, dum aſtruebant diſſolubilitatem ex multis cauſis? vt conſtat *ex l. 1. 2. & fin. ff. de diuort., & l. quidquid ff. de donat. inter vir, & vxor*. Quomodo Diſcipuli *D*omini audientes Chriſtum *D*ominum dicentem Matthæi 19., *qui dimiſſam duxit mœchatur* ſcandalizati ſunt dicentes, *ſi ita eſt non expedit nubere?* Certè, ſi naturæ lumine hoc notum fuiſſet, non admirati fuiſſent.

Non ex iure diuino poſitiuo.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quià aliud in ſacris paginis non eſt aſſignabile ius, quod poſſit hoc inferre, niſi illud Geneſis 2. *Propter hanc relinquet homo Patrem, & Matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, quibus verbis expoſitis Chriſtus *D*ominus ſubdit. *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, ſed ex hoc textu potius euincitur, quod antecedenter non fuerit præceptum diuinum poſitiuum, quandoquidem Chriſtus de nouo non præcepiſſet illam indiſſolubilitatem, ſi antecedenter de iure diuino poſitiuo fuiſſet præcepta, ergo &c. *D*einde per illa verba non importatur præceptum poſitiuum ſimpliciter ſumptum, ſed præcisè indicatur, quid eſſet facturus homo per coniunctionem cum fœmina, & hoc potius infert naturalem inclinationem inferentem nec ius naturæ præcisè, nec ſimpliciter præceptum diuinum, ſed quodamodo quid medium, nempe ius naturale diuinum.

Nec ex iure eccleſiaſtico.

Probatur quoad tertiam partem, quia antecedenter ad legem Euangelicam, & per conſequens ante quodcunque ius Eccleſiaſticum vrgebat quoquo modo ius indiſſolubilitatis. Secundò, quia ius Eccleſiaſticum non afficit infideles, quos tamen quoquo modo afficit indiſſolubilitas, ergo non prouenit præciſe ex iure Eccleſiaſtico, ergo per excluſionem cuiuſcunque alterius iuris expreſsè deducitur, hanc indiſſolubilitatem prouenire ex iure naturali diuino.

Ratio pro aſſertione.

Confirmatur, quia maior indiſſolubilitas competit matrimonio, qua ſacramentum eſt, quam quo contractus ciuilis eſt in officium tantum naturæ *Magiſter in 4. diſt. 31. c. 1., & 2. D. Auguſtinus relatus in c. omne itaque 27 qu. 2., & lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia c 10., & lib. de bon. coniug. c. 7.* maior autem indiſſolubilitas ſupponit indiſſolubilitatem poſitiuè, quia comparatiuum ſupponit ſuum poſitiuum, ergo, cum hæc indiſſolubilitas poſitiua ſit in officium naturæ non poteſt eſſe, niſi à iure quodamodo naturali diuino.

Aſſertio II. Stricta illa indiſſolubilitas 2
poſt legem Euangelicam intelligitur de matrimonio conſummato, & prouenit ex præcepto poſitiuo Chriſti *D*omini *Alexander III. c. ex publico de conuerſ. coniug. in fin. D. Thomas in 4 diſt. 43. qu. 2. art. 1. ad ſecundum, Paulus Burgenſis Matthæi 19. addit. 1. Molina lib. 5. de ſacror. hominum continentia c. 89. VeraCrux ſecunda parte ſpeculi art. 28.*

Indiſſolubilitas ſtricta eſt de matrimonio conſummato, & de præcepto poſitiuo diuino

Ratio primæ partis ex eo deducitur primò, quod poſt legem Euangelicam, per quam contractus matrimonialis eleuatus eſt ad ſupereminentiam ſacramenti, adhuc licitum eſt illud diſſoluere per ingreſſum, & profeſſionem in Religionem, ſi nondum fuerit conſummatum, ergo ſtricta illa indiſſolubilitas non competit matrimonio rato, ſed conſummato. Secundò, quia illa verba Chriſti *D*omini Matthæi 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, intelligenda ſunt de matrimonio conſummato, prout explicat *D. Gregorius Papa relatus in c. ſunt, qui dicunt 20. qu. 2.* per illa verba *Sunt, qui dicunt Religionis cauſa connubia debere diſſolui, lex tamen diuina prohibuit, cum veritas per ſe dicat, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, quod etiam euinci poteſt ex eo, quod Chriſtus *D*ominus in illo textu præmiſerat illa verba, *& erunt duo in carne vna*, quod vtique haberi non poteſt, niſi per conſummationem, & poſteà ſubiunxit *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur cum Soto verba illa Chriſti *D*omini *Quos Deus coniunxit* &c. referri ad illa verba Adami Geneſeos 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, quæ vtique protulit ante conſummationem, ſicque importari indiſſolubilitatem quoad matrimonium ratum, vel verba illa Chriſti *D*omini per Nicolaum Pontificem *in c. ſcripſit 27. qu. 2.* explicari in ordine ad matrimonium ratum præcisè, dum dixit *Licet ſcriptum ſit, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, Deus tamen, & non homo ſeparat, quando diuini amoris intuitu ex conſenſu vtriuſque coniugis matrimonia diſſoluuntur ob Religionem*, ex quibus verbis expreſse conijcitur, quod Pontifex referat illa verba Chriſti *D*omini ad matrimonium ratum. Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia, quantumvis Adam illa verba protulerit ante matrimonium conſummatum, verba tamen Chriſti non referuntur ad illa pro illo ſtatu, quatenus pro illo conſtitueret indiſſolubilitatem, ſed ad illa, prout poſteà erant coniungenda cum actu conſummationis, & propterea prius præmiſit

Poſt matrimonium ratum licitum eſt ingredi in Religionem.



Digitized by Google

illa verba *Erant duo in carne vna*, & poſtea ſubiunxit præceptum indiſſolubilitatis, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, ſcilicet poſtquam facti fuerint vna caro, quod vtique haberi non poteſt, niſi per conſummationem. Non ſecundum, quia ex verbis eiuſdem textus apertè colligitur, Pontificem ibi loqui de matrimonio conſummato; dum enim dicit, *ex conſenſu vtriuſque coniugis*, certè indicat conſummationem, quandoquidem ante illam ex conſenſu vnius dumtaxat per ingreſſum in Religionem poteſt diſſolui, & re vera ibi Pontifex loquebatur de matrimonio conſummato Lotarij Regis, & Reginæ.

Indiſſolubilitas eſt, prout ræpræſentat vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia matrimonium, quantumvis conſummatum, de iure naturæ non habet hanc omnimodam indiſſolubilitatem, quamvis hoc ſit valde conſonum naturæ eiuſdem, nam in primis nil noui Chriſtus *D*ominus quoad indiſſolubilitatem contuliſſet matrimonio, ſi hoc de iure naturæ habuiſſet hanc indiſſolubilitatem ſtrictè acceptam; deinde matrimonium, qua tale eſt, quantumvis conſummatum non habet ſuaptè natura exprimere indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia, ſed tantum ex inſtitutione eiuſdem Chriſti, ergo ex inſtitutione Chriſti *D*omini, eiuſque præcepto poſitiuo importato per illa verba, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, illa inſeparabiliter ſtricta, & omnimoda conſurgit, & per hoc confirmantur ea, quæ ſupra dicta ſunt, nempe inſolubilitatem prouenire ex vi ſacramenti, quod tamen non intelligendum eſt quomodocunque, ſed vt repræſentat vnionem inſolubilem Chriſti cum *E*ccleſia.

3 Ratio fundamentalis indiſſolubilitatis.

Aſſertio III. Hæc omnimoda indiſſolubilitas, quæ competit matrimonio conſummato poſt inſtitutionem Chriſti, potiſſimum prouenit ex ſignificatione, quo Chriſtus illud eleuauit non ſolum ad eſſe ſacramenti, ſed ad manifeſtandam vnionem indiſſolubilem eiuſdem cum Eccleſia per carnem aſſumptam; Ita colligo expreſsè *ex Sanchez lib. 2. de matrimonio diſp. 13. nu. 7.*, à quo non diſſentiunt *D. Thomas in 4. diſt. 43. qu. 2. art. 1. ad ſecundum Abulenſis c. 18. Matthæi qu. 45. ad ſecundum Veracrux ſecunda part. ſpeculi art. 28.* Dixi *per carnem aſſumptam*, quandoquidem duplicem vnionem inuenio Chriſti cum Eccleſia, alteram per gratiam, cui correſpondet quoad ſignificationem matrimonium ratum, cum hoc ſit figura illius, & ſicuti hoc eſt aliquo caſu ſolubile, puta per ingreſſum in Religionem alicuius ex contrahentibus, vel etiam in multorum ſententia per Pontificis diſpenſationem, ita, & vnio talis Chriſti cum Eccleſia ſolubilis eſt per peccatum ſcilicet læthale, per quod deſinit eſſe inexiſtentia Chriſti in anima per gratiam; alteram per carnem aſſumptam, cui correſpondet in ſignificatione matrimonium conſummatum, & ſicuti vnio hypoſtatica Chriſti cum carne, per quam iungitur Eccleſiæ, indiſſolubilis eſt, quia, quod verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit, ita inſolubile eſt matrimonium conſummatum quoad vinculum, niſi intercedente obitu alterius coniugis; atque ex hoc clarius deducitur id, quod ſupra dicebamus, quod ſcilicet indiſſolubilitas ſtrictè ſumpta non proueniat, niſi ex matrimonio conſummato, quia tunc ſolummodo contrahentes fiunt vna caro, ſicuti Chriſtus factus eſt vna caro cum Eccleſia per vnionem hypoſtaticam.

Duplex vnio Chriſti cum Eccleſia, per carnem aſſumptã, & per gratiam.

Probatur iam aſſertio, quia illa indiſſolubilitas ſtrictè ſumpta non prouenit à ſacramento, qua præcisè ſacramentum eſt præſcindendo à quacunque alia ſignificatione, nec à iure naturæ, ergo prouenit ex Chriſti inſtitutione ordinantis matrimonium ad ſignificandam vnionem indiſſolubilem eiuſdem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. Antecedens quoad vtramque primam partem patet, quia etiam matrimonium ratum poſt legem euangelicam ſacramentum eſt, & tamen poteſt diſſolui per ingreſſum in Religionem, & forte etiam per Pontificis diſpenſationem, quod etiam patet quoad ius naturæ, quandoquidem, ſi alter ex infidelibus conuertatur ad fidem poteſt diſſolui. Conſequentia verò probatur, quia, cum hoc ſacramentum ex ſua inſtitutione ſit inductum vt eſſet ræpræſentatiuum vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. *Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, etiam ex eadem inſtitutione debet eſſe omninò indiſſolubile ad expreſſius ſignificandam illam indiſſolubilitatem Chriſti cum Eccleſia; hocque habet ſolummodo poſt conſummationem, quia tunc ſolummodo fit vna caro, ſicuti Chriſtus factus eſt vna caro cum Eccleſia per vnionem hypoſtaticam.

Si infideles conuertuntur ad fidem poteſt diſſolui matrimonium.

4 Libellus repudij quo modo permitteretur

Aſſertio IV. In ſtatu legis ſcriptæ inter Hæbreos libellus repudij non ſolum permiſſus erat tanquam minus malum, ſed etiam tanquam licitum diſpenſante Deo in illo iure minus ſtricto naturali indiſſolubilitatis *D. Chriſoſtomus homil. 34 in Matthæum Albertus Magnus in 4. diſt. 33. art. 25. D. Thomas prima ſecunda q. 102. art. 5. ad tertium, Paludanus in 4. diſt. 33. q. 1. art. 2. num. 28. Abulenſis c. 19. Matthæi q. 46. Abbas c. gaudemus de diuort. num. 10. Bellarminus lib. 1. de Matrimon. c. 17. in ſolut. ad quartam decimam obiectionem.*

Ratio ex eo deducitur, quia *D*eus in tali lege potuit diſpenſare, & de facto diſpenſauit, ergo ſtante tali diſpenſatione non



Digitized by Google

Deus potuit diſpenſare, & de facto diſpenſauit.

erat illicitus interueniente legitima cauſa apud eoſdem libellus repudij. Antecedens quoad primam partem ex eo euincitur, quià illa indiſſolubilitas per ſuperius probata non eſt de iure naturæ ſtrictè ſumpto, quod certè eſt inuariabile, & de potentia ordinaria indiſpenſabile, quin immo non eſt omnimoda indiſſolubilitas, ſi præſcindatur à lege Euangelica Christi inſtituentis, & ordinantis matrimonium conſummatum ad illam ſignificationem vnionis indiſſolubilis Christi cum Eccleſia per carnem aſſumptam, vnde matrimonium ratum etiam fidelium reſoluitur per profeſſionem alterius ex contrahentibus, & conſummatum infidelium per conuerſionem alterius ad fidem altero nolente cohabitare ſine iniuria creatoris, ergo &c. Quoad ſecundam etiam euincitur ex illo *Deuteron.* 24. vbi ſic legitur. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de manu ſua*, quod idem habetur *Malachiæ* 2. vbi ſic legitur *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael*.

Dices huiuſmodi textus non concludere quoad eſſe licitum ex diuina diſpenſatione, ſed quoad eſſe permiſſum ex minoritate mali ad euitandum maius, ne ſcilicet occiderent vxores, quod euincitur in alio contextu in ſacra Scriptura nempe ex illo *Matthæi* 19. vbi ſic legitur. *Quoniam Moyſes ob duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic*, vbi cum dicatur *ob duritiem cordis veſtri*, euincitur, nō concedi ex motiuo liberalitatis Dei, ſed ad euitandam duritiem cordis hæbreorum, dum verò ſubiungitur *permiſſum eſt, ſeu permiſit*, non indicatur abſolute conceſſio, ſed tolerantia ad maius malum euitandum. Sed contrà, quià per illum textum indicatur quidem motiuum conceſſionis, non tamē ſimplex permiſſio indicatur ad euitandum maius malum; cum etenim Deus potuerit diſpenſare in ordine ad euitandum quodcunque malum ex begnigna eiuſdem bonitatis diſpenſatione, præſumendū eſt indulſiſſe, ne laqueus inijceretur in ijs, in quibus erat eiuſdem permiſſio. Hoc etiam à poſteriori euincitur, ſi etenim Deus in huiuſmodi repudijs malum quodcunque non ſubtraxiſſet, vtique non defuiſſet per os Prophetarum excitare hebræos vt à tali malo declinarent, ſicuti aſſolet in alijs omnibus malis culpæ. Tandem ex eo euincitur, quod (cum Deus indiferētèr iniquos omnes odio habeat, & æquus ſit vltor omniū malorum ad proportionem eorundem, nec ideo deſinat, ſiue in hoc, ſiue in altero ſæculo minora punire delicta, vt vitentur maiora ad differentiam publicarum poteſtatum humanarum, quæ quandoque, quià vires non habent ad reprimenda omnia ſubditorum, & crebra, niſi cum maxima Reipublicæ perturbatione coguntur minora tolerare delicta, vt euitentur maiora) non ſit præſumendus in ijs, in quibus poteſt diſpenſare, velle permittere mala minora culpæ, cum poſſit omnia euitare per diſpenſationem, ſicuti non permittit, nec impunita relinquit mendacia, vt euitentur periuria, & falſa iuramenta.

Non permiſit præciſe ad maiora mala vitanda, & quare.

5 Inter gentiles non fuit permiſſus libellus repudij.

Aſſertio V. Libellus repudij inter Gentiles nullo modo fuit licitus, nec poſitiuè permiſſus, adeoque eiſdem licitum non erat à matrimonio legitimè contracto recedere *Sotus in 4. diſt. 33. q. 2. art. 2. concl. 1. Sanchez. lib. 10. de matrimon. diſp. 1. num.* 8.

Ratio ex eo deducitur, quià ex vno capite indiſſolubilitas prouenit ex iure naturali diuino, & maior in matrimonio, quam in cæteris omnibus contractibus præſcindendo etiam à lege euangelica, & inſtitutione Christi Domini, quandoquidem cæteri omnes contractus, quinimmo etiam, & ſponſalia diſſolui poſſunt mutuo conſenſu contrahentium, vel ob alias cauſas, matrimonium autem diſſolui non poteſt, niſi à ſuperiori cauſa dirimatur; ex alio diſpenſatio iuris naturalis diuini eſt ſtrictiſſimi iuris, nec extendenda vltra perſonas, ad quas eſt directa; quantumuis autem conſtet diſpenſationem illam dirigi ad Hæbreos, nullibi tamen conſtat eandem extendi ad Gentiles, & potuit Deus erga populum electum ſuæ bonitatis inditia indulgentèr conferre, non autem ad gentem ſibi contradicentem, & præceptis eius non obtemperantem.

Diſpēſatio iuris naturalis nō eſt extendēda

Dices ex *c. quanto de diuort.*, quod in tantum matrimonium fidelium eſt indiſſolubile, in quantum eſt ſacramentum, quod etiam habetur *in c. omne itaque* 27. *q.* 2., & matrimonium infidelium non eſſe omninò indiſſolubile, quià cum non ſit ſacramentum, non eſt ratum per textum *in c. fin.* 28. *q.* 1.; cum igitur aſſerant *Abulenſis c.* 19. *Matthæi q.* 16. *ad vlt.*, & *Veracrux* 2. *part. ſpeculi art.* 13. *per totum* matrimonium inter Iudæos eſſe diſſolutum, quia non erat ratum, per conſequens hoc idem intelligendum eſt quoad matrimonium inter Gentiles, cum ex eodem capite non eſſet ratum, cum inter neutros fuerit ſacramentum. Sed contrà, quià independenter etiam à ratione ſacramenti matrimonium, ſiuè inter Hæbræos, ſiuè inter gentiles, dummodò fuerit legitimè contractum, erat quoquo modo indiſſolubile per ſuperius probata; vnde, quando dicitur in allegatis iuribus, quod non erat ratum, quià non erat ſacramentum, hoc eſt intelligendum, non qua-

quatenus non fuerit validum, & legitimum, ſed quatenus non fuerit firmatum cohærentia ſacramenti; per quod tamen nõ tollitur, quin ſine auctoritate ſuperiori non ſit ſuo modo indiſſolubile; Cum igitur auctoritas ſuperior extendatur in ordine ad Hæbræos, non autem in ordine ad Gentiles, cum de ipſis non innoteſcat, hinc eſt &c.

6 **Ceſſat etiã Hæbræis poſt legem euangelicã ius repudij**

Aſſertio VI. Poſt legem Euangelicam non amplius licitum eſt Hæbræis, nec alijs infidelibus per ripudium vxores ſuas dimittere, nec per illum propriè dirimitur matrimonium. *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 63. Auguſtinus Barboſa ff. ſolut. matrim. rub. 2. part. n. 10. Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 1. num. 9.*

Ratio ex eo deducitur, quià Chriſto Domino data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra ligandi, atque ſoluendi in ijs, ad quod ius diuinum extenditur; ſicuti autem per ius diuinum ex iuſta, & legitima cauſa potuit diſpenſari in iure naturali minus ſtricto indiſſolubilitatis matrimonij ob imperfectionem ſtatus ob duritiem ſcilicet cordis Iudæorum, ita in ſtatu maioris perfectionis, qualis eſt ſtatus legis Euangelicæ potuit derogari tali diſpenſationi, plurima etenim in ſtatu legis veteris permittebantur, quę fuerunt in noua lege abrogata; ſed de factò Chriſtus Dominus abrogauit illi diſpenſationi, reſque reduxit ad terminos iuris naturalis, vt videre eſt in illo Matthęi 19. *Quoniam Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Hoc idem habetur Matthæi 5. ibi ſic legitur. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari;* hocque idem definitum eſt *in c. gaudemus verſ. qui autem de diuortijs.*

**Chriſtus Dominus abrogauit legi repudij.**

Dices primo, matrimonium hæbræorum, & Gentilium ante ſuſceptum baptiſmum non eſt eleuatum ad eſſe ſacramenti, nec in rigore, quantumvis fuerit conſummatum, repræſentat vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, niſi ſecundum quandam analogicam ſimilitudinem, ergo etiam remanet in eodem ſtatu, in quo erat antecedenter ad legem Euangelicam, ſed antecedenter ad illam erat reſolubile per repudium, ergo etiam nunc; Neque obſtant allegati textus Euangelici, quandòquidem dici poteſt, quod illi procedant dumtaxat quoad matrimonium fidelium. Sed contrà, quià adhuc conſiderari poteſt duplex indiſſolubilitas, altera minus ſtricta, quæ competit matrimonio ex genere ſuo in quocunque ſtatu, altera ſtrictiſſima, quæ competit eidem, vt conſummato ex vi ſacramenti, prout ordinatur ad ſignificandam indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam; hæc ſecunda indiſſolubitas ſtricta etiam poſt legem Euangelicam non competit matrimonio infidelium, & hæbræorum, quià non eſt propriè ſacramentum, nec ordinatur, niſi analogicè ad illam ſignificationem; indiſſolubilitas autem prima modo eidem competit, quæ antecedenter non competebat, cum tunc intercederet diſpenſatio diuina, vnde vtramque diuerſimode Chriſtus conſtituit in Euangelio; primam ſcilicet derogando iuri diſpenſationis per illa verba Matthæi 19., & 5. *Ego autem dico vobis, quod omnis* &c.; ſecundam ſcilicet conſtituendo nouum ius, nouumque pręceptum, quod antecedenter non erat per illa verba. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Ad illud, quod ſubditur dic quoad allegatos textus, quod tunc Chriſtus alloquebatur hæbręis in ſua duritiè permanentibus - Ibi - *ob duritiem cordis veſtri*, adeoque ipſius verba diriguntur ad eorum matrimonium, derogando prioribus *Ego autem dico vobis, quod omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam.*

**Indiſſolubilitas ſtricta etiam poſt legem euangelicã non competit matrimonio infidelium.**

Dices ſecundò. Nec hæbræi, nec Gentiles ſubduntur ſpeciali legi Euangelicæ, quapropter nec obligantur ad præceptum confeſſionis, nec ad ſumendam Euchariſtiam, nec ad alia præcepta poſitiua Euangelij, niſi ad præceptum baptiſmi, ergò neque ſubduntur legi Euangelicæ irritanti pręcedentes diſpenſationes diuinas. Sed contra reſponderi poteſt primo cum Sanchez, nõ ſubdi quoad ea, quę ſunt de iure poſitiuo diuino præcisè, benè tamen quoad ea, quæ quoquo modo ſunt iuris naturæ ſimul, & diuini, cuiuſmodi eſt indiſſolubilitas illa non ità ſtrictè ſumpta, ſeù non omnimoda, quam Chriſtus confirmauit ablata diſpenſatione ipſam reuocando ad terminos iuris antiqui ante eandem diſpenſationem. Reſponderi poteſt ſecundo, non ſubdi quo ad ea, quæ ſunt propria ſtatus Euangelici, cuiuſmodi eſt præceptum ſacramentalis confeſſionis, & ſacræ Euchariſtię, bene tamen quoad ea, quę ſunt omni ſtatui communia, cum Chriſtus Dominus ſit quoad omnes legiſlator, & Dominus proprietatis, & iuriſdictionis.

**Subduntur hæbræi, & gentiles legi euangelicæ quoad ea, quæ ſunt omni ſtatui communia.**

Dices tertiò. Saltem ex cauſa fornicationis etiam poſt legem Euangelicam liceret dimmittere propriam vxorem, & aliam ducendo non męchari, quandoquidem cauſa fornicationis excipitur à præcepto diuino irritante diſpenſationem - Ibi - *Dico autem vobis, quod quicunque* 7

Digitized by Google

Non licet poſt legẽ euangelicam etiam ex cauſa fornicationis vxorẽ dimittere, & aliam ducere,

*que dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & alteram duxerit, mechatur*; ergò, ſi ob fornicationem dimiſerit, & alteram duxerit non mechabitur argumento legis exceptiuorum, nec arbitrandum eſt, per eum textum ſolum innui licere ob cauſam fornicationis dimittere vxorem, non autem aliam ducere; quià, dum textus dicit *mechatur*, vtique refertur ad vtramque partem non ad ſolam dimiſſionem, quià per illam non committitur crimen Mechiæ. Sed contrà, quià illa exceptio non refertur ad vinculum, ſeù ad ſolubilitatem coniugij, ſed ad dimiſſionem quoad torum, & habitationem ſolummodò; Neque dici poteſt, quod Chriſtus per hanc exceptionem taliter conceptam quoad torum, & habitationem præcisè non ſatisfeciſſet interrogationi Phariſæorum, qui inquirebant de dimiſſione quoad vinculum, quam repudium appellabant; non, inquam poteſt dici, quià vt benè notant *D. Thomas in 4. diſt. 33. quæſt. vnica art. 5. ad quartum, & ibi D. Bonauentura art. vnico q. 4. ad 2. Ricardus art. 3. q. 1. ad ſecundum* illa exceptio refertur ad priorem partem dicti per Chriſtum Dominum, ſcilicet ad illa verba.

Quomodò intelligenda ſunt verba Chriſti Domini.

Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, hoc eſt extra cauſam fornicationis mechatur, & qui dimiſſam quacunque ex cauſa etiam fornicationis duxerit, mechatur; Neque huic explicationi obſtare poteſt id, quod dicebatur in inſtantia, quod cum dicatur in eodem textu *mechatur* non poſſit referri ad ſolam dimiſſionem à toro, quià per illam non committitur crimen mæchiæ, vt inferebat *Durandus in 4. diſt. 35. q. 2.* non, inquam, obeſſe poteſt; quià vt benè notat *D. Auguſtinus lib. contra Adimantum* illud verbum *mæchatur*, non eſt intelligendum de actuali crimine, ſed de cauſa eiuſdem in vxore, quatenus eandem facit mæchari, vel dic cum *Abulenſi c. 19. Matthæi q. 76. ad 4.* dictum Chriſti Domini in priori parte ſupplendum eſſe per verbum, peccat, quatenus hoc ſonet. *Qui dimiſerit vxorem ſuam extra cauſam fornicationis, & qui ex quacunque cauſa dimiſſam duxerit, mæchatur*;

Variæ explicationes eiuſdẽ textus.

Neque vlterius vrgeas, quod non ſolum ex cauſa fornicationis liceat vxorem dimittere quoad torum, & habitationem, ſed etiam ex alijs cauſis, puta ob duritiem coniugis, ob peruerſos mores, aliaſque cauſas, de quibus fusè agemus, dum de diuortijs, & tamen ibi non excipiuntur; ſignum igitur eſt, quod dum excipitur ſolum cauſa fornicationis eadem referatur etiam quoad vinculum; contra enim impugnaberis, quià ideò in allegato textu *Matthæi 19. & 5.* ſolum expreſsè excipitur fornicatio, quià ob nullum aliud crimen à fornicatione carnali, vel ſpirituali licet coniugibus diuertere *cap. 2. de diuort. D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 6. in corpore D. Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domino in monte c. 32.*, & colligitur *ex concil. Tolet. 12. c. 8.*, quod refertur *in cap. præceptum 32. q. 5.*, quod intellige niſi ſit periculum ex crimine delinquentis abducationis innocentis ad peccatum, prout notant præallegati DD. ad differentiam criminis fornicationis, vel carnalis, vel ſpiritualis, quod ſecundum ſe præſcindendo à tali periculo tribuit ius dimiſſionis quoad torum, & habitationem. Quod deindè non exceperit dementiam, ſeù ſæuitiem coniugis, & his ſimilia, ſicut excepit fornicationem, id ex eo factum dicendum eſt, quià ibi erat ſolummodò ſermo de criminibus in actu, non de habitibus naturaliter. Quod ſi vlterius inſtes, quod per hoc Chriſtus non ſatiſfecerit petitioni Phariſæorum, qui eum interrogauerunt, an liceret ex quacunq; cauſa dimittere vxores loquentes de dimiſſione, quæ importat repudium; adhuc contra impugnaberis, quià Chriſtus eorum petitioni ſatisfecit excludendo quaſcunque alias cauſas, & cum poteſtas dimittendi duo dicat, & excluſionem quoad torum, & ſolutionem quoad vinculum ei præſcripta regula quoad primum excepit fornicationem, non autem quoad ſecundum. Cæterum, quod ex fornicatione non ſit ius ſoluendi matrimonium quoad vinculum expreſsè habetur *in c. omnes cauſationes 32. q. 7.*, vbi ſic legitur *Quandiu viuit vir licet adulter ſit, licet Sodomita, licet flagitijs omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus tamen eſt reputandus eius, ſcilicet, cui alterum virum recipere non licet.*

Iura euincentia ex cauſa fornicationis non poſſe ſolui coniugium.

Quod etiam planè confirmauit *Apoſtolus 1. ad Corint. 7.* illis verbis. *Hiis autem, qui matrimonio iuncti ſunt præcipiò non Ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere; Quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Quem textum explicans *D. Auguſtinus lib. 1. de adulteris coniugijs c. 1. & ſeqq.* dixit verba Apoſtoli ad plura ſecundùm diuerſa referri, dum enim dicit *Præcipio vxorem à viro non diſcedere*, loquitur de iniuſta reſilientia ſine cauſa fornicationis, ſine qua nec licet à toro ſeparari, dum verò ſubdit *Quod ſi diſceſſeris manere innuptam, vel marito reconciliari*, loquitur de reſilientia, vtique ex cauſa fornicationis, quæ tamen eſt reſilientia tantum quoad torum, & tunc cogitur remanere innupta, quod indicat vinculum coniugale non eſſe ſolutum, vel reconciliari marito; Atque per hanc D. Pauli præceptionem optimè explicatur textus Matthæi 19., & roboratur noſtra interpretatio.

Ad-

Digitized by Google

Exceptio regulę prę cedentis.

Aduerte hic tamen, quod quandò ſuperius diximus matrimonium conſummatum infidelium hic, & nunc eſſe indiſſolubile de iure quodamodo naturali, eo quia libellus repudij fuit à Chriſto Domino repudiatus, hoc intelligendum ſit, niſi prout in lege Chriſti eius diſſolutio permittitur, vt quando alter ad fidem catolicam conuertitur, & alter nolit permanere in coniugio ſine iniuria creatoris per ea, quæ alibi fusè agemus, hocque expreſsè habetur *in c. gaudemus verſ. qui autem de Diuertijs, Sotus in 4. diſt. 33. qu. 3. Durandus in 4. diſt. 39. qu. 2. in fin. Aſtenſis in ſumma ſecunda part. lib. 8. tit. 21. art. 2. qu. 6.*

8
Repudians alteram ducens, & cõuerſus ad fidem tenetur redire ad primam

Aſſertio VII. Si inter infideles contractum fuerit matrimonium, & per libellum repudij fuerit diſſolutum, & deinde repudians alteri nupſerit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem non poteſt permanere cum ſecunda, ſed redire debet ad primam repudiatam *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 63. D. Antoninus ſecunda part. tit. 1. c. 6. paulo poſt princip. puncto 3. Silueſter verb. Matrimonium 8. q. 10. dict. 7. Roſella verbo impedimentum impedim. 9. n. 6. Armilla verb. matrimonium n. 19. Monaldus in ſumma tit. de matrimonio vbi de diſpari cultu verſ. item patet ex his, Sotus in 4. diſt. 33. q. 3.*

Ratio ex ijs deducitur, quæ hactenus diximus, nempe poſt legem Euangelicam libellum repudij non tenere, cum ex ſupra allegatis textibus fuerit à Chriſto Domino reuocatus, ergo quantumuis hic fuerit interpoſitus, cum tamen ſit nullus, matrimonium præcedens nõ eſt diſſolutum, ergo non eſt, cur qui ad ſecunda vota conuolauit conuerſus ad fidem non teneatur ad primam coniugem redire, cum qua nullo modo eſt diſſolutũ vinculum.

Dices ex ſuperius dictis in præcedenti aſſertione in fine. Contracto matrimonio inter infideles, ſi alter ipſorum conuertatur ad fidem, poteſt altero permanente in infidelitate diuertere à matrimonio, & ad aliud tranſire, ergo ſi vnam duxerit, eaque per repudium dimiſſa aliam infidelem ſibi copularit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem non poterit compelli ad primam redire, ſi enim quando vnam infidelem duxit, & poſtea tranſit ad fidem infideli in ſua peruicacia permanente poteſt ab eadem recedere, & ad aliam migrare per nouum matrimonium ex ſpeciali priuilegio Chriſti Domini manifeſtato per Apoſtolum *prima ad Corinth. 7.* vbi ſic legitur. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror huiuſmodi.* Quem textum explicans D. Ambroſius relatus in *c. fin. 28. q. 2.* plane ad noſtrum hunc ſenſum reducit, & *Innocentius III. in c. quanto de diuortijs* hæc in re dixit, *ſi alter infidelium coniugum ad fidem catholicam conuertatur altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare, volenti, qui relinquitur, ad ſecũda, ſi voluerit, vota tranſibit; Et in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus; ſi infidelis diſcedit, diſcedat, frater enim, vel ſoror non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi*, ergo etiã ſi infidelis duxerit infidelem, illaque per repudium dimiſſa aliam etiam infidelem ſibi copularit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem non poterit compelli ad priorem tranſire, ſed poterit ex priuilegio Chriſti Domini vtraque dimiſſa ad aliam fidelem comigrare eam ſibi matrimonio copulando. Sed contra reſpondent aliqui hæc ad ſummum verificari, quando ille, qui remanet in infidelitate, non vult cohabitare cum coniuge conuerſo ad fidem, vel non niſi cum iniuria creatoris, quià tunc certe concurſus ad fidem poteſt ab eodem infideli diuertere, & ſe conuertere ad aliud matrimonium, ne ſeruituti huiuſmodi ſit ſubiectus *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 5. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 2. q 1. Riccardus art. 2. q. 2. Durandus q. 2. nu. 12. D. Antoninus 3. part. tit. 2. c. 6. not. 3. Abulenſis primò Reg. 8. q. 30. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 1. punct. 7. Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 5. in fin. Gratianus c. fin. 28. q. 2. Hoſtienſis c. gaudemus n. 13. de diuort.* atq; hic ſenſus valde videtur congruere verbis Apoſtoli, & dicto Innocentij III. ſupra relati, qui procedunt tantum, quando infidelis diſcedit, vel ſimpliciter, quando ſcilicet non vult cohabitare, vel ſecundum quid, quando ſcilicet vult quidem cohabitare, ſed non ſine iniuria creatoris, quod magis firmatur per ſubſequentia verba Apoſtoli, *non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater &c.* quandòquidèm non elucet ſeruitus, quando non trahitur ad deteriora ab ijs, in quibus erat antecedentèr. Iuxta hanc ſententiam dici poteſt, quod ſimilier infidelis, cum qua primo contraxerat, quamque per repudium reiecerat velit cohabitare, & ſine iniuria creatoris teneatur ad eandem redire, nec poſſit perſeuerare cum ſecunda. Reſpondent alij quod quantum vis vxor perſeuerans in infidelitate velit cohabitare, & etiam ſine iniuria creatoris, & non trahere coniugem conuerſum ad peccatum, adhuc poſſit idem conuerſus diuertere à matrimonio eiuſdem, & ad aliud cum fideli conuerti *Victoria in ſuis prælectionibus Salmantica habitis Turrecremata c. Iudæi 39. qu. 1. art. 3. num. 3. Sotus in 4 diſt. 39. q. vnica art. 4. verſ. eſt tamèn hic Veracrux 2. part. ſpeculi art. 29 ad fin. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 8. num. 4. in fin. Manuel. 1. tom.*

9
Si velit alter, ſeù prima conuerti, & habitare ſine iniuria creatoris.

*ſum-*

Digitized by Google

*ſummæ ſecunda edit. c. 230. in fin. Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 74. nu 9.* qui etiam adducit hanc rationem, quia cum his temporibus non liceat coniugem fidelem habitare cum infideli, ſequitur iuxta dictum Apoſtoli, quod fidelis ſit derelictus ab infideli ex eo, quod hic præcisè nolit conuerti ad fidem, eligit enim eam habitationem, quæ fideli illicita eſt; atque iuxtà hunc ſenſum dicendum eſt, tunc ſolummodo teneri ad primam redire, quando eadem requiſita, an velit conuerti, annueret petitioni, ſecus, ſi illa renuerit.

Duplex difficultas examinanda.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi poſtquam coniux conuerſus fuerit ad fidem, & per interrogationem interpellarit primam coniugem, quam per repudium dimiſit, an velit ad fidem conuerti, & tunc ipſa non annuerit, ratione eiuſdem renitentiæ conuerſus ad aliud matrimonium diuerterit, & illa poſtea à Deo mota conuerſa fuerit ad fidem, teneatur conuerſus ad eandem primam redire, relicta ea, quam in ſtatu fidelitatis poſtea ſibi copularat. Secunda, an, ſi conuerſus ad fidem primam coniugem, quam per repudium reiecerat interpellarit, an velit ad fidem conuerti, & ipſa renuerit, teneatur interpellare ſecundam, quam poſt repudium primæ ſibi copularat in ſtatu infidelitatis, & ſi aſſentiatur cum eadem perſeuerare, an verò habito diſſenſu prioris poſſit immediatè ad aliud coniugium cum fideli tranſire.

10 Repudiata, ſi renuerit conuerti, & repudians aliam duxerit, non tenetur ad ipſam redire, etiam ſi poſtea repudiata conuerſa fuerit.

Ad primam abſolutè reſpondeo, quod etiam ſi poſt interpellationem, & reluctantiam prioris vxoris eadem conuerſa fuerit ad fidem poſtquam maritus conuerſus aliam fidelem ſibi matrimonio copularit, non teneatur iſte relicta poſteriori coniuge fideli ad eandem primam redire *Gutierez de matrimonio c. 42. num. 5. Filliutius parte prima tract. 10 c. 6. nu. 196. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. num 86., & 88.*, qui quamvis loquantur in diuerſis terminis cathecumenæ, & infidelis conuerſorum ad fidem, poſtquam alter eorum per repudium aliam coniugem dimiſerat ex paritate tamen rationis reducuntur etiam ad ſanum ſenſum huius reſponſionis. Ratio ex eo deducitur, quia poſt reluctantiam prioris coniugis ſe conuertendi ad fidem ad interpellationem alterius iam conuerſi ad fidem ex ſpeciali priuilegio Chriſti Domini manifeſtato per Apoſtolum *1. ad corinth. 7.* iſte licitè, & validè contraxit matrimonium cum alia fideli, quod vtique vt pote ſacramentum, & contractum in ſtatu fidelitatis vtriuſque, ſi fuerit conſummatum, vt pote repræſentans vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, eſt omnino indiſſolubile, ergo non eſt, cur non debeat cum hac ſecunda permanere in coniugio; nec obeſſe poteſt matrimonium cum prima contractum, quia ſuppoſita illa reluctantia prioris coniugis ex eodem priuilegio Chriſti Domini ſupponitur plenè diſſolutum. Si autem hic inquiras, quid ſit dicendum, quando conuerſus ad fidem interpellauit alterum coniugem infidelem, an velit conuerti, & hic renuit, ſed poſtea conuerſus eſt, dum alter, qui prius interpellauerat non tranſiuit ad ſecunda vota, an in hac hypotheſi teneatur ad eandem primam coniugem redire iam auerſam ab infidelitate, an vero poſſit de nouo cum alia fideli contrahere. Prima fronte videtur dicendum teneri ad primam, poſtquam conuerſa eſt, redire, quia vt expreſſe docent *D. Thomas in 4. diſt. 39. qu. vnica art 2. ad primum, Paludanus in 4. diſt. 27. qu. 4. art. 3. nu. 25. in ſolutione ad quintum, & ibi Deza qu. 1. art. 4. ad quintum, Veracrux prima part ſpeculi art. 36. concl. 2. Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 9. num. 5. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. num. 87.* matrimonium infidelium per ſuſceptionem baptiſmatis ratione vtriuſque redditur immediatè indiſſolubile abſque nouo conſenſu vtriuſque. Cum igitur in hac hypotheſi ad aliam non tranſierit, cum qua ſit initum ſacramentum, per quod matrimonium redditur indiſſolubile, potiſſimum, ſi ſit conſummatum; ſequitur expreſsè, quod primum firmetur per baptiſmum in ratione ſacramenti, adeoque videtur teneri ad idem redire. Nihilominus ſentiendum abſolutè eſt, poſſe cum alia contrahere, nec teneri ad primam redire. Ratio ex eo deducitur, quia per illam reluctantiam prioris vxoris perſeuerantis in eadem infidelitate ſe conuertendi ad fidem coniux interpellans factus eſt omnino liber, cæteroqui, ſi tranſiret ad alia vota inualidè tranſiret, hocque ex priuilegio Chriſti Domini ſupra relati ex Apoſtolo, ergo jam intelligitur prius matrimonium diſſolutum in ſua radice; quod autem ſemel extinctum eſt, non amplius reuiuiſcit, niſi per nouos conſenſus, aliaque ſubſtantialia requiſita de nouo conſtituatur; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, de conſtitutione immediata ſacramenti, poſtquam vterque per baptiſmum conuerſus fuerit ad fidem; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia ea procedunt in ſuppoſitione, qua æquè primo vterque conuertatur ad fidem, & perſeueret in eodem conſenſu, vel ſi conuertantur ſucceſſiuè, perſeueret vterque in fide ſibi data; tunc etenim cum ſint omnia requiſita ad valorem ſacramenti non eſt, cur non tranſeat matrimonium prius celebratum in ſtatu infidelitatis in rationem ſacramenti, & fiat indiſſolubile; hic autem non perſeuerant

11 Etiam ſi repudiata conuerſa fuerit ante quam repudians tranſiret ad ſecunda vota.

ſeuerant

ſeuerant in eodem conſenſu, cum fide*lis* ex iure ſibi competente ex priuilegio à Chriſto Domino ſibi conceſſo legitimè à conſenſu, & à fide data receſerit, & matrimonium prius valide diſſoluerit, vnde per baptiſmum non poſſunt tranſire in ſacramentum, cum non extet materia eiuſdem ſacramenti, quæ eſt conſenſus vtriuſque.

12 Repudiata prima vxore, & in ſtatu infidelitatis alia ducta, ſi repudians conuerſus fuerit ad fidé reluctante prima conuerti poteſt ducere aliam fidelem.

Ad ſecundam item reſpondeo, renuente poſt interpellationem prima coniuge, quam per repudium dimiſerat, conuerti ad fidem, poteſt conuerſus non interpellata ſecunda, cum qua contraxerat in ſtatu infidelitatis nouum matrimonium contrahere cum alia fideli *Sotus in 4. diſt. 33. q. 3. Durandus in 4. diſt. 39. qu. 2. in fin. D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 6. paulo poſt princip. punct. 3. Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 1. nu. 11. in fine*. Ratio ex eo deducitur, quia ſtante diſpoſitione Chriſti Domini *Matthæi* 19., & 5., per quam ſublatus eſt libellus repudij, & res reducta ad ſtatum iuris antiqui, & quodamodo naturalis ſecundum matrimonium contractum poſt legem Euangelicam obſtante primo eſt omnino irritum, & nullius roboris, ergo coniux conuerſus ad fidem nullo habito reſpectu ad idem ſecundum matrimonium inualidum poterit liberè ad alia vota conuolare; quod etenim ſecundum ſe nullum eſt, nullos poteſt parere effectus, nullaſque inducere obligationes, ſicuti enim non entis ex vulgatis iuribus nullæ ſunt paſſiones ita non contractus, ſeù contractus nullius, & irriti nullæ poſſunt eſſe obligationes. Si autem hic inquiras, an ea, quæ hic dicuntur verificentur etiam, ſi dum contractum fuit ſecundum matrimonium dimiſſa per repudium priori coniuge ipſi contrahentes erant ignari diſpoſitionis Chriſti Domini irritantis libellos repudij, & reducentis res ad ſtatum iuris naturalis; Reſpondendum erit, ea procedere quoad inualiditatem eiuſdem ſecundi matrimonij, non autem in ordine ad conſtituendos eoſdem contrahentes reos culpæ, niſi ignorantia fuerit craſſa, & vincibilis. *Barboſa ff. ſolut. matrim. rub. 2. part num. 10. Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 1. num 10.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia diſpoſitio Chriſti Domini eſt maximè concors iuri naturali, & ſufficienter ſupponitur promulgata, vnde quoad effectum irritandi libellos repudij non ſolum nó præſumitur ignorantia, ſed etiam, quando præſumi poſſet adhuc ſecundum matrimonium non poſſet ſubſiſtere, quia talis diſpoſitio ſecundum ſe illud irritat, & afficit contractum ſecundum ſe, & ſicuti, ſi modo inter fideles poſt Concil. Trident. iniretur matrimonium clandeſtinum ſine præſentia Parochi, & teſtium, abſolutè eſſet irritum, quantumvis contrahentes diſpoſitionem illius iuris ignorarent, ita, ſi poſt legem Euangelicam inter infideles iniretur ſecundum matrimonium reiecta per repudium prima vxore illud eſſet irritum, quantumvis ipſi ſecundo contrahentes ignorarent diſpoſitionem Chriſti Domini irritantis libellos repudij; tàm etenim fideles ſubduntur diſpoſitioni Concilii, quam infideles diſpoſitioni Chriſti Domini, & diſpoſitio iſtius eſt innixa iuri naturali, non ſic diſpoſitio illius. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ad euitandam culpam ſufficit ignorantia inuincibilis præcepti irritantis, quæ licet in foro externo, in quo vim habent, & attenduntur præſumptiones, non præſumatur, in foro tamen interno animæ, in quo nudè veritas attenditur, poteſt habere locum præcipuè in ordine ad culpam, quæ conſurgit, ſecundum quod res eſt, non ſecundum quod præſumitur, & apparet; ſed talis ignorantia vtique poteſt eſſe eo, quod indiſſolubilitas matrimonij non procedit ex principijs naturæ per ſe notis, ſed deducitur per remotas conſequentias, & infidelibus lex euangelica ſecundum aliquas partes, & præcepta poteſt non innoteſcere, ergo &c.

13 Etiam ſi ipſe repudians in celebratione ſecundi contractus in ſtatu infidelitatis fuerit ignarus irritationis libelli repudij.

Hinc alia ſuboritur difficultas, an, ſi ſcilicet infideles contraxerint matrimonium, & eodem per repudium diſſoluto nouas nuptias inierint pro tempore, quo Chriſtus viuens in hoc ſæculo non dum legem repudij reuocauerat, & poſtea eadem lege reuocata alter ipſorum conuerſus fuerit ad fidem, teneatur permanere cum ſecunda, ſi hæc interpellata voluerit conuerti, an vero, ſi hæc noluerit conuerti teneatur ad primam redire, ſi voluerit ipſa conuerti, an verò nolente ſecunda conuerti poſſit cum alia fideli irrequiſita prima nubere. Abſolutè ſentio, teneri cum ſecunda permanere, ſi voluerit ad fidem conuerti, & ipſa renuente conuerti non teneri ad primam redire, ſed poſſe cuicunque voluerit nubere. Ratio ex eo deducitur, quia ante legem euangelicam Chriſti Domini irritantis libellum repudij matrimonium cum ſecunda contractum repudiata prima ſtante diſpenſatione Dei *Deuteron.* 24. validum erat, & efficax & primum abſolutè diſſolutum, ſed matrimonium ſecundum, de quo loquimur, contractum erat abſolute perſeuerante lege moſaica, in qua permiſſum erat repudium, nec Chriſtus Dominus in lege irritante peremit ius contractuum iam initorum, ſed ineundos prohibuit ſub pæna irritationis, quod colligitur ex verbis textus, per quæ imponitur talis lex irritans *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſeris vxorem ſuam*, vbi ly *dimiſeris* importat tempus futurum ſubiunctiui temporis, quod etiam clarè deducitur ex ſubſequen-

14 Dubium excitatū, & diſſolutum.

ſequentibus, *Machatur*, nam, ſi reſpexiſſet ad preterita, debuiſſet dicere, *Machatus eſt*, & etiam, ex præcedentibus, nam ipſius reſponſio fuit ad interrogationem Phariſeorum, qui petebant, an ex quacunque cauſa liceret dimittere vxores, quæ certe interrogatio referebatur ad tempus præſens, & futurum, non ad præteritum, ergo matrimonium initum cum ſecunda debet abſolutè tenere, & per conſequens, ſi vxor ad interpellationem alterius conuerſi ad fidem annuerit conuerſioni, non poterit cum ipſa diſſolui, nec, ſi ipſa renuerit, erit onus regrediendi ad primam, quandoquidem matrimonium cum ipſa intelligitur legitimè deſſolutum, ſicque poterit conuerſus ad quamcunque voluerit conuerti. Neque dicas, quod, quantumuis matrimonium ſecundum fuerit initum ante promulgationem legis Euangelicæ irritãtis, cõuerſio tamen mariti fuerit poſt eandem promulgatam, adeoque, quod ſtare debeat iuribus poſt promulgationem primæ vxori competentibus; contra enim impugnaberis, quià concurſio ad fidem poſt promulgationẽ efficit quidem, quod non teneatur ſtare matrimonio iam contracto cum ſecunda, ſi ipſa renuerit ad fidem conuerti, non autem infirmat ea, quæ antecedenter ad talem promulgationem fuerunt legitimè inita.

15 **In matrimonio rato poteſt Põtifex diſpenſare.**

Aſſertio VIII. Probabilius eſt, ſummum Pontificem poſſe diſpenſare ex legitima cauſa in matrimonio rato, vt diſſoluatur *Gloſa c. ex publico de conuerſ. coniug. in fin. Abbas c. ex part el 2. eod. tit. nu. 2., & c. fin. de ſponſ. duor Baldus in l. Deo nobis in princip. num. 7 C. de Epiſcop., & Cler. Ancharanus in repet. ſuper cap. canon. de conſtit. num 3 Immola c. fin. n. 5. de tranſact. Felinus c. quæ in Eccleſiarum nu. 20. de conſtit. Socin. Sen. conſ. 28. num 6. lib. 1. Curtius Iun. conſ. 179. num 28. Celſus conſ. 105. nu 12. in fin. Silueſter verb. diuortium num. 4. Menochius conſ. 15. n 9. vol. 1., & de præſumpt. lib. 2 præſumpt. 10. num. 37., & de arbitr. lib. 2. cent. 5. caſ. 455. num. 4.* Ex Teologis *Sanchez. lib. 2. diſp. 14. num 2 Rebelius lib. 2. q. 15. num. 4. Perez. de matrim.* §. 19. *Reginald. lib. 31. n. 33. Henriquez. lib. 11. c. 8. nu. 10. Bellarminus lib. 2. de Monac. c. 38. Caietanus opuſc. tom. 1. tract 28. §. altera ſolutio eſt, Corona confeſſorum 4. part. tract. de matrim c. 8. num. 1* aduerſus innumeram turbam Theologorum relatorum a *Sanchez d. lib. 2. diſp. 14. num. 1.* Potiſſima ratio, quæ me mouet ad hanc aſſertionem, eſt auctoritas tot Pontificum, qui in hac materia diſpenſarunt, reſpectu quorum non eſt præſumenda vſurpatio auctoritatis non competentis. Hos autem Pontifices, qui referuntur diſpenſaſſe, recole apud *Sanchez. lib. 2. de matrimon. diſp. 14. num. 2., & apud Bonacinam q. 2. de matrimon. punct. 11. num. 4.*

Suppoſita iam hac actuali diſpenſatione à pluribus Pontificibus impertita, non erit difficile rationes inquirere, quibus eorum auctoritas innititur, & aduerſantium obiecta eluduntur; & primo recole ea, quæ ſuperius dicta ſunt, nempe matrimonium ratum non habere omnimodam indiſſolubilitatem in ea parte, ſecundum quam eſt in officium naturæ, neque in ea parte, in qua eſt ſacramentum præcisè, neq; hæc indiſſolubilitas competit matrimonio ex rigoroſo iure naturæ, neq; ex principijs per ſe notis deducitur, ſed tantum per remotas conſequentias ergo non eſt, cur Deus, cui cura eſt de bono Eccleſiæ regimine in ordine ad eiuſdem Eccleſiæ vtilitatem, & quodamodo neceſſitatem, non potuerit Pontifici conferre poteſtatem ſuper ea ex iuſta cauſa diſpenſandi, & cum hoc maximè conueniens ſit ad tollenda multa ſcandala in eadem Eccleſia, probabiliſſimum eſt, quod eandem de facto contulerit; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ Chriſtus præcepit in Euangelio. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Non, inquam obeſſe poſſunt, quià, vt ſupra diximus, ea procedunt quoad matrimonium conſummatum, non ſimpliciter ratum. Secundò aduerte, matrimonium ratum, & non conſummatum diſſolubile eſſe in ordine ad bonum contrahentium per ingreſſum in monaſterium, & profeſſionem in eodem, vt ſuperius latè diximus, ergò non erit, cur etiam non ſit diſſolubile ex ſuprema Pontificis auctoritate à Deo eidẽ communicata in ordine ad bonum eiuſdem Eccleſiæ ad euitanda ſcilicet non modica ſcandala in eadem; ideo enim permittitur contrahentibus per ingreſſũ in Religionem, quià hoc redundat in ipſorum commodum ob perfectiorem ſtatum, cur autem ob bonum totius Eccleſiæ non debet dici permitti Pontifici ad non modica ſcandala euertenda? Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ſuperius diximus, indiſſolubilitatem illam, quocunque modo ſumatur, competere matrimonio ex iure naturali diuino etiam ſi illud matrimonium contractum ſit inter infideles, quod à fortiori dicendum eſt de matrimonio rato inter fideles, quod elevatum eſt ad eſſe ſacramenti: Pontifex autem in ijs, quæ iuris naturalis diuini ſunt, & pertinent ad Sacramentum, non poteſt diſpenſare; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià in primis, vt notat *Bonacina quæſt. 2. de matrimonio punct. 11. num 4. verſ. reſpondetur enim Pontificem*, Pontifex non diſpenſaret auctoritate propria humana, ſed auctoritate diuina ſibi communicata, quæ congruentiſſima ratione eidem ſupponitur collata in ijs, quæ non deducuntur proximè ex principijs iuris naturæ per ſe notis, ſed remote, & quæ habent admixtum ali-

**Indiſſolubilitas matrimonij rati non procedit ex principijs per ſe notis.**

**Põtifex diſpẽſaret auctoritate communicata.**

aliquid obligationis humanę. Deinde dici poteſt cum Sanchez, duplex eſſe quodamodo ius naturale diuinum, alterum abſolutum, quod eſt independens à quocunque contractu humano, aliud fundatum in actu, ſeù contractu humano, quod idem dic de ſacramentis, alia enim ſunt independentia à contractu humano, alia quæ in eodem contractu fundantur cuiuſmodi eſt potiſſimum matrimonium; Pontifex quoad ea, quæ ſunt iuris naturalis diuini, & ſacramenti primo modo non poteſt diſpēſare, bene tamē quoad ea, quæ ſunt talia ſecundo modo, non quidem directè, ſed indirectè diſſoluendo contractum.

Dixi, *ex legitima cauſa*: probabiliſſimum enim eſt ſine legitima huiuſmodi cauſa non poſſe Pontificem diſpenſare *Ancharanus conſ. 139. in fin. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 4. num. 14. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c. 54. Abbas c. ex parte el 2. de conuerſ. coniug. n. 3. Menochius de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 10. n. 37. Barboſa ſ. ſolut. matrim. 2. part. rubr. nu. 105.* Ratio ex parte eorum, qui aſſerunt diſpenſare auctoritate diuina ſibi communicata facile ex eo deducitur, quià nemo poteſt, vti auctoritate ſibi commiſſa, niſi ad normam conceſſionis, cum illam auctoritatem non habeat à ſe ipſo; ſed iuxtà hanc ſententiam auctoritas diſpenſandi eſt cōmunicata Pontifici in ordine ad bonum Eccleſiæ regimen, & ad euitanda ſcandala in eadem, & non aliter, ergò ſolummodo ex legitima cauſa euitandi huiuſmodi ſcandala, vbi ſcilicet occaſio eorum viget, poterit diſpenſare, & non aliter: Ex parte verò eorum, qui aſſerunt diſpenſare auctoritate ex vi proprij muneris ſibi competente ex eo deduci poteſt, quià in ijs, quę iuris naturalis ſunt, vbi ratio ſuperior ſe non conformandi non viget, tenetur eidem iuri naturali, & diuino ſe conformare, ergo ſine legitima cauſa non poterit diſpenſare.

*Rationes, cur diſpenſatio huiuſmodi debeat eſſe ex legitima cauſa.*

Occaſione eorum, quæ dicta ſunt ſub hac aſſertione, alia ſuboritur ratio dubitandi, an Pontifex poſſit etiam ex legitima cauſa diſpenſare in matrimonio conſummato infidelium, quando vterq; conuertitur ad fidem, & baptizatur. Prima fronte aſſerendum videtur, Pontificem non poſſe in eo diſpenſare, & fundamentum deſumitur ex ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, nempe matrimonium infidelium eo ipſo, quod conuertuntur ad fidem, & baptizantur immediatè, & abſq; nouo conſenſu tranſire in ſacramentum, & cum conſummatum intelligatur, repræſentat vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. Nihilominus ſentiendum eſt, vtique Pontificem ex legitima cauſa poſſe diſpenſare *Abbas c. ex publico n. 14. de conuerſ. coniug. Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de conuerſ. infidelium in 1. edit. conſ. 1., in 2. conſ. 3. in ſolut. ad ſecundum dubium nu. 12., & ſeqq: Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 17. num 2.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quià ex legitima cauſa Pontifex poteſt diſpenſare in matrimonio rato fidelium, quantumuis hoc propriè ſit ſacramētum, ergo etiam ſi matrimonium infidelium per conuerſionem eorum ad fidem, & ſuſceptionem baptiſmi immediatè, & abſq; alio conſenſu tranſeat in ſacramentum poterit tamen Pontifex ſuper eo ex legitima cauſa diſpenſare; ſi enim non officit ratio ſacramenti quoad fideles, nō video, cur officere poſſit ratio eiuſdem inter infideles nouiter conuerſos ad fidem; Neque obſtare poteſt, quod illud matrimonium ſupponatur inter infideles conſummatum: Non, inquam, obeſſe poteſt, quià pro ſtatu infidelitatis non repræſentat vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, ſed dumtaxat quando conſummatum eſt, poſtquā eſt ſacramentum, quià illa ſignificatio fundatur in ratione ſacramenti; poſtquam autem ſacramentum eſt, non ſupponitur conſummatum, adeoq; &c.

*Etiam in matrimonio cōſummato infideliū, quando conuertuntur ad fidem.*

---

## PRÆNOTIO IV.

### An, & quomodo poſſit probari inter fideles rationem ſacramenti eſſe indiſſolubiliter annexam rationi contractus, & è contrà.

### SVMMARIVM.

*Poſt legem euangelicam inter fideles eſt connexa ratio ſacramenti, & contractus, & ſufficienter euincitur.* 1.
*Euincitur ex ſtrictiſſima indiſſolubilitate contractus.* 2.
*Euincitur etiam ex eo, quod per poteſtatem laicalem non poſſint induci conditiones irritantes.* 3.
*Fidelis excludendo indiſſolubilitatem inualidè contraheret.* 4.
*Soluuntur rationes oppoſita.* 5.

SVB hoc titulo prænot. 2. ſuppoſuimus poſt legem Euangelicam inter catholicos annexam eſſe rationem ſacramenti rationi matrimonij, adeout non poſſit quis velle rationem contractus, non ſacramentum, & ſi hoc intenderet, nec ſubſiſtere matrimonium in ratione contractus; ſed hanc indiſſolubilem connexionem ibi non probauimus. Cum igitur Theologica ſollicitudo exigat, vt ne tantum dictum, ſed etiam rationem



Digitized by Google

dicti cognoſcamus, & comprobemus, quià ſicuti iuriſta erubeſcit ſine lege loqui, ità Theologus dedignatur ſine ratione procedere, ideò ad rationem dicti inueſtigandam præſentem diſceptationem proponimus inquirentes, an & quomodo poſſit probari illa indiſſolubilis connexio.

Multis rationibus conantur euincere, nec illam connexionem inter vtramque rationem indiſſolubilitèr ineſse, nec poſſe efficacitèr probari *Rebellus de oblig. iuſtit. part.2.lib.2.q.5.n.4. & ſeqq Bonacina q.2.de matrimon. punct.5.n.4. Vaſquez tom.2. in tertiam partem D. Thomæ diſp.138. cap.5. in principio, Baſilius Pontius lib.1.c.9. nu.3., & ſeqq. Hurtadus diſp.3. de matrim diff.19. nu.70. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract.c.3.n.323.*, & primò, quià non eſt

Rationes euincentes illam connexionem non ineſſe, nec poſſe probari.

aſſignabilis textus hanc connexionem euincens in ſacris paginis, ſiuè noui, ſiuè veteris teſtamenti, nec alicuius Æcumenici Concilij definitio, nec Sanctorum PP. auctoritas. Secundò, quià in matrimonio ratio ſacramenti aduenit rationi contractus, ſicuti in baptiſmo ſacramentum aduenit lotioni, ſed ratio lotionis naturalis non deſinit eſse ex eo, quod miniſter non intendat efficere ſacramentum, ſed potius ipſum poſitiuè excludere, ergò neque ratio contractus naturalis deſinet eſse ex eo, quod miniſter eiuſdem non intendat, ſeù potius excludat ſacramentum. Tertiò, quià omnibus conſentientibus, ſi fidelis ex Pontificis diſpenſatione contrahat cum cathecumena non baptizata, tenet abſolutè matrimonium, nec tamen tunc eſt ſacramentum, cum cathecumena ante baptiſmum ſit incapax illius. Nihilominus ſit

1 Aſsertio. Poſt legem Euangelicam inter Catholicos, & abſolutè inexiſtit illa inſolubilis connexio inter rationem contractus, & rationem ſacramenti, & ſufficientèr euincitur *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp.10. n. 6. Coninchus 3. part. q. 64. art. 8 dub.3.n.91 Suarez tom 1. de ſacramentis diſp. 13. ſec. 2.* Difficultas non eſt,

Connexio inter rationem contractus, & ſacramenti indiuiſibilis.

quod ratio ſacramenti non poſſit exiſtere ſine ratione contractus, quandòquidem ipſa luce meridiana clarius eſt ſacramentum non poſse ſubſiſtere ſine materia, & forma, cum hæc ſint conſtitutiua eiuſdem; materia autem, & forma ſacramenti ſunt ipſe contractus, qui proindè, ſi non exiſtat ex defectu materiæ, & formæ, non poteſt conſtituere. Tota igitur ratio controuerſiæ eſt, quod non poſſit inter catholicos exiſtere contractus ſine ſacramento, quod ſic

2 Probatur Chriſtus *D*ominus inſtituit, vt matrimonium inter fideles eſset omninò indiſsolubile, & maiori quadam indiſsolubilitate, ac ſit inter infideles iuxtà illud. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, ſed non poteſt eſse tale, niſi ſit ſacramentum, ergò ità inſtituit, vt ſit ſacramentum, & ſine tali ratione non ſit propriè matrimonium. Minor probatur, primò ex *D. Thoma in 4. diſt.31. q.1. art.2. verſ. ſed contrà*, vbi habet, *ſed, indiuiſio quæ pertinet ad ſacramentum ponitur in definitione*, rurſus ibid. in corpore, *ſed indiuiſibilitas, quam ſacramentum importat, pertinet ad ipſum matrimonium ſecundum ſe*, ſecũdo, quià omnimmoda indiſſolubilitas prouenit ex illa ſignificatione vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia per carnem aſsumptam, ſed illa ſignificatio non habetur, niſi contractus matrimonialis ſit ſacramentum, quandòquidem matrimonium inter infideles, quantumuis fuerit conſummatum, non repræſentat illam vnionem indiſsolubilem Chriſti cum Eccleſia, quæ ſolummodò fundatur in eſse ſacramenti, ergò &c.

Contractus matrimonij inter fideles eſt omnino, & ſtrictè indiſſolubilis

Dices primò, Chriſtum Dominum hæc inſtituiſſe ſub ea ratione, ſub qua voluit eſſe ſacramentum, non tamen ex hoc argui, quod rationem ſacramenti rationi contractus ita connexerit, vt noluerit poſſe fidelem velle contractum ſine ratione ſacramenti, vnde poteſt velle matrimonium, prout eſt inſtitutum in officium naturæ, & in ordine ad bona prolis, & fidei, quæ proueniũt ex natura contractus, non in ratione ſacramenti, & ad effectum gratiæ ſacramentalis, nec in ordine ad illam omnimmodam indiſſolubilitatẽ, quæ ex D. Thoma loc. cit. eſt bonum ſacramenti. Sed contrà, quià, ex quo Chriſtus Dominus contractum matrimonialem eleuauit ad eſſe ſacramenti, & ad ſignificandam illam indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia præcipiendo, ne diſſoluatur, videtur quoque implicitè præcipere fidelibus, reſpectu quorum ſolummodo eſt eleuatus ad eſſe ſacramenti, vt taliter contrahant, & non alio modo, vt illud non poſſint diſſoluere ratione eiuſdem eleuationis; ad quid enim præcipere omnimmodam indiſſolubilitatem, ſi contrahentes poſſent illam euitare intendendo contractum præcisè, non ſacramentum? Deinde, quantumuis matrimonium ex genere ſuo fuerit inſtitutum in officium naturæ per iura præcisè naturalia, & deinde exiſtente peccato ordinatum in remediũ concupiſcentiæ, & deinde per Chriſtum eleuatum ad eſse ſacramenti, Eccleſia in ordine ad ſuos ſubditos poteſt aliqua à iure naturæ non præcepta præcipere, ex quorum omiſſione matrimonium irritum habeatur, non ſolum quoad eſſe ſacramenti, ſed etiam quoad eſſe contractus, nec iuuat aſſerere, quod contrahentes ſubditi Eccleſiæ intenderint contractum,

Soluuntur inſtantiæ oppoſitæ.

vt

Digitized by Google

vt præciſè iure naturæ inſtitutum, non ſecundum iura canonica, quæ aduenerunt, & fuerunt adiecta eidem contractui, ergo etiam, cum Chriſtus Dominus inſtituerit inter catholicos, vt matrimonium eſſet ſacramentũ,& omnimmodè indiſſolubile, hocque expreſsè præceperit, ex omiſſione intentionis, quin potius excluſione eiuſdem quoad eſſe ſacramenti facta per contrahentes irritabitur non ſolum quoad eſſe ſacramenti,ſed etiam quoad eſſe contractus, nec eiſdem contrahentibus ſuffragabitur, ſi aſſerant ſe intendiſſe contractum præciſè ſecundum iura naturæ, non ſecundum iura Euangelij, ſeù gratiæ; plus etenim potuit, & poteſt Chriſtus Dominus circa huiuſmodi contractum, quam poſſit Eccleſia; Neque vrgeas, quod Eccleſia ea, quæ præcipit, præcipiat ſub nullitate, quod Chriſtus Dominus non præſtitit; contra enim impugnaberis; quia omiſſio eorum, quæ ſunt de iure diuino in inſtitutione ſacramentorum inualidat omnia ſecundum ſuum eſſe formale, & obligatorium, licet non ſecundum eſſe materiale, & hoc æquiualet præcepto Eccleſiaſtico ſub nullitate diſponenti.

Noua inſtantia, eiuſque ſolutio.

Dices ſecundò ex noſtra probatione inferri, quod inter fideles non poſſit eſſe matrimonium, niſi ſit conſummatum, quandoquidem non niſi vt conſummatum rapræſentat illam vnionem indiſsolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam; cum igitur nos inferamus ex illa omnimoda indiſſolubilitate fundata in illa rapræſentatione per Chriſtum Dominum præceptam indiuiſionem ſacramenti à ratione contractus, adeout non poſſit eſſe contractus ſine ſacramento, per conſequens ſequitur, quod tunc ſolummodo vim habeat contractus, quando habet illam rapræſentationem; illam autem ſolummodo habet, prout eſt conſummatum per ſuperius probata. Sed contra; negatur illatio, nam noſtra probatio eo ſolummodo tendit, vt indicat matrimonium inter fideles debere ex Chriſti inſtitutione habere ordinem ad illam rapræſentationẽ vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia, quam poſtea formaliter conſequitur, poſtquam conſummatum eſt, nec ex hoc ſequitur, quod non ſit verum matrimonium antecedenter ad conſummationem, quandoquidem ſemper inuoluit illum ordinem, vnde, ſi quis contraheret cum actu poſitiuo, & expreſſo excludente illum ordinem ad indiſſolubilitatem, non eſt dubium, quod matrimonium illud non ſubſiſteret; Hac ratione docent communiter, quod matrimonium Deiparæ Virginis cum D. Ioſeph fuerit verum matrimonium, quia licet non fuerit cum ordine explicite ad conſummationem, fuit tamen cum ordine implicito, & ſine poſitiua excluſione illius, quare benè docet *D. Thomas in 4. diſt. 31. art. 3. in corpore*, quod *fides, & proles*, quæ ſunt bona matrimonij, *ſecundum quod ſunt in ſuis principijs, vt pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide debitum ſeruandi fidem, ſine quibus etiam matrimonium eſſe non poteſt, quia hæc in ipſo matrimonio ex ipſa pactione coniugali cauſantur, ita vt, ſi aliquid contrarium huiuſmodi exprimeretur in conſenſu, qui matrimonium facit, non eſſet verum matrimonium, & ſic accipiendo fidem, & prolem, proles eſt eſſentialiſſimum in matrimonio, & ſecundo fides, & tertio ſacramentum.*

Matrimonium Deiparæ fuit cum ordine implicito ad conſummationem.

3 Iura ciuilia non poſſunt inducere cõditiones irritantes.

Probatur ſecundò. Ex quo per Chriſtum Dominum matrimonium eleuatum eſt ad eſſe ſacramenti, non poſſunt iura ciuilia inducere conditiones, quæ requirantur ad validitatem contractus, vel irritantes contractum cæteroqui ex genere ſuo validum, prout docent *Panormitanus in c. 1. de ſponſalib. Siluester verb. matrimon. 2. num. 2. in princip.*, ſed hoc verum non eſſet, ſi inter fideles ſeparari poſſet ratio contractus à ratione ſacramenti, quandoquidem ad contractus merè, & præciſè humanos poſſunt iura ciuilia ad fines licitos, & honeſtos inducere conditiones ad validitatem contractus requiſitas, vel eoſdem contractus irritantes, & reddere perſonas inhabiles ad contrahendum, ergo, ex quo ſublata eſt omnis poteſtas laicalis in ordine ad huiuſmodi contractum inter fideles aſſerendum eſt rationem contractus eſſe indiuiſam à ratione ſacramenti.

Inſtantia, eiuſque ſolutio.

Dices, hac ratione, neque per iura canonica poſſent huiuſmodi conditiones induci, quod tamen falſum eſt, cum plurima impedimenta fuerint de iure Eccleſiaſtico inducta, quæ non ſunt de iure naturæ, & vtique irritantia, & per Concil. Tridentinum tanquam neceſſario requiſita inducta eſt præſentia Parochi, & teſtium, ſine quibus, nec ſacramentum conſiſtit, nec contractus. Sequela probatur, quia ad ea, quæ pertinent ad ſacramenta quoad ſubſtantiam, nempe quoad validitatem Eccleſia nullum ius habet. Sed contrà, quia, ex quo Chriſtus Dominus eleuauit matrimonium ad eſſe ſacramenti conſtituit materiam eiuſdem purè Eccleſiaſticam, & iuris canonici priuatiuè quoad ius ciuile, vnde ad Eccleſiam ſolummodo pertinet, ea, quæ ad ipſam congrua ſunt, ſtatuere, nec propterea ſequitur, quod Eccleſia directè ſe ingerat quoad rationem ſacramenti, ſed ad ſummum indirectè, quatenus diſponit circa modum contractus, qui poſtea eleuatur ad rationem ſacramenti; ex quo patet diſcrimen inter ſacramentum matrimonij, & alia ſacramenta, nam alia ſacramenta vtporè independentia à quocunque contractu huma-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

humano nulli iuri, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ciuili ſubduntur, ſacramentum verò matrimonij vt pote ab humano contractu dependens non excludit ea, quæ iuris eccleſiaſtici ſunt quoad eundem contractum. Si autem inquiras, cur excludat ea, quæ iuris ciuilis ſunt, ſeù inducuntur per illud, non autem ea, quæ inducuntur per ius Eccleſiaſticum, hoc arbitror ex eo prouenire, quia quoad ea, quæ ad ſacramenta pertinent, nec directè, nec indirectè ius ciuile vim aliquam habere poteſt, eo quia Chriſtus eleuando ad eſſe ſacramenti, quodamodo extraxit à quacunque poteſtate laicali.

4 Indiſſolubilitas eſt bonum matrimonij, vt ſacramenti.

Probatur tertiò, quia, ſi quis contraheret matrimonium, & excluderet in intentione poſitiuè bonum prolis, & fidei inualidè omnino contraheret per ea, quæ docet *D. Thomas in 4. diſt. 31. qu. 1. art. 3. in corpore*, & habet *D. Hieronimus contra Iouinianum lib. 1. circa finem*, & habetur in textu *in c. origo quidem 32. qu. 4.*, ergo etiam, ſi fidelis ſtante inſtitutione Chriſti Domini contraheret matrimonium excludendo indiſſolubilitatem, quæ prouenit ratione ſacramenti, & ſignificationis illius vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia inualide contraheret. Conſequentia probatur quià ex eodem D. Thoma ſtante inſtitutione Chriſti Domini eſt illud bonum quoad intentionem eſſentiale matrimonio, ſicuti proles, & fides quoad ſua principia.

5 Solutio argumentorũ

Hinc ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, reſponderi poteſt, & primo ad primam dicendum eſt ſtante Chriſti inſtitutione ſufficienter euinci illam inſolubilem connexionem ex illis verbis *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, per quæ ex præcepto diuino inducta eſt omnimmoda indiſſolubilitas, quæ nequit eſſe ſine ratione ſacramenti, cum in hoc fundetur illa repræſentatio vnionis Chriſti cum Eccleſia, à qua nequit præſcindere catholicus contrahens.

Ad ſecundam reſpondeo primo, quod, quantumuis ſacramentum in re intelligi poſſit aduenire matrimonio, ſecundũ tamen intentionem præintelligi debeat ad illam, & ſic debet vel primo vel æque primò ſecundũ illam intendi aſſerente *D. Thoma loc. cit. ad primum*, quod finis in intentione eſt primum in re, ſed ſecundum conſecutionem eſt vltimum. Secundo dici poteſt, quod, quantumuis adueniat rationi contractus, ſequatur quidem, quod non deſtruatur per illius negationem contractus quoad eſſe materiale, non autẽ quoad eſſe formale, & obligatorium, ea proportionali ratione, qua deſinente ſacramento baptiſmatis per excluſionem debitæ intentionis in miniſtro non deſinit quidem ablutio ſecundum eſſe materiale, deſinit tamen quoad effectum principalitèr intentum in tali actione.

Ad tertiam iam patet ex ſuperius dictis, quid ſit reſpondendum, quantumuis etenim ex parte infidelis, non ſubſiſteret in ratione ſacramenti, cum illius omninò ſit incapax, ſubſiſtit tamen ſub ea ratione ex parte fidelis, vt etiam tenet Bonacina, quantumvis directè aduerſetur noſtræ aſſertioni. Deindè dici poteſt, quod aſſertio procedat, quando inter vtrumque catholicum initetur contractus matrimonialis, non alitèr, nec alio modo.

## PRÆNOTIO V.

### Quid propriè ſit matrimonium.

### SVMMARIVM.

*Ethimon nominis matrimonij.* 1.

*Matrimonium in fieri, prout præſcindit ab eſſe ſacramenti, eſt mutuus duorum habilium conſenſus verbis, vel ſignis expreſſus, quo ſibi inuicem tradunt corpora, ſeque viciſſim obligant ad indiuiduam vitæ ſocietatem.* 2.

*Matrimonium in fieri, prout importat ſacramentum, eſt mutuus duorum habilium contractus ex Chriſti inſtitutione eleuatus ad ſignificandum &c.* 3.

*Gratia ſpecialis in ſacramento matrimonij confert ad perficiendam naturam in ordine ad perfectam aſſecutionem bonorum matrimonij, & ad euertendas difficultates in ordine ad ipſam.* 4.

*Definitio matrimonij in facto eſſe.* 5.

INueſtigato iam quæſito, an ſit matrimonium, tàm quoad ſtatum iuſtitiæ originalis, quam quoad ſtatum legis naturæ, & quoad ſtatum legis euangelicæ, etiam ſecundum ſuas præcipuas qualitates indiſſolubilitatis, iam deſcendimus ad quæſitum, quid ſit, quod duplex eſſe poteſt, vel quoad quid nominis, vel quoad quid rei. 1

In ordine ad primum matrimonium, prout aſſerit *Gellius lib. 18. c. 6.* deriuatur à matris nomine, eo quià illud contrahitur, vt indè mulier mater efficiatur, vel vt aſſerit *Gregorius IX. c. 2. de conuerſ. infid.* à matris munere, ſeù onere, quatenus ipſa ante, & in partu, & poſt partum labores ſuſtineat, vel vt alii loquuntur ab eadem potius dicitur matrimonium, quam à Patre, quià ſemper ipſa certa eſt, & pater incertus. Quamuis autem regularitèr dicatur matrimonium, non reſpuit tamen alia nomina nempe conyugij, vel nuptiarum; coniugij quidem nomenclatura deſumpta ab effectu, quatenus efficit,

Vndè deſumatur ethimologia matrimonij

Digitized by Google

cit, vt duo ita coniungantur, vt fiant in carne vna; nuptiarum verò denominatione deſumpta à velamine, quo virgo in benedictione obtegitur, vel ad oſtendendam ſubiectionem viro, vel in erubeſcentiam peccati commiſſi à prima muliere, dum fuit à ſerpente decepta; vndè Rebecca, Geneſ. 32. obuiam veniens Iſaco viro ſuo caput ſuum velauit. His quoad nomenclaturã, ſeù ethimologiam nominis præmiſſis.

In ordine ad ſecundum ſcilicet quoad eſse rei, ſeù quoad formalem definitionem quidditas erit attingenda, vel prout afficit matrimonium ſecundum ſuum purum eſse naturale, vel prout illud afficit ſecundum quod dicit eſse ſacramenti. Pro quo aduertendum eſt, in matrimonio plura poſse conſiderari, de quibus poteſt eſse controuerſia, quodnam ex illis ſit tale, vt ſit formale conſtitutiuum eiuſdem; primo mutuus conſenſus; ſecundò externus contractus; tertio mutua corporum traditio. Quarto vinculum illud coniugale. Quinto obligatio ad reddendum debitum. Sexto vſus, & conſummatio. Porrò aduerte, quod, quando diximus in matrimonio interuenire mutuam corporum traditionem hoc non ſit intelligendum quoad dominium, vt bene notant *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 3. dub. 2. n 6. Laiman lib 3. tract. 10. part. 2. c. 1. n. 1. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 10. num.* 183. ne teneamur dicere coniuges ſibi adinuicem eſse mancipia, ſed ſolummodò quoad vſum à iure non prohibitum, vndè cum dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier* intelligendus eſt quoad ea, quæ pertinent ad eundem vſum, ità vt alter impedire non poſſit alterum ſine legitima cauſa ab eodem vſu. Rurſus matrimonium ipſum conſiderari poteſt dupliciter, vel ſcilicet in fieri, prout actu fit contractus, vel in facto eſſe, ſcilicet pro permanente, vel quaſi perpetuo iugo viri, & fæminæ. Quibus ſic conſideratis ſit.

*Quæ interueniant in matrimonio.*

2 Aſſertio I. Matrimonium in fieri prout præſcindit ab eſſe ſacramenti poteſt ſic definiri. Eſt mutuus duorum habilium conſenſus verbis, vel ſignis expreſſus, quo ſibi inuicem tradunt corpora, ſeque viciſſim obligant ad indiuiduam vitæ ſocietatem. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 10. n. 182. & ſeqq.*, & in hanc exiſtimo omnes, tàm Iuris canonici interpretes, quam Theologos conſentire.

*Definitio matrimonij, prout contractus eſt.*

Probatur. Quæcunque res in fieri conſiſtit in eo, per quod receditur à non eſſe ſimpliciter, vel à non eſſe tali, & primum conſtituitur, vel in eſse ſimpliciter, vel in eſse tali, ſed per illum actualem, & mutuum conſenſum duorum habilium, quo ſe inuicem obligant ad illos effectus in aſſertione numeratos ſit tranſitus à non eſse coniugij ad primum eſse eiuſdem inter eaſdem perſonas conferentes illum mutuum, & actualem conſenſum, ergò &c. Minor probatur, quià eo ipſo, quo adinuicem præbent illum conſenſum ponunt primo materiam, & formam quæ dant eſse contractui matrimoniali. Dixi *verbis, vel ſignis expreſſus*, quià cum ſit contractus inter homines debet eſse ſenſibiliter manifeſtatus, non enim ſibi adinuicem corda, & internos animi affectus ſcrutantur: Dixi, *quo ſibi inuicem tradunt corpora*, quod intellige de actuali iure ad eadem corpora, non quidem quoad dominium, ſed quoad vſum coniugalem, & alios à iure non prohibitos. Dixi *ad indiuiduam vitæ ſocietatem*, per quas particulas indicatur inſolubilitas, quæ conſurgit ex illa mutua traditione iuris in corpora, *Dixi, duorum habiliũ*, hoc eſt ad prolis generationem, nempe maris, & fæminæ, & qui vel à natura, vel à iure non interdicantur contrahere.

Aſſertio II. Matrimonium in fieri, prout importat ſacramentum poteſt ſic definiri. Eſt mutuus duorum habilium conſenſus ex Chriſti inſtitutione eleuatus ad ſignificandam vnionem indiſſolubilem Chriſti, cum Eccleſia, quo ſua corpora ſibi inuicem tradunt, ſeque obligant ad indiuiduam illam vitæ ſocietatem, atque ſic ſumptum eſt ſecundum ſe productiuum gratiæ. Conſentiunt ferè omnes, dum dicunt eſt ſacramentum coniunctionis maritalis inter perſonas habiles indiuiduam vitæ &c. Hic nota, quod, dum definitur matrimonium, prout eſt ſacramentum, debeat neceſſariò definiri in fieri, quandòquidem omnia ſacramenta nouæ legis, ſi excipias ſacramentum Euchariſtiæ, conſiſtunt in actione tranſeunte, & tunc ſunt, dum fiunt, & non alitèr, vt tradunt communitèr Theologi in tertiam partem *D. Thomæ*, dum de ſacramentis in genere. 3

*Definitio matrimonij, vt ſacramentum eſt in fieri.*

Quoad alias omnes particulas definitio patet ex dictis in præcedenti aſſertione; non enim Chriſtus *D*ominus per illam inſtitutionem deſtruxit matrimonium, quod erat inſtitutum in officium naturæ, & in remedium concupiſcentiæ poſt peccatum originale ſecundum ſuam materiam, & formam, ſed tantum illud eleuauit ad supereminentiam ſacramenti ad illam ſignificationem vnionis indiſſolubilis Chriſti cum eccleſia. Dum igitur in præſenti dicitur: *Ex Chriſti inſtitutione eleuatus* inferunt Sancti PP., & Concilia, quod translatum fuerit in numerum ſacramentorum nouæ legis, prout definitum

Digitized by Google

tum eſt *in Concil. Florent. in inſtruct. armenorum, & in Trident. ſeſ. 7. can. 1.*, & vlterius colligitur *ex illo Apoſtoli ad Epheſ. 5. Hoc ſacramentum magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, & ſic etiam indicatur illa miſtica ſignificatio vnionis eiuſdem Chriſti cum Eccleſia, de qua ſupra dictum fuit. Dixi *atque ſic ſumptum eſt ſecundum ſe productiuum gratiæ*, quod eſt de ratione omnium ſacramentorum, prout latè traditur in quæſtionibus de ſacramentis in genere; neque hic audiendi ſunt aliqui, qui *apud D. Thomam in 4 diſt. 26. qu. 2. art. 3.* aſſerunt matrimonium non eſſe cauſam gratiæ, ſed tantum ſignum, qui forte ex eo colligunt, quod omne ſacramentum conferens gratiam confert ipſam ex materia, & forma ſua; ex materia autem, & forma in matrimonio, quæ ſunt actus, & conſenſus contrahentium non poteſt gratia conferri, tùm quia per proprios actus naturales, nemo poteſt gratiam acquirere, & contrarium aſſerere eſt Pelagiana hæreſis; tùm quia verba, quibus defertur conſenſus, nullam important ſanctificationem; Non, inquam, audiendi ſunt, quia, vt bene notat *D. Thomas loc. cit. in corpore*, ſi matrimonium, vt ſacramentum eſſet ſolummodo ſignum, non cauſa gratiæ, non differret à ſacramentis veteris legis, nec maiorem efficaciam haberet ſuper illa, neque vim aliquam habent, quæ adducuntur pro probatione, quandoquidem non ſunt actus contrahentium ſecundum ſe, qui cauſant gratiam, ſed iiſdem, prout cauſant nexum quendam, qui eſt ſacramentum, & huiuſmodi nexus ex virtute diuinæ inſtitutionis diſpoſitivè, vel in aliorum ſententia effectiuè inſtrumentaliter operatur ad gratiam, & licet verba, quibus defertur conſenſus nullam ſecundum ſe importent ſanctificationem, ſanctificatio tamen oritur ex ipſa eleuatione virtute inſtitutionis diuinæ.

**Secundum ſe eſt productiuum gratiæ.**

4 Hic oritur ratio dubitandi ad quemnam effectum conferatur hæc gratia in ſacramento matrimonij. Aliqui dicunt conferri præcisè in remedium concupiſcentiæ, vt contrahentes eidem poſſint ſatisfacere ſine peccato. Sed hic non eſt ſingularis effectus matrimonij, vt ſacramenti in lege Euangelica, cum etiam in lege veteri hoc haberetur ex ipſa natura actus. Alij dixerunt conferri, vt contrahentes recedant a malo, quatenus mitigat concupiſcentiam, ne extra bona matrimonij feratur, non autem poſitivè inclinat ad bonum aliquod: Sed hos meritò impugnat *D. Thomas loc. cit in corpore*, quia eadem gratia, quæ retrahit à malo, inclinat ex genere ſuo ad bonum, ſicuti idem calor, qui auertit à frigore, inclinat ſubiectum ad calorem. Quamobrem ſentiendum eſt, huiuſmodi gratiam in ſacramento matrimonij vltra effectum cõmunem, quem habet cum gratia cæterorum ſacramentorum ſanctificandi ſubiectum, in quo recipitur, plurimum conferre ad perficiendam naturam in ordine ad perfectam aſſecutionem bonorum eiuſdem matrimonij, & ad euertendas difficultates in ordine ad ipſam. In hanc expreſsè conſentire videntur *D. Thomas in quarto diſt. 26. qu. 2. art. 3. in corp. Sanchez lib. 2. diſp. 10. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia quotieſcunque diuinitus conceditur aliqua facultas congruum etiam eſt naturæ, & gratiæ ordini, vt concedantur auxilia, quibus commode exerceri poſſit illa facultas; cum igitur in matrimonio facultas potiſſimũ detur ad illa tria bona, nempe prolis, fidei, & ſacramenti, potiſſimum conferri debent auxilia in ordine ad illa aſſequenda; primus igitur effectus erit eiuſdem gratiæ, vt parentes valeant piè, & Religiosè prolem educare; atque hic correſpondet primo bono; ſecundus erit, vt ſibi valeant ad inuicem fidem ſeruare, quod, quandoque arduum nimis foret ſine gratia, nec matrimonium ſecundum ſe illam arduitatem poteſt auertere, cum etenim contingat crebrò, vel ſaltem, quandoque alterum coniugem perpetuo morbo, vel notabili deformitate laborare, vel in longinquas regiones abeſſe, & ex actibus præcedentibus coniugalibus libido fuerit excitata, difficile concupiſcentia excitante fides poſſet ſeruari, niſi diuinæ gratiæ ſubſidio humana fragilitas ſolidaretur; Tertius demum erit, vt valeant iugum perpetuum ſuſtinere, cum etenim nulla lege coniugale vinculum poſſet diſſolui, cum non amplius admittatur libellus repudij, debuit robur adiici, quo poſſent in eodem fortiter, & ſuauiter firmari.

**Effectus ſpecialis gratiæ matrimonij, in quo conſiſtat.**

Aſſertio III. Matrimonium in facto eſſe conſiſtit in illo vinculo coniugali perpetuo, & inſolubili, quod reſultat ex illo mutuo conſenſu in ordine ad præcitatos fines; vnde ſic poteſt definiri. Eſt mutua permanens obligatio ſeruandi ſocietatem vitæ perpetuam, & fidem in ordine ad prolis generationem &c. *Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. cap. 10. num. 184. in fin., & c 11. nu. 5., & 6. D. Thomas in 4. diſt. 27. qu. 1. art. 2. quæſtiuncul 1. ad 2. Victoria ſumma de matrim. num. 246. Henriquez lib. 11. de matrim. c 8. num. 2.* 5

**Definitio matrimonij in facto eſſe.**

Duplici potiſſimum ratione hæc aſſertio euincitur, altera poſitiua, altera negatiua. Poſitiua ex eo deducitur, quia vt bene notat *D. Thomas in 4. loc. mox cit. ad ſecundam* matrimonium quoad eſſentiam eſt in genere coniunctionis, & ideo appellatur coniugium; hæc autem coniunctio

iunctio

iunctio in alio non poteſt congruentius conſiſtere, niſi in illa obligatione permanenti conſurgente ex mutua traditione, quod clarius innoteſcet ex ratione ſequenti. Negatiua, quia non eſt aliud aſſignabile, in quo congruentius poſſit conſiſtere; non ipſe conſenſus internus, & externus ſecundum ſuum eſse formale, quia non perſeuerant; non ipſa actualis corporum traditio, quia hæc etiam pertranſit permanente in ſuo eſse matrimonio; non obligatio ad reddendum debitum, quia, ſi alter ex coniugibus adulteretur, non obligatur alter ad reddendum debitum, & tamen perſeuerat matrimonium, ergo &c.

---

## PRÆNOTIO VI.

### Quid in matrimonio ſit res, quid ſacramentum, quid res ſimul, & ſacramentum.

*SVMMARIVM.*

*In matrimonio res tantum eſt gratia, ſacramentum ſunt ipſi actus contrahentium, res vero, & ſacramentum eſt vinculum illud coniugale indiſſolubile.* 1.

*Cur potius indiſſolubilitas dicatur res, & ſacramentum in matrimonio, quam auxilia actualia.* 2.

COmmuniter conueniunt Theologi in quæſtionibus de ſacramentis in genere, quod in vnoquoque ex ſacramentis nouæ legis datur res tantum, ſacramentum tantum, res ſimul, & ſacramentum. Nomine autem rei in præſenti non venit id, quod eſt cuiuslibet ſacramenti materia, prout panis triticeus v. gr. dicitur materia ſacramenti Euchariſtiæ, aqua naturalis materia baptiſmi, & ſic de cæteris; nec item nomine ſacramenti venit id, quod eſt ſignum ſacrum, & quidem practicum gratiæ, ſed nomine rei id, quod ſignificatur, & non ſignificat, nomine ſacramenti, id quod ſignificat, & non ſignificatur, nomine rei ſimul, & ſacramenti, id, quod ſignificatur ſimul, & ſignificat *Hugo de Sancto Victore tom. 3. lib. 2. de ſacrament. part. 8. c. 7. Magiſter in 4. diſt. 22. D. Thomas 3 part. q. 84. art. 1. ad tertium, Cacheranus in ſua Theol. aſſert. tract. 8. de ſacram. in gen. c. 1. num. 67.* His poſitis.

Quid veniat nomine rei, quid ſacramenti, quid nomine rei ſimul, & ſacramenti.

1 Quid ſint in particulari in ſacramento matrimonij.

Aſſertio. In matrimonio, prout ſacramentum eſt, res tantum eſt gratia, quæ per ipſum cauſatur, ſacramentum ſunt ipſi actus contrahentium, res vero, & ſacramentum eſt vinculum illud coniugale omnino indiſſolubile *Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 10. num. 3. D. Thomas in quarto diſt. 26. quaſt. 2. art. 2. ad quintum, Cacheranus loc. cit. num. 68.*

Probatur ex acceptione rei tantum, ſacramenti tantum, rei, & ſacramenti ſupra expoſita. Gratia ſacramentalis in matrimonio ſignificatur tantum, & non ſignificat aliud ſacramentaliter. Rurſus actus contrahentium facti ſenſibiles, vel per verba, vel per nutus, vel per alia ſigna ſenſibilia ſignificant vnionem Chriſti per gratiam cum Eccleſia, & fortè eiuſdem per vnionem hypoſtaticam, nec tamen ſignificantur, nam licet ipſi actus interni ſignificentur, ſeù manifeſtentur per exteriora ſigna, vel verba, prout tamen conſtituunt vnum conflatum ex ſe ipſis, & verbis ſignificant, & non ſignificantur. Tandem indiſſolubilitas, ſeù indiſſolubilis nexus, ſicuti maior eſt, & ſpecialior in ſacramento matrimonij, vt tale eſt, quam in eodem matrimonio, vt non eſt ſacramentum, ità per ſacramenti formam, materiamque ſignificatur, ſignificat vero, tùm gratiam, tùm coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, verbi cum humanitate; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur in matrimonio rato, quantumvis ſit ſacramentum inter fideles non eſſe maiorem indiſſolubilitatem, ac ſit in matrimonio conſummato infidelium, quandoquidem, ſicuti hoc diſſolui poteſt per conuerſionem alterius ad fidem, vel per Pontificis diſpenſationem, ſi vterque conuertatur ad fidem, ita matrimonium ratum diſſolui poteſt per alterius conuerſionem ad Religionem, vel etiam per Pontificis diſpenſationem ex legitima cauſa, vt ſupra probauimus, ſicque illam indiſſolubilitatem non eſſe rem, ſeù id, quod ſignificatur in ſacramento matrimonij; Non, inquam obeſſe poteſt, quia denegari non poteſt, quin ſit ſpecialis indiſſolubilitas in matrimonio rato fidelium, vel ſaltem indiſſolubilitas nouo titulo, quæ non eſt in matrimonio, quantumvis conſummato infidelium, quandoquidem hæc eſt tantum de iure diuino naturali, vt ſupra probauimus, illa verò ex Chriſti inſtitutione cum limitatione dumtaxat, niſi meliorem ſtatum elegerit Religionis, ſicque hæc ſpecialis indiſſolubilitas, ſeù vt nouo titulo inducta ſignificatur, quod ſufficiens eſt ad præſens inſtitutum. Dicere etiam potes ſignificari in matrimonio, vt ſacramentum eſt, indiſſolubilitatem omnimodam ſaltem radicalitèr, quæ conſiſtit in eo, quod, ſi ponatur conſummatio, ſeù copula ſit omnimoda formalitèr, quod non militat in matrimonio infidelium.

Ex dictis collige, in hoc matrimonij ſacramento, id quod eſt res ſimul, & ſacramentum eſſe effectum formalem primarium ad differentiam aliquorum aliorum ſacramentorum, in quibus ſolet eſſe effe-

ctus ſecundarius, & licet in eodem matrimonio alia etiam adinueniantur, quæ ſunt effectus ſecudarij, & ſignificant ſimul, & ſignificantur, non propterea propriè dicuntur res, & ſacramentum; Hoc videre eſt in auxilijs actualibus, quæ ex vi ſacramenti conceduntur ad ſuſtinenda matrimonij onera, quæ quidem ſignificantur à ſacramento, & gratiam ſignificant, nec propterea ſolent denominari res, & ſacramentum. Si autem inquiras, cur, cum tàm auxilia huiuſmodi actualia, quam indiſſolubilitas illa in matrimonio ſignificetur, & ſignificet, potius iſta dicatur res, & ſacramentum, quam illa, reſpondebit *Cacheranus dict. tract.* 8. *c.* 1. *n.* 75. *in fine*, non aliundè deſumi, quam ex vſu ſcolaſticorum. Adderem pro ſtatu præſenti hanc congruentem rationem, quià principalius in matrimonio importatur illa indiſſolubilitas, tanquam magis propria ipſius, & vbi concurrunt plura, quibus adaptari poſſit aliqua ratio, quod tribuatur principaliori nulla habita ratione de alijs minus principalibus. Aliam rationem congruentiæ in vniuerſum, cur potius vni effectui ſecundario, quam alteri tribuatur ratio rei, & ſacramenti ſimul, quandò, vterque effectus ſignificatur, & ſignificat aſſignat *Lugus dum de ſacrament. in genere diſp.* 1. *ſect.* 8. *n.* 169., ſed ſi benè expendatur huiuſmodi ratio, nec ſufficiens eſt, nec vniuerſalis.

2 Auxilia actualia, cur non dicantur res ſimul, & ſacramentum.

## PRÆNOTIO VII.

An ſacramentum matrimonij ſit vnum, an verò duplex, ſiuè adæquatè, ſiuè inadæquatè.

### SVMMARIVM.

*Sententia aſſerens eſſe vnicum tantum ſacramentum*. 1.
*Sententia aſſerens eſſe duo*. 2.
*Aſſerens eſſe vnum adæquatè, inadæquatè duo*. 3.
*Sententia auctoris eſſe in fundamento vnum, in effectu virtualiter duplex*. 4.
*Conciliantur quodamodò extremæ ſententiæ*. *num.* 5.

NON inuitus hanc difficultatem examinandam aſſumo, quandòquidem multum conducit ad explicanda ea, quæ ſuperius attigimus, dum de matrimonio fidelis ex Pontificis diſpenſatione, cum cathecumena non baptizata, reſpectu cuius non poteſt eſſe ſacramentum, cum ante baptiſmum ſit incapax ipſius; ſi enim aſſeramus eſſe vnum indiuiſibilitèr ex conſequenti ſequitur, quod reſpectu neutrius ſit ſacramentum, ſi verò aſſeramus eſſe duplex, vel adæquatè, vel inadæquatè ſaluabitur ratio ſacramenti reſpectu fidelis, licet non reſpectu cathecumenæ. Triplicem quoad hanc controuerſiam inuenio ſententiam.

Prima eſt, *Petri de Ledeſmam de matrim. q* 42. *art.* 1. *dub.* 3. *ad* 3. *Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 2. *num.* 1. *in initio*, aſſerentium eſſe vnum numero, ſicuti eſt vnus contractus, atque hæc videtur communior. Ratio præcipua huius ſententiæ ex eo deducitur, quià ſacramentum reſtringitur ad normam contractus, quem eleuat, & circà quem verſatur tanquam circà materiam proximam, & propriam, ſed ratio contractus non poteſt eſſe, niſi vna numero, quæ indiuiſibilitèr reſpicit vtrumque contrahentem, quandòquidem, cum contractus ex genere ſuo ſit vltrò, citroque obligatorius, non poteſt claudicare, & eſſe in vno tantum ex contrahentibus, ergò etiam & ratio ſacramenti, non poteſt eſſe, niſi vna numero, nec repeririri poteſt, niſi in vtroque contrahente. Accedit, quod matrimonium eſt vnicum ſignum repræſentans vnionem Chriſti cum Eccleſia, ſed hæc repreſentatio, vt potè fundata in ratione ſacramenti non poteſt eſſe in vno ſolum, ſed in vtroque ſimul, ergò debet eſſe vnicum reſpectu vtriuſque. 1

Sententia aſſerens eſſe vnum tantum ſacramentum

Secunda ſententia extremè oppoſita, eſt quorundam Neothericorũ apud eundem *Petrum de Ledeſmam loc. cit.* aſſerentium matrimonium eſſe quidem vnicum contractum, non vnum tamen, ſed duo ſacramenta. Ratio huius opinionis ex eo deducitur, quià ſacramenta multiplicantur ad multiplicationem ſuſcipientium, & ſicuti effectus ſacramentalis gratiæ vtrique confertur adæquatè, & diuiſim, nec minuitur in vno ex eo, quod alteri conferatur, ita & ſacramentum vtrique confertur, nec deſinit eſſe in vno, ex eo, quod in altero ex incapacitate ſubiecti eſſe non poſſit. 2

Sententia aſſerens eſſe duo ſacramenta

Tertia ſententia, docet vnum ſacramentum adæquatè, duo tamen partialitèr deſumpta paritate à ſacramento Euchariſtiæ, quod partialitèr multiplicatur in vtraque ſpecie, rationemque ſic efformat, quià ipſi contrahentes per ſuum conſenſum ita ſunt materia, & forma ſacramenti matrimonij, ſicuti ſpecies panis, & vini ſunt materia ſacramenti Euchariſtiæ, ſicuti igitur euchariſtia multiplicatur partialitèr in ratione ſacramenti reſpectu vtriuſque ſpeciei, ita non eſt, cur partialitèr non multiplicetur, matrimonium in ratione ſacramenti reſpectu vtriuſque contrahentis. Quid igitur in præſenti controuerſia concludendum? 3

Sententia aſſerens eſſe vnum adæquatè, inadæquatè duo.

Aſſertio. Quamuis ſacramentum matrimonij 4

Digitized by Google

Eſt vnum in fundamento, in effectu virtualitèr duplex,

trimonij in fundamento ſit vnum, quatenus ex contractu duorum, tanquam ex vnico principio reſultat, nec aliter eſſe poſſit, eſt tamen quoad effectum virtualitèr, & æquiualenter duplex, nec ex eo, quod in vno ceſſet eſſe formalitèr ex incapacitate ſubiecti, ceſsat etiam eſse in alio, qui ſit capax *Sotus in 4. diſt. 26 q. 2. art. 3. Catharinus in opuſc. de matrim. § huius rei gratia, Rebellus de oblig. iuſtitia part. 2. lib 3. q. 9. n. 3. Bonacina de matrim. q. 2. punt. 2. n. 3.*, & quotquot ſuſtinent matrimonium fidelis cum cathecumena nondum baptizata ex Rom. Pontif. diſpenſatione eſse ſacramentum reſpectu fidelis, licet non reſpectu infidelis.

Vt autem clarius, & diſcriminatim per omnia, & ſingula capita in hac aſsertione procedamus, ſingula proferimus, & explicamus. Dicitur *ſacramentum matrimonij in fundamento, & radice eſſe vnum*, quod non aliud importat, niſi quod, quantumvis duo concurrant ex ſui eſsentiali conceptu ad conſtituendum matrimonium, ſe habeant tamen, tanquam vnicum principium, ſine quo non poteſt eſse ſacramentum, ſicuti nec poteſt eſse matrimonium, nec incongrua ſanè ratione hoc decernitur, quandòquidem cum contractus ſit ratio, ſupra quam cadit ſacramentum, ſine eodem vtpotè ſine materia idem ſacramentum non poteſt exiſtere, ſicque fundamentum licet in dualitate perſonarum habilium conſiſtens, eſt tamen vnum in vnitate contractus, qui requiritur tanquam materia, & forma proportionata. Ex eo autem, quod ſacramentum matrimonij non poſſit eſſe ſine ratione contractus, quæ exigit dualitatem perſonarum habilium, non ſequitur, quod ſicuti non poteſt eſſe contractus, niſi reſpectu vtriuſque ſit talis, ità nec poſſit eſse ſacramentum, niſi etiam reſpectu vtriuſque tale ſit; non ſequitur, inquam, quià licet ſacramentum ſupponat contractum, ſine quo eſſe non poteſt, poſita tamen eius exiſtentia, tanquam fundamento, non eſt, cur non perficiatur ſecundum capacitatem ſubiecti formalitèr quidem, & in actu ſecundo reſpectu fidelis, eo quià hic eſt capax ſacramenti, radicalitèr, & in actu primo reſpectu non baptizati, quatenus ex ſuperius dictis, ſi hic conuertatur, & baptizetur ſit immediatè ſine alio formaliter tale, & in actu ſecundo, vndè quantum eſt ex ſe matrimonium illud eſt ſacramentum reſpectu vtriuſque, ſed deſinit eſse tale reſpectu infidelis ex incapacitate ipſius.

Explicatur quomodo ſit vnum.

Dices, ſi matrimonium ex parte vnius ex eiuſdem incapacitate deſineret eſse contractus, deſineret ex neceſſitate eſſe talis ex parte vtriuſque, ergò etiam ſi ex incapacitate vnius deſineret reſpectu eiuſdem eſse ſacramentum, deſinere etiam debet reſpectu alterius, adeoque reſpectu vtriuſque. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quià ex genere ſuo contractus, vt ſit obligatorius, debet eſse inter duos actu, & formalitèr, ſacramentum autem ex genere ſuo non exigit illam dualitatem perſonarum, & licet ſpecialitèr in matrimonio exigat contractum, tanquam materiam, qui nequit eſse, niſi inter duos, exigit tamen ſolummodò ex diuina inſtitutione, tanquam ſubſtratum in quo fundari poſſit, non quod ſit tale, vt ſi totum nō ſit capax effectus ſacramenti, etiam id, quod capax eſt debeat tali effectu fruſtrari. Ratio fundamentalis huius aſserti ex eo deducitur, quià reſpectu fidelis ſunt ea omnia, quæ eſsentialitèr requiruntur ad ſubſtantiam ſacramenti, ſcilicet debita materia, proportionata forma, intentio, & capacitas ſubiecti, ergò non eſt, cur reſpectu eiuſdem non debeat ſubſiſtere ſacramentum. Antecedens quoad primam, & ſecundam partem de materia, & forma ex eo euincitur, quià materia, & forma per ea, quæ docuimus *tom 5. ſub tit. de ſponſalibus I prænot. 4., & 5.* nihil aliud importat, niſi conſenſum contrahentium ſub diuerſa conſideratione, quatenus ſcilicet, prout defertur, habeat rationem materiæ, pro vt mutuo acceptatur habeat rationem formæ, prout etiam infra tradèmus, ſed hic ſupponitur vtriuſque contrahentis conſenſus delatus ad inuicem, & acceptatus, ergò quantum eſt ex ſe eſt debita materia, & proportionata forma; neque dicas, quod conſenſus infidelis delatus, & acceptatus, quantumvis ſit proportionatus pro materia, & forma in ratione contractus, non ſit tamen proportionatus pro eiſdem in ratione ſacramenti; contrà enim impugnaberis, quià hæc improportio ad eſse ſacramenti non eſt ex defectu conſenſus ſecundum ſe, ſed ex incapacitate ſubiecti, quod ex eo euincitur, quod ſi poſteà conuertatur ad fidem nullo alio intercedente conſenſu immediatè contractus tranſit in ſacramentum etiam reſpectu ipſius, vt ex allegatis DD. ſupra; ex incapacitate autem vnius præcisè, quandò ſunt omnia requiſita ex parte ſacramenti non debet deſinere eſse ſacramenti reſpectu alterius capacis, vt infra oſtendam. Antecedens quoad tertiam, & quartam partem ex eo euincitur, quià fidelis quantum eſt ex ſe, & eſt capax ſacramenti, & habet intentionem, vel expreſsam, vel ſaltem illam implicitam conficiendi; neque dicas, quod ipſe ſolus non ſufficit eo, quià miniſter exigit dualitatem perſonarum contrahentium in hoc ſacramento ad diffe-

tentiam aliorum; contra enim impugnaberis, quia ad ſubſtratum eſſentialiter requiritur dualitas contrahentium, cæterum eodem ſuppoſito in eſſe, ſi vterque concurrat, & vterque ſit capax, vterque conſequitur eſſe ſacramenti, ſi alter tantum concurrat per intentionem ſacramenti, & ipſe ſolum ſit capax, & non alius, ipſe ſolum conſequitur eſſe ſacramenti in actu ſecundo, & formalitèr, alter verò ſolum radicalitèr, & in actu primo; neque enim æquum eſt, vt qui verum ſacramentum intendit, & eſt capax ipſius fruſtretur ſuo effectu ex incapacitate alterius, cum quo validè, & efficacitèr contrahit.

*Dicitur, eſt tamen quoad effectum, & virtualiter duplex*, quod ex eo euincitur, quod in vtroque contrahente, ſi vterque ſit capax, parit adæquatè ſuum effectum, nec minuitur in vno, ex eo, quod extendatur ad alterum, & ex eo, quod in vno ex incapacitate ſubiecti formaliter, & in actu ſecundo non conſurgat, non tollitur, quin conſurgat, & habeat ſuum effectum adæquatè in altero per ſuperius notata, vnde ſe habet eo modo, quo lumen, quod æque ſecundum ſe poteſt prodeſſe, & cæco, & videnti, licet in actu ſecundo non proſit cæco ex incapacitate.

**Explicatur, quando ſit duplex quoad effectum.**

Reſtringendo iam vniuerſa, quæ diximus, difficultas quoad hanc prænotionem in eo conſiſtit, quod ex incapacitate vnius ex contrahentibus non inualidetur ſacramentum quoad alterum, qui ſit capax, quod vlterius ſic euincitur primò, quià æquum non eſt, quod fidelis legitimè contrahens, & ſine vlla prorſus macula peccati ex alterius incapacitate non conſequatur effectum, qui ex diuina diſpenſatione eſt debitus fidelibus validè, & licitè contrahentibus. Secundò, quià Eccleſia quoad fideles legitimè contrahentes non poteſt ſeparare rationem ſacramenti à ratione contractus, cum hæ duæ rationes ex ſuperius probatis inter huiuſmodi perſonas ſint inſeparabiles ex vi inſtitutionis de iure diuino; ſepararet autem de facto per diſpenſationem, vt fidelis contrahat cum catecumena non baptizata, ſi ex parte neutrius conſurgeret ſacramentum formaliter, & in actu ſecundo, vt per ſe patet. Addunt aliqui tertiam rationem, quià, ſi duo fideles ad inuicem contraherent matrimonium, & alter eorum ex peruerſitate vellet contractum, & nollet expreſsè per excluſionem rationem ſacramenti, vtique reſpectu iſtius non eſſet ſacramentum, & ex parte alterius teneret, ergo &c., non enim æquum eſt, vt ex peruerſitate alterius innocens ſuo fructu, & effectu intento fraudetur; Sed non libenter annuerem huic rationi, quià cum ex ſuperius dictis inter fideles non poſſit ſeparari ratio contractus à ratione ſacramenti eo ipſo, quod alter fidelis ex ſua peruerſitate nollet ſacramentum, non ſubſiſteret etiam ex parte ipſius contractus; quando autem contractus non eſt, non poteſt eſſe ex parte alicuius ſacramentum, cum contractus ſit ſubſtratum ipſius.

Hinc conciliando primam cum ſecunda opinione dici poteſt noſtram conuenire cum prima in eo, quod aſſerit matrimonium eſſe vnum ſacramentum in fundamento; conuenit item cum ſecunda in eo, quod aſſerit in effectu eſſe virtualiter, & æquiualenter duplex. Solum remanet difficultas in explicando iuxta noſtram ſententiam, ſecundum quam aſſeruimus, quod, ſi fidelis contrahat ex diſpenſatione Romani Pontificis cum infideli reſultet ex parte fidelis ſacramentum, quomodo hoc poſſit explicare illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, cuius ex ſui ratione ſignum eſt ſacramentum; vnio etenim illa repræſentatiua non poteſt eſſe, niſi inter duos, qui ratione ſacramenti ſint capaces illius repræſentationis. Sed dicendum eſt in ea hypotheſi illud matrimonium etiam ſic initum ſuo modo repræſentare illam vnionem, licet diuerſimodè, ac quando eſt ſacramentum reſpectu vtriuſque; ſicuti enim reſpectu fidelis eſt ſacramentum formaliter, & in actu ſecundo, reſpectu verò infidelis radicaliter tantum, & in actu primo ita reſpectu illius repræſentat formaliter, & in actu ſecundo reſpectu vero iſtius tãtũ radicaliter, quod ſatis eſt ad præſens inſtitutum, ſecundum quod ſaluatur vnio, licet non ita perfecta ſecundum formalem repræſentationem, qualis eſt, quando vterque eſt fidelis.

**5 Conciliatur ſecundum quid oppoſitæ ſententiæ.**

---

## PRÆNOTIO VIII.

An matrimonium validè contrahi poſſit per Procuratorem, & an tunc ſit ſacramentum, & quando, & an per litteras.

### *SVMMARIVM.*

*Plura de matrimonio per procuratorem remiſſiuè.* 1.

*Matrimonium per Procuratorem, cum legitimo mandato validum eſt.* 2.

*Poteſt etiam validè celebrari per literas.* 3.

*Celebratum, ſiuè per literas, ſiue per Procuratorem tenet etiam in ratione ſacramenti. num.* 4.

***Probabilius tunc ſit ſacramentum, quando per Procuratorem, vel per Epiſtolam ſit applicatio conſenſuum coram Parocho, & teſtibus.*** 5.

Plura

Digitized by Google

1 Plura iam examinata quoad præſentem titulum.

PLura circà hoc quæſitum examinauimus *tom. V. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. prænot.5. ſec. 7. per totum*, vbi de ipſius conſtitutione, an exigat ſpeciale mandatum, & quoad modum, & quoad obiectum, an ſufficiat generale, de ipſius libertate, quatenus debeat libere conſtitui, non per metum cadentem in conſtantem virum reſpectu conſtituentis, de reuocabilitate, an ſcilicet, & quandò reuocabilitas, ſeù reuocatio ſatis ſit ad effectum, vt matrimonium non poſſit per eundem procuratorem validè celebrari, & celebratum poſſit reſcindi; de modo, quo debet deferre conſenſum ſui principalis, an ſcilicet per verba importantia ſe ipſum in recto, & principalem in obliquo, an verò per verba importantia principalem in recto, ſe ipſum in obliquo, & alia huiuſmodi, ad quæ vos remitto, ne actitata repertam ſine neceſſitate. In particulari ſub præſenti titulo inueſtigabimus, an validè per Procuratorem ſuppoſito legitimo mandato iniri poſſit matrimonium. Secundò, an matrimonium ſic per Procuratorem contractum ſit ſacramentum. Tertiò, an tunc fiat ſacramentum, quandò Procurator applicat conſenſum ſui principalis, an verò quandò.

Aſſertio I. Matrimonium per Procuratorem cum legitimo mandato conſtitutum, ſeruatiſque iuris ſolemnitatibus validum eſt. *Couarruuias 2. part. de ſponſalib. c.4.n.8. Marcus Antonius Cucus lib.5. inſtit. maior. tit. 11. num.36 Iulius Sannazarius de ſponſ. c.3. art.4.n.114 Franciſcus Molin. lib. 1. de ritu nupt. comp. 25. num 5. Auguſt. Barboſa tom. 3. collect. ad ius canon. lib. 1. tit. de procurat. c. 9. nu. 1. Henriquez lib. 11. c. 2. §. 2. Sanchez lib. 2. diſp. 11. n. 2 Bonacina de matrim. q. 2 punct. 5. num 1. Baſilius Pontius de matrim. lib. 1 c. 10. n 1. Diana part. 3. reſol 50. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contr. c. 3. nu. 255.*; & aſſertio non ſolum verificatur de iure antiquo, ſed etiam attento nouiſſimo *Concil. Trid. ſeſſ 24. c. 1. de matrim.*

2 Initum per procuratorem tenet.

Ratio primæ partis de iure ſcilicet antiquo expreſſè colligitur *ex c. fin. de procurat. in 6. c. honorantur 31. q. 2., & l. ſufficit, ff. de ſponſal.*, nec incongruæ rationi huiuſmodi iura innituntur, quandoquidem omnes contractus valide iniri poſſunt per Procuratores, niſi lex aliqua obſiſtat, vel ius prohibeat per textum *in l. 1. in fin., & l. licet C. de procurat*, nullibi autem inuenitur ius prohibens, quin matrimonium iniri poſſit per procuratores; Neque ex eo, quod Chriſtus Dominus eleuauerit matrimonium ad eſſe ſacramenti argui ſufficienter poteſt, quod non poſſit contrahi per procuratorem; quandòquidem Chriſtus Dominus ſic eleuando non mutauit materiam, & formam contractus nec ſpecialem modum præſcripſit eiuſdem applicationis materiæ, & formæ, vt infra videbimus.

Ratio ſecundæ partis, ſcilicet attento iure Nouiſſimo Concil. Trid. ex eo deducitur, quià præcipuus finis eiuſdem Concil. *in dict. ſeſſ. 24. cap. 1.* fuit: ad tollenda matrimonia clandeſtina, & ideo præſcripſit aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, vt coram eiſdem conſenſus exhiberetur, & contractus diceretur fieri in faciem Eccleſiæ, ſed interueniente etiam procuratore cum legitimo mandato coram Parocho, & teſtibus matrimonium non eſſet clandeſtinum, ſiquidem exhiberet conſenſus in faciem Eccleſiæ iuxta modum præſcriptum ab eodem Trident., nec ipſum Concilium determinat, quod huiuſmodi conſenſus debeat exhiberi perſonaliter per ipſos contrahentes, nec correxit quoad hoc ius antiquum *in c. 1. de Procurat. in 6.*

Diſputant hic DD., quænam conditiones requirantur ad hoc, vt matrimonium initum per Procuratorem dicatur validè celebratum. Sed in hac diſputatione nos non immorabimur, quandòquidem de ea fusè egimus *tomo V. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſ. I. prænot. 5. ſect. 7.* ad quæ vos remitto.

Diſputant inſuper, an validè poſſit celebrari non ſolum per Procuratorem ex parte vnius interueniente altero principali contrahente coram Parocho, & teſtibus, ſed etiam per duos Procuratores cum ſufficienti mandato neutro ex contrahentibus perſonalitèr interueniente. Sed de hoc etiam latè nos egimus *ibid. nu. 11.* vbi etiam docuimus matrimonium poſſe celebrari per duas fœminas, vel duos maſculos nomine ſuorum principalium cum ſufficienti mandato interuenientes.

Aſſert. II. Poteſt etiam validè celebrari per literas matrimonium, dummodò illæ deferant ſufficientèr conſenſum *Cardinalis Tuſcus tom. 5 concl. 124 Henriquez lib. 11 cap. 2. n. 2. ad fin. Molina de contract. diſp. 51. & diſp. 254 Coninchus diſp. 24 dub. 2. nu. 23. Gutierrez de matrim. c. 69. n. 6. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 12. nu. 3.*, & alij magis communiter. 3 Etiam per litteras poteſt celebrari.

Quoad ius antiquum clarè liquet aſſertum ex tex. *in l. mulierem ff. de ritu nupt., & ex l. ſufficit ff. de ſponſalib.*, hocque expreſſe docent *Gloſa in cap nec illud 30. q. 5 verb. uxor. Felinus c. ex parte num. 10. de reſcriptis, Scotus in 4 diſt. 27. quaſt. 2. in fin. Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 4. nu 11. in fin.*, nec incongrua ratione, quandòquidem litera æquè deferre poteſt conſenſum ſcribentis, ac procurator conſenſum ſui principalis, nec iura in hoc aliquid diuerſum præſcribunt pro matrimonio, ac pro

cate-

Digitized by Google

cæteris contractibus, qui nemine diſcepꝛtante validè contrahuntur per literas.

Quoad ius nouum Concilij Tridentini etiam ſic euincitur. Poteſt ſtante eodem Concilio matrimonium validè celebrari per Procuratorem ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus ad hoc requiſitis per ſuperius probata, ergò etiam poterit eiſdem ſeruatis validè celebrari per literas. Neque dicas, diſparem eſſe rationem de conſenſu delato per Procuratorem, ac de eodem delato per literas, quandòquidem requiritur non ſolum expreſſio conſenſus coram Parocho, & teſtibus, ſed etiam acceptatio; procurator autem habet poteſtatem acceptandi, non ſic epiſtola *Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt.45. art.3. dub. vlt. ad* 1 *Bartholomaus à Ledeſma de matrimon. dub.* 18. *Veracrux append. ad ſpecul. dub.3. in fin.*; contra enim impugnaberis, quià etiam per epiſtolam poteſt contineri modus, quo non ſolum exprimatur delatio conſenſus, ſed etiam alterius promiſſionis acceptatio, vt ſi per epiſtolam deferens ſuum conſenſum ſcribat ſe non ſolum per illam transferre in promiſſarium ius ad ſuum corpus, ſed etiam tunc traditionem alterius corporis ſibi faciendam acceptare, tunc etenim, vt benè notat *Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 2. *num.* 6., ſi illa epiſtola legatur coram Parocho, & teſtibus innoteſcet non ſolum conſenſus proprij delatio, ſed etiam alterius acceptatio, vel ſi, vt refert *Sanchez lib.2. de matrimonio diſp.*12. *num* 3., quis accepta ab altero epiſtola, per quam ille alter transfert ipſi recipienti talem epiſtolam ius in proprium corpus, reſcribat ſe acceptare promiſſionem ſibi factam, ſeque ipſi repromittere tradendo eidem ſuum corpus, tunc etenim, ſi illa epiſtola reſponſiua, & repromiſſoria legatur coram Parocho, & teſtibus præſente eodem, cui facta fuit repromiſſio, & acceptante habentur omnia, quæ non ſolum ſunt requiſita de ratione contractus ex genere ſuo, ſed etiam, quæ ſunt neceſſaria ex diſpoſitione Concil. Trident., vt per ſe patet.

*Quomodo poſſit eſſe acceptatio per literas coram Parocho, & teſtibus.*

4 *Tenet etiã ſic celebratum in ratione ſacramenti.*

Aſsertio III. Matrimonium contractum, ſiuè per Procuratorem, ſiuè per Epiſtolas ſeruatis alijs omnibus iuris ſolemnitatibus non ſolum ſubſiſtit in ratione contractus, ſed etiam in ratione ſacramenti *Scotus in 4. diſt. 27. q. 1. art.3. verſ. at verò, Belarminus lib. 1. de matrim. cap. 5. in ſolut. ad 11. Palacios in 4. diſt.26. diſp.1. verſ. quartò reſpondebis, Philiarchus de offic. ſacerd. tom.1. part.2. lib.2. c.2. Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 42. art. 1. dub. 7. concl.2. Corduba lib. 1. quæſtionarij q. 25. in fin. Couaruias 4. decret. 2. part. c. 1. §. vnico num. 5. Nauarrus c. fratres de panis. diſt. 5. num. 95.* aduerſus *Durandum in 4. diſt.26. q.3. nu.11. Caietanum tom.1. opuſc. tract. 12. de contract. matrimonij q.2. Canum lib.8. de locis Theolog. c. 5. ad tertium.*

Iuxta noſtra principia, ſecundum quæ aſſeruimus inter catholicos inſeparabilem eſſe rationem ſacramenti à ratione contractus, & è contrà vix aliquid habere poteſt difficultatis præſens aſſertio, ſi enim, vt in præcedentibus aſſertionibus probauimus, & admittunt etiam aduerſarij matrimonium illud ſubſiſtit in ratione contractus, non poteſt, non ſubſiſtere in ratione ſacramenti, cum huiſmodi rationes ſint inter ſe indiuiſibiles. Cæterum in quacunque ſententia ſic probatur, quià in hac hypotheſi celebrationis matrimonij, vel per Procuratorem, vel per Epiſtolas ſunt omnia requiſita non ſolum ad rationem contractus, ſed etiam ad rationem ſacramenti, ergò non eſt, cur ſub vtraque ratione non debeat ſubſiſtere, Antecedens probatur, quià eſt proportionata materia, congrua forma, & vtraque ſupponitur congruè applicari; & inſuper debita intentio, & habilitas in miniſtro, nam, vt alibi dicebamus; & infra etiam probabimus, materia, & forma huius ſacramenti conſiſtit in mutuo conſenſu contrahentium, prout defertur, & inuicem acceptatur; hic autem conſenſus hic interuenit, miniſter autem ſunt ipſi contrahentes, qui ſupponuntur velle contractum iuxtà quod præſcribitur à Sancta Rom. Eccleſia, & ſecundum quod inſtitutum eſt à Chriſto Domino.

Dices, quod, quantumvis ſit materia, & forma ſecundum ſe proportionata ad hoc ſacramentum, ſeù ad matrimonium, vt ſacramentum eſt, non eſſe tamen proportionatam applicationem vtriuſque, quando ſit per procuratorem, vel per epiſtolam; Primò quia confectio, & perceptio ſacramenti debent eſſe actiones perſonales, vt videre eſt in alijs omnibus ſacramentis. Secundò, quia alia ſacramenta confici non poſſunt inter abſentes. Tertiò, quia ſicuti hoſtia abſens non poteſt conſecrari, quia in forma pronomen demonſtratiuum *hoc, & hic* deſignat formam præſentem materiæ; ſed etiam in matrimonio duplex pronomen demonſtratiuum interuenit nempe ly *Ego*, & *te*, dum dicitur, *Ego te accipio in meam coniugem*, ergo defectu applicationis non poterit conſiſtere ſacramentum. Sed contra, dico ſufficienter applicationem fieri per Procuratorem, vel per epiſtolas tanquam per inſtrumentum, ſeù cauſam applicantem, quod ſatis eſt in contractibus, vt videre eſt in cæteris omnibus quoad effectum obligationis, in vtroque contrahente inducendæ; ex quo patet diſcrimen, quod intercedit inter matrimonium, & cætera ſacramenta, cum illud ſun-

*Inſtantiæ nonnullæ, earumque ſolutio.*

fundetur in natura contractus, qui poteſt eſſe inter abſentes. Ad primum, quod adducitur ad probandum illum defectum applicationis, dicendum eſt in primis in ſacramentis, prout præciſè ſacramenta ſunt, confectionem, & perceptionem eſſe actiones mere perſonales, non ſic in matrimonio, quod fundatur in natura contractus, cuius propterea conditiones imitatur, & ad cuius normam regitur. Deindè dici poteſt etiam in matrimonio, huiuſmodi actiones eſſe perſonales in eo ſenſu, vt nulla alia perſona ab ipſis contrahentibus verè conficiat, & in ſe recipiat ſacramentum, quantumvis applicatio fieri poſſit per alios nomine eorundem contrahentium. Ad ſecundum iam patet ex dictis, quid ſit dicendum; eſt etenim ſpecialis ratio quoad matrimonium, eo quia Chriſtus Dominus in inſtitutione eiuſdem non extraxit contractum à ſua ratione formali, nec adiecit conditiones, quæ ipſum extraherent à modo, quo per ipſos contrahentes validè iniri poterat, & conſueuerat, & ſolum tali contractui adiecit excellentiam ſacramenti, ſicque quoad hoc ſegregatur à cæteris ſacramentis. Deindè quamvis modo certius ſit, & tutius ex Decreto Clementis VIII. hac de re edito abſolutionem in ſacramento pænitentiæ non poſſe validè impendi abſenti, antea tamen ex nonnullis DD. contrarium aſſerebatur, quod tamen ad hanc rem parum conferre poteſt, quandoquidem pro omni tempore ſentio validè non potuiſſe abſolutionem abſenti impendi. Ad tertium diſparem eſſe rationem aſſerendum eſt de forma conſecrationis reſpectu Euchariſtiæ, ac de conſenſu ad matrimonium, nam quoad illam præſcripta ſunt determinata verba tanquam de neceſſitate, quoad expreſſionem verò iſtius non ſunt certa verba de neceſſitate, ſed poteſt poni per quæcunque verba, nutus, & ſigna ſenſibilia, dummodo apta ſint ad illum conſenſum manifeſtandum.

5
Quandonam fiat ſacramentum.

Aſſertio IV. Probabilius tunc ſit ſacramentum, quando per Procuratorem, vel per epiſtolam ſit applicatio conſenſuum coram Parocho, & teſtibus *Sotus in quarto diſt.27. qu.1. art.3. verſ. ad ſecundum reſpondetur Metina lib.1. ſumma c 16. § 13. Ludouicus Lopez ſecunda part. in tract. de matrimon. c. 35. Petrus de Ledeſma de matrim. qu.42. art.1. ad fin. ante ſolutionem ad ſeptimum, Henriquez lib.11. de matrim. c.2. nu.7. in princip., & fin., & alij magis communiter.*

Ratio ex eo deducitur, quia tunc ſit, & perficitur ſacramentum, quando ſit applicatio materiæ, & formæ, & adeſt debita miniſtri contrahentis intentio, nam poſitis omnibus requiſitis ad aliquem effectum non eſt, cur ipſo iure, & immediatè ille effectus non debeat ſequi, ſed tunc ſit illa applicatio, & ſupponitur debita intentio miniſtri, quando per Procuratorem coram Parocho, & teſtibus defertur conſenſus ſui principalis, quia eo ipſo, quod principalis legitimè conſtituit procuratorem in ordine ad hunc effectum, iam in eundem tranſtulit ſuum conſenſum, & per conſequens materiam, & formam applicabilem, & iam intentionem elicuit conficiendi talem contractum, & ſimul ſacramentum, quæ intentio intelligitur virtualiter perſeuerare, quouſque compleatur contractus, vel fuerit per actum contrarium reuocata.

Dices primò, ſi tunc perficeretur ſacramentum, quando per Procuratorem fieret illa applicatio, contingeret quandoque principalem, qui illum procuratorem conſtituit, conſequi gratiam, quando non eſt diſpoſitus ad illam, vt ſi actu dormiret, vel implicatus eſſet in alijs curis temporalibus, quandoquidem tunc poſſet per Procuratorem fieri illa applicatio, quod tamen non videtur dicendum. Sed contra, quià cum ſacramenta conferant gratiam ex opere operato ſuppoſita diſpoſitione, & requiſitis in ſuſcipiente non eſt, cur, ſi ille, qui conſtituit procuratorem, conſenſum præcedenter elicuerit, eundemque commiſerit procuratori, debitamque intentionem habuerit de ſacramento recipiendo non debeat, quantumvis dormiens, vel alijs curis diſtractus effectum huius ſacramenti ſortiri. Hac ratione docet Sanchez, quod, ſi quis adultus intentionem efficacem habuerit ſuſcipiendi baptiſmum, & baptizatus fuerit dormiens conſequatur gratiam ſacramentalem virtute præcedentis efficacis intentionis habitæ in vigilia, hocque tradit *lib. 2. de matrimonio diſp. 11. num. 32. ad tertium*. Simili ratione docent alij, quod, qui præcedenter meditatus fuit in vigilia crimen atrox, illudque executus eſt dormiens, delinquat læthaliter ratione conſenſus in vigilia præſtiti.

Etiam dormiens reciperet gratiam.

Dices ſecundò. Si tunc perficeretur ſacramentum, quando per Procuratorem defertur conſenſus ſui principalis, & applicatur, directè ſequitur, quod, ſi tunc principalis non eſſet in gratia, ſed in peccato læthali nouum peccatum læthale committeret recipiendo cum obice ſacramentum, ſed hoc non videtur dicendum, quandoquidem ſub onere noui peccati teneretur in gratia perſeuerare quouſque notitiam haberet de complemento contractus, cum certo ſcire non poſſet, quandonam determinatè contractus eſſet complendus. Sed contra non renuo concedere ſequelam, quæ ex inſtantia infertur, habita præcipuè conſideratione ad tempus, quo veriſimiliter procurator eſt contra-

ctturus

Digitized by Google

cturus *Medina lib.1.ſumma c.16.§.13 Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. de matrim. c.35.*, & ratio eſt, quia, cum ſacramenta exigant ſuſcipi cum diſpoſitione, & in gratia, vel ille, qui intendit ſuſcipere non debet mittere procuratorem, vel toto eo tempore debet eſſe diſpoſitus, pro quo probabiliter ille eſt contracturus, ne ſe exponat periculo recipiendi ſacramentum cum obice ad gratiam, ſeù cum peccato lætháli.

## PRÆNOTIO IX.

### An ſacramentum matrimonij cauſet gratiam phyſicè, an tantum moraliter.

### SVMMARIVM.

*Opiniones variæ circa cauſalitatem, vel moralem, vel Phyſicam ſacramentorum in gratiam.* 1.

*Cauſalitatem moralem eiſdem omnes concedunt, & quomodo.* 2.

*Cauſalitas ſacramentorum, duplex altera per ſe, altera per accidens, & qualis.* 3.

*Matrimonium ſuppoſita immediata applicatione conſenſus, ſeruatiſque iuris ſolemnitatibus in ſubiecto diſpoſito cauſat gratiam non ſolum moraliter, ſed etiam Phyſicè.* 4.

*Cauſant gratiam per virtutem à Deo communicatam, & inhærentem entitati eorundem ſacramentorum.* 5.

*Hæc virtus eſt de genere qualitatis.* 6.

*Et vtique eſt ſpiritualis.* 7.

*Cõcurrente nomine alterius legitimo Procuratore ſimul cum altero contrahente probabilius etiam gratia cauſatur phyſicè.* 8.

*Concurrente nomine vtriuſque procuratore probabilius non cauſatur gratia, niſi moraliter.* 9.

*Matrimonium, quod non cauſauit gratiam in ſui productione, propter obicem ſubiecti, remoto obice illam non cauſat Phyſicè, ſed moraliter.* 10.

1 Variæ opiniones circa cauſalitatem ſacramentorum in genere.

GRauis hæc difficultas in ordine ad omnia ſacramenta indiſtinctè examinatur à Theologis in tertiam partem D. Thomæ in quæſtionibus de ſacramentis in genere, vbi eiſdem aliqui aſtruunt ſolam cauſalitatem moralem, vt *Scotus in 4.diſt. 1. qu. 5. §. ad primam ergo quæſtionem, D. Bonauentura ead. diſt. art. 1. quæſt. 4., & 5. Riccardus art. 4. qu. 2. Maſtrius diſp. 1. qu. 4. art. 1. Herinez diſp. 4. qu. 2. Lugus diſp. 4 ſect. 4. Arriaga diſp. 11. ſect. 3.* alij verò eiſdem attribuunt cauſalitatem ſimul Phyſicam, & moralem *Caietanus in tertiam partem D. Thomæ qu. 62. art. 1. Ioannes à Sancto Thoma diſp. 24. art. 1. dub. vlt. Gonetus diſp. 3. art. 2. §. 3. Eſparza lib. 10. q. 24. Madernus in tertiam partem D. Thomæ de ſacramentis in genere q. 3. art. 4. Bellarminus in controuerſ. lib. 2. de ſacrament. in genere c. 11. Cacheranus doctiſſimus meus præceptor tom 3. tract. 8. c. 4. §. 3. num. 32.*, ſed nos, ne prætergrediamur limites præſentium diſceptationum, quas inſtituimus de matrimonio, materiam reſtringemus in ordine ad cauſalitatem eiuſdem ſiue Phyſica ſit, ſiue moralis, ita tamen continere calamũ intra hos terminos non potero, quin aliqua communia ſaltem ad præſens inſtitutum deſeruientia attingam.

Et quidem ſpecialiter in ordine ad hoc ſacramentum matrimonij videtur eſſe ſpecialis difficultas deſumpta ab ijs, quæ diximus in præcedenti prænotione; cum etenim hoc matrimonium perfici poſſit per procuratorem, ſeu per epiſtolam, & tunc quando per eundem perficitur, non adſit Phyſicè materia, & forma, quæ conſiſtunt in actibus contrahentis vtique non videtur cauſari gratia Phyſicè, ſed ad ſummum moraliter, quia cauſa phyſica tunc debet phyſicè eſſe, quod actu cauſat. Pro ſolutione, & vt clarius procedamus. Potior difficultas circa ſacramẽtum matrimonij.

2 Cauſalitatẽ moralẽ gratię in ſacramẽtis omnes concedunt.

Aduerte primo, non eſſe dubium ſacramenta verè, & immediate cauſare gratiam moralitèr, & nullus eſt, qui neget, qui non notetur, aut hæreſi, aut aliqua cenſura, vel nota temeritatis, prout aſſerit *Cacheranus tom. 3. tract. 8. de ſacrament. in genere c. 4. §. 2. num. 16.* Hoc autem, quod eſt cauſare moraliter nihil aliud importat, niſi quod ſacramenta fiant nomine, & in perſona Chriſti Domini, adeoque ſint moralitèr actiones eiuſdem Chriſti, prout docent *Lug. diſp. 4. ſect. 5. num. 74. Madernus tom. 3. de ſacrament. in genere q. 1. art. 3. num. 9. Arriaga diſp. 10. ſect. 1. ſubſect. 2. Cacheranus loc. cit. nu. 22.* Quid enim eſt eſſe moraliter actiones Chriſti Domini, niſi quod à miniſtris ad hoc deputatis ex diuina diſpenſatione fiant nomine, & in perſona Chriſti, quatenus hic præcipiat ea fieri per eoſdem tanquam inſtrumenta propria, qui propterea videtur per ſe ipſum facere, quod per alios facit. Ex eo autem, quod fiat in perſona Chriſti, & ſint actus quodamodo imperati ab ipſius volitione interna habent quandam coniunctionem moralem cum eiuſdem meritis, & participant ſuo modo ex infinita Chriſti perſona dignitatem. Hæc, quæ hactenus diximus de ſacramentis, vt cauſis moralibus gratiæ ſacramentalis procedunt quoad dignitatem, quam habent in ſua origine, & in ſuo eſſe per vnionem illam moralem, & participationem meritorum Chriſti: Cæterum in ordine ad modum cauſandi habent, ſi tantum ſint cauſæ morales, mouere efficacitèr Deum ad produ- Quomodo cauſét moraliter gratiam.

ductionem talis gratiæ in ſubiecto, in quo ſacramenta ipſa recipiuntur, vt per ſe patet; Ex quibus ex aduerſo deduci poteſt, quod cauſare phyſicè ſit Phyſice, & directè influere in effectum per virtutem aliquam inexiſtentem in cauſa ſic operante.

3 Cauſalitas ſacramentorum ad gratiam poteſt ſe habere, vel per ſe, vel per accidens, & quomodo.

Aduerte ſecundo ſacramenta nouæ legis in ordine ad cauſalitatem poſſe dupliciter conſiderari, vel per ſe; hoc eſt ſecundum virtutem, & exigentiam, quam habet ratione ſui, & ſecundum id, quod præſtant ſecundum ſe in ſubiecto, quando hoc eſt bene diſpoſitum, & virtus eiuſdem immediate applicata eidem; vel per accidens ratione ſubiecti indiſpoſiti, vel impedimenti extrinſeci, vel non immediatę applicationis, ex quo contingere poteſt, vt quantumuis aliquod ſacramentum ex genere ſuo eſſet Phyſicè cauſatiuum gratiæ, vel ratione impedimenti, vel non aptæ diſpoſitionis non cauſet, niſi moraliter. Hoc contingere poteſt, præcipuè in ſacramento baptiſmatis, quod, ſi aſſeratur cauſare gratiam Phyſicè ſecundum ſe, eandem non cauſat, niſi moraliter, quando ſuſcipitur cum fictione, nam tunc non producit, niſi recedente fictione, quando autem fictio recedit, ipſum ſacramentum Phyſicè non eſt, quod propterea nequit gratiam Phyſice cauſare. His pro notitia in genere ſuppoſitis.

Rationes dubitãdi in præſenti prænotione.

Id, quod in præſenti prenotione examinandum occurrit in particulari circa matrimonium, eſt primo, an quando immediatè applicatur materia, & forma per ipſos contrahentes bene diſpoſitos, nulloque exiſtente extrinſeco impedimẽto producat ſacramentum in eiſdem gratiam moralitèr tantum, an vero etiam Phyſicè. Secundo, an quando materia, & forma ex parte vnius applicatur per procuratorem altero perſonaliter exiſtente, & exhibente ſuum conſenſum, & repromiſſionem producat etiam gratiam Phyſicè, ſeu per cauſalitatem Phyſicam, an vero tantum per cauſalitatem moralem. Tertio quid dicendum ſit in ordine ad huiuſmodi cauſalitates, quando conſenſus applicatur ex vtraque parte per Procuratores. Quarto, an quando applicatur conſenſus, vel per eoſdem contrahentes immediate, vel per Procuratores, & contrahentes ipſi non ſunt diſpoſiti ratione peccati lethalis in eiſdem exiſtentis recedente obice, vel per contricionem, vel per ſacramentalem pœnitentiam producatur in eiſdem gratia matrimonij, vel Phyſicè, vel moraliter.

4 Aſſertio I. ſacramentum matrimonij, ſi conſenſus applicatur immediate per ipſos contrahentes bene diſpoſitos, & ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus ad hoc requiſitis cauſat per ſe gratiam non ſolum moraliter, ſed etiam Phyſicè *Caietanus in tertia part. D. Thome q. 78. art. 4. Cabrera diſp. 3. concl. 5. Valentia diſp. 3. q. 3. punct. 1. Vega lib. 7. in Trident. c. 11., & 12. Madernus tom. 3. de ſacrament. in genere q. 3. art. 4. Cacheranus tom. 3. tract. 8. c. 4. §. 3. num. 32. Eſparza lib. 10. q. 24.*, qui omnes loquuntur de omnibus ſacramentis, nec ab his quoad hoc ſegregant ſacramentum matrimonij. Quoad cauſalitatem moralem eorundem ſacramentorum in gratiam vix remanet aliquid difficultatis, cum adhoc ſacramenta inſtituta ſint, & eãdem gratiam moraliter continent, prout definiuit *Conſil. Trid. ſeſ. 7. can. 6. de ſacram. in genere* per illa verba, quibus anatematizat eos, qui dixerint *ſacramenta noua legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint accepta per fidem gratia, & nota quadam Chriſtiana profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus*, eandemque cauſant in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini. Quare quoad cauſalitatem Phyſicam

In ſubiecto bene diſpoſito, & poſita immediata applicatione cauſat non ſolum moraliter, ſed etiam Phyſicè.

Probatur primò, ſacramenta nouæ legis non ſolum ſunt inſtrumenta Chriſti Domini, ſed etiam inſtrumenta effectiua Dei, quod præcipue colligitur *ex Concil. Mogontino c. 11.* vbi docet Deum *per ſeptem Eccleſia ſacramenta velut per apta remedia atq; inſtrumenta, & peccatis noſtris mederi, & ſua gratia munera nobis impertiri*, quod etiam in terminis ſingularibus habetur ex illo Matthæi 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, vbi Deus ſupponitur principalis cauſa coniunctionis; Deus autem non eſt cauſa moralis gratiæ in ſacramentis, ſed principalis Phyſica, ergo, & miniſter vtpote eiuſdem Dei inſtrumentum effectiuè Phyſice per ſacramenta operabitur in gratiam, ſeu forte melius eadem ſacramenta erunt cauſa inſtrumentalis Phyſica eiuſdem gratiæ ſacramentalis, cum in eodem ordine debeat eſſe cauſa inſtrumentalis, & principalis.

Sacramẽta ſunt inſtrumenta non ſolũ Chriſti, ſed etiã effectiua Dei.

Probatur ſecundò, quia atributa cauſalitate Phyſica ſacramentis magis explicatur dignitas, & efficacia eorundem, ac ſi ſola eiſdẽ attribueretur cauſalitas moralis, & magis, & congruentius explicatur illud vulgare dictum, quod *ſacramenta id efficiant, quod ſignificant*; ſi autem hæc verificantur in ordine ad alia ſacramenta nouæ legis, non video, cur verificari nequeant in ordine ad matrimonium, quod cõputatur in ſeptenario ſacramentorum numero, ergo congruentius eidem debet attribui cauſalitas inſtrumentalis Phyſica, nec ſufficiet moralis.

Elucet in Phyſica cauſalitate magis dignitas, & efficacia ſacramentorum.

Dices primo recte procedere probationem, ſi poſſet eiſdem attribui cauſalitas Phyſica; non poteſt autem ex genere ſuo

Obiecta aduerſantia aſſerto.

eiſdem competere, quandòquidem de ratione cauſæ Phyſicæ eſt, quod exiſtat, dum actu producit; ſacramentum autem matrimonij ſaltem ſecundum ſe totum non exiſtit; quandò gratia producitur; nam peto, vel producitur, quandò prima ponuntur verba conſenſus, & hoc non, quià tunc non eſt perfecta expreſſio eiuſdem conſenſus, vel quandò ponuntur vltima verba, & hoc etiam non, quià, quandò iſta proferuntur iam prima euanuerunt. Rurſus ſucceſſiuè ponitur promiſſio, & repromiſſio; per promiſſionem autem ſimplicitèr non conſtituitur ſacramentum; quandò autem ponitur repromiſſio, iam ipſa promiſſio Phyſicè non exiſtit. Sed contrà, dico ſacramenta ſecundum ſuum modum exiſtendi proprium exiſtere ſecundum ſe tota, hoc eſt ſucceſſiuè, quandò actu producunt gratiam; inſuper dico cauſare in vltima ſui parte, pro quarum rerum intelligentia duo firmitèr tenenda ſunt; primum quod adhoc, vt dicatur ſucceſſiuum cauſare Phyſicè, ſecundum totum ſuum eſſe, non ſit neceſſe quod omnes eius partes ſimul exiſtant, ſed ſatis ſit, quod aliquid ipſius, exiſtat per quod cæteræ inferantur, vt benè notarunt *Caietanus in tertiam partem D. Thomæ q. 78. art. 4.*, *& Cacheranus tom. 3. ſuæ Theologiæ aſſertiuæ tract. 8 de ſacram. in gen. c. 4. §. 4. num. 76.* nam eſſe ſucceſſiuum conſiſtit in tranſire, & in fieri. Secundum, quod etiam agens permanens, vt operetur Phyſicè, debeat eſſe localitèr indiſtans, quod tamen in agente extenſo non verificatur quoad omnes ipſius partes, ſed tantum ſecundum ſuperficiem, & tamen dicitur ſecundum ſe totum cauſare effectum; ex quibus ad rem noſtram ſic argumentor. Ita ſe habet ad agens ſucceſſiuum præſentia temporis, ſicuti ad agens permanens indiſtantia localis; ſicuti igitur ad actu cauſandum quoad agens permanens ſufficit indiſtantia alicuius partis, dummodò ſit continuata cum alijs, ita ad actu producendum quoad agens ex genere ſuo ſucceſſiuum ſufficit præſentia temporis, ſecundum aliquam partem vltimam, dummodò hæc quoad ſucceſſiuam exiſtentiam immediatè continuetur, cum alijs partibus; Neque vrgeas, diſparem eſſe rationem de agente permanente quoad indiſtantiam localem quoad ſuperficiem, licet non quoad alias partes intimas, ac de agente ſucceſſiuo quoad vltimam partem in præſentia, licet non quoad alias; nam quoad agens permanens reliquæ partes verè exiſtunt, quæ propterea poſſunt operari; quoad ſucceſſiuum verò reliquæ partes non permanent, quæ propterea nequeunt Phyſicè agere; contrà enim impugnaberis, quià ad operandam non ſufficit exiſtentia quomodocunque, cæterum res exiſtens Mediolani poſſet Romæ agere, ſed requiritur exiſtentia indiſtans, ſicuti igitur ſufficit indiſtantia quoad continuationem in agente permanenti, ità & ſufficere poſſe videtur præſentia in ſucceſſiuo quoad immediatam coexiſtentiam; hocque poſtulat natura ſucceſſiui, Dicere etiam poteris cum Cacherano loco ſupra allegato in ea hypotheſi ſacramentum exiſtere, ſecundum ſe totum, dum gratia producitur exiſtentia illatiua, & totius ſucceſſiui, licet non exiſtentia entitatiua, & totius eſſe permanentis.

Sacramenta producunt ſecundum ſe tota iuxtà ſuum modum exiſtendi ſcilicet ſucceſſiuè.

Sufficit præſentia, ſecundum partem, dummodò hæc continuetur, cũ alijs.

Dices ſecundò, ſacramenta omnia nouæ legis, & per conſequens etiam matrimonium cauſant gratiam in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini, vndè *Auguſtinus tract. 120. in Ioannem*, dicit omnia ſacramenta de latere Chriſti fluxiſſe; ſed mors, & paſſio Chriſti Domini non cauſat gratiam Phyſicè, ſed tantum moralitèr, cum nunc non ſit exiſtens, quinimmò nec tunc cauſauit Phyſicè, quandò actu fuit, quià habebant ſolum efficaciam in valore morali, non in aliquo Phyſico, ergo &c. Sed contrà, dici poteſt, quod quandò dicitur ſacramenta cauſare gratiam in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini, hoc non intelligendum ſit de eadem paſſione, & morte in abſtracto, ſed de humanitate Chriſti paſſa, & mortua in concreto, quæ humanitas etiam nunc exiſtit; vel etiam dici poteſt, & fortè melius, quod, quamvis in paſſione, & morte Chriſti Domini fuerit ille valor moralis, de quo dicitur in inſtantia, ille tamen mouerit Deum ad communicandum ſacramentis virtutem aliquam effectiuam cauſatiuam gratiæ; nam ſicuti ille valor potuit obtinere, & de facto obtinuit, vt à Deo nobis conferretur effectus Phyſicus, & realis gratiæ, cur non potuit etiam obtinere, vt eiſdem ſacramentis immediatè vis aliqua Phyſica conferretur productiua per cauſalitatem Phyſicam eiuſdem gratiæ. Tandem dici poteſt, quod cauſent gratiam in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini, tanquam cauſa applicatiua, & diſpoſitiua, effectiuè tamen, & formalitèr in virtute Dei, cuius eſt inſtrumentum, ſicque prout agunt in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini agere, vt inſtrumenta moralia, prout verò agunt in virtute Dei agere Phyſicè, & inſtrumentalitèr.

Quomodò dicantur ſacramẽta cauſare gratiam in virtute paſſionis Chriſti Domini, & tamen cauſare Phyſicè.

Dices tertiò; Si ſacramenta cauſarent gratiam Phyſicè, vel cauſarent per aliquam virtutem ſibi ingenitam, & à ſe ipſis indiſtinctam, vel per virtutem aliquam ſuper additam à *Deo*, & diſtinctam ab entitate eorum ſacramentorum; primum dici non poteſt, niſi talis virtus intelligatur coniuncta cum ſpeciali aſſiſtentia Dei,

Dei, per quam dicitur virtus eleuata; prout autem eſt ſic coniuncta non conſtituitur in actu primo potens, ſed ſolummodò actu cauſans eandem gratiam, atque talis virtus propriè non ineſſet ſacramentis; ſecundum item difficile poteſt ſuſtineri, quià vix explicari poteſt, an ſit ſpiritualis, ſicuti ſpiritualis eſt effectus, quem cauſat, an corporalis, ſicuti corporale eſt ſubiectum, in quo recipitur, an ſit de genere qualitatis permanentis, an verò tranſeuntis &c. Sed contrà, quià vtrumque dictum graues pro ſe habet auctores, & rationes, quibus facilè poteſt defendi, & ideò alterum eorum poterit pro libertate ſine aliqua nota, vel cenſura ſuſtineri.

5 *Cauſant gratiam per virtutem extrinſecā à Deo communicatam, & inhærentem entitati eorundē ſacramentorum.*

Probabilius tamen exiſtimo, impertare virtutem extrinſecam à Deo communicatam, ſuperadditam, & inhærentem entitati eorundem ſacramentorum, quæ eſt de genere qualitatis, & vtique ſpiritualis proportionatæ naturæ, & exigentiæ ſacramentorum quoad durationem. In hanc noſtram ſententiam conſentiunt quoad ſubſtantiam omnes ferè Thomiſtæ, licet aliqui diſcrepent in determinando, an illa qualitas ſit per modum permanentis, an verò per modum tranſeuntis. Ratio ex eo deducitur, primò quià connaturalius eſt cauſis ſecundis operari per virtutem ſibi intrinſecè inhærentem, quam per ſolam extrinſecam Dei aſſiſtentiam. Secundò, quià clarius explicatur id, quod ſupra innuebamus, quod ſcilicet ſacramenta in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini moueant Deum ad conferendam ipſis virtutem Phyſicam cauſatiuam gratiæ, ſicuti mouent Deum ad eandem gratiam nobis conferendam, tanquam effectum Phyſicum, vndè illa virtus ſic collata, quæ in ordine ad gratiam eſt cauſa inſtrumentalis Phyſica, in ordine ad Deum eſt effectus Phyſicus, qui non congruè poteſt dici ſola extrinſeca aſſiſtentia. Tertiò, quià per hanc ſententiam magis ſaluatur dignitas, & efficacia ſacramentorum, nam per virtutem ſibi intrinſecè inhærentem cauſarent gratiam, quæ tunc diceretur effectus proprius eorundem.

6 *Hæc virtus eſt de genere qualitatis.*

Dixi, *quæ eſt de genere qualitatis*, nam propriè debet recipi in eiſdem ſacramentis, vt dicantur apta; & proportionata ad eandem gratiam Phyſicè cauſandam, & per hoc clarius explicatur, quomodo ſacramenta non ſolum cauſent gratiam, ſed reddantur proximè potentia ipſam cauſare, adeò vt prout recipitur conſtituat ſubiectum aptum ad cauſandum, prout ſimul applicatur actu cauſet, & per hoc etiam clarius ſoluitur argumentum aduerſantium ſupra expoſitum aſſerentium non poſſe Phyſicè cauſare, quià totum ſacramentum non exiſtit, quando cauſat gratiam; clarius, inquam, ſoluitur quià poteſt dici, quod remaneat in illa qualitate cauſatiua perſeuerantia in vltima parte.

7 *Et vtique debet eſſe ſpiritualis.*

Dixi, *& vtique ſpiritualis*, quià cauſa proportionari debet effectui, quem cauſat, & eſſe in eodem genere, cum igitur gratia ſit ſpiritualis in ſua entitate debet eſſe talis, & illa qualitas; neque obeſſe poteſt ſi aſſeratur, quod ſubiectum in quo recipitur, ſit materiale, cum conſtitutiua ſacramenti ſint materialia; non, inquam obeſſe poteſt, quià in primis, ſicuti non eſt repugnantia, quod entitas materialis eleuetur ad producendam qualitatem ſpiritualem, vt videre eſt in igne diuinitus eleuato ad producendam qualitatem doloriferam in ſpiritibus damnatis, & in aqua baptiſmatis ad producendam gratiam baptiſmalem, ità non eſt repugnantia, quin eadem entitas materialis eleuetur ad ſuſcipiendam qualitatem ſpiritualem. Deinde dici poteſt præcipuè in terminis proprijs ſacramenti matrimonij, quod illa qualitas recipiatur in anima contrahentium, à qua elicitur ille conſenſus, vel in eodem conſenſu &c.

*Debet eſſe proportionata exigentiæ ſacramentorum,*

Dixi, *proportionata naturæ & exigentiæ eorundem ſacramentorum*, & hoc propter Euchariſtiam, quæ conſiſtit in eſſe permanenti, non in actione tranſeunte, vt videbimus ſuo loco. Cæterum cum alia omnia ſacramenta conſiſtant ſolummodò in fieri, & in actione tranſeunti, qualitas illa debet eiſdem conformari, cum in illis recipiatur, vndè ad deſitionem ſubiecti deſinit.

8 *Concurrente nomine alterius procuratore legitimo ſimul cum altero contrahente probabilius cauſatur gratia Phyſicè.*

Aſſertio II. Concurrente nomine alterius contrahentis Procuratore legitimè conſtituto, ſimul cum altero contrahente principali probabilius etiam cauſatur Phyſicè in ſacramento matrimonij gratia ſacramentalis. Ita doctiſſimus *Cacheranus in ſua Theologia aſſert. tom. 3. tract. 8. c. 4 §. 3. num. 42.* apud quem non videtur difficilis probatio, quandòquidem ipſe ſuſtinet virtutem Phyſicam cauſatiuam gratiæ non conſiſtere niſi in virtute congenita eiſdem ſacramentis, vt coniuncta cum omnipotentia Dei extrinſecùs exiſtente, quæ independens eſt à loco, & poteſt vbicunque operari; nihilominus eaſdem patitur difficultates, quibus premitur aſſertio iuxtà noſtra principia, ſecundum quæ virtus illa Phyſicè cauſatiua conſiſtit in illa qualitate ſuperaddita, quandòquidem cum omnipotentia Dei, ſeù virtus eleuans concurrat cum eodem ſubiecto, quod eleuat, videtur ſolummodo operari iuxtà modum, & qualitates illius, non quomodocunque iuxtà vires propriæ actiuitatis, cæteroqui etiam poſſet operari nullo actu exiſtente concurſu contrahentium. Quamobrem

*Sententia Cacherani eaſdem patitur difficultates,*

Probatur aſſertio, quia, ſi quæ eſſet ratio,

tio, ob quam tunc ſacramentum matrimonij non diceretur operari gratiam Phyſicè, maxime eſſet diſtantia localis, & non actualis exiſtentia conſenſus alterius contrahentis, qui contraheret per Procuratorem, ſed hæc ratio non obeſt, ergo &c. Maior eſt fundamentum aduerſariorum. Minor probatur, quià ea eſt illius qualitatis eleuantis natura, & conditio, vt ſuppoſito conſenſu in vtroque contrahente non reuocato intelligatur finaliter perſeuerare in vltima parte conſenſus contrahentis præſentis, & perſonaliter, & actu ſuum conſenſum deferentis, vt videre eſt etiam, dum duo perſonaliter, & actu contrahunt, quandoquidem primò ponitur per vnum promiſſio, & ſucceſſiuè per alterum repromiſſio, quando autem eſt vltima pars repromiſſionis non amplius actu perſeuerat promiſſio, & tamen virtus

Soluitur ratio oppoſita, & firmatur aſſertio.

cauſatiua ſecundum ſe totam inexiſtit in vltima parte eiuſdem repromiſſionis, quæ ſucceſsiuè ponitur, ergo non reuocato per alterum conſenſu, qui illum defert per procuratorem, poterit vis cauſatiua in contrahente præſente integre perſeuerare, & in vtroque phyſicè cauſare gratiam. Rurſus illa qualitas eſt qualitas Dei principalitèr, & phyſicè agentis, & per illam eleuantis conſenſum vtriuſque contrahentis tanquam inſtrumentum ad agendum effectum illius gratiæ ſacramentalis,

Perſeuerat in contrahente præſenti.

qualitas autem agens in virtute Dei tanquam cauſæ principalis phyſicæ non videtur eſſentialiter certo loco alligata, nam ſicuti Deus per illam eleuat ſubiectum ad operandum ſupra propriam virtutem, ità per illam eleuat ad operandum etiam vltra propriam ſphæram naturalem ſuppoſita applicatione, quæ fit per procuratorem ex parte contrahentis abſentis; vnde dici poteſt, quod ſubiectum ſit indiſtans, & immediatum indiſtantia, & immediatione virtutis diuinæ, cum qua, & per quam mediante illa qualitate operatur, licet non indiſtantia, & immediatione entitatis, & virtutis eiuſdem ſecundum ſe.

9 Concurrente nomine vtriuſque Procuratore non cauſatur gratia, niſi moraliter.

Aſſertio III. Concurrente nomine vtriuſque procuratore, ſi hoc fieri poteſt, vt ſupra probauimus, probabilius eſt tunc matrimonium non cauſare gratiam phyſicè, ſed tantum moraliter. In hanc opinionem propendent, quotquot ſuſtinent ſacramenta cauſare gratiam tantum moraliter *Scotus in 4. diſt.1. qu 5.§. ad primam, ergo quaſtionem, D. Bonauentura ead. diſt. art. 1. qu.4., & 5. Ricardus ibid. art.4. qu.2. Maſtrius diſp.1. qu.4. art.1.*, & ex auctoribus tribuentibus ſacramentis phyſicam cauſalitatem ad gratiam *Cacheranus diſt. tom. 3. tract.8. c.4. §.3. num.42.* licet non ita explicitè proferat ſuum ſenſum, reſtringit tamen aſſertum, quando vnus ex principalibus contrahentibus concurrit ſimul cum procuratore agente nomine alterius.

Ratio ex eo deducitur, quià in illa hypotheſi illa qualitas phyſicè cauſatiua gratiæ, nec actu exiſtit in ſe ipſa, nec in ſubiecto, ergo non poterit phyſicè, & actu operari cauſando illum effectum gratiæ ſacramentalis. Antecedens patet, quià in primis conſenſus, in quo radicatur, actu, & formaliter non exiſtit, ſed tantum virtualitèr, eo quia non intelligitur per poſitiuam intentionem à principalibus reuocatus; deinde ex ſuperius dictis, illa vis cauſatiua deſinit ad deſinentiam ſubiecti, in quo recipitur, cum ſit in genere qualitatis, & deſtructo fundamento ruant omnia, quæ fundantur in ipſo ſaltem per accidens, cum deſinentia terminetur immediatè, & directè in ſubiectum. Conſequentia patet, quia cauſa phyſica debet actu exiſtere, dum actu cauſat, nec ſufficit præexiſtentia in inſtanti immediatè præcedenti, vt latè vidimus in phyſicis aduerſus Thomiſtas, & alios.

Qualitas phyſicè cauſatiua, nec actu exiſteret in ſe ipſa, nec in ſubiecto.

Neque his, quæ hic dicuntur, aduerſantur ea, quæ diximus in prima aſſertione præſentis prænotionis, nempe ſacramenta omnia per ſe cauſare gratiam phyſicè, quaſi quod, ſi eandem non cauſent phyſicè, nec poſſint cauſare moralitèr; non, inquam, aduerſantur; quandoquidem eiſdem ſacramentis non ſolum ineſt virtus phyſica cauſatiua gratiæ in virtute Dei tanquam cauſæ principalis phyſicæ, ſed etiam virtus moralis in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini; de ratione autem cauſæ moralis, vt moueat, non eſt neceſſaria actualis exiſtentia, ſed ſufficit, quod præceſſerit, vt infrà latius videbimus; vnde ad deſinentiam cauſalitatis phyſicæ per accidens ob non exiſtentiam actualem non ſequitur, quod deſinat cauſalitas moralis, quæ ſaluari poteſt etiam ſine eadem actuali exiſtentia. Ex quibus habes, aſſertionem primam procedere de ſacramentis ſecundū ſe, & per ſe, exiſtentibus omnibus qualitatibus requiſitis ad operandum phyſicè, per quod tamen non tollitur, quod, ſi de facto ſic non cauſent non ſit omninò per accidens, in quo caſu ſacramenta haberent ſolummodo totam ſuam perfectionem, & dignitatem in actu primo, & ſignato, non in actu ſecundo, & exercito.

Sunt inſtrumenta non ſolum effectiua *Dei*, ſed etiam moralia Chriſti Domini.

Aſſertio IV. Contracto matrimonio per contrahentes exiſtentes in peccato læthali, vel per ſe ipſos immediatè, vel per procuratores, dum actu contrahitur, in ſuppoſitione, quod remoto obice reuiuiſcat, probabilius non produceret gratiam phyſicè, ſed tantum moralitèr *Cacheranus d. tom.3. Theol. aſſert. tract.8. c.4. §.3. num.41. in fin.*

10 Remoto obice non cauſat phyſicè, ſed tantum moraliter.

Ratio ex ijs deducitur, quæ dicebamus in præcedenti aſſertione, quià ſcilicet

tunc

tunc, nec exiſtit illa qualitas cauſatiua phyſicè in ſe ipſa, nec in ſubiecto, nec dici poteſt, quod gratia fuerit producta, quando extitit ſacramentum, & quod remanſerit quodamodo ſuſpenſa, ergo non cauſatur phyſicè, ſed ſolum moraliter. Antecedens quoad primam, & ſecundam partem patet ex ſe, & ex dictis, quoad tertiam ſic euincitur, quià nequit aſſignari ſubiectum, in quo recipiatur, tum quià gratia educitur quodamodo à ſubiecto, quod, ſi ſit indiſpoſitum, non eſt aptum ad illum effectum. Conſequentia etiam tenet, quià cauſa phyſica, quæ actu non eſt, non poteſt operari.

Cauſa phyſica, quæ actu non eſt, non poteſt operari.

Dices, quod quantumuis ſacramentum matrimonij non exiſtat phyſicè in ſe ipſo, exiſtat tamen phyſicè in illo nexu, ſeù vinculo coniugali, & per eundem cauſat phyſicè gratiam. Sed contrà, quia ille nexus coniugalis ſecundum ſe non eſt aptus producere illum effectum gratiæ, neque illa qualitas productiua gratiæ à ſacramento in eundem nexum transfertur, quandoquidem hic eſt permanens, illa autem qualitas cum commenſuretur cum ratione ſacramenti, quæ eſt tranſiens ad deſinentiam illius deſinit, nec amplius actualiter perſeuerat, vnde ad ſummum dici poteſt, quod in illo nexu perſeuerat tantum moraliter, & virtualiter, quæ propterea phyſicè non poteſt operari; Deinde ille nexus ſecundum ſe ſumptus non eſt formaliter operatiuus, cum ſit ſolummodo effectus per idem matrimonium indiſſolubiliter cauſatus.

Qualitas productiua gratiæ, non transfertur in nexum coniugalem.

## PRÆNOTIO X.

### Ad quantam gratiam reuiuiſcat ablato obice matrimonium cum obice ſuſceptum.

*SVMMARIVM.*

*Remoto obice regulariter ſacramenta reuiuiſcunt.* 1.

*Matrimonium ablato obice reuiuiſcens producit gratiam ad proportionem diſpoſitionis, per quam obex aufertur.* 2.

*Matrimonium, quod cauſauit gratiam in prima ſui productione, non auget eandem ex maiori diſpoſitione ſubſequenti.* 3.

SVppono ſacramentum matrimonij in peccato læthali ſuſceptum reſpectu contrahentium, ratione obicis nullum producere effectum gratiæ ſacramentalis, cum hoc ſit ſacramentum viuorum, quod in ſubiecto præſuppponit vitam ſpiritualem, quæ conſiſtit in gratia præexiſtente. Item pro nunc ſuppono remoto obice, ſeù peccato læthali in contrahentibus, vel per contritionem, vel per pœnitentiam ſacramentalem idem ſacramentum reuiuiſcere quoad gratiam, quatenus tunc producitur eadem gratia, quæ antecedentèr non fuerat producta ratione obicis exiſtentis in contrahentibus, qui tamen validè ſupponuntur contraxiſſe. His ſic ſuppoſitis difficultas præſens ſub hoc titulo excitata conſiſtit in eo, an gratia, quæ dicitur reuiuiſcere, correſpondeat dumtaxat diſpoſitioni, qua obex aufertur, an verò etiam ſacramento, quod fuerat cum obice ſuſceptum, & aliquali diſpoſitioni minus præcipuæ, quæ potuit interueniſſe in ſuſceptione ſacramenti. 1

Remoto obice regulariter ſacramenta reuiuiſcunt.

Aſſertio. Matrimonium ablato obice reuiuiſcens producit gratiam ad proportionem diſpoſitionis, per quam aufertur obex *Cacheranus tom. 3. tract. 8. c. 4. §. 9. num. 163. Vaſquez diſp. 169. c. 5. Lugus diſp. 9. ſect. 5. num. 71. Coninck diſp. 4. de baptiſ. art. 2. nu. 24. Maſtrius diſp. 2. qu. 6. num. 162. Herincx diſp. 4. q. 4. nu. 47.* 2

Reuiuiſcit ad proportionem diſpoſitionis, per quam aufertur obex.

Ratio ex eo deducitur, quia ſacramenta quando primo ſuſcipiuntur ſine obice cauſant gratiam maiorem, vel minorem ad normam ſubiecti magis, vel minus diſpoſitè per virtutes, & diſpoſitiones præcedentes prout definiuit *Concil. Trid. ſeſ. 6. c. 7.* aſſerens *iuſtitiam, ſeu gratiam in nobis recipi ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*, & expreſſè aſſeruit *D. Damaſcenus lib. 4. c. 20.* illis verbis, *quamuis peccatorum remiſſio omnibus æque per baptiſmum detur, Spiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur*, & licet loquatur in terminis baptiſmi, eadem tamen eſt ratio de gratia, quæ ſit per alia ſacramenta; & quidem rectæ rationi hoc aſſumptum innititur, quando quidem maximè congruum eſt diuinæ prouidentiæ bonitati attemperare ordinem gratiæ ordini naturæ; ſicuti igitur iuxta ordinem naturæ ſubiectū magis diſpoſitum magis recipit de effectu agentis naturalis ex *D. Thoma in tertia partis q. 69. art. 8. in corpore* ita iuxta ordinem gratiæ ſubiectum magis diſpoſitū per præuias virtutes debet magis recipere de effectu diuinorum ſacramentorum, nempe de gratia, quæ eſt effectus præcipuus, & principalior ipſorum, ergo etiam quando ſacramenta poſt ſuſceptionem in peccato læthali ſublato obice reuiuiſcunt, reuiuiſcunt ſecundum maiorem, vel minorem gratiam ad normam maioris, vel minoris diſpoſitionis in ſubiecto, ſecundum quam remouet obicem. Conſequentia probatur, quia quando ſacramenta ſuſcipiuntur exiſtente obice in recipientibus, tunc tantum producunt gratiam, quando obeſt re-

Subiectum magis diſpoſitum magis recipit de effectu in ſuo genere.

Digitized by Google

remouetur, ergo, ſicuti quando primo producitur in ſuſcipientibus ſine obice producitur ſecundum maiorem, vel minorem diſpoſitionem eorundem, ita quando producitur per reuiuiſcentiam ſublato obice debet produci ad normam diſpoſitionis eorundem ſuſcipientium, per quam remouent obicem ipſum.

Dices primò non currere paritatem de ſacramentis ſuſceptis cum maiori diſpoſitione ad gratiam, ac de reuiuiſcentia ipſorum cum maiori diſpoſitione ad ablationem obicis; Nam Chriſtus Dominus ſacramenta inſtituens ideo de maiori gratia diſpoſuit in fauorem magis diſpoſitorum, vt ſpe maioris præmij magis, magiſque diſponeremur ad eadem ſacramenta dignius, & cum maiori riuerentia ſuſcipienda; ſed hæc ratio non militat quoad reuiuiſcentiam eorundem, quandoquidem iam ſupponuntur indigne ſuſcepta ergo &c. Sed contrà, non renuo concedere vnam ex rationibus, eamque fortè præcipuam, qua Chriſtus Dominus promiſit maius præmium magis digne ſuſcipientibus eſſe allegatam in inſtantia, nego tamen illam non militare etiam pro reuiuiſcentia; maximè enim ſpectat ad dignitatem ſacramentorum, vt non ſolum ſubiectum ſit magis, & magis diſpoſitum, & dignum, quando eadem ſuſcipiuntur, ſed etiam, vt ſit tale, quando eadem applicantur ad producendum ſuum effectum primarium gratiæ, qui eſt finis eorundem ſacramentorum. Deinde maior, & minor diſpoſitio eſt potius in ordine ad effectum ſacramenti, quam ad ſacramentum ipſum; in ordine autem ad effectum ſacramenti æque requiritur diſpoſitio in prima ſuſceptione, ac in reuiuiſcentia.

Ratio, ob quam Chriſtus maiorem gratiã promiſit magis diſpoſitis militat etiam in eorum reuiuiſcentia.

Dices ſecundo, ſacramentum ſuſceptum ſine aliqua diſpoſitione parit minimam, eamque æqualem gratiam in omnibus, ſed ſacramentum ſuſceptum cum obice eſt ſuſceptum ſine aliqua diſpoſitione, immo cum poſitiua indiſpoſitione; nec obeſſe poteſt, quod poſtea accedat maior diſpoſitio in ordine ad remouendum obicem, quia illa diſpoſitio eſt poſterior ſuſceptione, quæ propterea non poteſt conferre ad maiorem effectum ſacramentalis gratiæ, quæ ſolum prouenit à ſuſceptione ſacramenti tanquam effectus primarius ipſius ergo &c. Sed cõtrà dico illud aſſumptum, quo dicitur ſacramentum ſuſceptum ſine aliqua diſpoſitione cauſare gratiam minimam, eamque æqualem omnibus intelligi debere de ſacramento, quod actu cauſat, dum ſuſcipitur, & tunc illa diſpoſitio ſubſequens non poteſt conferre ad maiorem eiuſdem ſacramenti effectum, quia tunc ſacramentum iam completum eſt nõ ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad effectum; 3 non de ſacramento ſuſcepto ſine diſpoſitione, quod in ſuſceptione actu non cauſauit ſuum effectum, quia tunc, cum nondum completum ſit in ordine ad illum, poteſt cum maiori diſpoſitione concurrere ad illũ in perfectiori gradu producendum; vnde ad ea, quæ ex poſtea ſubduntur, dici poteſt, quod illa diſpoſitio, per quam remouetur obex, ſit quidem ſubſequens ad ſuſceptionem ſacramenti quoad ſubſtantiam, non autem ſubſequens ad operationem eiuſdem, quæ propterea poteſt augeri per maiorem diſpoſitionem eiuſdem ſubiecti. Et hinc habes, quid reſpondeas ad aliam inſtantiam, quæ aduerſus aſſertionem poteſt hoc pacto afferri. Gratia ſacramentalis prius aquiſita per ſacramentum, & poſtea amiſſa per peccatum per maiorem diſpoſitionem, qua remoueatur peccatum, non reuiuiſcit ad maius, & perfectius augmentum ad normam, & menſuram illius diſpoſitionis ergo neque ſacramentum per peccatum mortificatum, ita vt nequeat conſequi ſuum effectum per maiorem diſpoſitionem, qua remouetur obex, per quem fuit mortificatum, non reuiuiſcet cum maiori gratia. Habes, inquam, quid reſpondeas; Dico etenim ideo gratiam ſacramentalem per peccatum amiſſam per maiorem diſpoſitionem remouentis peccatum non reuiuiſcere cum maiori augmento, quia illa maior diſpoſitio non vnitur cum eadem gratia tanquam cum comprincipio ad operandum, ſed tantum habet remouere peccatum, per quod gratia illa fuit amiſſa; ſacramentum vero per peccatum mortificatum, quodque nondum produxit ſuum effectum vnitur tanquam comprincipium cũ eadem maiori diſpoſitione, quæ habet illud adiuuare in ordine ad perfectius operandum, adeoq; non eſt, cur ſic corroboratum non debeat reuiuiſcere cum maiori effectu eiuſdem gratiæ.

Matrimonium, quod cauſauit gratiam in prima ſui productione, non auget eandẽ ex maiori diſpoſitione ſubſequenti.

Matrimonium vero, quod illam non cauſauit in prima ſui origine, maiorem cauſat in reuiuiſcentia iuxta maiorẽ diſpoſitionem.

Dices tertiò, ſacramentum ſuſceptum cum obice ſemper parit æqualem effectũ, & ſi quid amplius producit, nõ eſt effectus eiuſdem, ſed, vel alterius ſacramenti, vel illius maioris diſpoſitionis ex opere operantis, non ex opere operato; quod ſic euinco. Demus, quod ſacramento baptiſmatis v. gr. ſuſcepto ſine diſpoſitione debeantur duo gradus gratiæ. Demus deinde, quod ille, qui ſuſcepit baptiſmum ſine diſpoſitione, vel cum obice, diſpoſitionem habuerit meritoriam, vt quatuor, vel ad ſacramentum pœnitentiæ, vel ad contritionem, per quæ remouetur obex: tunc ſic, illi ſic diſpoſito non ſolum debentur quatuor gradus gratiæ correſpondentes illi diſpoſitioni meritoriæ, vt quatuor, per quam ſublatus fuit obex, ſed etiam

duo,

Digitized by Google

duo, qui correſpondent baptiſmo, qui quoad ſuum effectum reuiuiſcit, cui ſine diſpoſitione ſuſcepto illi duo gradus præſuponuntur debiti, ergo ſacramentum, quantum eſt de ſe, ſemper reuiuiſcit cum æquali gratia, eaque minima. Sed contra nego ſacramentum ſuſceptum cum obice ſemper parere æqualem effectum gratiæ, vnde omne, quod producitur per intrinſecam diſpoſitionem non correſpondet ſoli diſpoſitioni, vel ſoli ſacramento ſeorſim ſumptis, ſed vtrique ſimul, prout conſtituunt vnum aggregatum completiuum, & perfectiuum illius gratiæ adęquatæ. Ad illud, quod ſubditur de ſacramento baptiſmi reparato per diſpoſitionem illam meritoriam v. gr., vt quatuor in ſacramento pænitentię, dico in ea hypotheſi per illam diſpoſitionem meritoriam, vt quatuor ſic diſpoſitum non ſolum acquirere gratiam, vt quatuor correſpondentem ſacramento pænitentię cum illa diſpoſitione, ſed etiam ſimilem gratiam, vt quatuor correſpondentem ſacramento baptiſmatis cum eadem diſpoſitione *Suarez diſp. 28. ſect. 5. §. ſed ſuperſunt, Lugus diſp. 9. ſect. 5. num. 87. Arriaga diſp. 15. ſect. 1. ſubiect. 4. Cacheranus tom. 3. Theolog. aſſert. tract. 8. de ſacram. in genere c. 4. §. 9. n. 173.*

Quod producitur per intenſorem diſpoſitionem non correſpondet ſoli diſpoſitioni, vel ſoli ſacramēto, ſed vtriſq; ſimul.

Neque ex hoc inferas, quod recipiens ſacramentum cum fictione, ſeu cum indiſpoſitione poſitiua eſſet melioris conditionis, ac ſi reciperet cum ſola indiſpoſitione negatiua, quandoquidem cū hac reciperet ſolummodo duos gradus gratiæ, ſi duo gradus attribuerentur ſacramento ſecundum ſe ſumpto ſine diſpoſitione; poſita vero indiſpoſitione poſitiua, ſeu obice peccati per ſubſequentem diſpoſitionem acquireret gradus gratię, vt quatuor. Non, inquam, hoc inferas tanquam abſurdum, quandoquidem, ſicuti poteſt contingere, quod ex peccato poſſit quis ſumere per accidens occaſionem, & motiuum maioris perfectionis ob motiuum humilitatis, & maioris ſubiectionis, & fiducię erga Deum; ita etiam poteſt per accidens contingere, quod ex illa fictione, ſeu indiſpoſitione poſitiua poſſit magis, & magis intendere diſpoſitionem, ſicq; adiuuare ſacramentum ad perfectiorē effectum producendum, atq; ità ſentit *Cacheranus d. tom. 3. tract. 8. c. 4. §. 9. num. 172.* Dicere etiam poteris cum *Nugno q. 64. art. 10. difficul. 5. verſ. ad quintum argumentum Bonacina de ſacram. diſp. 1. quaſt. 6. punct. 3. num. 4. verſ. addo per ſe loquendo* non eſſe melioris cōditionis per ſe loquendo, quia, qui recipit ſacramentum ſine fictione, cū immediate recipiat gratiā, poteſt magis diſponi ad perfectius operandum, & ad recipienda alia ſacramenta cū perfectiori diſpoſitione.

Indiſpoſitio poſitiua poteſt eſſe occaſio maioris diſpoſitionis ea fructus.

## PRÆNOTIO XI.

An matrimonium infidelium poſt conuerſionem ad fidem fiat ſacramentum, & quomodo cauſet gratiam.

### SVMMARIVM.

*Matrimonium infidelium in infidelitate contractum per conuerſionem ad fidem, efficitur ſacramentum.* 1.

*Matrimonium infidelium, poſtquam conuerſi ſunt ad fidem, eſt nouum matrimonium ſecundum aliquam rationem.* 2.

*Fit ſacramentum, quamvis poſt conuerſionem non interueniat præſentia Parochi. num.* 3.

*In matrimonio infidelium perſeuerante infidelitate erat res, & ſacramentum in actu primo, poſt conuerſionem vtrumque in actu ſecundo.* 4.

*Per conuerſionem vtriuſque coniugis immediatè fit ſacramentum ſine nouo conſenſu.* 5.

*Dum per conuerſionem fit ſacramentum, non cauſat gratiam phyſicè, ſed tantum moraliter.* 6.

*Intellige etiam, ſi tunc renouarentur conſenſus.* 7.

HAnc difficultatem incidentèr attigimus ſuprà *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. I. prænot. 2. aſſert. 2. in reſp. ad ſecundam inſtantiam*, vbi diximus matrimonium infidelium non eſſe ſacramentum actu, ſed tantum virtute, quatenus, ſi illi conuertantur ad fidem, immediatè tranſit in ſacramentum. Nunc difficultas incidenter attacta ex profeſſo venit examinanda, & primo inquiretur, an re vera tranſeat in ſacramentum. Secundò, an immediatè per conuerſionem tranſeat, an mediante aliquo alio, & quomodo. Tertiò an, tunc quando fit ſacramentum, cauſet gratiam Phyſicè, an vero tantum moralitèr. Quartò, an tunc, cum fit ſacramentum, debeant contrahentes exhibere conſenſum coram Parocho, & teſtibus prout definiuit *Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 1. de matrimon.*

Varij articuli examinandi.

1 Aſſertio I. Matrimonium infidelium in infidelitate contractum per conuerſionem ad fidem efficitur ſacramentum *Capreolus in 4. diſt. 26. quæſt. vnica art. 3. ad quintum Ekbius tom. 4. hom. 73. de ſacram. immediate ante §. fortiſſima obiectio Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 5. in fin. D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 2. ad primum Paludanus in 4. diſt. 27. q. 4. art. 3. num. 25. in ſolut. ad quintum Veracrux ſecunda part.* ſpe-

Per cōuerſionē tranſit in ſacramentum.

*peculi art. 36. concl. 2. Vega lib. 4. ſumma caſu* 113., qui omnes conueniunt in ſubſtantia, quod ſcilicet tranſeat in ſacramentum, diſcrepant tamen inter ſe quoad modum talis tranſitionis, vt videbimus infra.

Probatur primò, quia poſita conuerſione ad fidem coniugum infidelium nihil deeſt, quominus ipſorum matrimonium fiat ſacramentum, ergo verè tranſit in ſacramentum. Antecedens probatur quia non deeſt ipſorum conſenſus, eo quia, vel ſupponitur de nouo poni, vel primo poſitus in celebratione contractus tempore infidelitatis virtualiter perſeuerare, cum non intelligatur retractatus, quinimmò perſeuerantia in cohabitatione, alijſque actibus, qui ſunt proprij coniugum inducit nouam expreſſionem conſenſus, nec deficit fides, & ſuſceptio baptiſmi, cum intelligantur conuerſi, & baptizati, ergo &c.

Sunt omnia requiſita ad rationem ſacramenti.

Dices primò, matrimonium infidelium, poſtquam conuerſi ſunt ad fidem non eſt nouum matrimonium, etiam ſi repetatur conſenſus, & verba, quibus exprimitur, quandoquidem talis repetitio non eſt nouus conſenſus, ſed iteratio prioris eliciti in infidelitate, ergo, neque eſt nouum ſacramentum, & cum antea ſacramentum non eſſet, nec modo poteſt eſſe ſacramentum. Sed contra, dico eſſe nouum matrimonium non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſecundum aliquam rationem, quam de nouo acquirit, tùm ratione eleuationis, tùm ratione maioris indiſſolubilitatis, ratione quorum tranſit ab eſſe contractu purè ciuili, & profano ad eſſe ſacrum, & repræſentantem vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, ea proportionali ratione, qua matrimonium primo inſtitutum in ſtatu iuſtitiæ originalis in officium naturæ, & poſt lapſum in remedium concupiſcentiæ dicitur de nouo in lege euangelica inſtitutum à Chriſto Domino per hoc præcisè, quod illud eleuauit ad eſſe ſacramenti, & ad illam inſolubilem repræſentationem Chriſti cum Eccleſia. Ad illud, quod ſubditur de repetitione conſenſus, dico non eſſe præcisè iterationem eiuſdem ſecundum eandem præcisè rationem, ſed eiuſdem ſecundum perfectiorem rationem, & maiorem excellentiam, quatenus eo ipſo, quod coniuges conſenſerunt in fidem, & baptiſmum intelliguntur conſenſiſſe, vt ipſorum conſenſus ordinetur ad illam repræſentationem vnionis Chriſti cum Eccleſia, ad quam antecedenter non ordinabantur, quod ſatis eſt ad præſens inſtitutum.

2 Eſt nouum matrimonium non ſimpliciter, ſed ſecundum aliquam rationem.

Et conſenſus importat nouam quandam perfectionem.

Dices ſecundò, matrimonium, vt ſit ſacramentum ex diſpoſitione Concil. Trident. ſupra allegati debet celebrari coram Parocho, & teſtibus, & ſine tali aſſiſtentia eſt omninò inſubſiſtens, & inualidum, ſed illud matrimonium contractum in infidelitate non eſt contractum pro tali tempore cum tali aſſiſtentia, nec poſt conuerſionem ſupponitur idem Parochus, & teſtes adhiberi in renouatione contractus, ergo &c. Hæc inſtantia comprehendit difficultatem, quam quarto loco expoſuimus in principio prænotionis, quam propterea hic iuxtà materiæ contingentiam diſſoluimus, nec erit poſtea repetenda. Sed contra, quia, ſi in primis diceremus noſtram concluſionem procedere ſeruatis omnibus requiſitis, quæ in hoc genere ſeruanda ſunt, adeoque etiam aſſiſtentia Parochi, & teſtium iuxta diſpoſitionem Concil. Trid. inſtantia ad nihil penitus deſeruiret, non enim nos in aſſertione eandem aſſiſtentiam excluſimus. Deinde hoc minimè attento, ſed poſitiuè excluſo dicimus etiam ſine huiuſmodi aſſiſtentia, quæ re vera non requiritur, abſolutè per conuerſionem, & ſuſceptionem baptiſmi in ſacramentum tranſire: quandoquidem *Concil. Trident. in illa ſeſ.* 24 *cap.* 1. *de matrimonio* ſolum requirit pro ſolemnitate illam aſſiſtentiam, quando matrimonium de nouo celebratur, vel ad ſummum repetitur, quando antecedens fuit abſolutè irritum; hic autem, nec de nouo celebratur, nec repetitur irritum, quandoquidem matrimonium in infidelitate contractum abſolutè fuit validum, vt conſtat *ex Apoſt. prima ad Corint.* 7., & definitur *in c. gaudemus de diuort., & c. de infidelibus de conſanguin.*

3 Efficitur ſacramentum, quamuis poſt conuerſionem non interueniat præſentia Parochi.

Dices tertiò, in omni ſacramento ex ſuperius dictis eſt res, & ſacramentum, id ſcilicet, quod ſignificatur, & id quod ſignificat; nomine autem rei gratiam intelleximus, nomine autem ſacramenti vinculum illud indiſſolubile coniugale, ſed in matrimonio infidelium huiuſmodi non intercedunt, quandoquidem ſunt effectus ſacramenti, ergo &c. Sed contrà, quia licet pro ſtatu infidelitatis non fuerint res, & ſacramentum propriè ſumpta, & in actu ſecundo, fuit tamen in actu primo, & poſteà poſita conuerſione in actu ſecundo reſultat, quatenus tunc conſequitur gratia ſacramentalis, & vinculum illud abſolutè inſolubile, quod habetur ex priori conſenſu, non quomodocunque, ſed ex eodem, cum ſuperaddita relatione ad illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, reſultate poſt conuerſionem, quæ antecedenter non erat.

4 In matrimonio infidelium eſt res, & ſacramentũ in actu primo.

Probatur ſecundò, quià poſita conuerſione coniugum infidelium, & ſucceſſiua conſummatione poſt eandem conuerſionem matrimonium illud eſt abſolutè indiſſolubile, nec vlla poteſt humana poteſtate diſſolui, ergo propriè fit ſacramentum.

Digitized by Google

Poſt conuerſionem eſt rigoroſa indiſſolubilitas.

tum. Antecedens communiter admittitur ab omnibus, qui licet aſſerant poſſe Pontificem Romanum diſpenſare quoad matrimonium infidelium conſummatum in infidelitate, quandò conuertuntur ad fidem, negant tamen poſſe diſpenſare, poſtquam conſummatum eſt poſt fidem, & baptiſmum ſuſceptum, & inter cæteros ſic ſentiunt *Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de conuerſ. infid. in prima edit. conſil. 1., in 2. conſil. 3. in ſolut. ad ſecundum dubium num. 12. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 17. num. 2., & nos etiam ſupra docuimus.* Conſequentia probatur, quià illa rigoroſa indiſſolubilitas non prouenit de iure naturæ, ſed ex præcepto Chriſti Domini ſuppoſito ſacramento, ergò &c.

Probatur tertiò, quià inter fideles ex ſuperius latè probatis non poteſt eſſe ratio contractus in matrimonio ſine ratione ſacramenti, ergò ſuperueniente fide in coniugibus antea infidelibus, ratio contractus tranſit in rationem ſacramenti, cæteroqui ſaluaretur inter catholicos contractus ſine ſacramento.

Inter fideles nequit eſſe matrimonium, vt contractus ſine ſacramento,

Dices, inter fideles non poſſe quidem iniri matrimonium in ratione contractus cum excluſione ſacramenti, poſſe tamen contractum matrimonialem iam antecedentèr validè initum in ſtatu infidelitatis perſeuerare etiam poſt fidem ſuſceptam ſine ſacramento, quià multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Sed contrà, quià lex euangelica abſolutè inter catholicos non agnoſcit contractum ſine matrimonij ſacramento, adeoque ſuos ſubditos inſolubilitèr obligat ad leges ſacramenti, & ſicuti, ſi vnus conuertatur ad fidem, alter permaneat in infidelitate, matrimonium iam initum diſſoluit, maximè ſi infidelis nolit cohabitare ſine iniuria creatoris, ita ſi vterque conuertatur, & nolit rationem ſacramenti contractum abſolutè diſſolui cenſendum eſt.

5 Per conuerſionem vtriuſque coniugis immediatè fit ſacramentum,

Aſſert. II. Per conuerſionem vtriuſque coniugis ab infidelitate ad fidem poſt ſuſceptum baptiſmum matrimonium immediatè fit ſacramentum abſque nouo conſenſu *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 2. ad primum, Paludanus item in 4. diſt. 27. q. 4. art. 3. n. 25. in ſolutione ad quintum, Veracrux 2. part. ſpeculi art. 36. concl. 2. Vega lib. 4. ſumma c. 113* aduerſus *Capreolum in 4. diſt. 26. q. vnica art. 3. ad quintum, Ekbium tom. 4. homil. 73. de ſacramentis immediatè ante §. fortiſſima obiectio, Bellarminum lib. 1. de matrim. c. 5. in fin.*, & alios plures *apud Sanchez d. lib. 2. diſp. 9. num. 4. verſ. probatur autem.*

Ratio ex eo deducitur, quià ſuppoſito baptiſmo in vtroque contrahente nihil deeſt, quominus matrimonium antecedentèr contractum tempore infidelitatis tranſeat in rationem ſacramenti, quandò quidem conſenſus vtriuſque contrahentis intelligitur virtualitèr perſeuerare, illique per baptiſmum additur illa repræſentatio vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia, ergò immediatè nullo alio ſuperaddito efficitur ſacramentum.

Eſt noua materia ſecundum nouum reſpectum.

Dices, non poteſt eſſe de nouo ſacramentum abſque noua materia, & forma, ergò ad conſtituendum ſacramentum, quod prius non erat, requiritur nouus vtriuſque contrahentis conſenſus; conſenſus etenim prior elicitus pro tempore infidelitatis non poteſt eſſe materia, quià iam tranſijt. Sed contrà, quià aliquo modo dici poteſt adeſſe in ea hypotheſi nouam materiam, nouamque formam, non quidem ſimplicitèr, & abſolutè, ſed ſecundum reſpectum, quem prius non habebat ad vnionem illam indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia manifeſtandam, quatenus ſcilicet, cum per conſenſum, & intentionem expreſſam voluerint baptiſmum, intelliguntur etiam implicitè voluiſſe matrimonium præcedens eſſe inſolubile, & repræſentare illam vnionem.

6 Tunc cauſat gratiã tantum moralitèr, non Phyſicè,

Aſſertio III. Illud matrimonium contractum inter infideles, quod poſteà ſuſcepto per eoſdem baptiſmo efficitur ſacramentum, non cauſat in eiſdem gratiam ſacramentalem Phyſicè, ſed tantum moralitèr. Conformis ijs videtur, quæ dicta ſunt ſupra, dum de reuiuiſcentia ſacramentorum remoto obice.

Cauſa Phyſicè non cauſat, quãdo ſecundum ſe nõ eſt.

Probatur, quià, quandò tunc fit ſacramentum, non exiſtit actu, & Phyſicè matrimonium ſecundum materiam, & formam ſecundum eſſe Phyſicum, ſed tantum moralitèr, illique eſſe morali tantum de nouo ſuperadditur ille reſpectus ad illam ſignificationem moralem vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia, ergò tunc non producit gratiam ſacramentalem per cauſalitatem Phyſicam, ſed tantum per moralem argumento eorum, quæ dicebantur ſuperius, quod tunc cauſa Phyſicè tantum cauſat, quandò Phyſicè adeſt, ergò, ſi non adeſt matrimonium ſecundum ſuas partes conſtitutiuas Phyſicè, nec poterit Phyſicè cauſare; Neque dicas, tunc tantum conſurgere actu ſacramentum, quandò per eoſdem coniuges recipitur baptiſmus, & quod propterea, cum tunc actu exiſtat, poſſit phyſicè gratiam ſacramentalem producere; contrà enim impugnaberis, quià tunc tantum dicitur exiſtere ob ſuperuenientiam moralem fundatam in illo nouo reſpectu ad ſignificationem prædictæ vnionis, hic autẽ reſpectus non fundatur in aliquo Phyſicè exiſtente, ſed tantum moralitèr perſeuerante, nempè in illo priori actu conſenſus elicito per tempore infidelitatis, qui Phyſicè non perſeuerat, adeoque non poteſt Phyſicè agere.



Digitized by Google

Si autem hic inquiras, an ſaltem produceret Phyſicè gratiam, ſi in ea hypotheſi coniuges conuerſi ad fidem nouos actus conſenſus elicerent, quibus prius matrimonium pro tempore infidelitatis initum confirmarent; res videtur difficilis ſolutionis, quandòquidem tunc videretur ſacramentum exiſtere Phyſicè in ſuis conſtitutiuis actu exiſtentibus. Nihilominus, cum contractus iam validus præſupponatur antecedenter ad illos actus de nouo

7 *Intellige etiam, ſi tunc renouarentur conſenſus.*

elicitos poſt ſuſceptum baptiſmum, probabilius exiſtimo, etiam tunc cauſare tantum moralitèr, non Phyſicè. Ratio ex eo deducitur, quià actus ſubſequentes ad validitatem contractus non poſſunt influere in eius ſubſtantiam, adeoque ipſi non poſſunt concurrere ad eſſe ſacramenti, niſi quoad eius clariorem expreſſionem; cæterum vis agendi cauſæ tribuitur formalibus conſtitutiuis eiuſdem non ſubſequentibus ad eius eſſe iam conſtitutum; vndè in hoc valet argumentum, quod ſuprà afferebamus, quod, ſicuti diſpoſitio ſubſequens ad ſuſceptionem, & operationem ſacramenti non poteſt conferre ad perfectiorem effectum eiuſdem ſacramenti, ita actus ſubſequentes ad confectionem contractus non poſſint conferre ad ipſius conſtitutionem, adeoq; non poſſint eidem tribuere maiorem vim operatiuam illa, quam habeant ſecundum eſſe eiuſdem; Cum igitur contractus habeat tantum eſſe morale, non exiſtentiale Phyſicum, non poterit agere Phyſicè, ſed tantum moralitèr.

---

## PRÆNOTIO XII.

### Quotuplex ſit matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Matrimonium aliud eſt præciſè contractus, aliud contractus ſimul, & ſacramentum num. 1.*

*Aliud ratum, aliud conſummatum, aliud legitimum. 2*

*Aliud ſolemne, aliud clandeſtinum, & quid vtrumque. 3.*

*Quoad denuntiationes poteſt Epiſcopus diſpenſare. 4.*

CONſiderato iam matrimonio ſecundum ſuam exiſtentiam, eſſentiam, & vim cauſandi, nunc ad eius diuiſiones per ſuas partes deſcendimus examinandas, quæ poſſunt eſſe, vel in ordine ad ſubiectum, vel in ordine ad obiectum, vel in ordine ad formam extrinſecam.

Ratione ſubiecti diuiditur potiſſimum in matrimonium, quod eſt præciſè contractus inter infideles, & in matrimonium quod eſt contractus ſimul, & ſacramentum inter fideles, quod licet vtrumque conueniat in ordine ad finem generationis prolis, & etiam quodamodò ad bonum fidei, differt tamen in ordine ad bonum ſacramenti; ex quo fit, vt ſecundo competat indiſſolubilitas quacunq; poteſtate humana, ſi fuerit conſummatum, indiſpenſabilis; primo verò, licèt competat indiſſolubilitas de iure naturali diuino, hæc tamen eſt humana poteſtate diſpenſabilis, & ante legem Euangelicam de facto ſoluebatur per libellum repudij.

*Diuiſio ratione ſubiecti in matrimonium præciſè, vt cõtractus, & in matrimonium, vt contractus eſt, & ſacramentũ.*

2 *Diuiſio ratione obiecti in ratũ, conſummatum, & legitimum.*

Ratione obiecti diuiditur in matrimonium ratum, & conſummatum, & legitimum; primum eſt, quod tribuit actualitèr ius ad rem, ſeù ad vſum coniugalem, non tamen actualitèr ipſe vſus per actualem copulam eſt completus. Secundum eſt, quod inducit ius in re, & actualem poſſeſſionem corporis cuiuſcunque coniugis per actualem coſummationem per copulam completam. Primum eſt ſolubile per ingreſſum in Religionem, eiuſque profeſſionem; ſecundum quoad vinculum coniugale eſt quacunq; poteſtate humana inſolubile, & tantum ſoluitur per mortem alterius coniugis, vt ſuprà dicebamus; tertium ex, quod legitimo conſenſu contrahitur, & transfert ius mutuum in corpora coniugum, non tamen dicitur ratum, quià non eſt ſacramentum, vt habetur *c. quanto de diuortijs*, & docent omnes, & explicat Concil. Coloníenſe, quod refert *Couarnuias 4. decretal. 2. part. c.1 §. vnico n. 4.*, hocque etiam, ſi fuerit conſummatum, quantumvis de iure naturali diuino ſit indiſſolubile etiam de præſenti poſt legem Euangelicam reiecto libello repudij, eſt tamen ſolubile de facto, ſi alter conuertatur ad fidem altero permanente in infidelitate, & nolente cohabitare ſine iniuria creatoris, vel ſi vterque conuertatur ex diſpenſatione Summi Pontificis.

3 *Diuiſio ratione formæ in ſolemne, & clandeſtinum.*

Ratione formæ extrinſecæ diuiditur in ſolemne, & clandeſtinum. Primum eſt, quod celebratur in facie Eccleſiæ, quod intellige non materialiter, quatenus fieri debeat in eadem Eccleſia materiali, quià valide celebrari poreſt, vel domi, vel in alio quocunque loco, licet ex quadam honeſtate regularitèr fiat in Eccleſia, ſed formalitèr, quatenus fieri debet coram aliqua multitudine, fidelium & modo *Concilium Tridentinum ſeſſ.24.c.1.* præſcripſit, vt ex neceſſitate fiat coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus inhabilitando contrahentes, ſi ſine tali ſolemnitate contraxerint. Secundum eſt, quod celebratur, vel ſine tali ſolemnitate aſſiſtentiæ Parochi, & teſtium, vel omiſſis

con-

Digitized by Google

conſuetis denuntiationibus ad formam ab Eccleſia præſcriptam; hoc tamen intercedente diſcrimine, quod, ſi celebretur ſine Parocho, & teſtibus matrimonium ipſum nedum ſit illicitum, ſed etiam abſolutè inualidum ex incapacitate contrahentium ſic inducta per Concil. Tridentinum; ſi verò celebretur ſine conſuetis denuntiationibus ex præſcripto Eccleſiæ ſit quidem illicitum, non tamen ex hoc præcisè capite inualidum; *Dixi ex hoc præcisè capite*; non enim negauerim, quod, ſi in illo matrimonio ſic contracto interceſſerit aliquid impedimentum dirimens, reddatur ex illo abſolutè irritum.

Conditiones requiſitæ, vt dicatur ſolemne.

Circa hanc vltimam diuiſionem aduertendum eſt, quod circa denuntiationes per Concil. Trident. relicta eſt Epiſcopis poteſtas diſpenſandi, non tamen expreſsè circa aſſiſtentiam Parochi, & teſtium; ex quo ſequitur eiſdem non competere ius circa illam præſentiam diſpenſandi; tùm quia Concil. conſtituit illam aſſiſtentiam tanquam formam ſubſtantialem contractus, in qua Epiſcopus non poteſt diſpenſare, & inhabiles reddit contrahentes ſine illa; tùm quia, cum eidem Epiſcopo conceſſerit facultatem diſpenſandi circa denuntiationes, & nihil dixerit de relaxatione huiuſmodi præſentiæ Parochi, & teſtium videtur expreſsè eidem prohibuiſſe ius ad talem diſpenſationem. *Nauarrus in man. c. 22. num. 70. Segura in director. Iud. Eccl. qu. 2. c. 15. num 44. Franciſcus Molinus lib. 2. de rit. nupt. diſſ. 11. num. 145. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 5. §. 5. lit. Q. Fillintius part. 1. tract. 10. c. 6. num. 296. Baſilius Pontius lib. 5. num. 16, c. 6. Bellarminus ad c. 1. ſeſ. 25. de reform. matrim. in addit. num. 10.* Ex quo tamen non ſequitur, quin Summus Pontifex poſſit quoad huiuſmodi aſſiſtentiam diſpenſare, quandoquidem, cum hæc forma inducta fuerit præcisè per ius Eccleſiaſticum, non demit auctoritatem Pontificis, qui eſt ſupra quodcunque tale ius.

4 Quoad denunciationes poteſt Epiſcopus diſpenſare.

## PRÆNOTIO XIII.

### Quandonam dicatur matrimonium conſummatum ad effectum, vt alter coniux non poſſit illud diſſoluere per ingreſſum in Religionem.

*SVMMARIVM.*

*Per quamcunque ſeminis effuſionem extra vas naturale matrimonium non conſummatur.* 1.

*Nec per nixum in copulam, nec per coitum ſodomiticum. Ibid.*

*Ex ſola vaſis muliebris penetratione ſine ſeminis in eodem effuſione non conſummatur.* 2.

*Nec ex ſola emiſſione ſeminis maſculini intra vas fœmina, niſi etiam ipſa ſeminet num.* 3.

*Concumbens cum fœmina impuberi inepta ad generationem non contrahit affinitatem cum ipſius conſanguineis.* 4.

*Penetratio vaſis muliebris non eſt eſſentialis ad conſummationem, vnde, ſi poſſet immitti intra vas fœminæ ſemen virile cum debitis diſpoſitionibus ſine penetratione adhuc matrimonium diceretur conſummatum.* 5.

*Productiones, quæ fiunt à dæmonibus ſuccubis ſunt vera generationes reſpectu hominis, à quo ſemen eſt deciſum.* 6.

*An ſit licitum fœminæ, poſtquam maſculus ſeminauit, ſeq; retraxit à coitu, ſe excitare ad ſeminandum, ſi antea non ſeminârit remiſſinè.* 7.

*Si maſculus poſtquam ſeminauit ſe retraxit à copula, & immediatè poſt fœmina ſe excitarit ad ſeminandum, & ſeminarit matrimonium conſummatur.* 8.

*Per copulam habitam à ſponſo antecedenter ad matrimonium hoc non dicitur conſummatum.* 9.

*Modo ſponſalia per copulam non tranſeunt in matrimonium.* 10.

INcipimus iam examinare aliqua diſputabilia, quæ ad nonnulla membra præcedentium diuiſionum pertinere poſſunt, & primo ſe ſe offert matrimonium, vt conſummatum, circa quod diſputabitur primò, an intelligatur ſufficienter conſummatum per vaſis muliebris penetrationem abſque ſeminis receptione intra illud. Secundò ex ſuppoſitione, quod vltra vaſis penetrationem requiratur ſeminatio, an hæc debeat eſſe ex parte vtriuſque. Tertiò, an, ſi dari poſſet immiſſio ſeminis in vas muliebre ſine penetratione, & de facto immitteretur intelligeretur ſufficienter ad hunc effectum conſummatum. Quartò, an, ſi contractis ſponſalibus, & antecedenter ad matrimonium haberetur copula inter ſponſos de futuro, contracto poſtea eodem matrimonio ratione talis copulæ præcedentis intelligatur ſufficienter conſummatum. Pro clariori intelligentia.

Articuli examinandi circa matrimonium conſummatū.

Aduerte, per quamcunque ſeminis effuſionem extra naturale vas non propriè dici matrimonium conſummari, vt expreſsè habetur *in c. extraordinaria 35. qu. 3.*, vbi dicitur pollutionem extraordinariam non parere affinitatem; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem matrimonium dicitur conſummatum ex eo, quod duo coniuges facti ſint in carne vna; non fiunt autem tales, niſi per ſeminum commixtionem, vt per ſe patet, quæ commixtio non habetur per ſolam extraordinariam ſeminis effuſionem,

1 Non conſummatur per effuſionem ſeminis extra vas naturale.

nem. Hinc fit primò per ſolum nixum in copulam, per quem maritus effundit ſemen extra vas muliebre propriè non oriri conſummationem; Secundò, nec oriri per copulam ſodomiticam inter eoſdem coniuges, quantumvis maſculus in vaſe præpoſtero, quod penetrauit, ſeminauerit; non enim tunc fit illa ſeminum commixtio, Tertiò in ſententia ſatis probabili, de qua infrà fuſius agetur, nec oriri, quantumvis maſculus maior carnaliter cognouerit fœminam impuberem, quæ nondum exceſſerit nouennium, ſi inter ipſos admitti poſſet matrimonium. Quibus ſuppoſitis ſit

Nec per nixum in copulam.

Nec per coitum ſodomiticū.

2 Nec per ſolam vaſis muliebris penetrationem,

Aſſertio I. Ex ſola vaſis muliebris penetratione ſine ſeminis in eodem effuſione propriè matrimonium non conſummatur *Archidiaconus c. extraordinaria 35. qu. 3. & c. vnico nu. 3. de deſp. impub. num. 6. Ioannes Andreas reg. qua contra ius de reg. iur. in 6. Henricus c. fraternitati num. 10. de eo, qui cogn. conſang. D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 11. ante §. 1. Sotus in quarto diſt. 27. qu. 1. art. 4. verſ. cauſa dirimendi, Vega lib. 4. ſummæ caſ. 157.*

Ratio ex eo deducitur primò, quià per id matrimonium dicitur conſummari, per quod coniuges fiunt vna caro, quod colligitur tùm *ex cap. 2. de conuerſ. coniug.*, vbi adducitur ratio, cur coniuges ante conſummationem poſſint tranſire ad Religionem, quià ſcilicet *non facti ſunt vna caro*; tùm ex ſignificatione, quam habet pro eo ſtatu, vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, quam vnionem non important, niſi prout fiunt vna caro, ſicuti Chriſtus per vnitatem carnis Eccleſiæ eſt coniunctus; tùm ex eo, quod, niſi fiant vna caro non oritur affinitas; atque hoc expreſsè docent *D. Thomas in 4. diſt. 41. qu. 1. art. 1. quæſtiuncula 4 ad primum, D. Bonauentura ead. diſt. qu. 1. Gloſa c. extraordinaria 35 qu. 3.*, ſed per ſolam vaſis muliebris penetrationem ſine ſeminis effuſione in illo non fiunt coniuges vna caro, quæ ſolum conſurgit ex ſeminum commixtione, ergo &c. hocque expreſſè colligitur *ex c. lex 27. qu. 1.*

Per illam penetrationem præciſè non fiunt vna caro.

Secundò, quià ex ſuperius latè probatis matrimonium conſummatum inter fideles eſt omni iure humano indiſſolubile, ſed vna ex potiſſimis rationibus, ob quam inducta eſt indiſſolubilitas eſt bonum prolis, cui inferretur iniuria, ſi contractus diſſolueretur, ergo, vbi non poteſt eſſe iniuria prolis, non eſt propriè conſummatio, ſed per præciſam vaſis muliebris penetrationem ſine ſeminis effuſione non poteſt eſſe iniuria prolis, ergo nec propriè conſummatio.

Conſummatio reſpicit bonū prolis.

Dices rationem indiſſolubilitatis quoad matrimonium conſummatum non ſolum fundari in iniuria, quæ poteſt proli em ergere, ſed etiam in damno, quod poteſt euenire ſponſæ, quæ minus apta matrimonio maneret, ſed hoc damnum æquè euenire poteſt per ſolam vaſis muliebris penetrationem ſine ſeminis effuſione in illo ergo &c. Sed contra non ex quolibet damno ſponſæ oriri poteſt ratio indiſſolubilitatis etiam per ordinem ad ingreſſum in Religionem, cæteroqui hoc etiam oriretur ex amplexibus, oſculis, & nixu in copulam, quod tamen nemo aſſerit.

Nō ex quocūq; dāno ſponſæ intrat indiſſolubilitas.

3 Non conſummatur per ſolam ſeminis maſculini immiſſionē intra vas fœminæ niſi ipſa etiā ſeminēt.

Aſſertio II. Per ſolam ſeminis maſculini emiſſionem intra vas muliebre ſine concurrentia ſemenis fœminei non fit propriè, & in rigore conſummatio Conſonat cum ijs, quæ nos docuimus in quæſtionibus de ortu, & interitu, vbi latè probauimus non ſolum maſculum, ſed etiam fœminam actiuè concurrere ad prolis generationem, & ſine fœmineo ſemine actiuè concurrente non poſſe eſſe huiuſmodi generationem. atq; pro hac ſententia ſtare videntur *D. Thomas in 4. diſt. 41. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 4. ad ſecundum Vignerius lib. inſtitut. c. 16. § 7. verſ 9. in 6. impedim. ArchiDiaconus c. vnico de ſponſalib. in 6. Durandus in 4. diſt. 41. q. 1. art. 1. num. 7. Hugo 31. q. 3. c. 1. Innocentius c. fraternitati de eo, qui cognoſ. conſang.*, qui omnes vno ore docent virum, & mulierem effici vnam carnem per commixtionem ſeminum, vnde quantumcunque aliquis clauſtra pudoris frangat niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur affinitas, ergo vbi nō fit illa ſeminum commixtio per vtriuſque ſeminationem propriè, & in rigore non fit conſummatio. Conſequentia probatur quia affinitas non conſurgit niſi ſuppoſita conſummatione, per quam fiunt vna caro, vnde vnitas carnis inter coniuges eſt fundamentum coniunctionis inter conſanguineos ipſorum inter ſe, vt docent omnes tum Theologi, tum iuris interpretes.

Probatur vlterius per confutationem rationis aduerſantium, quæ conſiſtit in eo, quod ſemen fœmineum non ſit neceſſarium ad prolis generationem, vt ſentire videtur *Ariſtoteles lib. 2. de generat. animal. c. 2. Galenus lib. 1. de ſanit. tuenda capitulo 1., & l. 2. de natural. facult. c. 3. Auicena lib. 9. animaliū c. 1.*, & ex Theologis *D. Thomas tertia part. q. 31. art. 5. ad tertium* quem ſequuntur omnes ferè Thomiſtæ, ſed hæc ratio non eſt omnino certa, quinimmò contra communiorem Phyloſophorum, & medicorum, quibus hac in controuerſia maior fides adhibenda eſt, nam expreſſè docent *Hyppocrates, & Galenus apud Iabellum 8. methaphy. q. 17. Valles lib. 2 controuerſ. medicar., & Phyloſophic. c. 6. Vega lib. 1. de arte medendi c. 3.*, & ex Theologis *Caietanus ſecunda ſecunda q. 154. art. 12. §. vlt.*

Digitized by Google

*vlt.*, & nos etiam latè docuimus in quæſtionibus de ortu, & interitu fœminam etiam concurrere actiuè ad generationē per communicationem veri ſeminis, & ratio ex eo deducitur, quia proles non ſolum dicitur conſubſtantialis Patri, ſed etiam matri, ergo; quia etiam ipſa fœmina concurrit communicando ſemen; Hinc Anatomici omnes docent in mulieribus dari eadem vaſa, & organa ad producendum ſemen, quæ dantur in maſculis. Ad quid autem natura ea organa in mulieribus diſponere ſi effectum in generatione prolis minimè conſequerentur. Hic etiam *DD.* cōmunitèr aſſignantes rationem, cur fœminæ poſt ortum, vt plurimum citius creſcant, quam maſculi, afferunt hoc prouenire ex eo, quod fœmina, quæ generatur cōſtat vberiori ſemine matris, quam *Patris*, & cum illud *Patris* ſit perfectius in maſculis, in quibus abundat, magis ordinatur ad perficiendas partes in ordine ad ſe eas magis conſolidando, quam ad eas extendendas, & è contra cum ſemen fœmineum ſit imperfectius, & humidius magis ordinatur ad extenſionem partium, quam ad earum conſolidationē, & quod magis humidum eſt eſt magis aptum ad citius creſcendum, ergo à primo ad vltimum ad generationem prolis non ſolum concurrit ſemen maſculinum, ſed etiam muliebre, conſummatio autem ſolum conſurgit ex commixtione apta ad generationem.

**Proles dicitur etiā conſubſtā. tialis matri.**

4

**Concūbēs cū fœmina impuberi inepta ad generationem non contrahit affinitatem cum eius conſanguineis.**

Hinc etiam deducere poteris, quod ſi quis copulam habuerit cum fœmina impuberi inepta ſecundum ſe ad generationem, quæ ſcilicet attigerit nouennium ſolummodo, non conſurgat impedimentum affinitatis cum conſanguineis eiuſdem, quandoquidem ex defectu ſeminis in fœmina non poteſt inter ipſam, & alium ſe carnaliter cognoſcentem conſurgere vnitas carnis, ex qua cōſurgat illa coniunctio affinitatis cum eiſdem conſanguineis.

5

**Penetratio non eſt neceſſaria, niſi quatenus inſeruit ad immiſſionē ſeminis intra vas muliebre.**

Aſſertio III. Si contingere poſſet, quod aliqua arte ſemen maſculi cum debitis diſpoſitionibus reciperetur in vas muliebre abſque illius penetratione vtique eſſet ſufficiens conſummatio impeditiua diſſolutionis matrimonij per ingreſſum alterius in Religionem *D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 11. ante §. 1. Corduba in ſumma q. 178. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. verſ. cauſa dirimendi Alexander de Neuo c. fraternitati n. 11. de eo, qui cogn. conſang. Silueſter verb. matrimonium 4. q. 15. dicto 2. Roſella verb. impedimentum impedimento 14. num. 8.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia id, quod proprie intenditur per conſummationem eſt ſeminum commixtio, per quam coniugas fiunt duo in carne vna, ſed in ea hypotheſi propriè fieret hæc ſeminum commixtio, ergo, & proprie, & in rigore conſummatio. Secundo, quia ex illo maſculino ſemine ſic recepto in matricem fœminæ propriè fieri poteſt generatio prolis, vt contigiſſe dicunt in fœmina quadam ingreſſa in balneum aquæ tepentis, in quo maſculus ſemen de recenti emiſerat, cuius fœminæ matrix atraxit ſemen illud, & ex illo concepit, & peperit filium, qui certe filius dicitur proles illius, à quo ſemen deciderat, cum reſpectu illius ſit origo viuentis à viuente principio vitæ coniuncto in ſimilitudinem naturæ; ſed illa dicitur ſufficiens conſummatio, per quam haberi poteſt generatio, ergo &c. Neque dicas ad veram cōſummationem, & generationem requiri, quod ſemen vitaliter communicetur, quæ communicatio vitalis non habetur per illum immiſſionem ſeminis in vas fœminæ arte factam; contra enim impugnabaris, quia ad generationem requiritur quidem, quod vitaliter ſemen elaboretur, non autem de ſuo conceptu, quod vitaliter communicetur, eo quia illa communicatio nō influit, ſed ſe habet ſolummodo per modum conditionis applicantis, quæ ſuppleri poteſt, vel arte Dæmonum, vel virtute Angelorum conſeruantium ſemen à maſculo deciſum in cōgrua temperie qualitatum, & deferentium ad vas fœminæ, vel forte etiam aliqua arte humana licet de via ordinaria fiat modo illo quaſi vitali.

**Illa dicitur ſufficiens cōſūmatio per quam haberi poteſt generatio.**

**Non requiritur vitalis communicatio.**

6

**Productiones, quæ fiunt à Dæmonibus ſuccubis ſunt veræ generationes reſpectu hominis, à quo ſemen eſt deciſum.**

Tertio, quia productiones, quæ fiunt à Dæmonibus ſuccubis per ſemen ab homine deciſum ſunt veræ generationes non quidem reſpectu dæmonum ſuccuborum, quia habent tantum applicare virtutem actiuam ſeminis maſculini, ſed reſpectu hominis, à quo ſemen illud fuerat deciſum, quia ex vna parte non requiritur vitalis communicatio ſeminis, vt dictum eſt, cum applicatio, quæ regulariter per eandem habetur, modo habeatur per Dæmones, ex alia genitum ab homine dependeret, vt à viuente principio vitæ coniuncto; haberet enim aliquid ſubſtantialiter vnitum de ipſo homine, ad quod ſufficit, quod ſemen cum omnibus ſpiritibus infundatur, ſiue fiat modo naturali, & conſueto ab ipſo emittente ſemen, ſiuè alio modo extraordinario, ergo etiam poterunt fieri generationes per immiſ nem ſeminis aliqua arte ſine vaſis tratione, per quas certe habetur c matio.

Quarto, quia, vt ſuperius i indiſſolubilitas, quæ comp nio iam conſummato i ria cta eſt potiſſimum in f ſcilicet ex diſſolutio ratur, ſed in ea hy

Digitized by Google

inferetur proli, quæ concepta præſumitur ex immiſſione ſeminis per illam artem, ergo matrimonium illud, vtpote omnimodè indiſſolubile ſupponitur ſufficientèr conſummatum.

Hic ex occaſione oritur aliqua ratio dubitandâ deducta ex dictis in præcedenti aſſertione, quod ſcilicet ad veram, & perfectam conſummationem requiratur ſeminatio ex parte vtriuſque coniugis; an, inquam, ſi maſculus vas muliebre penetrauerit, & in eodem ſeminauerit, & poſteà ſe retraxerit, antequam fæmina frigidioris naturæ ſeminaret, & poſtea fæmina tactibus ſe excitauerit ad pollutionem, ſeque polluerit paulo poſt ſeminationem maſculi intelligatur perfecte conſummatio. Hic maxima eſt controuerſia inter Doctores, an licitum ſit eidem fæminæ, poſtquam maſculus ſeminauit, ſeque retraxit à coitu, tactibus ſe excitare ad ſeminandum Negant *Rodriquez in ſumma part. 3. c 88. num. 4. Diana part. 2. tract. 17. reſol. 38. in fine* Affirmant verò *Sanchez. tom. 3. de matrim. lib. 9. diſp. 17. num. 12. Bonacina de matrim. q. 4. punct 6. num. 15. Leſſius lib. 4. c. 3. dub. 14. num. 94. Homobonus de exam. Eccleſ. part. 1. tract. 7. c. 28. q. 126. Zanardus in direct. Theol. p. 1. de ſacram. matrim. c. 41.* §. 11. Mouentur primi, quia exiſtimant ſæmen fæmineum non eſſe neceſſarium ad generationem prolis, quandoquidem actus ille in ordine ad eandem eſt conſummatus per ſemen maſculi; ſicque illa ſubſequens fæminæ ſeminatio non poteſt habere aliquam honeſtatem ex fine. Mouentur ſecundi, quia alias fæminæ ſæpiſſime peccarent, cum frequenter viri prius ſeminent, nec illa prouocatio eſt illicita, cum ſit actus coniugalis perfectio, & conſummatio. Quidquid tamen ſit de hoc probabilius ſentio, ſiue illa prouocatio fuerit licita, ſiue illicita per illam poſteriorem ſeminis emiſſionem in fæmina fieri veram conſummationem, quia per illam fit proprie commixtio, & coniuges conſtituuntur in carne vna, ad quod non requiritur, quod maſculus perſeueret in actu coniunctionis, vt videre eſt, quando ſemen maſculinum immittitur per aliquam artem ſine vaſis penetratione; & ſi requireretur ſimultanea emiſſio, & commixtio, crebro non contingeret conſummatio, quandoqudem maſculi, vtpotè viuacioris naturæ citius ſeminant.

7 An ſit licitũ fæminę, poſtquam maſculus ſe retraxit à coitu, ſe excitare ad ſeminandũ

8 Cõſummatur, ſi fæmina poſtquã maſculus ſeminauit, ſeque retraxit à copula, ſe excitet ad ſemen, & ſeminet.

9 Per copulam habitam à ſponſo cum ſponſa antecedẽter ad matrimonium, hoc non dicitur conſummatũ.

Aſſertio IV. Si contractis ſponſalibus antecedenter ad matrimonium initum per verba de præſenti ſponſus carnaliter, & perfectè cognouerit ſponſam, & poſtea cum eadem matrimonium contraxerit per illam præcedentem copulam non intelligitur matrimonium conſummatum ad effectum, vt ſponſus intra bimeſtre non poſſit ad Religionem tranſire *Paulus in l. fin num 3. C. de Epiſcop, & Cleric. Ripa rub. ff. ſolut. matrim. num 25. Silueſter verb. Religio 2. qu. 9. Nauarus in ſumma c. 22. num. 84. Coaruuias 4. decret. prima part. c. 4. §. 1. nu. 15. Acoſta l. cum tale §. ſi arbitrat. ampl. vlt. nu. 19. ff. de condit., & demonſtrat. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. Henriquez lib. 11. de matrim. c 8. num. 8.*

Ratio ex eo deducitur, quia per copulam fornicariam, & cum non ſua propriè non conſummatur matrimonium, ſed illa copula cum ſponſa de futuro propriè eſt fornicaria, & cum non ſua rigoroſè loquendo, ergo &c. Maior patet, quia matrimonium, quod non eſt, non poteſt dici conſummari, quando autem eſt copula fornicaria, non intelligitur eſſe matrimonium. Minor etiam probatur, quia copula coniugalis eſſe non poteſt inter non coniuges; ante matrimonium autem contractum ſponſi de futuro propriè coniuges non ſunt, ergo illa copula erit fornicaria. Rurſus licet per contracta ſponſalia ſponſus acquiſierit ius aliquod in ſponſam, hæc tamen non eſt ſua ante contractum matrimonium in ordine ad actus coniugales, ergo &c.

Et ſic vterque intra bimeſtre poteſt ad Religionẽ migrare.

Dices primo, *ex c. veniens de ſponſalib. & c. is qui fidem eod. tit.* ſponſalia antecedenter in valida forma inita per ſubſequentem copulam tranſeunt in matrimonium, ergo per illam propriè conſummatur matrimonium, & fæmina, quæ reſpectu cognoſcentis non erat ſua, modo fit ſua. Sed contra, quia hoc in præſenti locum non habet poſt Concil. Trident. per quod diſponitur, quod non fiat, nec fieri poſſit matrimonium, niſi exhibito conſenſu per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus, & propterea per illam copulam ſponſalia illa non tranſeunt in matrimonium.

10 Modo ſponſalia per copulam non tranſeunt in matrimonium.

Dices ſecundò, ſi ex illa copula præcedenti concepta fuerit proles, & poſtea deuentum fuerit ad matrimonium, illa proles reſpectu ſponſi, qui antecedenter cognouit ſponſam, habetur vt ſua, & inter legitimas computatur, ergo illa conſummatio antecedenter poſita ad matrimonium poſt idem matrimonium habebitur propriè pro matrimonio conſummato, vnde bene *Baldus in c. licet de traslat. Epiſcop. in fine*, aſſerit, quod matrimonium ſequens retrotrahatur ad copulam præcedentem. Sed contra, quia ea, quæ dicuntur, verificantur tantum fictione iuris in beneficium, & fauore prolis, non autem in fauorem delinquentium, vt bene notat *Sanchez lib 2. de matrim. diſp. 21. num. 13.* per textum *in l. ſiue hæreditaria ff. de neg. geſtis.*

Proles ſolum fictione iuris diceretur legitima.

Dices tertiò, ex ſupradictis indiſſolubilitas matrimonij conſummati inducitur

potiſſi-

Digitized by Google

potiſſimum fauore prolis, ne ex diſſolutione eidem iniuria inferatur, ergo eadem iam concepta poſt inita ſponſalia, & poſtea contracto matrimonio hoc intelligetur perfectè conſummatum ad effectum, vt non poſſit diſſolui per ingreſsum in Religionem, cæteroqui eidem proli iniuria inferretur. Sed contra, quia ea, quæ dicuntur in inſtantia, procedunt in ordine ad prolem legitimè conceptam, non autem in ordine ad prolem conceptam per copulam fornicariam; vnde iura eidem conſuluerunt per fictionem, vt poſt matrimonium haberetur pro legitima, quia matrimonium ſubſequens eadem fictione purgat omnia antecedentia, non autem effecerunt in ordine ad eoſdem contrahentes, vt matrimonium intelligeretur propriè conſummatum per illam copulam præcedentem, nec potuerunt efficere, cum cōſummatio ex genere ſuo præſupponat matrimonium validum.

Indiſſolubilitas eſt ratione prolis legitimè conceptæ.

## PRÆNOTIO XIV.

### An poſt copulam vi extortam poſt matrimonium neutri liceat in gredi Religionem.

*SVMMARIVM.*

*Per copulam vi exortam conſummatur matrimonium.* 1.
*Matrimonium ex parte illius, qui copulam per vim extorſit, eſt omnino inſolubile, nec poteſt ſolui per ingreſſum in Religionem.* 2.
*Ex parte illius, quæ innocentèr vim paſſa eſt, non impediretur per ſe loquendo ingreſſus in Religionem.* 3.
*Impediri tamen poteſt per accidens, & quomodo.* 4.
*Ex ſuppoſitione, quod fœmina per accidens impedietur ingredi, an teneatur viro petenti reddere, duplex ſententia, ſed præfertur negatiua.* 5.
*Si fœmina non per vim, ſed per metum cadentem in conſtantem virum pro tempore præfinito ad deliberandam pro ingreſſu in Religionem carnaliter à marito cognoſcatur, an poſſit ingredi Religionem, duplex ſententia, ſed præfertur affirmatiua.* 6.

1 Per copulam vi extortam cō ſummantur matrimonium.

Mihi non eſt dubium, quidquid alij in contrarium dixerint, per illam copulam vi extortam conſummatum eſſe in re matrimonium, quia reuera facta ſupponitur illa ſeminum commixtio, & coniuges effecti vna caro, quod naturaliter contingit etiam ſecluſa intentione alterius contrahentis; vnde licet ſecundum eſſe morale non videatur illa conſummatio imputanda fœminæ innocenti vim paſſæ, non tollitur tamen, quin ſecundum eſſe phyſicum illa conſurgat; nec obſtat, ſi aſſeratur, illam conſummationem non eſſe idoneam ad inducendam inſolubilitatem, quæ propria eſt matrimonij conſummati: nam non poteſt ræpræſentare vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, quandoquidem hæc fuit ſpontanea Chriſto Domino, quæ propterea non poteſt ræpræſentari per actionem coactam; Non, inquam, obſtat, quia, vt benè notat *Sanchez de matrim. lib.2. diſp.22. num.4. verſ. nec obſtat*, ræpræſentat talem vnionem quoad ſubſtantiam, licet non quoad modum libertatis. Deindè aliud eſt, quod non ſit propriè conſummatum, aliud quod non ſit ſolubile per ingreſſum in Religionem ſuppoſita illa coactione, quod eſt id, quod ſub præſenti titulo controuertendum proponimus. Pro quo ſit

2 Aſſertio. Matrimonium illud ex parte illius, qui copulam vi extorſit eſt omninò indiſſolubile, nec poteſt ſolui per ingreſſum in Religionem, ex parte verò eius, quæ innocenter vim paſſa eſt, non impeditur per ſe loquendo ingreſſus in Religionem, licet impediri poſſet per accidens. Ita quoad primam partem *Manuel prima part. ſumma ſecunda edit. c.239. nu.3.*, cui adhæret *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 22. num. 8.* Quoad ſecundam *Gloſa c. fin. verb. irritus diſt. 55. Cardinalis c.2. qu.2. de conuerſ. coniug. Baldus l 1. §. remoues ff de poſtulan. Hypolitus de Marſilijs l.1. num.87. ff. ad leg. Cornel. de Sicarijs Silueſter verb. diuortium qu.5. Paludanus in 4. diſt.27. qu.3. art.2. concl.1. num. 10. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 61. art 1.*

Ex parte eius, qui copulam vi extorſit eſt omninò inſolubile.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia matrimonium ex parte vim inferentis eſt conſummatum non ſolum ſecundum eſſe phyſicum, ſed etiam ſecundum eſſe morale, ergo non eſt, cur ex parte ipſius non debeat eſſe omnino inſolubile perinde ac, ſi plenè eſſet conſummatum ex vtraque parte. Antecedens quoad eſſe phyſicum non patitur difficultatem, quandoquidem ſecundum tale eſſe intelligitur etiam conſummatum ex parte fœminæ vim paſſæ, quoad eſſe morale ex eo euincitur, quia ipſe omnino libere, & voluntariè copulam habuit cum integra ipſius perfectione, & complemento.

Dices, matrimonium debet eſſe indiuiſibiliter ex parte vtriuſque contrahentis indiſſolubile, quando conſummatum eſt, nec poteſt quoad eandem indiſſolubilitatem claudicare, ergo, ſi prout in ſequenti parte dicitur, & probabitur, poteſt ex parte vim paſſæ per ingreſſum in Religionem diſſolui, poterit etiam diſſolui per ingreſſum alterius, qui vim intulit. Sed contrà ea, quæ dicuntur in inſtantia vera ſunt.

Digitized by Google

ſunt, quantum eſt ex natura contraƈtus, & conſummationis ſecundum ſe, non quandò conſummatio eſt per iniuriam, & violentiam alterius, quæ ius habet, ne conſummetur intrà bimeſtre, vndè ratione talis iniuriæ, & quodamodò violationis non debet maiorem vim pati impedita monaſterium, quod elegit ingreditur, nec proptereà idem ius aſſiſtere poteſt vim inferenti, quandòquidem ipſe vim inferendo conſenſit in conſummationem, nec ipſius vis cum iniuria alterius poteſt eidem prodeſſe.

3 Ex parte innocentis non impeditur ingreſſus in Religioné.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià nemo ſine ſua culpa debet iure ſuo priuari per textum *in c. diſcretionem ad fin. de eo, qui cogno. conſang.*, ſed fœmina ſine ſua culpa in illa conſummatione vim paſſa eſt, quinimmò cum ſumma ſua iniuria, ergò non debet iure ſuo priuari, quod habet ante conſummationem ingrediendi Religionem. Confirmatur, quià vxor etiam conſummato matrimonio inuito marito poteſt ingredi Religionem ob eiuſdem viri adulterium, hæreſim, & ſimilia, non alia ratione, niſi, quià huiuſmodi deliƈta ſunt contrà bona matrimonij, ſed etiam talis violenta oppreſſio eſt contrà iura matrimonij, ergò &c. Confirmatur ſecundò, quià maritus per illam violentam oppreſſionem nequit commodum reportare contrà alterius libertatem, ergò non poteſt impedire, quin alter innocens ob perfeƈtius ſuum bonum poſſit Religionem eligere, cum iura talem ſtatum eidem antè conſummationem liberè permittant.

4 Impediri tamen poteſt per accidens, & quomodò

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quià iuſtitiæ, & iuris naturalis ratio poſtulat, ne per Religionis ingreſſum proles ex illo coitu violento concepta deſtituatur congruis auxilijs in bona educatione, & honeſta, & ob ſimiles rationes impediuntur filij ab ingreſſu in Religionem, quandò ipſorum permanentia in ſæculo neceſſaria eſt ſuſtentationi congruæ parentum, qui ex alia parte deſtituti ſint congruis auxilijs, & ingreſſi ob ſimiles neceſſitates compelluntur egredi, ergò, ſi proles illa non poſſit congruè, & honeſtè educari aliundè, tenebitur mater ab ingreſſu in Religionem abſtinere, *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 61. art. 1.*

5 An fœmina, quę per accidens impeditur ingredi teneatur tūc petēti viro reddere? ſententia negatiua.

Sed, an tunc mater teneatur viro petenti reddere debitum; videntur rationes pro vtraque parte militare. Pro parte negante non modici roboris videtur eſſe, quod illa, non obſtante illa violenta conſummatione ius plenum retinet ingrediendi Religionem, à quo in tantum abſtinet, in quantum honeſta prolis educatio ità exigit, ergò fauore tantum prolis, non viri tenetur in ſæculo permanere, ergò eidem petenti non tenetur reddere debitum, quandòquidem permanentia in ſæculo non eſt in ipſius fauorem, & in ordine ad ipſum non permaneret. Accedit, quod ob adulterium commiſſum à viro libera remanet vxor à reddendo debito marito, ergò etiam ob illam violentam oppreſſionem. Pro parte affirmante hæc militat ratio, quià poſt bimeſtre, quod conceditur ad maturè deliberandum coniugibus quoad ingreſſum in Religionem tenentur ijdem coniuges, ſi in ſæculo perſeuerent, mutuo ſibi reddere debitum, quià ſolummodò ſtatus melioris perfeƈtionis illos eximit à tali onere, ergò, ſi intra tale tempus perfeƈtiorem illum ſtatum non elegerint, tenebuntur ad inuicem communicare; nec obſtare poteſt primo, ſi aſſeratur, quod in tantum vxor vi oppreſſa non elegerit, in quantum ratio fortioris obligationis honeſtè educandæ prolis id impediat; ſecundò, quod ratio violentiæ præcedentis, & iniquitatis in illa oppreſſione illam eximat ab illa obligatione; Non, inquam, obſtare poteſt primum, quià ſolummodò aƈtualis eleƈtio ſtatus perfeƈtioris, non potentia ad talem eleƈtionem, ſeù quod potuerit eligere illam de obligat à tali onere; non ſecundum, quià talis violenta oppreſſio inducit quidem noxam in violatore, non autem ipſum priuat ſuo iure, niſi oppreſsa ad perfeƈtiorem ſtatum conuolarit. Quid igitur in hac controuerſia concludendum? Abſolutè ſentio potiora eſſe iura partis negantis, quandòquidem tota ratio permanendi in ſæculo prouenit ex culpa eiuſdem mariti vi opprimentis, quæ proptereà eidem nequit prodeſſe, & proptereà innocens poteſt ab eodem velle diuortium quoad torum, ſicut poteſt velle ob adulterium mariti, aliaſque ſimiles cauſas.

Affirmatiua.

Præfertur negatiua.

Hic oritur ratio dubitandi, an non ſolum poſſit ingredi Religionem, ſi pro tempore præfinito ad deliberandum pro Religione fuerit per violentam oppreſſionem carnaliter cognita, ſed etiam ſi fuerit cognita per metum cadentem in conſtantem virum. Negant *Ioannes Andreas reg. quæ contra ius de reg. iur. in 6. Præpoſitus c. fin diſt. 55. Cardin c. 2. de conuerſ. coniug. q. 2. Silueſter verb. diuortium q. 5. Palacios in 4. diſt 27. diſp. 2.* ea moti ratione, quià metus non ità priuat libertate, ſicuti priuat violenta oppreſſio. Nihilominus exiſtimo poſſe etiam abſolute ingredi, prout ſentiunt *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 61. art 1. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 22. nu. 12.* Ratio ex eo deducitur, quià in hac etiam hypotheſi denegari non poteſt, quin eidem fœminæ per illum metum incuſſum cadentem in conſtantem virum illata fuerit maxima iniuria, ratione cuius illi permitti-

6 Poteſt ingredi Religionem, quamuis non per vim fuerit cognita, ſed per metum cadentem in conſtantē virum.

Digitized by Google

mittitur facultas ingrediendi monaſterium, nec ſolum ratione libertatis omnimodè ademptæ.

## PRÆNOTIO XV.

### An, ſi fæmina poſt contractum matrimonium vi oppreſſa intrà bimeſtre transferit ad Religionem, poſſit maritus, qui oppreſſit, alteri nubere.

*SVMMARIVM.*

*Ingreſſa muliere, quæ fuerat per vim oppreſſa à marito tempore præfinito ad deliberandum monaſterium, in eoque profeſſa, non poteſt maritus, qui oppreſſerat, alteri nubere.* 1.

*Non ſolueretur coniugium, ſed poneretur perpetuum diuortium.* 2.

*Maritus, qui per vim oppreſſit coniugem, ſi ingredietur monaſterium, & profiteatur, inualide profiteretur.* 3.

*Fæmina in illa hypotheſi non poteſt vinculo coniugali renunciare.* 4.

ORtum habet hæc difficultas ex ijs, quæ docent *Sanchez lib. 2. de matrimonio diſp. 12. n. 8. Manuel. 1. tom. ſumma 2. edit. c. 239. n. 3.* quod etiam nos ſuprà innuimus, nempè ſponſum, qui vi oppreſſit propriam ſponſam, non poſſe eadem inuita Religionem ingredi, quià ex parte ſua voluntariè conſummatum eſt matrimonium; ſi igitur ex parte ipſius conſummatum eſt, ergò ex parte eiuſdem eſt omninò indiſſolubile, & parit vinculum coniugale, quod nulla hominum poteſtate poteſt ſeparari, vndè videtur, quod ex parte ipſius ſeparatio vxoris per ingreſſum in monaſterium ſe habeat per modum ſimplicis diuortij, ſicuti contingeret, ſi vxor monaſterium ingrederetur ob commiſſum adulterium à marito. Proptèr quod ſit (Ratio, vndè deſumitur dubitatio.)

1 Aſſertio. Ingreſſa muliere in monaſterium, & in eodem profeſſa non poteſt maritus, qui, eandem oppreſſerat, alteri nubere *Paludanus in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2. concl. 1. n. 10. Durandus ibid. q. 2 n. 15. Victoria ſumma de matrimon. n. 225. Angelus verb matrimonium 4. n. 17. Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. Barboſa, ff. ſolut. matrim. 2. part. rubr. num. 106. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 54. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 8. n. 10.*, qui cum omnes ſuſtineant, nec vxorem vi oppreſſam poſſe ingredi monaſterium à fortiori ſuſtinere debent, nec vi opprimentem poſſe ingredi, & rationem adducunt, quià per illam copulam, quantumvis vi extortam matrimonium ſit indiſſolubile, & gignit vinculum coniugale propriè, & rigoroſè ſumptum, quià iam rapræſentat illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. (Non poteſt maritus, qui per vim oppreſſit alteri nubere, ſi oppreſſa tranſeat ad monaſterium.)

Probatur primo, quià conſtante iam matrimonio, & ſecuta illa copula quamuis per violentam oppreſſionem, re vera coniuges facti ſunt in carne vna per illam comixtionem ſeminum, quæ indè ſecuta eſt, & rapræſentant illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, quę conſiſtit in eo, quod Chriſtus per vnionem hypoſtaticam per carnem aſſumptam factus eſt vna caro cum eadem Eccleſia; nec obſtat, vt ſuprà aſſerebamus, quod hæc fuerit voluntaria, illa autem violenta, quandòquidem non rapræſentat modum, quo facta eſt, ſed ſubſtantiam eiuſdem, vt iam conſtantis; ſed quandò coniuges facti ſunt in carne vna, & rapreſentant illam vnionem indiſſolubilem manent alligati vinculo coniugali, quod nulla humana poteſtate poteſt diſſolui, ergò &c. (Fiunt duo in carne vna.)

Dices hac ratione cōtra ſuperius dicta nec ipſa coniux vi oppreſſa poſſet Religionem ingredi, quandoquidem ſemper verificatur, quod per illam conſummationem etiam violentam facti fuerint in carne vna, & quod rapræſentent illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia. Sed contra, quod eidem coniugi propter iniuriam ipſi illatam concedatur facultas ingrediendi Religionem non eſt ex diſſolutione vinculi coniugalis, ſed ex iure eidem competente propter eandem iniuriam, cum æquum non ſit, vt ex aliena iniquitate ſuo iure priuetur, vnde dici poteſt, quod per illum ingreſſum mulieris in monaſterium fiat perpetuum diuortium à toro, & à cohabitatione, non autem diſſolutio à vinculo, ſicuti fit propter adulterium eiuſdem mariti, hæreſim, aliaque ſimilia crimina, ob quæ conceditur ius diuortij. Ad hoc confirmandum plurimum facit argumentum in principio adductum, quià ex parte maſculi vi opprimentis omninò liberè fuit conſummatum matrimonium, adeoque indiſſolubile, ergò, ne claudicare dicatur, cenſendum eſt indiſſolubile etiam ex parte fæminæ oppreſſę, cum reſultet vna caro, illaque rapræſentatio. (2. Per illum ingreſſum, & profeſſionem nō ſolueretur coniugium, ſed poneretur perpetuum diuortium.)

Probatur ſecundò, quià ſi maritus, qui vxorem intrà bimeſtre cognouit, ingrediatur Religionem, & in eadem profiteatur inualida eſt omninò profeſſio, *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 8. n. 10. Manuel. 1. tom ſumma 2. edit. c. 239. n. 2., & omnes DD. ſuprà allegati*, qui ſuſtinent matrimonium conſummatum etiam per violentam oppreſſionem fæminæ eſſe omninò inſolubile, & licet nonnulli aſſerant, (3 Maritus inualidè profitetur.)

 quod.

Digitized by Google

quod, ſi maritus tunc ingrediatur Religionem, & in eadem profiteatur, valida ſit profeſſio, nec poſſit reuocari, immò vinculum ipſum matrimonij diſſoluatur, licet peccet ſponſus ratione damni illati ſponſæ ex ſua culpa, ideò hoc aſserunt, quià exiſtimant per illam violentam oppreſſionem propriè non-conſummari matrimonium, atque ſic ſentiunt *Henricus c. fin. n. 4. de ſponſ. duorum Armilla verb. diuortium n. 6. Ioannes Andreas reg. quæ contrà ius de reg. iur. in 6. Abbas c. 2. de conuerſ. coniug. in fin.*, ergò à contrario ſenſu, ſi per illam matrimonium conſummatum fuerit valida nō erit profeſſio, & reuocabitur, & vinculum coniugale ſemper erit inſolubile.

4 Fæmina non poteſt in ea hypotheſi vinculo coniugali renuntiare. Dices ex eo, quod mulier, poſtquam vi oppreſsa eſt, ingreſsa eſt monaſterium, in eodemque profeſsa renuntiauit vinculo coniugij, ergò maritus etiam ab eodem vinculo intelligitur abſolutus argumento à contrario ſenſu deducto, quià ſicuti, quandò vinculū indiſſolubile eſt ex parte vnius eſt etiam indiſſolubile ex parte alterius, ne videatur claudicare, ita quandò ex parte vnius diſſoluitur, etiam ex parte alterius diſſolui cenſendum eſt. Sed contrà, quià licet fæmina illa vi oppſeſsa ratione iniuriæ ſibi illatę poſſit libere ad Religionem tranſire, in eaque profiteri etiam inuito marito, non tamen poteſt vinculo coniugali renuntiare, quandòquidem illud indiſpenſabilitèr conſurgit de iure diuino ſuppoſita conſummatione, quomodòcunque illa euenit poſt contractum matrimonium, vndè illa renuntiatio, ſi qua eſt, eſt tori, & cohabitationis, non eiuſdem vinculi.

Dices, iterum nimis arduum eſset marito, ſi ingrediente vxore monaſterium poſt illam violentam oppreſſionem teneretur prrmanere ſine altero coniugio, & in ſtatu quodamodò viduitatis, quandòquidem teneretur ſuſtinere ſtimulos carnis, & vtique excitatos per præcedentem illam libidinem in illo actu coniugali violento ſine vllo penitus remedio ad reprimendam concupiſcentiam. Sed contra; hoc idem dici poſset in ſeparatione tori, & habitationis in diuortio propter ipſius adulterium, vel hæreſim, nec tamen vllus eidem concedit ius ad tranſeundum ad alia vota, vndè debet ſibi imputare, quod per actionem iniquam cauſam dederit illi ſeparationi contrà omnem iuſtitiæ ordinem.

(Margin: Maritus debet ſibi imputare, quod non poſſit nubere.)

## PRÆNOTIO XVI.

An, quotieſcunq; matrimonium conſummatum non eſt, liberum ſit cuicunque coniugi tranſire ad Religionem, & an in eo caſu diſſoluatur vinculum coniugale.

### SVMMARIVM.

*Non ſolum intra ſpacium duorum menſium poteſt alter coniugum ad Religionem tranſire, ſed etiam eo elapſo, ſi matrimonium non fuerit conſummatum.* 1.

*Iura præſcribentia bimeſtre ad deliberandum de ſtatu Religionis ſolum volunt, quod intra illud nequeant compelli coniuges ad conſummandum.* 2.

*Impoſita excommunicatione niſi, vel intra bimeſtre conſument, vel ingrediantur, contrahunt excommunicationem ſi alterum non compleant, poſſunt tamen adhuc ingredi.* 3.

*Fæmina vi oppreſſa per maritum, & intra bimeſtre non ingreſſa monaſterium poteſt eo elapſo adhuc ingredi, ſi alia voluntaria copula non fuerit ſecuta.* 4.

*Poteſt adhuc ingredi, quantumvis fuerit per vim oppreſſa poſt bimeſtre, ſi tunc habuerit animum ingrediendi Religionem.* 5.

*Etiamſi tempus ad deliberandum reſtringeretur ad bimeſtre adhuc ex diſpenſatione Pontificis eo elapſo, & matrimonio non conſummato poſſet alter ingredi.* 6.

*Bimeſtre à iure ſtatutum ad deliberandum, quando matrimonium celebratum eſt per Procuratorem incipit à die habita notitia contractus.* 7.

*Iudex cognita cauſa poteſt bimeſtre prorogare.* 8.

*Bimeſtre incipit à die contractus, & computatur eo modo, quo menſes occurrunt in calendario, & à momento in momentum.* 9.

*Quomodo computandus ſit menſis Februarij in anno biſeſtili.* 10.

*Bimeſtre, quod à iure præſcribitur non eſt ad profitendum, ſed ad deliberandum de ingreſſu.* 11.

*Matrimonium tamen non diſſoluitur, niſi per profeſſionem.* 12.

Difficultates non modicas ſub hoc titulo examinandas aſſumimus deſumptas præcipuè ex textu *in c. ex publico de conuerſ. coniug.* vbi de coniuge, quæ poſt contractum receſſerat à marito Pontifex, hæc habet *Mandamus, quatenus ſi prædictus vir eam carnaliter non cognouerit, & eadem ad Religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficienti cautione, quod vel ad Religionem tran-*

Digitized by Google

*tranſire, vel ad virum ſuum redire intra duorum menſium ſpacium ipſam abſoluas*; circa quam diſpoſitionẽ ſuppoſito primo, quod ſi matrimonium illud conſummatum fuerit per carnalem copulam, non poſſit eadem fœmina ad Religionem migrare, quod deducitur ex illa particula exceptiua *ſi prædictus vir eam carnaliter non cognouerit*, colligunt primo occaſionem diſputandi DD. an ſolummodo intra illud duorum menſium ſpacium poſſit perfectiorem ſtatum Religionis eligere, an vero etiam poſt, ſi non fuerit conſummatum. Secundo, an ſi poſt longum tempus à lapſu illorum duorum menſium, vel ex abſentia alterius, vel ex aliqua alia legitima cauſa non fuerit conſummatum ſic inſtante altero coniuge poſſit Pontifex diſpenſare, vt ad ſtatum Religionis tranſeat: Tertio, an ſi matrimonium celebratũ fuerit inter abſentes per Procuratorem terminus illorum duorum menſium à iure conceſſus ad deliberandum ſit computandus à die celebrati contractus per Procuratorem, an vero à die, quo abſens fuerit traductus ad alterum coniugem. Quarto, an elapſo illo bimeſtri à iure conceſſo ad deliberandum de ſtatu Religionis teneantur immediatè coniuges ſibi reddere debitum. Quinto an illud bimeſtre prorogari poſſit à Iudice. Sexto, quomodo computandum ſit illud bimeſtre, Septimo, an illud bimeſtre ſit conceſſum ad deliberandum de ingreſſu, an vero ad profitendum, & his ſimilia.

**Varij articuli ſub hoc titulo examinandi.**

Aſſertio I. Non ſolum intra illud duorum menſium ſpacium, ſi non fuerit conſummatum matrimonium, poteſt alter coniugum tranſire ad Religionem, ſed etiam eo tranſacto, quandocunque non fuerit conſummatum. *Gloſ. c. ex publico verbo duorum de conuerſ. coniug. Silueſter verb. votum 4. q. 2. dicto primo Antonius Cucus lib. 5. inſtitut. maior. tit. 12. num. 20. D. Bonauentura in 4. diſt. 17. art. 3. q. 2. Ancharanus in d. c. ex publico num. 10. de conuerſ. coniug.*

**1 Non ſolum intra ſpaciũ duorũ menſiũ poteſt alter coniugum ad Religionẽ tranſire, ſed etiam vltra illud, ſi matrimonium non fuerit conſummatũ.**

Ratio ex eo deducitur, quia priuilegium ingrediendi Religionem ante conſummationem indefinitè conceſſum eſt à Chriſto Domino, nec per aliquod ius poſitiuum limitatur, ergo etiam tranſacto eodem bimeſtri, & non conſummato matrimonio poterit ob melioris ſtatus perfectionem alter eâdem Religionem ingredi Antecedens quoad primam partem patet, quia matrimonij vinculum obligat, niſi in detrimentum maioris perfectionis, propter quam rationem conceditur ingreſſus in Religionem poſt contractum matrimonij, niſi illud fuerit conſummatum; quoad ſecundam vero euincitur, quia ius poſitiuum diſponens bimeſtre pro deliberatione ad ingrediendam Religionem ſolum diſponit, quod intrà illud non poſſint compelli coniuges ad conſummandum in ordine ad illum finem deliberationis pro illo ſtatu eligendo, & eo tranſacto, quod poſſint compelli ad reddendum, niſi immediatè tranſeant in Religionem, vnde hoc eſt diſcrimen intra illud bimeſtre, & extra, quod intra non poſſint compelli coniuges ad conſummandum, etiam ſi animum non habeant ingrediendi Religionem; extra illud poſſint compelli, niſi immediatè ſe transferant ad Religionem, neque obſtat, ſi dicatur, quod Põtifex *in illo c. ex publico de conuerſ. coniug.* præſcribit, vt coniux, quæ receſſerat abſoluatur, ſi præſtiterit cautionem, vel ingrediendi intra ſpacium duorum menſium Religionem, vel intra illud ſpacium redeundi ad maritum ergo immediatè tranſacto illo bimeſtri, & non poſito ingreſſu in Religionem tenebitur conſummare, & non poterit ingredi Religionem; Non, obſtat, inquam, quia ex eo, quod Pontifex præceperit illam cautionem videtur ſolum voluiſſe, quod teneatur ſub onere illius cautionis regredi ad maritum, non autem, quod illa amiſſa non poſſit ingredi Religionem.

**2 Iura præſcribentia bimeſtre ad deliberandum de Religione ſolũ intendunt, quod intra illud non poſſint compelli coniuges ad conſummandum.**

Ex eo autem, quod dicatur in præallegato textu, quod poſſit recipi ſufficiens cautio, ſequitur etiam, quod Iudex Eccleſiaſticus vice eiuſdem cautionis poſſit excõmunicationem imponere ipſis coniugibus, quam contrahant ipſo facto, niſi intra illud ſpacium duorum menſium, vel matrimonium conſumment, vel monaſterium ingrediantur. Demus iam, quod talem excommunicationem appoſuerit, tunc certe ſi alterutrum non adimpleuerint, remanent vinculo eiuſdem excommunicationis innodati, ergo non poſſunt eo elapſo ſtatum Religionis eligere, cæteroqui inutilis eſſet excommunicatio. Sed facile occurrere poſſum huic obiecto, ſi aſſeram, & Iudicem Eccleſiaſticum poſſe imponere talem pœnam excommunicationis, & ipſos coniuges eadem innodatos remanere, ſi alterum ex impoſitis non adimpleant, nego tamen non poſſe poſteà ingredi Religionem, nam tunc excommunicatio ligat quidem contumacem vſque ad introitum, poſtquam tamen ingreſſus eſt, eſt abſoluendus ab eadem, prout notat *Innocentius in d. c. ex publico n. vnico de conuerſ. coniug.* atq; ita expreſſe ſentit *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 24. num. 28. verſ. ad confirmationem*; vnde illa excõmunicatio eſt ad compellendum ad implementum eorum, quæ præcipiuntur ſub pœna incurſus eiuſdem, non autem ad impediendum, ſi poſteà velit, ſeu eligat Religionem ingredi.

**Si Epiſcopus excõmunicationem imponeret, niſi intra bimeſtre, vel matrimonium cõſumment, vel monaſterium ingrediantur tenet excõmunicatio ſi alterum non adimpleant, poſſunt tamen adhuc ingredi.**

Hic immediatè ſuboritur difficultas,



Digitized by Google

Si autem hic inquiras, an ſaltem produceret Phyſicè gratiam, ſi in ea hypotheſi coniuges conuerſi ad fidem nouos actus conſenſus elicerent, quibus prius matrimonium pro tempore infidelitatis initum confirmarent; res videtur difficilis ſolutionis, quandòquidem tunc videretur ſacramentum exiſtere Phyſicè in ſuis conſtitutiuis actu exiſtentibus, Nihilominus, cum contractus iam validus præſupponatur antecedentèr ad illos actus de nouo elicitos poſt ſuſceptum baptiſmum, probabilius exiſtimo, etiam tunc cauſare tantum moralitèr, non Phyſicè. Ratio ex eo deducitur, quià actus ſubſequentes ad validitatem contractus non poſſunt influere in eius ſubſtantiam, adeoque ipſi non poſſunt concurrere ad eſſe ſacramenti, niſi quoad eius clariorem expreſſionem; cæterum vis agendi cauſæ tribuitur formalibus conſtitutiuis eiuſdem non ſubſequentibus ad eius eſſe iam conſtitutum; vndè in hoc valet argumentum, quod ſuprà afferebamus, quod, ſicuti diſpoſitio ſubſequens ad ſuſceptionem, & operationem ſacramenti non poteſt conferre ad perfectiorem effectum eiuſdem ſacramenti, ita actus ſubſequentes ad confectionem contractus non poſſint conferre ad ipſius conſtitutionem, adeoq; non poſſint eidem tribuere maiorem vim operatiuam illa, quam habeant ſecundum eſſe eiuſdem; Cum igitur contractus habeat tantum eſſe morale, non exiſtentiale Phyſicum, non poterit agere Phyſicè, ſed tantum moralitèr.

7 Intellige etiam, ſi tunc renouarentur conſenſus.

## PRÆNOTIO XII.

Quotuplex ſit matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Matrimonium aliud eſt præciſè contractus aliud contractus ſimul, & ſacramentum num.* 1.

*Aliud ratum, aliud conſummatum, aliud legitimum.* 2

*Aliud ſolemne, aliud clandeſtinum, & quid vtrumque.* 3.

*Quoad denuntiationes poteſt Epiſcopus diſpenſare,* 4.

Conſiderato iam matrimonio ſecundum ſuam exiſtentiam, eſſentiam, & vim cauſandi, nunc ad eius diuiſiones per ſuas partes deſcendimus examinandas, quæ poſſunt eſſe, vel in ordine ad ſubiectum, vel in ordine ad obiectum, vel in ordine ad formam extrinſecam.

Ratione ſubiecti diuiditur potiſſimum in matrimonium, quod eſt præciſè contractus inter infideles, & in matrimonium quod eſt contractus ſimul, & ſacramentum inter fideles, quod licet vtrumque conueniat in ordine ad finem generationis prolis, & etiam quodamodò ad bonum fidei, differt tamen in ordine ad bonum ſacramenti; ex quo fit, vt ſecundo competat indiſſolubilitas quacunq; poteſtate humana, ſi fuerit conſummatum, indiſpenſabilis; primo verò, licèt competat indiſſolubilitas de iure naturali diuino, hæc tamen eſt humana poteſtate diſpenſabilis, & ante legem Euangelicam de facto ſoluebatur per libellum repudij.

Diuiſio ratione ſubiecti in matrimonium præciſè, vt contractus, & in matrimonium, vt contractus eſt, & ſacramentū.

Ratione obiecti diuiditur in matrimonium ratum, & conſummatum, & legitimum; primum eſt, quod tribuit actualitèr ius ad rem, ſeù ad vſum coniugalem, non tamen actualitèr ipſe vſus per actualem copulam eſt completus. Secundum eſt, quod inducit ius in re, & actualem poſſeſſionem corporis cuiuſcunque coniugis per actualem coſummationem per copulam completam. Primum eſt ſolubile per ingreſſum in Religionem, eiuſque profeſſionem; ſecundum quoad vinculum coniugale eſt quacunq; poteſtate humana inſolubile, & tantum ſoluitur per mortem alterius coniugis, vt ſuprà dicebamus; tertium ex, quod legitimo conſenſu contrahitur, & transfert ius mutuum in corpora coniugum, non tamen dicitur ratum, quià non eſt ſacramentum, vt habetur *c. quanto de diuortijs*, & docent omnes, & explicat Concil. Colonienſe, quod refert *Couarruuias 4. decretal. 2. part. c.1 §. vnico n.* 4., hocque etiam, ſi fuerit conſummatum, quantumvis de iure naturali diuino ſit indiſſolubile etiam de præſenti poſt legem Euangelicam reiecto libello repudij, eſt tamen ſolubile de facto, ſi aliter conuertatur ad fidem altero permanente in infidelitate, & nolente cohabitare ſine iniuria creatoris, vel ſi vterque conuertatur ex diſpenſatione Summi Pontificis.

2 Diuiſio ratione obiecti in ratū, conſummatum, & legitimum.

Ratione formæ extrinſecæ diuiditur in ſolemne, & clandeſtinum. Primum eſt, quod celebratur in facie Eccleſiæ, quod intellige non materialiter, quatenus fieri debeat in eadem Eccleſia materiali, quià validè celebrari poteſt, vel domi, vel in alio quocunque loco, licet ex quadam honeſtate regularitèr fiat in Eccleſia, ſed formalitèr, quatenus fieri debet coram aliqua multitudine, fidelium & modo *Concilium Tridentinum ſeſſ.24.c.1.* præſcripſit, vt ex neceſſitate fiat coram *Parocho*, & duobus, vel tribus teſtibus inhabilitando contrahentes, ſi ſine tali ſolemnitate contraxerint. Secundum eſt, quod celebratur, vel ſine tali ſolemnitate aſſiſtentiæ *Parochi*, & teſtium, vel omiſſis con-

3 Diuiſio ratione formæ in ſolemne, & clandeſtinum.

Digitized by Google

conſuetis denuntiationibus ad formam ab Eccleſia præſcriptam; hoc tamen intercedente diſcrimine, quod, ſi celebretur ſine Parocho, & teſtibus matrimonium ipſum nedum ſit illicitum, ſed etiam abſolutè inualidum ex incapacitate contrahentium ſic inducta per Concil. Tridentinum; ſi verò celebretur ſine conſuetis denuntiationibus ex præſcripto Eccleſiæ ſit quidem illicitum, non tamen ex hoc præciſè capite inualidum; *Dixi ex hoc præciſè capite*; non enim negauerim, quod, ſi in illo matrimonio ſic contracto interceſſerit aliquid impedimentum dirimens, reddatur ex illo abſolutè irritum.

Conditiones requiſitæ, vt dicatur ſolemne.

Circa hanc vltimam diuiſionem aduertendum eſt, quod circa denuntiationes per Concil. Trident. relicta eſt Epiſcopis poteſtas diſpenſandi, non tamen expreſsè circa aſſiſtentiam Parochi, & teſtium; ex quo ſequitur eiſdem non competere ius circa illam præſentiam diſpenſandi; tùm quia Concil. conſtituit illam aſſiſtentiam tanquam formam ſubſtantialem contractus, in qua Epiſcopus non poteſt diſpenſare, & inhabiles reddit contrahentes ſine illa; tùm quia, cum eidem Epiſcopo conceſſerit facultatem diſpenſandi circa denuntiationes, & nihil dixerit de relaxatione huiuſmodi præſentiæ Parochi, & teſtium videtur expreſsè eidem prohibuiſſe ius ad talem diſpenſationem. *Nauarrus in man. c. 22. num. 70. Segura in director. Iud. Eccl. qu. 2. c. 15. num. 44. Franciſcus Molinus lib. 2. de rit. nupt. diſſ. 11. num. 145. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 5. §. 5. lit. Q. Fillintius part. 1. tract. 10. c. 6. num. 296. Baſilius Pontius lib. 5. num. 16, c. 6. Bellarminus ad c. 1. ſeſ. 25. de reform. matrim. in addit. num. 10.* Ex quo tamen non ſequitur, quin Summus Pontifex poſſit quoad huiuſmodi aſſiſtentiam diſpenſare, quandoquidem, cum hæc forma inducta fuerit præciſè per ius Eccleſiaſticum, non demit auctoritatem Pontificis, qui eſt ſupra quodcunque tale ius.

4 Quoad denunciationes poteſt Epiſcopus diſpenſare.

## PRÆNOTIO XIII.

### Quandonam dicatur matrimonium conſummatum ad effectum, vt alter coniux non poſſit illud diſſoluere per ingreſſum in Religionem.

### SVMMARIVM.

*Per quamcunque ſeminis effuſionem extra vas naturale matrimonium non conſummatur.* 1.

*Nec per nixum in copulam, nec per coitum ſodomiticum. Ibid.*

*Ex ſola vaſis muliebris penetratione ſine ſeminis in eodem effuſione non conſummatur.* 2.

*Nec ex ſola emiſſione ſeminis maſculini intra vas fœminæ, niſi etiam ipſa ſeminet num.* 3.

*Concumbens cum fœmina impuberi inepta ad generationem non contrahit affinitatem cum ipſius conſanguineis.* 4.

*Penetratio vaſis muliebris non eſt eſſentialis ad conſummationem, vnde, ſi poſſet immitti intra vas fœminæ ſemen virile cum debitis diſpoſitionibus ſine penetratione adhuc matrimonium diceretur conſummatum.* 5.

*Productiones, quæ fiunt à dæmonibus ſuccubis ſunt veræ generationes reſpectu hominis, à quo ſemen eſt deciſum.* 6.

*An ſit licitum fœminæ, poſtquam maſculus ſeminauit, ſeq; retraxit à coitu, ſe excitare ad ſeminandum, ſi antea non ſeminârit remiſſiuè.* 7.

*Si maſculus poſtquam ſeminauit ſe retraxit à copula, & immediatè poſt fœmina ſe excitarit ad ſeminandum, & ſeminarit matrimonium conſummatur.* 8.

*Per copulam habitam à ſponſo antecedenter ad matrimonium hoc non dicitur conſummatum.* 9.

*Modo ſponſalia per copulam non tranſeunt in matrimonium.* 10.

INcipimus iam examinare aliqua diſputabilia, quæ ad nonnulla membra præcedentium diuiſionum pertinere poſſunt, & primo ſe ſe offert matrimonium, vt conſummatum, circa quod diſputabitur primò, an intelligatur ſufficienter conſummatum per vaſis muliebris penetrationem abſque ſeminis receptione intra illud. Secundò ex ſuppoſitione, quod vltra vaſis penetrationem requiratur ſeminatio, an hæc debeat eſſe ex parte vtriuſque. Tertiò, an, ſi dari poſſet immiſſio ſeminis in vas muliebre ſine penetratione, & de facto immitteretur intelligeretur ſufficienter ad hunc effectum conſummatum. Quartò, an, ſi contractis ſponſalibus, & antecedenter ad matrimonium haberetur copula inter ſponſos de futuro, contracto poſtea eodem matrimonio ratione talis copulæ præcedentis intelligatur ſufficienter conſummatum. Pro clariori intelligentia.

Articuli examinandi circa matrimonium conſummatū.

Aduerte, per quamcunque ſeminis effuſionem extra naturale vas non propriè dici matrimonium conſummari, vt expreſsè habetur *in c. extraordinaria 35. qu. 3.* vbi dicitur pollutionem extraordinariam non parere affinitatem; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem matrimonium dicitur conſummatum ex eo, quod duo coniuges facti ſint in carne vna; non fiunt autem tales, niſi per ſeminum commixtionem, vt per ſe patet, quæ commixtio non habetur per ſolam extraordinariam ſeminis effuſionem,

1 Non conſummatur per effuſionem ſeminis extra vas naturale.



Digitized by Google

nem. Hinc fit primò per ſolum nixum in copulam, per quem maritus effundit ſemen extra vas muliebre propriè non oriri conſummationem; Secundò, nec oriri per copulam ſodomiticam inter eoſdem coniuges, quantumvis maſculus in vaſe præpoſtero, quod penetrauit, ſeminauerit; non enim tunc fit illa ſeminum commixtio, Tertiò in ſententia ſatis probabili, de qua infrà fuſius agetur, nec oriri, quantumvis maſculus maior carnaliter cognouerit fœminam impuberem, quæ nondum exceſſerit nouennium, ſi inter ipſos admitti poſſet matrimonium. Quibus ſuppoſitis ſit

Nec per nixum in copulam.

Nec per coitum ſodomiticũ.

2 Nec per ſolam vaſis muliebris penetrationem.

Aſſertio I. Ex ſola vaſis muliebris penetratione ſine ſeminis in eodem effuſione propriè matrimonium non conſummatur *Archidiaconus c. extraordinaria 35. qu. 3. & c. vnico nu. 3. de deſp. impub. num. 6. Ioannes Andreas reg. qua contra ius de reg. iur. in 6. Henricus c. fraternitati num. 10. de eo, qui cogn. conſang. D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 11. ante §. 1. Sotus in quarto diſt. 27. qu. 1. art. 4. verſ. cauſa dirimendi, Vega lib. 4. ſumma caſ. 157.*

Ratio ex eo deducitur primò, quià per id matrimonium dicitur conſummari, per quod coniuges fiunt vna caro, quod colligitur tùm *ex cap. 2. de conuerſ. coniug.*, vbi adducitur ratio, cur coniuges ante conſummationem poſſint tranſire ad Religionem, quià ſcilicet *non facti ſunt vna caro*; tùm ex ſignificatione, quam habet pro eo ſtatu, vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, quam vnionem non important, niſi prout fiunt vna caro, ſicuti Chriſtus per vnitatem carnis Eccleſiæ eſt coniunctus; tùm ex eo, quod, niſi fiant vna caro non oritur affinitas; atque hoc expreſsè docent *D. Thomas in 4. diſt. 41. qu 1. art. 1. quæſtiuncula 4 ad primum, D. Bonauentura ead. diſt. qu 1. Gloſa c. extraordinaria 35 qu. 3.*, ſed per ſolam vaſis muliebris penetrationem ſine ſeminis effuſione in illo non fiunt coniuges vna caro, quæ ſolum conſurgit ex ſeminum commixtione, ergo &c. hocque expreſſè colligitur *ex c. lex 27. qu. 1.*

Per illam penetrationem præcisè non fiunt vna caro.

Secundò, quià ex ſuperius latè probatis matrimonium conſummatum inter fideles eſt omni iure humano indiſſolubile, ſed vna ex potiſſimis rationibus, ob quam inducta eſt indiſſolubilitas eſt bonum prolis, cui inferretur iniuria, ſi contractus diſſolueretur, ergo, vbi non poteſt eſſe iniuria prolis, non eſt propriè conſummatio, ſed per præciſam vaſis muliebris penetrationem ſine ſeminis effuſione non poteſt eſſe iniuria prolis, ergo nec propriè conſummatio.

Conſummatio reſpicit bonũ prolis.

Dices rationem indiſſolubilitatis quoad matrimonium conſummatum non ſolum fundari in iniuria, quæ poteſt proli em ergere, ſed etiam in damno, quod poteſt euenire ſponſæ, quæ minus apta matrimonio maneret, ſed hoc damnum æquè euenire poteſt per ſolam vaſis muliebris penetrationem ſine ſeminis effuſione in illo ergo &c. Sed contra non ex quolibet damno ſponſæ oriri poteſt ratio indiſſolubilitatis etiam per ordinem ad ingreſſum in Religionem, cæteroqui hoc etiam oriretur ex amplexibus, oſculis, & nixu in copulam, quod tamen nemo aſſerit.

Nõ ex quocũq; dãno ſponſæ oritur indiſſolubilitas.

3 Non conſummatur per ſolam ſeminis maſculini immiſſionẽ intra vas fœminæ niſi ipſa etiã seminẽt.

Aſſertio II. Per ſolam ſeminis maſculini emiſſionem intra vas muliebre ſine concurrentia ſemenis fœminei non fit propriè, & in rigore conſummatio Conſonat cum ijs, quæ nos docuimus in quæſtionibus de ortu, & interitu, vbi latè probauimus non ſolum maſculum, ſed etiam fœminam actiuè concurrere ad prolis generationem, & ſine fœmineo ſemine actiuè concurrente non poſſe eſſe huiuſmodi generationem, atq; pro hac ſententia ſtare videntur *D. Thomas in 4. diſt. 41. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 4. ad ſecundum Vignerius lib. inſtitut. c. 16. § 7. verſ 9. in 6. impedim. ArchiDiaconus c. vnico de ſponſalib. in 6. Durandus in 4. diſt. 41. q. 1. art. 1. num. 7. Hugo 31. q. 2. c. 1. Innocentius c. fraternitati de eo, qui cognoſ. conſang.*, qui omnes vno ore docent virum, & mulierem effici vnam carnem per commixtionem ſeminum, vnde quantumcunque aliquis clauſtra pudoris frangat niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur affinitas, ergo vbi nõ fit illa ſeminum commixtio per vtriuſque ſeminationem propriè, & in rigore non fit conſummatio. Conſequentia probatur quia affinitas non conſurgit niſi ſuppoſita conſummatione, per quam fiunt vna caro, vnde vnitas carnis inter coniuges eſt fundamentum coniunctionis inter conſanguineos ipſorum inter ſe, vt docent omnes tum Theologi, tum iuris interpretes.

Probatur vlterius per confutationem rationis aduerſantium, quæ conſiſtit in eo, quod ſemen fœmineum non ſit neceſſarium ad prolis generationem, vt ſentire videtur *Ariſtoteles lib. 2. de generat. animal. c. 2. Galenus lib. 1. de ſanit. tuenda capitulo 1., & l. 2. de natural. facult. c. 3. Auicena lib. 9. animaliũ c. 1.*, & ex Theologis *D. Thomas tertia part. q. 31. art. 5. ad tertiam* quem ſequuntur omnes ferè Thomiſtæ, ſed hæc ratio non eſt omnino certa, quinimmò contra communiorem Phyloſophorum, & medicorum, quibus hac in controuerſia maior fides adhibenda eſt, nam expreſſè docent *Hypocrates, & Galenus apud Iabellum 8. methaphy. q. 17. Valles lib. 2 controuerſ. medicar., & Phyloſophic. c. 6. Vega lib. 1. de arte medendi c. 3.*, & ex Theologis *Caietanus ſecunda ſecunda q. 154. art. 12. §. vlt.*

Digitized by Google

*ult.*, & nos etiam latè docuimus in quæſtionibus de ortu, & interitu fœminam etiam concurrere actiuè ad generationē per communicationem veri ſeminis, & ratio ex eo deducitur, quia proles non ſolum dicitur conſubſtantialis Patri, ſed etiam matri, ergo; quia etiam ipſa fœmina concurrit communicando ſemen; Hinc Anatomici omnes docent in mulieribus dari eadem vaſa, & organa ad producendum ſemen, quæ dantur in maſculis. Ad quid autem natura ea organa in mulieribus diſponere ſi effectum in generatione prolis minimè conſequerentur. Hic etiam *DD.* cōmunitèr aſſignantes rationem, cur fœminæ poſt ortum, vt plurimum citius creſcant, quam maſculi, aſſerunt hoc prouenire ex eo, quod fœmina, quæ generatur cōſtat vberiori ſemine matris, quam *Patris*, & cum illud *Patris* ſit perfectius in maſculis, in quibus abundat, magis ordinatur ad perficiendas partes in ordine ad ſe eas magis conſolidando, quam ad eas extendendas, & è contra cum ſemen fœmineum ſit imperfectius, & humidius magis ordinatur ad extenſionem partium, quam ad earum conſolidationē, & quod magis humidum eſt eſt magis aptum ad citius creſcendum, ergo à primo ad vltimum ad generationem prolis non ſolum concurrit ſemen maſculinum, ſed etiam muliebre, conſummatio autem ſolum conſurgit ex commixtione apta ad generationem.

Proles dicitur etiā conſubſtātialis matri.

4 Hinc etiam deducere poteris, quod ſi quis copulam habuerit cum fœmina impuberi inepta ſecundum ſe ad generationem, quæ ſcilicet attigerit nouennium ſolummodo, non conſurgat impedimentum affinitatis cum conſanguineis eiuſdem, quandoquidem ex defectu ſeminis in fœmina non poteſt inter ipſam, & alium ſe carnaliter cognoſcentem conſurgere vnitas carnis, ex qua cōſurgat illa coniunctio affinitatis cum eiſdem conſanguineis.

Concūbēs cū fœmina impuberi inepta ad generationem non contrahit affinitatem cum eius conſanguineis.

5 Aſſertio III. Si contingere poſſet, quod aliqua arte ſemen maſculi cum debitis diſpoſitionibus reciperetur in vas muliebre abſque illius penetratione vtique eſſet ſufficiens conſummatio impeditiua diſſolutionis matrimonij per ingreſſum alterius in Religionem *D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 11. ante §. 1. Corduba in ſumma q. 178. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. verſ. cauſa dirimendi Alexander de Neuo c. fraternitati n. 11. de eo, qui cogn. conſang. Silueſter verb. matrimonium 4. q. 15. dicto 2. Roſella verb. impedimentum impedimento 14. num. 8.*

Penetratio non eſt neceſſaria, niſi quatenus inſeruit ad immiſſionē ſeminis intra vas muliebre.

Ratio ex eo deducitur primo, quia id, quod proprie intenditur per conſummationem eſt ſeminum commixtio, per quam coniuges fiunt duo in carne vna, ſed in ea hypotheſi propriè fieret hæc ſeminum commixtio, ergo, & proprie, & in rigore conſummatio. Secundo, quia ex illo maſculino ſemine ſic recepto in matricem fœminæ propriè fieri poteſt generatio prolis, vt contigiſſe dicunt in fœmina quadam ingreſſa in balneum aquæ tepentis, in quo maſculus ſemen de recenti emiſerat, cuius fœminæ matrix attraxit ſemen illud, & ex illo concepit, & peperit filium, qui certe filius dicitur proles illius, à quo ſemen deciderat, cum reſpectu illius ſit origo viuentis à viuente principio vitæ coniuncto in ſimilitudinem naturæ; ſed illa dicitur ſufficiens conſummatio, per quam haberi poteſt generatio, ergo &c. Neque dicas ad veram cōſummationem, & generationem requiri, quod ſemen vitaliter communicetur, quæ communicatio vitalis non habetur per illum immiſſionem ſeminis in vas fœminæ arte factam; contra enim impugnebaris, quia ad generationem requiritur quidem, quod vitaliter ſemen elaboretur, non autem de ſuo conceptu, quod vitaliter communicetur, eo quia illa communicatio nō influit, ſed ſe habet ſolummodo per modum conditionis applicantis, quæ ſuppleri poteſt, vel arte Dæmonum, vel virtute Angelorum conſeruantium ſemen à maſculo deciſum in cōgrua temperie qualitatum, & deferentium ad vas fœminæ, vel forte etiam aliqua arte humana licet de via ordinaria fiat modo illo quaſi vitali.

Illa dicitur ſufficiens cōſūmatio per quam haberi poteſt generatio.

Non requiritur vitalis communicatio.

6 Tertio, quia productiones, quæ fiunt à Dæmonibus ſuccubis per ſemen ab homine deciſum ſunt veræ generationes non quidem reſpectu dæmonum ſuccuborum, quia habent tantum applicare virtutem actiuam ſeminis maſculini, ſed reſpectu hominis, à quo ſemen illud fuerat deciſum, quia ex vna parte non requiritur vitalis communicatio ſeminis, vt dictum eſt, cum applicatio, quæ regulariter per eandem habetur, modo habeatur per Dæmones, ex alia genitum ab homine dependeret, vt à viuente principio vitæ coniuncto; haberet enim aliquid ſubſtantialiter vnitum de ipſo homine, ad quod ſufficit, quod ſemen cum omnibus ſpiritibus infundatur, ſiue fiat modo naturali, & conſueto ab ipſo emittente ſemen, ſiuè alio modo extraordinario, ergo etiam poterunt fieri generationes per immiſſionem ſeminis aliqua arte ſine vaſis penetratione, per quas certè habetur conſummatio.

Productiones, quæ fiunt à Dæmonibus ſuccubis ſunt veræ generationes reſpectu hominis, à quo ſemen eſt deciſum.

Quarto, quia, vt ſuperius innuebamus, indiſſolubilitas, quæ competit matrimonio iam conſummato inter fideles inducta eſt potiſſimum in fauorem prolis, ne ſcilicet ex diſſolutione eidem iniuria inferatur, ſed in ea hypotheſi maxima iniuria infe-

Digitized by Google

ſinferetur proli, quæ concepta præſumitur ex immiſſione ſeminis per illam artem, ergo matrimonium illud, vtpote omnimodè indiſſolubile ſupponitur ſufficienter conſummatum.

Hic ex occaſione oritur aliqua ratio dubitandi deducta ex dictis in præcedenti aſſertione, quod ſcilicet ad veram, & perfectam conſummationem requiratur ſeminatio ex parte vtriuſque coniugis; an, inquam, ſi maſculus vas muliebre penetrauerit, & in eodem ſeminauerit, & poſteà ſe retraxerit, antequam fæmina frigidioris naturæ ſeminaret, & poſtea fæmina tactibus ſe excitauerit ad pollutionem, ſeque polluerit paulo poſt ſeminationem maſculi intelligatur perfectè conſummatio. Hic maxima eſt controuerſia inter

7 An ſit licitũ fæminæ, poſtquam maſculus ſe retraxit à coitu, ſe excitare ad ſeminandũ

Doctores, an licitum ſit eidem fæminæ, poſtquam maſculus ſeminauit, ſeque retraxit à coitu, tactibus ſe excitare ad ſeminandum Negant *Rodriquez in ſumma part. 3. c. 88. num. 4. Diana part. 2. tract. 17. reſol. 38. in fine* Affirmant verò *Sanchez. tom. 3. de matrim. lib. 9. diſp. 17. num. 12. Bonacina de matrim. q. 4. punct. 6. num. 15. Leſſius lib. 4. c. 3. dub. 14. num. 94. Homobonus de exam. Eccleſ. part. 1. tract. 7. c. 28. q. 126. Zanardus in direct. Theol. p. 1. de ſacram. matrim. c. 41. §. 11.* Mouentur primi, quia exiſtimant ſemen fæmineum non eſſe neceſſarium ad generationem prolis, quandoquidem actus ille in ordine ad eandem eſt conſummatus per ſemen maſculi; ſicque illa ſubſequens fæminæ ſeminatio non poteſt habere aliquam honeſtatem ex fine. Mouentur ſecundi, quia alias fæminæ ſæpiſſime peccarent, cum frequenter viri prius ſeminent, nec illa prouocatio eſt illicita, cum ſit actus coniugalis perfectio, & con-

8 Cõſummatur, ſi fæmina poſt quã maſculus ſeminauit, ſeque retraxit à copula, ſe excitet ad ſemen, & ſeminet.

ſummatio. Quidquid tamen ſit de hoc probabilius ſentio, ſiue illa prouocatio fuerit licita, ſiue illicita per illam poſteriorem ſeminis emiſſionem in fæmina fieri veram conſummationem, quia per illam fit proprie commixtio, & coniuges conſtituuntur in carne vna, ad quod non requiritur, quod maſculus perſeueret in actu coniunctionis, vt videre eſt, quando ſemen maſculinum immittitur per aliquam artem ſine vaſis penetratione; & ſi requireretur ſimultanea emiſſio, & commixtio, crebro non contingeret conſummatio, quandoquidem maſculi, vtpotè viuacioris naturæ citius ſeminant.

9 Per copulam habitam à ſponſo cum ſponſa antecedéter ad matrimonium, hoc non dicitur conſummatũ.

Aſſertio IV. Si contractis ſponſalibus antecedenter ad matrimonium initum per verba de præſenti ſponſus carnaliter, & perfectè cognouerit ſponſam, & poſtea cum eadem matrimonium contraxerit per illam præcedentem copulam non intelligitur matrimonium conſummatum ad effectum, vt ſponſus intra bimeſtre non poſſit ad Religionem tranſire *Paulus in l. fin num 3. C. de Epiſcop, & Cleric. Ripa rub. ff. ſolut. matrim. num 25. Silueſter verb. Religio 2. qu. 9. Nauarus in ſumma c. 22. num. 84. Coaruuias 4. decret. prima part. c. 4. §. 1. nu. 15. Acoſta l. cum tale §. ſi arbitrat. ampl. vlt. nu. 19. ff. de condit., & demonſtrat. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. Henriquez lib. 11. de matrim. c 8. num. 8.*

Ratio ex eo deducitur, quia per copulam fornicariam, & cum non ſua propriè non conſummatur matrimonium, ſed illa copula cum ſponſa de futuro propriè eſt fornicaria, & cum non ſua rigoroſè loquendo, ergo &c. Maior patet, quia matrimonium, quod non eſt, non poteſt dici conſummari, quando autem eſt copula fornicaria, non intelligitur eſſe matrimonium. Minor etiam probatur, quia copula coniugalis eſſe non poteſt inter non coniuges; ante matrimonium autem contractum ſponſi de futuro propriè coniuges non ſunt, ergo illa copula erit fornicaria. Rurſus licet per contracta ſponſalia ſponſus acquiſierit ius aliquod in ſponſam, hæc tamen non eſt ſua ante contractum matrimonium in ordine ad actus coniugales, ergo &c.

Et ſic vterque intra bimeſtre poteſt ad Religionẽ migrare.

Dices primo, *ex c. veniens de ſponſalib. & c. is qui fidem eod. tit.* ſponſalia antecedenter in valida forma inita per ſubſequentem copulam tranſeunt in matrimonium, ergo per illam propriè conſummatur matrimonium, & fæmina, quæ reſpectu cognoſcentis non erat ſua, modo ſit ſua. Sed contra, quia hoc in præſenti locum non habet poſt Concil. Trident. per quod diſponitur, quod non fiat, nec fieri poſſit matrimonium, niſi exhibito conſenſu per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus, & propterea per illam copulam ſponſalia illa non tranſeunt in matrimonium.

10 Modo ſponſalia per copulam non tranſeunt in matrimonium.

Dices ſecundò, ſi ex illa copula præcedenti concepta fuerit proles, & poſtea deuentum fuerit ad matrimonium, illa proles reſpectu ſponſi, qui antecedenter cognouit ſponſam, habetur vt ſua, & inter legitimas computatur, ergo illa conſummatio antecedenter poſita ad matrimonium poſt idem matrimonium habebitur propriè pro matrimonio conſummato, vnde bene *Baldus in c. licet de traslat. Epiſcop. in fine*, aſſerit, quod matrimonium ſequens retrotrahatur ad copulam præcedentem. Sed contra, quia ea, quæ dicuntur, verificantur tantum fictione iuris in beneficium, & fauore prolis, non autem in fauorem delinquentium, vt bene notat *Sanchez lib 2. de matrim. diſp. 21. num. 13.* per textum *in l. ſiue hæreditaria ff. de neg. geſtis*.

Proles ſolum fictione iuris dicetur legitima.

Dices tertiò, ex ſupradictis indiſſolubilitas matrimonij conſummati inducitur

potiſſi-

Digitized by Google

potiſſimum fauore prolis, ne ex diſſolutione eidem iniuria inferatur, ergo eadem iam concepta poſt inita ſponſalia, & poſtea contracto matrimonio hoc intelligetur perfectè conſummatum ad effectum, vt non poſſit diſſolui per ingreſſum in Religionem, cæteroqui eidem proli iniuria inferretur. Sed contra, quia ea, quæ dicuntur in inſtantia, procedunt in ordine ad prolem legitimè conceptam, non autem in ordine ad prolem conceptam per copulam fornicariam; vnde iura eidem conſuluerunt per fictionem, vt poſt matrimonium haberetur pro legitima, quia matrimonium ſubſequens eadem fictione purgat omnia antecedentia, non autem effecerunt in ordine ad eoſdem contrahentes, vt matrimonium intelligeretur propriè conſummatum per illam copulam præcedentem, nec potuerunt efficere, cum cōſummatio ex genere ſuo præſupponat matrimonium validum.

Indiſſolubilitas eſt ratione prolis legitimè conceptæ.

## PRÆNOTIO XIV.

### An poſt copulam vi extortam poſt matrimonium neutri liceat in gredi Religionem.

*SVMMARIVM.*

*Per copulam vi exortam conſummatur matrimonium.* 1.

*Matrimonium ex parte illius, qui copulam per vim extorſit, eſt omnino inſolubile, nec poteſt ſolui per ingreſſum in Religionem.* 2.

*Ex parte illius, quæ innocentèr vim paſſa eſt, non impedietur per ſe loquendo ingreſſus in Religionem.* 3.

*Impediri tamen poteſt per accidens, & quomodo.* 4.

*Ex ſuppoſitione, quod fæmina per accidens impedietur ingredi, an teneatur viro petenti reddere, duplex ſententia, ſed præfertur negatiua.* 5.

*Si fæmina non per vim, ſed per metum cadentem in conſtantem virum pro tempore præfinito ad deliberandam pro ingreſſu in Religionem carnaliter à marito cognoſcatur, an poſſit ingredi Religionem, duplex ſententia, ſed præfertur affirmatiua.* 6.

1 Mihi non eſt dubium, quidquid alij in contrarium dixerint, per illam copulam vi extortam conſummatum eſſe in re matrimonium, quia reuera facta ſupponitur illa ſeminum commixtio, & coniuges effecti vna caro, quod naturaliter contingit etiam ſecluſa intentione alterius contrahentis; vnde licet ſecundum eſſe morale non videatur illa conſummatio imputanda fæminæ innocenti vim paſſæ, non tollitur tamen, quin ſecundum eſſe phyſicum illa conſurgat; nec obſtat, ſi aſſeratur, illam conſummationem non eſſe idoneam ad inducendam inſolubilitatem, quæ propria eſt matrimonij conſummati; nam non poteſt repræſentare vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, quandoquidem hæc fuit ſpontanea Chriſto Domino, quæ propterea non poteſt repræſentari per actionem coactam; Non, inquam, obſtat, quia, vt benè notat *Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 22. num. 4. verſ. nec obſtat*, repræſentat talem vnionem quoad ſubſtantiam, licet non quoad modum libertatis. Deindè aliud eſt, quod non ſit propriè conſummatum, aliud quod non ſit ſolubile per ingreſſum in Religionem ſuppoſita illa coactione, quod eſt id, quod ſub præſenti titulo controuertendum proponimus. Pro quo ſit

Per copulam vi extortam cōſummatur matrimonium.

2 Aſſertio. Matrimonium illud ex parte illius, qui copulam vi extorſit eſt omninò indiſſolubile, nec poteſt ſolui per ingreſſum in Religionem, ex parte verò eius, quæ innocenter vim paſſa eſt, non impeditur per ſe loquendo ingreſſus in Religionem, licet impediri poſſet per accidens. Ita quoad primam partem *Manuel prima part. ſumma ſecunda edit. c. 239. nu. 3.*, cui adhæret *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 22. num. 8.* Quoad ſecundam *Gloſa c. fin. verb. irritus diſt. 55. Cardinalis c. 2. qu. 2. de conuerſ. coniug. Baldus l. 1. §. remouet ff de poſtulan. Hypolitus de Marſilijs l. 1. num. 87. ff. ad leg. Cornel. de Sicarijs Silueſter verb. diuortium qu. 5. Paludanus in 4. diſt. 27. qu. 3. art. 2. concl. 1. num. 10. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 61. art. 1.*

Ex parte eius, qui copulam vi extorſit eſt omninò inſolubile.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia matrimonium ex parte vim inferentis eſt conſummatum non ſolum ſecundum eſſe phyſicum, ſed etiam ſecundum eſſe morale, ergo non eſt, cur ex parte ipſius non debeat eſſe omnino inſolubile perinde ac, ſi plenè eſſet conſummatum ex vtraque parte. Antecedens quoad eſſe phyſicum non patitur difficultatem, quandoquidem ſecundum tale eſſe intelligitur etiam conſummatum ex parte fæminæ vim paſſæ, quoad eſſe morale ex eo euincitur, quia ipſe omnino libere, & voluntariè copulam habuit cum integra ipſius perfectione, & complemento.

Dices, matrimonium debet eſſe indiuiſibiliter ex parte vtriuſque contrahentis indiſſolubile, quando conſummatum eſt, nec poteſt quoad eandem indiſſolubilitatem claudicare, ergo, ſi prout in ſequenti parte dicitur, & probabitur, poteſt ex parte vim paſſæ per ingreſſum in Religionem diſſolui, poterit etiam diſſolui per ingreſſum alterius, qui vim intulit. Sed contrà ea, quæ dicuntur in inſtantia vera ſunt.

Digitized by Google

ſunt, quantum eſt ex natura contractus,& conſummationis ſecundum ſe, non quandò conſummatio eſt per iniuriam, & violentiam alterius, quæ ius habet, ne conſiimmetur intrà bimeſtre, vndè ratione talis iniuriæ, & quodamodò violationis non debet maiorem vim pati impedita monaſterium, quod elegit ingreditur,nec propterea idem ius aſſiſtere poteſt vim inferenti, quandòquidem ipſe vim inferendo conſenſit in conſummationem, nec ipſius vis cum iniuria alterius poteſt eidem prodeſſe.

3 Ex parte innocentis non impeditur ingreſſus in Religioné.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià nemo ſine ſua culpa debet iure ſuo priuari per textum *in c. diſcretionem ad fin. de eo, qui cogno. conſang.*, ſed fæmina ſine ſua culpa in illa conſummatione vim paſſa eſt, quinimmò cum ſumma ſua iniuria, ergò non debet iure ſuo priuari, quod habet ante conſummationem ingrediendi Religionem. Confirmatur, quià vxor etiam conſummato matrimonio inuito marito poteſt ingredi Religionem ob eiuſdem viri adulterium, hæreſim, & ſimilia,non alia ratione, niſi, quià huiuſmodi delicta ſunt contrà bona matrimonij, ſed etiam talis violenta oppreſſio eſt contrà iura matrimonij, ergò &c. Conſimatur ſecundò, quià maritus per illam violentam oppreſſionem nequit commodum reportare contrà alterius libertatem, ergò non poteſt impedire,quin alter innocens ob perfectius ſuum bonum poſſit Religionem eligere,cum iura talem ſtatum eidem antè conſummationem liberè permittant.

4 Impediri tamen poteſt per accidens, & quomodò

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quià iuſtitiæ, & iuris naturalis ratio poſtulat, ne per Religionis ingreſſum proles ex illo coitu violento concepta deſtituatur congruis auxilijs in bona educatione, & honeſta, & ob ſimiles rationes impediuntur filij ab ingreſſu in Religionem, quandò ipſorum permanentia in ſæculo neceſſaria eſt ſuſtentationi congruæ parentum, qui ex alia parte deſtituti ſint congruis auxilijs, & ingreſſi ob ſimiles neceſſitates compelluntur egredi, ergò, ſi proles illa non poſſit congruè, & honeſtè educari aliundè, tenebitur mater ab ingreſſu in Religionem abſtinere, *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 61. art. 1.*

5 An fæmina, quæ per accidens impeditur ingredi teneatur túc petenti viro reddere? ſententia negatiua.

Sed, an tunc mater teneatur viro petenti reddere debitum; videntur rationes pro vtraque parte militare. Pro parte negante non modici roboris videtur eſſe, quod illa, non obſtante illa violenta conſummatione ius plenum retinet ingrediendi Religionem, à quo in tantum abſtinet, in quantum honeſta prolis educatio ità exigit, ergò fauore tantum prolis, non viri tenetur in ſæculo permanere, ergò eidem petenti non tenetur reddere debitum, quandòquidem permanentia in ſæculo non eſt in ipſius fauorem, & in ordine ad ipſum non permaneret. Accedit, quod ob adulterium commiſſum à viro libera remanet vxor à reddendo debito marito, ergò etiam ob illam violentam oppreſſionem.

Affirmatiua.

Pro parte affirmante hæc militat ratio, quià poſt bimeſtre, quod conceditur ad maturè deliberandum coniugibus quoad ingreſſum in Religionem tenentur ijdem coniuges, ſi in ſæculo perſeuerent, mutuo ſibi reddere debitum, quià ſolummodò ſtatus melioris perfectionis illos eximit à tali onere, ergò, ſi intra tale tempus perfectiorem illum ſtatum non elegerint, tenebuntur ad inuicem communicare; nec obſtare poteſt primo, ſi aſſeratur, quod in tantum vxor vi oppreſſa non elegerit, in quantum ratio fortioris obligationis honeſtè educandæ prolis id impediat; ſecundò, quod ratio violentiæ præcedentis, & iniquitatis in illa oppreſſione illam eximat ab illa obligatione: Non, inquam, obſtare poteſt primum, quià ſolummodò actualis electio ſtatus perfectioris, non potentia ad talem electionem, ſeù quod potuerit eligere illam de obligat à tali onere; non ſecundum, quià talis violenta oppreſſio inducit quidem noxam in violatore, non autem ipſum priuat ſuo iure, niſi oppreſſa ad perfectiorem ſtatum conuolarit. Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

Præfertur negatiua.

Abſolutè ſentio potiora eſſe iura partis negantis, quandòquidem tota ratio permanendi in ſæculo prouenit ex culpa eiuſdem mariti vi opprimentis, quæ proptereà eidem nequit prodeſſe, & proptereà innocens poteſt ab eodem velle diuortium quoad torum, ſicut poteſt velle ob adulterium mariti, aliaſque ſimiles cauſas.

Hic oritur ratio dubitandi, an non ſolum poſſit ingredi Religionem, ſi pro tempore præfinito ad deliberandum pro Religione fuerit per violentam oppreſſionem carnaliter cognita, ſed etiam ſi fuerit cognita per metum cadentem in coſtantem virum. Negant *Ioannes Andraas reg. quæ contra ius de reg. iur. in 6. Prepoſitus c. fin diſt. 55. Cardin c. 2. de conuerſ. coniug. q. 2. Siluester verb. diuortium q. 5. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2.* ea moti ratione, quià metus non ità priuat libertate, ſicuti priuat violenta oppreſſio.

6 Poteſt ingredi Religionem, quamuis non per vim fuerit cognita, ſed per metum cadentem in conſtantē virum.

Nihilominus exiſtimo poſſe etiam abſolutè ingredi, prout ſentiunt *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 61. art. 1. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 22. nu. 12.* Ratio ex eo deducitur, quià in hac etiam hypotheſi denegari non poteſt, quin eidem fæminæ per illum metum incuſſum cadentem in conſtantem virum illata fuerit maxima iniuria, ratione cuius illi permitti-

Digitized by Google

mittitur facultas ingrediendi monaſterium, nec ſolum ratione libertatis omnimodè ademptæ.

---

## PRÆNOTIO XV.

### An, ſi fæmina poſt contractum matrimonium vi oppreſsa intrà bimeſtre transferit ad Religionem, poſſit maritus, qui oppreſſit, alteri nubere.

### SVMMARIVM.

*Ingreſſa muliere, quæ fuerat per vim oppreſſa à marito tempore præfinito ad deliberandum monaſterium, in eoque profeſſa, non poteſt maritus, qui oppreſſerat, alteri nubere.* 1.

*Non ſolueretur coniugium, ſed poneretur perpetuum diuortium.* 2.

*Maritus, qui per vim oppreſſit coniugem, ſi ingredietur monaſterium, & profiteatur, inualide profiteretur.* 3.

*Fæmina in illa hypotheſi non poteſt vinculo coniugali renunciare.* 4.

ORtum habet hæc difficultas ex ijs, quæ docent *Sanchez lib. 2. de matrimonio diſp. 12. n. 8. Manuel. 1. tom. ſumma 2. edit. c. 239. n. 2.*, quod etiam nos ſuprà innuimus, nempè ſponſum, qui vi oppreſſit propriam ſponſam, non poſſe eadem inuita Religionem ingredi, quià ex parte ſua voluntariè conſummatum eſt matrimonium; ſi igitur ex parte ipſius conſummatum eſt, ergò ex parte eiuſdem eſt omninò indiſſolubile, & parit vinculum coniugale, quod nulla hominum poteſtate poteſt ſeparari, vndè videtur, quod ex parte ipſius ſeparatio vxoris per ingreſſum in monaſterium ſe habeat per modum ſimplicis diuortij, ſicuti contingeret, ſi vxor monaſterium ingrederetur ob commiſſum adulterium à marito. Proptèr quod ſit

Ratio, vndè deſumitur dubitatio.

1 Non poteſt maritus, qui per vim oppreſſit alteri nubere, ſi oppreſſa tranſeat ad monaſterium.

Aſſertio. Ingreſſa muliere in monaſterium, & in eodem profeſſa non poteſt maritus, qui eandem oppreſſerat, alteri nubere *Paludanus in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2. concl. 1. n. 10. Durandus ibid. q. 2 n. 15. Victoria ſumma de matrimon. n. 225. Angelus verb. matrimonium 4. n. 17. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. Barboſa, ff. ſolut. matrim. 2. part. rubr. num. 106. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 54. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 8. n. 10.*, qui cum omnes ſuſtineant, nec vxorem vi oppreſſam poſſe ingredi monaſterium à fortiori ſuſtinere debent, nec vi opprimentem poſſe ingredi, & rationem adducunt, quià per illam copulam, quantumvis vi extortam matrimonium ſit indiſſolubile, & gignit vinculum coniugale propriè, & rigoroſè ſumptum, quià iam repræſentat illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam.

Probatur primo, quià conſtante iam matrimonio, & ſecuta illa copula quamuis per violentam oppreſſionem, re vera coniuges facti ſunt in carne vna per illam commixtionem ſeminum, quæ indè ſecuta eſt, & repræſentant illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, quę conſiſtit in eo, quod Chriſtus per vnionem hypoſtaticam per carnem aſſumptam factus eſt vna caro cum eadem Eccleſia: nec obſtat, vt ſuprà aſſerebamus, quod hæc fuerit voluntaria, illa autem violenta, quandòquidem non repræſentat modum, quo facta eſt, ſed ſubſtantiam eiuſdem, vt iam conſtantis; ſed quandò coniuges facti ſunt in carne vna, & repreſentant illam vnionem indiſſolubilem manent alligati vinculo coniugali, quod nulla humana poteſtate poteſt diſſolui, ergò &c.

Fiunt duo in carne vna.

Dices hac ratione cōtra ſuperius dicta nec ipſa coniux vi oppreſſa poſſet Religionem ingredi, quandoquidem ſemper verificatur, quod per illam conſummationem etiam violentam facti fuerint in carne vna, & quod repræſentent illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia. Sed contra, quod eidem coniugi propter iniuriam ipſi illatam concedatur facultas ingrediendi Religionem non eſt ex diſſolutione vinculi coniugalis, ſed ex iure eidem competente propter eandem iniuriam, cum æquum non ſit, vt ex aliena iniquitate ſuo iure priuetur, vnde dici poteſt, quod per illum ingreſſum mulieris in monaſterium fiat perpetuum diuortium à toro, & à cohabitatione, non autem diſſolutio à vinculo, ſicuti fit propter adulterium eiuſdem mariti, hæreſim, aliaque ſimilia crimina, ob quæ conceditur ius diuortij. Ad hoc confirmandum plurimum facit argumentum in principio adductum, quià ex parte maſculi vi opprimentis omninò liberè fuit conſummatum matrimonium, adeoque indiſſolubile, ergò, ne claudicare dicatur, cenſendum eſt indiſſolubile etiam ex parte fæminæ oppreſſę, cum reſultet vna caro, illaque repręſentatio.

2 Per illum ingreſſum, & profeſſionem nō ſolueretur coniugium, ſed poneretur perpetuum diuortium.

Probatur ſecundò, quià ſi maritus, qui vxorem intrà bimeſtre cognouit, ingrediatur Religionem, & in eadem profiteatur inualida eſt omninò profeſſio, *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 8. n. 10. Manuel. 1. tom ſumma 2. edit. c. 239. n. 2., & omnes DD. ſuprà allegati*, qui ſuſtinent matrimonium conſummatum etiam per violentam oppreſſionem fæminæ eſſe omninò inſolubile, & licet nonnulli aſſerant,

3 Maritus inualidè profiteretur.

quod, ſi maritus tunc ingrediatur Religionem, & in eadem profiteatur, valida ſit profeſſio, nec poſſit reuocari, immò vinculum ipſum matrimonij diſſoluatur, licet peccet ſponſus ratione damni illati ſponſæ ex ſua culpa, ideò hoc aſſerunt, quià exiſtimant per illam violentam oppreſſionem propriè non conſummari matrimonium, atque ſic ſentiunt *Henricus c. fin. n. 4. de ſponſ. duorum Armilla verb. diuortium n. 6. Ioannes Andreas reg. qua contrà ius de reg. iur. in 6. Abbat c. 2. de conuerſ. coniug. in fin.*, ergò à contrario ſenſu, ſi per illam matrimonium conſummatum fuerit valida nō erit profeſſio, & reuocabitur, & vinculum coniugale ſemper erit inſolubile.

*Dices* ex eo, quod mulier, poſtquam vi oppreſſa eſt, ingreſſa eſt monaſterium, in eodemque profeſſa renuntiauit vinculo coniugij, ergò maritus etiam ab eodem vinculo intelligitur abſolutus argumento à contrario ſenſu deducto, quià ſicuti, quandò vinculū indiſſolubile eſt ex parte vnius eſt etiam indiſſolubile ex parte alterius, ne videatur claudicare, ita quandò ex parte vnius diſſoluitur, etiam ex parte alterius diſſolui cenſendum eſt. Sed contrà, quià licet fæmina illa vi oppreſſa ratione iniuriæ ſibi illatę poſſit libere ad Religionem tranſire, in eaque profiteri etiam inuito marito, non tamen poteſt vinculo coniugali renuntiare, quandòquidem illud indiſpenſabilitèr conſurgit de iure diuino ſuppoſita conſummatione, quomodòcunque illa euenit poſt contractum matrimonium, vndè illa renuntiatio, ſi qua eſt, eſt tori, & cohabitationis, non eiuſdem vinculi.

4 Fæmina non poteſt in ea hypotheſi vinculo coniugali renuntiare.

*Dices*, iterum nimis arduum eſſet marito, ſi ingrediente vxore monaſterium poſt illam violentam oppreſſionem teneretur permanere ſine altero coniugio, & in ſtatu quodamodò viduitatis, quandòquidem teneretur ſuſtinere ſtimulos carnis, & vtique excitatos per præcedentem illam libidinem in illo actu coniugali violento ſine vllo penitus remedio ad reprimendam concupiſcentiam. Sed contra; hoc idem dici poſſet in ſeparatione tori, & habitationis in diuortio proptèr ipſius adulterium, vel hæreſim, nec tamen vllus eidem concedit ius ad tranſeundum ad alia vota, vndè debet ſibi imputare, quod per actionem iniquam cauſam dederit illi ſeparationi contrà omnem iuſtitiæ ordinem.

Maritus debet ſibi imputare, quod non poſſit nubere.

## PRÆNOTIO XVI.

An, quotieſcunq; matrimonium conſummatum non eſt, liberum ſit cuicunque coniugi tranſire ad Religionem, & an in eo caſu diſſoluatur vinculum coniugale.

### *SVMMARIVM.*

*Non ſolum intra ſpacium duorum menſium poteſt alter coniugum ad Religionem tranſire, ſed etiam eo elapſo, ſi matrimonium non fuerit conſummatum.* 1.

*Iura præſcribentia bimeſtre ad deliberandum de ſtatu Religionis ſolum volunt, quod intra illud nequeant compelli coniuges ad conſummandum.* 2.

*Impoſita excommunicatione niſi, vel intra bimeſtre conſument, vel ingrediantur, contrahunt excommunicationem ſi alterum non compleant, poſſunt tamen adhuc ingredi.* 3.

*Fæmina vi oppreſſa per maritum, & intra bimeſtre non ingreſſa monaſterium poteſt eo elapſo adhuc ingredi, ſi alia voluntaria copula non fuerit ſecuta.* 4.

*Poteſt adhuc ingredi, quantumvis fuerit per vim oppreſſa poſt bimeſtre, ſi tunc habuerit animum ingrediendi Religionem.* 5.

*Etiamſi tempus ad deliberandum reſtringeretur ad bimeſtre adhuc ex diſpenſatione Pontificis eo elapſo, & matrimonio non conſummato poſſet alter ingredi.* 6.

*Bimeſtre à iure ſtatutum ad deliberandum, quando matrimonium celebratum eſt per Procuratorem incipit à die habita notitia contractus.* 7.

*Iudex cognita cauſa poteſt bimeſtre prorogare.* 8.

*Bimeſtre incipit à die contractus, & computatur eo modo, quo menſes occurrunt in calendario, & à momento in momentum.* 9.

*Quomodo computandus ſit menſis Februarij in anno biſeſtili.* 10.

*Bimeſtre, quod à iure præſcribitur non eſt ad profitendum, ſed ad deliberandum de ingreſſu.* 11.

*Matrimonium tamen non diſſoluitur, niſi per profeſſionem.* 12.

Difficultates non modicas ſub hoc titulo examinandas aſſumimus deſumptas præcipuè ex textu *in c. ex publico de conuerſ. coniug.* vbi de coniuge, quæ poſt contractum receſſerat à marito Pontifex, hæc habet *Mandamus, quatenus ſi prædictus vir eam carnaliter non cognouerit, & eadem ad Religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficienti cautione, quod vel ad Religionem tran-*

Digitized by Google

Varij articuli ſub hoc titulo examinandi.

*tranſire, vel ad virum ſuum redire intra duorum menſium ſpacium ipſam abſoluas*; circa quam diſpoſitionẽ ſuppoſito primo, quod ſi matrimonium illud conſummatum fuerit per carnalem copulam, non poſſit eadem fæmina ad Religionem migrare, quod deducitur ex illa particula exceptiua *ſi prædictus vir eam carnaliter non cognouerit*, colligunt primo occaſionem diſputandi DD., an ſolummodo intra illud duorum menſium ſpacium poſſit perfectiorem ſtatum Religionis eligere, an vero etiam poſt, ſi non fuerit conſummatum. Secundo, an ſi poſt longum tempus à lapſu illorum duorum menſium, vel ex abſentia alterius, vel ex aliqua alia legitima cauſa non fuerit conſummatum ſic instante altero coniuge poſſit Pontifex diſpenſare, vt ad ſtatum Religionis tranſeat; Tertio, an ſi matrimonium celebratũ fuerit inter abſentes per Procuratorem terminus illorum duorum menſium à iure conceſſus ad deliberandum ſit computandus à die celebrati contractus per Procuratorem, an vero à die, quo abſens fuerit traductus ad alterum coniugem. Quarto, an elapſo illo bimeſtri à iure conceſſo ad deliberandum de ſtatu Religionis teneantur immediatè coniuges ſibi reddere debitum. Quinto an illud bimeſtre prorogari poſſit à Iudice. Sexto, quomodo computandum ſit illud bimeſtre, Septimo, an illud bimeſtre ſit conceſſum ad deliberandum de ingreſſu, an vero ad profitendum, & his ſimilia.

1 Non ſolum intra ſpaciũ duorũ menſiũ poteſt alter coniugum ad Religionẽ tranſire, ſed etiam vltra illud, ſi matrimonium non fuerit conſummatũ.

Aſſertio I. Non ſolum intra illud duorum menſium ſpacium, ſi non fuerit conſummatum matrimonium, poteſt alter coniugum tranſire ad Religionem, ſed etiam eo tranſacto, quandocunque non fuerit conſummatum. *Gloſ. c. ex publico verbo duorum de conuerſ. coniug. Siluester verb. votum 4. q 2. dicto primo Antonius Cucus lib. 5. inſtitut. maior. tit. 12. num. 20. D. Bonauentura in 4. diſt. 17. art. 3. q. 2. Ancharanus in d. c. ex publico num. 10. de conuerſ. coniug.*

Ratio ex eo deducitur, quia priuilegium ingrediendi Religionem ante conſummationem indefinitè conceſſum eſt à Chriſto Domino, nec per aliquod ius poſitiuum limitatur, ergo etiam tranſacto eodem bimeſtri, & non conſummato matrimonio poterit ob melioris ſtatus perfectionem alter eãdem Religionem ingredi Antecedens quoad primam partem patet, quia matrimonij vinculum obligat, niſi in detrimentum maioris perfectionis, propter quam rationem conceditur ingreſſus in Religionem poſt contractum matrimonij, niſi illud fuerit conſummatum; quoad ſecundam vero euincitur, quia ius poſitiuum diſponens bimeſtre pro deliberatione ad ingrediendam Religionem ſolum diſponit, quod intrà illud non poſſint compelli coniuges ad conſummandum in ordine ad illum finem deliberationis pro illo ſtatu eligendo, & eo tranſacto, quod poſſint compelli ad reddendum, niſi immediatè tranſeant in Religionem, vnde hoc eſt diſcrimen intra illud bimeſtre, & extra, quod intra non poſſint compelli coniuges ad conſummandum, etiam ſi animum non habeant ingrediendi Religionem; extra illud poſſint compelli, niſi immediatè ſe transferant ad Religionem, neque obſtat, ſi dicatur, quod Põtifex *in illo c. ex publico de conuerſ. coniug.* præſcribit, vt coniux, quæ receſſerat abſoluatur, ſi præſtiterit cautionem, vel ingrediendi intra ſpacium duorum menſium Religionem, vel intra illud ſpacium redeundi ad maritum ergo immediatè tranſacto illo bimeſtri, & non poſito ingreſſu in Religionem tenebitur conſummare, & non poterit ingredi Religionem; Non, obſtat, inquam, quia ex eo, quod Pontifex præceperit illam cautionem videtur ſolum voluiſſe, quod teneatur ſub onere illius cautionis regredi ad maritum, non autem, quod illa amiſſa non poſſit ingredi Religionem.

2 Iura præſcribentia bimeſtre ad deliberandum de Religione ſolũ intendunt, quod intra illud non poſſint compelli coniuges ad conſummandum.

Ex eo autem, quod dicatur in præællegato textu, quod poſſit recipi ſufficiens cautio, ſequitur etiam, quod Iudex Eccleſiaſticus vice eiuſdem cautionis poſſit excõmunicationem imponere ipſis coniugibus, quam contrahant ipſo facto, niſi intra illud ſpacium duorum menſium, vel matrimonium conſumment, vel monaſterium ingrediantur. Demus iam, quod talem excommunicationem appoſuerit, tunc certe ſi alterutrum non adimpleuerint, remanent vinculo eiuſdem excommunicationis innodati, ergo non poſſunt eo elapſo ſtatum Religionis eligere, cæteroqui inutilis eſſet excommunicatio, Sed facile occurrere poſſum huic obiecto, ſi aſſeram, & Iudicem Eccleſiaſticum poſſe imponere talem pænam excommunicationis, & ipſos coniuges eadem innodatos remanere, ſi alterum ex impoſitis non adimpleant, nego tamen non poſſe poſteà ingredi Religionem, nam tunc excommunicatio ligat quidem contumacem vſque ad introitum, poſtquam tamen ingreſſus eſt, eſt abſoluendus ab eadem, prout notat *Innocentius in d. c. ex publico n. vnico de conuerſ. coniug.* atq; ita expreſſe ſentit *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 24. num. 28. verſ. ad confirmationem*; vnde illa excõmunicatio eſt ad compellendum ad implementum eorum, quæ præcipiuntur ſub pæna incurſus eiuſdem, non autem ad impediendum, ſi poſteà velit, ſeu eligat Religionem ingredi.

3 Si Epiſcopus excõmunicationem imponeret, niſi intra bimeſtre, vel matrimonium cõſument, vel monaſterium ingrediantur tenet excõmunicatio ſi alterum non adimpleant, poſſunt tamen adhuc ingredi.

Hic immediatè ſuboritur difficultas,

an, ſi fœmina intra bimeſtre vi oppreſſa fuerit à coniuge, & intra bimeſtre non ingreſſa fuerit monaſterium, prout eidem ob iniuriam ſibi illatam in illa violenta conſummatione conceſſum eſt, poſſe ingredi, poſſit eodem elapſo, & non ſecuta vlteriori ſpontanea conſummatione adhuc velle ingredi. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod poſt conſummationem etiam violentam ex genere ſuo non poteſt ingredi, vnde ſolum per accidens hoc illi conceditur ob iniuriam eidem illatam, cui propterea poteſt cedere; videtur autem de facto ceſſiſſe ex eo, quod intra tempus à iure ſtatutum ſtatum illum Religionis non elegerit. Nihilominus adhuc ſentiendum exiſtimo eo elapſo, & non ſecuta alia ſpontanea conſummatione adhuc poſſe ingredi. Ratio eſt, quia benigna iuris conceſſione in ordine ad hunc effectum facultatis ingrediendi Religionem illa violenta conſummatio, quamvis in re, & ſecundum eſſe phyſicum poſita habetur ac, ſi non eſſet poſita, prout ſupra probauimus, ſed quando non eſt poſita, non obſtante lapſu bimeſtris poteſt adhuc ingredi, ergo poterit etiam ingredi, quando eſt poſita ſecundum eſſe phyſicum, non tamen ex iuris diſpenſatione impedit effectum illius facultatis ingrediendi Religionem. Accedit, quod vi oppreſſa ratione iniuriæ ſibi illatæ poteſt etiam elapſo bimeſtri denegare debitum marito petenti, ſicuti poteſt denegare propter adulterium, hæreſim, & ſimilia, ergo poterit adhuc eo elapſo velle ingredi Religionem.

4 Si fœmina vi oppreſſa, & intra bimeſtre nō ingreſſa monaſterium, velit, poteſt alia copula voluntaria non ſecuta adhuc ingredi.

Petes, an, ſi elapſo bimeſtri coniux fuerit per maritum vi oppreſſa poſſit adhuc Religionem ingredi. Videtur abſolutè negandum, quia cum tempus deliberandi ceſſerit, non videtur amplius eſſe in poteſtate alterius coniugis denegare debitum, ſicque maritus in ea hypotheſi vtitur iure ſuo, & vxor ratione conſummationis impeditur ingredi, nec iniuria ipſi illata confert ius ad ingrediendum, quandoquidem nemini infert iniuriam, qui iure ſuo vtitur. Nihilominus, quia ſuperius dictum eſt vxorem adhuc elapſo bimeſtri poſſe ingredi Religionem, quouſque matrimonium non fuerit conſummatum, videtur non poſſe cogi ad conſummandum, ſi paratam ſe exhibeat ad ingrediendum; vnde hoc etiam aſſignari poteſt diſcrimen in negatione debiti intra bimiſtre, & negatione eiuſdem poſt bimeſtre, quod intra illud poteſt vnuſquiſque coniux denegare, quantumvis nullam habeat intentionem de Religione; extra illud non poteſt denegare, niſi illam intentionem habuerit; ex quibus ſequitur, quod contracto iam matrimonio nulla exiſtente intentione Religionis non teneantur coniuges immediatè intra illud bimeſtre ſibi inuicem debitum ſoluere, *D. Thomas in quarto diſt. 26. qu. 1. art. 4. quæſtiuncula ſecunda ad ſecundum, D. Bonauentura in quarto diſt. 27. art. 3. q. 2. Paludanus in quarto diſt. 32. qu. 1. art. 1. nu. 4. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 15. num. 7. Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 83. §. cæterum circa, Gloſa c. coniuges 27. qu. 2. verb. prima, Tabiena verb. matrimonium 3. q. 3. nu. 4.* Cum igitur ſtante illo iure poſt bimeſtre non conſummandi ex fine intento Religionis aſſumendæ oppreſſa per vim fuerit fœmina à marito, videtur eidem illata iniuria aduerſus tale ius, adeoque ratione eiuſdem videtur eidem liberum tranſire in Religionem.

5 Poteſt adhuc ingredi, quantumvis fuerit per vim oppreſſa poſt bimeſtre, ſi animum tunc habuerit ingrediendi.

Aſſertio II. Data etiam ſententia, quod tempus ad deliberandum pro ſtatu Religionis reſtringeretur ad bimeſtre, ita vt extra illud non ſit libertas coniugibus, adhuc ex diſpenſatione Pontificis matrimonio non conſummato poſſet alter coniux intra illud valide Religionem ingredi, & in eadem profiteri. Ita ſuſtinere tenentur quotquot ſentiunt poſſe Pontificem ex legitima cauſa diſpenſare ſuper matrimonio rato, non conſummato *Gloſa c. ex publico de conuerſ. coniug. in fine. Abbas c. fin. de ſponſ. duor. Baldus in l. Deo nobis in princip. nu. 7. C. de Epiſcop., & Cleric. Perez de matrimon. §. 19. Riginald. lib. 31. num. 33.* & alij, quos allegauimus *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrim. I. pranot. 3. aſſertione 8.*

6 Ex diſpenſatione Pōtificis etiā elapſo bimeſtri, & matrimonio nō cōſummato adhuc poſſet ingredi

Probatur primò, quia matrimonium ratum ex legitima cauſa eſt ſimpliciter per Pontificis auctoritatem diſpenſabile, & ex diſpenſatione ſolubile, ergo etiam erit ſolubile ex eiuſdem diſpenſatione poſt bimeſtre in ordine ad finem ſtatus perfectioris eligendi. Conſequentia probatur, quia ſuppoſita auctoritate Pontificis ad diſpenſandum quoad matrimonium ratum illa auctoritas in ordine ad tale obiectum eſt ſimplex, & abſoluta, non limitata, quandoquidem perſeuerante obiecto in eodem eſſe auctoritas eadem præſumitur ſemper perſeuerare, potiſſimum, ſi ſit in ſupremo non recognoſcente in humanis ſuperiorem poteſtatem, à qua limitetur, & licet Pontifex Deo ſubdatur, nullibi tamen conſtat Deum talem auctoritatem limitaſſe ad determinatum tempus, vltra quod illam non poſſit exercere, ergo &c.

Pōtifex indefinitè poteſt diſpenſare in matrimonio rato.

Probatur ſecundò, quia Chriſtus Dominus abſolutè conceſſit indefinitè, vt ob ſtatum melioris perfectionis, quæ in Religione habetur, poſſit coniux à matrimonio recedere, & tempus ad deliberandum intra bimeſtre ſtatutum eſt ab Eccleſia *in d. c. ex publico de conuerſ. coniug.*, ergo Pontifex derogando illi iuri Eccleſiaſtico, quod vtique poteſt, cum ſit ſupra omne ius

Et vtique in hac hypotheſi diſpenſaret ex legitima cauſa

Digitized by Google

ius humanum poterit diſpenſare ad effectum, vt coniux poſſit migrare in Religionem, non obſtante lapſu illius bimeſtris; & vtique diceretur diſpenſare ex legitima cauſa, cum hoc præſtaret ob finem melioris perfectionis, quæ ſufficiens cauſa eſt, cum ob ſimilem cauſam Chriſtus Dominus permittat diſſolutionem.

7 Bimeſtre, quãdo matrimonium celebratũ eſt per Procuratorem computãdum eſt à die habitæ notitiæ cõtractus.

Aſſertio III. Si matrimonium celebratum fuerit inter abſentes per Procuratorem probabilius bimeſtre, quod à iure permittitur ad deliberandum pro ingreſſu in Religionem, computandum eſt à die habitæ notitiæ contractus celebrati per Procuratorem.

Ratio ex eo deducitur, quia præſentia, vel abſentia nihil influit in finem, ad quem conceſſum eſt illud tempus, nempe in illam deliberationem de ingrediendo Religionem, quandoquidem æque poteſt deliberare, ſiue coniux ſit præſens, ſiue ſit abſens, cum etiam, ſi fuerit præſens; poſſit pro illo tempore negare debitum, ergo habita notitia de contractu iam celebrato per procuratorem incipiet illud tempus currere ad deliberandum, nec obſtabit abſentia alterius. Antecedens patet, quia deliberatio non pendet, niſi à voluntate deliberantis ſuppoſitis motiuis, quæ excitare poſſunt ad illam deliberationem, quæ motiua ſunt ſtatus melioris perfectionis, qui non pendet ab alterius præſentia, vel abſentia.

Contra ignorantem non currit tempus à iure præſcriptum.

*Dixi à die habita notitia contractus celebrati per Procuratorem*, quandoquidem deliberatio circa factum præſuponit notitiam facti, circa quod verſari debet, nec contra ignorantem tempus à iure præſcriptum currit. & ſicuti, ſi non eſſet celebratus contractus, tempus illud non curreret, ita nec currere poteſt, ſi fuerit celebratus, ignoratus tamen à contrahentibus, quia licet notitia non influat in actum ipſum conſtituendo, ſi non eſt conſtitutus, vel inualidando, ſi iam eſt conſtitutus, influit tamen in ordine in ius deliberandi, quod oritur immediatè poſt ipſum contractum, vt per ſe patet.

Dices pro tempore abſentiæ alterius coniugis non poteſt coniux experiri, an intra bimeſtre abſens velit annuere conſummationi, ergo tempus debet computari ad limites libertatis, adeoque ſolum pro tempore, pro quo vterque eſt præſens.

Non eſt neceſſarium experimentum.

Sed contra, quia etiamſi fuerit præſens poterat non conſentire, nec tale experimentum eſt neceſſarium, quandoquidem, ſi uterque fuerit præſens, & neuter experimentum fecerit conſummationis, adhuc elapſo bimeſtri vterque tenetur reddere, niſi immediatè conuolet ad Religionem, nec deliberatio, vt aſſerebam, pendet à præſentia, vel abſentia.

8 Aſſertio IV. Iudex cognita cauſa poteſt illud bimeſtre à iure conceſſum ad deliberandum prorogare *Cardinalis c. ex publico de conuerſ. coniug. qu. 6. Roſella verb. debitum num. 1. Silueſter eod. verb. qu. 1. cauſ. 4. Tabiena verb. matrimonium 3. quaſt. 2. num. 4. Nauarrus in ſumma c. 16. num. 27. Riccardus in 4. diſt. 27. art. 2. qu. 2. ad primum, Sanchez lib. 2. diſp. 24. num. 12.*

Iudex cognita cauſa poteſt bimeſtre prorogare.

Ratio ex eo deducitur, quia ille terminus bimeſtris à iure præſcriptus non ſtat reſtrictiuè, nec præſcribitur cum limitatione ſine iudicis miniſterio, ſed remittitur Iudici, vt præſcribatur, vt colligitur expreſsè *ex d. c. ex publico de conuerſ. coniug.* Ibi - *Mandamus, vt recepta ab ea ſufficienti cautione, vel ad Religionem tranſire intra duorum menſium ſpacium &c. illum abſoluas*, ergo cognita cauſa poterit validè à Iudice prorogari, quia, quando terminus remittitur miniſterio Iudicis deſignandus ex cauſa poteſt ab eodem prorogari, *Dinus reg. indultum 17. n. 14. de reg. iur. in 6. Cardin. in d. c. ex publico de conuerſ. coniug. q. 6. Bartolus in l. 2. n. 4. ff. de ſent. & re iudic.* quem omnes ferè ſcribentes ſequuntur; Nec obeſſe poteſt, ſi adferatur, quod ille terminus ſit à iure appoſitus ſub pæna priuationis iuris, quo elapſo propterea ſunt coniuges excommunicandi, ſi ſibi inuicem negent debitum; quandò autem terminus ſupponitur ſub pæna à iure non poteſt à Iudice prorogari; *Gloſa c. ante penult. verb. nec acquieuerit diſt. 27., & c. coniuges verb. prima 27. q. 2.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quià in primis ille terminus, vt ſuprà dicebamus non ità adiectus eſt, vt tollat abſolutè facultatem vltrà illum ingrediendi Religionem, ſi coniux requiſitus ad conſummandum voluerit immediatè Religionem ingredi, ſed tantum, vt intrà illum non poſſit compelli, & negando non peccet, etiam ſi tunc intentionem, & voluntatem non haberet ingrediendi. Deindè ceſſat ratio in inſtantia adducta, quando terminus eſt adijciendus miniſterio Iudicis, tunc etenim ipſe prorogando ex legitima cauſa terminum prorogat etiam illam pænam; & excommunicatio, quæ comminari poteſt contrà contumacem poteſt ex eadem cauſa non comminari vſque ad tempus prorogatum.

Tempus non ſtat reſtrictiuè ſine Iudicis miniſterio.

Prorogãdo terminum prorogat etiam pænam.

Aſſertio V. Bimeſtre à iure conceſſum coniugibus ad deliberandum de ingreſſu in Religionem incipit à die contractus, vel à die, quo à Iudice deſignatur, & menſes computantur eo modo, quo tunc occurunt in calendario, & tempus computatur à momento in momentum, *Gloſa in cap. quam ſit verbo menſem de elect. in 6. Bartolus in l. cum biſſeſtus n. 1. ff de verb. oblig. Antonius cap. licet n. 12. de ſupl. negl. Prælat. Lambert. de iure patronatus lib. 2. p. 2. q. 1. art. 5. Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 24. n. 21.*

9 Bimeſtre incipit à die contractus, & in prorogatione à die à Iudice deſignato, & computatur à momento in momentũ.

Ratio

Ratio ex eo deducitur, quia iura deſignantia menſẽ, vel bimeſtre, vel forte etiã Iudex ex diſpoſitione iuris illud deſignans præſumuntur ſumere, niſi aliud exprimant ſecundum quod regularitèr accipitur menſis, vel bimeſtre, quia iura ſe adaptant communi regulæ, ſed menſis, vel bimeſtre regulariter accipitur ſecundum quod continentur in calendario, ergo &c. Hinc fit, quod ſi dies celebrati contractus vel à Iudice ſtatuta ſit dies decima v. gr. menſis Ianuarij, quod ſit computandum reliquum menſis, & alter integer menſis ſequens, quibuſcunque diebus cõſtet prout in calendario, & quia à primo menſe deficiunt dies nouem, qui tranſierunt, antequam ius deliberandi inciperet, iſti erunt computandi à menſe Martio, ita vt terminus cedat ad diem nonam menſis Aprilis. *Gloſa in quam ſit de elect. in 6o.*

10 Quomodo computandus ſit mẽſis Februarij in anno [bi]ſſextili.

Hic oritur ratio dubitandi, an ſi pro eo termino occurrat annus biſſeſtilis dies illa ſuperexcedens ad regularem curſum menſis Februarij ſit computanda pro vnica tantum die, an vero pro duobus diebus, adeout terminus inceptus die decima Ianuarij terminari debeat ad diem nonam Martij an vero dumtaxat ad diem octauam eiuſdem menſis. Probabilius ſentio iuxta regulam mox poſitam illam diem ſuperexcedentẽ attendendam eſſe, prout eſt pars menſis Februarij adeo vt terminus non cedat niſi ad diem nonam menſis Martij *Cardinalis in c. licet in fin. de ſupl. negl. prælat. Lambertinus de iure patronat. lib.2. p.2. q.1. art.15.*, hocque præcipuè verificatur in fauorabilibus *Silueſter verb. ætas in fin. Angelus verbo biſſeſtus num. 1. Henriquez lib.12. de excommunicatione c. 35. num. 2. ArchiDiaconus c. nullus 55. diſtinct. Henricus c. quæſiuit num. 6., & ſeqq. de verb. ſignif*; non eſt autem dubium, quin hic verſemur in fauorabilibus, cum agatur de libertate ſeruanda.

Ratio cur ſit computandum à momento in momentum.

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet ille terminus computandus ſit de momento in momentum ex eo euincitur, quod quando præſcribitur terminus aliquis, & initium determinatum eiuſdem termini menſura illius termini ſemper ſumitur de momento in momentum per textum *in l. 3. §. minorem ff. de minor* propter quam rationem aſſerunt cõmuniter Canoniſtæ, & Theologi annum, qui præſcribitur à *concil. Trid. ſeſſ.25. de regular. c.15.* pro Nouitiatu, cum ex eiuſdem concil. diſpoſitione habeat diem certum, & determinatum, quo incipiat, nempe diem aſſumpti habitus debere computari à momento in momentum; cum igitur in præſenti hypotheſi dies inceptionis ſit determinatus à iure, vel à Iudice deſignetur, non erit, cur reliquum temporis ad complendum dictum terminum non debeat computarj à momento in momentum.

11 Bimeſtre non eſt ad profitendum, ſed ad deliberandum de ingreſſu.

Aſſertio VI. Illud bimeſtre, quod à iure præſcribitur *in d. cap. ex publico de conuerſ. coniug.* non eſt ad profitendum in Religione, ſed ad deliberandum de ingreſſu, poſtquam concedendus eſt annus integer ad profitendum *Hoſtienſis in ſumma tit. de conuerſ. coniug. num. 11. Paludanus in quarto diſt.27. qu.3. art.2. concl.2. num.14. D. Antoninus tertia part. tit.1. c.21. §.1. Sotus in quarto diſt. 27. queſt. 1. art. 4. verſ. at vero, ſi infrà, Bartolomæus à Ledeſma de matrimon. dub. 64.*

Ratio ex eo deducitur, quia textus *in d. c. ex publico de conuerſ. coniug.* loquitur expreſsè de deliberatione quoad ingreſſum, & quoad tempus profeſſionis nihil determinat, ergo illud tempus relinquit ſecundum diſpoſitionem iuris communis, ergo dicendum eſt illud bimeſtre dari ad deliberationem, poſt quod annus integer ſit expectandus ad profeſſionem. Antecedens probatur, quià in eo textu Pontifex loquitur de quadam fæmina, quæ à marito poſt contractum matrimonium receſſerat, & ſtatuit, quod, ſi eadem ad Religionem tranſire voluerit, ſtatuatur eidem terminus duorum menſium, intra quem vel ad Religionem tranſire debeat, vel ad virum ſuum redire. Igitur iam ſupponit, quod iam non ingreſſa fuerit, cum dicatur *ſi ad Religionem tranſire volueris*, & ſic textus determinatio intelligenda eſt de primo ingreſſu, non de profeſſione.

Tranſitus non ſumitur pro profeſſione, ſed tantum pro ingreſſu.

Dices, per ly tranſire in Religionem in eo textu intelligi admitti ad profeſſionem, quandoquidem in eo dicitur, quod per talem tranſitum diſſoluatur matrimonium, quod de ſola profeſſione intelligi poteſt; nec incongrua ſanè ratione hoc decernitur, quandoquidem nimis durum eſſet alteri coniugi in ſæculo permanenti, ſi ſine alio coniugio expectare deberet pro integro anno probationis ingreſſi in monaſterium, atque ita expreſsè ſentit *Innocentius d. c. ex publico nu. vnico de conuerſ. coniug. Tabiena verb. matrimonium.3. qu.3. num.4. Nauarrus in ſumma cap. 16. num.27.* Sed contrà, quia gratis omninò dicitur in eo textu ly tranſire ſumi pro tranſitu rigoroſo profeſſionis, quod colligitur ex exiſtentia ſubiecti, quod nondum tranſierat ad Religionem, ſicque diſpoſitio illa debet intelligi de primo tranſitu; Neque obſtat illud, quod ſubditur de diſſolutione matrimonij, quandoquidem textus ibi dicit diſſolui habito reſpectu ad complementum tranſitus, quod habetur per profeſſionem, non quia profeſſio habenda ſit intra illud bimeſtre, ſed ſolum, quia, quando habebitur iuxta præſcriptũ iuris diſſoluatur matrimonium; vnde ille textus duo dicit alterum explicitè, implicitè alterum; explicitè quod ſcilicet intra bimeſtre poſſit deliberare de ingreſſu in

Reli-

Religionem; implicitè, quod per tranſitum perfectum diſſoluatur matrimonium in ordine ad primum tempus expreſsè ſtatuit, in ordine ad ſecundum præterit, & per conſequens remittit diſpoſitioni iuris communis; vnde dici poteſt, quod per illum primum tranſitum diſſoluatur incohatiuè matrimonium, per ſecundum poſtea completè diſſoluendum, & ratione ordinis, quem habet primus ſecundum dicitur diſſolui. Ad illud, quod ſubditur de illo maiori grauamine permanentis in ſæculo expectandi vſque ad complementum anni profeſſionis, dicendum eſt hoc eidem non inferre iniuriam, quia hoc præuidere poterat, cum nouerit ius alterius ingrediendi Religionem, & hoc onus æquè alteri fuiſſe adiectum, ſi ipſe Religionem elegiſſet altero in ſæculo permanenti.

11 Matrimonium non diſſoluitur, niſi per profeſſionem.

Ratio ex eo deduci poteſt ſecundò, quia in aliquo iure, quod de nouo ſtatuatur non eſt præſumenda correctio prioris iuris, niſi de illo expreſſa mentio habeatur per textum *in l. præcipimus C. de appellation.*, quod adeo verum eſt, vt euitandæ correctionis gratia à propria verborum acceptione recedere debeamus *Antonin. in c. cum dilectus num.* 15., *& ibi Imnola nu.* 12. *de conſuet. Abbas c. cum olim in fin. de ſent., & re iudicat. Alexander conſ.* 85 *nu.* 12. *lib.* 4. Cum igitur de iure communi ſtatuatur ad profeſſionem annus integer probationis per textum *in c. ad Apoſtolicum de Regular. & c. conſaldus* 17. *qu.* 2., nec textus *in d. c. ex publico de conuerſ. coniug.* expreſſam habeat mentionem de prædictis iuribus non eſt præſumendus eadem corrigere, ſed in ſuo robore relinquere.

Iura non corrigunt præcedentia ſine illorũ mentione.

Ratio deduci poteſt tertiò ex eo, quod ille terminus anni integri probationis antecedenter ad profeſſionem non ſolum per allegata iura inductus eſt in fauorem ingreſſi, vt munera Religionis experiatur, ſed etiam in fauorem monaſterij, & Religionis, vt experiri valeat qualitates eiuſdem ingreſſi, an aptus fuerit ad eiuſdem monaſterij, ſeù Religionis munera, an vero ineptus; non eſt autem præſumendum, quod textus *in d. c. ex publico de conuerſ. coniug.* voluerit præiudicium inferre iuri Religionis, niſi de illo expreſſam rationem habuerit per derogationem eiuſdem iuris, nec præſumitur ius alterius læſum ſine ipſius cauſa, niſi expreſsè de hoc actum fuerit.

## PRÆNOTIO XVII.

### Quonam iure prohibeantur matrimonia clandeſtina, & ſub qua pæna.

*SVMMARIVM.*

*Præciſo quocunque iure Eccleſiaſtico matrimonia ſine teſtibus, & denuntiationibus non ſunt per ſe prohibita.* 1.

*Ante Concilium Tridentinum vetita erant. num.* 2.

*Non tamen erant irrita.* 3.

*Concil. Trident. damnat aſſerentes fuiſſe irrita.* 4.

*Ante Concilium Tridentinum fideles contrahentes ſine teſtibus peccabant lethaliter, num.* 5.

IN hac prænotione ſecerno ea, quæ ſunt de iure nouiſſimo *Concil. Trident. ſeſſ.* 24 *c.* 1. ab ijs, quæ ante illud, vel ex iure gentium, vel ex iure Eccleſiaſtico antiquo erant ſancita; & nouiſſima quoad examen transfero ad ſubſequentes prænotiones, antiqua expediens ſub præſenti. Pro quo

Aduerte præſcindendo ab jis, quæ ſunt diſpoſita per idem Concilium Tridentinum loco mox allegato matrimonia dici clandeſtina ex eo, quod celebrata fuerint, vel ſine teſtibus, vel ſine debitis, & præſcriptis denuntiationibus; De his contingit in præſenti dubitari primò, an huiuſmodi matrimonia celebrata potiſſimum ſine teſtibus intelligantur interdicta etiã infidelibus, ſeù præcisè quocunque iure Eccleſiaſtico. Secundò, an, & quo iure ante idem Concil. Trident., eſſent interdicta inter fideles primitiuæ Eccleſiæ. Tertiò, an matrimonia ſic inita inter fideles contra prohibitionem eſſet ipſo iure irrita, an vero valida, licet illicita. Quartò, an eſſet peccaminoſum lethaliter huiuſmodi matrimonia clandeſtina ſic celebrare.

Rationes, & articuli examinandi.

Aſſertio I. Probabilius eſt præciſo quocunque iure Eccleſiaſtico matrimonia celebrata ſine teſtibus, & denuntiationibus non eſſe per ſe prohibita, adeoque infideles contrahentes eiſdem non adhibitis non peccare per ſe læthalitèr, *Caietanus tom.* 1. *opuſcul. tract.* 12. *de matrimonio q.* 2. *Sotus in* 4. *diſt.* 28 *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 2. *Conincbus de matrimonio diſp.* 27. *dub.* 1. *num.* 5. *Paulus Laiman lib.* 5. *Theolog. mor. tract.* 10. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 1. aduerſus *Sanchez lib.* 2. *diſp.* 3. *num.* 8. *Ioannem Angelum Boſſium de matrim. contract. c.* 1. *n* 6. *Ricciullum lib.* 2. *de iure perſonarum c.* 3. *num.* 13. *Petrum de Soto lect.* 14. *de matrim.*

1 Præciſo quocunq; iure Eccleſiaſtico matrimonia ſine teſtibus, & denuntiationibus non ſunt per ſe prohibita.

*matrim.* §. *primum ius ipſum*, & alios apud eundem Sanchez.

Ratio ex eo deducitur primò, quià Deus in inſtitutione huius contractus, nec adiecit tale onus, nec ſubſequentèr appoſuit poſt naturam lapſam, nec contractus per ſe exigit illam conditionem, ergò præciſo iure Eccleſiaſtico poterit contractus celebrari ſine illa ſolemnitate. Antecedens quoad primam, & ſecundam partem patet, quià nullibi in ſacra ſcriptura intelligitur illud onus adiectum; quoad tertiam ſic euincitur, quià intantum natura contractus exigeret illam conditionem, in quantum ſine illis ſolemnitatibus ſubeſſe poſſet periculum damnorum, ſcandalorum, & occaſiones peccatorum, atque hoc eſt fundamentum aduerſantium, *Sanchez, Boſſij, Petri de Soto, & aliorum*; ſed hæc ratio non obſtat, quandòquidem illud periculum non eſt ex natura contractus ſecundum ſe, cum ſit de iure naturali diuino indiſſolubile, ſed ex peruerſitate contrahentium, qui æquè poſſunt ſe ſubtrahere à matrimonio iam inito, ſiuè teſtes intercesserint, ſiuè non; vndè merito *D. Thomas in 4. diſt. 28. q. vnica art. 3. ad tertium*, ſolum ait, quod matrimonium clandeſtinum habeat ſpeciem mali, ratione cuius Eccleſia rationabilitèr prohibuerit; non omne autem, quod in ſe malum non eſt, ſed habet ſolummodò ſpeciem mali eſt ex natura ſua prohibitum, cum poſſit depurari ab omni ſpecie mali per rectam intentionem operandi. Quot etenim ſunt, quæ poſſunt inducere occaſionem mali, tàm apud fideles, quàm apud infideles, quæ tamen, quià non ſunt poſitiuè prohibita, liberè exercentur, nec ſubſunt noxæ, niſi ex peruerſitate operantis? Hac ratione reſponderi etiam poteſt ad rationem *Sanchez d. lib. 3. diſp. 3. nu. 8.* aſſerentis ex natura rei continere in ſe mala grauia, quià cedit in detrimentum prolis, & vtriuſque coniugis, cum facilè tranſire poſſent ad alias nuptias; reſponderi, inquam facilè poſt illa mala non prouenire ex natura contractus, ſed ex peruerſitate contrahentium, cum ex natura ſua contractus ſit indiſſolubilis, vndè eiſdem imputabitur ad culpam, ſi recedant, poſtquam contractus eſt validè celebratus, non quod ſic contrahant.

Soluitur ratio oppoſita ad-uerſantiū.

Mala illa non prouenirent, ex natura contractus.

Ratio ſecundo deduci poteſt ex eo, quià in multis caſibus, vt ingenuè fatentur plures aſſertores contrariæ opinionis, præſcindendo à iure poſitiuo Eccleſiaſtico poteſt contrahi licitè matrimonium ſine illa ſolemnitate teſtium quos refert, & admittit *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. n. 6. in fin.* ex quibus etiam oriri poſſunt illa mala, ſcandala, & occaſiones peccandi; rurſus etiam damna prolis, & ipſorum coniugum, ergò ex natura ſua contrahere ſine illa teſtium ſolemnitate non eſt tanquam malum prohibitum, quandòquidem, ſi eſset tale, eſset etiam prohibitum in illis caſibus, quod enim ex natura ſua eſt tale, ſemper eſt tale, & non poteſt non eſse tale.

2 Ante Concilii Trid. matrimonia ſine teſtibus, & denuntiationibus vetita erāt.

Aſſertio II. Ante Concilium Tridentinum matrimonia clandeſtina ſine teſtibus, & denuntiationibus vetita erant *Sanchez de matrim lib. 3. diſp. 3. n. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. n. 1.* atque hæc eſt communis Canoniſtarum, & Theologorum ſententia.

Expreſsè colligitur *ex c. videtur 35. q. 6. ex c. 2. 30. q. 5.* vbi matrimonia ſic contracta appellantur adulterium, concubernia, ſtupra, & *c. cum inhibitio de clandeſt. deſponſ.* Tandem ex *Concil. Trid. ſeſſ. 24 c. 1. de matrimon.* vbi expreſsè aſſerit huiuſmodi matrimonia antecedentèr fuiſſe prohibita, dum enim inquirit, an fuerint ex prohibitione irrita vtique ex directo ſupponit eadem fuiſſe prohibita, & inſuper addit ſemper Eccleſiam huiuſmodi matrimonia deteſtatam fuiſſe.

3 Non tamen erant irrita.

Aſſertio III. Quamuis ante Tridentinum matrimonia clandeſtina ſine teſtibus, & denuntiationibus inita eſset vetita, non tamen erant irrita *Gloſ. in d. c. aliter 30. q. 1. verbo contubernia, & c. quod nobis de clandeſt. deſponſatione verb à principio D. Thomas in 4. diſt. 28. q vnica art. 3. ad tertium Marcus Antonius Cucus lib. 5. Inſtit. maior. tit. 11. num. 79. Maſcardus de probat. tom. 2. concl. 1027. n. 11. Rebellus de obligat. iuſt. lib. 2. q. 7. ſec. 2. n. 8. Auguſt. Barboſa tom. 2. collect. lib. 4. tit. 3. c. 2. n. 3.*

Ratio ex eo deducitur primò, quià in huiuſmodi contractu intelliguntur omnia interuenire, quæ ſunt de ſubſtantia contractus, & ſacramenti, ergò non eſt, cur non debeat in ſuo eſſe ſubſiſtere. Antecedens probatur, quià interuenit mutuus, & proportionatus conſenſus cum omnimoda libertate ex parte vtriuſque contrahentis, & habilitas eorundem contrahentium, nam licet de præſenti ſtante diſpoſitione *Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. c. 1.* contrahentes clandeſtinè ſcilicet ſine præſentia Parochi, & teſtium reddantur inhabiles ad contrahendum, antecedentèr tamen ad ipſum inhabilitas, nec ex natura rei, nec ex aliqua iuris diſpoſitione aderat, ergò &c.

Non quæcunq; lex prohibens irritat.

Dices primò colligi præciſè inhabilitatem ex Eccleſiæ prohibitione per textum *in l. non dubium C. de legibus*, vbi dicitur, quod ea, quæ fiunt lege fieri prohibente pro infectis habeantur, ergò &c. Sed contrà, quià non omnia, quæ fiunt contrà legem ſimplicitèr prohibentem irritantur, ſed tantum, quæ fiunt contrà legem prohibentem, & irritantem, cuiuſmodi non ſunt iura prohibentia matrimonia clan-

deſtina

Digitized by Google

deſtina ante Concilium Tridentinum. Deinde ea, quæ fiunt lege fieri prohibente pro infectis habentur, quando lex prohibens attingit ea, quæ ſunt de ſubſtantia actus, ſecus quando attingit ea, quæ pertinent ad externas ſolemnitates; atque ſic explicari poteſt textus *in l. non dubium C. de legibus*.

Dices ſecundò, irritari, vel irrita ſupponi *ex d. c. aliter 30. qu. 5. cum ſeqq.*, vbi huiuſmodi matrimonia clandeſtina appellantur *illegitima*, *adulteria*, *contubernia*, & *ſtupra*, quæ omnia competere non poſſunt matrimonio valido, vt per ſe patet, ergo &c. Sed contra, dico primò, dici illegitima, quia ſunt contra leges prohibentes, non quia contra leges irritantes. Secundo dico, dici adulteria, ſtupra, & contubernia præſumptivè, quatenus, cum Eccleſiæ non conſtet inita eſſe matrimonia, ſupponit pro cohabitatione contubinaria, non verè, & realiter, vnde merito in eodem textu in fine dicitur, *niſi voluntas propria ſuffragauerit, & vota ſuccurrerint legitima*, quæ verba DD. explicant, ita vt ſonent, quod, ſi contrahentes voluerint publicare, ab Eccleſia ſint recipiendæ, tanquam ſi à principio fuerint in faciem Eccleſiæ celebrata; ex quibus efficax argumentum ſic deſumitur, quià, quod ab initio inualidum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere, vt ſunt vulgatiſſima iura, ergo, ſi ex eo, quod publicentur, ita valida computantur, ac ſi ab initio fuerint in faciem Eccleſiæ contracta, hoc erit, quia ceſſat præſumptio inualiditatis, non quod inualida fiant valida propter rationem allegatam, quia, quod in radice inualidum eſt non poteſt validari in ſuo initio.

Non ſunt adulteria, & contubernia, niſi præſumptiuè.

Ratio poteſt deduci ſecundò *ex Concil. Trident. d. ſeſſ. 24 cap. 1.*, vbi abſolutè decernit matrimonia clandeſtina ante ipſum celebrata ſine teſtibus ſolo mutuo, & libero contrahentium conſenſu fuiſſe valida, & anathematizat omnes contrarium aſſerentes, ergo non eſt dubitandum, quin fuerint valida.

4 Concilium Trident. damnat aſſerentes fuiſſe irrita.

Aſſertio IV. Ante Concil. Tridentinum Fideles contrahentes matrimonia clandeſtina hoc eſt ſine teſtibus peccabant lethaliter. *D. Thomas in quarto diſt. 28. qu. 1. art. 3. in corpore*, *Caietanus ſibi parum conſtans in ſumma verbo matrimonium § primo, ſi contrahitur*, *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contractu cap. 1. num. 3. Laiman lib. 5. Theologia moralis tract. 10. part. 2. c. 4. num. 1.*

5 Fideles ante Concil. Trident. contrahentes ſine teſtibus peccabant læthaliter.

Ratio eſt expreſſa, quandoquidem lex Eccleſiæ prohibens iuſtiſſima eſt, & ordinata ad finem euitandi peccata, & damna prolis, & coniugum, ergo contrahens aduerſus huiuſmodi legem grauiter, & ſub grauibus pœnis præcipientem ſic non contrahi grauiter peccabit, quandoquidem tranſgreſſor legis factus eſt reus legis.

## PRÆNOTIO XVIII.

An Concilium Tridentinum irritare potuerit matrimonium clandeſtinum, & an de facto irritarit, & quomodo.

### SVMMARIVM.

*Concil. Trident. potuit irritare matrimonium clandeſtinum initum ſine certis ſolemnitatibus.* 1.

*Bona, quibus aduerſantur matrimonia clandeſtina.* 2.

*Eccleſia poteſt non ſolum indirectè irritare matrimonia clandeſtinè, ſed etiam directè.* 3.

*De facto Concil. Trid. irritauit matrimonia ſine Parocho, & teſtibus, tàm directè, quàm indirectè.* 4.

*Irritatio huiuſmodi ſub aliqua ratione eſt pœna, ſimpliciter tamen non eſt talis.* 5.

*Sunt irrita non ſolum ex parte formæ, ſed etiam ex defectu cauſæ efficientis habilis.* 6.

IN celebratione Sacroſancti Concil. Trident. maximum fuit diſſidium inter Patres, & Theologos in eodem congregatos circa poteſtatem Eccleſiæ ad irritanda huiuſmodi matrimonia, dum ante definitionem, vt refert *Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 4. num. 1.* quadraginta Epiſcopi, & plures alij, tàm Theologi, quam canoniſtæ contendebant hanc poteſtatem non ineſſe Eccleſiæ, quorum rationes, vel fundatas in iure naturæ, ſecundum quod conſenſus etiam clam emiſſus validus eſt ad contractum, qui propterea non poteſt per ius poſitiuum irritari, vel fundatas in ratione ſacramenti, circa quam nequit Eccleſia aliquid ſtatuere variando materiam, & formam refert idem *Sanchez loc. cit.*, quinimmo aſſerit *Eminentiſſimus Sfortia Cardinal. Pallauicinus in hiſtoria Concil. Trident. part. 3. lib. 23. cap. 9. num. 6. aduerſus Suauem*, quod fuerint quinquaginta ſex PP. computatis legatis Sanctæ Rom. Eccleſiæ, qui antecedenter cõtradixerunt Decreto Concilij circa nullitatem matrimonij clandeſtini.

Diſſidia in Concil. Trident. circa talem poteſtatem.

Aſſertio I. Concilium Tridentinum vtique potuit irritare matrimonium clandeſtinum initum ſine certis ſolemnitatibus. Eſt veritas catholica in eodem Concil. definita *d. ſeſſ. 24. c. 1.* eamq; de præſenti ſuſtinent omnes *DD.* catholici, ſiue Theologi, ſiue canoniſtæ.

1 Potuit vtique irritare initum ſine certis ſolemnitatibus.

Probatur, primo quia extant legitimæ

 cauſæ

cauſæ annullandi huiuſmodi matrimonium, & ſufficiens poteſtas in Eccleſia, ergo &c. Antecedens quoad primam partem facile euincitur, quia huiuſmodi matrimonia ſic contracta ſunt contra bonum cognationis, contra fidem coniugij, contra fauorem prolis, & contra gratiam ſacramenti; contra bonum cognationis, ex qua regularitèr reſultant mutui, & reciproci inter cognatos, & conſanguineos affectus ex matrimonijs, & tamen quando clandeſtinè contracta ſunt regularitèr oriuntur cauſæ diſſidiorum, & rixæ; contra fidem coniugij, dum vnus ex coniugibus negans contractum vinculum coniugale poteſt fidem datam frangere, ſibique adulteram copulare disiungendo legitimam; contra fauorem prolis, cum tranſeundo palam coniuges ad alias nuptias legitimi reputari poſſent adulteri, & adulteri legitimi; contra gratiam ſacramenti, quia non ſolum inſollubilitas, quæ præcipuè ex ſacramẽto prouenit, diſſolueretur, ſed etiam, quia loco gratiæ ſordes inſurgerent flagitioſiſſimæ, & Reipublicæ maximè noxiæ. Quoad ſecundam ſic euincitur, quia in ijs, quæ ad bonum ſpirituale Eccleſiæ ſpectant, quale eſt matrimoniũ, fideles tanquam eius membra ſubduntur Eccleſiæ, ergo quando bono ſpirituali Eccleſiæ conuenit poteſt illos ad certum contrahendi modum ſub certis ſolemnitatibus coarctare, ita vt aliter non poſſint contrahere, & ſicuti Reſpublica ciuilis poteſt aliquos inhabiles reddere ad contrahendum ſine certis ſolemnitatibus in ordine ad bonum communem politicum, cur non poterit Reſpublica Eccleſiaſtica reddere ſuos ſubditos inhabiles ad contrahendum ſine certis ſolemnitatibus in ordine ad bonum commune ſpirituale?

2 Matrimonia clandeſtina ſunt contra bonum cognationis, contra fidem coniugij.

Contra fauorem prolis.

Contra gratiam ſacramenti.

Confirmatur primo, quia Eccleſia poteſt irritare matrimonium iam contractum inter fidelem, & infidelem, ergo à fortiori poterit irritare iam contrahendum. Confirmatur ſecundo, quia Eccleſia potuit irritare matrimonia inducendo per ius Eccleſiaſticum impedimenta, quæ ex natura ſua non inerant, vt euenit in impedimento affinitatis ſpiritualis, quod ſolo iure Eccleſiaſtico inductum eſt, ergo etiam poteſt irritare ſine certis ſolemnitatibus ab eadem præſcriptis, ſeù præſcribendis ſub onere nullitatis; Neque dicas, quod ex eo, quod matrimonium ſit eleuatum ad eſſe ſacramenti poſt legem Euangelicam, nec illæ ſolemnitates ſint præſcriptæ à Chriſto Domino, non poſſit Eccleſia ſe ingerere inducendo conditiones illud annullantes; contra enim impugnaberis primo, quia Eccleſia per hoc ſolum attingit contractum, qui eſt materia ſacramenti, in illoque inducit obſtaculum, quod efficit, quod non ſint vera matrimonia, adeoq; quod neque ſint ſacramenta; contra ſecundo, quia etiam pænitentia eſt ſacramentum, & nihilominus Eccleſia poteſt tollere efficaciam abſolutioni, quæ ab alio impertiatur, quam à proprio Parocho.

Eccleſia potuit inducere impedimenta dirimentia.

Confirmatur tertiò, quia quantumuis Eccleſia non poſſit diſſoluere matrimonium conſummatum inter fideles propter repræſentationem vnionis indiſſolubilis verbi Diuini cum carne aſſumpta, ſeu Chriſti Domini cum Eccleſia iuxta illud Apoſtoli *Hoc magnum ſacramentum eſt Ego autẽ dico in Chriſto, & Eccleſia*, poteſt tamen diſſoluere matrimonium iam ratum, quantumuis ſit ſacramentum eo, quod hoc dumtaxat ſignificat vnionem diſſolubilem Chriſti per gratiam cum anima, ergo etiam poterit impedire, quin validè contrahatur.

Eccleſia poteſt diſſoluere matrimonium iam ratũ, quamuis ſit ſacramentum.

Aſſertio II. Eccleſia non ſolum poteſt irritare indirectè matrimonia clandeſtina inhabilitando contrahentes, ſed etiam directè annullando contractum *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 5. nu. 3., & ſeqq. Suarez de ſacrament. in gen. q. 60 art. 8. diſp. 2. ſect. 6. in fine Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 4. nu 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. num.* 8.

3 Irritare poteſt, & indirectè, & directè.

Ratio primæ partis ex eo deducitur primo quia Reſpublica ciuilis poteſt aliquos inhabiles reddere, vel in omni negotiorum genere, vel in aliquo determinato ad contrahendum, vel abſolutè, vel ſine certis ſolemnitatibus, vt de facto contingit in prodigis, & minoribus abſque tutorum, ſeu curatorum auctoritate, & in mulieribus coniugatis ſine conſenſu viri, ergo etiam poterit Reſpublica Eccleſiaſtica perſonas inhabiles reddere ad contrahendum matrimonium ſine aliquibus ſolemnitatibus puta ſine aſſiſtentia Parochi, & teſtium. Secundo, quia ita comparantur in corpore naturali membra ſingula ad caput, ſicuti in corpore miſtico Eccleſiæ ad ſuum caput, ergo ſicuti membra corporis non poſſunt ſua munera exercere, niſi influxũ recipiant à capite, ità membra corporis miſtici nequeunt ſua munera obire in ordine ad contractus, qui dependent ab Eccleſia, niſi recipiant ab eadem Eccleſia tanquam à capite moralem influxum, ergo retrahente Eccleſia ſuum influxum in ordine ad certos contractus ab eadem dependentes niſi ſeruatis certis ſolemnitatibus poterit impedire validitatem eorundem; quod vtique facere poteſt Eccleſia cum in ordine ad hæc munera non aget naturalitèr ſed omnino liberè iuxta exigẽtiam cauſarum, ſeu motiuorum concurrentium.

Cõparatio corporis realis ad corpus miſticum.

Ratio ſecundæ partis non ex eo deducitur, quod Eccleſia, ſeu Concilium Tridentinum mutare potuerit materiam,

& formam ſacramenti, quandoquidem Chriſtus Dominus eleuando matrimonium ad eſſe ſacramenti illud reliquit in ſuo eſſe quoad ſubſtantialia ideſt quoad eandem materiam, & formam, nec in hoc ſe poteſt ingerere Eccleſia, niſi ad ſummũ ſtatuendo modum, quo legitimè eadem materia, & forma exhibeatur, & applicetur; ſed ex eo, quod matrimonium fidelium eſt contractus, quo vnus ordinatur ad alterum in bonum Eccleſiæ, ergo debet dependere ab eadem Eccleſia, ita vt eadem ex legitima cauſa diſponente, ne teneat niſi cum talibus, vel talibus conditionibus, niſi cum eiſdem poſſit ſubſiſtere. Accedit primo, quod Eccleſia potuit irritare alios contractus maximè ſtrictos niſi interuenientibus certis conditionibus, puta profeſſionem Religioſam, niſi fuerit emiſſa in decimo ſexto anno completo, ergo etiam poterit irritare contractum matrimonij, niſi ſeruata ſolemnitate ab eadem præſcripta, vel præſcribenda. Accedit ſecundo, quod poteſtas ciuilis poteſt directè irritare contractus quoſdam politicos ſine certa ſolemnitate, ergo etiã Eccleſia matrimonium &c.

Eccleſia tantũ diſponeret circa contractum.

Eccleſia alios contractus etiam ex ſtrictioribus irritat ſine certis conditionibus.

4 De facto Concilium Tridentinũ irritauit matrimonia ſine præſentia Parochi, & teſtium tã directè, quam indirectè.

Aſſertio III. De facto Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 24. c. 1.* irritauit matrimonia clandeſtina, hoc eſt inita ſine præſentia Parochi, & teſtium, tam directè, quam indirectè. Eſt communis apud omnes catholicos.

Probatur, Concilium de facto potuit, & efficaciter voluit tam directè, quam indirectè irritare huiuſmodi matrimonia inita ſine tali ſolemnitate, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis in præcedentibus aſſertionibus, quoad ſecundam patet ex ſpeciali, & expreſſo decreto *in d. ſeſſ. 24. cap. 1.* vbi habet hæc verba. *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.*

5 Irritatio huiuſmodi ſub aliqua ratione eſt pœna, ſimpliciter tamen nõ eſt talis.

Hic diſputant aliqui, an huiuſmodi irritatio inducta per Concil. Tridentinum, ſit pœna. Reſpondeo ſub aliqua ratione poſſe dici pœnam, quatenus eſt inducata ob violationem legis; ſimpliciter tamen non eſſe talem, ſed prouenire ex defectu debitæ formæ determinatæ ab eodem concilio, & ex inhabilitate miniſtri, vnde etiam hæc irritatio ſequitur, quantumuis nulla præceſſiſſet culpa ex parte contrahentium, quatenus fuerint inuincibilitèr ignorantes diſpoſitionis iuris inducti per idem Concilium.

6 Ex quibus omnibus habes in eo hypotheſi matrimonij clandeſtini, hoc eſt ſine Parocho, & teſtibus idem eſſe inualidum non ſolum ex parte formæ extrinſecæ præſcriptæ ab eodem Concil. ſed etiam ex defectu cauſæ efficientis, nempe contrahentium habilium, cum inhabiles facti fuerint ad ſic contrahendum.

Sunt inita ex parte formæ, & efficientis.

---

## PRÆNOTIO. XIX.

### An per poteſtatem laicalem poſſint induci conditiones, & ſolemnitates, ſine quibus irritetur matrimonium.

### SVMMARIVM.

*Abſolutè inter fideles per poteſtatem laicalem non poſſunt induci conditiones, & ſolemnitates, ſine quibus matrimonium reddatur inualidum.* 1.

*Iura ciuilia irritantia modo correcta ſunt per ius canonicum.* 2.

*Cognitio quoad validitatem ſponſalium eſt pure Eccleſiaſtica.* 3.

*Poteſtas laicalis non poteſt inducere impedimenta dirimentia matrimonium.* 4.

*Concilia Prouincialia, & ſinodalia nequeunt irritare.* 5.

NOnnulla circa præſentem titulum ſupra *ſub hoc eodem titulo Contractus XV. de matrim. 1. prænot. 4. probat. 2. aſſertionis* incidenter attigimus; nunc ex profeſſo, quoniam opportunitas exegit, examinamus, & quidem rationem dubitandi exhibet præcedens prænotio; ſi etenim, quia contractus humanus eſt, potuit Eccleſia non obſtante, quod ſimul ſit ſacramentum, inducere ſolemnitates, ſine quibus, & contrahentes redderentur inhabiles, & contractus ſimpliciter nullus, cur, cum ſit etiam contractus ciuilis, & profanus, non poterit poteſtas laicalis non obſtante etiam, quod ſit ſacramentum, inducere conditiones ſine quibus, & contrahentes reddantur inhabiles, & contractus irritus? Certè Chriſtus Dominus eleuando matrimonium ad eſſe ſacramenti non mutauit materiam, & formam, quæ erat antecedentèr, ſicuti autem antecedentèr, quia erat contractus profanus, poterat ſimilis poteſtas habens legitimam iuriſdictionem in contractus ſimiles conditiones apponere, ſicuti appoſuit in alijs contractibus, ita non eſt, cur non poſſit etiam ſubſequenter apponere. Accedit, quod Eccleſia non annullat contractum matrimonij celebratum inter infideles ſine conditionibus, & ſolemnitatibus ab eadem appoſitis, & cum alijs initum iuxtà ritum infidelium, quando conuertuntur ad fidem non alia ratione, niſi quia, vt

Rationes dubitandi afferuntur.

contractus purè eſt, ſubſiſtit, prout ſit ſecundum leges humanas, ergo &c. Nihilominus ſit

1 Inter fideles per poteſtatem laicalem nō poſſunt induci conditiones irritantes.

Aſſertio. Abſolutè per poteſtatem laicalem non poſſunt induci conditiones, & ſolemnitates ſine quibus matrimonium reddatur inualidum. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. n. 78. Panormitanus in c. 1. de ſponſalib. Silueſter verb. matrimonium 2. n. 2. in princip.*

Expreſsè colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. can. 4.*, & inſuper ex eo euincitur, quod communitèr docent *Canoniſtæ in c. 1. de ſponſalib.*, *& ibi Gloſa verb. dimiſſaque*, *& verb Francorum lege*, *Hoſtienſis nu. 3.*, *& ſeqq. Ioannes Andreas n. 2.*, *& 6. Cardinalis n. 5. Panormitanus nu. 7. Præpoſitus n. 7. Alexander de Neuo n. 22. Brunellus de ſponſalib. concl. 19. n. 1. Caeta. in repet c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 299. Sanchez lib. 7. diſp. 3. nu. 1.* nempè leges, & conſtitutiones ciuiles non poſse tangere ſubſtantiam, ſeù intrinſeca matrimonij, nempè validitatem eiuſdem; & licet antiquitùs plures leges ciuiles fuerint conditæ prohibentes matrimonia inter certa perſonarum genera, puta inter tutorem, & pupillam inter curatorem, eiuſque filium, & minorem, cuius eſt curator, inter Rectorem Prouinciæ, & aliquam prouincialem, inter famulum, & filiam Domini, inter perſonam in dignitate cōnſtitutam, & fęminam abiectam, hodiè tamen iure canonico eſse correctas, & abrogatas tradunt *Coaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 6. §. 10. num. 16. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 12. n. 18. Ioannes Baptiſta Lupus tract. de illegit.*, *& naturalib. commu. 4. præfat. nu. 13. Franciſcus Zippeus in anat. ennar. iur. no. lib. 4. tit. de ſponſal.*, *& matrim n. 22. Azorius Inſtit. mor. part. 1. lib. 5. c. 20. verſ. præterea leges ciuiles*, *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. n. 107.*

2 Iura ciuilia modo correcta ſunt per ius canonicum.

Ratio fundamentalis horum omnium ea eſt, quià ex quo Chriſtus Dominus eleuauit matrimonium ad eſse ſacramenti conſtituit materiam, & formam eiuſdem pure Eccleſiaſticam, ergò quoad eandem non poteſt ſe ingerere poteſtas laicalis conſtituendo diſpoſitiones irritantes matrimonia, quæ cæteroqui ex natura ſua, & ex iure diuino ſunt valida. Antecedens probatur, quià, quæ ſunt diſpoſita in ordine ad actum, & effectum ſacrum, non poſſunt eſſe niſi ſub poteſtate eccleſiæ, cui commiſſa eſt quorumcunque ſacrorum adminiſtratio; Neque dicas ex eo, quod conſenſus contrahentium, qui ſecundum ſe ſunt actus omninò naturales, ſunt ordinati ad eſſe materiam ſacramenti non propterea ſecundum ſe ſunt materia iuris eccleſiaſtici, ergò &c. Antecedens probatur, quià etiam aqua naturalis eſt ordinata, tanquam materia baptiſmatis, panis triticeus ad materiam euchariſtiæ, nec tamen ſecundum ſe ſunt materia iuris purè eccleſiaſtici, ergò &c.; contrà enim impugnaberis, quià quantumvis allegata ſecundum ſuum purè eſſe naturale non ſit materia iuris eccleſiaſtici, prout tamen ordinantur ad eſse ſacramenti ſecundum diſpoſitiones, quas ad idem requirunt, non dependent à poteſtate laicali, ſed à iure dumtaxat eccleſiaſtico, quod idem dicendum eſt in hypotheſi conſenſus ad matrimonium, qui prout ordinatur ad idem, vt ſacramentum, vt ſit legitimus, debet eſse regulatus ad normam eccleſiaſticæ diſpoſitionis.

Prout conſenſus fidelium ordinantur ad matrimonium ſiunt materia purè Eccleſiaſtica.

Confirmari poteſt ex ijs, quæ docuimus dum de ſponſalibus, nempè cognitionem eorum, quæ pertinent, vel ad validitatem, vel ad inualiditatem eorundem ſpectare ad forum eccleſiaſticum priuatiuè quoad alios omnes, ergò ad eundem ſpectare etiam debet conſtitutio eorum, quæ pertinent ad eorum valorem, ergò ſi hæc verificantur præcisè in ordine ad ſponſalia, quæ ſunt contractus merè naturalis, & politicus licet ordinatus de futuro ad eſſe ſacramenti, in fortioribus terminis verificari debent in ordine ad matrimonium, quod verè eſt ſacramentum. Prima conſequentia ex eo facilè liquet, quià eius eſt iudicare, cuius eſt ſtatuere. Accedit primo, quod per ſtatuta laicalia non poſſunt induci impedimenta irritantia matrimonium, *Auguſt. Barboſa tom. 2. collect. in decret. lib. 4. tit. 1. c. 1. nu. 6.*, *& tom. 4. collect. in decret. in 2. part. decret. conſ. 29. q. 2. c. ſi quis ingenuus Baſilius Pontius lib. 6. c. 2. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 3. n. 2.*, *& 3.*, ergò nec conditiones attingentes ſubſtantiam eiuſdem. Accedit ſecundò, quod ſeruatis ijs, quæ præſcribuntur *à d. Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. c. 1.* non poſſunt matrimonia irritari, nec per omiſſionem eorum, quæ præſcribuntur in Concilijs ſinodalibus, vel Prouincialibus, nec per ea, quæ inducta ſunt à conſuetudine etiam immemorabili, prout definiuit *Sacra Cardinalium Concilij Tridens. interpretum congregatio apud Bellarminum ad d. cap. 11. ſeſſ. 24. de Reformat. matrim* per hæc verba. *Quandò contrahitur ſecundum formam concilij, & omittuntur, ea, quæ præcipiunt ſinodalia, vel conſuetudo immemorabilis matrimonium tenet.* Aliam ſimilem declarationem eiuſdem congregationis ſub die 18. Nouembris, & 21. Decembris 1628. refert *Auguſtinus Barboſa collect. Bullarij verb. matrimonium*, quam tu vide per extenſum apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrim. contract. c. 3. n. 11.*

3 Cognitio quoad validitatem ſponſaliū eſt purè eccleſiaſtica.

4 Poteſtas laicalis nō poteſt inducere impedimenta dirimentia matrimonium.

5 Concilia prouincialia, & ſinodalia nequeunt irritare.

Ex his omnibus patet, quid reſpondeas ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur ſub initio tituli; quamuis enim Eccleſia, quatenus matrimonium eſt contractus, poſſit inducere conditiones, & ſolemnitates, ſine

quibus

Digitized by Google

quibus ſit irritum, hoc præſtat in ordine ad conſtituendum conſenſum, vt ſit legitimus ad effectum matrimonij, quod cum ſit ſacramentum, & propterea res ſacra exigit diſpoſitiones ab habente legitimam adminiſtrationem quoad eaſdem, non tamen hoc poteſt efficere poteſtas laicalis, cum ad ipſam non ſpectet inducere diſpoſitiones in ordine ad res ſacras, ad quas ordinatur ex diſpoſitione Chriſti Domini conſenſus contrahentium. Ad id, quod ſubditur de matrimonio infidelium, dum conuertuntur ad fidem, dicendum eſt hoc prouenire, quia Eccleſia nihil diſpoſuit quoad eorumdem matrimonium, ſed ſolummodo in ordine ad matrimonia inter fideles ineunda; vnde, cum illa antecedentèr ad fidem inita, ſint valida, vt videtur definiuiſſe *idem Concil. Trident. d. ſeſſ. 24. c. 1.*, & iam contracta per debitum, & naturalem conſenſum eadem non retractat; nec in hoc eſt aliqua difficultas, quia matrimonium illud erat præcisè in officium naturæ, non ſecundum ſe ordinatum ad eſſe ſacramenti, & propterea &c.

Poteſtas laicalis nō poteſt inducere diſpoſitiones ad res ſacras.

## PRÆNOTIO XX.

An Concilium Tridentinum quoad ſolemnitatem Parochi, & teſtium afficiat etiam hæreticos degentes in locis, in quibus fuit publicatum.

*SVMMARIVM.*

*Vbi Concil. Trident. promulgatum eſt, & receptum matrimonia hæreticorum inter ſe, vel hæretici cum catholica ſine aſſiſtentia Parochi, & teſtium, ſed coram miniſtro hæretico, vel Magiſtratu loci ſunt nulla.* 1.

*Vbi receptum eſt Tridentinum, ſi Epiſcopus, & Parochus defecerint nullo ſubſtituto matrimonia hæreticorum ſine illis tenent. num.* 2.

*Conſtitutus in articulo mortis, ſi velit ducere concubinam ad ſibi, & proli conſulendum, nec habere poſſit Parochum validè contrahit ſine illo.* 3.

*Sunt tamen in ea hypotheſi ex neceſſitate adhibendi duo, vel tres teſtes, ſi poſſint haberi.* 4.

*Si verè Epiſcopus, vel Parochus in loco, in quo publicatum eſt concilium, exiſtant, ſed lateant ex metu infidelium, & penitus ignoretur eorum præſentia, vel tutus non ſit aditus, vtique validè contraherent hæretici ſine illis.* 5.

Exijt edictum ab Henrico IV. in Regnis Galliarum, quo ſanciuit, vt matrimonia hæreticorum inita in eiſdem Regnis abſque Parocho coram conciſtorio reformatæ Religionis forent valida, quod edictum occaſionem dedit Theologis, & Canoniſtis inquirendi, an matrimonia hæreticorum inita, vel inter ſe in locis catholicorum, in quibus Concil. Trident. promulgatum eſt, & receptum, vel inter hæreticum, & catholicam, & è contra requirant ex neceſſitate ad ſui valorem aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, circa quod dubium *Layman Theolog. mor. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 6.* expreſsè aſſerit, quod, quantumvis hæretici degentes in locis catholicorum ſubſint iuriſdictioni Epiſcopi, & Parochi loci, in quo habitant, eorum tamen matrimonia inita ſine aſſiſtentia Parochi non ſint inualida, & in terminis loquitur de matrimonijs Lutheranorum, qui in Germania commixti ſunt cum catholicis, puta Auguſtanorum, qui re vera ſubſunt Epiſcopo, & Parocho Auguſtano, rationemque adducit, quia veriſimile non eſt voluiſſe Summos Pontifices matrimonia illorum ſine proprio legitimo Parocho irrita eſſe, quia cæteroqui multa incommoda orirentur, ſi eorum filij legitimè nati non eſſent, neque capaces, officiorum, dignitatum, & ſacrorum ordinum.

Motiuum, & occaſio præſentis diſceptationis.

Vt clarius hac in re procedamus, & certa ab incertis ſecernamus plura veniunt ſub conſideratione, & primò, an hæretici in huiuſmodi locis contrahant matrimonium inter ſe, an verò hæreticus cum catholica, & è contra, vel ex diſpenſatione Romani Pontificis, vel quia conſuetudo illarum regionum ita obtinuerit etiam ſine quacunque diſpenſatione: Secundò, an in illis locis, in quibus contrahunt verè extiterit Parochus, vel Epiſcopus, vel ex aliquo caſu defecerit vterque. Tertiò, an, verè fuerit in tali loco Epiſcopus, & Parochus, ſed nullo conſtituto Vicario, vterque metu hæreticorum latuerit, ita vt ignoretur, vbinam ſint, vel ex eodem metu à diœceſi abſint, ita vt ad eoſdem non ſit tutus acceſſus, an vero vterque exiſtat, omnibus pateat, & ad eoſdem ſit tutus acceſſus. His conſideratis ſit

Rationes dubitandi ſub præſenti titulo.

Aſſertio I. Vbi Concilium Tridentinum eſt promulgatum, & receptum matrimonia hæreticorum inita, vel inter ſe, vel hæretici cum catholica ſine aſſiſtentia Parochi, & teſtium, ſed coram miniſtro hæretico, vel magiſtratu loci ſunt abſolutè irrita, & nullius roboris *Franciſcus Zippeus lib. 4. tit. de ſponſalibus, & matrimon. nu. 15. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. nu. 78. Bellarminus ad d. c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim. & alij magis communiter.* 1

1 Matrimonia hæreticorum, vel hæretici cum catholica in loco, vbi publicatū eſt Concilium ſunt nulla ſine Parocho, & teſtibus.

Ex-

Expreſſè colligitur ex declarationibus Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trident. interp. relatis à Zippæo lib. 4. de ſponſal. nu. 11. per hæc verba *Tertio Hereticos quoque vbi decretum d. c. 1. eſt publicatum teneri talem formam obſeruare, & propterea etiam ipſorum matrimonia abſque forma Concilij, quamuis coram miniſtro heretico, vel magiſtratu loci contracta, nulla, atque irrita eſſe*, vbi vides ſacram Congregationem loqui de hæreticis abſolutè, non præciſè de matrimonio hæretici cum catholica, & è contrà, quæ propterea ſi verificantur in ordine ad eoſdem, abſolutè in fortioribus terminis verificari debent de matrimonio cum altero eorum catholico. Ratio horum omnium ea eſt, quia hęretici potiſſimum inhabitantes in locis catholicorum ſubduntur iuriſdictioni Eccleſię, cui ſe conformare tenentur ex eo, quod per baptiſmum ingreſſi ſunt in eandem, cui propterea facti ſunt ſubditi; nec in hoc currit paritas cum cæteris infidelibus, quandoquidem de his, cum foris ſint, non iudicat Eccleſia, nec iſti eiuſdem iuribus ſubduntur; Ex quibus aſſerendum eſt, edictum Henrici IV. in Regnis Galliarum nullius penitus roboris eſſe in ordine ad validitatem matrimonij, ſed ad ſummũ prodeſſe in ordine ad politiam temporalem, quoad ius ſuccedendi in prole ex eiſdem matrimonijs ſic celebratis concepta, quod vtique potuit, ſicuti enim prolem naturalem poteſt habilitare, & legitimare ad ſuccedendum ita potuit in ordine ad hunc effectum præciſè matrimonium declarare validum.

Declarationes Sacræ Congregationis.

Hæretici habitantes in locis catholicorũ ſubduntur iuriſdictioni Eccleſię.

2 Vbi Parochus, vel Epiſcopus defecerint nullo ſubſtituto matrimonia hęreticorũ ſine illis tenent.

Aſſertio II. Si in loco, in quo receptum fuerit Concil. Trident. vere fuerit Epiſcopus, & Parochus, & poſtea vterque defecerit alio non ſubſtituto matrimonium per hereticos ibi celebratum ſine illorum aſſiſtentia tenet *Zippæus lib. 4. tit. de ſponſalib., & matrim. nu. 16. Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 7. Cardinal. Bellarminus reſpondens Chapeauillæ c. 6. q. 15 Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. nu. 67.*

Hoc expreſſè definiuit eadem Sacra Cardinalium Concil. Trid. interpretum congregatio apud Zippæum loc. cit nu. 16. illis verbis *Quarto, vbi etiam conſtat Concilij decretum eſſe publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilij obſeruatum, ſed parochialis Eccleſia vtpote vacans, proprio Parocho careat, & cathedralis itidem Epiſcopo, atque capitulo habentibus à Concil. facultatem ſacerdotem ad id diligendi, nulluſq; alius ibi ſit, qui vices Parochi, vel Epiſcopi ſuppleat matrimonium valere abſque præſentia Parochi, ſeruata tamen in eo, in quo poteſt, forma Concilij, nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus*; nec incongruæ rationi innititur huiuſmodi declaratio, quandoquidem veriſimile non eſt, quod in ea hypotheſi voluerit Concilium libertatem contrahendi matrimonium adimere, & ius à natura inditum impedire.

Hic excitant dubium *DD.* an per epicheiam id, quod dictum eſt de hæreticis exiſtentibus in locis catholicorum, vbi receptum eſt Tridentinum, poſſit etiam adaptari catholicis in certis caſibus, puta, ſi quis ducere debeat concubinam, & in articulo mortis conſtitutus non poſſit habere copiam Parochi, & teſtium, vel ſi teneatur ducere eam, quam deflorauit ſub ſpe futuri coniugij, nec tamen poſſit habere Parochum, vel alium Sacerdotem de ipſius licentia, & his ſimilia. Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 18. num. 33.*, & clarius *diſp. 17. num. 4.* exiſtimat matrimonium in hoc non admittere *E*pichæiam, & per conſequens in articulo mortis, & in quacunque neceſſitate contractum abſque Parocho, & teſtibus eſſe irritum, quia vbi in diſpoſitione iuris dicitur *aliter fieri non poſſit* inducitur forma *Felinus in c. cum dilecta de reſcript. n. 6. ſig. 7.*, quando autem forma inducitur ſine eadem contractus in quocunque euentu eſt irritus, quia non poteſt eſſe actus ſine ſua forma ſubſtantiali, quod etiam à fortiori euincitur per particulam additam in d. ſeſſ. 24. c. 1. *omnino*, quæ ſignificat in omni euentu ſine vlla exceptione *Iaſon. l. 1. num. 3. ff de iuriſdic. omn. Iud. Albericus in dictionario verb. omnino Bertachinus in repert. eod. verb. Francus in c. 2. de pactis in 6.* Contrarium tanquam probabile exiſtimant *Vega in ſumma lib. 3. caſ. 361. Veracrux in appẽdic. ad ſpecul. coniug. dub. 5. ſolut. 2. ad obiectionem poſitam poſt ſeptimam concluſionem Capua lib. 2. deciſ. deciſ. 85. num. 8. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 87. Iacobus de Graffijs lib. 1. deciſ. aurear. c. 86. nu. 4. verſ. 2.* atque hanc opinionem ſtantibus declarationibus prædictis Sacræ Congregationis Cardin. Concilij Tridentini interpretum probabiliorem exiſtimo; non enim probabile eſt, vt ſupra innuebamus, quod Concilium Trident. in illis neceſſitatibus, in quibus impoſſibilis eſt obſeruantia eiuſdem Concilij, adimere voluerit libertatem contrahendi matrimonium, quod de iure naturæ inductum eſt; nec obeſſe poteſt illa particula *omnino*, quandoquidem illa intelligenda eſt, quotieſcunque poteſt illa forma adimpleri; ſecus ſi ſtrictiſſimè eſſet accipienda, vt nullam penitus admitteret exceptionem, neque poſſet validum eſſe matrimonium per hæreticos initum in locis, in quibus non poſſet haberi copia Parochi, quandoquidem etiam ipſi hæretici in illis locis ſubduntur diſpoſitioni Concilij, & reſpectu ipſorum etiam illa ſolemnitas præſcripta eſt

3 An conſtitutus in articulo mortis, ſi debeat ducere concubinam, & nõ poſſit haberi Parochus valide eam ducet ſine Parocho.

Sententia negatiua Sanchez.

Affirmatiua præfertur.

Digitized by Google

eſt tamquam forma, & nihilominus Sacra Congregatio contrarium declarauit. Quamobrem ad rationes Sanchez dicendum eſt habere quidem rationem formæ, quotieſdunque illa haberi poteſt; non enim eſt Forma ſubſtantialis intrinſeca ex natura rei requiſita, ſed tantũ ex diſpoſitione iuris, quod limitari debet ad ſtatum, ſecundũ quem adhiberi poteſt, nec præſumendũ eſt, quod aliter intenderit Eccleſia

Aſſiſtẽtia Parochi nõ eſt forma ſubſtãtialis intrinſeca.

Dubitari etiam poteſt, an in hypotheſi, qua Hæretici degentes in locis fidelium, in quibus receptum eſt *Concil. Trident. in d. ſeſſ. 24. cap. 1.* habere non poſſint copiam Parochi teneantur tamen pro validitate contractus adhibere duos, vel tres teſtes. Videtur dicendũm non eſſe ex neceſſitate adhibendos, ſed ad ſummum ad melius eſſe, quandoquidem per dictum Concil. Trident. *d. ſeſſ. 24. cap. 1.* videtur præſcribi aſſiſtentia Parochi, & teſtium per modum formæ indiuiſibilis, qui vtrique coniunctim exiguntur, & quod ſe habet per modum formæ non patitur diuiſionem; cum igitur in ea hypotheſi eximantur contrahentes ab onere aſſiſtentiæ Parochi videntur etiam eximi ab onere teſtium, quia, quod ſe habet per modum indiuiſibilis non poteſt quoad vnum ſubſiſtere, non quoad aliud. Quod, ſi Sacra Congregatio Concilij dixerit in allegata declaratione *Seruata tamen in eo, in quo poteſt forma Concilij, nempe adhibitis, ſaltem duobus teſtibus*, hoc intelligendum eſt non quoad neceſſitatem, ſed quoad eſſe congruentius. Nihilominus ſentiendum exiſtimo, quod, ſi poſſint haberi duo, vel tres teſtes ſint ex neceſſitate adhibendi ad validatem contractus. Ratio deducitur ex eadem declaratione Sacræ

4 In hac tamen ſuppoſitione ſunt adhibendi ex neceſſitate duo, vel tres teſtes, ſi haberi poſſint.

Congregationis, quæ vtique agebat de validitate contractus, & cum exceperit formam in ordine ad teſtes, quando haberi non poterat præſentia Parochi, vtique præſumenda eſt exceptionem concepiſſe in ordine ad validitatem, non ad congruentius eſſe ſolummodo, cum exceptio cadat ſuper præcedentia ſecundum eam rationem, ſub qua eadem procedunt; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur; nam licet forma ſubſtantialis intrinſeca, & naturalis ſe habeat per modum indiuiſibilis, non tamen forma, quæ ab extrinſeco apponitur, cum hæc dependeat ab intentione apponentis, nempe habentis legitimam poteſtatem apponendi, qui ſicuti poterat apponere, vel ſecundum tales conditiones, vel ſecundum tales alias, præſumendus eſt apponere eo modo, quo poſſunt adimpleri, vel adequatè, ſi quoad vtrumque poſſint exequi, vel quoad vnum tantum, ſi quoad illud poſſit haberi tantum facultas.

5 Aſſertio III. Si verè Epiſcopus, & Parochus in tali loco, in quo receptum eſt Concilium Tridentinum exiſtant, ſed lateant ex metu infidelium, ita vt eorum præſentia ignoretur, vel abſint à diœceſi, ita vt ad eoſdem tutus non ſit acceſſus, vtique hæretici poſſunt contrahere matrimonium ſine ſolemnitate à Concilio requiſita. Ita ſuſtinent quotquot ſuſtinent præcedentem aſſertionem.

Tenet matrimoniũ hæreticorum, ſi Parochus, & Epiſcopus ita lateant vt ignorentur.

Expreſsè colligitur ex ſimili declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trident. interpretum apud eandem Zippæum loc. cit. num. 16. in hæc verba. *Quinto, ſi extent quidem Parochus, & Epiſcopus, ſed nullo conſtituto Vicario, vterque metu hæreticorum lateat; ita vt verè ignoretur, vbinam ſint, vel eodem metu à Diœceſi abſint, ita vt ad alterutrum non ſit tutus acceſſus validum eſt matrimonium contractum abſque forma adhibitis tamen* &c. Iiſdem rationibus innititur, quibus præcedens aſſertio, quandoquidem, quod Parochus, vel Epiſcopus nõ exiſtat, aut quod exiſtat, ſed lateat, vel alibi exiſtat ſine tuto acceſſu ad eundem paria ſunt quoad effectum.

Declarationes Sacræ Congregationis.

## PRÆNOTIO XXI.

### An Concilium Tridentinum, vt obliget quoad hanc formam debeat eſſe publicatum, & receptum in loco, in quo celebratur matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Vbi Concilium Tridentinum publicatum eſt, & receptum obligat etiam ignorantes quoad nullitatem actus, non autem quoad alias pœnas, ſi ingerantur.* 1.

*Vbi fuit legitimè publicatum quoad formam aſſiſtentia Parochi, & teſtium habet vim obligandi ad ſui acceptationem, & ad obſeruantiam etiam ſi non fuerit acceptatum.* 2.

*Aſſignatio temporis ad obligandum afficit etiam ignorantes.* 3.

*Vbi publicatum eſt concilium, ſi celebrentur matrimonia ſine Parocho, & teſtibus intra decennium à die publicationis ſunt irrita.* 4.

*Ad deobligandum à forma Concilij ſufficit non vſus per decennium.* 5.

*Si incola loci, in quo promulgatum eſt Concilium contrahat in loco, in quo publicatum non eſt, tenet matrimonium non ſeruata forma Concilij; ſi verò incola loci, in quo publicatum non eſt contrahat in loco, in quo publicatum eſt non ſeruata eadem forma non tenet.* 6.

Si

Digitized by Google

*Si incola loci, vbi publicatum eſt Concilium, ſit ſolum per modum tranſitus ſine animo ibi permanendi, in loco, vbi non eſt publicatum, adhuc valide contrahit.* 7.

*Tenet matrimonium, quantumvis contrahentes ſe contulerint extra locum Concilij ad effectum vitandi formam eiuſdem.* 8.

*Captiui exiſtentes in locis infidelium valide contrahunt non ſeruata forma Concilij.* num. 9.

OMiſſis controuerſijs, quæ in genere eſſe poſſunt circà legum promulgationem ad effectum, vt obligent puta, an ſufficiat vna publicatio ſolemnis facta in ciuitate Romæ, quæ eſt caput totius orbis Eccleſiaſtici ad hoc, vt vbique terrarum obliget, ſicuti tenet *Suarez tract. de legibus lib.4. de legib. poſit. canon. c.25. num.5.* quoad Pontificum conſtitutiones, quas vult poſt duos menſes à publicatione Romæ factas obligare vbique, ad differentiam legum imperialium, & Regiarum, quæ de iure communi non obligant niſi poſtquam in Curia, & metropoli Regni traſierint duo menſes à die publicationis, & in reliquis Prouincijs eidem Regno ſubiectis alij duo menſes à die publicationis in eiſdem factis per textum *in auth., vt facta conſtitut. col.5.*, & hoc non alia ratione, niſi, quià Reſpublica eccleſiaſtica vna eſt, Prouinciæ autem ſæculares licet ſub eodem Principe diuerſæ. His, inquam, omiſſis, quæ ad rem præſentem facere non poſſunt, cum ipſummet Concilium Tridentinum in d. ſeſſ.24. cap. 1. ſtatuerit decretum illud robur non habere in vnaquaque Parochia, niſi poſt triginta dies numerandos à publicatione in illa, quod etiam confirmauit Pius IV. in Conſtit. edita ſuper tempus, quo deberet vigere obligatio ſeruandi decreta eiuſdem Concil. nos transferimus ad alia examinanda, quæ circà propoſitum titulum admittere poſſunt controuerſiam, & diſputationem, eo quià clarè non ſunt decreta.

Igitur controuertetur primò, an in locis, in quibus fuit publicatum, & receptum poſt triginta dies à publicatione obliget etiam ignorantes. Secundò, an huiuſmodi decreta Concilij poſt ſufficientem promulgationem obligent vbique ad ſui acceptationem, & ad obſeruantiam, adeout non poſſint non acceptari. Tertiò, an, ſi poſt publicationem obliterata ſit memoria Concil. decretum illud valeat, adeout, ſi matrimonium celebretur ſine Parocho, & teſtibus ſit omninò inualidum. Quartò, an incolæ loci, vbi eſt publicatum Concilium, & acceptatum, ſi tranſeant ad locum, vbi non eſt publicatum, & è conuerſo, validè contrahant matrimonium ſine Parocho, & teſtibus.

Articuli examinandi ſub hoc titulo.

Aſſert. I. Vbi decretum hoc Concilij Trident. legitimè publicatum eſt, & receptum obligat etiam in eodem loco ignorantes quoad nullitatem actus, non autem quoad alias pœnas, ſi quæ fortè ingerantur *Sanchez lib.3. de matrimon. diſp. 17. n.10. Gutierez de matrimon. cap.61. nu.11. Baſilius Pontius lib.5. c.6. n.18.* & alij plures, quos refert *Auguſtinus Barboſa in remiſſionib. ad d. c.1. ſeſſ.24. de reformat. n.77. Sotus lib.1. de iuſt. q.1. art.4.* 1

Concilium vbi publicatum eſt obligat etiam ignorantes quo ad nullitatem, non quoad pœnas.

Ratio ex eo deducitur primò, quià hæc ſolemnitas Concil. Trident. quoad aſſiſtentiam Parochi, & teſtium eſt præſcripta per modum formæ conſtituentis legitimum conſenſum aptum ad huiuſmodi contractum, ſed lex præſcribens aliquid ad modum formæ ſubſtantialitèr requiſitæ ad ſubſtantiam actus afficit etiam ignorantes, *Immola clem.1. de elect. n.54. Decius c.2. de conſtit. in 2. lectura nu. 31. & c. cæterum de reſcript. n.32.*, & quod etiam deduci poteſt à ſimili *ex cap. primo de conceſ. prebend. in 6. verſ. adijciebatur*, vbi lex annullatiua dicitur vim habere, *ſiuè ignorauerit, ſiue non* ergò &c.

Lex præſcribens factum afficit etiã ignorantes.

Dices, quantumvis Tridentinum exigat illam ſolemnitatem, tamquam formam, nihilominus non irritat matrimonium in terris fidelium, vbi concilium non eſt publicatum, ergò etiam non irritabit in ijs locis, in quibus publicatum eſt in ordine ad ignorantes. Conſequentia probatur, quià quod ſe habet per modum formæ, vel afficit abſolutè contractum, & ſic æquè defectus eiuſdem irritaret, ſiuè contractus iniretur, vbi decretum publicatum eſt, ſiuè vbi non eſt publicatum, vel non afficit eundem, ſed ſolummodò contrahentes, & tunc iſti æquè ſe habent, ſiuè fuerint, vbi concilium publicatum non eſt, ſiuè vbi publicatum eſt, ſed ignorantes, nam vel forma abſolutè afficit omnes, & ſic obligat, ſiuè in loco receptum fuerit concilium, ſiuè non receptum, vel ſolummodò ſcientes, & ſic abſolui debent ab eo onere, ſiuè habitantes in loco, in quo promulgatum eſt, ſed ignorantes, ſiuè degentes, vbi publicatum non eſt. Sed contrà, quià quamuis habeat rationem formæ, cum tamen hæc forma adueniat ab extrinſeco non ex natura rei inſit contractui, non poteſt obligare, niſi ſit promulgata; poſita autem promulgatione in loco, in quo celebratur contractus, iam habet quidquid requiritur ad rationem legis conſtituentis, ſiuè annullantis, nec ignorantia vnius, vel alterius poteſt demere iuri iam acquiſito per talem promulgationem; vndè quandò promulgata non eſt in tali loco lex nullum ius acquiſiuit in eodem loco, quandò autem promulgata eſt, ius acquiſiuit in tali loco. & cum habeat rationem formæ in tali loco

Nõ poteſt obligare, niſi ſit promulgata.

Digitized by Google

loco afficit omnes contrahentes, nec ignorantia vnius, vel alterius poteſt tali iuri derogare, cum iam poſſeſſionem obtinuerit in tali loco.

Secundò aſſertio ex eo euinci poteſt, quià quandò lex ſuppoſita debita promulgatione præfigit tempus, ſeù diem, quo incipere debet obligatio, afficit etiam ignorantes in eo loco, vbi facta eſt publicatio ſaltem quoad nullitatem actus *Gloſa clem. 1. de hæreticis verb. ex nunc*, *Roſella verbo lex n. 6. Ludouicus Gomez proem. reg. Cancellariæ q. 2. verſ. præterea*, *Nauarrus lib. 3. conſil. in 2. edit. tit. de regul. conſ. 31. n. 4. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 2. caſ. 185. num. 2. Antonius Cucus lib. 1. inſtit. maior. tit. 3. num. 30.*, nec incongrua certè ratione hoc decernitur, quandòquidem tunc ſuppoſita debita publicatione lex non amplius reſpicit ad ſcientiam, vel ignorantiam contrahentium, ſed ſuppoſita ſcientia abſolutè à die præfixo incipit obligare, ſed Concil. Tridentinum irritans matrimonia clandeſtina aſſignat determinatè tempus; à quo incipit obligare, & ſupponit publicationem præcedentem, ergò &c.

**Lex pænalis non afficit ignorãtes.**

Dixi in aſſertione, *non tamen quoad alias pænas, ſi quæ fortè ingerantur*, quandòquidem regulare eſt cuicunque legi pænali, vt non obliget ignorantes, nam pæna ex genere ſuo ſupponit culpam; ignorantia autem ſicuti excuſat à culpa, ità eximit à pæna; Neque dicas, hanc annullationem contractus conſurgentem ob omiſſionem præſcriptæ ſolemnitatis eſſe etiam pænam, quam propterea non poterit incurrere ignorans; contrà enim impugnaberis, quià illa annullatio actus impropriè omnimodè dicitur pæna, quandòquidem non eſt in odium contrahentium, ſed ex defectu formæ legitimæ, vt optimè conſiderauit *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 17. num. 11.*

2
**Habet vim obligandi ad acceptationem, & obſeruantiam.**

Aſſertio II. Concilium Trident. vbi fuit legitimè publicatum, quoad hanc formam aſſiſtentiæ Parochi, & teſtium habet vim obligandi ad ſui acceptationem, & ad obſeruantiam, etiam ſi non fuerit acceptatum. Conſonat cum ijs, quæ in ſimilibus terminis docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth., & Cenſib. prænot. 19. aſſert. 1. n. 4., & ſeqq.*

Probatur primò, quià Concilium Tridentinum iuſtè potuit ita velle obligare, & de facto voluit, ergò de facto obligat ad acceptandam formam per ipſum præſcriptam, eamque adimplendam, etiam ſi non fuerit acceptatum. Antecedens quoad primam partem facilè ex eo euincitur, quod habet *Gregorius IV. in can. præceptis diſt. 12.*, vbi habet *Præceptis Apoſtolicis non dura ſuperbia reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ à S.R.E., & Apoſtolica auctoritate viſa ſunt ſalutifera, impleantur*, cui conſonant verba *Hoſtienſis in titulo de treuga, & pace*, vbi ſic habet *Lex ſuperioris præceptiua non deſinit obligare eo, quod non recipiatur ab inferioribus, & ſubditis*, quod præcipuè verificatur in ordine ad ſanctiones Pontificum, & conciliorum decreta, quorum poteſtas eſt immediatè à Deo, non à populis accepta, qualis eſt poteſtas Principum temporalium. Quoad ſecundam partem expreſsè euincitur ex diſpoſitione eiuſdem concilij, cum plena approbatione Romani Pontificis, vbi ſtatuit, quod facta publicatione in quacunque Parochia poſt triginta dies immediatè incipiat obligare; vbi autem legiſlator apponit determinatè tempus, ex quo incipiat obligatio, intelligitur ab illo tempore abſolutè velle executionem; vndè etiam argumentum efficax ſic poteſt deduci; Quandò lex prouenit ab habente legitimam poteſtatem ipſam condendi, & determinat tempus ad obligationem, abſolutè obligat etiam ignorantes quoad nullitatem actus, prout præter allegatos *DD.*, & ibi à nobis tradita docet *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 17. nu. 10. Cardinal. clem. 2. de hæret. poſt notab. 6. Abbas c. 2. de conſtit. num. 7. Capua lib. 4. deciſ. c. 9. n. 23.*, ergò à fortiori obligabit ſcientes poſt publicationem, & contradicentes, quandòquidem decretis Apoſtolicis non eſt dura ſuperbia reſiſtendum, nec lex deſinit obligare ex eo, quod non recipiatur à ſubditis, & inferioribus.

3
**Aſſignatio temporis ad obligandum afficit etiam ignorantes.**

Probatur ſecundò. Decretum Concilij quoad huiuſmodi formam omninò iuſtũ eſt, & ordinatum ad euertendas occaſiones peccandi, ſcandala, adulteria, contubernia, & prolis præiudicia, ergò ex illo oritur obligatio ad eam formam acceptandam, & ad eiuſdem obſeruantiam. Conſequentia probatur, quià leges iuſtæ procedentes ab habente iuſtam, & legitimam poteſtatem verè, & realitèr obligant ad ſui obſeruantiam, ergò etiam ad acceptationem, quià, quod obligat ad finem, obligat etiam ad media concurrentia ad finem.

*Dices*, hac ratione conſurgeret etiam obligatio acceptandi quaſcunque leges ciuiles, quotieſcunque iuſtæ ſunt, & ſic falſum eſſet, quod communitèr circumfertur, quod leges non obligant, niſi ſint acceptatæ. Sed contrà, quidquid ſit de legibus ciuilibus, de quibus alibi occurret ſermo, ſpecialis eſt ratiò in legibus pontificis, maximè ſi ordinatæ ſint ad bonum, & ſalutem animarum, & ad euertendas occaſiones peccandi, quià talis poteſtas condendi huiuſmodi leges in Pontificibus eſt immediatè à *Deo*, cui propterea populi non poſſunt contradicere ad differentiam legum procedentium à poteſtate laicali, quæ eſt dependentèr à populo,

**Eſt ſpeciale in legibus pontificijs, quæ ordinantur ad euertenda ſcandala.**

qui talem poteſtatem contulit, quique potuit ità conferre, vt leges non obligent, niſi acceptentur. Dici etiam poteſt, quod in legibus, ſiuè Pontificis, ſiuè conciliorum, ſiuè laicalibus requiratur acceptatio, quandò huiuſmodi leges concernunt pœnas, non autem quandò concernunt formam ſeruandam in actu, ſine qua nullitas eiuſdem actus conſurgat.

Dices vlterius, quod Concilium Trident. licet auctoritate Apoſtolica editum, confirmatum, & promulgatum in multis orbis partibus non fuit acceptatum, nec tamen damnantur, qui non acceptarunt, & non obſeruant, ergò non obligat ad ſui acceptationem, & ad obſeruantiam. Sed contrà; ſi aſſererem, non fuiſſe inculpabilem non acceptationem ab initio non aliquid aſſererem contrà rationem, & licet de præſenti, qui non acceptarunt, nec obſeruant, non damnentur, non arguitur huiuſmodi leges non habuiſſe vim ad inducendam obligationem acceptationis, & obſeruantiæ, ſed ſolummodò Pontifices poſteà conniuiſſe non obſeruantiæ, & quodamodò in eandem implicitè conſenſiſſe. Fauet huic reſponſioni textus *in c. vlt. de conſuetud.* vbi dicitur legem, etiam ſi acceptata ſit, poſſe ita conſuetudine abrogari, vt non amplius obliget, ergò à fortiori, ſi non fuerit acceptata, poterit tali conſuetudine abrogari, vt nullam vim amplius habeat, & ſic erit peccaminoſa non acceptatio, & culpabilis, non ſic non obſeruantia ſuppoſita conſuetudine ſine contradictione legislatoris. Dici etiam poteſt, quod in locis, vbi non fuit acceptatum, non fuerit etiam promulgatum renuentibus promulgationi Principibus, vel fuiſſe ſuper ipſum ſupplicatum.

*Non fuit inculpabilis non acceptatio ab initio.*

Multum etiam facere poſſunt ad confirmationem huius aſſertionis ea, quæ ſuperius dicta ſunt de hæreticis habitantibus in locis, in quibus publicatum eſt Concil. Trident., qui certè ſupponuntur non acceptaſſe decreta huiuſmodi Concilij, & tamen eorum matrimonia inita non obſeruata forma Concilij ſunt abſolutè irrita per ſuperius allegata, & probata, ergò &c.

4 Aſſertio III. Si poſt publicationem obliterata fuerit in aliquo determinato loco memoria Concilij, & per longum tempus puta decem ſaltem annorum non fuerit obſeruata forma concilij probabilius eſt habitatores talis loci non teneri amplius ad eandem formam, *Felinus poſt Cardinalem, Butrium, Immolam c. 1. de Tregua, & pace Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſalib. conſ. 9. nu. 1., & conſ. 53. n. 1. Manuel. tom. 1. ſumma in ſecunda edit. caſ. 219. nu. 2. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. n. 76., & ſeqq.*; idemque ſentire videtur *Bellarminus ad d. c. 1. ſeſſ. 24. Concil. Trident. in obſeruat. verbo ne vero, & in addit. nu. 27.*, qui tamen in hac controuerſia diſtinctione vtitur; ait enim, quod, ſi cum tali obliteratione concurrat non vſus, & contraria conſuetudo non vigeat ius obſeruantiæ talis formæ; ſi verò non adfuit contraria conſuetudo, ſed tantum non vſus, & tunc aſſerit adhuc vigere ius ad obſeruantiam talis formæ, eo quià ſolius legis non vſus non tollat legem, *Ioannes Andreas in c. Ioannes ad fin. de cleric. coniug. Nauarrus conſil. 1. de conſtitut. n. 25.*

*Obliterata memoria concilij, & per decem annos eius forma non obſeruata in aliquo loco, non amplius obligat.*

Probatur aſſertio primo *ex d. c. vlt. de conſuetudin.* vbi aſſeritur, legem, etiam ſi fuerit acceptata poſſe conſuetudine ita abrogari, vt non amplius obliget. Secundò *ex can. erit autem, & cap. ex iſtis diſt. 4.* vbi dicitur, ratione non obſeruantiæ toleratæ per longum tempus ius legis infirmari, & hoc regulare eſt cuiuſcunque legi, vt contraria conſuetudine auferatur; Neque arbitrandum eſt, hæc verificari ſolummodò, quandò leges ſunt præcisè præceptiuæ, & pœnales, non autem quandò præſcribunt formam, vt euenit in præſenti hypotheſi; Non, inquam, arbitrandum eſt, quandòquidem hæc forma, quam præſcribit Concil. Trident., non eſt ſubſtantialis, & intrinſeca, quam exigat ex ſe natura contractus, ſed extrinſeca, & ſolum ex iuris diſpoſitione requiſita, adeoque non eſt, cur ſeruata forma intrinſeca, & ſubſtantiali hæc externa non poſſit per contrariam conſuetudinem aboleri, & ſicuti licet ſit præſcripta per modum formæ non obligat niſi ſit publicata, ità nec obligare poſſe videtur, quandò legitima conſuetudine eſt præſcripta, ſeù abolita.

*Per longũ tempus ius legis infirmatur.*

Probatur, quià in tantum leges poſitiuæ obligant, in quantum eſt intentio legislatoris obligandi, quià tota ratio obligandi eſt ex mente legem conſtituentis, ſed ſtante contraria conſuetudine per tempus à lege præſcriptum ad abolendam obligationem, & non contradicente Pontifice, aliiſque Eccleſiæ Prælatis legiſlator non præſumitur amplius velle obligare, ſed cedere obligationi, quià videns, & tacens per longum tempus, cum poſſet contradicere, videtur cedere, & implicitè conſentire non obſeruantiæ, ergò &c.

*Princeps videns, & tacens cenſetur conſentire.*

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an omninò matrimonia inita in loco, vbi publicatum fuit concilium non ſeruata forma Concilij intrà decennium à die publicationis, intelligantur irrita, ita vt ſolummodò poſt decennium incipiant eſſe valida ſine tali forma. Secunda, an ſolummodò ex non vſu per tale tempus aboleatur vis talis formæ, an verò etiam requiratur contraria conſuetudo, quod eſt id, quod aſſerit *Bellarminus loco ſuprà cit.*

In

4 Si celebrétèr intra decennium non ſeruata forma ſunt irrita.

In ordine ad primam probabilius exiſtimo, omnia illa matrimonia inita intrà decennium non ſeruata forma Concilij in tali loco publicati eſse inualida, *DD. communitèr in c. 1. de tregua, & pace, Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 18. n. 1. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. num. 76.* Iuxtà noſtra principia non multum difficultatis videtur habere hoc aſsertum, quandòquidem eo ipſo, quod publicatum intelligitur decretum Concilij poſt dies triginti immediatè obligat ad obſeruantiam, nec poteſt deobligare non acceptatio per ſuperius probata, ergò quovſque per legitimam præſcriptionem non auferatur ius à iure acquiſitum, ſemper in ſuo vigore permanebit, & ſemper irritabit; decennium autem ſolummodò intelligitur aptum ad dirimendum tale ius, vt communitèr docent Theologi, & Canoniſtæ per textum *in d. canon. erit autem, & c. ex iſtis diſt. 4.*

5 Ad deobligandum ſufficit non vſus per decennium

In ordine ad ſecundam exiſtimo ſufficere nõ vſum per illud decennium quoad illam formam Concilij. Ita expreſsè *Nauarrus d. conſ. 1. de conſtit. n. 26.*, atque hoc videtur implicitè voluiſse *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 1. num. 77.* Ratio ex eo deſumi poteſt, quià per non vſum ſine contradictione, ſeù cum tolerantia regularitèr leges abrogantur, & licet dici poſſit, quod ſolummodò ea, quæ introducuntur per vſum poſſint contrario vſu abrogari, non ſic ea, quæ independentèr etiam ab vſu, ſeù acceptatione obligant; nihilominus, quantumvis decretum quoad huiuſmodi formam Concilij poſt legitimam publicationem non exigat ad effectum obligandi acceptationem, ſeù quod vſibus contrahentium confirmetur, poſt non vſum tamen per tempus à lege præſcriptum ſufficientèr abrogatur; nam hoc ius eſt præſcriptionis, quod tollit omnia iura, ſiuè inducta fuerint per vſum, ſiuè quocunque alio titulo, & licet ſubdatur, quod non vſus nõ tollat legem, hoc tamen verificari poteſt non ratione ſui, ſed ratione iuris præſcriptionis, quod conſurgit ex illo non vſu per tempus à iure præſcriptum.

6 Pro validitate, ſeù inualiditate contractus attendendus eſt locus, in quo celebretur.

Aſſertio IV. Regularitèr loquendo quoad validitatem, ſeù inualiditatem contractus ex forma concilij attendendus eſt locus, in quo celebratur cõtractus, adeovt, ſi incola loci, in quo promulgatum eſt Concilium, tranſeat ad locum, in quo nondum promulgatum eſt, & ibi contrahat ſine Parocho, & teſtibus, validè contrahat, ſi verò incola loci, in quo promulgatum non eſt, tranſeat ad locum, vbi publicatum eſt, & ibi contrahat ſine forma concilij, inualidè contrahat, *Sanchez lib. 3. diſp. 18. num. 27., & 28. Barboſa de Paroch. c. 21. n. 90., & ſeqq. Baſilius Pontius lib. 5. c. 9. n. 2., & 3. Salas de legib. diſp. 14. ſect. 4. n. 52. in fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. n. 79., & ſeqq.*

Cõtractus forum ſequitur in loco contractus.

Ratio ex eo deducitur in vniuerſum, quià contractus quoad ſolemnitates à iure requiſitas forum ſequitur in loco contractus per textum *in c. fin. de for. compet. Innocentius in rub. de conſuet. n. 6., & 7. Abbas in c. 1. de ſponſalib. n. 10. Ancharanus c. fin. de conſtit. in 6. Cinus l. 1. verſ. vidimus qualitèr C. de ſumma Trinit. Baldus l. 1. n. 3. C. de contrab. empt.* vndè benè dicitur in iure, quod contractus abſolutè initus ſupponatur initus ſecundum conſuetudines, ſolemnitates, & ſtatuta loci in quo celebratur per textum *in l. quod ſi nolit, §. quià aſſidua, ff. de adul. edict. Bartolus in l. nemo eſt nu. 5., ff. de duob. reis, Molina tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 260. in princip.*, quod non aliundè prouenit, niſi quià contractus debet celebrari iuxtà ſolemnitates loci, in quo initur, adeoque; ſi celebratur contractus matrimonialis in loco, in quo forma Concilij non obligat, poterit validè ſine eadem celebrari, ſi in loco, quo illa obligat, non poterit ſine illa validè celebrari.

Leges patriæ non obligant extra patriam.

Ratio in particulari quoad primam partem, quod ſcilicet, ſi incola loci in quo concilium obligat, tranſeat ad locum, in quo non obligat, poſſit validè celebrare ſine forma concilij, ex eo deducitur primò, quià leges poſitiuę non obligant extra patriam *arg. c. 2. verſ. ſtatuto Epiſcopi de conſtit. in 6.* Secundò, quià vnuſquiſque ſe conformare debet legibus, ac moribus eorum, ad quos diuertit per textum *in c. illa diſt. 12. Abbas c. à nobis el 1. de ſent. excommunicat. n. 11. Cardinal. clem. 2. de celebrat. miſſ. q. 5. Nauarrus in ſumma c. 23. num. 120. Maior in 4. diſt. 15. q. 3. col. 15. arg. 4.*, Tertiò, quià ſacerdos Græcus obligatus in ſuis regionibus celebrare in fermentato tranſiens per loca latinorum poteſt celebrare in Azimo. Quartò, quià tranſiens per Regnum caſtellæ in diebus veneris, & ſabati poteſt impunè edere inteſtina animalium, quamuis non poſſit edere in propria patria, ergò exiens ex proprio loco, in quo forma Concilij obligat, & tranſiens ad locum, in quo non obligat, poterit ſine illa forma matrimonium celebrare.

Exemplis illuſtratur.

Quoad hanc partem aſsertionis duplex poteſt eſse ratio dubitandi. Prima eſt, an ea, quæ dicta ſunt, verificentur ſolummodò, quandò incola loci, in quo viget forma concilij alio ſe transfert, vbi non viget talis forma animo ibi permanendi, an verò etiam, quandò illuc ſe transfert per modum tranſitus ſine animo ibi commorandi. Secunda, an etiam verificentur, ſi illuc ſe transferret in fraudem decreti Tridentini, vt ibi ſcilicet poſset contrahere ſine Parocho, & teſtibus.

7 Intellige quamuis illuc ſolum ſe transferat per modum tranſitus.

In ordine ad primam abſolutè ſentio verificari, quantumvis illuc ſolum ſe transferret per modum tranſitus. Hoc euincunt omnes rationes ſuperius adductæ pro probatione huius primæ partis, quibus hanc vnam placet addere, quià ſi quis in loco, in quo viget forma concilij ſit ignorans adhuc eadem forma afficitur, adeovt, ſi ſine illa contrahat, inualidè contrahat, ergò, ſi ſit extrà locum, in quo vigeat forma concilij, non afficietur forma eiuſdem, quandòquidem locus attenditur, non ſingularis perſona; Neque dicas, quod tùm ratione patriæ; tùm ratione perſonæ quocunque tranſeat ſemper afficiatur diſpoſitione Tridentini; ratione Patriæ, quià ibi promulgatum ſupponitur Tridentinum, adeoque iam ſupponitur contraxiſse obligationem; ratione perſonæ, quià ipſum concilium inhabilitat perſonam ad contrahendum, ipſaque inhabilitas ſemper comitatur perſonam quocunque tranſeat, tùm quia ipſa perſona eſt membrum Eccleſiæ, adeoque non eſt, cur per debitam legis promulgationem in loco, in quo erat, non debeat ſubdi legi Eccleſiæ; contrà enim impugnaberis, quià ratione patriæ non afficitur tali obligatione, quantumvis in patria fuerit promulgatum concilium, quià in tali loco, vbi eſt promulgatum, obligat, non alibi, vbi promulgatum non eſt; cum igitur contrahat alibi non afficitur tali onere; nec ratione perſonæ, quià inhabilitas, quam inducit concilium in perſona clandeſtinè contrahente prouenit ab extrinſeco, non ex natura rei, idest à lege; hoc autem proprium eſt legis, vt non obliget niſi ad modum, quem intendit conſtituens ipſam legem; conſtituens autem non intendit obligare, niſi vbi lex promulgata eſt, & poſt triginta dies à promulgatione, ergò &c. Ad illud, quod ſubditur: dicendum eſt, non omnia membra Eccleſiæ affici onere talis legis, ſeù cuiuſcunque legis Eccleſiaſticæ, ſed ea dumtaxat, quæ exiſtunt in loco, vbi lex ipſa per promulgationem obligat.

Non obligat, vbi promulgatum non eſt.

In ordine ad ſecundam *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 45. art. 5. punct. 3. dub. vlt. concl. 1. & 3. Manuel. 1. tom. ſumma in 2. edit. c. 219. nu. 2. in fin.* ſuſtinent matrimonium contractum ſine concilij forma in loco, ad quem coniuges ſe tranſtulerunt animo præcisè euitandi talem formam eſse abſolutè inualidum, quod multis rationibus conantur euincere primo, quià fraus, & dolus nequeunt ſuffragari ſuo auctori per textum *in cap. ex tenore de reſcriptis, & c. ſedes eodem tit.*; patrocinaretur autem, ſi matrimonium illud foret validum. Secundò, quià ſolutiones plurimæ tenent, quæ tamen, ſi fiant in fraudem creditorum, irritantur, ergò etiam tranſitus ad alium locum, in quo non viget obſeruantia formæ concilij ad finem, vel euitandi impedimenta, vel inimicitias poterit eſse cum contractu valido, qui tamen, ſi fiat cum fine fraudandi legem Concilij non erit cum matrimonio valido, *arg. l. 1. §. ijdem aiunt verſ. denique, ff. de aqua pluu. arcen.* Nihilominus ſentiendum abſolutè eſt matrimonium etiam in ea hypotheſi fore validum, quamvis coniuges illuc ſe tranſtulerint eo animo, vt euitarent formam Concilij, *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1. n. 80. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 18. num. 29. verſ. cæterum diſplicet.* Ratio ex eo deduci poteſt, quià illuc ſe transferentes vtuntur iure ſuo; qui autem iure ſuo vtitur non dicitur fraudem committere per textum *in reg. nullus videtur 55. ff. de reg. iur. & in l. 3. paulò poſt princip. verſ. is tamen, ff. de lib. hom. exhib.*; hac ratione docent plurimi matrimonium contractum in articulo mortis efficere filios legitimos, quamvis hoc fiat in fraudem ſubſtituti; nec obeſse poteſt illa intentio, quià ad ſummum illa conſtituit actionem peccaminoſam, non autem inualidam, quià illa actio eſt cum omnibus requiſitis, tùm ex natura contractus, tùm ex diſpoſitione iuris, quod tantum requirit formam concilij in loco, in quo fuit publicatum. Aduerſus hanc noſtram ſententiam obijcit *Auguſtinus Barboſa de Parochis c. 21. num. 92.* declarationem Sacræ Congregationis Card. Concil. Trid. interp. *in Colonienſ. 5. Septembris 1626. & in Antuerpienſ. 16. Decembris 1628.* per quas dicitur matrimonium non eſse legitimum, ſi contrahentes ſe transferant ad locum, in quo Concil. non eſt promulgatum ſub animo ſine Parocho, & teſtibus contrahendi. Sed de huiuſmodi Sacræ Congregationis declarationibus ſupponit *Ioannes Angelus Boſſius* clarè non conſtare. Ad rationes, quæ ex aduerſo per Petrum de Ledeſma, & alios afferebantur dicendum eſt, cum *Sanchez loc. cit. verſ. non obſtat* non eſse fraudem, quæ patrocinatur contrahentibus, ſed ius, quod eiſdem competit; ad illud, quod ſubditur de paritate ſolutionum in fraudem creditorum dico non eſse ad rem, quià iura irritantia huiuſmodi ſolutiones reſpiciunt actiones externas alteri iniurioſas, non præcisè intentionem; in caſu autem matrimonij nulla ſequitur alteri iniuria, & ſolum res cedit in vtilitatem contrahentium.

8 Tenet matrimonium ſine forma Concilij celebratū in loco, vbi non eſt promulgatum, quantumvis contrahẽtes illuc ſe tranſtulerint eo animo vitandi talē formam.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ratio in particulari, quoad ſecundam partem, quod ſcilicet incola loci, in quo publicatum non eſt concilium, non poſſit validè contrahere ſine forma eiuſdem Concilij in loco, in quo promulgatum eſt ex eo euincitur, primò ex allegatis iuribus, quibus dicitur, quod, qui ſe transferunt ad alia loca, teneantur ſequi conſuetu-

Digitized by Google

Aduenæ tenentur ſeruare ſtatuta locorum.

ſuetudines, ſolemnitates, & ſtatuta eorundem locorum in actibus, quos ibidem celebrant. Secundò, quià quantumvis daremus peregrinos, & forenſes non adſtringi legibus, & conſuetudinibus loci, per quem tranſeunt, vel in quo per modum hoſpitij reperiuntur, vt videtur colligi *ex D. Auguſt. Epiſt. 118 & ex l. hæres abſens 19 §. proindè, ff. de iudicijs, & ex l. quæſitum §. fin. ff. de leg. 3.*, hoc tamen non verificatur quoad celebrationem contractuū quoad ſolemnitates præſcriptas in tali loco per ſuperius allegata, ergò &c.

Hic oritur difficultas, an captiui exiſtentes apud infideles, apud quos non eſt publicatum Concilium Trident., vel etiam, ſi publicatum fuerit, non obligat publicatio, cum infideles non ſubdantur legibus Eccleſiaſticis poſſint ibi non ſeruata forma Concilij validè contrahere matrimonium. Suppono, quod, antequam fierent captiui, eſset incolæ loci, in quo fuerit publicatum Concilium Tridentinum, & in eodem ſeruaretur forma eiuſdem Concilij. Quo ſuppoſito videtur prima fronte dicendum, teneri eandem formam ſeruare ex quo in loco, cuius incolæ erant ante captiuitatem, concilium fuerat publicatum, eiuſque obſeruantia vigebat, quod euinci poteſt paritate aliorum iurium Eccleſiaſticorum, à quibus non eximitur ex eo, quod quis ſit captiuus apud infideles, puta à ieiunio, ab abſtinentia à carnibus diebus vetitis. Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo in ea hypotheſi validè contrahere etiam non ſeruata forma Concilij *Palacios in 4. diſt. 29. diſp. 1. verſ. ſecundam verò iſtis exploratis, Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 19. num. 35.*

9 Captiui exiſtentes apud infideles, vbi non eſt publicatum concilium, vel publicatio non obligat poſſunt validè contrahere non ſeruata forma concilij

Ratio ex ijs deducitur, quæ ſuprà dicebantur; ſi etenim, quandò ſpontè recedunt à loco, in quo publicatum eſt Concilium, ſeque transferunt, vbi publicatum non eſt, poſſunt ibi validè contrahere non ſeruata forma Concilij, cur etiam non poterunt validè contrahere, quandò transferuntur per vim ad locum, in quo Concilium publicatum non eſt, vel nullum ius penitus habet? ſemper enim verificaretur, quod contraherent in loco, vbi Concilium non obligat. Deindè potius eſt præſumptio fraudis, quandò ſe ſpontè transferunt ad locum, vbi Concilium non viget, ac quandò coacti illuc transferuntur; Nec obeſse poteſt ratio paritatis ſuperius adducta de cæteris præceptis Eccleſiaſticis, quandòquidem in ordine ad cętera præcepta Eccleſiaſtica, vbi nihil expreſsè definitum eſt quoad publicationem, ad obligandum ſufficit, quod fuerint publicata in Curia Romana, vel in principalioribus prouincijs; in ordine verò ad obligandum quoad formam Concilij requiritur, quod fiat publicatio in vnaquaque determinata Parochia, ſine qua publicatione abſolutè non obligant; Neque obſtat, ſi vlterius aſseratur, Concilium voluiſse quidem publicationem in vnaquaque Parochia, vbi eſt, cæterum cum voluerit, quantum fieri potuit, obligare, & inter infideles nulla ſit Parochia, præſumendum eſt, quod voluerit obligare præcisè per publicationem factam in propria Parochia, antequam captiui reducerentur ad loca infidelium; Non, inquam, obſtat, quià, cum Concilium voluerit publicationem in loco in quo celebrari debet contractus ad obligandum ad formam eiuſdem, vt in *d. c. 1. ſeſſ. 24.* per illa verba *Decernit inſuper, vt huiuſmodi decretum in vnaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat à die prima publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*, vbi non eſt huiuſmodi publicatio, cenſendum eſt abſolutè non obligare, nec refert, quod ibi nulla ſit Parochia, quandòquidem, ſi Conciliū voluiſset etiam ibi obligare, ſtatuiſset, quod ibi publicatio fieret in locis publicis &c.

---

## PRÆNOTIO XXII.

De matrimonijs vagorum quoad formam Concilij, & alias conditiones ad ea requiſitas.

### *SVMMARIVM.*

*Vagi ſunt, qui nullibi habent domicilium, nec certam ſedem.* 1.

*Intellige de domicilio habitationis.* 2.

*Vagi item ſunt, qui deſerentes proprium domicilium iter habent quærentes, vbi ſibi ſedem figant.* 3.

*Peregrini propriè non deſerunt domicilium. num.* 4.

*Vagi contrahentes in loco, vbi publicatum eſt concilium, non ſeruata forma concilij inualidè contrahunt.* 5.

*Contrahentes, vbi publicatum non eſt validè contrahunt, quantumvis receſſerint à domicilio originis, vbi publicatum eſt.* 6.

*Probabilius eſt eum ſolum Parochum, poſſe vagorum matrimonijs aſſiſtere, qui eſt Parochus loci, in quo contrahere intendunt. num.* 7.

*Vagi ratione delicti conſtituuntur ſubditi loci in quo deliquerunt.* 8.

*Quandò vnus ex contrahentibus eſt vagus, alter fixus probabilius debet aſſiſtere Parochus fixi, ſi tamen Parochus vagi aſſiſteret non foret inualidum matrimonium. num.* 9.

*Matrimonium initum per vagum coram Parocho loci, in quo eſt incidenter, & per tran-*

*tranſitum tenet, quamuis ille dimiſerit propriũ domiciliũ in fraudẽ Parochi illius. num.* 10.

*Si vagus acceſſerit ad alium locum, cum animo ibi permanendi, valide contrahit coram Parocho illius loci.* 11.

*Non eſt neceſſe antequam contrahat, vt ibi permaneat pro maiori anni parte.* 12.

*Parochus loci, in quo incidenter vagi degunt poteſt delegare alium ſacerdotem ad aſſiſtendum.* 13.

*Parochus non poteſt aſſiſtere matrimonijs vagorum, niſi poſt diligentem inquiſitionem de ſtatu libero, & poſt facultatem aſſiſtendi ab ordinario acceptam.* 14.

*Hæc ſunt præſtanda etiam quoad alienigenas.* 15.

*Etiam quoad habitatores originis, qui diu ab fuerunt.* 16.

*Excipe quoad alienigenas, qui ratione ætatis non potuerunt alibi contraxiſſe.* 17.

*Si Parochus aſſiſtat ſine illa inquiſitione, & facultate tenet matrimonium, grauitèr tamen peccat.* 18.

*Parochus aſſiſtens ſine illa inquiſitione, & facultate contrahit pœnam ſuſpenſionis triennalis.* 19.

ANtequam controuerſias excitem circa matrimonia per huiuſmodi vagos ineunda operę pretium eſt inquirere, quinam propriè ſint, & dicatur vagi, prout contradiſtinguuntur, tum a peregrinis, tum à forenſibus. Conueniunt igitur primo, omnes illos proprie dici vagos, qui nullibi habent domicilium, ſeu certam, & conſtantem ſedem, ſed hinc inde vagantur, prout late citatis iuribus, & *DD.* ſtatuunt *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 25. à num. 1. ad 5. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 4. num. 164., & ſeqq;* ſed diſputant inter ſe, an cum dictum fuerit, quod nullibi habeant domicilium, hoc intelligendum ſit, tam de domicilio originis, quam de domicilio habitationis, dũ aliqui *apud Iulium Clarum lib. 5. receptarum in pract. crim. §. fin q. 39. ſed hic quaro* ſentiunt debere etiam carere domicilio originis, vt proprie vagi dicantur; ſed merito hos impugnet *Clar. loc. cit.* eo quia eorum ciuitas, ſeu patria deberet eſſe funditus euerſa, quinimmo nullibi deberẽt eſſe nati; ſufficit igitur, quod nullibi habeant domicilium habitationis. Conueniunt ſecundo, quod illi dicuntur proprie vagi, qui priſtinum domicilium deſerentes iter habent quærentes vbi ſedem ſibi figant; Sed hic diſputant *DD.* primo, an etiam dicantur propriè vagi ſi deſeruerint priſtinum domicilium, ſed ſibi in animo ſtatuerint in certo loco ſtationem determinate ponere; Secundo, an tales dicatur qui relicta parochia nondum ſtatuerunt, ad quam ſint migraturi, & interim in aliqua Parochia hoſpitantur ad breue tempus. Tertio an dicatur vagi, qui relicto priori domicilio in aliqua vrbe ad aliud ſe transferunt, & dum domus in alia ciuitate, ad quam ſe conferunt, expeditur habitatore, hoſpitantur in alia vrbe vicina &c. In omnibus his caſibus exiſtimo propriè non dici vagos *Sanchez, & Boſſius locis cit.* Ratio ex eo deducitur, quia ad hoc, vt quis dicatur vagus, duo indiuiſibilitèr requiruntur; primum, vt domicilium primum deſeruerint, ſecundum, quod aliud non acquiſierint; ſed in omnibus prædictis caſibus licet verificetur, quod priſtinum domicilium deſeruerit, non tamen verificatur, quod aliud acquiſierit ergo &c. Ex quibus omnibus patet diſcrimen, quod intercedit inter vagos, & peregrinos, nam peregrini proprie non deſerunt domicilium, cum animum habeant ad illud reuertendi, vagi vero proprie deſerunt cum animum habeant non amplius ad illud regredi. Hic igitur ſuppoſitis quoad eſſe propriè vagorum.

1 Vagi, qui nullibi habent certã ſedem.

2 Sufficit, quod nullibi habeant domiciliũ habitationis.

3 Vagi item ſunt, qui deſeruerunt propriam ſedem quærentes vbi alibi figant

4 Peregrini propriè nõ deſerunt domiciliũ.

Id, quod in præſenti prænotione examinandum occurrit erit primo, an ſi huiuſmodi vagi contrahant matrimonium in loco, vbi viget forma Concilij, ſine eadem forma, inualidè contrahant. Secundo coram quo Parocho ſi plures fuerint in tali loco, in quo intendunt matrimonium inire, debeant contrahere. Tertio an Parochus, qui de iure poteſt aſſiſtere matrimonio vagorum teneatur præmittere aliquam diligentem inquiſitionem de eorum ſtatu, & obtinere ab ordinario licentiam. Quarto an ea, quæ quoad diligentem hanc inquiſitionem dicuntur de vagis, æquè intelligẽda ſint de alienigenis. Quinto an ſi Parochus omiſerit talem diligentem inquiſitionem, nec facultatem ab ordinario obtinuerit, & nihilominus coniunxerit, teneat matrimonium. Sexto, an tunc peccauerit, & aliquas pœnas obierit.

Rationes dubitandi circa titulum.

5 Vagi cõtrahentes in loco vbi publicatũ eſt concil ũ ſine forma eiuſdem inualidè contrahunt.

Aſſertio I. Vagi contrahentes in locis, in quibus publicatum eſt Tridentinum tenentur ſeruare formam Concilij, eaque non ſeruata irritum eſt matrimonium. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt *in præcedenti prænot. aſſert.* 4., cuius rationes etiam militant pro præſenti, quandoquidem contrahentes in aliquo determinato loco tenentur in contractu ſeruare ſolemnitates, quæ in tali loco ſunt de neceſſitate contractus, quod ſi verificatur quando quis recedit à loco, vbi concilium publicatum non eſt, & tranſit ad locum vbi publicatum eſt, ibique contrahit, non video cur verificari non debeat quoad vagos, qui tranſeunt ad locum Concilij; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod vagi nullum habeant domicilium, quando-

qui-

Digitized by Google

quidem à priſtino receſſerunt ſine animo redeundi, nec alterum acquiſiuerunt; Nó, inquam, obeſſe poteſt, quia quod priſtinum deſeruerint, nil confert ad præſens inſtitutum, cum ſufficiat, quod contrahent in loco, vbi concilium fuit promulgatum, & ratione eiuſdem contractus, quoad ſolemnitates illius inſtituuntur quaſi ſubditi illius loci: nec in hoc exiſtimo eſſe, qui refragetur. Quoad præſentem effectum id, quod dicitur de vagis quoad matrimonium celebratum in loco Concilij; dicendum eſt etiam de peregrinis, quorum matrimoniū contractū in loco concilij, vt validum ſit, debet eſſe initum cũ forma eiuſdem Concilij.

6 Côtrahentes, vbi publicatum non eſt, valide contrahunt.

Ex aduerſo ſequitur, quod, ſi vagi contrahant in loco, in quo Concilium publicatum non eſt, valide contrahant, non ſeruata forma eiuſdem Concilij, quantumvis receſserint à loco originis, in quo d. Concil. fuerat promulgatum. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia quoad contractus quiſque poteſt ſe accomodare legibus loci, ad quem diuertit, & ſi captiuus traductus ad loca infidelium, in quibus Concilium non viget, poteſt ibidem valide contrahere ſine Parocho, & teſtibus, vt ſupra probauimus, cur etiam vagus ſponte tranſiens in tali loco non poterit non ſeruata eadem forma contrahere?

7 Solus Parochus loci, in quo contrahere intendunt, valide aſſiſtit.

Aſsertio II. Quamvis probabile ſit poſſe quemlibet Parochũm aſſiſtere matrimonio vagorum, probabilius tamen eſt eum ſolum eſse, in cuius Parochia fuerint, ſeù quaſi in tranſitu habitauerint vagi pro tempore, quo intendunt matrimonium contrahere. *Andreas Valenſis in ſumma decret. lib. 4. tit. 3. num. 12. Egidius Coninchus de matrimon. diſp. 27. dub. 2. nu. 20. Rebellus de obligat. iuſt. part. 2. lib. 2. qu. 8. nu. 3. Salzedo ad cap. 76. Diaz in vlt. edit. lit. A. verſ. decimo quinto in fin.* hancque magis æquitati conſonam exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 4. nu. 176.* quamvis contrariàm exiſtimet communiorem, & magis receptam. Eſt expreſsè contra *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 25. nu. 11., & alios*, volentes abſolutè quemcunque Parochum poſse aſſiſtere.

Probatur primò, quia incola alterius loci tranſiens ad determinatum locum, vt ibi contrahat, debet ſeruare leges, & ſolemnitates iuris in tali loco, ergo, & vagus contrahens in aliqua determinata Parochia, in qua quaſi in tranſitu habitat, cum aliam non habeat, tenetur contrahere matrimonium cum præſentia talis Parochi, & non alterius. Conſequentia probatur, quia contractus in tali loco, quantum eſt de ſe exigit exiſtentiam habentis auctoritatem in tali loco, vbi alia poteſtas contrahentem non ſequitur, & habens auctoritatem in tali loco poteſt quemcunque alium excludere, quandoquidem nullus alius habet in ſic contrahere volentem iuriſdictionem, nec ratione perſonæ, nec ratione domicilij, non ratione perſonæ, quia, ex quo receſſit à priſtino loco cum animo non redeundi iam deſijt eſſe ſubditus talis loci, nec alibi domicilium hactenus acquiſiuit; non ratione loci, cum locus ille alteri non ſubiaceat. Confirmatur primò, quia quilibet ratione contractus ſortitur forum in loco contractus per textum *in c. fin. de for. compet. & in l. ſi fundus 6. ff. de euict.* & ita expreſsè docent *Innocentius rub. de conſuetud. num. 6., & 7. Abbas cap. 1. de ſponſalib. nu. 10. Ancharanus cap. fin. de conſtitut. in 6. nu. 7. oppoſit. 7. & repet. cap. canonum de conſtit. nu. 208. Cinus l. 1. verſ. vidimus qualiter C. de ſumma Trinit., & Sanchez d. lib. 3. diſp. 18. num. 10.* quamvis quoad aſsertionem nobis expreſsè aduerſetur, ergo quodamodo conſtituitur ſubditus illius loci, in quo contrahit, ergo, cum alterius non ſit ſubditus, debet contrahere cum Parocho illius loci. Confirmatur ſecundò, quia vagis præcipuè in ordine ad ſacramenta, quæ exigunt determinatam iuriſdictionem debet aſſignari aliquis Parochus, ſed alius congruentius non eſt aſsignabilis ab illo, qui eſt Parochus loci, in quo ſit contractus, tùm quia inhabitatio quodamodo ſubdit; tum quia ſecus magna gigneretur perturbatio, ſi vagus à quouis Parocho poſset ſacramenta ſuſcipere, puta ſi decumbens ob infirmitatem in vna Parochia alterius parochiæ parochum vocaret ad conferendam ſibi extremam vnctionem, viaticum, & alia ſimilia.

Solus Parochus loci habet auctoritatem in tali loco.

Probatur ſecundò, confutando aduerſantium rationes, qui in tantum aſſerunt poſſe quemlibet Parochum matrimonijs vagorum aſſiſtere, in quantum vagi nullum habent domicilium, nec poteſt prodeſse illa inhabitatio modici temporis, quia, qui tranſit, aut breui tempore diuertit ad locum, non dicitur moraliter in eo eſse *l. quæſitum 76. §. fin. ff. de legat. 3. & l. ſi ità 84. ff. eodem, & cap. nam, & ego de verbor. ſignif.* ſed hæc ratio nihil penitus euincit, quandoquidem vt bene notat *Suarez de pœnit. diſp. 25. ſect. 2. num. 7.* illa habitatio modici temporis reſpectu vagorum, cum nullum habeant aliud domicilium permanens, ſuccedit loco domicilij, adhoc vt ſubijciantur Parocho eiuſdem habitationis quoad receptionem ſacramentorum.

Permanẽtia illa modici temporis ſuccedit loc. domicilii.

Mouentur ſecundò aduerſarij ea ratione, qua vagi dicuntur ſubijci cuicunque foro quoad punitionem delictorum etiam alibi commiſsorum, neque remittendi ſunt ad locum commiſſi delicti, ergo, quia vbique ſunt ſubditi, adeoque quilibet

8 Vagi delicto conſtituuntur ſubditi loci, vbi deliquerunt.

libet Parochus poterit eiſdem ſacramenta conferre, & aſſiſtere eorum matrimonijs: Sed hæc etiam ratio non ſubſiſtit, quia ratione commiſſi delicti conſtituitur ſubditus loci, in quo deliquit, hocque tanquam in iure certum adſtruunt *Innocentius in c.1.de raptor. Abbas poſt Antonium in c vlt.n.21. de for. compet. Coaruuias in pract. qq.c.fin.n.7. Bonifacius de vitalin. in tract.de maleſ.in rub.de inquiſ.nu.36. Salzedo ad c.9. Diaz lit.D.in vlt.edit.*

Mouentur tertiò, quià quilibet Parochus poteſt vagorum matrimonijs aſſiſtere, qui poteſt validè eorum confeſſiones excipere, eidemque ſacramentum pænitentiæ adminiſtrare, & hac ratione potiſſimum mouetur *Sanchez lib.3. de matrimon.diſp.25.n.11., & eod.lib.3 diſp.23.nu.10.* vbi alios plures pro ſe allegat, ſed quilibet Parochus poteſt vagorum confeſſiones excipere, cum non ſit maior ratio de vno, quam de alio, cum nulli ſubdantur, *Duenuas reg. 378. limit. 4. Riccardus in 4. diſt. 13. art.3.q.1.in corpore, & ibi Gabriel q. 2. art.3. dub.2. Paludanus ibi q.3. art.3. n.21. D. Antoninus 3. parte tit.17. cap.4.caſ.3. Caietanus in ſumma verbo abſolutio ex parte abſoluentis, §. libertas, Petrus de Soto lect.5.de confeſſione, §. ſed eſt in ſpeciali caſu*, ergò quilibet poteſt aſſiſtere matrimonio ipſorum. Sed hæc quoque ratio non multum euincit, quià in primis, *Hoſtienſis in ſumma tit. de Parochijs §.penult.n.7.verſ.viator, Rebellus c. extirpanda §. qui verò de præbendis verſ. ſecundus caſus eſt in vagabundo, Angelus verb.confeſſio 3.n.9., & Petrus de Soto loc.cit.* dicunt vagos eſſe Parochianos cuiuſcunq; Eccleſiæ, ad quam accedunt, ſeù ſubditos eſſe Parocho, in cuius Parochia inueniuntur, quod ſatis eſt ad noſtrum intentum. Deindè quidquid ſit de illo iure reſpectu cuiuſcunque Parochi excipiendi confeſſiones vagorum, non propterea ſequitur, quod quilibet poſſit illorum matrimonijs validè aſſiſtere, nam, vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. d. c. 4. num. 175.* non valet argumentum ab vno ſacramento neceſſitatis ordinato tantum ad bonum priuatum, quale eſt illud pænitentiæ ad ſacramenta voluntaria, & ordinata ab bonum commune cuiuſmodi ſunt matrimonium, & ordo; & de facto Eccleſia plurimis confert auctoritatem, & iuriſdictionem in ordine ad ſacramentum pœnitentiæ, quam non confert in ordine ad ſacramentum matrimonij, extremæ vnctionis, & alia.

Non valet ratio de receptione confeſſionis, ac de aſſiſtentia matrimonij.

Corrollariè ad ea, quæ dicta ſunt in præſenti aſſertione, nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi; & prima, an, ſi vnus tantum ex contrahentibus ſit vagus, alter verò fixus, & permanens in ſua habitatione, matrimonium ſit contrahendum coram Parocho coniugis habentis domicilium; an verò poſſit coram Parocho loci contrahi, in cuius parochia quaſi in tranſitu habitat vagus. Secunda, an, ſi vagus deſeruerit proprium domicilium ad finem fraudandi Parochum illius, poſſit validè contrahere matrimonium coram Parocho illius loci, in quo incidentèr, & quaſi in tranſitu tunc habitat, quandò contrahere intendit.

Nonnulla dubia ad rem præſentem pertinentia.

In ordine ad primam ſupponendum eſt, prout infrà latè probabimus, poſſe Parochum vtriuſque coniugis ſub diſiunctò aſſiſtere, nec requiri potius Parochum vnius, quàm alterius. Cum igitur ex dictis in aſſertione in ordine ad vagos ille intelligatur Parochus proprius, in cuius Parochia, licet ſolummodò in tranſitu habitat vagus, dum contrahere intendit; videtur æquè ille poſſe aſſiſtere, ac Parochus alterius coniugis permanentis, & habentis domicilium fixum, vt debita ſeruetur proportio; ſicuti enim *DD.* aſſerentes in ordine ad vagos poſſe quemlibet Parochum aſſiſtere aſſerunt etiam, quandò vnus ex coniugibus eſt vagus, & alter permanens, quod omiſſo Parocho coniugis permanentis poſſit quilibet Parochus aſſiſtere ratione vagi, cuius quilibus eſt Parochus, ità nos qui aſſerimus ſolummodò illum eſſe Parochum vagi, in cuius Parochia, licet tantum in tranſitu habitat, quandò contrahere intendit videmur per conſequens teneri aſſerere, quod æquè ille poſſit validè aſſiſtere iuxtà formam Concilij, ac Parochus alterius coniugis permanentis. Circà hanc difficultatem *Petrus de Ledeſma*, qui prius *tom. de matrimonio quæſtiuncula 45.art.5.poſt dub.4.§.dico tertiò*, docuerat quemlibet Parochum poſſe validè aſſiſtere matrimonijs vagorum, modo *q.45.art.5.circa tertium punctum* aſſerit, quod quandò vnus ex coniugibus eſt vagus, alter verò permanens, debeat ex neceſſitate aſſiſtere parochus non vagantis, ea fortè motus ratione, quià intantum dicitur, quod Parochus ille reſpectu vagi debet aſſiſtere in cuius parochia incidenter, & quaſi in tranſitu habitat vagus, inquantum in ordine ad talem contractum debet aſſignari aliquis determinatus parochus, nec alius poſſit congruentius aſſignari, ſed hæc ratio non ſubſiſtit, quandò vnus ex contrahentibus eſt permanens, licet alter vagus, quandòquidem in ordine ad talem contractum congruentius aſſignatur parochus coniugis permanentis, de cuius valida aſſiſtentia non eſt dubitandum. Sed quamuis hæc opinio ſit valdè æquitati conſona, & ſic in praxi ad congruentius eſſe fieri deberet, non tamen damnandum eſſet tanquam inualidum matrimonium, ſi contraheretur coram parocho loci, in quo quaſi in tranſitu habitat vagus *Gu-*

tierez

Digitized by Google

Quando vnus ex contrahentibus eſt vagus, alter fixus, ex æquitate debet Parochus contrahentis fixi aſſiſtere; non tamen foret inualidum matrimonium, ſi alter aſſiſteret.

*tierez de matrimon. c 65. n. 13. Auguſtinus Barboſa de poteſtate Epiſcopi allegat. 32. n. 73., & de Parochis c. 21. n. 89.* Ratio ex eo deducitur, quià ex eo, quod ſponſa ratione domicilij permanentis ſit ſubdita tali Parocho, non propterea eſt ſubditus illi vagus, qui incidentèr habitat in alia parochia, ergò poterit hic velle contrahere coram parocho loci, in quo incidentèr habitat, & cum hic ſit ſufficiens, quandò vterque eſt vagus, non video, cur non ſit etiam ſufficiens, quantumvis alter coniux ſit permanens; Ex quibus etiam deducere fas erit; quod, ſi ſint duo vagi, qui contrahere intendunt, & vnus incidentèr habitet in vna parochia, & alter in altera, poſsit matrimonium validè contrahi coram quolibet ex his duobus Parochis.

10 Vagus contrahens coram Parocho loci in quo eſt per tranſitum, tenet quamuis proprium domiciliū dimiſerit in fraudem

In ordine ad ſecundam abſolutè aſſerendum eſt, matrimonium initum per vagum coram parocho loci, in quo quaſi incidentêr, & in tranſitu habitauit, dum celebratum eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam ſubſiſtere, quamuis ille dimiſerit proprium domicilium in fraudem proprij Parochi, ne ſcilicet contraheret coram ipſo; ſed coram altero, ad quem diuertit. Conſonat cum ijs, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſicque ſuſtinent *Gutierez de matrim cap. 65. nu. 11. Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 25. nu. 11. Baſilius Pontius lib. 5. c. 14. n. 9. Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. c. 4. n. 178.* Rationes recole ex ijs, quæ ſuprà dicta ſunt, & præcipuè ex eo, quod vagus ſic recedens, & alibi contrahens vtitur iure ſuo. Hic tamen oritur ratio dubitandi, an ea, quæ hic dicuntur; intelligenda ſint dumtaxat, quandò quis deſerit proprium domicilium, ſeù Parochiam in fraudem prioris Parochi cum animo non reuertendi ad illud, ſeù illam, an verò etiam, quandò deſerit cum animo non deſerendi, niſi ad illum effectum, & poſteà reuertendi. Gutierez *de matrimon. d c. 65. nu 11.* exiſtimat ea non procedere, quandò deſerit ſine animo deſerendi, ſed cum intentione reuertendi eo, quia tunc illa vagatio eſſet plena fraude, & affectata, & intenta ſolummodò ad finem contrahendi alibi matrimonium. Sed hæc ratio ſecundum ſe parum negotij mihi faceſceret, quandòquidem ex ſuprà probatis, ſicuti non eſt in fraudem Concilij, quod quis ſe transferat, vbi concilium publicatum non eſt ad effectum, vt ibi contrahat ſine aſsiſtentia parochi, & teſtium, ſed vſus proprij iuris, quantumvis animum habeat ſe reſtituendi proprio domicilio, in quo publicatũ fuit dictũ conciliũ, ità non videtur eſſe in fraudem parochi, ſi quis alio diuertens vagetur, & ibi contrahat coram alio parocho, ſed vſus proprij iuris, & libertatis, etiam ſi habeat animum ad priorem parochiam poſteà ſe transferendi. Difficultas igitur ſolum conſiſtit in eo, an, cum habeat animum ſe reſtituendi priori domicilio, poſtquam contraxerit matrimonium, intelligatur ſufficientèr conſtitutus ſubditus illius parochiæ, in qua incidentèr habitat per tranſitum quoad illum effectum validè contrahendi, cum ratione illius animi redeundi non deſtiterit eſſe ſubditus prioris parochi domicilij. Videtur aſſerendum in ea hypotheſi, non poſſe validè contrahere coram eo parocho, in cuius parochia ſolum incidenter, & quaſi in tranſitu habitat; quià intantum ille parochus ſupponitur quoad vagos aptus adhoc munus, in quantum, cum iſti debeant habere proprium parochum, à quo recipiant ſacramenta, & cum quo poſſunt per aſſiſtentiam contrahere matrimonium, nec alius congruentius eſt aſſignabilis ab ipſo, ſed hæc ratio non militat in præſenti, quandoquidem, cum propriè, & in rigore non deſeruerit prius domicilium, nec priorem Parochiam, cum receſſerit, cum animo ad illud, ſeu illã redeundi, Parochus illius domicilij, ſeu Parochiæ eſt arbitrandus proprius ipſius. Nihilominus cum diſtinctione exiſtimo dirimendam eſſe rationẽ dubitandi; vel etenim ille, qui receſſit à proprio domicilio cum animo ad illud redeundi acceſſit ad alium locum, vbi contraheret cum intentione illic permanendi per maiorem anni partem, & tunc coram Parocho illius loci, ad quem acceſſit vtiq; valide contraheret; vel acceſſit cum animo ibi non commorandi, ſed immediate poſt contractum matrimonium recedendi ab illo, & ſe reſtituendi ad priſtinum domicilium, & tunc validè non contraheret.

11 Si vagus acceſſerit ad locũ cũ animo ibĩ permanẽdĩ valide contrahit corã Parocho illius loci.

Primam partem ſuſtinent *Silua de benefic. 3. part. q. 42. num. 7. Petrus de Vbaldis de canon. Epiſcop. c. 7. nu. 2. Rebuſſus repetit. ſuper cap. extirpanda §. qui vero de prabend. Gloſ. clement. 1. verb. Parochialis de priuil., & ibi Bonifacius nu. 29. D. Antonin. tertia part. tit. 24. cap. 54. Roſella verb. abſolutio 1. num. 41. Cardinal. cap. 1. de ſepult. num. 5. q. 7. Gabriel. in 4. diſt. 17. q. 2. art. 3. dub. 2. Rota Romana in nouiſ. deciſ. 656. in inſt. vol. 1. Molina primo tom. de iuſt. tract. 2. diſp. 214.*, & ratio eſt, quia in eo loco, quis dicitur habitare, vbi maiori annĩ parte habitat *Tiraquel. de retract. lignag. §. 9. gloſ. 2. num. 26.* Secundam partem *Menochius conſ. 398. vol. 4.* qui refert *DD.* plurimos ſuper hoc conſultos, & quatuor Rotæ Romanæ deciſiones. *Nauarrus lib. 4. conſ. tit. de cland. deſponſ. in pr. edit. conſ. 2., in 2. conſ. 6.* Expreſſè colligitur ex textu *in c. is qui de ſepult. in 6.* vbi ſic legitur *Is, qui habet domicilium in ciuitate, vel caſtro, quandoque ad villam ruralem ſe transfert recreationis gratia, vel vt ruralia exerceat, ſi non electa ſepultura decedat, non in Eccleſia*

Sin minus, ſed cũ animo immediate ſe transferẽdĩ ad locũ, à quo receſſit, inualidè.

K dicta

Digitized by Google

*dicta villæ, ſed in ſua Parochiali ſepelliri debebit*; hoc idem in terminis præſentis difficultatis habetur penes *Rotam Roman. in nouiſſimis deciſ. 656. in initio vol.* 1. vbi definit matrimonium non eſſe validum contractum coram Parocho rurali, & quod probatum eſt contrahentes non ſolere eſſe ruri maiori anni parte ergo non ſufficit habitatio qualiſcunque, ſed requiritur habitatio cum intentione habitandi pro maiori anni parte.

12 Quãdo habet animũ ibi permanendi nõ ẽ neceſſe, vt expectet pro maiori anni parte.

Hic tamen aduerte, quod quando ille, qui receſſit à proprio domicilio animo redeundi cum intentione tamen manendi pro maiori anni parte ad locum, ad quem acceſſit, non eſt neceſſe ad contrahendum ibi, vt expectet pro maiori illa anni parte, ſed ſtatim, ac animum habuerit ibi pro illo tempore habitandi poſſit contrahere, nam ad domicilium contrahendum non eſt neceſſaria actualis pro determinato tempore habitatio, ſed ſtatim, ac quis incipit habitare animo ibi manendi acquirit domicilium *Hoſtenſis in ſumma tit. de Parochijs §. penult. nu. 7. Abbas c. fin. num. 8. de Parochijs Felinus c. dilectus el 2. de reſcript. num. 12. verſ. ſecundus caſus Marianus c. licet ratione num. 25. de for. compet.* vnde bene dicitur, quod domicilium non ſolum animo, ſed animo ſimul, & facto conſtituatur, prout habetur per textum *in l. domicilium ff. ad municip.*

13 Parochus loci, in quo per trãſitũ vagi degũt poteſt alterum delegare ad aſſiſtendum.

Ex huc vſque dictis fas erit colligere, quod in ordine ad matrimonium per vagos contrahendum Parochus, loci in quo illi per tranſitum habitauerint, poſſit alteri ſacerdoti facultatem concedere illi contractui aſſiſtendi. Ratio ex eo deducitur, quia concil. Trident. d. c. 1. ſeſſ. 24. de matrimonio tanquam formam præſcribit aſſiſtentiam proprij Parochi, vel alterius ſacerdotis de ipſius, vel ordinarij licentia; ſed ex ſuperius dictis reſpectu vagorum in ordine ad matrimonium ineundum Parochus proprius ille dicitur, in cuius Parochia contrahentes inhabitant licet in tranſitu, nõ alius, ergo eidem ſolum competet ius delegandi alterum ſacerdotem ad aſſiſtendum, & non alteri.

14 Requiſita vt Parochus aſſiſtat matrimonijs vagorum.

Aſſertio III. In ordine ad matrimonia vagorum ſtante concil. Trident. c. 7. ſeſſ. 24. Parochi non poſſunt aſſiſtere, niſi poſt diligentem inquiſitionem de eorum ſtatu, & obtentam ab ordinario facultatem aſſiſtendi *Manuel. primo tom. ſumma ſecunda edit. c. 219. num. 3. Segura direct. Iud ſecunda part. c. 16. nu. 28. in fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 4. num. 185. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 25. num. 8.*

Expreſſè colligitur ex eod. Concil. Trident. loc. mox citat. vbi decretum concipit per hæc verba. *Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, & vt improbi ſunt ingenij prima vxore relicta aliam, & plerumque plures illa viuente diuerſis in locis ducunt. Cui morbo cupiens Sancta Sinodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant. Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, vt eos ſeuerè coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum matrimonijs interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad ordinarium delata, ab eo licentiam faciendi obtinuerint.* Ex quibus verbis habes primo cauſam finalem huius diſpoſitionis, quæ eſt ob vitandam poligamiam, quæ crebro occurreret ſine illa præuia diſquiſitione ſtatus contrahentium quoad vagos, & alienigenas. Secundo præceptum grauè impoſitum Parochis non aſſiſtendi ſine illa inquiſitione diligenti. Tertio non ſufficere præuiam illam inquiſitionem præſtandam per Parochos, ſed vlterius requiri facultatem per ordinarium loci præſtandam ipſis Parochis aſſiſtendi.

Adeo inoleuit in hominibus vagis, & perditis hæc effrenis licentia committendi poligamiam, vt excitauerit Congregationem Sancti Officij Romæ ſub Vrbano VIII. Summo Pontifice ad normam præſcribendam Parochis, & Epiſcopis ſuper forma excipiendi teſtes, & efformadi interrogatoria in examine quoad libertatem ſtatus vagorum, & alienigenarum contendentium contrahere matrimonia extra propria domicilia; quam formam per expreſſum ponit *Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 4. poſt nu. 192. vſq; ad finem*, ad quem vos pro vberiori notitia remitto.

Norma inquirendi præſcripta à Sacra Cõgregatione S. Officij.

15 Hæc inquiſitio, & facultas atẽdenda eſt etiam quoad alienigenas.

Amplia primo aſſertionem, vt non ſolum procedat quoad vagos proprie ſumptos, ſed etiam quoad alienigenas *Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 25. num. 8. Gutierez de matrim. c. 65. num. 7. Baſilius Pontius lib. 5. c. 14. nu. 3. Coninchus diſp. 27. dub. 2. verſ. nota 2. Auguſtinus Barboſa in remiſſionib. ad d. c. 7. Trident. num. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia militat eadem cauſa finalis in huiuſmodi alienigenis, ac in vagis, quandoquidem eſt ſolummodo vitandi peligamiam, cuius periculum æque eſſe poteſt in huiuſmodi alienigenis, & in vagis, cum vtrique ſint ignoti, & poſſint eſſe vinculo coniugali alligati.

16 Etiam quoad habitatores originis, qui diu abfuerunt.

Amplia ſecundo, vt procedat etiam de habitatoribus originis in tali loco, ſi impuberes receſſerint à tali loco, & cum diu fuerint ignoti in remotis regionibus poſtea in graui ætate redierint non conſtante de eorum ſtatu libero; æque enim etiam in ordine ad iſtos poteſt ſubeſſe periculum poligamiæ, adeoq; adhibenda eſt accurata diligentia, quam præſcribit concilium.

17 Limita primo, vt non procedat, quando vagus, ſeu alienigena aduenerit ad locum

cum

Excipe quoad alienigenas, qui ratione ætatis non potuerunt alibi cõtraxiſſe.

cum contractus in ea ætate, qua minime poterat matrimonium iniiſſe, quia in ea hypotheſi ceſſat ratio, ob quam concilium indixit illam diligentẽ inquiſitionẽ, & facultatem ab Epiſcopo obtinendam; ceſſante autem fine legis ceſſat & legis ratio.

Limita ſecundo, vt non procedat de eo qui in eodem oppido Parochiam deſeruit, nec aliam interim elegit, ſed ad breue tempus alicubi hoſpitatur, quia in illo oppido adhuc notus eſt, vnde præmiſſis denuntiationibus in parochia poterit ſine illa diligenti perquiſitione, & facultate Epiſcopi ſeruatis cæteris iuris ſolemnitatibus copulari.

Facienda eſt hæc diligens inquiſitio, ſiue vterq; fuerit alienigena ſiue alter tantũ.

Hæc tamen diligens inquiſitio æquè requiritur, quando vterque contrahens eſt vagus, alienigena, & forenſis, & ignotus, qui potuit antecedenter contraxiſſe, ac quando vnus dũtaxat eſt talis, alter vero ciuis, & notus. Ratio eſt, quia æquè eſt periculum poligamiæ, quando vnus eſt ignotus, & alienigena, ac quando vterque *Veracrux appendice ad ſpeculum* §. *attendendum videtur Sanchez d. l. 3. de matrimon. diſp. 25. num. 9.*

18 Si Parochus aſſiſtat ſine inquiſitione, & facultate grauiter peccat, tenet tamẽ matrimonium.

Aſſertio IV. Si Parochus aſſiſtat matrimonio vagorum, ſeu aligenarum, qui ignoti penitus ſint, & potuerint alibi contraxiſſe, matrimonium quidem ex hoc capite validum eſt, grauiſſime tamen peccaret Parochus, grauiſſimiſque pœnis eſſet afficiendus *Henriquez de matrim. lib. 11 c. 3. num. 3. in fin. Gutierez de matrim. c. 65. num. 15. Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. c. 4. n. 191., & ſeqq; Auguſt. Barboſa in remiſſion. add. c. 7. Trident. num. 4.*

Ratio quoad primam partem ex eo deducitur, quia præceptum Trident. in d. c. 7. ſeſs. 24. non eſt cum clauſula irritante, ſicuti eſt, quando non interuenit præſentia Parochi, & teſtium ab eodem præſcripta, ergo per omiſſionem eorum, quæ præcipiuntur in tali decreto proprie non redditur inualidum matrimonium. Conſequentia probatur, quia, ſi Concilium voluiſſet eſse irritum, vtique mentem ſuam declaraſſet, ſicuti declarauit in ſimilibus; atque ita declaraſse Sacram Cardin. Concil. Trid interpretum Congregationem refert *Bellarminus ad d. c. 7. Tridentini in obſeruat. verbo Parochis*. Confirmatur, quia eodem modo requiritur per *Trident. d. cap 7. ſeſſ. 24.* eadem diligens inquiſitio, & licentia Parochi quoad matrimonia vagorum, & alienigenarum, quo *c. 1. ſeſſ. 24.* requirũtur denuntiationes pro alijs, ſed ijs omiſſis adhuc ſubſiſtit matrimonium, ergo, & omiſſa illa diligenti inquiſitione, & facultate ordinarij.

Concil. Trident. non appoſuit clauſulam irritantem.

Ratio quoad ſecundam partem ex eo deducitur, quia ſic coniungens omiſſa illa præuia, & diligenti inquiſitione, & facultate ordinarij facit in re graui contra legem iuſtiſſimam procedentem ab habente legitimam auctoritatem, & ordinatam ad euitanda ſcandala, & occaſiones grauiter peccandi, ergo grauiſsimè peccat.

Agunt hic latè DD. in inquirendo quamnam pœnam incurrat Parochus, qui non præmiſsa illa diligenti inquiſitione, nec obtenta ordinarij facultate aſſiſtit vagorum, ſeù alienigenarum matrimonijs. Contendunt hic aliqui, re vera antiquitus contra Parochos aſsiſtentes matrimonijs clandeſtinis impoſitam eſse pœnam ſuſpenſionis per triennium *in c. fin. §. finali de clandeſtin. deſponſat.* quæ tamen non erat latæ ſententiæ, ſed ferendæ *Tiraquel l. ſi vnquam verb. reuertatur num. 39. C. de reuoc. donat. Paludanus in 4. diſt. 28. qu. 1. art. 5. num. 30. Manuel primo tom. ſumma in ſecunda edit. caſ. 211. num. 7.* hancque non eſse correctam per *Concil. Trident. d. cap. 7. ſeſſ. 24 de matrimon.*, quod quamvis aſſerat Parochum aſſiſtentem matrimonio ſine numero determinato teſtium eſse grauiter puniendum arbitrio ordinarij, non propterea tollit pœnam impoſitam *in d. c. fin. §. fin. de clandeſtina diſpenſ.* Sed quidquid ſit de hac pœna in ordine ad Parochum aſſiſtentem ſine requiſito teſtium numero, quod certè inualidum eſt, certe hæc pœna triennalis ſuſpenſionis non tollitur, ſi aſſiſtat matrimonio vagorum, ſeù alienigenarum ſine diligenti inquiſitione, & facultate ordinarij *Maiolus lib. 3. de irregularit. cap. 25. num. 17., & 18. Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 5. num. 6. Vega lib. 6. ſumma caſ. 112.* Ratio ex eo deducitur, quia Tridentinum licet in ordine ad Parochum aſſiſtentem ſine numero teſtium ad hoc requiſito appoſuerit pœnam arbitrio ordinarij irrogandam, per quam videtur antiqua corrigi per ea, quæ docet *Antonius Gomez 3. var. cap. 1. nu. 38. Boſſius tit. de official. corruptis pecun. num. 10. Iulius Clar. lib. 5. recept. pract. crimin. §. fin. quaſt. 85. verſ. debet etiam Iudex*, in ordine tamen ad matrimonium clandeſtinum, vel per omiſſionem denuntiationũ, vel debitæ inquiſitionis nullam pœnam appoſuit, adeoque videtur antiquam confirmaſse; antiqua autem afficit Parochum quocunque modo aſſiſtentem matrimonio à iure interdicto, quale eſt illud celebratum inter vagos, & alienigenas ſine præuia diligenti inquiſitione, & ſine ordinarij facultate.

19 Parochus ſic aſſiſtẽs contrahit pœnam ſuſpenſionis triennalis.

Dixi in aſsertione *ex hoc capite validum eſt*, nam, ſi ſupponatur, vel aliud præceſſiſse matrimonium validum, quod non fuerit diſsolutum per mortem alterius, vel intercedere inter ſic coniunctos impedimentum

mentum aliquod dirimens, tunc non negauerim matrimonium illud non ſubſiſtere, ſed hoc non erit ex defectu illo debitæ diligentis inquiſitionis, vel ordinarij facultatis, ſed ex illis capitibus enumeratis inducentibus ſecundum ſe nullitatem.

---

## PRÆNOTIO XXIII.

### An, ſi in aliqua Ciuitate fuerit deputatus aliquis Sacerdos ad adminiſtranda ſacramenta vagis ille ſolus poſſit aſſiſtere eorum matrimonijs cum excluſione aliorum.

### *SVMMARIVM.*

*Deputatus in aliqua Ciuitate ad miniſtranda omnia ſacramenta vagis, & alienigenis poteſt aſſiſtere eorum matrimonijs, non tamen excludit Parochum, quin poſſit aſſiſtere, ſi in illius Parochia degant.* 1.

*Si fuerit deputatus in ordine ad hos vagos priuatiuè quoad Parochum, ſpeculatiue loquendo hic non poteſt aſſiſtere.* 2.

*Deputatus ad confeſſiones vagorum non intelligitur deputatus ad aſſiſtentiam matrimonij eorundem.* 3.

*Intellige, niſi ex præſumpta concedentis voluntate deputatio etiam conijciatur ad hoc munus extendi.* 4.

*Electus à Romano Pontifice Confeſſor vagorum, & alienigenarum priuatiuè quoad alios omnes non poteſt eorum matrimonio aſſiſtere.* 5.

*Electus à Pontifice pro miniſterio omnium ſacramentorum quoad vagos priuatiuè quoad omnes alios probabilius poteſt aſſiſtere eorum matrimonijs.* 6.

*Et ſi quis alius ab eodem aſſiſteret inualidum erit matrimonium, quamvis non fuerit apposita clauſula ſpecialis irritans.* 7.

PRoponunt hanc difficultatem *Sanchez lib.3. de matrimon. diſp 25. num.12. & Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contr. c.4. num.* 181. qui in diſtinguendo, & decidendo conueniunt, & primò in eo, quod, ſi fuerit determinatus certus ſacerdos in Ciuitate ad adminiſtranda ſacramenta vagis ille ſolus deberet interuenire eorum matrimonijs, & non alius. Secundo in eo, quod talis ſacerdos, vt excludat quemcunque alium à miniſterio ſacramentorum erga vagos, & præcipuè ab aſſiſtentia matrimonij per eos ineundi debeat eſse ſpecialiter deputatus ex Pontificis priuilegio. Tertiò, quod Epiſcopus non poſſit auferre à Parocho, in cuius Parochia licet in tranſitu habitat vagus, qui contrahere intendit, poteſtatem aſſiſtendi tali matrimonio, & licet Epiſcopus poſſit ſibi reſeruare confeſſionem vagorum eam à Parochis quodamodo auferendo per ſubſtractionem iuriſdictionis non propterea, aſserit Sanchez, videtur poſse auferre poteſtatem aſſiſtendi eorum matrimonijs, nam Concilium Tridentinum prohibet Parochis, ne vagorum, & alienigenarum matrimonijs aſſiſtant ſine facultate ordinarij, & tamen, ſi ſine illa aſſiſtant, matrimonium non redditur irritum. Hæc omnia per ſingulas partes à nobis examinabuntur in præſenti prænotione.

In quibus côueniant Sanchez, & Boſſius.

1 Deputatus ſimpliciter ad omnia ſacramenta poteſt aſſiſtere vagorum matrimonijs, non tamen excludit Parochū.

Aſſertio I. Sacerdos in aliqua Ciuitate ſimpliciter deputatus ad miniſtrāda indefinitè ſacramenta alienigenis, & vagis poteſt quidem aſſiſtere eorum matrimonijs, non tamen excludit Parochum, in cuius Parochia licet incidenter exiſtant, quin poſſit aſſiſtere, & vtique valide. In hanc aſſertionem videntur conſentire *Sanchez, & Boſſius loc. cit.* quidquid ex aduerſo ſentire videatur *Spino ſpecul. teſtament. gloſ.* 15. *num.*43. dum aſserit illum ſolum in ea hypotheſi fore proprium ſacerdotem, & quaſi Parochum vagorum; per illam enim particulam *ſolum* videtur excludere quemcunque alium, quantumvis Parochum ab aſſiſtentia huiuſmodi matrimoniorum.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia per Epiſcopum poteſt ſic ſacerdos deputari, & ſic deputatus, ad omnia ſacramenta poteſt in ordine ad illas perſonas, ad quas eſt deputatus earum matrimonijs aſſiſtere, ergo &c. Antecedens patet, quia Epiſcopus in ſua Diœceſi eſt eminenter Parochus omnium, & Parochus ipſe eſt eidem in omnibus ſubordinatus, ergo poteſt in ordine ad certas perſonas alicui determinato ſacerdoti vias ſuas delegare in ordine ad omnia ſacramenta indefinitè miniſtranda, & quidem in ordine ſpecialiter ad aſſiſtendum matrimonio expreſsè elucet *ex eod. Concil. Trident. cap.1. ſeſſ.24. de matrimonio*, vbi dicitur debere aſſiſtere matrimonijs, vel proprium parochum, vel alium ſacerdotem de ipſius Parochi, vel ordinarij licentia, ergo Epiſcopus, qui propriè eſt ordinarius, poteſt facultatem illam ſacerdoti communicare; ex eo autem, quod eandem deputauerit ad omnia ſacramenta vagorum, & alienigenarum videtur etiam deputaſſe ad aſſiſtendum matrimonijs, nam licet ipſe non conficiat ſacramentum eſt tamen miniſter auctoritatiuus in ordine ad ipſum conualidandum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia Parochus de iure communi in ordine ad vagos, & alienigenas habitantes licet ſolummodo incidenter, & per tranſitum in propria parochia habet facultatem,

Digitized by Google

tem, & iuriſdictioſtem, ſi in ea contrahere voluerint aſſiſtendi eorum matrimonijs, quinimmo ex ſuperius dictis hæc facultas eis competit priuatiuè quoad alios omnes Parochos, ergo per facultatem per ordinarium alij conceſſam ad aſſiſtendum ſimilibus matrimonijs præcisè non intelligitur eidem facultas ſibi de iure communi competens abrogata. Conſequentia probatur, quia per conceſſionem iuris alteri factam non ſupponitur abrogatum ius alterius, niſi de tali abrogatione expreſsè fuerit actum, quando tale ius poteſt in vtroque reſidere, & per communicationem eiuſdem iuris alteri factam non ſequitur ex natura ſua negatio iuris illius iam alteri competentis. Hac ratione docent DD. communiter, quod per priuilegium conceſſum à Summis Pontificibus Religioſis habitantibus in terris Indiarum miniſtrandi quæcunque ſacramenta Indis, & eorum matrimonijs aſſiſtendi non ſit ſublata facultas eadem adminiſtrandi Parochis eorum, ſi qui fuerint.

Per communicationem poteſtatis alteri hæc non aufertur à Parochis.

Hic oritur difficultas, cum dictum fuerit, *non intelligi abrogatam facultatem Parochis aſſiſtendi, & miniſtrandi per delegationem alteri factam, niſi de tali abrogatione expreſsè fuerit actum*, an, ſi Epiſcopus per talem deputationem alterius ſacerdotis expreſsè egerit de abrogatione facultatis quoad Parochum, dum ipſum deputauit ad talia munera in ordine ad vagos, & alienigenas priuatiuè quoad alios omnes etiam cum expreſſione Parochi, intelligatur ab eodem Parocho ſublata facultas validè aſſiſtendi, adeout, ſi aſſiſtat, tale matrimonium ſit nullum. Negant *Sanchez, & Boſſius loc. cit.* quandoquidem non poteſt Epiſcopus ea, quæ de iure communi competunt Parochis, derogare; quinimmo in ſententia eorum, qui aſſerunt in ordine ad vagos poſſe quemlibet Parochum eiſdem ſacramenta miniſtrare, eorumque nuptijs ex officio aſſiſtere, non poteſt demere ius, quod habent huiuſmodi vagi, & alienigenæ eligendi quemcunque Parochum voluerint pro miniſterio ſacramentorum, & aſſiſtentia matrimonij per ipſos ineundi, & licet poſſit ordinarius reſeruare Parochis confeſſiones vagorum non tamen poteſt reſeruare aſſiſtentiam quoad matrimonia per ipſos ineunda ſaltem quoad validitatem ipſorum, quia, cum irritatio matrimonij ſit res grauiſſimi negotij hic, & nunc non dependet ab auctoritate Epiſcopi, qui in multorum ſententia, quamvis per excommunicationem, vel ſuſpenſionem poſſit à ſacramentorum miniſterio Parochos arcere non poteſt tamen auctoritatem auferre validè matrimonijs aſſiſtendi; vnde merito *Rota Romana in Nouiſſimis tom. 1. deciſ.* 429. cenſuit Epiſcopum non poſſe prohibere Parochis, ne matrimonijs aſſiſtant quantum ad validitatem ipſorum; ſi fuerint celebrata iiſdem aſſiſtentibus contra prohibitionem, quod idem declarauit Sacra Cardinalium Concil. Trident. interpretum Congregatio *apud Salcedo ad cap. 73. practica Diaz verſ. primum dubium, & apud Rebellium part. 2 poſt lib. 4. ſect. 3. nu. 43.* Nihilominus, cum ille dicatur ſolummodo Parochus vagorum non directè, ſed ſolummodo in conſequentia, quatenus, cum tunc vagi in ordine ad illum contractum debeant habere aliquem Parochum, & nullus alius ſit congruentius aſſignabilis, quam ille, in cuius Parochia incidenter, & quaſi in tranſitu degunt, non eſt, cur per aſſignationem alterius cum excluſione eiuſdem non debeat ceſſare huiuſmodi iuriſdictio, quæ in tantum competit, in quantum non eſt alius, cui competat, & ſicuti, ſi alienigena receſſiſſet à proprio domicilio cum animo ſtatim redeundi non poſſet per ſuperius dicta validè contrahere coram Parocho loci, ad quem pergit incidenter, & non permanenter, quia cum habeat proprium parochum non intelligitur eſſe ſub iuriſdictione illius quoad hunc effectum, apud quem eſt in tranſitu, ita ſi vagus ſit in tranſitu apud Parochum alicuius loci, in quo ſit Parochus proprius vagorum, non poterit apud eundem Parochum loci contrahere, cum alius ad hoc habeat iuriſdictionem priuatiuè quoad ipſum; Nec eſt ambigendum, poſſe ordinarium huiuſmodi munus alteri ſacerdoti quoad vagos deputare, & non ſolum ex commiſſione, ſed quaſi ex officio, quandoquidem ipſe poteſt diuidere Parochias, vnire, vel diſiungere, & Parochos aſſignare, quibus non eſt aſſignatus, niſi ad ſummum in conſequentia ex neceſſitate. Quamobrem ad ea, quæ ex Rota Romana, & ex ſacra Congregatione afferebantur, dicendũ eſt dumtaxat procedere in ordine ad ſubditos directè talium Parochorum, quibus non competit alius Parochus, qui propterea Parochi, ſi aſſiſtant talibus ſubditorum matrimonijs contra prohibitionem, validè aſſiſtunt, quamuis ſint grauiter punibiles. Hæc dixi diſputando, non definiendo. Cæterum probabilem etiam exiſtimo ſententiam Sanchez, & Boſſij.

2 Si fuerit deputatus cum excluſione Parochi probabilius hic non poteſt aſſiſtere.

Probabilior tamen eſt contraria ſententia.

Aſſertio II. Ex eo præcisè, quod in aliqua Ciuitate fuerit deputatus confeſſor pro vagis non ſequitur, quod fuerit deputatus pro miniſtro ad aſſiſtendum illorum matrimonijs *Baſſilius Pontius de matrimon. lib. 5. cap. 14. num. 7.*, cui adhærere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 153.*

3 Deputatus ad confeſſiones non intelligitur deputatus ad aſſiſtendum matrimonio.

Ratio ex eo deducitur, quia non valet argumentum à deputatione, ſeu facultate ad audiendas confeſſiones ad poteſtatem validè

Digitized by Google

valide aſſiſtendi matrimonio, quandoquidem conceſſa etiam à Papa facultate, & licentia illas excipiendi non ſtatim cenſetur conceſſa licentia aſſiſtendi, quia illæ duæ rationes ſunt ab inuicem ſeparabiles, & de facto facultas quoad illas reſidet in pluribus, quæ non reſidet quoad ius aſſiſtendi; quinimmò regulariter per licentiam generalem conceſsam, vel per Parochum, vel per Epiſcopum ad adminiſtrandum omnia ſacramenta ſine alia expreſſione docent non venire conceſſionem aſſiſtendi matrimonio, quod in ſingularibus terminis de facultate conceſſa ex vi Bullæ Cruciatæ, vel alterius ſimilis indulti ad ſacramenta, quæ non extenditur ad matrimonium docent *Henriquez de matrim. lib. 11. cap. 3. §. 5. Filliutius part. 1. tract. 10 cap. 6. num. 218. Egidius Coninchus tom. 2. diſp. 27. dub. 3. num. 30.*, nec incongrua ratione hoc aſserunt, nam aſſiſtere matrimonio, illudque ſolemnizare non eſt adminiſtrare ſacramenta. Deinde in generali conceſſione non intelliguntur ea comprehenſa, quæ ſpeciali nota digna ſunt, & regulariter exigunt ſpeciale mandatum, niſi exprimantur, & vbi non exprimuntur videntur, & cenſentur quaſi neglecta per textum *in l. item apud Labeonem 15. §. aut prætor ff. de iniurijs*, *Rota Roman. in nouiſſim. part. 1. deciſ. 750.*, matrimonium autem vt pote res grauiſſima, & ardua eſt ſpeciali nota dignum, & regulariter exigit ſpeciale mandatum.

Hæc intelligenda ſunt ſimpliciter, non quando ex præſumpta intentione concedentis conijcitur facultatem extendi etiam in ordine ad matrimonium, quod potiſſimum contingeret, ſi Parochus ab futurus per aliquid temporis à Parochia facultatem concederet Sacerdoti adminiſtrandi in Parochia omnia ſacramenta, nam tunc videtur illum vice Parochum conſtituere pro tempore ſuæ abſentiæ. Quod, ſi dixeris hac ratione poſſe conijci ſacerdotem electum, & deputatum ad audiendas confeſſiones vagorum, & alienigenarum ex intentione eligentis, ſeù deputantis eligi etiam ad aſſiſtendum eorum matrimonijs, quandoquidem cum illi non habeant Parochum, niſi indirectè, & in conſequentiam per electionem ſacerdotis in ordine ad ipſos quoad vnum munus videtur ſequi electio quoad alia omnia; ſi, inquam, hoc dixeris, ſtatim impugnaberis, quia non eſt hic neceſſitas huius indiuiſibilis deputationis ad omnia, quæ eſt in caſu abſentiæ Parochi, quandoquidem matrimonium poteſt celebrari coram Parocho illius loci, in quo incidenter habitant ipſi vagi, adeoque &c.

4 Intellige, niſi ex præſumpta intentione concedentis extendatur etiã ad hoc munus.

Aſsertio III. Quantumvis à Romano Pontifice ſacerdos in aliqua ciuitate ſit ſpecialitèr electus tanquam confeſsor vagorum, & alienigenarum priuatiuè quoad alios omnes non propterea intelligitur electus ad aſsiſtendum, & ſolemnizandum matrimonium per ipſos ineundum. Conſentiunt *DD.* citati pro præcedenti aſſertione, & pro ea militant rationes, quæ pro eadem fuerunt adductæ.

5 Electus priuatiuè quoad alios omnes ad confeſſiones non poteſt matrimonio aſſiſtere.

Hic ſolum remanet dubitandum, an, ſi Pontifex in tali deputatione dixerit ſe eligere talem ſacerdotem pro miniſterio omnium ſacramentorum in ordine ad tales perſonas priuatiuè quoad alios omnes, intelligatur eundem elegiſſe in ordine ad ſolemnizandum ipſorum matrimonium, adeovt, nec Parochus loci, in quo quaſi in tranſitu habitant, poſſit validè aſſiſtere. Videtur in primis dicendum, nec ſic electum poſſe validè aſſiſtere, nec Parochum loci, in quo incidentèr habitant, excludere. Ratio deducitur ex ſupradictis, quià deputatio eſt in ordine ad miniſtranda ſacramenta; ſolemnizare autem matrimonium non eſt ſacramentum miniſtrare. Sed ex hoc capite præcisè exiſtimo non excludi ſic electum ad aſſiſtendum matrimonio vagorum, quandòquidem, licet ſolemnizare matrimonium, non ſit in rigore ſacramentum miniſtrare, nihilominus, quià matrimonium inter ſacramenta computatur, ad quod requiritur aſſiſtentia parochi, vel alterius ſacerdotis ad id muneris electi, dum ſacerdos eligitur ad omnia ſacramenta, videtur eligi ad eam rationem, ſecundum quam poteſt concurrere, nec veriſimile eſt, quod dum ad omnia eligerit, voluerit ab hoc vno excludere.

6 Electus pro miniſterio omnium ſacramentorum quoad certas perſonas priuatiuè quoad alios probabilius poteſt aſſiſtere eorum matrimonijs.

Contendunt aliqui quod, quamuis Pontifex Parocho prohibuerit aſsiſtere matrimonio, non tamen hoc præſtiterit ſub clauſula irritante, illud non inualidetur, ſi Parochus contrà talem prohibitionem aſtiterit, quinimmò extendunt aliqui, quandò prohibuerit, cum clauſula irritante generali, quatenus in genere reddatur irritum, quidquid ſecùs, ſeù contrà prohibitionem, vel interdictum fuerit attentatum, ſecus ſi prohibuerit cum clauſula irritante ſpeciali, qua fiat mentio de matrimonio. vt ſi dicatur, *ſi ſecus fiat irritum, & nullum ſit matrimonium*. Nihilominus in hac hypotheſi exiſtimo matrimonium initum coram alio ab ipſo ſacerdote cum illis conditionibus à Pontifice deputato non ſubſiſtere. Ratio eſt, quià Pontifex poteſt deputare in ordine ad certas perſonas, quæ ſub nullius parochi iuriſdictione determinatè ſunt, certũ Parochum, cum cuiuſcunque alterius excluſione, ſed hoc vtique præſtitit eligendo talem perſonam, cum illis conditionibus, de quibus in ratione dubitandi, ergò &c. Neque obſtant ea, quæ dicuntur de Parocho prohibito aſſiſtere ſine clauſula irritante

7 Et contractum coram alijs erit inualidum.

tante

tante, vel cum clauſula tantum generali; non obſtat, inquam, quia prohibitio ſimplex non importat ſecundum ſe nullitatem actus; exclusio autem perſonæ ad aſsiſtendum, & reſtrictio ad determinatam ex genere ſuo importat nullitatem actus, ſi aliter res fiat.

## PRÆNOTIO XXIV.

### Coram quo parocho debeat contrahere, qui habet duplicem Parochiam.

### SVMMARIVM.

*Regulariter loquendo non poteſt quis contrahere coram Parocho originis, ſed coram Parocho habitationis.* 1.

*Intellige, ſi parochiam originis deſeruerit.* num. 2.

*Qui habet duplicem Parochiam habitationes poteſt coram alterutro Parocho contrahere.* num. 3.

*Equalitas temporis, pro quo debeat in vtraque Parochia habitare ad hunc effectum, non debet eſſe metematica, ſed moralis.* 4.

*Qui habet animum habitandi pro maiori parte temporis in aliqua Parochia non tenetur ad contrahendum eandem maiorem partem expectare.* 5.

*Suppoſita æquali habitatione in vtraque Parochia poteſt contrahere coram Parocho loci, in quo actu non habitat.* 6.

*Qui habet in confinio duarum Parochiarum ſuam domum, & ex vna parte habeat oſtium in vna Parochia ex altera in alia non poteſt contrahere niſi cum Parocho, cuius Parochia correſpondet aditus principalis.* 7.

DVplicitèr contingere poteſt, vt quis duplicem habeat parochiam, vel quatenus vnam habet originis, alteram habitationis; vel quatenus vtramque habeat habitationis, dum ſcilicet in vtraque pro eodem anno æqualitèr habitat, puta hyeme in vna, æſtate in altera. Hic igitur circà propoſitum titulum examinabitur, primò, an habens parochiam originis ſimul, & domicilij poſſit ad libitum coram alterutro validè contrahere. Secundò, an habens duas parochias habitationis poſsit id ipſum peragere. Tertiò, an hæc valeant, ſiuè pro maiori parte anni in vna habitet, pro minori in altera, an verò requiratur, quod æqualitèr quoad temporis extenſionem in vtraque habitet. Quartò, an tunc poſſit habitans in vna parochia contrahere cum parocho alterius, in cuius parochia tunc non habitat, an verò teneatur contrahere coram eo, qui eſt parochus illius parochiæ in qua degit, quandò intendit contrahere.

*Rationes dubitandi circà titulum popoſitum.*

Aſsertio I. Non poteſt validè contrahere coram parocho originis regularitèr loquendo, ſed tenetur contrahere coram parocho habitationis *Sanchez lib. 3. diſp. 23. num. 7. Gutierez de matrimonio c. 62. num. 29. Zippaus lib. 4. tit. de ſponſalib. num. 13. verſ. non ſimpliciter Baſilius Pontius lib. 5. cap. 13. §. 1. num. 2. Bellarminus ad cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim. verbo, vel ſaltem Parocho Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 4. n. 14.* Hoc idem cenſuit *Rota Rom. part. 2. diuerſ. deciſ.* 105., & 150. apud *Bellarminum loc. cit.*

1 *Eſt contrahendum regularitèr coram Parocho habitationis, non originis.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia parochus proprius iuxta decretum concilij determinatus ad aſſiſtendum auctoritatiuè matrimonio ille eſt, in cuius Parochia contrahentes habent domicilium, vel quaſi domicilium, habitantve, vel animum habent habitandi totum annum, vel maiorem anni partem *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 88. num. 3. Salzeda ad Diaz c. 73. verb. ſuſpendatur ab officio per triennium verſ. decimoquarto, Franciſcus Molinus lib. 2. de rit. nupt. diff. 21. nu. 28. Caualcanus deciſ. 12. n. 22. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſ. alleg. 32. n. 59. de offic. Parochi c. 21. n. 34. tō. 2. Riccius in praxi for. Eccleſ. deciſ 244. num. 1.*, ſed parochus præciſe originis nō eſt Parochus, in cuius *P*arochia contrahentes habeant domicilium, ſeu quaſi domicilium, habitent, ſeu animum habeant habitandi, ergo non eſt *P*arochus proprius intentus à Concil. Trid. ad aſſiſtendum valide, & ſolemnizandum matrimonium. Confirmatur primo, quia quis dicitur *Parochianus* ab habitatione, non ab origine, nec Eccleſiæ parochialis originis debet canonicam portionem, ſed Eccleſiæ habitationis, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quia omnes etiam vagi habent regulariter *P*arochum originis, nec tamen poſſunt coram eo matrimonium valide contrahere, quia, iam vt tales ſunt, talem parochiam deſeruerunt ergo &c.

*Etiã vagi habent Parochum originis.*

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam ſi Parochiam originis non deſeruerint, ſed alio ſe transtulerint ex aliquo negotio ad illam, functo negotio redituri, non negauerim poſſe coram illo contrahere; Hac ratione Scholares, qui ſtudiorum cauſa detinentur in ciuitatibus, poſſunt, vel ijs finitis, vel adhuc non perfectis coram proprio parocho originis, qui tamen eſt ſimul habitationis, ſi non actu, ſaltem habitu, & virtute contrahere.

2 *Intellige, ſi Parochiam originis deſeruerint.*

Aſſertio II. Qui habet duplicem Parochiam habitationis poteſt cum alterutro Parocho contrahere *Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 4. num. 186. Nauarrus conſ. 7. num. 3. de clandeſt. deſponſ. in nouiſ. Gutierez de matrim. c. 64. nu. 1. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 32. n. 69., & de offic.*

3 *Qui habet duplicem Parochiã habitationis poteſt corã alterutro parocho contrahere.*

Digitized by Google

*offic. Parochi c. 21. num.* 41. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap.* 4. *num.* 4.

Ratio ex eo deducitur primo, quia ex vno capite non repugnat, quin quis pro eodem tempore duas habeat Parochias per textum *in c. 2. de ſepult. in 6. l. eius qui manumiſit* §. *Celſus ff. ad municip.* ex alio capite cum habeat domicilium in vtraque Parochia non eſt, cur de facto non debeat poſſe dici Parochianus vtriuſque, ergo non eſt, cur coram alterutro ex illis Parochis non poſſit contrahere Secundo, quia ſuppoſita æquali habitatione pro eodem anno in vtraque Parochia non eſt maior ratio, cur coram vno Parocho potius teneatur contrahere, quam coram alio, ergo &c.

4 Æqualitas tēporis habitationis non debet eſſe matematica, ſed moralis.

Aſſertio III. Illa æqualitas temporis, qua contrahens debet habitare in vnaquaq; ex illis duabus Parochijs, vt poſſit coram quolibet ex illis Parochis contrahere, non debet eſſe metamatica, & rigoroſa, ſed ſufficit, quod ſit moralis, & ſecundum moralem exiſtimationem *Roſella verbo confeſſio ſacramentalis 3. num. 40. Paludanus in 4. diſt. 17. q. 3. art. 2. num. 17., & art. 3. nu. 20. D. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 4. caſ. 2. Silueſter verb. confeſſor. 1. q. 3. in fin. Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 24. n. 3. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. num. 5.*

Ratio ex eo deducitur, quod circumferunt communiter *DD.* nempe poſſe vnumquemque coram alterutro Parocho contrahere, ſi pro hieme in vnius Parochia inhabitauerit, pro æſtate in illa alterius, nec tamen vtrumque tempus cadit in puncto, nec hiems, nec æſtas ſumitur ſecundum rigorē aſtrologicum, ſed ſecundum communem acceptionem; ſecundum quam hiems, vel æſtas non æquali tempore ſemper durant.

5 Nō requiritur, vt duret in habitatione pro maiori parte anni, ſed ſufficit ſi habeat animum habitandi.

Hinc tamen fit, quod ſi quis pro aliquo tempore inceperit in vna Parochia habitare cum animo in eadem permanendi pro maiori parte anni, non teneatur ad contrahendum coram Parocho illius Parochiæ expectare ad maiorem illius anni partem, ſed poſſit immediatè contrahere *Gutierez de matrim. c. 63. num. 14. Franciſcus Zippeus lib. 4. tit. de ſponſal. nu. 13. Ioannes Angelus Boſſius in tract. de Triplici Iubil. priuileg. caſ. 13. num. 27.*, & ratio eſt, quia ad contrahendum, ſeu conſtituendū alibi domicilium non eſt opus decennio habitaſſe, ſed ſtatim, ac quis incipit habitare in aliquo loco animo ibi commorandi contrahit ibi domiciliū *Gutierez, & Boſſius loc. cit.*, nec obſtat, quod poſtea animū mutet, & locū *Rota Rom. in Toletana matrimon. Mercurij* 10. *Decembris* 1625. *coram Merlino* quem refert *Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. poſt nu. 77.*

6 Suppoſita æquali habitatione in vtraque Parochia poteſt contrahere coram Parocho loci, in quo actu non habitat.

Aſſertio IV. Suppoſita illa æquali habitatione in vtraque parochia, quamuis contrahere intendens actu habitat in vna, puta in hieme poteſt valide contrahere coram Parocho æſtiuo *Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. cap. 4. nu 5. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 24. Nauarrus cap. placuit num. 78. de pænit. diſt. 6. Henriquez lib. 16. de pænitent. cap. 7. num. 2.*

Ratio ex eo deducitur, quia habitans pro æquali tempore in vtraque parochia dicitur ſimul, & ſemel habere domicilium in vtraque, ergo coram Parocho vnius, vel alterius poterit pro libertate contrahere, & coram eo, in cuius Parochia actu non habitat. Antecedens probatur, quia ſecus non diceretur habere duo domicilia, ſeu duas Parochias, Confirmatur *ex d. cap. 2. de ſepult. in 6.* vbi expreſsè definitur, quod, qui habet duplicem parochiam, ſi eligat ſepulturam in diuerſo loco, teneatur canonicam portionem inter vtramque parochiam diuidere, nec dicitur adæquatè tribuenda Parochiæ habitationis pro tempore mortis, ergo, quia gaudet priuilegio vtriuſque parochiæ; non enim congruum eſt, quod in ordine ad vtramque onus ſubeat canonicæ portionis, at non gaudeat priuilegio in ordine ad vtramque.

7 Oſtium principale domus cōſtituit ſubditum Parochiæ.

Hic excitat difficultatem *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 7.*, an, ſi quis habeat in confinio duarum Parochiarum ſuam domum, & ex vna parte habeat oſtium in vna Parochia, ex altera aliud in alia Parochia poſſit contrahere pro libertate coram alterutro ex illis Parochis, & reſpondet teneri contrahere coram eo, in cuius Parochia correſpondet aditus magis frequentatus *Auguſtinus Barboſa de offic. Parochi cap. 21. nu. 43. & de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. nu. 71. Aloiſius Riccius in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ. 333. in primo tit. & deciſ. 51. in 2.*, atque huic opinioni tanquam tutiori adhæreo, quia ex aditu iudicatur de domo, cui cedat. *Bartolus in l. 6. num. 6. ff. de damn. infect.*, hocque indicat textus *in l. ei cui ædes ff. de leg. 3. Baldus conſ. 60. nu. 5. vol. 1. Bartolus in l. prædij* §. *quo domum ff. de leg. 3.*

## PRÆNOTIO XXV.

An Parochus extra Parochiam poſſit aſſiſtere matrimonio ſuorum Parochianorum.

### SVMMARIVM.

*Parochus alterius coniugis poteſt aſſiſtere matrimonio, quamvis celebratur in domo alterius, quæ ſit extra propriam Parochiam. num. 1.*

Paro.

Digitized by Google

*Parochus, vel Epiſcopus vtriuſque contrahentis poteſt valide aſſiſtere etiam extra parochiam, & territorium.* 2.

*Sacerdos delegatus poteſt aſſiſtere matrimonio ſubditorum delegantis, ſi delegatio facta fuerit ſine expreſſione, vel in territorio, vel extra.* 3.

*Delegatus ad aſſiſtendum extra parochiam valide extra illam aſſiſtit.* 4.

*Parochus aſſiſtens matrimonio ſuorum ſubditorum extra parochiam non peccat, nec eſt de iure punibilis.* 5.

*Peccat tamen extra parochiam ſolemniter benedicendo.* 6.

SVB duplici ſenſu procedere poteſt titulus; primò, an Parochus vnius ex coniugibus poſſit aſſiſtere matrimonio celebrando in domo alterius coniugis, qui habitat in diuerſa Parochia. Secundò, an Parochus vtriuſque coniugis exiſtens in aliena Parochia poſſit valide eos coniugere, & an tunc ſaltem peccet, & quomodo ſit puniendus.

Duplex ſenſus tituli.

In ordine ad primum ſciendum eſt, quod, quantumvis regulariter, quando contrahentes ſunt diuerſarum *P*arochiarum *P*arochus fœminæ aſſiſtat matrimonio, poſſit tamen alter Parochus, nempe maſculi eo omninò omiſſo aſſiſtere, nec neceſſe eſt in ea hypotheſi, quod vterque aſſiſtat; hocque expreſſis verbis declarauit Sacra Cardin. Concil. Trident. interpretum apud *Belarminum ad d. cap. 1. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. matrim. in Dec. Curat. Cardinal. declar.* 37., & quod vnus Parochus alterius contrahentis ſufficiat altero Parocho non concurrente facile ex eo euincitur, quia ratione connexionis (eo, quia matrimonium non niſi inter duos conſiſtere poteſt) iuriſdictio quoad vnum trahit ſecum ius etiam quoad alterum *argum. ſi communem ff. quemadmodum ſeruit. amitt.*, vnde matrimonium, cum ſit contractus indiuiduus, hoc exigit, vt qui eſt *P*arochus ad coniungendum vnum per neceſſariam cõnexionem ſit ad vtrumque. *D*ifficultas igitur ſolum eſt, an Parochus vnius ex contrahentibus poſſit eos valide coniungere, quando matrimonium celebratur extra propriam parochiam, vt ſi celebretur in *D*omo ſponſæ, quæ eſt extra parochiam mariti, & Parochus mariti aſſiſtat in parochia eiuſdem ſponſæ. Secundò, an Parochus vtriuſque coniugis exiſtens abſolutè extra propriam parochiam poſſit ibidem eos valde coniungere.

Rationes dubitandi circa vtrumque ſenſum.

Nõ eſt neceſſe, quod vterque aſſiſtat.

1 Parochus alterius coniugis poteſt aſſiſtere, quamvis celebretur in domo alterius, quæ ſit extra Parochiam

Aſſertio I. Parochus alterius coniugis poteſt aſſiſtere valide matrimonio eiuſdem, etiam ſi celebretur in domo alterius, quæ eſt extra propriam parochiam *Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 3. num. 2. Spino ſpecul. teſtam. gloſ. 15. num. 45. Zerola qu. 30. num. 56. Franciſcus Leo in prax. for. Eccleſiaſt. part. 1. cap. 24. num. 39. in fin. Gutierez de matrimon. cap. 62. num. 4. Aloiſius Riccius in praxi rerum quotid. fori Eccleſ. 424. num. 5. Poſſeuinus de offic. Parochi cap. 10. num. 17. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 232. Bonacina qu. 2. punct. 8. num. 7. Coninchus diſp. 27. num. 19. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 4. num. 20.*

Probatur primò, ex declaratione Sacræ Cardinal. Concil. Trident. interpret. Congregationis apud *Barboſam de offic. Parochi cap. 21. num. 45., & in collect. Bullarij verbo matrimonium*, huius Congregationis hæc ſunt verba formalia *Item matrimonium contractum in Parochia mulieris coram Parocho viri, & è conuerſo valet, etiam ſi parochia viri, & mulieris ſint in diuerſis Diœceſibus*, atque in eandem ſententiam abijt *Rota Romana in recent. Farinacij tom. 2 deciſ. 390. rub. in fin.*, Neque obſtat, ſi referantur aliæ eiuſdem Sacræ Congregationis declarationes, quas de verbo ad verbum refert *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 4. num. 19. verſ. prima ſententia negat prope medium*, quæ expreſsè videtur obſtare præcedenti: prima eſt, quæ ſic habet. *Si in Parochia mulieris contrahatur præſente Parocho eius tenet matrimonium*; Secunda ſic habet *Quando contrahentes ſunt diuerſarum parochiarum ſufficit proprius Parochus mulieris, qui interſit matrimonio.* Tertia ſimilis huic *Is erit proprius Parochus, qui parochus vxorum eſt, quando viri ad earum domos accedunt pro contrahendo, & conſummando matrimonio, & illis benedictionem dare poterit de iure.* Quarta ab illis non diſcordat, quæ ſic habet. *Cum propoſitum fuiſſet, quis ſit proprius Parochus; qui ſponſos benedicere debet, cum viri accedunt ad contrahendum ad terras, & domos vxorum, vbi diu remanent, antequam cohabitent Sacra Congregatio Concilij cenſuit eum eſſe, qui proprius Parochus vxorum eſt, quando viri ad earum domos accedunt pro contrahendo, & conſummando matrimonio*; quæ omnes declarationes, cum ſtatuant eſſe proprium Parochum illum, ad cuius parochiam alter ex coniugibus accedit ad contrahendum matrimonium, videntur excludere illum, in cuius Parochia non contrahitur. Non obſtat, inquam, quia in primis aliqui aſſerunt Sacram Congregationem Concilij per declarationem allatam pro probatione noſtræ aſſertionis vt pote poſteriorem reuocaſſe omnes alias allegatas, quæ erant præcedentes; Deinde congruentius dicendum eſt, ne teneamur dicere Eminentiſſimos Cardinales eiuſdem Concilij interpretes in contrarias iniſſe ſententias, per præcedentes declarationes voluiſſe dumtaxat ſufficere aſſiſtentiam Parochi eius, in cuius parochia celebratur matrimonium,

Conſtat ex declarationibus Sacræ Congregationis.

non autem eſſe ſimplicitèr neceſſarium; quod, ſi vrgeas in quarta declaratione, in qua propoſitum fuerat, quiſnam ſit proprius Parochus, qui ſponſos benedicere debet, reſponſum fuit eum eſſe, qui proprius Parochus vxorum eſt, quando viri ad earum domos accedunt pro contrahendo, & conſummando matrimonio: illa autem particula *debet* importat neceſſitatem; ſtatim impugnaberis, quia ly *debet* indiferens eſt, vel ad importandum debitum neceſſitatis, & iuſtitiæ, vel debitum honeſtatis, & æquitatis; & quidem magis honeſtum, & congruum eſt, quod aſſiſtat Parochus habitationis, in qua celebratur matrimonium, non tamen neceſſarium cum abſoluta excluſione Parochi alterius contrahentis, ceteroqui Sacra Cardinalium Concilij interpretum Congregatio diuerſis, & inter ſe oppoſitis ſententijs ſibi obuiaret, quod non eſt aſſerendum.

Satisfit rationibus contrarijs.

Nauarrus *in ſumma cap.25. num.*144. *& lib.4. conſil. tit. de ſponſalibus conſ.*52. *in antiq. & tit. de deſponſat. clandeſt. conſil.* 4. *in ſecunda editione* ex hoc ipſo fundamento noſtræ reſponſionis ad inſtantiam arguit neceſſario adhibendum eſſe Parochum parochiæ, in qua contractus celebratur: nam in materia ſacramentorum quoad validitatem ipſorum non ſufficit ſequi opinionem iudicatam practicè probabilem, ſed neceſſario ſequendam eſſe ſecuriorem, ſecurior autem eſt opinio aſſerens Parochum habitationis, in qua contrahitur matrimonium, debere aſſiſtere; tùm quia ex ſuperius dictis magis honeſtum eſt, & æquius, vt ipſe aſſiſtat, quam alius; tùm quia duo vincula ſunt vno fortiora per textum *in auth. itaque C. communia de ſucceſſ.* Parochus autem, in cuius parochia matrimonium celebratur, habet duplicem titulum, ex quo reſpectu contrahentium conſurgit duplex vinculum, ſcilicet ratione iuriſdictionis quoad alterum contrahentem, & ratione habitationis, in quo celebratur contractus; tùm quia quoad ea, quæ pertinent ad forum externum non videtur quis extra proprium territorium exercere poſſe iuriſdictionem, nec Concilium Tridentinum quoad terminos preciſè matrimonij hanc facultatem Parochis aſſiſtendi in aliena Parochia concedit, cum hoc cederet quodamodo in præiuditium habentis ius in tali Parochia, in qua contractus celebraretur. Sed his non obſtantibus à terminis aſſertionis non recedo, nam licet in materia ſacramentorum quoad ipſorum validitatem amplectenda ſit opinio in praxi tutior, quod etiam declarauit Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. Pontifex nunc regnans, quem Deus diu incolumem ſeruet ad totius Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem in vniuerſali Sanctiſſimæ Inquiſitionis Congregatione habita die 29. Martij 1679. feria ſecunda, in qua damnauit ſecundam propoſitionem, qua aſſerebatur in materia ſacramentorum licere ſequi ſententiam minus probabilem relicta tutiori, & probabiliori, probabilior tamen eſt ſententia aſſerens Parochum viri poſſe aſſiſtere matrimonio celebrando etiam in Parochia fæminæ, cum hæc ſit ſuffulta communiori DD. conſenſu, & auctoritate, & etiam declaratione Sacræ Congregationis, vt in terminis ſupra allegatis; vnde cum Pontifex requirit maiorem probabilitatem intelligendus eſt de maiori probabilitate formali, & adhæſiua non de maiori obiectiua, cæteroqui teneremur etiam aſſerere, quod in confectione ſacramentorum ſemper requireretur intentio miniſtri actualis, nec ſufficeret virtualis, quia quoad obiectum tutius eſt adhibere formalem, & actualem, quam ſolam virtualem, quod tamen non eſt dicendum, cum omnes ſuſtineant ſufficere virtualem, & nimis durum eſset, ſi ſemper actualis eſset adhibenda. Quamobrem ad ea, quæ ſubdebantur ex Nauarro, & alijs dicendum eſt in vniuerſum inferri ſolummodo ex quadam maiori conuenientia, & iure debere aſſiſtere Parochum illius parochiæ, in qua celebratur contractus, non ex neceſſitate.

Exponitur mens Nauarri, & reiicitur.

Tutior opinio eſt, quod alteruter ex Parochis poſſit aſſiſtere.

Probatur ſecundò aſsertio, quia in jis, quæ pertinent ad iuriſdictionem voluntariam poteſt habens illam exercere etiam extra proprium territorium *l. emancipati ff. de adopt. Gloſa in l. fin. ff. de iuriſd. omn. iudic.* & latè docet *Ioannes Angelus Boſſius in tract. de tripl. iubil ac priuileg. ſect.*3. *caſ.*2. *§.* 6. *num.* 193. *& ſeqq.* ſed Parochum coniungere ſuum ſubditū vinculo matrimonij ſpectat ad iuriſdictionem voluntariam cum fiat ſolummodo contrahentibus ſic volentibus, non eiſdem inuitis, nec exigat cauſæ cognitionem *Henriquez lib.* 11. *de matrimon. cap.*3. *num.*2. *Manuel primo tom. ſumma ſecunda edit. cap* 219. *num.*5. *Petrus de Ledeſma de matrim. q.*45. *art.*5. *punct.* 3. *dub.*3. *concl.* 2., ergo &c. Neque dicas, quod, quantumvis talis iuriſdictio exerceatur contrahentibus volentibus, & non diſſentientibus, fiat tamen non conſentiente, quin potius nolente, & inuito Parocho habitationis, in qua celebratur contractus, adeoque pertinet ad iuriſdictionem quodamodo contentioſam; contra enim impugnaberis, quia Parochus habitationis eſt omnino irrationabiliter inuitus, cum nullum eidem inferatur præiudicium, cum fiat erga ſubditos volentes abſque ſtrepitu, & forma iudicij; quinimmo multi, nec incongruè docent, per illam aſſiſtentiam nullum exerceri actum propriæ iuriſdictionis, ſed ſolummodo aucto-

Iuriſdictio voluntaria exercetur etiam extra territorium.

Nec obſtat diſſenſus alterius Parochi.

Digitized by Google

auctoritas confertur perſonæ publicæ à Concil. Trident. deputatæ, ſed de hoc clarius erit ſermo in ſequenti aſſertione.

2 Parochus, & Epiſcopus poſſunt etiam aſſiſtere extra territorium.

Aſſertio II. Parochus, vel Epiſcopus vtriuſque contrahentis poteſt validè aſſiſtere matrimonio eiuſdem etiam extra propriam Parochiam, & Diœceſim *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. num. 2. Segura ſecunda part. director Iudic. cap. 15. num. 49. Manuel primo tom ſummæ ſecunda edit. cap. 219. num. 7. Salcedo ad pract. crimin. Diaz cap. 73. verſ undecimo prætermittendum non eſt, Franciſcus Leo in praxi for. Eccleſiaſt part. 2. cap. 24. num. 39. in fin. Gutierez de matrim. cap. 62. num. 4. Zerula in praxi Epiſc. part. prima verb. matrimonium §. 6., & verb. Parochus §. 1. part. 2. Paulus Comitolus reſp. moral. lib. 1 quæſt. 131. num. 2.* aduerſus *Nauarrum in ſumma cap. 25. num. 144., & lib. 4. conſil. tit. de ſponſalib. conſ. 52. in antiq. & tit. de clandeſt. deſponſat. conſ. 4. in ſecunda edit. & conſ. 49. tit. 4. tit. de ſponſal. in prima edit. Franciſcum Molinam lib. 2. de ritu nuptial. diſſ. vndecima num. 140., & ſeqq.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia talis aſſiſtentia, vel non eſt actus iuriſdictionis, ſed mera auctoritatiua aſſiſtentia, vt concedunt plurimi ex contrariæ ſententiæ aſſertoribus, vel, ſi eſt actus iuriſdictionis, eſt ſolummodo talis, vt voluntaria eſt, non contentioſa, ſed ſiuè non ſit actus iuriſdictionis, ſed mera auctoritatiua aſſiſtentia, ſiue actus iuriſdictionis voluntariæ poteſt exerceri extra parochiam, ſeù Diœceſim per ſupra allegata iura *in l. emancipati ff. de adoptionibus*, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, illam aſſiſtentiam debere eſſe per perſonam publicam, adeoque Tridentinum ad hoc munus decreuiſſe Parochum, qui auctoritatiuè aſſiſteret; Parochus autem, ſeu etiam Epiſcopus extra propriam parochiam, ſeù Diœceſim non reputantur, niſi perſonæ priuatæ, ſaltem quoad exequendam ſuam poteſtatem per textum *in l. 3. ff. de offic. Præſidis l. finali ff. de iuriſd. omn. Iud. & l. 1. & duab. ſeqq. C. ſi non à compet. Iud.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ea, quæ dicuntur in inſtantia procedunt ſolummodo in ordine ad actus iuriſdictionis contentioſæ, in ordine ad quos Iudex, & præſes extra proprium territorium, ſeù Prouinciam computatur, vt perſona priuata *Gloſſa in d. l. 3. ff. de offic. Præſidis Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 19. num. 16. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 25. verſ. neque obſtant in fin.*

In ordine ad actus iuriſdictionis voluntariæ extra Parochiam Parochus non deſinit eſſe perſona publica.

Cæterum in ordine ad actus iuriſdictionis voluntariæ poteſt, vbique illos exercere, nec deſinit eſſe perſona publica ex eo, quod extra proprium territorium, vel Prouinciam illos exerceat, & cum iſti non exigant Iudicem pro tribunali ſedentem, nec exactam cauſæ cognitionem, non eſt, cur Iudex alieni territorij meritò conqueratur, ſi in ſuo per alienum Iudicem in ordine ad illius ſubditos exerceantur per textum *in l. 2., & ibi notant communitèr ſcribentes, ff. de offic. proconſul., & c. noui. de offic. legat. Coaruuias lib. 3. variar. c. 20. nu. 8.*

Ratio poteſt eſſe ſecundò, quia principale fundamentum aduerſæ ſententiæ fundatur in præſumpta, & interpretatiua *Concilij Trident. in d. c. 1. ſeſſ. 24.* intentione, ſecundum quam videtur exigere Parochum, vel Epiſcopum in propria parochia, vel *Diœceſi*, & non extra, quod ex multis capitibus inferre contendit Nauarrus, alijque *DD.* contrariæ ſententiæ loc. cit., & primò ex illis verbis Concilij *de ipſius Parochi, vel ordinarij licentia*, quæ facultas eſſe non poteſt, niſi intra parochiam, & Diœceſim concedentis. Secundò, quia Concilium exigit expreſsè proprij parochi præſentiam; nec tamen definit, quod non poſſit eſſe extra parochiam. Tertiò, quia extrà parochiam non eſt perſona publica, ſed merè priuata.

Firmatur aſſertum, & eluduntur aduerſantium obiecta.

Sed hoc aduerſantium fundamentum vim non habet in ipſo Concil. Tridentino, ſed dumtaxat in mente interpretantium; qui ſupponunt tanquam certum id, quod eſt in quæſtione. Ex quibus enim verbis colligunt præſentiam parochi exhibendam eſſe in propria parochia? An ex eo, quod requiratur præſentia propria parochi. Sed quid vetat, quin hęc exhiberi poſſit vbique? Ad id, quod ſubditur, quod ſcilicet Concilium expreſsè non definiat quid poſſit eſſe extrà Parochiam, dicendum eſt hoc nobis fauere, quandòquidem cum de iure communi, vbi agitur de iuriſdictione merè voluntaria poſſit hæc etiam extrà parochiam exercere, ſi Concilium voluiſſet in hoc ius commune corrigere debuiſſet exprimere, cum autem nō expreſſerit, intelligitur eidem iuri communi quoad hoc ſe remittere. Ad id, quod dicitur de perſona publica, iam ex ſupradictis patet, quid dicendum; non enim quoad actiones voluntariæ iuriuſdictionis parochus deſinit eſſe perſona publica ex eo, quod eas exerceat extra parochiam.

Hic oritur ratio dubitandi, an, ſi Epiſcopus, vel Parochus facultatem conceſſerint alicui ſacerdoti aſſiſtendi matrimonio per ſuos ſubditos celebrando poſſit hic valide aſſiſtere extra parochiam, vel *Diœceſim* committentium ſibi vices ſuas. Sub duplici conſideratione examinari poteſt præſens difficultas; vel etenim Epiſcopus, vel Parochus commiſerunt præciſè tali ſacerdoti, vt aſſiſteret matrimonio tali ſuorum ſubditorum nulla facta expreſſione, ſiuè intrà parochiam, vel Diœceſim, ſiuè extrà; ſiuè commiſerunt

3 Delegatus poteſt aſſiſtere extrà territoriũ, ſi locus eidem non ſit præſixus.

expreſsè, vt etiam aſsiſteret eidem matrimonio extrà parochiam. Iuxtà primum ſenſum exiſtimo, abſolutè ſacerdotem ſic deputatum poſse validè etiam aſsiſtere extrà parochiam *Sanchez de matrim, lib. 3. diſp. 34. num. 4.* Ratio eſt, quià parochus, vel Epiſcopus ſic delegans videtur vices ſuas committere tali ſacerdoti in ordine ad tale matrimonium, ità vt deputatus id præſtet; quod ipſe delegans poteſt præſtare: ſed ex ſuperius dictis ipſe parochus poteſt aſsiſtere, tàm intrà, quàm extrà propriam parochiam in ordine ad ſuos ſubditos, & Epiſcopus, ſiuè intrà, ſiuè extrà propriam diœceſim, ergò &c. Neque obeſse poteſt textus *in l. 2. ff. de offic. proconſul.*, vbi dicitur, quod ordinarius extra territorium poſsit iuriſdictionem voluntariam exercere, non ſic delegatus; non, inquam, obeſse poteſt, quià ille textus procedit in ſpeciali caſu, ſecundum quem proconſul non poterat iuriſdictionem delegare, quandoquidem in iure cautum eſt, quod Proconſul non poſsit ante ingreſſum prouinciæ iuriſdictionem ſuam alteri mandare per textum *in l. obſeruare §. poſt hac ff. de offic. proconſul.*, nondum autem Proconſul tunc erat prouinciam ingreſsus, & hanc ob cauſam ibi dicitur, quod delegatus non potuerit extrà prouinciam iuriſdictionem exercere, quià nondum validè acceperat, quod non militat in præſenti hypotheſi. Confirmari poteſt ex eo, quod aſserit Sanchez ſcilicet matrimonium valere contractum coram delegato extra parochiam delegantis, cui in commiſsione dictum fuerat. Vade domum Mariæ; & aſsiſte ibi matrimonio, licet domus illa ſit intrà parochiam, & delegatus aſsiſtat extra, vel ſi dicat, Coniunge matrimonio Petrum, & Mariam in Eccleſia mea, vel ſi dicat concedo tibi vices meas ad aſsiſtendum matrimonio Petri, & Mariæ in mea parochia, quià, vt optimè inquit ipſe Sanchez omnes illæ dictiones ſiunt cauſa demonſtrationis, non cauſa reſtrictionis licentiæ, vndè dicere Concedo facultatem aſsiſtendo matrimonio in mea parochia, idem eſt, ac æquiualentèr dicere ad coniungendos matrimonio meos parochianos *arg. clement. dudum de ſepultur.* Si hæc igitur valent, quandò expreſsè dicitur in mea parochia, in mea Eccleſia, à fortiori valere debent, quandò dicitur ſimplicitèr ad aſsiſtendum matrimonio inter tales meos ſubditos nulla facta expreſsione, ſiuè intrà, ſiuè extrà parochiam. Non negauerim tamen, quod ſi parochus limitatè tantum dixerit in mea parochia, & non alibi, tunc non poſset delegatus extrà parochiam aſsiſtere, quià delegatio vim tantum habet ſecundum mentem expreſsam delegantis, & delegatus non poteſt excedere vim mandati ſibi commiſsi.

Sententia aſserens valere, ſi in commiſſione dictũ fuerit in Parochia mea.

Iuxtà ſecundum ſenſum abſolutè ſentiendum eſt ſacerdotem ſic deputatum poſse validè aſsiſtere etiam extrà parochiam. *Gutierez de matrimon. c. 62. n. 10. & ſeqq. Auguſt Barboſa de poteſt. Epiſcop. allegat. 32. n. 114. Riccius in prax. for. Eccleſiaſt. reſol. 424. num. 5. verſ. octauo Ægidius Coninchus diſp. 27. dub. 2. n. 23., & dub. 3. n. 3. Homobonus part. 1. de examin tract. 11 cap. 10. q. 23. reſol. 3. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. n. 26., & ſeqq.* Ratio ex ijs deducitur, quæ dicebantur in probatione præcedentis dubij, & vlterius ex ijs euincitur, quæ tradit *Ioannes Angelus Boſſius tract. de triplic. Iubilai priuileg ſect. 3. caſ. 2. §. 6. n. 202.* nempè confeſsarios ab ordinarijs delegatos, ſiuè ſeculares, ſiuè regulares poſse ſubditos eorundem delegantium vbique terrarum abſoluere, quià non exercent niſi iuriſdictionem voluntariam; cum igitur ſolum delegati ad aſſiſtendum matrimonij ſubditorum delegantium exerceant iuriſdictionem voluntariam, vtique vbique poterunt eam exercere, potiſsimum, ſi delegatiò referatur ad eoſdem ſubditos, vbique degentes. 4 Delegatus ad aſſiſtendum extra Parochiam validè extra illam aſſiſtit.

Aſſertio III. Probabilius eſt Parochum aſſiſtentem matrimonio ſuorum ſubditorum extra propriam Parochiam non peccare, nec eſſe de iure punibilem, benetamen ſi ſponſos ſic coniunctos ſine licentia Parochi, vel Epiſcopi loci ſolemnitèr benedicat iuxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Ita quoad primam partem *Spino specul. teſtamentorum Gloſ. 15. num. 42. Segura director. Iud. 2. part. c. 15. nu. 49. Auguſt. Barboſa de Parochis c. 21. nu. 58. Gutierez de matrimon. c. 62. num. 6. Villalobos tom. 1. ſumma tract. 13. difficult. 18. num. 2.* Quoad ſecundam *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 4. num. 33.* qui citat pro ſe Sanchez. 5 Aſſiſtens extra Parochiam non peccat.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, nec ex genere ſuo talis aſſiſtentia extra propriam parochiam eſt mala, nec alicui noxalis, nec aliquo iure poſitiuo, & præceptiuo interdicitur, ergo ſecundũ ſe non inducit aliquam labem peccaminoſam, nec de iure eſt punibilis. Antecedens quoad primam partem ex eo euincitur, quia actus iuriſdictionis voluntariæ poſſunt vbique licitè exerceri, nec ius alterius Parochi, in cuius parochia matrimonium celebratur, læditur per ſuperius probata, quoad ſecundam euincitur ex eo, quia nullibi eſt aſſignabile tale ius prohibens aſſiſtentiam parochi ſubditorum in aliena parochia.

Dices primo ex genere ſuo illicitam eſſe talem aſſiſtentiam extra propriam parochiam, quia oritur quædam confuſio in Eccleſia Dei, & peruertitur ordo Eccleſiaſticus, nam hoc pacto vnus Parochus vſurparet ius alterius. Sed contra, quia

con-

Digitized by Google

confuſio non oritur, niſi ex exercitio iuriſdictionis contentioſæ, quod fit cum apparatu, & ſtrepitu iudiciario, vel quaſi iudiciario, ex quo ſolum vnus læderet ius alterius per ſuperius probata.

Dices ſecundo ſaltem ex paritate rationis prohiberi de iure poſitiuo, quandoquidem prohibentur Epiſcopi extra propriam diæceſim ordinare ſuos ſubditos etiam quoad ordines minores quinimmo etiam conferre primam tonſuram ex diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 5. de reformat.* ergo &c. Sed contra primo, quia diſpar eſt ratio de collatione ordinum, quia fit ſolemniter, & propterea cum quodam quaſi ſtrepitu iudiciario. Deinde in odioſis, ſicuti ſunt prohibitoria, non eſt facienda extenſio de vno caſu ad alium in diuerſo genere, quamuis poſſit ſimilis ratio militare, vt videre eſt in pluribus.

6 Peccat tamen benedicēdo ſolemniter.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ſolemnis benedictio nuptiarum regulariter fit intra miſſarum ſolemnia, atque ita cum quodam ſtrepitu quaſi iudiciario, qui pertinet ad iuriſdictionem contentioſam, ergo non poteſt fieri in aliena parochia, ſine licentia proprij parochi, cæteroqui ex hoc oriretur quædam confuſio in Eccleſia Dei.

---

## PRÆNOTIO XXVI.

### Quinam veniant nomine Parochi, qui poſſint valide aſſiſtere matrimonijs ſuorum ſubditorum.

*SVMMARIVM.*

*Nomine Parochorum ad hunc effectum veniunt non ſolum proprietarij, ſed etiam delegati Epiſcoporum ad ipſorum nutum amouibiles, coadiutores Parochorum, Vicarij perpetui, Vicecurati à Parochis conſtituti.* 1.

*Vicecurati delegati à Parocho poſſunt etiam validè aſſiſtere, quamuis Parochus adſit, & poſſit aſſiſtere.* 2.

*Limita in caſu, quo eſſent limitati deſtinctè abſente Parocho.* 3.

*Omnes prædicti non ſolum poſſunt validè aſſiſtere, ſed etiam alijs facultatem aſſiſtendi concedere.* 4.

*Delegatus ad vniuerſitatem cauſarum poteſt in caſu particulari ſubdelegare.* 5.

*Non tamen poteſt ſubdelegare ad vniuerſitatē cauſarum, nec facultatem concedere ſubdelegandi.* 6.

Titulus potiſſimum procedit in ordine ad vicecuratos, ſiue exiſtente curato, ſiue illo abſente, ſeu mortuo; item in ordine ad Vicarios ad nutum amouibiles, coadiutores Parochorum, & ſimiles. In ordine ad hos omnes ex ſuppoſitione, quod validè poſſint aſſiſtere matrimonijs ſuorum ſubditorum, erit ratio dubitandi, an poſſint talem facultatem alijs delegare, ſicut poteſt Parochus proprietarius, & item facultatē per ipſos delegatos ſubdelegandi. In ordine ad quoſnā in particulari procedat titulus

Aſſertio I. Nomine Parochorum quantum ad effectum validè aſſiſtendi matrimonijs ſuorum ſubditorum veniunt non ſolum proprietarij, qui ſcilicet habent beneficium Parochiale, ſed etiam non proprietarij, vt delegati, quos Epiſcopi conſtituunt, & ad nutum ipſorum amoueri poſſunt, item coadiutores Parochorum, & Vicarij perpetui in illa Parochia, & etiam Vicecurati ab ipſis Parochis proprietarijs conſtituti *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 3. §. 5 Gutierez de matrim. c. 62. num. 32. Rebellus part. 2. lib. 2. q. 9. num 8. Baſilius Pontius lib. 5. c. 15. num. 7. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 115., & de officio Parochi c. 21. num. 67.* 1 Veniūt delegati Epiſcopi, coadiutores, Vicarij perpetui, & Viecurati

Expreſſè euincitur ex declarationibus Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trid. interpretum apud *Rebellium in 2. part. poſt lib. 4. num. 35., & 67.* cuius Congregationis hæc ſunt formalia verba *Matrimonium contractum coram coadiutore in adminiſtrandis ſacramentis Parochi, vel Vicarij perpetui in illa Parochia valet. Item Vicarij etiam temporales, & ad nutum amouibiles Eccleſiæ Parochialis, qui ſacramenta adminiſtrant, & matrimonijs interueniunt, ſicut ipſi interuenire poſſunt, ita, & dare licentiam alijs poſſunt interueniendi*; nec incongrua ſanè ratione hæc decernuntur, quandoquidem intelliguntur delegati ad vniuerſitatem cauſarum in tali Parochia.

Stante hac declaratione Sacræ Congregationis, & ratione ſolum remanet dubitandum, an Vicecurati delegati à Parocho poſſint etiam validè aſſiſtere etiam ſi Parochus proprietarius adſit, & poſſit intereſſe, ſi velit. Affirmatiuè reſpondendum exiſtimo cum *Barboſa de poteſtate Epiſcopi allegat. 32. num. 115., & de offic.* Parochi *c. 21. num. 67.* Ratio ex eo deducitur, quia ex quo aſſumpti ſunt in tali Parochia ad miniſteria ſacramentorum ſine vlla penitus limitatione iam habent facultatem ſufficientem ad validè aſſiſtendum, quandoquidem ſemper verificatur, quod aſſiſtant de licentia Parochi, prout definiuit ſacrum Concil. Trident. d. ſeſſ. 24. c. 1. de reformat. matrimonij. Sed quid ſi Parochus inſtituerit huiuſmodi Vicecuratos limitatè ea ſcilicet adiecta conditione, vt tantum valeant aſſiſtere, quando ipſe Parochus inſtituens 2 Vicecurati poſſūt etiā aſſiſtere ſi adſit Parochus. 3 Limita tamen in caſu, quo eſſent deſtinati limitate hoc eſt abſente Parocho.

ſtituens eſt abſens, & non aliter ? tunc reſpondendum eſt, non validè aſſiſtere, quia facultatem, quam huiuſmodi Vicecurati habent, habent ſolummodo dependentèr à voluntate, & arbitrio inſtituentis, ſeu delegantis, qui, ſicuti poterat inſtituere, & non inſtituere, delegare, & non delegare quoad ſubſtantiam, ita poterat inſtituere, & non inſtituere quoad modum ſcilicet, vel ad plura, vel ad minora pro arbitrio proprio; Neque dicas, quod ſi Epiſcopus aut conſtitutio ſinodalis interdicat Parochis dare licentiam adminiſtrandi ſacramenta, niſi approbatis ab eodem Epiſcopo, vel certos matrimonio coniungere valeat matrimoniū non obſtantibus huiuſmodi prohibitionibus arg. textus *in c.2. de matrimon. contracto contra interdic. Eccl.* ergo etiam ſi Parochus, qui inſtituit Viceparochum ad miniſteria ſacramentum interdicat aſſiſtentiam eidem matrimonijs ſuorum ſubditorum, quando ipſe eſt præſens, adhuc ſubſiſtet matrimonium non obſtante tali prohibitione etiam exiſtente præſentia eiuſdem; contra enim impugnaberis, quia Parocho competit ius miniſtrandi ſacramenta, & aſſiſtendi matrimonijs ſuorum ſubditorum à iure, eo enim ipſo, quo in Parochum proprietarium electus eſt, ius habet ad talia miniſteria; Viceparochus autem non habet ius illud, niſi dependentèr à voluntate delegantis, ſeu conferentis tale ius, qui propterea, ſi limitarit tale ius, ſeu facultatem, non poterunt actiones ſubſiſtere, niſi ſecundum intentionem expreſſam limitantis, ſeu reſtringantis, & non aliter, nec alio modo.

**Diuerſa ratio, quod aſſiſtētiam Parochorū limitante Epiſcopo.**

**4**
**Poſſūt etiā facultatē aſſiſtendi concedere**

Aſſertio II. *Præallegati* omnes in præcedenti aſſertione non ſolum valide poſſunt aſſiſtere, ſed etiam alijs facultatem aſſiſtendi cōcedere *Bellarminus* ad *c.1. Concil. Tridem. ſeſſ.24. de reformat. matrimon. in declaration. Rebellius 2. part. poſt lib. 4 in adit. nu. 67. Gutierez de matrim. c. 62. n.32., & c.66 nu.18., & c.68. nu. 24. Poſſeuinus de offic. Curati c.10. n.14. Baſilius Pontius lib.5. c. 15. num. 7.*

Expreſſè colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trident. interpretum ſupra relata in probatione præcedentis aſſertionis per illa poſteriora verba, *Item Vicarij etiam temporales, & ad nutum amouibiles Eccleſiæ parochialis, qui ſacramenta adminiſtrant, & matrimonijs interueniunt, ſicut ipſi interuenire poſſunt, ita, & dare licentiam alijs poſſunt interueniendi.*

*Dices*, quod quamuis poſſit ordinarius vices ſuas alteri committere, non tamen poſſit delegatus vices ſuas, ſeù ſibi commiſſas alteri ſubdelegare, nam ordinarius cum iure proprio, & in ſe ipſo iuriſdictionem radicatam habet, delegatus vero, nihil proprium in ſe habet, ſed tantum alienæ iuriſdictionis vſum; prædicti autem in aſſertione expoſiti ſunt tantum delegati adeoq; &c. Sed contra fallit aſſumptum in eo, qui delegatus eſt ad vniuerſitatem cauſarum, quia hic, cum reputetur quaſi ordinarius, merito poteſt ſubdelegare per textum *in l.1. §. ab eodem ff. ſi quis, & à quo Gloſa in l. à Iudice verb. non habet C. de iudicijs, & c. cum cauſam de appellat. verb. delegatus Hoſtienſis c. fin. de offic. ordin. paulo poſt princip. Baldus in l. ſoles num 1. ff. de iuriſd. omn. Iud. Henricus c. fin. de offic. deleg. num. 7. Alarcon prael. part 4. d. princip. an iudicium ſit ordinarium.* Intellige tamen fallentiam, vt procedat ſolummodo in ordine ad ſubdelegationem quoad ad vnam, vel alteram cauſam, non autem quoad vniuerſitatem cauſarum, vt docet *Gloſa c. cum cauſam verb. delegatus de appellat, & ibi Alexander de Neuo num. 26. Abbas c. cum Bertoldus n. 20. de ſent., & re iud. Alexander l. à Iudice num.8. C. de iudicijs, & communiter omnes DD.* Quis autem dicatur delegatus ad vniuerſitatem cauſarum latè refert *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſput. 31. verſ. tertium fundamentum ſit,* quem tu conſule. Breuiter tamen dico, quantum attinet ad præſens inſtitutum, illum dici deputatum ad vniuerſitatem cauſarum, cui commiſſum eſt aliquod genus cauſarum, licet non generaliſſimum, ſed ſubalternum, quantum vis ſit reſtrictum, vel quoad tempus, vel quoad locum, vel etiam quoad quantitatem *Bartolus in l. legatus num. 4. ff. de offic. pro conſul.*

**5**
**Delegatus ad vniuerſitatem cauſarū poteſt in caſu particulari ſubdelegare.**

**Quinā dicatur delegatus ad vniuerſitatem cauſarum.**

Hinc in particulari deduces, quod ſi huiuſmodi Vicarij, ſiue perpetui, ſiue non perpetui, ſed temporales, & ad nutum amouibiles poſſint vtique ſubdelegare alicui ſacerdoti cauſam aliquam in particulari nempe aſſiſtendi tali, vel tali matrimonio, non autem vniuerſitatem cauſarum quoad matrimonia celebranda in tali parochia *Sanchez d.lib.3 de matrimon. diſp. 31. num. 3., & 15.*, quinimmo nec in cauſa particulari cum facultate ſubdelegandi in tali cauſa. Quod ſi dixeris ex ſuperius dictis delegatum ad vniuerſitatem cauſarum computari, vt ordinarium, adeoque ſicut ordinarius poteſt vniuerſitatem cauſarum alteri committere, & cum facultate ſubdelegandi, ita, & delegatus ad vniuerſitatem cauſarum poſſit &c.; ſtatim impugnaberis, quia in primis falſum omnino eſt ordinarium, ſi ſit ſubordinatus, poſſit vniuerſitatem cauſarum inconſulto eo, cui ſubordinatur, delegare per textum *in l penult. cum ibi notat. ff. de officio Præſidis Alexander l. à Iudice num. 8. C. de iudicijs Felinus c. ſuper queſtionum §. ſi verò nu. 17. de offic. delegat.*, & ſic non poterit Parochus incōſulto Epiſcopo vices ſuas alteri in vniuerſum demandare; ſed an ſaltem poſſit ad

**6**
**Non tamen ad vniuerſitatem cauſarum, nec facultatem tribuere ſubdelegandi.**

breue

Digitized by Google

breue tempus hanc vniuerſitatem cauſarum committere ex graui cauſa puta abſentiæ communiter concedunt, hocque tempus rêſtrigunt ad ſpacium trium hæbdomadarum per textum *in cap. ſi quis in clero 7. quæſt. 1. & ibi Abbas, & Immola.*

Non intelligitur de Vicecurato conducto.

Limitarem tamen prædicta in ordine ad Vicecuratum aſſumptum à Parocho cauſa adiutorij, & quodamodo ab eodem parocho conductum ipſo parocho præſente, & exiſtente, quia tunc hanc facultatem ſubdelegandi eidem non concederem *Henriquez lib. 6. de pænit. cap. 7. num. 3. in comment. lit. N. Nauarrus cap. placuit num. 69. de pænit. diſt. 6.* Ratio limitationis ea eſt, quia in eo caſu non ſupponitur parochus committere vices ſuas, ſed tantum illum Vicecuratum conducere quoad ſuam perſonam ad miniſteria ſacramentorum.

---

## PRÆNOTIO XXVII.

### Quinàm veniant nomine Ordinarij, qui poſſit aſſiſtere, vel dare facultatem ſacerdoti aſſiſtendi.

### SVMMARIVM.

*Archiepiſcopus non poteſt immediatè aſſiſtere matrimonijs quoad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, ſed tantum in cauſa appellationis, & actu viſitationis Epiſcopatuum.* 1.

*Archiepiſcopus in ſecunda cognitione cognita cauſa, & prolata ſententia non poteſt aſſiſtere, nec facultatem aſſiſtendi concedere, niſi ſententia tranſierit in rem iudicatam.* 2.

*Legati, ſeu Nuntij in prouincia ſuæ legationis poſſunt aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi dare.* 3.

*Et quidem immediatè, nec ſolum quando per viam appellationis ad ipſos cauſa deuoluta eſt.* 4.

*Prælati inferiores Epiſcopis habentes territorium priuatiuè quoad Epiſcopos poſſunt validè aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi concedere.* 5.

*Et quidem, quamvis nec ſint ſacerdotes, nec Diaconi.* 6.

*Non ſolum Abbates titulares, ſed etiam commendatarij poſſunt aſſiſtere, ſi habeant Diœceſim priuatiue.* 7.

*Vicarij Generales Epiſcoporum, aliorumque habentium Diœceſim poſſunt aſſiſtere, & licentiam dare.* 8.

*Epiſcopus poſt electum vicarium non poteſt eodem ſtato manente ab ipſo auferre poteſtatem aſſiſtendi.* 9.

*Vicarius Generalis, quamuis non ſacerdos poteſt aſſiſtere, & facultatem dare.* 10.

*Vicarius Capitularis ſede vacante validè aſſiſtit, & facultatem dat aſſiſtendi. num.* 11.

*Archipresbiter Catedralis, & Archidiaconus hic, & nunc non validè poſſunt aſſiſtere.* 12.

*Cardinales in Eccleſijs ſui tituli validè aſſiſtunt.* 13.

*Vicarij Foranei, quà tales ſunt non validè aſſiſtunt.* 14.

*Magiſter ſcolæ Salmantinæ poteſt aſſiſtere matrimonijs ſuorum ſcolaſticorum, ſi habeat iuriſdictionem ſpiritualem, ſecus ſi merè temporalem.* 15.

QVamuis ordinarij nomine regulariter veniant Epiſcopi habentes ordinariam iuriſdictionem in aliqua Diœceſi, & præeminentiam cuicunque Parocho in ea; nihilominus quantum ad effectum aſſiſtendi valide matrimonijs, & concedendi facultatem alijs aſſiſtendi de pluribus alijs poteſt eſſe controuerſia, an comprehendantur ſub nomine ordinarij; & primò de Archiepiſcopis, non quidem in ordine ad ſuos ſubditos immediatos, in ordine ad quos certum eſt poſſe aſſiſtere, & alteri facultatem dare aſſiſtendi, cum in ordine ad iſtos ſit Epiſcopus cum præminentia, ſed in ordine ad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum. Secundò, an legatus Pontificis in tota ſuæ legationis prouincia; Tertiò, an Prælati Epiſcopis minores habentes ſuum territorium, & quodamodo Diœceſim. Quartò, an Vicarius Generalis Epiſcopi, ſiue ipſo præſente, ſiue abſente. Quintò, an capitulum ſede vacante. Sextò, an Archipresbiter Cathedralis, & ArchiDiaconus. Septimò, an Cardinales in Eccleſijs ſui tituli. Octauò, an Vicarij Foranei. Nonò, an Magiſter, ſeu Rector ſcolæ Salmatinæ reſpectu ſuorum ſcolaſticorum.

Articuli examinandi circa titulum.

1 Archiepiſcopus nō poteſt immediatè aſſiſtere, nec facultatem concedere aſſiſtendi quoad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, niſi in cauſa appellationis, & viſitationis.

Aſſertio I. Archiepiſcopus immediatè non poteſt aſſiſtere, nec concedere facultatem alteri aſſiſtendi matrimonijs ſubditorum ſuorum ſuffraganeorum, bene tamen in cauſa appellationis, & in actu viſitationis Epiſcopatuum ſuorum ſuffraganeorum. Ita quoad primam partem *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 4. num. 4. Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 45. art. 5. punct. 3. paulo ante dubium 4. Spino ſpecul. teſtament. gloſ. 15. num. 39., & ſeqq. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contractu cap. 4. num. 51.* Quoad ſecundam *idem Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num. 52. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 28. num. 3., & ſeqq. Franciſcus Molinus lib. 2. de ritu nupt. diſſ. 11. num. 86. Bonacina de matrimon. qu. 2. punct. 8. num. 15.* Quoad tertiam *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num. 54. Auguſtin.*

Barbo-

Digitized by Google

*Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg.* 32. *num.* 125.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Archiepiſcopus quoad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum non eſt propriè, & in rigore ordinarius, nam præeminentiam, & ſuperioritatem, quam habet in Epiſcopos ſuffraganeos, eorumque ſubditos eſt tantum quoad cauſas ad ipſum deuolutas per viam appellationis, ergo immediatè non poterit aſſiſtere matrimonijs per eoſdem ſubditos ſuffraganeorum ineundis, nec facultatem poterit alteri concedere ipſis aſſiſtendi, quandoquidem ipſum *Concil. Trident. in d. ſeſſ.* 24. *cap* 1. *de reform. matrimon.* reſtrixit hanc facultatem parochis proprijs eorundem contrahentium, ſeù ordinarijs ipſorum; Neque aduerſari poteſt gloſa *in cap. per ſingulas verbo totius* 9. *qu.* 3., quæ Archiepiſcopis tribuit iuriſdictionem ordinariam totius prouinciæ; vnde, ſi actu regulariter ea non exerceant, hoc eſt, vel ex quadam æquitate, vt ſeruetur ordo in iudicijs, vel quia non ablata eſt iuriſdictio, ſed tantum vſus alligatus reſpectu Diœceſis ſuffraganeorum; vſus autem alligatus non obſtat validitati, ſed ad ſummum nota afficit applicantem talem vſum, vt videre eſt in Parocho excommunicato, vel ſuſpenſo. Non, inquam, aduerſari poteſt, quia præallegata Gloſa intelligenda eſt dumtaxat quoad ſecundas cognitiones in cauſis hoc eſt, quando ad eoſdem Archiepiſcopos per ſubditos ſuffraganeorum fit appellatio; vnde antecedenter ad talem appellationem non eſt ſimpliciter in Archiepiſcopo vſus alligatus, ſed abſolute defectus iuriſdictionis, quæ tantum tunc conſurgit, quando appellatio introducitur.

Archiepiſcopus quo ad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum nō eſt ordinarius.

Ratio ſecundæ partis ex eo euincitur, quià Archiepiſcopus nemine diſceptante in cauſis ad ſe appellabilibus à ſuis ſuffraganeis poſita appellatione eſt Iudex ordinarius per textum *in c. paſtoralis in princip. verb. exceptis de offic. ordinar.*, ergò non erit, cur ipſe cognita cauſa non poſsit aſsiſtere, vel alteri facultatem aſsiſtendi concedere. Dixi, *cauſa cognita*; cum etenim Archiepiſcopus non habeat iuriſdictionem, niſi poſt appellationem, & appellatio exigat cognitionem cauſæ; vt retractetur præcedens iudicium, à quo fuit appellatum, vtique contrà priorem ſententiam non poteſt aſsiſtere, nec facultatem alteri concedere aſſiſtendi, niſi cauſam cognouerit, vt diſcernat, an bene, vel male fuerit iudicatum.

1 In cauſa appellationis debet aſſiſtere, vel licentiam dare cognita cauſa.

Hic diſputant *DD.*, an Archiepiſcopus poſt cognitam cauſam, & prolatam ſententiam reuocatoriam prioris Epiſcopi ſui ſuffraganei poſsit immediatè aſsiſtere, ſeu facultatem alteri concedere aſsiſtendi huiuſmodi matrimonijs per ſubditos ſuorum ſuffraganeorum ineundis. Videtur abſolutè dicendum, poſse immediatè aſsiſtere, vel talem facultatem aſsiſtendi concedere, quandòquidem, ſi proprius Epiſcopus, vel ipſe Archiepiſcopus quoad ſuos ſubditos immediatos lite iam excitata decreuerit aliquos matrimonio coniungere, & pars aduerſa ad metropolitanum prouocauerit, vel ad alium habentem ſuperiorem auctoritatem, & iuriſdictionem, & nihilominus idem Epiſcopus, ſeu Archiepiſcopus non attenta appellatione eos coniunxerit, tenet, & validum eſt matrimonium ſic contractum, vt latè docent *Sanchez lib.* 3. *de matrimon. diſp.* 28. *nu.* 4. *verſ. aliud tamen dicendum eſſet*, *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.* 4. *n.* 53. *Gutierez de matrimon. c.* 66. *n.* 2., ergò etiam, ſi Archiepiſcopus poſt deuolutam ad ſe cauſam ſubditorum ſuorum ſuffraganeorum, eandemque plenè cognitam iudicauerit per ſententiam definitiuam eos poſse coniungi, vtique poterit immediatè aſsiſtere, ſeù facultatem alteri concedere aſsiſtendi; quandòquidem poſt appellationem, & cauſæ cognitionem ipſe eſt Iudex ordinarius. Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo, non poſse tunc Archiepiſcopum aſsiſtere, ſeù talem facultatem concedere, niſi ſententia per ipſum prolata tranſierit in rem iudicatam, vel quatenus partes inter ſe diſsidentes illam voluntariè acceptarint, vel quatenus elapſum fuerit decennium à die promulgationis eiuſdem. In hanc ſententiam propendent *Boſſius*, *Sanchez*, & *Gutierez ſupràcitati*. Ratio ex eo deducitur, quià pendente appellationis termino ſententia ſuum effectum non ſortitur, donec tranſeat in rem iudicatā per textum *in c. non ſolum de appellat. in* 6. & *l.* 1. *ff. nil nou. appel. pend.*; non tranſit autem in rem iudicatam, niſi partes aſſentiantur eidem ſententiæ, vel elapſum ſit decennium à die publicationis eiuſdem, intrà quod pars aduerſa poteſt appellare per textum *in c. concertationi*, & *c. non ſolum de appellat. in* 6., & *cap. cum dilectus in fin. de elect.* & *c. ſignificauerunt de teſtib.* Ad illud, quod ponitur tanquam aſsumptum pro parte aduerſa de Epiſcopo, vel Archiepiſcopo coniungente ſuos ſubditos immediatos etiam poſt appellationem à propria ſententia, diſparitatem aſsignant prællegati *DD.* ſitam in eo, quod Epiſcopus in ſua *Diœceſi*, & Archiepiſcopus in ſua per illam appellationem non deſinit eſſe Paſtor, & Ordinarius in ordine ad illos ſic contrahere volentes, nam licet per appellationem ſuſpendatur ipſius iuriſdictio ex vulgatis iuribus, cum tamen ad aſsiſtendum matrimonio non requiratur iuriſdictio, ſed ſolum aſsiſtentia auctoritatiua, & per modum teſtis legitimi, & hęc adhuc

2 Archiepiſcopus cognita cauſa, & prolata ſententia non poteſt aſſiſtere.

Niſi ſententia tranſierit in rem iudicatam.

Diſpar ratio de Epiſcopo aſſiſtente poſt appellationem.

maneat

Digitized by Google

maneat, cum adhuc ſit Paſtor, & ordinarius, vtique habet, quidquid requiritur ad validè contrahendum; quod non militat reſpectu Iudicis appellationis, quandòquidem ipſe non eſt Paſtor, nec ordinarius reſpectu ſubditorum ſuorum ſuffraganeorum, ſed tantum iuriſdictionem ſortitur virtute appellationis ad ipſum, à quo deinde, ſeù melius ab eius ſententia, ſi verè appelletur, cum auferatur iuriſdictio, deſinit eſſe ordinarius, & propterea non poteſt amplius aſſiſtere, nec facultatem concedere aſſiſtendi.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia pro tempore, quo Archiepiſcopus viſitat Diæceſim ſui ſuffraganei eſt ordinarius reſpectu eiuſdem Diæceſis, prout latè probat *Suarez de pænit. diſp. 25. ſec. 1. num. 14.* & ratio ex eo deducitur, quia Archiepiſcopo competit ratione ſui muneris viſitare dictos ſuffraganeorum Epiſcopatus, & Diæceſes, ergo, ſi eſt ratione proprij muneris, erit talis facultas ipſi ordinaria: ergo etiam erit ordinaria facultas quoad ea, quæ ſunt eidem viſitationi annexa. Vide quoad hoc *Ioannem Angelum Boſſium in tractatu de Triplici Iubil. priuileg. ſec. 1. caſ. 10. §. 10. nu. 13.*

In actu viſitationis eſt ordinarius.

3 Legati, ſeù nuntij in Prouincia ſuæ legationis poſſunt matrimonijs aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi dare.

Aſſertio II. Legati, ſeù Nuntij in prouincia ſuæ legationis poſſunt matrimonijs aſſiſtere, & alteri facultatem concedere aſſiſtendi *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 3. n. 4. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 28. num. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. nu. 60. Gutierrez de matrimon. c. 66. n. 5., & 13. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. allegat. 32. num. 213. Baſilius Pontius lib. 5. c. 10. nu. 4.*

Ratio ex eo deducitur, quia id poteſt Nuntius, ſeù legatus in ſua Prouincia, quod poteſt Epiſcopus in ſua Diæceſi *Speculator tit. de diſpenſat. §. conſequenter aliqua n. 41., & tit. de legat. §. nunc oſtendendum eſt n. 54. Ancharanus c. fin. de tranſact. n. 1. Ancharanus c. fin. de tranſact. nu. 1. Abbas c. 1. de offic. legat. n. 1. Roſella verb. Legatus n. 4. Molina tom. 1. de iuſt., & iur. tract. 2. diſp. 173.* ergò, ſi Epiſcopus quoad ſubditos ſuæ Diæceſis poteſt aſſiſtere, & facultatem concedere aſſiſtendi, poterit, & Legatus, & nuntius in prouincia ſuæ legationis, ſeù nuntiaturæ per Rom. Pontif. ſibi commiſſa. Accedit, quod omnes legati à Pontifice conſtituti, vt præſint alicui Prouinciæ ſunt ordinarij in eadem *Gloſa in c. 2. de officio legat., & ibi Francus in initio.*

Hic ſolum remanet difficultas in explicando, an huiuſmodi iuriſdictio quoad legatos, & nuncios in Prouincia ſibi demandata ſit immediata, adeo vt poſſint aſſiſtere, vel licentiam dare aſſiſtendi in conſulto Epiſcopo loci, in quo reſident; vel ſaltem iuriſdictionem exercent, an vero mediata dumtaxat, quando ſcilicet ad eoſdem deuoluta fuerit cauſa per viam appellationis eo modo, quo ſupra dictum fuit de Archiepiſcopis quoad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum. Videtur abſoluto dicendum, eſſe dumtaxat mediatam; cæteroqui nimis facile confunderetur ordo Eccleſiaſticus, & iuriſdictio Epiſcoporum in ſua diæceſi læderetur. Nihilominus ſentiendum exiſtimo, præcipuè in ijs, quæ iuriſdictionis voluntariæ ſunt, poſſe huiuſmodi legatos aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi concedere, quia in ſua Prouincia ordinarij ſunt per textum *in c. 2. de officio legat. in 6.*, tum quia legati dicuntur proprij ſacerdotes in miniſterio ſacramentorum reſpectu eorum, qui ſubſtant prouinciæ ſibi demandatæ per textum *in c. omnis vtriuſque ſexus de pænit., & remiſ., & ibi Hoſtienſis ſuper verb. à proprio Sacerdote. Ancharanus Clem. Dudum de ſepult. §. ſtatuimus q. 5. dub. 3. verſ. ſed de illis Nauarrus c. placuit de pænit. diſt. 6. num. 62. verſ. infertur 3. Anton. Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 4. nu. 168.*

4 Et quidem immediatè nec ſolum in ſecunda inſtantia.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur de perturbatione ordinis Eccleſiaſtici, & de læſione iuriſdictionis Epiſcoporum; Non, inquam, obeſſe poſſunt; quia in primis quoad ea, quæ iuriſdictionis merè voluntariæ ſunt non poteſt ſequi ordinis Eccleſiaſtici confuſio per ea, quæ ſuperius dicta ſunt ſuppoſita auctoritate in aſſiſtente, ſeu concedente facultatem aſſiſtendi. Deindè non poteſt eſſe confuſio, vbi ex diſpoſitione iuris adeſt legitima auctoritas, & ſuperior: nec in hoc currit paritas cum Archiepiſcopis, quandoquidem iſti non habent auctoritatem ordinariam, niſi in caſu appellationis, vt ſupra dictum eſt.

Aſſertio III. Prælati inferiores Epiſcopis, cuiuſmodi ſunt Abbates habentes ſuũ territorium, ſeu quaſi Diæceſim priuatiuè quoad Epiſcopus poſſunt validè aſſiſtere matrimonijs ſuorum ſubditorum, & alijs facultatem aſſiſtendi largiri *Felinus c. poſt ceſſionem 7. in princip. de probat. Franch. in c. 3. in 4. notabil. n. 3. de offic. ord. in 6. Stephanus Gratianus tom. 2. diſcept. forenſ. c. 212. per totum Nauarrus conſil. lib. 4. tit. de ſponſalib. conſ. 5. in prima edit., & conſ. 2. de clandeſtin. deſponſ. in 2. edit. Baſilius Pontius lib. 5. c. 10. num. 5. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 4. num. 55.*

5 Prælati inferiores Epiſcopis habentes territoriũ priuatiuè poſſunt aſſiſtere.

Ratio ex eo deducitur, quia facultas aſſiſtendi, vel delegandi ad aſſiſtendum non eſt facultas ordinis Epiſcopalis, ſed ſolummodo iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſuper ſubditos: ergo prælati inferiores Epiſcopis habentes iuriſdictionem in territorio in ſpiritualibus priuatiuè quoad Epiſcopos, poterunt validè aſſiſtere, & facultatem alijs aſſiſtendi concedere. Confirmatur, quia huiuſmodi Prælati habentes iuriſdictionem in populos priuatiuè ad

Facultas aſſiſtendi nõ eſt facultas ordinis Epiſcopalis.

Epiſcopos ſunt proprie ordinarij, & in materia adaptabili veniunt etiam nomine Epiſcoporum *Ioannes Angelus Boſſius tract. de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 1. caſ. 10. §. 10. num. 111., & ſect. 3. caſu 2. §. 3. num. 62. Felin. in d. c. poſt ceſſionem de probat.* ergo &c.

Dubia duo diſcutienda.

Hic duplex oritur difficultas. Prima an huiuſmodi Prælati inferiores Epiſcopis habentes territoriū, & quaſi *Diæceſim* priuatiue quoad Epiſcopos poſſint aſſiſtere, & dare facultatem aſſiſtendi, quantumuis non fuerint Sacerdotes, nec *Diaconi*, ſed ſolummodo in minoribus conſtituti. Secunda, an ea, quæ dicuntur de huiuſmodi Prælatis inferioribus Epiſcopis intelligenda ſint dumtaxat de titularibus, an vero etiam de commendatarijs.

6 Et quidem quãtumvis nec ſupra ſcripti Sacerdotes, nec Diaconi ſint.

Ad primam reſpondendum eſt affirmatiue, quantumvis, nec ſint Sacerdotes, nec *Diaconi*. Ratio ex eo deducitur, quia ad huiuſmodi munus ex genere ſuo non requiritur poteſtas ordinis, ſed ad ſummum iuriſdictionis, quæ vtique reſidet in huiuſmodi prælatis inferioribus Epiſcopo, ergo &c. Accedit, quod communiter docent tam Theologi, quam Canoniſtæ, vt mox etiam nos aſſeremus, quod Cardinales in Eccleſijs ſui tituli valide poſſunt aſſiſtere, & facultatem concedere aſſiſtendi, quantumuis, nec ſint Sacerdotes, nec *Diaconi*, ergo, quia ad huiuſmodi munus non requiritur poteſtas ordinis; Neque dicas *Concilium Tridentinum in d. ſeſſ. 24. c. 1. de reformat. matrimon.* requirere Parochum, *vel alium Sacerdotem de ipſius, vel ordinarij licentia*, ergo cum requiratur alius ſacerdos, vtique ſupponitur requiri ordo ſacerdotalis; contra enim impugnaberis, quia Concilium Tridentinum ſolum requirit talem poteſtatem ordinis in delegato, in quo, cum ſecundum ſe nulla ſit poteſtas, concilium voluit ad maiorem idoneitatem tanquam conditionem ſubſtantialiter requiſitam poteſtatem ordinis, non quia ſecundum hanc concurrat ad tale munus exercendum, ſed quia, quando non concurrit Parochus ipſe, voluit hanc qualitatem, vt quantum fieri poſſit concurrat perſona dignior, & magis publica; Cæterum Concilium in ordine ad Ordinarium nihil præſcripſit, nec hanc qualitatem ſacerdotij, vel *Diaconatus* requiſiuit. Quod ſi vlterius inſtas, quod communiter aſſerant Parochum, qui eſt ordinarius, debere eſſe ſaltem *Diaconum*, adeoque ad hoc munus requiratur ſaltem ordo *Diaconatus* in aſſiſtente; Si, inquam, ſic inſtes, adhuc impugnaberis, quia non ideo requiritur talis ordo in Parocho, vt poſſit aſſiſtere, ſed quia regulariter non poteſt eſſe Parochus, quin fuerit *Diaconus*; cæterum ſi poſſet inſtitui, antequam eſſet *Diaconus*, non video cur non poſſet aſſiſtere, ſeu facultatem aſſiſtendi concedere.

Cardinales in Eccleſijs ſui tituli aſſiſtunt quãvis nõ ſint ſacerdotes, nec Diaconi.

Quomodo differat Abbas titularis, & commendatarius.

Ad ſecundam, antequam directè reſpõdeam, præmitto Abbatem titularem quatenus attinet ad præſens inſtitutum, eum intelligi, qui habet propriè titulum, & poteſtatem ſupremam in tali territorio, ſeu quaſi *Diæceſi*: commendatarium vero, cui perpetuo commendata eſt iuriſdictio in tali territorio, vel *Diæceſi*. His ſic præmiſſis probabilius ſentio nedum Abbates titulares poſſe aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi alijs concedere, ſed etiam commendatarios *Nauarrus conſil. lib. 4. tit. de ſponſalib. conſ. 5. Franciſcus Molinus de ritu nupt. differ. 11. num. 59. Auguſtinus Barboſa in remiſ. ad c. 1. ſeſſ. 24. num. 23. Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 4. num. 56.* Ratio ex eo deducitur, quia Abbas commendatarius ordinarius dicitur per textum *in c. ordinarij de offic. ordin. in 6., & ibi Gloſa*; Concilium autem Trident. talem facultatem aſſiſtendi, & delegandi tribuit ordinarijs indefinite, tum quia Abbas commendatarius Abbatiæ habentis iura Epiſcopalia poteſt, quidquid poteſt titularis ratione dignitatis *Panormitan. in c. querelam de elect.* ſolum multum negotij aduerſus hanc aſſertionem faceſſere poteſt declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trident. interpretum relata à *Bellarmino ad d. c. 1. ſeſſ. 24. Concil. Trident.* in hæc verba. *Non permittitur, hæc facultas commendatario, licet eius Abbatia iura Epiſcopalia habeat, cuius Abbas appellatione ordinarij venit iuxtà Gloſam in c fin. de offic. ordin. in 6.* De hac declaratione multum dubitat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, vnde ſi de ea authenticè conſtabit, & non fuerit reuocata, ab eadem recedendum non eſt, ſed potius ab ijs, quæ in noſtra reſponſione diximus.

7 Non ſolum titulares, ſed etiam commendatarij poſſũt aſſiſtere.

Aſſertio IV. Vicarij Generales Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum inferiorum Epiſcopis habentium iuriſdictionem Epiſcopalem ex vi ſuæ inſtitutionis in Vicarios poſſunt, & valide aſſiſtere matrimonijs ſubditorum eiuſdem Epiſcopis, & Prælatis, & facultatem alijs aſſiſtendi concedere *Stephanus Gratianus tom. 1. diſcept. forenſ. cap. 83. num. 11., & ſeqq. Flamminius Pariſius de reſig. lib. 3. quæſt. 11. num. 19. Gutierez de matrim. cap. 66. num. 12., & ſeqq. Auguſtin. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 117., & ſeqq. Laiman lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 5. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 11. num. 11. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 63., & tractat. de trip. Iubilei priuil. ſect. 3. caſ. 2. §. 3. num. 60.*

8 Vicarij generales Epiſcoporũ, aliorumq; habentium Diæceſim poſſunt aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi concedere.

Ratio ex eo deducitur primò. Quia Vicarius generalis eo ipſo, quo electus eſt,

eſt, & inſtitutus in Vicarium generalem Epiſcopi eſt propriè ordinarius in tota Diœceſi eiuſdem Epiſcopi, quandoquidem ordinarius eſt, qui habet iuriſdictionem ordinariam, & iuriſdictio ordinaria eſt, quæ vel lege, vel canone conceditur per textum *in l. 1. & l. & quia ff. de iuriſdict. omnium Iud. l. 2. C. de offic. eius, qui vicem alterius gerit cap. à Iudicibus §. 2. qu. 6.*

Vicarius habet iuriſdictionem ordinariam.

Vicarius autem generalis eo ipſo, quo ab Epiſcopo electus eſt habet iuriſdictionem à canone, non ab Epiſcopo eligente per textum *in cap. licet, & ibi Gloſa, & ſcribentes communiter de offic. vicarij in 6.* vnde Epiſcopus mediat ſolummodo quoad nominationem, & electionem, non verò quoad collationem iuriſdictionis, quæ immediatè prouenit à iure. Accedit primò, quia eadem eſt Epiſcopi, & eius Vicarij poteſtas, & idem amborum tribunal per textum *in cap. 2. de conſuetud. in 6., & cap. Romana in princip. de appellat. item in 6.*, vnde bene dicitur, quod à Vicario Epiſcopi non datur ad eundem Epiſcopum appellatio.

Et idem Tribunal cum Epiſcopo.

Accedit ſecundò, quod Vicarius Generalis abſque ſpeciali mandato expedit, & exercet, quæ ad Epiſcopi iuriſdictionem ordinariam ſpectant *Gloſa in d. cap. licet verb. officialem de offic. vicar. in 6.* per textum *in d. l. 2. C. de offic. eius, qui alterius vicem gerit*, ergo vt potè ordinarius poterit aſſiſtere matrimonijs, & facultatem eiſdem aſſiſtendi concedere.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò iuriſdictionem Vicarij generalis eo ipſo ceſſare, quo Epiſcopus, qui eundem elegit, moritur *arg. textus in cap. 2. de conſuetud. in 6.* ergo non eſt ordinaria, ſed tantum delegata. Conſequentia probatur, quia iuriſdictio ordinaria non deſinit mortuo concedente per textum *in cap. relatum & c. licet vndique de offic. deleg.* Non, inquam, obeſſe poteſt; quia iuriſdictio ordinaria eſt quaſi in duplici differentia: altera abſoluta, & ſimplex, & non cohærens alteri; altera acceſſoria, & alteri quodamodo cohærens; cuiuſmodi eſt illa Vicarij generalis, quæ quodamodo vna eſt cum illa Epiſcopi, vnde quidquid præſtat Vicarius, intelligitur Epiſcopus præſtare. De prima verificatur, quod non perimatur per mortem concedentis, non ſic de ſecunda.

Iuriſdictio ordinaria duplex altera ſimplex, altera cohærens.

Neque ſecundò obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Vicarius Epiſcopi eius ſolummodo vices gerat per textum *in cap. Romana in initio de appellat. in 6.* ergo non eſt ordinarius. Conſequentia probatur, quia in hoc diſtat ordinarius à delegato, quod ordinarius propria iuriſdictione vtitur, delegatus verò cum propria iuriſdictione careat vice fungitur delegantis per textum *in l. 1. §. qui mandatam ff. de offic. eius.* Non, inquam, obeſse poteſt, quia ad ſummum hoc verificatur, quando ille, qui vices gerit alterius eaſdem exercet in diuerſo tribunali, ſecus quando in eodem, quatenus conſtituit vnum, & idem tribunal cum eo, cuius vices gerit.

Gerit vices in eodem tribunali.

Neque tertiò obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſicuti idem dominium non poteſt apud duos in ſolidum conſiſtere per textum *in l. ſic vt certo §. ſi duobus vehiculum ff. commodati*, ita nec eadem iuriſdictio ordinaria poſſit conſiſtere apud Epiſcopum, & eius Vicarium ſimul. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia inprimis hac ratione, neque iuriſdictio ordinaria conſiſtere poſſet in Epiſcopo ſimul, & nuntio Apoſtolico contra ſuperius dicta. Deinde quamvis reſpectu Vicarij generalis, & reſpectu eiuſdem Epiſcopi ſit eadem poteſtas, & iuriſdictio ordinaria, non tamen eodem modo, & æquè principaliler reſidet in vtroque, ſed in Epiſcopo principaliter ratione propriæ dignitatis, in Vicario minus principaliter, & quaſi acceſſoriè ratione electionis. Tandem, quia non repugnat, quin eadem res pro indiuiſo à duobus poſſideatur, vt eſt in confeſſo apud omnes.

Diuerſo modo reſidet in Epiſcopo, & Vicario, & quomodo.

Ratio ſecundò ex eo poteſt deduci, quia *Concilium Trident. d. cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* non excludit Vicarium, quando mentionem facit de ordinario, ergo in eodem Concil. Tridentino comprehenditur nomine ordinarij in ordine ad hoc munus aſſiſtendi matrimonijs ſubditorum eiuſdem ordinarij, & concedendo &c. Conſequentia probatur, quia, quando Concil. ius reſtringit ad ſolum Epiſcopum priuatiuè quoad eius Vicarium id expreſsè declarat, prout fecit *cap. 6. ſeſſ. 24. de reformat.* ergo, cum expreſsè non excluſerit Vicarium, videtur eum comprehendiſſe ſub nomine ordinarij. Accedit, quod ita ſæpius declarauit Sacra Congregatio Cardinal. Concil. Trident. interpretum apud *Bellarminum ad d. cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrimon. in declarat.* à quo propterea, & in conſulendo, & in iudicando non eſt recedendum.

Ex his, quæ dicta ſunt de Vicario generali Epiſcopi inferre licet idem ſentiendum eſſe de vicarijs generalibus aliorum prælatorum habentium iuriſdictionem Epiſcopalem, nam & ipſi conſtituunt idem Tribunal cum ſuis Prælatis, & iuriſdictionem ſuppoſita electione accipiunt à canone, nec in hoc à iure ſecernuntur à Vicarijs generalibus Epiſcoporum, *Nauarrus conſ. 47. tit. de ſponſalib. in prima edit. Gutierez de matrimon. c. 66. n. 15., & c. 68. num. 10. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. nu. 66. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 29. n. 19.*

Idem intellige de Vicarijs aliorum prælatorum habentium Diœceſim.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt,

M 2

Dubia examinanda.

eſt, an Epiſcopus poſt electionem Vicarij Generalis poſſit ſibi reſeruare facultatem aſſiſtendi matrimonijs, & ius delegandi excludendo eundem Vicarium Generalem à tali iure. Secunda, an in ordine ad hoc munus aſſiſtendi vicarius Generalis electus debeat eſse ſacerdos.

9 Epiſcopus poſt electionem Vicarij nó poteſt eodem rato manente ab eodem auferre poteſtaté aſſiſtendi.

Ad primam veriſimilius eſt, Epiſcopum non poſse poſt electum aliquem ſibi in Vicarium Generalem, eius poteſtatem diminuere ſibi reſeruando ius aſſiſtendi matrimonijs, & dandi alijs facultatem rato remanente eodem vicario. Colligitur ex ijs, quæ ſuprà dicta ſunt; nam iuriſdictio Vicarij ſuppoſita electione facta per Epiſcopum non eſt ab eodem Epiſcopo, ſed à iure, ſeù à canone per textum *in d. cap. licet, & ibi omnes ſcribentes de officio Vicar. in 6.* ergo ſibi illam iuriſdictionem non poteſt Epiſcopus reſeruare priuatiuè quoad Vicarium Generalem ſuppoſita illius electione. Confirmatur, quia ſuppoſita electione curati non poteſt Epiſcopus eidem poteſtatem auferre validè aſſiſtendi, vt ſupra innuimus, & latiuś infra probabimus, ergo ſuppoſita etiam electione Vicarij Generalis non poterit Epiſcopus eidem auferre poteſtatem, quia in vtroque poteſtas eſt ordinaria: nec obeſt, quod in Parocho poteſtas talis ex vi proprij muneris ſit perpetua, & ſine cauſa irreuocabilis; in Vicario autem Generali ſit temporalis, & ad nutum remouibilis; Non obeſt, inquam, quia quouſque Vicarius in ſuo munere perſeuerat, gaudet tali poteſtate, ſicuti gaudet in ſuo munere Parochus, & quod vnus ſit amouibilis, alter non, parum refert ad præſens inſtitutum, nam ſolum dicitur, quod poteſtàs illa non poſſit diminui in Vicario, quoties in officio perſeuerat, & ideo dixi, *rato manente Vicario*. Neque obſtat, ſi dicatur, quod Epiſcopus ſit principalis in tali poteſtate, & Vicarius ab illo dependens, adeoque, quod Epiſcopus poteſt talem poteſtatem ſibi reſeruare, vel in toto, vel in parte; Non obſtat, inquam, quia Vicarius eſt quidem dependens ab Epiſcopo quoad electionem in officio, & perſeuerantiam in eodem, non autem quoad poteſtatem ex tali officio emanantem ſuppoſita tali electione, cum illa proueniat à iure, ſeù à canone.

Soluuntur oppoſita.

10 Vicarius Generalis quamuis non ſacerdos poteſt aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi concedere.

Ad ſecundam dicendum eſt Vicarium Generalem, quantumvis non ſacerdotem ſuppoſita electione poſſe aſſiſtere, & facultatem concedere aſſiſtendi *Auguſtinus Barboſa de Poteſt. Epiſcop. alleg. 32. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 11. num. 11. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 67. Nauarrus ſibi ipſi contrarius conſ. 30. tit. de ſponſalib. in prima edit. & conſ. 9. tit. de clandeſt. deſponſat.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, nempe non requiri ad hoc munus poteſtatem ordinis, ſed ſolum iuriſdictionem, vnde etiam quoad Parochum non ſacerdotem declarauit Sacra Cardin. Concil. Trident. interpretum Congregatio apud Bellarminum ad *d. c. 1. ſeſſ. 24. Concil. Trident.* in declarationibus vltima declaratione, vnde probabile non eſt, quod eadem Sacra Congregatio contrarium definierit in alia declaratione, quem refert Nauarrus.

11 Vicarius capitularis ſede vacante poteſt aſſiſtere, & facultatem dare.

Aſſertio V. Capitulum, ſeù eius Vicarius ſede vacante poteſt validè aſſiſtere matrimonijs ſubditorum in illa Diœceſi, in qua eſt Vicarius, & facultatem concedere alijs aſſiſtendi *Gutierez de matrimon. cap. 66. num. 5., & 13. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 213., & in remiſſionib. ad d. cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon. num. 40. Coninchus diſp. 27. num. 17. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 10. num. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 59.*

Ratio ex eo deducitur, quia capitulum, ſeù eius Vicarius ſede vacante ſuccedit in omnibus iùribus ordinarijs, quæ competunt Epiſcopo, ergo ſicuti Epiſcopus viuens poteſt talem facultatem concedere aſſiſtendi, poterit & idem capitulum eodem defuncto, ſeù eius Vicarius ſede vacante. Antecedens latè probat *Ioannes Angelus Boſſius de triplici Iubilai priuilegio ſect. 1. caſ. 10. §. 10. num. 207., & ſeqq.* & colligitur *ex cap. his, quæ ad fin. & cap. cum olim in fin. de maior. & obedient. & ibi omnes ſcribentes.*

12 Archipreſbiter cathedralis, & ArchiDiaconus núc non poſſunt.

Aſſertio VI. Archipræsbiter Catedralis, & ArchiDiaconus hic, & nunc non poſſunt validè aſſiſtere matrimonijs, nec facultatem concedere *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 4. num. 75. & in tract. de tripl. Iubilæi priuileg. ſect. 3. caſ. 2. §. 4. num. 122. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 12., & cap. 28. num. 4. Franciſcus Zipæus lib. 4. tit. de ſponſalib. num. 11.*, & alij plures.

Ratio ex eo deducitur, quia quantumvis olim Archipræsbiter haberetur tanquam Parochus totius Diœceſis, & tanquam Vicarius Epiſcopi per textum *in cap. officium de offic. ArchiPræsbiteri*, & Archidiacono ſimilis poteſtas tribueretur, vt *in toto tit. de offic. ArchiDiaconi* hodie tamen huiuſmodi poteſtas abſolutè receſſit ab Aula, vt docet *Ioannes Angelus Boſſius de triplici Iubilæi priuileg. ſect. 3. caſ. 2. §. 4. num 122.* quandoquidem hodie Epiſcopi conſuetudine legitimè præſcripta independenter ab eiſdem Vicarios ſibi alios libere aſſumunt; vnde in tantum eiſdem modo aſſiſtet talis facultas, in quantum ad munus Vicarij fuerint aſſumpti, non aliter, ſeù alio modo.

13 Cardinales in Eccleſijs ſui tituli validè aſſiſtunt, & dant facultatem.

Aſſertio VII. Cardinales in Eccleſijs ſui tituli poſſunt validè aſſiſtere matrimonijs, & facultatem alijs aſſiſtendi concedere

Na-

Digitized by Google

*Nauarrus conſ. 47. num. 1. tit. de ſponſalib. in prima edit., & conſ. 14. num. 1. de cland. deſponſat. in 2. edit. Gutierez de matrimon. cap. 66. num. 9. Baſilius Pontius lib. 5. c. 10. num. 6.*

Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi Cardinales in Eccleſijs ſui tituli habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem per textum *in c. his qui de maioritat. & obed. Clement. ne Roman. de elect. Azorius part. 2. lib. 4. c. 3. q. 2.*

14 Vicarij Foranei, qua tales ſunt non valide aſſiſtunt.

Aſſertio VIII. Vicarij Foranei, qua tales præciſe ſunt, non poſſunt aſſiſtere, nec alijs facultatem aſſiſtendi concedere *Franciſcus Molinus lib. 2. de ritu nupt. diſſ. 11. nu. 83 Stephanus Gratianus tom 5. diſcept. forenſ. c 842. num. 19. Gutierez de matrim. cap. 66. num. 16. Canales tom. 1. differen. 11. num. 83. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. cont. cap. 4. num. 68., & alij apud eundem.*

Ratio ex eo deducitur, quia Vicarius Foraneus non eſt ordinarius, ſed præciſè delegatus in ea parte Diæceſis, in qua conſtitutus eſt Vicarius, ergo, qua Vicarius præciſe foraneus eſt non poteſt aſſiſtere, nec facultatem aſſiſtendi concedere, quandoquidem cum non ſit ordinarius non comprehenditur ſub diſpoſitione Concil. Trid., & delegatio in Vicarium Foraneũ præciſè nõ extenditur regulariter ad cauſas matrimoniales, niſi exprimatur. Antecedens probatur, tum quia vices gerit Epiſcopi non tamen in eodem loco, in quo Epiſcopus: tum quia non conſtituit vnum, & idem tribunal cum eodem Epiſcopo, tum quia iuriſdictio, quæ confertur Vicario Foraneo eidem ſuppoſita electione non confertur immediate à iure, ſed ab Epiſcopo eligente, cum nullibi reperiatur ius, quod Vicario Foraneo conferat iuriſdictionem in populos ſibi commiſſos.

Non eſt ordinarius, ſed delegatus.

*Dixi, qua tales præciſè ſunt*; non enim negauerim in duplici præciſe hypotheſi poſſe huiuſmodi Vicarios, & aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi concedere; primo ſi ſimul, & ſemel ſit in aliqua *P*arochia Rector; ſeu Parochus, tunc etenim in tali Parochia non qua Vicarius eſt, ſed qua Parochus poteſt aſſiſtere, & facultatẽ aſſiſtẽdi concedere, non tamen vltra fines ipſius, quantumuis talis, finis contineatur intra terminos ſui Vicariatus. Secundo ſi per *E*piſcopum fuerit eidem commiſſa facultas aſſiſtendi matrimonijs in toto ſuo Vicariatu; tunc etenim poterit ex vi non quidem ſui officij, ſed delegationis, aſſiſtere. Sed an tunc poſſet delegare alteri facultatem aſſiſtendi, tunc dicendum eſt iuxta ſuperius dicta, quod poſſit in vna, vel altera cauſa delegare, non in vniuerſum, quia delegatus ad vniuerſitatem cauſarum poteſt quidem ſubdelegare, ſed in cauſis tantum particularibus. Quod ſi *E*piſcopus commiſerit Vicario Foraneo in genere cognitionem cauſarum matrimonialium tunc probabilius crederem poſſe aſſiſtere, & alijs in cauſis particularibus facultatem aſſiſtendi dare *Segura in directorio 2. part. c. 15. num. 16., & c. 16. num. 1. Gutierez de matrimon c. 66. num. 16. Baſilius Pontius lib. 5 c. 11. num. 13.*, quia commiſſio de cauſa principali implicitè inuoluit commiſſionem de præambulis per textum *in reg. cui licet quod plus eſt de reg. iur. in 6.*

Excipe niſi facultatem habuerit ab Epiſcopo aſſiſtendi in omnibus finibus ſui Vicariatus.

Vel habeat cõmiſſam ab Epiſcopo cognitionem omnium cauſarũ matrimonialium

Aſſertio IX Magiſter Scholæ Salmantinæ reſpectu ſuorum ſcholaſticorum poteſt matrimonijs eorum aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi concedere, ſi ex priuilegio Pontificis habet iuriſdictionem ſpiritualem in eiſdem, ſecus ſi merè temporalem *Sanchez lib. 3. cap. 7. num. 6. Gutierez cap. 56. num. 9. Manuel. in ſumma tom. 1. in 2. edit. c. 17. nu. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 4. n. 76.*

15 Magiſter Scolæ ſalmãtinæ reſpectu ſuorum ſcholaſticorũ poteſt aſſiſtere, ſi habeat iuriſdictionem ſpiritualem, ſecus ſi mere temporalẽ.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi talis magiſter in ordine ad illos ſcholaſticos haberet iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & compræhenderetur nomine Ordinarij in illo *cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* ergo non eſt, cur non poſſit aſſiſtere, & alijs facultatem dare aſſiſtendi.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ſi haberet tantum iuriſdictionem temporalem in eoſdem tunc computaretur, vt Iudex mere ſæcularis non vt Ordinarius Eccleſiaſticus; ſed tantum Ordinarius, vel *D*elegatus Eccleſiaſticus poteſt aſſiſtere, cum huiuſmodi cauſa ſit merè Eccleſiaſtica, ergo &c. Sed an reuera talis Magiſter habeat iuriſdictionem ſpiritualem eidem à Romanis Pontificibus communicatam arguendum eſt ex Pontificijs diplomatibus, quæ mihi non vacat inquirere.

---

## PRÆNOTIO XXVIII.

### Quid requiratur adhoc, vt Epiſcopus, vel Parochus poſſunt valide aſſiſtere, & alijs facultatem dare aſſiſtendi.

### *SVMMARIVM.*

*Epiſcopus per ſimplicem nominationem factam à Patrone non acquirit ius valide aſſiſtendi, nec facultatem concedendi quoad ſubditos talis Epiſcopatus.* 1.

*Epiſcopus tantum electus, & confirmatus licet nondum conſecratus, poteſt valide aſſiſtere quoad ſuos ſubditos, & facultatem dare.* 2.

*Per collationem factam à Pontifice acquirit actu iuriſdictionem.* 3.

*Etiam*

Digitized by Google

*Etiam Parochus poſt collatum beneficium Parochiale*. 4.

Cur nam concurrant ad conſtitutionem Epiſcopi.

QVoad Epiſcopi conſtitutionem multa concurrunt, primo nominatio, vbi Epiſcopatus eſt de iure patronatus: Secundo electio. Tertio confirmatio. Quarto conſecratio. Quinto actualis poſſeſſio: item in ordine ad conſtitutionem Parochi multa concurrunt, nominatio ſcilicet, vbi agitur de iure patronatus, electio, ſeu collatio, & poſſeſſio actualis parochialis beneficij. Hic iam quæritur, an ſufficiat adhoc, vt poſſit aſſiſtere, & facultatem concedere, vt alter aſſiſtat, vt ſit ſimpliciter nominatus, an vt ſit electus, vel confirmatus, an conſecratus, an vero, vt acquiſierit actualem poſſeſſionem Epiſcopatus, vel per ſe ipſum immediatè, vel per alium ad id muneris deputatum, quod idem proportionali ratione inquiri poteſt de Parocho.

1 Per ſimplicem nominationem non acquirit ius.

Aſſertio I. Epiſcopus per ſimplicem nominationem ſuæ perſonæ factam à Patronoon acquirit ius validè aſſiſtendi matrimonijs illius *Diœceſis*, ad quam eſt nominatus, nec alijs facultatem concedendi ad tale munus. Eſt communis apud omnes.

Nominans nō cōfert, ſed Pontifex.

Ratio eſt quia per ſimplicem nominationem factam per habentem ius nominandi proprie non conſtituitur Epiſcopus, quia non ſpectat ad patronum conferre, ſed ad Pontificem, vel ad habentes iuriſdictionem, ſeu poteſtatem conferendi, quæ non competit habentibus ius patronatus, ſeu nominandi præcisè, ergo non conſequitur iuriſdictionem, quæ de iure conſequitur ad eſſe Epiſcopi, adeoque pro eo ſtatu non poterit validè aſſiſtere, nec facultatem aſſiſtendi concedere.

2 Poteſt aſſiſtere etiam ſi ſit tantū electus, & cōfirmatus, non conſecratus.

Aſſertio II. Epiſcopus habens *Diœceſim* tantum electus, & confirmatus licet nondum conſecratus poteſt validè aſſiſtere matrimonijs, quoad ſubditos talis *Diœceſis*, & facultatem concedere aſſiſtendi *Petrus Canedo in collect. 4. ad decret. ſext., & Clem. num. 3. Rodriquez tom. 1. qq. Regul. q. 61. art. 9. Suarez de cenſur. diſp. 41. ſect. 2. num. 7., & de pænit. diſp. 30. ſect. 2. nu. 4. Sanchez lib 2. ſumma c. 11. num. 1., & de matrim. lib. 8. diſp. 2. num. 11. Fillintius tom. 1. tract. 20. c. 10. num. 270. Bonacina de cenſur diſp. 7. q. 5. punct. 1. num. 3. Hieronimus Pharao in ſuo prompt. tract. 1. ſeſſ. 18. caſ. 30., & 31. Floronus de caſibus reſeruatis part. 1. c. 4. §. 7. n. 9.* qui quamuis loquantur in terminis diuerſis facultatis ſcilicet abſoluendi à reſeruatis, poſſunt tamen trahi ex paritate rationis ad ſanum ſenſum aſſertionis noſtræ.

Habet ea, quæ ſunt iuriſdictionis.

Ratio ex eo deducitur primo, quia tali Epiſcopo conueniunt ea, quæ ſunt iuriſdictionis per textum *in c. cum in cunctis* §. *cum verò de elect. Sbrozius de Vic. Epiſc. lib. 2. quæſt. 1. num. 5. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 2. num. 11., & lib. 2. ſummæ cap. 11. num. 3., & lib. 4. cap. 38. num. 7. Moneta de com. vlt. volunt. cap. 5. num. 383.*, ſed aſſiſtere matrimonijs, & facultatem concedere eis aſſiſtendi ſunt iura meræ iuriſdictionis, nec exigunt poteſtatem ordinis, quæ per conſecrationem confertur. ergo &c.

Ratio ex eo deduci poteſt ſecundò, quia Epiſcopus præcisè electus, & confirmatus poteſt abſoluere à reſeruatis, prout docent DD. omnes præallegati, ergo etiam poterit aſſiſtere matrimonijs, & facultatem concedere eis aſſiſtendi. Conſequentia probatur, quia plura requiruntur ad abſoluendum, quam ad aſſiſtendum matrimonijs, quandoquidem ad abſoluendum requiritur poteſtas ordinis ſaltem ſacerdotalis, & vlterius iuriſdictio, ad aſſiſtendum autem ſolum iuriſdictio, ergo cum iuriſdictio in vtroque caſu in Epiſcopo electo reſideat per ſuperius allegata, ſi poteſt abſoluere, poterit etiam aſſiſtere, & facultatem concedere aſſiſtendi.

Solum hic remanet diſputandum, quomodo poſſit exercere munera iuriſdictionis in Diœceſi, cuius nondum aſſecutus eſt poſſeſſionem, ſed facile poſſum occurrere per ipſam collationem, & confirmationem factam à Pontifice conferri ipſo iure actualem iuriſdictionem, prout colligitur *ex d. cap. cum in cunctis* §. *cum vero de elect.* & alijs iuribus docet *Sbrozius de Vicario Epiſcop. lib. 2. qu. 1. num. 5.*, in ordine autem ad huiuſmodi munera aſſiſtendi, vel delegandi ad aſſiſtentiam matrimonij aliud non requiritur, quam iuriſdictio in huiuſmodi ordinarijs. Deinde quidquid ſit in ordine ad actus iuriſdictionis contentioſæ, an ſcilicet requiratur actualis poſſeſſio in ordine ad munera iuriſdictionis voluntariæ huiuſmodi poſſeſſio non videtur ex neceſſitate requiri, ſed ſufficere ſolus titulus, cum ſolum aſſiſtens præſtat auctoritatem.

3 Epiſcopus per collationem factam à Pōtifice acquirit actualem iuriſdictionem.

Aſſertio III. Probabilius eſt Parochum poſt factam ſibi collationem beneficij Parochialis etiam ante adeptam poſſeſſionem poſſe validè aſſiſtere matrimonijs parochiæ ſibi demandatæ, & facultatem concedere alijs aſſiſtendi. Iiſdem ferè rationibus ſeruata proportione innititur, quibus præcedens aſſertio. Quibus hanc vnam adde, quia per electionem Parochi in aliqua Parochia contrahitur quodammodo quoddam ſpirituale matrimonium cum illa Eccleſia *Euariſtus epiſt. 2. Calliſtus epiſt. 2. c. 203.*, contracto autem matrimonio ſponſus ius acquirit ad ſponſam: vnde munera ex illo matrimonio ſibi competentia poteſt exercere, potiſſimum quoad ea,

Etiam Parochus poſt collatum beneficium Parochiale poteſt aſſiſtere ante adeptam poſſeſſionem.

Digitized by Google

ea, quæ non exigunt ſtrepitum iudicialem, cuiuſmodi ſunt pertinentia ad iuriſdictionem voluntariam.

---

## PRÆNOTIO XXIX.

An Epiſcopus, vel Parochus excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, beneficio priuatus, nondum tamen depoſitus, poſſit validè aſſiſtere matrimonio, & facultatem aſsiſtendi dare.

### SVMMARIVM.

*Parochus, vel ordinarius, excommunicatus etiam non toleratus, ſuſpenſus, irregularis, quinimmo & priuatus officio, non tamen depoſitus poteſt valide aſſiſtere, & facultatem dare aſſiſtendi.* 1.

*Interdictus, ab adminiſtratione ſacramentorum poteſt adhuc aſſiſtere.* 2.

*Parochus talibus notis affectus poteſt etiam licentiam aſſiſtendi dare alteri ſacerdoti excommunicato &c.* 3.

*Parochus, vel Epiſcopus excommunicatus &c. aſſiſtens matrimonio nullam contrahit nouam culpæ.* 4.

*Nec peccat delegando excommunicatum ad aſſiſtendum.* 5.

*Peccat tamen lethaliter benedicendo ſolemniter coniugatos.* 6.

*Parochus, vel Epiſcopus excommunicatus aſſiſtens non contrahit irregularitatem.* num. 7.

EXcommunicatus, ſuſpenſus, irregularis &c. poteſt dupliciter eſſe talis, vel etenim, vt talis denuntiatus eſt, & vitandus, ſeù vt alij loquuntur, non toleratus, vel denuntiatus non eſt, nec vitandus, ſeù eſt toleratus. Si non ſit denuntiatus, ſed toleratus valide poſſe aſſiſtere, & facultatem alij concedere aſſiſtendi, docent omnes ſcribentes poſt Concilium Conſtantienſe, quod voluit omnia geſta per huiuſmodi excommunicatos rata eſſe, & valida. Difficultas igitur ſolum reducitur ad excommunicatum ſuſpenſum &c. denuntiatum, & non toleratum, de quo inquiretur primò, an valide poſſit aſſiſtere, & facultatem concedere aſsiſtendi. Secundò, an, ſi validè aſsiſtat, peccet tamen. Tertiò, an fiat irregularis.

Rationes dubitandi.

Aſſertio I. *Parochus*, vel Ordinarius

1 excommunicatus, ſuſpenſus, vel irregularis etiam non toleratus, quinimmo, & priuatus officio non tamen depoſitus validè aſſiſtere poteſt matrimonio, & alijs facultatem aſſiſtendi concedere. Ità quoad primam partem *Nauarrus conſ. lib. 4. tit. primo de ſponſal. conſ. 9. in prima edit., & in 2. conſ. 8. de clandeſt. deſponſat. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 90., & de Parochis c. 21. num. 51. Petrus de Ledeſma q. 45. art. 5. dub. 3. in fin. Hurtadus de matrimon. diſp. 5. c. 17. num. 6. Conchius diſp. 27. num. 24. Bonacina de matrim. q. 2. punct. 8. num. 21. Diana part 3. trat. 4. reſol. 233. Paulus Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 2. c. 4. num. 5.* Quoad ſecundam omnes prællegati exceptis Petro de Ledeſma; Conincho, & Laiman, qui ſuſtinent non poſſe alteri facultatem concedere aſſiſtendi.

Parochus vel Epiſcopus excōmunicatus ſuſpenſus &c. poteſt aſſiſtere, & facultatem dare aſſiſtendi.

Ratio primæ partis ex eo euincitur, quia, ſi quæ eſſet ratio contrarium euincens, ea eſſet, quia actus aſſiſtentiæ Parochi, vel eſſet actus iuriſdictionis; vel tanquam auctoritas teſtis ex publico deputati; actus autem iuriſdictionis exerceri nequeunt ab excommunicatis, vel ſuſpenſis publicè denuntiatis, ſeu non toleratis *Silueſter verb. abſolutio 2. q. 6. Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 3. verſ. circa conceſſiones Victoria in ſumma de confeſſione num. 152. & de excommunicatione num. 245. Gutierez lib. 1. qq. can. 1. num. 89.* & teſtimonium excommunicati non tolerati non valet *c. decernimus de ſent. excommunicat. in 6. c. venies 2. in fine de teſtib., & atteſt. Maſcardus de probat. concl. 705. per totam*; ſed hæc ratio nullo iure ſubſiſtit ergo &c. Minor probatur, quia ex ſuperius dictis aſſiſtentia *Parochi* à Concil. Trident. ſtatuta non eſt actus iuriſdictionis, ſed ſolummodo auctoritas præſtita per præſentiam habentis poteſtatem, quod etiam ex eo deducitur, quod aſſerit *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 21. n. 4.* nempe actum ordinis, & iuriſdictionis non poſſe fieri ab inuito, & habente contrariam intentionem, nam actus operantur ſecundum intentionem operantium, & non vltra per textum *in l. non omnis in princip. ff. de reb. cred.*; præſentia autem Parochi quantumuis inuiti ſufficiens eſt ad validitatem matrimonij, prout infrà latius dicemus, ergo ille actus aſſiſtendi non eſt actus iuriſdictionis, ſed meræ auctoritatis. Probatur item eadem minor quoad ſecundam partem, quia quantumuis regulariter excommunicati non admittantur ad teſtimonium ferendum, in cauſis tamen, in quibus ex diſpoſitione iuris alligatur poteſtas teſtificandi certæ, & determinatæ perſonæ eadem perſona, ſi fuerit excommunicata, admittitur; & ſicuti in certis cauſis, vbi alij teſtificari non poſſunt, admittatur infames, ita non eſt cur in cauſa matrimoniali, in qua ſolus Parochus poteſt eſſe teſtis auctoritatiuè, non ſit admittendus.

Aſſiſtentia non eſt actus iuriſdictionis, ſed actus auctoritatiuus.

*Dices*, ex hoc ſequi aſſiſtentiam ad matrimonium eſſe actum Parochi, vt *Parochi*, *Parochus* autem, vt Parochus vel de-

bet

Digitized by Google

bet exercere actus iuriſdictionis, vel ordinis; aſsiſtendo matrimonio non exercet actum ordinis; ergò iuriſdictionis; iuriſdictio autem in excommunicato ſuſpenditur ſaltem quoad exercitium, ergò &c. Sed contrà reſpondeo eſſe actionem parochi, vt parochi de conſequenti, & de annexis, non de formali, & principali; parochus, vt parochus iuxtà ſecundum ſenſum non exercet niſi actus ordinis, & iuriſdictionis, vt præfertur in inſtantia; iuxtà primum verò ſenſum ex diſpoſitione iuris poteſt alios actus exercere, qui non ſint in rigore, nec ordinis, nec iuriſdictionis, ſint tamen annexi muneri ipſius ex diſpoſitione iuris, quod potiſsimum euenit quoad aſsiſtentiam matrimonijs, quam Parocho Concil. Trid. annexuit ratione dignitatis Parochialis, & quià ipſius eſt ſacramenta ſubditis miniſtrare.

*Actio Parochi, vel Parochi de conſequenti, non de formali.*

Vlterius eadem prima pars ex eo euincitur, quod *Concil. Trident. in d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformatione matrimonij*, ſtatuit indefinitè Parochum, vel Epiſcopum debere ex neceſſitate aſſiſtere, vel alterum ſacerdotem de ipſorum licentia; ſed Parochus excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, & priuatus officio, quoad vſque deponatur, eſt verè Parochus, ergò verè & legitimè iuxtà eiuſdem Concilij præſcriptam formam poteſt validè aſſiſtere. Hoc argumentum æquè euincit de Parocho, & de Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, & irregulari, ac de priuato beneficio, antequam deponatur, quandòquidem ante depoſitionem verificatur, quod adhuc retineat poſſeſſionem beneficij Parochialis, adeoque quod munera annexa eidem beneficio poſſit validè exercere, prout docent *Canallot tom. 1. com. contra commun. q. 604. n. 65. Marius Alterius tom. 1. de cenſur. lib. 1. diſp. 8. c. 6. Zippaus tit. de ſponſal. nu. 14. Aloyſius Riccius in prax. reg. quot. for. Eccleſ. reſol. 424. num. 5. Auguſtin. Barboſ. de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. n. 90.*

*Non deſinit eſſe parochus, neq; Epiſcopus.*

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià eodem iure, quo Parochus, ſeù Epiſcopus aſſiſtit, concedere poteſt alteri ſacerdoti facultatem aſſiſtendi, vt *ex Concil. Trid. d. c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* ibi: *Si aliter quam præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parocho licentia, vel ordinarij*; ſed Epiſcopus, vel Parochus excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis &c. poteſt validè aſſiſtere, ergò etiam poterit validè facultatem aſſiſtendi concedere. Confirmatur, quià talis alterius delegatio ad aſsiſtendum non eſt translatio iuriſdictionis, ſed præcisè ceſſio proprij iuris conſiſtentis in eo, quod ſit teſtis publicus, & auctoritatiuus, ergò ſicuti poteſt per ſe ipſum illum actum aſsiſtentiæ exercere, poterit illum alteri per delegationem committere.

Ex quibus omnibus inferre licet, quod etiam Parochus ab adminiſtratione ſacramentorum interdictus poſsit adhuc validè aſsiſtere, quià adhuc verè eſt parochus, & parochiæ poſſeſsionem retinet, & titulum; tum quià aſsiſtere matrimonio non eſt ſacramentum miniſtrare, cum ſacerdos aſſiſtens non ſit propriè miniſter ſacramenti; ſed tantum teſtis publicus, & auctoritatiuus ad hoc à publico deputatus.

*Interdictus ab adminiſtratione ſacramentorum poteſt adhuc aſſiſtere.*

3 Secundò, quod non ſolum parochus excommunicatus, ſuſpenſus, & irregularis poſſit licentiam alteri ſacerdoti concedere aſſiſtendi, ſed etiam ſacerdoti excommunicato, ſuſpenſo, & interdicto ab adminiſtratione ſacramentorum. Ratio ex eo deducitur, quià ex ſuperius dictis aſsiſtere matrimonijs non eſt actus iuriſdictionis, ſed ſolummodò auctoritatis exhibitæ ad teſtificandum, quæ annexa eſt, vel ratione dignitatis titulo Parochi, vel dignitati ſacerdotali in ſubſtituto, ſeù delegato, ergò, ſicuti illa non demitur ex eo, quod ſit in parocho excommunicato, vel ſuſpenſo per ſuperius dicta, ita nec demi dicenda eſt in ſacerdote delegato ex eo, quod fuerit excommunicatus, vel ſuſpenſus; vndè meritò docent *Sairus de cenſuris lib. 3. c. 12. n. 26. Bonacina de cenſuris q. 2. punct. 8. n. 23. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. nu. 111.* Sacerdotem etiam degradatum de licentia parochi validè aſsiſtere matrimonio, quià adhuc ſacerdos eſt, nec concil. Trid. aliud requirit in huiuſmodi delegato, niſi ordinem ſacerdotalem.

*Parochus excommunicatus poteſt etiam delegare ad aſſiſtendum ſacerdotem excommunicatũ &c.*

4 Aſsertio II. Sacerdos Parochus, vel Epiſcopus excommunicatus ſuſpenſus, irregularis &c. aſsiſtens matrimonio nullam contrahit noxam culpæ *Villalobos tom. 1. tract. 13. difficult. 18. n. 7. Gutierez de matrimon. c. 62. n. 29. in fine Filliutius part. 1. tract. 10. c. 6. num. 204. Diana part. 7. tract. 4. reſol. 233. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 91.*

*Excommunicatus &c. aſſiſtens nullam contrahit culpam*

Ratio ex eo deducitur, quià nec ex genere ſuo aſſiſtentia illa eſt mala, nec à iure prohibita, ergò parochus, vel Epiſcopus excommunicatus, ſuſpenſus, & irregularis aſsiſtens matrimonio peccat. Antecedens quoad primam partem probatur, quià illa actio non eſt actio ordinis, nec iuriſdictionis, vt ſuprà probatum eſt, ſed tantum auctoritatis, quæ adhuc reſidet in excommunicato, ergò ex genere ſuo illam exercendo in excommunicatione non peccat, quià per excommunicationem tantum impeditur exercitium ordinis, & iuriſdictionis; Quoad ſecundam partem ex eo facilè euincitur, quià nullibi conſtat de tali iure prohibente.

Dices, actionem illam eſſe illicitam ex eo, quod excommunicatus contra eccleſiæ præſcriptum communicat cum ipſis con-

Digitized by Google

Communicat ex neceſſitate, & ad melius eſſe.

contrahentibus, & quidem in ordine ad ſacra, nempe ad matrimonium, quod eſt ſacramentum; nec excuſari poteſt ex eo, quod communicet in neceſſarijs, quandoquidem ſacramentum matrimonij non eſt ſacramentum neceſſitatis. Sed contra, nam adhoc vt excommunicatus poſſit ſine noua noxa communicare cum fidelibus non exigitur neceſſitas ſimpliciter abſoluta, ſed ſufficit etiam neceſſitas ad melius eſſe, vt communiter docent DD. qui pro cauſa excuſante etiam à tali communicatione adducunt etiam vtilitatem, vel communicantium, vel eiuſdem excommunicati. Quis autem dubitat conferre ad vtilitatem contrahentium, quod ipſe excommunicatus interueniat, cum ſine ipſo contrahere valide nequeant?

Hac eadem ratione euincitur, non peccare, ſi alterũ deleget ad aſsiſtendũ, ſi non fuerit excõmunicatus, quandoquidẽ, ſicuti ipſe aſſiſtendo nõ peccat, ita nec peccat alteri poteſtatẽ aſſiſtendi cõcedendo, quia non exercet poteſtatem iuriſdictionis, ſed merè ius præſentiæ impertiendo, quinimmò plurimi docent Epiſcopum excommunicatum, ſeù ſuſpenſum, qui non poteſt ſubditos ordinare, poſse licitè alteri Epiſcopo in ſua Diæceſi committere facultatem ordinandi. Maior difficultas eſt, an peccat communicando excommunicato ſacerdoti poteſtatem aſſiſtendi. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quia tota ratio eum eximens à culpa eſt, quia communicat in neceſsarijs, & cum hoc ipſi competat ex proprio officio poteſt ipſe velle aſſiſtere; ex ſuppoſitione autem, quòd velit talem poteſtatem alteri conferre; ſi conferat excommunicato non confert ex neceſſitate, ſed ex mera libertate, cùm potuiſset alteri non excommunicato conferre, ſicque peccat libere efficiendo, vt excommunicatus communicet cum contrahentibus. Nihilominus adhuc ſentiendum eſt, non peccare, quia talis deputatio ex genere ſuo non eſt peccaminoſa, cum non ſit exercitium ordinis, nec iuriſdictionis, nec in iure prohibita. Quod deindè libere efficiat, quod excommunicatus communicet cum contrahentibus non inducit aliquam noxam, cum vtatur iure ſuo, & neceſſitas contrahentium depuret talem actionem à quacunque imperfectione.

5
Nec peccat delegando excommunicatum ad aſſiſtendũ.

Solum hic remanet difficultas, an peccet, ſiue læthaliter, ſiue venialiter, ſi poſtquam aſtitit matrimonio, coniuges benedicat conſueto ritu Eccleſiæ per illa verba *Ego vos coniungo in Nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*. Qua in controuerſia Ioannes Angelus Boſſius, qui prius *c. 3. de matrimon. contract. num. 15.* docuerat omiſſionem illius benedictionis eſse in re magni momenti, ac proinde eſse peccaminoſam læthaliter, modo *cap. 4. num. 91. in fine* aſserit Parochum excommunicatum ſic benedicentem coniuges non contrahere noxam læthalem, ſed ſolum venialem, eo quia in ratione rei ſacræ videtur res leuis illa verborum prolatio. Sanchez verò *lib. 3. de matrim. diſp. 21. num. 8.* ſentit, & omiſſionem illam non eſſe grauiter peccaminoſam, nec illius prolationem factam à Parocho excommunicato eſse talem, quodamodo menſurans culpam in prolatione ad normam culpæ in omiſſione. *Baſilius Pontius lib. 5. cap. 17. nu. 10. & Auguſtinus Barboſa de Parochis cap. 21. num. 52.* exiſtimant Parochum ſic benedicentem, ſi ſit excommunicatus, peccare læthaliter. Quid igitur ſentiendum? Probabilius exiſtimo peccare læthaliter, ſi ſolemnem benedictionem impertiatur iuxtà ritum ſolemnem Sanctæ Romanæ Eccl., & ratio eſt, quia eſt actus ordinis ſacerdotalis, vt ex communi DD. latè probat *Paulus Squillantes de obligat. Cleric. parte tertia num. 20.*, ſi verò huiuſmodi benedictionem ſine ſolemnitate adhibeat, ſentio peccare ſolum venialiter, ſicuti venialis ſolum culpa contrahitur per illius omiſſionem. Conueniunt quoad primam partem *Sanchez, & Boſſius*, diſcrepant tamen quoad ſecundam, nam Sanchez omiſſionem illius ſentit eſse ſolum venialem, Boſsius verò læthalem. Probatur primò quoad ſecundam partem, cum ex eadem deduci poſsit prima, quia omiſsio illorum verborum, ſeù benedictionis non eſt materia grauis, nec grauiter præcipitur adhiberi, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet, quia ea verba non ſunt forma ſacramenti, nec pertinent ad ſolemnitatem magni momenti, nec includunt aliquod miſterium magnæ ſignificationis, quandoquidem forma ſacramenti ſunt conſenſus ſenſibiles ipſorum contrahentium, prout important mutuam acceptationem, prout latè diximus, dum de ſponſalibus, & infrà latius dicetur, nec illa ſolemnitas eſt neceſſaria, & miſterium, ſi quod importatur, exprimitur per eorundem contrahentium mutuos conſenſus ſenſibiliter exhibitos. Quoad ſecundam item euincitur idem antecedens, quia, quantumvis Concil. Trident. vtatur verbis grauibus præceptiuis. Ibi - *Præcipit Sancta Sinodus*, illud tamen præceptum refertur ad plura, quæ in eodem capitulo continentur, puta ad denuntiationes, ad aſſiſtentiam Parochi, & teſtium ad notationem contractus initi in certo, & determinato libro, ad interrogationem contrahentium faciendam per Parochum, & alia ſimilia, non tamen eadem omnia eodem rigore præcipiuntur, vnde commenſuranda ſunt ad normam eorum, quæ præcipiuntur, adeout ſi ſint

6
Peccat tamen læthaliter benedicendo ſolemniter coniuge.

Secus ſi benedicat ſine ſolemnitate, nam tunc peccat ſolum venialiter.

gratia, cadant ſub præcepto de graui, ſi leuia, non niſi ſub præcepto de leui; vnde in eodem capite præcipitur etiam eodem modo, vt Parochus interroget contrahentes, & tamen, ſi exterius conſtet de eorum conſenſu, ex communi DD. conſenſu non peccat lethaliter Parochus, ſi omittat interrogationem *VeraCrux append. ad ſpecul dub. 2. concl. 4. Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 32.* Nec in hoc audiendus eſt *Ioannes Angelus Boſſius cap. 3. num 15.* qui aſſerit illam omiſſionem eſſe peccaminoſam lethaliter, quia præcipitur proferri à Parocho, vt authorizet matrimoniũ tanquam miniſter Eccleſiam rapræſentans; Non, inquam, audiendus eſt, quia hæc præſtat per ſimplicem ſui

Prolatio illa eſt rei leuis in ratione rei ſacræ.

præſentiam, per quam tamen ex eodem Boſſio non peccat lethaliter, ſi fuerit excommunicatus, & illa prolatio eſt ſolummodo quædam expreſſio non neceſſaria. Ex his infertur ratio etiam pro prima parte reſponſionis; quandoquidem, ſi non eſt res grauis, nec peccaminoſa lethaliter illa omiſſio, nec erit res grauis illius prolatio per Parochum excommunicatum, quandoquidem ſemper verificatur, quod illa prolatio ſit res leuis in ratione rei ſacræ.

7 Parochus excommunicatus &c. aſſiſtens non contrahit irregularitatem.

Aſſertio III. Parochus, ſeù Epiſcopus excommunicatus, ſuſpenſus &c. aſſiſtens matrimonio, vel facultatem concedens alteri aſſiſtendi non contrahit irregularitatem *Suarez de excommunic. diſp. 11. ſect. 2. num. 17. Paulus Squillantes de oblig. Cler. part. 3. num. 20. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 17. num. 20. Auguſtinus Barboſa de Parochis cap. 21. num. 52. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num.* 87.

Ratio ex eo deducitur, quia per talem aſſiſtentiam, ſeù conceſſionem propriè non conficiunt, nec adminiſtrant ſacramentum, nec exercent poteſtatem ordinis, nec iuriſdictionis, cum ſolum præſtent aſſiſtentiam auctoritatiuam, ergo non eſt, cur contrahant irregularitatem, quæ ſolum contrahitur per exercitium ordinis, à quo exercens eſt ſuſpenſus. Confirmatur, quia talis aſſiſtentia non eſt ex ſuperius dictis peccaminoſa, nec venialiter, &, ſi adhibeatur benedictio eſt ſolum talis venialiter, ergo per illam congruè non contrahitur irregularitas. Conſequentia probatur, quia æquum non eſt, vt quis ſine culpa, vel ſolum ex culpa leui contrahat pœnam ita grauem, cum talis pœna non ſit directè impoſita, ſicuti eſt impoſita ob lenitatem, vel infamiam, vel vilem profeſſionem.

---

## PRÆNOTIO XXX.

### An Parochus putatiuus in re carens titulo valide aſſiſtat, & facultatem aſſiſtendi concedat.

### *SVMMARIVM.*

*Quomodo poſſit eſſe putatiuus ſine vero titulo.* 1.

*Non ſufficit error vnius, vel alterius.* 2.

*Vnius, vel alterius ſcientia de inſubſiſtentia tituli non tollit titulum putatiuum, & errorem communem.* 3.

*Sufficit error communis in loco, vbi exercendus eſt actus.* 4.

*Error communis ad hunc effectum non debet eſſe craſſus, & ſupinus, ſed probabilis.* num. 5.

*Parochus, vel Epiſcopus habens titulum coloratum cum errore communi in loco actus poteſt valide aſſiſtere actui, & delegare, & hoc, ſiue careat vero titulo ob inhabilitatem vitij præcedentis, ſiue ob inualiditatem collationis, ſiue ob priuationem ſubſequentem.* 6.

*Etiam geſta à delegato habente titulũ coloratum cum errore communi tenent.* 7.

*Parochus putatiuus cum errore communi valide aſſiſtit, quamuis contrahentes fuerint conſcij nullitatis tituli.* 8.

*Non habens titulum à legitimo ſuperiore, ſed intruſus non validè aſſiſtit, quamuis communiter habeatur pro Parocho.* 9.

*Nec ſufficit, ſi habeat titulum à ſuperiore, ſed debet habere à ſuperiore legitimo.* num. 10.

*Delegatus per intruſum inualidè aſſiſtit.* 11.

*In ijs, in quibus vltra electionem requiritur confirmatio à legitimo ſuperiore, electus, ſed non confirmatus à legitimo non validè aſſiſtit.* 12.

*Deficiente legitimo Parocho ſubſtitutus per Concilium loci ad miniſtranda ſacramenta non valide aſſiſtit.* 13.

*In dubio, an Parochus habeat legitimum titulum, ſi dubium ſit opinatiuum, valide aſſiſtit, ſecus, ſi ſuſpenſiuum.* 14.

*Si in collatione fuerit ſolummodo defectus ſolemnitatis geſta per ſic electum cum communi errore probabilius tenent.* 15.

1 Quomodo poſſit eſſe putatiuus ſine vero titulo.

MVltis modis contingere poteſt, aliquem eſſe Parochum putatiuum ſine vero titulo; primò ob inhabilitatem ipſius recipientis ante receptionem, vt ſi laboraret vitio occulto excommunicationis, irregularitatis, vel incompatibilitatis alterius beneficij ab ipſo poſſeſſi; Secundò ob collationem beneficij Parochialis nullam, vt ſi beneficium collatum

fuit

fuit à non habente ius conferendi, vel ſi collatum fuit per concurſum deficientibus tamen examinatoribus Sinodalibus à iure requiſitis; Tertio ob priuationem poſt beneficium legitimè receptum, quatenus ob aliquod delictum ipſo iure priuatus eſt, vel per ſententiam Iudicis communitèr ignoratam. Quarto ob ſui inſtitutionem ſine auctoritate habentis ius conferendi illud beneficium.

2 Non ſufficit error vnius, vel alterius.

Aduerte, vt quis dicatur Parochus putatiuus in ordine ad hunc effectum valide aſſiſtendi matrimonio, vel delegandi, non ſufficere, vt reputetur talis ab vno, vel ab altero, ſeu quod idem eſt non ſufficit error vnius, vel alterius exiſtimantis ipſum legitimè poſſidere beneficium Parochiale, vt bene notant *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 22. num. 6. Baſilius Pontius lib. 5. de matrimon. c. 14. n. 4.* nam iura, quæ decernunt valide eſſe geſta per habentem titulum coloratum, & putatiuum, loquuntur dumtaxat quando eſt cum errore communi, cum leges non conſiderant, quæ raro, & in ſingulari eueniunt, ſed quæ frequenter, & communitèr, cum ex errore vnius, vel alterius non ſequantur ſcandala ex nullitate geſtorum; Ex quibus ex aduerſo deducitur, quod vnius, vel alterius ſcientia de inſubſiſtentia tituli non efficiat, vt geſta per habentem talem titulum ſint inualida, quia adhuc perſeuerat error communis, quem iura conſiderant, quod etiam verum eſt, quantumuis illa ſcientia ſit in ipſo habente talem titulum putatiuum, & coloratum. Porro ad validitatem huiuſmodi geſtorum ſufficit, quod fuerit error communis probabilis in illo loco, in quo huiuſmodi geſta exercet, quantumuis in alio loco notorium eſſet ipſum carere vero titulo *Couaruuias in c. alma mater 1. part. § 11. num. 4. Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1. Ioannes Vallerus verb. nullitas diff. 6. num. 6., & diff. 7. num. 2. Baſilius Pontius lib. 5. de matrimon. c. 19. nu. 2.* Ratio autem ea eſt, quia in ea hypotheſi militat cauſa finalis iurium *in l. Barbatius ff. de offic. Prætoris, & l. 2. C. de ſent., & interloc., & c. infamis 3. q. 7. verſ. verum tamen*, quæ eſt euertere ſcandala, quæ inde orirentur, ſi geſta per habentem titulum coloratum in tali loco cum errore communi, vbi exercentur, redderentur inualida. Tandem error ille communis, ſecundum quem reputatur idoneus, qui idoneus non eſt, non debet eſſe craſſus, & ſupinus, ſed debet eſſe probabilis vt notant *Suarez tom. 5. in 3 part. diſp. 14. ſect. 2. nu. 16. Baſilius Pontius lib. 5. de matrimonio c. 19. num. 4. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Inhabil. priuil. ſect. 3. caſ. 2. §. 4. num. 147.*, & ratio eſt, quia ille error craſſus, & ſupinus æquiparatur ſcientiæ per textum *in cap. 2. de conſtit. in 6.* His ſic ſuppoſitis ſit.

3 Vnius, vel alterius ſcientia nõ tollit errorem communem, & titulum putatiuum.

4 Sufficit error cõmunis in loco, in quo eſt exercẽdus actus.

5 Error communis non debet eſſe craſſus, & ſupinus, ſed probabilis.

Aſſertio I. Parochus, vel Epiſcopus putatiuus habens titulum coloratum cum errore communi in tali loco, in quo celebratur contractus matrimonialis, ſi aſſiſtat matrimonio, vel facultatem concedat alteri aſſiſtendi valide aſſiſtit ad effectum, vt illud matrimonium validum ſit, & hoc ſiue careat vero titulo ob inhabilitatem vitij præcedentis ad collationem, ſiue ob inualiditatem collationis, ſiue ob priuationem ſubſequentem ad titulum legitimè acquiſitum. Conſentiunt *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. n. 96. Auguſtin. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 32. num. 103. Coninchus diſp. 27. dub. 2. num. 26. Bonacina de matrimon. q. 2. punct. 8. num. 24. Baſilius Pontius lib. 5. c. 19. n. 19. Sanchez lib. 3. diſp. 22. per totum.* 6

6 Aſſiſtẽs cũ errore cõmuni in loco contractus valide aſſiſtit actui.

Probatur primo in vniuerſum *ex d. l. Barbatius §. ſi ſeruus ff. de offic. prætor., & l. 2. C. de ſent., & interloc., & c. infamis 3. q. 7.* vbi dicitur geſta à Iudice ordinario, vel delegato non vero, ſed putatiuo habente titulum coloratum cum errore communi valere tam in foro externo, quam in interno, quandiu nullitas tituli ignoratur, & hoc ob neceſſitatem, & vtilitatem publicam, nam, ſi eſſent inualida, innumera ſcandala etiam in ijs, quę pertinent ad conſcientiam, orirentur, collationes innumerę vitiarentur, ſacramenta nullum effectum conſequerentur, ſententiæ reuocarentur cum perturbatione totius Reipublicæ. Huiuſmodi autem iura loquuntur indefinitè, nec conſiderant, vtrum ille verus titulus non ſubſiſtat, vel ex incapacitate ſubiecti, vel ex nullitate collationis, vel ex priuatione, ergo &c.

Dixi *à Iudice ordinario, vel delegato* propter *Innocentium in c. cum dilectus nu. 4., & ſeqq. de conſuetudine*, qui aſſeruit geſta ab inhabili, tanquam à priuato non ſubſiſtere, quamuis interceſſerit communis error; quæ autem fiunt à delegato intelliguntur fieri à priuata perſona. Sed his non obſtantibus adhuc ſentiendum eſt, etiam matrimonium contractum coram delegato habente titulum ſolummodo coloratum ſubſiſtere, nam in primis etiam geſta ratione priuati officij ab habente titulum putatiuum cum communi errore tenent per textum *in l. 1. C. de teſtam.* Deinde dici non poteſt delegatum ad aſſiſtendum matrimonio fungi munere priuatæ perſonæ, cum eius vices ſuppleat, qui fungitur munere publico.

7 Etiã geſta à delegato habente titulum coloratum tenent.

Probatur ſecundo in particulari, quando non habet titulum verum ex inhabilitate præcedenti, ſed tantum coloratum cum errore communi, quia talis inhabilitas præcedens eſt ſolummodo iuris humani, non diuini, nec naturalis, ſed in ijs, quæ iuris humani præciſe ſunt titulus coloratus cum errore communi facit ius in

Inhabilitas eſt iuris humani non diuini.



Digitized by Google

ijs, quæ iuriſdictionis ſunt, & ſi ius non facere, ſequerentur ea omnia incommoda, quæ in præcedentibus enuntiata ſunt, ad quæ iura reſpexerunt ſtatuendo, quod geſta per habentem titulum coloratum cum errore communi teneant, ergo &c.

Probatur tertio in particulari, quando deficit verus titulus ex nullitate collationis ex declaratione *Sacra Congregationis Cardinalium Concil. Trid. interpratum in cenetenſ. 31. Iulij 1627. relata à Barboſa in collect. Bullarij verbo matrimonium*, vbi dicitur, quod matrimonium celebratum coram Parocho, qui habet ſuam collationem nullam ob nullitatem concurſus ob defectum examinatorum ſinodalium eſſe validum. Confirmatur, quia in ea hypotheſi ſunt omnia requiſita ad verum titulum coloratum, nempe auctoritas legitima conferentis, & error communis quoad inualiditatem collationis, ergo &c.

Probatur quarto in particulari, quando ſcilicet poſt adeptum beneficium ipſo iure eodem priuatus ob delictum occultum eſt, quia ſtante adhuc illa priuatione ob delictum occultum adhuc retinet poſſeſſionem, qua priuati non poteſt, niſi cognita cauſa per textum *in c. licet Epiſcopus de prabendis in 6. Gloſ. auth. de tabell. collat. 4. verb. documentis, Speculat. tit. de inſtrum. edit. § reſtat. num. 35. verſ., quod ſi tabellio perdidit, Baldus auth. habita num. 30. C. ne filius pro patre, & l. 2. nu.84. C. de ſeruit., & aq.*; quando autem retinet adhuc beneficij poſſeſſionem geſta coram ipſo valida ſunt *Nauarrus c. placuit de panit. diſt. 6. num. 179.* Hac eadem ratione euincitur quando priuatus eſt per hominis ſententiã occultam tamen, quia, vt bene notat *Baldus l. 1. num. 12. de teſtamentis* quandiu ſententia priuationis manet occulta, quædam reliquiæ remanent per textum *in l. ſi pluribus ff. de auctorita. tuto*, & adhuc perſeuerat titulus coloratus cum errore cõmuni ortus à iuſto titulo ab initio. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primo per mortẽ delegãtis perire poteſtatem delegati, etiam ſi hic illius mortem ignoret, nec valent geſta per eum *arg. c. gratum, & c. relatum de offic. deleg., & l. more ff. de iuriſd. omnium Iud. Speculator tit. de Iudice delegato § reſtat videro num. 5.* ergo etiam per reuocationem beneficij parochialis, vel ipſo iure, vel per ſententiam Iudicis, quantumuis non innoteſcat reuocatio, extinguetur poteſtas parochi, adeout per ipſam poſtea geſta non teneant. Secundo, ſi aſſeratur *ex c. dudum 2. de elect.*, vbi dicitur Prælatum, qui ob delictum ipſo iure amiſit parochiale beneficium, decepiſſe damnabiliter animas ipſas à peccatis abſoluendo, ergo, quia nullæ fuerunt abſolutiones ab ipſo impenſæ. Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia in allegatis iuribus ſermo erat de morte delegantis ignorata ſolummodo ab ipſo delegato, cũ omnino omnes ſcirent ipſum fuiſſe defunctum, vnde tunc non aderat error communis, ſed tantum particularis vnius; Non ſecundum, quia vt bene notat *Abbas in d. cap. ſecundum de elect.* illa amiſſio parochialis beneficij erat notoria, ſicque non concurrebat erat communis probabilis, & iuſtus.

8 Aſſertio II. Parochus putatiuus carens vero titulo quocunque ex modis ſupra aſſignatis, ſi tamen fuerit error communis, valide aſſiſtit, quantumvis ipſi contrahentes fuerint conſcij nullitatis veri tituli *Auguſtin. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 25. num. 40., & ſeqq. Garzias de benefic. part. 5. cap. 4. num. 321. & ſeqq. Sanchez lib. 3. diſp. 22. num. 46. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilai priuileg. ſect. 3. caſ. 2. § 4. num. 151.*

Parochus putatiuus cũ errore communi valide aſſiſtit etiã ſi cõtrahẽtes eſſent conſcij nullitatis tituli.

Ratio ex eo deducitur, quia ex ſuperius dictis ille retinet poſſeſſionem veri tituli, quamvis coloratè ſolum illum retineat, ex alio capite particularis ſcientia vnius, vel alterius, dummodo perſeueret error communis, non deſtruit ius illius, quia iura ob publicum bonum ſupplent illum defectum veri tituli, ne oriantur prænuntiata ſcandala, ergo non eſt, cur matrimonium initum coram illo, quamvis per ſcientes, non teneat, dummodo adſit error communis. Confirmatur, quia leges non attendunt ad ea, quæ in particulari caſu contingunt, ſed communiter accidentia per textum *in l. nam ad ea ff. de legib.* nec in præſenti hypotheſi diſpoſitionem immutant ob ſcientiam vnius, vel alterius priuati *Antonius cap. ad probandum num. 11. de ſent. & re iudicat. Francus cap. 1. de except. in 6. num. 6. Socinus de reg. iuris lit. G. reg. 166. incip. geſta ab occulto excommunicato.* Confirmari poteſt ex ijs, quæ docent *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. d. ſect. 3. caſ. 2. § 4. num. 152 Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 22. num. 47.* de ſcientibus confeſſarium carere iuriſdictione ad abſoluendum, eo quod ille priuatus eſt, cum antecedenter habuerit extante tamen errore communi, quod eidem talis facultas non fuerit reuocata, & nihilominus ad ipſum accedentibus pro abſolutione, quos vtique aſſerunt valide abſolui, quantum eſt ex parte iuriſdictionis, licet ex parte materiæ ſcilicet propter obicem pænitentis inualidetur abſolutio, ergo, cum in præſenti hypotheſi de aſſiſtentia matrimonij interuenire non poſſit aliquis obex ipſum inualidans, cum perſeueret adhuc in Parocho auctoritas, & iuriſdictio, non erit, cur matrimonium illud non teneat.

Abſolutio non eſſet nulla ex defectu iuriſdictionis, ſed ratione materiæ.

9 Aſſertio III. Non habens titulum à ſu-

periore

Digitized by Google

Nō habens titulum à ſuperiore, ſed intruſus non validè aſſiſtit quamuis communiter habeatur pro Parocho.

periore habente legitimam auctoritatem conferendi illud beneficium, ſed præciſè intruſus, quamuis communiter habeatur pro Parocho, non poteſt validè aſſiſtere, nec alteri facultatem concedere aſſiſtendi *Garzias part.5. de benefic. cap.4. num.281. Ioannes Vallerus verbo Nullitas diff.7. nu 245. Auguſtin. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg.25. num.43. Ioannes Angelus Boſſius tract. de tripl. Iub. priuil. ſect.3. caſ.2. §.4. Sanchez de matrimon. lib.3. diſp.22. num.49.* aduerſus *Merlam in empt. iuris tit. 11. quæſt. 2. Baſilium Pontium lib.5. de matrimon. cap.20. num.2.*

Ratio ex eo deducitur, quia ad validitatem geſtorum per habentem titulum putatiuum non ſolum attenditur communis error, ſed vlterius, quod talem titulum aſſecutus fuerit ab habente legitimam facultatem conferendi, licet collatio ex aliquo vitio occulto ſit inualida, prout colligitur per iura *in cap. ex frequentibus de inſtit. & l. Barbarius de offic. prætoris*, vbi eſt ſermo non de intruſo, ſed de perſona, quæ fuerit poſita in officio Iudicis ab habente poteſtatem; atque ideò hanc ſententiam præter allegatos ſuſtinent *Speculat. tit. de inſtrument. edit. §. reſtat n 32. ArchiDiaconus cap. alienationis paulò poſt princip. 12. q.2. Innocentius c. qualiter in fin. de elect.*, & alij innumeri apud *Sanchez d. lib.3 diſp.22. n.49.*

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod eadem damna, & ſcandala æquè obuenire poſſint, ſi irritarentur geſta per intruſum, quandò eſt error communis, ac quandò irritantur geſta per habentem titulum putatiuum à legitimo ſuperiore cum errore communi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, vt benè loquitur *Ioannes, Angelus Boſſius de tripl. iubil. priuileg. ſect.3. caſ. 2. §.4. nu. 62.* in ijs, quæ iuris poſitiui ſunt non valet argumentum ab vno ad alterum, ſed ſtandum eſt diſpoſitioni iuris, quod, ſi quid ſtatuat de vno, & non de alio, ſtatutum quoad expreſſum tenere, non extendi quoad alterum non expreſſum tenendum eſt.

Non eſt eadem ratio de intruſo, ac de habente titulum à legitimo ſuperiore.

Deindè non militat in intruſo ratio publicæ vtilitatis, quæ militat in habente titulum putatiuum à legitimo Superiore, quandòquidem publica vtilitas potius exigit, vt intruſi geſta quoad vtrumque forum irritentur, vt præcludatur via fictionibus, & fraudulentis machinationibus in Reipublicæ detrimentum, quas plurimi molirentur, ſi ſcirent geſta ab intruſis à iure approbari, & irrita non declarari ob ambitionem, & turpem quæſitum.

Obeſſe poſſunt ſecundò nonnulla iura, quæ à contrariæ ſententiæ aſſertoribus circumferuntur, & primò textus *in l. 1. C. de teſtament.*, vbi teſtis intruſus quoad validitatem admittitur, ſecundò *auth. de Tabellion. ſeù nouel.44. c.1.* vbi dicitur, quod Tabellio, qui verè talis non eſt, ſed fixit ſe eſſe, vel alterum delegauit, cum tamen non poſſet delegare, licet eſſet Tabellio, validè conficiat teſtamenta, & inſtrumenta, & geſta per delegatum ab ipſo teneant ob publicam vtilitatem. Tertiò doctrina *Iaſonis in l. præſcriptione n. 26. C. ſi contra ius*, & aliorum, vbi aſſerunt validas eſſe Indulgentias conceſſas à falſis omninò prælatis ob communem errorem.

Nonnullæ oppoſita, & eorum ſolutio.

Sed facilè erit occurrere huiuſmodi iuribus, ſi ad primum aſſeratur, illum textum procedere in actu teſtis, qui de ſui natura non poſtulat auctoritatem ſuperioris *Nicolaus Garzias part. 5. de beneficijs c. 4. nu. 282. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect.3. caſ.2. §.4. n.153 in fin.* Ad ſecundam reſpondet *Sanchez d. lib. 3. de matrim. diſp.22. nu.54. ad tertium*, aſſignans diſparitatem in notario conficiente, & proferente inſtrumenta, ac de Parocho aſſiſtente matrimonijs, nam notarius iuriſdictionem non habet, ſed eſt tantum teſtis à iure approbatus, quod nō militat quoad Parochum aſſiſtentem, vel delegantem. Sed debuiſſet aduertere Sanchez ad ea, quæ antecedentèr docuerat, nempè parochum in eo munere, quod exercet, aſſiſtendo matrimonijs, non præſtare aliquod munus iuriſdictionis, ſed ſolummodò ſua præſentia præbere actum auctoritatiuum tanquam teſtem à iure approbatum, vndè quoad hoc currit paritas; ſed adhuc poteſt ſuſtineri doctrina Sanchez, ſi aſſeratur, quod quantumvis parochus in tali miniſterio exerceat actus præciſè auctoritatiuæ præſentię; nihilominus, quià talis poteſtas ex diſpoſitione iuris eſt annexa pręciſè officio parochi ex vi propria, vel ſacerdoti ex vi delegationis, & parochi officium exigit auctoritatem in conferente, ideò, ſi talis auctoritas non concurrat, ſed ille, qui aſſumptus eſt ad tale parochiale beneficium ſe intruſit, vtique, ſi non ſubſiſtat ex illo defectu beneficium illud, & debet defficere poteſtas aſſiſtendi, vel delegandi ad aſſiſtendum. Ad tertium dicendum eſt falſam omninò eſſe illam Doctrinam, quę Iaſoni tribuitur, quandòquidem nulli iuri innititur, nullique ſubſiſtenti rationi. *Ancharanus c. quod autem n.9. de pænit., & remiſ. Cardin. clement. fin. in princip. eod. tit. Oldradus conſ.76. n.3.*

10 Nec ſufficit, ſi habeat titulum à ſuperiore, ſed debet habere à legitimo.

Ex dictis in hac aſſertione colligitur primò, non ſufficere, quod titulus fuerit collatus à quocunque ſuperiore, ſed requiritur, quod fuerit collatus à legitimo ſuperiore habente poteſtatem illum conferendi *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 22. nu.50. Garzias lib.5. de beneficijs c.4. nu. 284. Leſſius de iuſt. lib.2 c. 29. dubit.8. n.65. Auila de cenſuris part.2, cap 6. diſp.6. dub.7.* Ratio illationis deducitur ex ſuperius dictis, quià

quià ſcilicet ad validitatem geſtorum per habentem titulum putatiuum non ſolum requiritur error communis, ſed etiam, quod titulus ſit ab habente legitimam auctoritatem illum conferendi, & alius ab ipſo, ſi conferat, quantumvis ſit ſuperior in ordine tamen adhoc munus conferendi perindè eſset, ac ſi eſset perſona priuata, & non ſuperior. Hinc inferunt aliqui, quod, ſi capitulum ſede vacante per ſuum Vicarium conferat alicui titulum inualidè conferat, & geſta per illum ſint abſolutè irrita. Non negauerim tamen, quod ſi Vicarius Generalis vacante aliqua Parochia aliquem ad munera parochialis illius beneficij deſtinauerit geſta per illum ſic deſtinatum teneant, ſed hæc præſtaret potius per munus ſibi commiſsum, non per titulum acquiſitum, cum Vicarius illum conferre non potuerit.

11 Delegatus per intruſum inualidè aſſiſtit

Colligitur ſecundò, quod, ſi fiat delegatio, & delegans fuerit intruſus, quamuis per communem errorem habeatur pro legitimo, acta per delegatum ſint ipſo iure irrita *Sanchez d. lib. 3. de matrim. d. diſp. 22. nu. 51. Sbrozius de Vicario lib. 3. q. 24. nu. 2. Paulus Caſtrenſis conſ. 99. dub. 1. vol. 2.*, & pro hac illatione militant eædem rationes, quæ militant pro ſuperius dictis.

12 In ijs, in quibus vltrà electionem requiritur confirmatio electus à legitimo, & ab illegitimo cõfirmatus non validè aſſiſtit.

Colligitur tertiò, quod vbi requiritur ad validam, & perfectam collationem tituli confirmatio, quantumvis electio facta fuerit per habentem legitimam auctoritatem eligendi, non tamen ſecuta fuerit confirmatio ab habente auctoritatem confirmandi, geſta per electum non teneant *Sanchez d. lib 3. diſp. 22. n. 52. Vallerus verbo nullitas diff. 7. n. 5.* Ratio eſt, quià titulus non haberetur à legitimo ſuperiore, cum per ſolam confirmationem conferatur.

13 Deficiente legitimo Parocho ſubſtitutus per concilium loci ad adminiſtranda ſacramenta non validè aſſiſtit.

Colligitur quartò, quod, ſi in aliquo loco deficiente Parocho per concilium loci fuerit ſubſtitutus ſimplex ſacerdos ad adminiſtranda ſacramenta ſine approbatione Epiſcopi, vel habentis poteſtatem, & iuriſdictionem Epiſcopalem in tali loco geſta per eundem ſubſtitutum præcipuè quoad ſacramentum pænitentiæ, & matrimonij non teneant *Sanchez loc. cit. nu. 63.*, quià non aderat titulus, nec legitima delegatio in illo Parocho præſumpto à ſuperiore habente legitimam auctoritatem conferendi titulum, vel delegandi ad talia munera.

Duo dubia excitata.

Pro complemento eorum, quæ pertinent ad præſentis prænotionis titulum duæ remanent difficultates diſſoluendæ. Prima eſt, an in dubio de legitimo titulo in Parocho, vel ſufficientis mandati in delegato validè contrahatur matrimonium coram illo. Secunda, an, ſi in collatione fuerit defectus in electionis forma, quatenus ſolemnitas iure præſcripta omittatur in electione, vel collatione, geſta per ſic electum valeant, an verò nullius roboris ſint.

14 In dubio, an habeat legitimum titulum, ſi dubium ſit opinatiuũ aſſiſtens validè aſſiſtit, ſecus, ſi fuerit ſuſpenſiuũ

Ad primam reſpondendum exiſtimo cum diſtinctione, vel etenim tale dubium eſt opinatiuum, vel ſuſpenſiuum; ſi fuerit merè opinatiuum, & rationes inclinantes pro legitimitate tituli fuerint probabiles, & inducentes moralem, & prudentem credulitatem exiſtentiæ eiuſdem ſentiendum eſt geſta per eundem eſſe valida, prout ſpectant ad iuriſdictionem, & auctoritatiuam præſentiam *Sanchez d. lib. 3. diſp. 22. n. 65. Henriquez lib. 5. ſumma c. 14. nu. 3., & 4. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect. 3. caſ. 2. §. 4. nu. 150., & de matrimon. contract. c. 4. nu. 97.* Si verò dubium fuerit ſuſpenſiuum reſpectu maioris partis illius populi, ſeù Parochiæ probabilius eſt geſta per eundem non tenere. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in opinatiuis vbi extant diuerſæ ſententiæ, & omnes innixæ probabilibus fundamentis inducentibus prudentem credulitatem pro vtraque parte licitum eſt ſequi alteram ex illis altera relicta, & ius quoad ea, quæ pertinent ad iuriſdictionem in ea hypotheſi ſupplet quemcunque defectum præcipuè cum talis facultas ſit fauorabilis, & latè interpretanda, ergo, ſi contrahentes coram eodem contrahant cum tali prudenti credulitate validè contrahere præſumendi ſunt. Sed, an in ea hypotheſi, ſi probabiliores coniecturæ militarent pro parte non cognoſcente legitimum titulum in eodem Parocho, vel delegato liceret tunc ſequi alteram partem minus probabilem ſtante moderna declaratione Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis, qui damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine ſecunda, qua dicebatur etiam in materia ſacramentorum licere ſequi ſententiam probabilem relicta probabiliori tu vide. Certe aſſiſtentia Parochi non eſt de iure diuino, & ſolum iure Eccleſiaſtico Concil. Trident. inducta, prout reſpicit contractum, & ſolum indirectè ſacramentum; tutius tamen exiſtimo Pontificis verbis expreſſis adhærendum.

Facultas eſt fauorabilis, & latè interpretanda.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia in dubio ſuſpenſiuo animus non inclinat ad vnam, nec ad alteram partem, & intellectus eſt omninò pendulus, ſed quando non eſt inclinatio ad vnam, vel alteram partem, & intellectus omninò ſuſpenſus remanet, non eſt communis error, quandoquidem error eſt cum tendentia ad eam partem, ad quam error tendit, cum exiſtimetur ille idoneus, qui idoneus non eſt, & iuxta hunc ſenſum approbat doctrinam *Baſilij Pontij lib. 5. de matrim. cap. 20. num. 7. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuil ſect. 3. caſ. 2. §. 4. num. 150. in fin.*

In dubio ſuſpenſiuo non eſt cõmunis error.

Digitized by Google

*fin.*, ergo &c. Solum hic remanet dubitandum circa præſentem difficultatem, an, ſi ſit dubium opinatiuum verſans circa collationem beneficij Parochialis, an ſcilicet fuerit collatum à ſuperiore habente legitimam auctoritatem conferendi, nec ne, liceat ſequi opinionem probabilem, quod legitimus ſuperior contulerit; Qua in difficultate crederem affirmatiuè reſpondendum, ſi verè titulus fuerit à legitimo ſuperiore collatus, negatiuè, ſi non fuerit ab eodem collatus. Conſentit *Nicolaus Garzias part.5. de benef. cap.4. nu.285.* contra *Paciechum de probat. lib. 2. cap. 31. nu.81.*, quia non prodeſt bona fides, quando titulus non eſt à legitimo ſuperiore, quia hic non agitur de acquiſitione fructuum beneficij, ſed de validitate actuum, quæ eſſe non poteſt per ſuperius probata, quando titulus, vel eſt per intruſionem, vel per non habentem legitimam poteſtatem illum conferendi. Limitarem tamen in caſu, quo ſic intruſus, vel habens titulum à non legitimo ſuperiore per decennium poſſediſſet, & habitus fuiſſet pro habili, nam tunc per decennalem poſſeſſionem præſumeretur titulus *Garzias loc. cit. num. 298.* allegans *Rotam in vna Salmantina Parochiali, ſine beneficij 15. Nouembris 1593.*, quod intellige, niſi conſtet de defectu tituli.

15 ·Ad ſecundam ſentiendum exiſtimo; ſi in collatione fuerit ſolummodo defectus ſolemnitatis in electione, ſeù collatione, dummodo fuerit à legitimo ſuperiore, geſta per ſic electum, vel prouiſum cum communi errore valere *Nicolaus Garzias d. part.5. de benefic. cap.4. nu.290.* hancque ſententiam non improbabilem exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius de triplic. Iubil. priuileg. ſect.3. caſ.2. §.4. num.161.* quidquid in contrarium dixerit *Sanchez lib.3. de matrimonio diſp.22. num.53. ex Bartolo in l. actuarios num. 2. C. de numerarijs lib. 12.* ea motus ratione, quia peccatum eſt in forma, & in radice, & propterea titulus deficit. Ratio ex eo deducitur primò, quia textus *in d. l. Barbarius ff. de offic. prætoris, & cap. frequentibus de inſtit.* ſolum requiritur ad validitatem actuum, quod adſit error communis, & quod titulus ſit à legitimo ſuperiore habente auctoritatem conferendi collatus; quæ vtraque in hac hypotheſi reperiuntur, nec conſiderat formam, nec qualitatem ſubiecti, ergo &c. Secundò, quia omnes *DD.* contrarium in hoc caſu particulari ſentientes ſuſtinent, quod, ſi quis in concurſu promotus fuerit non exiſtentibus examinatoribus ſynodalibus à iure requiſitis exiſtente communi errore in actibus iuriſdictionalibus valide eos exerceat, & tamen in hac hypotheſi eſt defectus formæ in collatione, ergo &c. Tertiò, quia, vt optimè docent *Innocentius in c. nihil de elect. Henriquez lib.13. ſumma cap.7. §.6. lit. B. in comp. Suarez tom. 4. in tertia parte diſp.26. ſect. num. 7.* valent geſta per prouiſum à Papa per ſubreptionem, & tamen defectus pertinet ad formam. Quamobrem ad ea, quæ dicuntur ex *Bartolo in d. l. actuarios de numerarijs lib. 12.* dicendum eſt, eum textum procedere ſolummodo de quibuſdam exactoribus, ſeù receptoribus pecuniæ publicæ, qui non poterant ſine principis expreſſa facultate, hic autem eſt ſermo de exercitio iuriſdictionis, ſeù quaſi iuriſdictionis, quæ ſtante errore communi, & titulo habito à legitimo ſuperiori exerceri poteſt.

(margin: ...i in colla-...ione fue-...it defe-...tus ſolem...itatis ge-...a per ſic ...lectum ...robabi-...ius tenent)

---

## PRÆNOTIO XXXI.

An valeant geſta per Vicarium Generalem Epiſcopi poſt mortem, reuocationem, & excommunicationem eiuſdem Epiſcopi, ſi Vicarius fuerit ignorans mortis, reuocationis &c.

### *SVMMARIVM.*

*Ceſſat Vicarij Generalis poteſtas morte Epiſcopi, reuocatione, excommunicatione, ſeù ſuſpenſione Vicarij.* 1.

*Morte Epiſcopi ceſſat Vicarij Generalis poteſtas etiam in ordine ad cauſas iam inceptas.* 2.

*Quoad cauſas delegatas, ſi fuerit commiſſa Vicario, vt Vicario morte Epiſcopi ceſſat etiam eius poteſtas.* 3.

*Mortuo Epiſcopo probabilius Vicarius Capitularis poteſt exequi commiſſiones directas Vicario Epiſcopi, vt Vicario.* 4.

*Si cauſa fuerit delegata Vicario non intuitu dignitatis, ſed ratione idoneitatis talis perſonæ non expirant morte Epiſcopi, cuius eſt Vicarius.* 5.

*Si Epiſcopus fuerit excommunicatus non tamen nominatim denuntiatus, aut publicus Clerici percuſſor ipſius geſta non irritantur.* 6.

*Matrimonium celebratum coram Vicario Generali, cuius Epiſcopus eſt excommunicatus vitandus, tenet.* 7.

*Deputatus in Vicecuratum ab excommunicato Epiſcopo vitando matrimonio valide aſſiſtit* 8.

*Per reuocationem directam factam ab Epiſcopo ceſſat poteſtas Vicarij Generalis. num.* 9.

*Non eſt neceſſe, vt mors Epiſcopi iuridicè denuntietur eius Vicario, vt ipſius ceſſet auctoritas.* 10.

*Cognita morte Epiſcopi à Vicario, & ab alijs com-*

*communiter ignorata geſta per Vicarium ante communem ſcientiam tenent.* 11.

*Et probabilius Vicarius exercens huiuſmodi actus in ea hypotheſi non peccat.* 12.

*Ignorante Vicario mortem Epiſcopi, ſi alij communiter ſciunt ipſum mortuum, acta per eundem ad iuriſdictionem ſpectantia non tenent.* 13.

*Si Vicarius Generalis Epiſcopi poſt mortem eiuſdem ignoratam communiter literas demiſſorias dederit, vel delegationem, ſi hac ante expeditionem ſciatur communiter, non poſſunt huiuſmodi literæ expediri,* num. 14.

*Reuocato Vicario per Epiſcopum, & conſtante communiter de reuocatione acta ipſius non tenent.* 15.

*Reuocatio tamen debet eidem notificari, vel per Epiſtolam Epiſcopi, vel per Procuratorem, vel per nuntium ad id deputatum.* 16.

*Intellige, niſi reuocans in actu reuocationis expreſſerit nolle ex tunc geſta per reuocatum ſubſiſtere.* 17.

*Vel niſi immediatè alium Vicarium ſubſtituat. Ibid.*

*Reuocato Vicario ſciente reuocationem, ſi adſit error communis reuocationis, geſta per ipſum tenent.* 18.

1 Ceſſat Vicarij poteſtas morte Epiſcopi, reuocatione, & ſuſpenſione eiuſdem Vicarij.

STtatuunt communiter DD. ex triplici capite Vicarij Generalis poteſtatem deficere; primò morte Epiſcopi, cuius eſt Vicarius; Secundò reuocatione facta per eundem Epiſcopum; Tertiò excommunicatione, ſeù ſuſpenſione Epiſcopi; & quidem morte Epiſcopi expirare eſt communis *DD.* conſenſus, quos allegant, & ſequuntur *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 30. num. 2. Gutierez cap. 68. num. 14. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 11. num.* 8. nec incongrua ratione, quia quantumvis auctoritas Vicarij Generalis ſit ordinaria, & vna, & eadem cum Epiſcopo, cum quo conſtituit vnum tribunal, & reputatur vna, & eadem perſona per textum *in c. 2. de conſuetud. in 6. & cap. Romana de appellat. item in 6.* nihilominus non eſt principalis, ſed acceſſoria; ceſſante autem principali auctoritate ceſſare debet, & acceſſoria per vulgatiſſima iura. Circa ceſſationem Vicarij Generalis ex hoc capite mortis Epiſcopi ſolum hic remanet duplex difficultas examinanda; prima eſt, an in ordine ad cauſas iam incæptas deſinat abſolutè eius auctoritas. Secunda, an ceſſet etiam in ordine ad cauſas per Curiam Romanam delegatas. In ordine ad primam abſolutè aſſerendum eſt omninò ceſſare *Sanchez, Gutierez, Pontius mox allegati, & Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num.* 70. aduerſus *Sbrozium de offic. Vicar. lib. 3. qu. 45. num. 2., & alios ab ipſo allegatos.* Ratio ex eo deducitur; quia mortuo Epiſcopo eo ipſo expirat cum eodem ipſius iuriſdictio, & per conſequens quæcunque eidem annexa, ergo, & illa Vicarij generalis, quæ fundatur in eadem Epiſcopi: nec officit, quod iam cauſa fuerit incæpta, quandoquidem, cum etiam ad proſecutionem, & potiſſimum ad terminationem requiratur in Iudice iuriſdictio, ſi hæc ceſſarit antecedenter ad illas per mortem Epiſcopi, non poterit proſequi, nec terminare. Quod, ſi vlterius vrgeas, iuriſdictionem delegati, quando negotia iam incæpta ſunt, non expirare per mortem delegantis per ea, quæ communitèr docent ſcribentes, ergo, neque iuriſdictio Vicarij Generalis quoad cauſas incæptas expirat morte Epiſcopi; contra adhuc impugnaberis, quia diſpar omninò eſt ratio, quia vnum, & idem eſt Tribunal Epiſcopi, ac ipſius Vicarij Generalis eſt, & ius Vicarij fundatur in illo Epiſcopi, adeoque mortuo Epiſcopo ceſſat quodcunque ius Vicarij; Delegatus autem, & delegans non conſtituunt vnum, & idem Tribunal, ſed omninò diuerſum, adeoque &c. Quod autem, quando res non eſt integra per mortem delegantis non expiret iuriſdictio delegati habetur per textum *in cap. gratum de offic. deleg.* In ordine ad ſecundam difficultatem propoſitam ſecundum varias inſpectiones dirimenda res eſt; vel etenim huiuſmodi cauſæ per Curiam Romanam commiſſæ ſunt Vicario Generali, quatenus Vicarius eſt, vel eidem, quatenus talis perſona eſt, habito reſpectu ad eiuſdem idoneitatem, vel circumſtantias perſonæ; Si commiſſæ fuerint eidem, quatenus Vicarius Generalis eſt, exiſtimo abſolutè ſentiendum per mortem Epiſcopi, ſiue res fuerit integra, ſiuè incæpta, ceſſare etiam in ordine ad eaſdem iuriſdictionem eiuſdem Vicarij Generalis. Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi cauſæ intantum intelliguntur eidem commiſſæ, in quantum Vicarius Generalis eſt; ſed per mortem Epiſcopi deſinit eſſe Vicarius Generalis, ergo &c. Quod, ſi dicatur, quod cum eadem cauſa non procedat ab Epiſcopo, ſed à Curia Romana delegante non poſſit quoad iuriſdictionem in ordine ad eundem Vicarium ceſſare, cum etiam per mortem delegantis ex ſuperius dictis, quando res non eſt integra, non ceſſet iuriſdictio delegati per textum *in cap. gratum de offic. deleg.*, ſtatim erit impugnatio, quia quantumvis cauſa non procedat ab Epiſcopo conceditur tamen intuitu eiuſdem, cum deferatur ad ipſius tribunal, quod, cum ceſſat per mortem ipſius, ceſſat quoque quoad Vicarium, cui commiſſa fuit tanquam conſtituenti acceſſoriè cum eodem Epiſcopo idem tribunal; ad id, quod ſubditur de delegante non facit ad rem pro

Duo dubia circa ceſſationem ex morte Epiſcopi.

2 Ceſſat etiã in ordine ad cauſas iam incæptas,

Nec ca[...] paritas [...] poteſta[...] delegati per mo[...] delegantis, & q[...]re.

3 Ceſſat [...] poteſt[...] quoad c[...]ſas dele[...]tas, ſi [...] fuerint c[...]miſſæ, [...] Vicario.

Ceſſante auctoritate Epiſcopi, ceſſat etiam Vicarij eiuſ[dem] Generalis.

præ-

præſenti instituto; quandoquidem per mortem delegantis re incæpta permanet iuriſdictio in delegato, in præſenti autem hypotheſi ceſſat etiam delegatus, nam delegatio eſt Vicario Generali; & per mortem Epiſcopi deſinit eſse Vicarius Generalis. Quod, ſi vlterius vrgeas, quod, ſi ab alio delegetur Vicario Epiſcopi aliqua cauſa per mortem Epiſcopi delegatio non expirat *Paulus Clem. 2. de reſcriptis, & ibi Cardin. quæſt. 8. Ancharanus col. 1. in fin. Felinus cap. inſinuante num. 2. de offic. deleg. Sbrozius de offic. Vicarij lib. 3. qu. 17. num. 10. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 30. num. 9.* adhuc impugnaberis, quia ea procedunt, quatenus cauſa commiſſa eſt Vicario Generali, non quatenus Vicarius eſt, ſed quatenus talis perſona eſt; Deinde dici poteſt, & fortè melius prællegatos DD. loqui dumtaxat in ſuppoſitione, qua Epiſcopus non fuerit mortuus, ſed dumtaxat excommunicatus, in quo caſu licet Epiſcopi iuriſdictio, ſicut, & Vicarij ordinaria ſit ſuſpenſa, non tamen, nec ille, nec iſte deſinit eſſe Epiſcopus, & Vicarius, & proinde licet Vicarius non poſſit exercere ordinariam iuriſdictionem ſibi ab Epiſcopo competentem, poteſt tamen exercere delegatam, nam ex vno capite adhuc Vicarius eſt, cui comiſsa fuit delegatio, ex alio illam non exercet, vt ſibi dimanatam ab Epiſcopo excommunicato, ſed ab alio, qui excommunicatus non eſt.

An ceſſante Vicario Epiſcopi per mortem ipſius quoad cauſas delegatas poſſit Vicarius Capitularis eas perficere.

Si autem hic inquiratur, an in ea hypotheſi (qua dictum fuit delegatas cauſas à Pontifice, vel à Curia Romana Vicario Generali Epiſcopi, poſt mortem eiuſdem Epiſcopi non perſeuerare quoad iuriſdictionem in eodem Vicario) poſſit Vicarius capitularis eaſdem perficere, ſi fuerint inceptæ, an incipere, ſi fuerint adhuc integræ, maximum eſt diſſidium inter DD. *Garzias de beneficijs tom. 2. part. 6. cap. 2. num.* 45. docet non poſſe, quia vſus Curiæ, & Cancellariæ habet ſede Epiſcopali vacante non dirigere litteras in forma *dignum* Vicario capituli, quia non confidit in illo, ſed Vicario Epiſcopi vicinioris;

Sententia negatiua.

vnde *Barboſa de iure Eccleſiaſtico lib. 1. cap. 32. num.* 57. refert Sacram Congregationem die 24. Maij 1601. declaraſſe diſpenſationes matrimoniales directas Epiſcopo, & eius Vicario Generali, ſi ſedes vacare contingat, non poſse per Vicarium capitularem expediri, & iterum die ſecunda Auguſti 1651. cenſuiſſe capitulum, ſeù eius Vicarium non poſſe exequi commiſſiones Apoſtolicas in forma *dignum*, & alias directas Epiſcopo, vel eius Vicario Generali intuitu officij, vel ſub nomine dignitatis. Contrarium ſenſit

Sententia affirmatiua.

*Orbagaiua de ſacramentis tract. 4 qu. 11. num. 83. & Gauantus Enchirid. verb. capitulum ſede vacante num. 55.*, vbi refert Sacram Congregationem Epiſcop. die 5. Februarij 1601. declaraſſe Vicarium Capituli poſſe exequi literas directas ad Vicarium Epiſcopi ſub nomine Vicarij, & ſub die 10. Aprilis 1615. Vicarium capituli poſſe exequi literas eiuſdem Congregationis directas Epiſcopo defuncto, & ab eodem non executas. Quid igitur concludendum? In hac declarationum diuerſitate ad oraculum ſedis Apoſtolicæ recurrendum crediderim; non damnarem tamen ſtantibus declarationibus à Gauanto relatis, ſi Vicarius capitularis interim illas exequeretur. Quod, ſi vlterius dicatur communem eſſe opinionem, quod Vicarius capitularis non ſuccedat Epiſcopo in illis, quæ ipſi competunt tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato *Diana part. 7. tract. 12. reſol. 28.* ſtatim erit reſponſio communem opinionem procedere quoad ea, quæ eidem Epiſcopo tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato competunt de iure, ſeù à iure, ſuntque radicata, & exigunt tractum ſucceſſiuum, vt ſuſpendere, & ordinare, ne aliquis Regularis amplius prædicet, punire regulares prædicantes in Eccleſijs ſine licentia, & benedictione, viſitare monaſteria monialium exemptarum, & ſedi Apoſtolicæ ſubiectarum; non quoad ea, quæ per ſpecialem delegationem procedunt ab homine in ordine ad aliquem effectum exigentem executionem, quæ regulariter non exigit differri; ita etenim ex præſumpta delegantis voluntate eſt interpretandum.

4 Probabilior eſt ſententia affirmatiua.

Inſtantia ad prædicta, & reſponſio.

Si verò huiuſmodi cauſæ fuerint Vicario generali commiſſæ non intuitu Vicarij, & ſub nomine dignitatis, ſed vt talis perſona eſt habito reſpectu ad idoneitatem, & circumſtantias perſonæ; tunc abſolutè ſentiendum eſt, per mortem Epiſcopi Vicarij iuriſdictionem in ordine ad illas cauſas non expirare; Et in hoc ſenſu exiſtimo locutos *Paulum Clement. 2. de reſcriptis, & ibi Cardin. qu. 8. Ancharanum col. 1. in fin. Felinum cap. inſinuante num. 2. de offic. deleg. Sbrozium de offic. Vicar. lib. 3. qu. 17. num. 10.* Ratio ex eo deducitur, quia tunc nec expirat poteſtas ex parte delegantis, nec ex parte eiuſdem delegati per mortem Epiſcopi; non ex parte delegantis, eo quia ſupponitur perſeuerare cum omnimoda ſui auctoritate, & quamvis delegans mortuus fuiſſet, quando commiſſio iam incæpta eſt adhuc quoad complementum cauſæ perſeuerat in delegato per textum *in cap. gratum de offic. deleg.* non ex parte delegati, quandoquidem commiſſio non facta fuit eidem, quatenus Vicarius eſt, ſed quatenus talis perſona eſt, ſub qua ratione perſeuerat poſt mortem Epiſcopi, licet non perſeuerat quoad eſſe Vicarij. Hoc vt plurimum

5 Cauſæ cõmiſſæ non intuitu dignitatis, ſed perſonæ non expirant morte Epiſcopi.

contingeret, quando per viam appellationis à Curia Romana in parte committitur aliqua cauſa tali, vel tali Doctori Eccleſiaſtico, inter quos numeraretur idem Vicarius, vt Doctor, & partes in eundem conuenirent.

6 *Geſta per Epiſcopũ excommunicatũ non tamen nominatim denuntiatũ nec publicũ clerici percuſſorẽ tenent.*

Circa ceſſationem Vicarij ex capite excommunicationis, ſeu ſuſpenſionis Epiſcopi indubitatum eſt, quod, ſi non fuerit nominatim denuntiatus Epiſcopus, nec notorius Clerici percuſſor, ipſius auctoritas non remaneat ſuſpenſa, nec geſta per eum ad iuriſdictionem ſpectantia irritentur per allegata ſuperius iura poſt Concil. Conſtantienſe; ſi vero fuerit nominatim denuntiatus, vel publicus Clerici percuſſor, & ipſius auctoritas ſuſpenſa remanet, & illa Vicarij generalis quoad ſpectantia ad iuriſdictionem, & geſta per vtrumque in hoc genere non tenent, & omnino irrita ſunt per textum *in c. 1. in fin. de offic. Vicarij in 6. Gutierez de matrimonio c. 68. num. 19., & lib. 1. canonicar. qq. c. 1. num. 83. Baſilius Pontius lib. 5. c. 11. num. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. num. 72.*

*Duo dubia excitata.*

Quoad hoc caput ceſſationis poteſtatis Vicarij generalis duplex etiam inſurgit difficultas in hoc loco examinanda. Prima eſt, an in hac hypotheſi non obſtante excommunicatione, ſeu ſuſpenſione nominatim Epiſcopi poſſit eius Vicarius generalis valide aſſiſtere matrimonijs in tali Diœceſi celebrandis. Secunda, an Epiſcopus, ſeu eius Vicarius generalis quando ille eſt excommunicatus nõ toleratus, aut ſuſpenſus poſſit alium Vicarium, ſeu Vicecuratum inſtituere in tali Diœceſi; vel in aliqua Parochia eiuſdem Diœceſis, & ſi ille Vicarius, ſeu Vicecuratus aſſiſteret matrimonijs, valide aſſiſteret. In ordine ad primam abſolute ſentiendum eſt iuxta ſuperius dicta, quod matrimonia coram eodem Vicario generali, cuius Epiſcopus eſt excommunicatus non toleratus, vtique tenerent. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contractu c. 4. num. 72., & de tripl. lub. priuil. ſect. 3. §. 3. num. 65. Gutierez de matrimon. c. 68. num. 2. Marius Alterius tom. 1. de cenſur. lib. 1. diſp. 8. c 6. verſ. ex dict. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 119.* Ratio eſt, quia adhuc remanet in eſſe Vicarij generalis, nec talis aſſiſtentia eſt actus proprius iuriſdictionis per ſuperius dicta, ſed tantum actus auctoritatiuæ præſentiæ tanquam teſtis à publico deputati.

7 *Matrimonium initũ coram Vicario Generali, cuius Epiſcopus eſt excommunicatus vitandus, tenet.*

8 *In Vicecuratum deputatus ab Epiſcopo excommunicato vitando inualide aſſiſtit.*

In ordine ad ſecundam videtur prima fronte dicendum matrimonia coram illo Vicario ſubſtituto, vel Vicecurato inita valida eſſe, quandoquidem ex ſuperius dictis Epiſcopus, ſeu Vicarius generalis nominatim excommunicatus, & non toleratus, ſicuti poteſt valide aſſiſtere matrimonijs, ita poteſt facultatem aſſiſtendi, alteri delegare, cùm talis delegatio non ſit propriè actus iuriſdictionis, ſed mera ceſſio proprij iuris quoad hunc effectum. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt non ſubſiſtere *Gutierez de matrimon. c. 68. num. 2. Sanchez. de matrimon. lib. 3. diſp. 30. num. 10.* Ratio ex eo deducitur, quia illa inſtitutio in Vicarium, ſeu Vicecuratum eſt manifeſtus actus iuriſdictionis; neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, nam licet delegatio directa ad aſſiſtendum matrimonijs poſſit fieri ab Epiſcopo nominatim excommunicato, vel ab eius Vicario, cùm non ſit actus iuriſdictionis, illa tamen commiſſio indirecta, & conſecutiua validè fieri non poteſt, quià in tantum intelligitur facta commiſſio ad aſſiſtendum matrimonijs, in quantum eſt commiſſa cura in illa Diœceſi, vel Parochia; cùm igitur illa commiſſio curæ ſit actus merè iuriſdictionalis, qui exerceri non poteſt ab Epiſcopo nominatim excommunicato, nec ab eius Vicario, ſi illa non ſubſiſtit, nec ſubſiſtere poſſunt ea, quæ conſecutiuè eidem cohærent.

Circa ceſſationem Vicarij per directam reuocationem factam ab Epiſcopo indubitatum eſt eadem reuocatione poſita non poſſe amplius Vicarium actus iuriſdictionis, & munera Vicariatus exercere, quandòquidem illud officium non habet in titulum, ſed eſt ad nutum amouibilis, cum pendeat tàm in electione, quam in continuatione à voluntate, & arbitrio Epiſcopi eligentis, qui ſicut potuit eligere, & non eligere, ita poteſt velle electionem perſeuerare, vel non perſeuerare. 9 *Per reuocationem directam ceſſat poteſtas Vicarij generalis.*

His iam ſuppoſitis in ordine ad has omnes ceſſationes ex triplici enumerato capite nonnullæ inſurgunt dubitandi rationes, quæ ſunt ſcopus præſentis prænotionis, & primo, an, ſi morte Epiſcopi reuocata fuerit poteſtas, & iuriſdictio Vicarij, neceſſarium ſit, vt ceſſet à iuriſdictione, & munere Vicarij exercendo, vt mors Epiſcopi eidem Vicario iuridicè intimetur. Secundò, an, ſi Vicarius illam extraiudicialitèr norit, quamuis fuerit error communis de non exiſtentia mortis, poſſit adhuc actus iuriſdictionales validè exercere, & aſſiſtere matrimonijs, vel facultatem aſſiſtendi concedere; & è conuerſo, an poſſit actus illos iuriſdictionis, & aſſiſtentiæ exercere, ſi ipſe mortem ignoret, quamuis alij communitèr nouerint; Tertiò quomodò debeat Vicario reuocatio eiuſdem facta per Epiſcopum innoteſcere. *Articuli examinandi circa propoſitũ titulum.*

Aſſertio I. Non eſt neceſſe ad effectum, vt Vicarij Generalis auctoritas, & iuriſdictio ceſſet poſt mortem Epiſcopi, vt eadem mors eidem iuridicè denuntietur *Felinus in c. ex parte decani n. 19. verſ. fallit octauo de reſcript. Flaminius lib. 7. de reſignat. benefic.* 10 *Vt ceſſet iuriſdictio Vicarij nõ eſt neceſſe, vt mors Epiſcopi eidem iuridice denuncietur.*

Digitized by Google

*beneſic. q.24.n.36. Sanchez lib.3. de matrimon. diſp.30 n.4. Ioannes Angel. Boſſius de matrim. contract. c.4 n.71.*

Communis ſcientia interpellat pro morte.

Ratio ex eo deducitur, quià non eſt neceſſaria intimatio, vbi communis ſcientia pro morte interpellat, quandòquidem ipſo iure ceſſat, nec ad depoſitionem exigit hominis miniſterium, ergò vbi mors communitèr innotuerit ceſſabit auctoritas, nec poterit amplius illam exercere. Confirmatur ex ijs, quæ infra dicentur, nam, quantumvis ipſe fuerit ignorans mortis Epiſcopi, ſi tamen illa cõmuniter non ignoretur non poteſt amplius munera Vicariatus iuriſdictionalia, ſeù auctoritatiua exercere, ergò non eſt neceſſaria iuridica intimatio, adhoc vt ab huiuſmodi muneribus teneatur abſtinere.

11 Si communitèr ignoretur mors Epiſcopi, quamuis ſciatur ab eius vicario geſta, per iſtum tenent.

Aſſertio II. Si Vicarius mortem Epiſcopi nouerit, & alij communitèr ignorauerint, geſta per ipſum ante communem ſcientiam tenent. Conſonat cum ijs, quæ ſuprà dicta ſunt, dum de Epiſcopo, & Parocho putatiuo, & in hoc conſentit *Sanchez lib.3. de matrimon. diſp. 22.n.59.* per textum *in d.l. Barbatius, ff. de offic. prætor.*

Ratio ex eo deducitur, quià titulus coloratus cum errore communi, quandò titulus collatus eſt à legitimo ſuperiore habente auctoritatem conferendi ſufficiens eſt ad validitatem actuum, nec ſcientia priuata eiuſdem Vicarij de morte Epiſcopi deſtruit titulum coloratum, nam hic deſumitur ſecundum communem hominum exiſtimationem, & ſenſum, nec minus minuit errorem communem, quandòquidem hic reſidet penes alios, non penes ipſum *Albericus l. ſi forte in initio, ff. de offic. præſid. Vbertinus, & alij apud Speculat. tit. del iudice delegato §. reſtat videre num.5.*, ſed mortuo Epiſcopo, & ſciente Vicario, dum alij communitèr ignorant mortem, reuera adeſt titulus coloratus cum communi errore, ergò non eſt, cur geſta per eundem ante communem ſcientiam non debeant tenere.

12 Et probabilius Vicarius ſciens mortem, & exercens huiuſmodi actus non peccat.

Hic ſolum oritur difficultas, an Vicarius ſciens mortem Epiſcopi, & per conſequens officium proprium cum illo expiraſſe, dum tamen perſeuerat error communis de morte illius, ſi exerceat munera iuriſdictionalia, & auctoritatiua peccet, dum iuriſdictionem ſciens ſibi arrogat, quæ eidem non competit. Probabilius crederem non peccare, quià vtitur iure ſibi competente, nec alicui infert iniuriam, nec tenetur ſe ipſum priuare iure, quod iura eidem concedunt, nec ſibi arrogat, quæ ſua non ſunt, quià quotieſcunque perſeuerat communitèr error, perſeuerat eiuſdem auctoritas, & iuriſdictio.

13 Aſſertio. III. Ignorante Vicario mortem Epiſcopi, ſi alij communitèr ſciunt ipſum mortuum, acta per eundem ad iuriſdictionem, & auctoritatem pertinentia non tenent *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 30. n. 59., & 2. Gutierez de matrimon. c.68.n. 14., & 15. Baſilius Pontius lib.5. c. 11. n.8. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 3. nu. 71., & de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 3. caſu 2. § 4. n.144.*

Ignorante Vicario mortem Epiſcopi, ſi alij communitèr ſciant, geſta per iſtũ non tenent

Ratio ex eo deducitur, quià in hac hypotheſi, nec verè eſt titulus, cum per mortem Epiſcopi defecerint, nec titulus coloratus, nec error communis, ergò &c. Antecedens quoad primam partem ex ſe patet, quoad ſecundam euincitur, quià titulus coloratus non conſiſtit in vera exiſtentia tituli, ſed in aprehenſione communi hominum, quod verè exiſtat, licet re vera non ſit, ſed vbi eſt communis ſcientia de defectu Epiſcopi per mortem non poteſt eſſe communis apprehenſio de exiſtentia iuriſdictionis in ipſius Vicario, ſiquidem conſtante de morte eo ipſo conſtat de deficientia auctoritatis eiuſdem Vicarij, ergò &c. Hac eadem ratione euincitur, quod non poſſit eſſe error communis, ergò &c. Conſequentia probatur, quia iura *in d.l. Barbatius, ff. de offic. prætoris*, & alia ſuperius allegata tunc tantum valida reputant geſta per habentem titulum coloratum, quandò adeſt communis error.

Inſtantia propoſita eiuſque ſolutio.

Dices, ſi Epiſcopus mortuus fuerit in remotis partibus, & Vicarius ignorans dimiſſorias fecerit, vel ex ſpeciali mandato admiſerit reſignationem beneficij, tenent, & literæ, & reſignatio *Flaminius de reſignat. beneficij lib.7. q.24.n.33. vbi etiam refert deciſionem Rotæ Romanæ, Anaſtaſius Germonius de indultis §. tibi quoad vixeris nu. 63. Sbrozius lib.3. de offic. Vicarij Epiſcopi q. 37. n.9. in fin. Henriquez lib.6. de pænit. c.13.n. 3. in comment. lit. A.*, ergò ſolo Vicario ignorante non inualidantur ipſius acta. Sed contrà, quià huiuſmodi allegati DD. non ſupponunt ſolum ignorantiam in vicario, ſed communem in alijs omnibus, quod præcipuè colligitur ex eo, quod ſupponitur mors in remotis regionibus ſecuta, atque ita eoſdem intelligit *Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 22. n.59. in fin.*, & concordat cum ſuperius dictis.

14 Si Vicarius Generalis literas dimiſſorias, vel delegationẽ dederit mortuo Epiſcopo, cum ignorantia communi talis mortis, & re adhuc integra mors promulgetur, nec literæ, nec delegatio poteſt exequi

Hic oritur ratio dubitandi, an, ſi mortuo Epiſcopo ignorantibus omnibus Vicarius generalis litteras dimiſſorias dederit, huiuſmodi literæ teneant, licet poſtea re integra ſciatur mortem Epiſcopi præceſſiſſe. Hæc difficultas, quæ excitatur in ordine ad literas dimiſſorias poteſt extendi ad alia ſimilia, puta, ſi facta fuerit delegatio ſecuta morte Epiſcopi, eaque communiter ignorata v. gr. ad aſſiſtendum matrimonio poſſit delegatus adhuc aſſiſtere, quantumvis antequam aſſiſtat ſciatur mortem Epiſcopi præceſſiſſe delegationem. Crediderunt aliqui in vtro-

O 2 que

que caſu tenere, ſi tempore conceſſionis literarum, ſeù delegationis fuerit error communis circa mortem Epiſcopi. Ratio ex eo deducitur, quia pro tempore conceſſionis erat ſufficiens, & legitima poteſtas in concedente, ſeù delegante, quandoquidem extante communi errore perſeuerabat titulus coloratus, & poſita legitima delegatione ius in delegato, ſicuti non expirat morte delegantis, ità nec expirare videtur habita notitia de morte ipſius, quandò delegatio facta eſt per Vicarium pro tempore, pro quo error communis vigebat circa mortem Epiſcopi; Ita expreſ è tenere videtur *Henriquez lib. 10. de ſacram. ordin. cap. 22. nu. 3. in comment. lit. P.* Nihilominus tutius ſentiendum exiſtimo, cognita communiter morte re adhuc integra, nec literas dimiſſorias tenere, nec delegationem exequi validè poſſe. Ratio ex eo deducitur, quia, quantumvis per mortem delegantis re non adhuc integra non ceſſet delegatio, ſeù iuriſdictio in delegato, ceſſat tamen re adhuc integra per textum *in cap. gratum, & cap. licet de offic. delegat.* in vtroque autem caſu expoſito res adhuc intelligitur integra, & vera delegatio.

15 **Reuocato per Epiſcopum Vicario cum ſcientia communi acta ipſius non teneat.**

Aſſertio IV. Reuocato Vicario Generali per Epiſcopum, & conſtante de reuocatione, tam ipſi Vicario, quam alijs communiter, geſta ſubſequenter per ipſum Vicarium abſolutè non tenent *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 20. num. 11. in princip. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 4. nu. 74., & eſt communis omnium ſcribentium conſenſus.*

Ratio ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi Vicarius caret omnimodè iuriſdictione, nec eidem ſuffragari poteſt titulus coloratus, nec error communis, ergo quodcunque geſſerit pertinens ad iuriſdictionem poſt illam reuocationem ſic notam erit inualidè geſtum.

Difficultas poteſt eſſe ſolummodò, an quando non adeſt communis error, ſed ſcientia regulariter apud omnes de tali reuocatione ſufficiat, vt eadem reuocatio ſit quomodocunque nota eidem Vicario, ad effectum, vt geſta per eundem non teneant, an verò requiratur ſpecialis notitia per intimationem eiuſdem, & quomodo. Plerique exiſtimant ſufficere, ſi eidem ſit nota per perſonam fide dignam, quæ certò nouerit reuocationem, certioremque faciat eundem reuocatum. *Gloſa Clem. cauſam verb. plena de elect., & cap. capientes verbo notitiam de elect. in 6., & ibi Ancharanus num. 3. verſ. notitiam, Calderinus rub. de offic. Vicarij conſ. 4. Felinus cap. caeterum num. 11. de reſcript. Sbrozius de Vicario Epiſcopi lib. 2. qu. 33 num. 10.* Contrarium ſuſtinent *Rebuffus praxi beneficior. tit. de forma Vicariatus num. 212. Antonius Cucus lib. 2. inſtit. maior. tit. 8. num. 147. Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 30. num. 13.* quibus libentius aſſentior, non ita tamen, vt exiſtimem, requiri intimationem iuridicam ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus, ſed ſolummodo, quod intimatio fieri debeat, vel per eiuſdem Epiſcopi epiſtolam, vel per Procuratorem, vel per nuntium ad id deputatum. Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte nemo ſuo iure priuandus eſt per ſimplicem alicuius, vel populi dictionem; vnde congruum eſt, vt eo modo, quo fuit electus, eodem diſſoluatur electio; ſicuti igitur electio exigit notitiam non quomodocunque, ſed vel per Epiſtolam, vel per nuntium ad id deputatum, ita & eandem debet exigere reuocatio *arg. cap. 1. de reg. iuris*; ex altera, cum tàm electio, quam reuocatio dependeat à ſola Epiſcopi voluntate, & arbitrio ſufficit, quod vel per ſe ipſum, vel per procuratorem notificet reuocationem.

16 **Reuocatio tamen debet eidem notificari, vel per Epiſtolam Epiſcopi, vel per Procuratorem, vel per nuntium ad id deputatum.**

Dices ex ſuperius dictis, ſi per mortem Epiſcopi ſequatur reuocatio Vicarij Generalis, non eſt neceſſaria intimatio mortis facienda eidem Vicario, ſed ſufficit, quod communiter non ignoretur, vnde eodem etiam ignorante, dummodo fuerit ſcientia communis de morte non tenent geſta per ipſum, ergo, neque erit neceſſaria intimatio reuocationis factæ per eundem Epiſcopum, ſed ſufficiet ſcientia quomodocunque. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia poſita morte Epiſcopi ſecundum ſe ceſſat ipſo iure Vicarij iuriſdictio, & tantum poteſt ſubſiſtere in errore communi, qui, ſi deficiat, abſolutè deficere debet, cum, nec in re, nec in communi apprehenſione vim habeat; poſita verò reuocatione, videtur interim tacitus reuocantis conſenſus perſeuerare, vt Vicarius vices ſuas gerat, adeoque eſt neceſſaria eiuſdem reuocationis intimatio modo, quo ſupra.

17 **Intellige, niſi reuocans in actu reuocationis expreſſerit, nolle ex tunc geſta per reuocatum ſubſiſtere.**

Dixi, *tacitus reuocantis conſenſus durare videtur*, nam, ſi ipſe reuocans in eodem actu reuocationis expreſſerit nolle ex tunc geſta per reuocatum valere, tunc certè acta non poſſent ſubſiſtere, quia iuriſdictio, nec vim haberet in communi errore, cum ſupponatur notitia reuocationis vbique, nec in formali voluntate Epiſcopi, cum eam retractauerit, nec in præſumpta, nec interpretatiua, quia cum conſtet expreſsè nolle amplius acta per Vicarium valere, non poteſt eſſe præſumptio, quod tacitè annuat ipſius geſtis. Nunc ſolum remanet dubium, an, ſi Epiſcopus in reuocatione non expreſ è dixerit ſe nolle amplius Vicarij reuocati geſta valere, ſed ſolummodo immediatè alium Vicarium elegerit, intelligantur irrita

**Vel immediatè alium Vicarium ſubſtituerit.**

priori

prioris vicarij geſta, etiam ſi eidem non fuerit intimata reuocatio. Probabilius eſt, eadem eſse irrita: ſi etenim, quando Epiſcopus in reuocatione expreſsa dixit ſe nolle ex tunc eiuſdem vicarij geſta valere, non valent etiam, ſi non fuerit intimata reuocatio, nec etiam valere poſſe videntur, quando poſt reuocationem eiuſdem alium immediatè ſubſtituit; quandoquidem per talem ſubſtitutionem videtur ſufficienter indicare ſuam voluntatem de nullitate actuum poſtea per ipſum reuocatum gerendorum, & illa noua electio æquiualet illi expreſſioni; Neque obeſſe poteſt textus *in l. ſi fortè 17. ff. de offic. præſid.* vbi ſic legitur *Si fortè præſes prouinciæ manumiſerit, vel tutorem dederit, priuſquam cognouerit ſucceſſorem aduenisse, erunt & hæc rata*; ex quibus vides, quod iam alius præſes ſucceſſor fuerat electus, & aduenerit in prouinciam ſibi demandatam; & quod præſes anteceſſor ſciuerit aduentum, & tamen geſta per eundem dicuntur rata, ergo, quantumvis alter vicarius electus fuerit poſt ipſius reuocationem, non propterea prioris erunt irrita geſta, niſi reuocatio eidem fuerit intimata; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in illo textu non dicitur, quod cæteri illius prouinciæ ſciuerint præſidem ſucceſſorem aduenisse, ac proinde aderat error communis, in quo fundatur validitas geſtorum per anteceſſorem, quod non militat in præſenti hypotheſi, ſecundum quam ſupponitur communiter nota reuocatio, & alterius electio.

18 **Reuocato Vicario ſciente reuocationem, ſi adſit error communis geſta per ipſum tenent.**

Aſſertio V. Si Vicarius reuocatus fuerit, & ſciuerit reuocationem, & adſit communis error reuocationis geſta per eundem rata habentur. Conſentiunt *Sanchez de matrimon. diſp. 30. num. 11. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 74.*

Ratio deducitur ex ſuperius dictis *ex d. l. Barbarius ff. de offic. prætor.*, quia licet tunc iuriſdictio, & poteſtas Vicarij non fundetur in titulo ſecundum rei veritatem exiſtenti, fundatur tamen in titulo colorato, & in communi errore; & pro hoc faciunt ea, quæ ſuperius dicta ſunt de reuocatione per mortem Epiſcopi, quæ quamvis fuerit nota eidem vicario, quantumvis ab alijs communiter ignorata, non deſtruit acta per eundem vicarium, quouſque ſuperuenerit communis notitia, & error communis deſtruatur; nec officit priuata ſcientiæ eiuſdem vicarij de morte Epiſcopi, quandoquidem vnius, vel alterius ſcientia non attenditur à iuribus ad hoc vt geſta per habentem titulum coloratum irrita, vel valida habeantur, vt notant *Sanchez diſp. 22. num. 6.*, & *Baſilius Pontius lib. 5. c. 19. nu. 4. ex d. l. Barbatius ff. de offic. prætor.*

## PRÆNOTIO XXXII.

### Qualis præſentia Parochi, & teſtium requiratur ad matrimonij valorem.

### SVMMARIVM.

*Non eſt neceſſaria præſentia Parochi, & teſtium Phyſica, ſed ſufficit moralis in eo ſenſu, vt ſecundum communem exiſtimationem non ſint moraliter abſentes.* 1.

*Non ſufficit præſentia Phyſica, & corporea, ſed requiritur moralis, rationalis, & humana.* 2.

*Non eſt neceſſe vt Parochus, & teſtes percipiant omnibus ſenſibus ea, quæ fiunt per contrahentes.* 3.

*Interpres vt interpres manifeſtans conſenſus contrahentium abſentium coram Parocho, & teſtibus non eſt ſufficiens ad validitatem, niſi ſimul ſit procurator.* 4.

*Tenet matrimonium, quantumvis Parochus præſens affectet non percipere ea, quæ fiunt, dummodo percipiat.* 5.

*Furioſi, amentes, ebrij, & infantes non cenſentur validè, & moraliter præſentes.* num. 6.

*Præſentia Parochi debet eſſe cum actuali attentione, nec ſufficit, ſi ſit cum virtuali ad valorem matrimonij.* 7.

*Sufficit, quod aliquo ſenſu percipiant ea, quæ fiunt.* 8.

*Præſentia Parochi, & teſtium ad validitatem matrimonij debet eſſe ſimultanea, nec ſufficit ſucceſſiua.* 9.

*Non requiritur, vt aſſiſtentia Parochi, & teſtium ſit rogata.* 10.

*Probabilius etiam tenet matrimonium, ſi contrahentes proferant conſenſum, dum Parochus ſacris indutus progreditur ad altare, vel ab eodem reuertitur.* 11.

*Quinimmò etiam, ſi dum actu celebrat eidem proferant ſuum conſenſum, dummodo videri poſſint, & diſcerni.* 12.

*Non eſt neceſſe, quod præſentia ſit voluntaria, ſed ſufficit etiam coacta, & per dolum inducta.* 13.

*Non ſatis eſt, quod Parochus, & teſtes fuerint præſentes ſponſalibus etiam iuramento firmatis, nec ſponſalibus, ſi poſtea ſponſi clam animo vxorio ſe cognoſcant, vel ſi adſtiterint matrimonio impuberum, vel puberis cum impubere.* 14.

*Si clam præceſſerint ſponſalia, & poſtea ſecuta fuerint copula coram Parocho, & teſtibus non tenet, nec fit matrimonium.* num. 15.

*Si ſponſalia, & copula fuerint habita coram Parocho, & teſtibus præſumitur pro matrimonio.* 16.

Hacte-

Digitized by Google

HActenus poteſtatem, & ius aſſiſtendi, & delegandi ad aſſiſtendum iuxta diſpoſitionem *Sacroſancti Concil. Trid. in cap. 1. ſeſs. 24. de reform. matrimon.* examinauimus, nunc exercitium eiuſdem poteſtatis ſecundum præſentiam ad hoc munus requiſitam indagandam aſſumimus, non ſolum in ordine ad qualitatem eiuſdem præſentiæ, ſed etiam in ordine ad obiectum, ad quod illa debet referri. In ordine ad eandem præſentiam ſecundum ſe erit lata diſputatio, an eadem debeat eſse phyſica, an ſufficiat moralis, an corporea præciſè, an requiratur rationalis, & humana, an ſimultanea, an verò etiam cum diſcontinuatione, an rogata, an accidentalis, an ſpontanea, an etiam coacta, an libera, an vero etiam doloſa, & his ſimilia. In ordine vero ad eandem relatiuè ad obiectum inquiretur primò, an ſufficiat præſentia Parochi, & teſtium ſponſalibus iuramento confirmatis. Secundò, an ſufficiat eadem præſentia ſponſalibus, ſi poſtea ſequatur copula, vel alia, quæ ex genere ſuo inducunt matrimonium. Tertiò, an ſufficiat, quando interſunt matrimonio impuberu, vel puberis cum impuberi malitia in impuberi non ſupplente ætatem.

Articuli examinandi circa propoſitū titulum.

1 Sufficit præſentia moralis, vt non cenſeantur abſentes.

Aſſertio I. Non eſt neceſſaria præſentia Parochi, & teſtium phyſica, ſed ſufficit moralis in eo ſenſu, vt ſecundum communem exiſtimationem ſit tanta diſtantia, vt cenſeantur moraliter abſentes. Hanc arbitror communem ſententiam, quamuis apud neminem expreſſam inueniam.

Ratio ex eo deducitur primò, quia hæc præſentia Parochi, & teſtium ad eum effectum inducta eſt, vt coram Eccleſia teſtificari poſſit de mutuo contrahentium conſenſu per verba de præſenti coram ſe exhibito, & per hoc euerti poſſit matrimoniorum repetita congeries, & valida iam cõtracta deſerantur, & ne ineantur inualida contra fidem priori coniugi præſtitam, vt conſtat ex proemialibus *Concil. Trident. in eod. cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim*, ſed ad hoc non eſt neceſſaria præſentia phyſica, ſed ſufficit moralis, ſecundum quam, & ipſe Parochus, & teſtes commode videre poſſunt, quæ fiunt, & audire, quæ dicuntur per eoſdem contrahentes, ergo &c. Minor patet, quia teſtis validè, & efficaciter deponere poteſt, tàm de viſu, quàm de auditu, quoad ea, quæ in aliqua diſtantia vidit, & audiuit. Secundò, quia in reliquis, in quibus de præcepto requiritur præſentia regularitèr non eſt neceſſaria phyſica, ſed moralis, vt videre eſt in auditione ſacri ſub præcepto, in contactu in ordinibus recipiendis, in quibus de neceſſitate non requiritur phyſicus, ſed moralis, ergo etiam &c.

2 Non ſufficit præſentia phyſica, & corporea, ſed requiritur moralis, rationalis, & humana.

Aſſertio II. Non ſufficit præciſè præſentia phyſica, & corporea in eo ſenſu, vt ſint tantum præſentes corpore, non mente, ſed requiritur moralis, rationalis, & humana in eo ſenſu, vt percipiant, quæ fiunt, & audiant, quæ dicuntur *Spinus tract. de teſtam gloſ. 15. num. 47., & ſeqq. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 60. Franciſcus Zippæus lib. 4. tit. de ſponſalib. & matrim. num. 14. Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 7. nu. 5. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 78. & de Parochi cap. 21. num. 49. Paulus Laiman lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 6. Filliutius part. 1. tract. 10. cap. 6. num. 224.*, & alij innumeri apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. cap. 3. num. 2.*

Expreſsè hæc aſſertio colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Cardin. Concil. Trident. interpretum apud *Rebellium part. 2. lib. 2. qu. 8. num. 4., & 7., & poſt lib. 4.* per hæc verba formalia. *Quartum dubium, ſi Sacerdos adfuit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audiuit, vtrum tale matrimonium validum ſit ſic contractum, vel potius tanquam ſine ſacerdote nullius ſit ponderis: Reſpondit Sacra Congregatio non valere, ſi ſacerdos non intellexit*; quod etiam in fortioribus terminis colligitur ex verbis eiuſdem *Trident. d. cap. 1 ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* Ibi *eorum mutuo conſenſu intellecto*, nec incongrua ratione, quia, qui non intelligit, nec præſens dici poteſt ad effectum, vt teſtificetur per textum *in l fin. ff. de verb. ſignif. & l. teſtium C. de teſtibus*.

Requiritur præſentia, vt poſſit teſtificari.

Ratione etiam euincitur ſuperius adducta, quia ideò requiritur à Concilio Trident. præſentia Parochi, & teſtium, vt poſſint coram Eccleſia teſtificari de contractu per legitimum, & expreſſum conſenſum initum, quomodo autem teſtificari poſſunt, ſi fuerint corpore præſentes, ſpiritu tamen abſentes? Confirmatur, quià ad effectum intentum ab Eccleſia ſcilicet teſtificandi de matrimonij contractu actu non intelligens, quæ fiunt, perindè eſt, ac, ſi eſſet abſens, ergo &c.

3 Non eſt neceſſe, vt omnibus ſenſibus percipiant ea, quæ fiunt.

Ad hoc tamen, vt talis præſentia ſit moralis, rationalis, humana, & ſufficiens, non eſt neceſſe, quod Parochus, & teſtes omnibus ſenſibus percipiant, quæ fiunt, ſed ſatis eſt, quod vno, vel altero ſenſu cognoſcant, vt, ſi audiant verba, vel videant ſigna mutui conſenſus, cum matrimonium ex dictis in quæſtionibus de ſponſalibus valide poſſit contrahi verbis, vel ſignis, dummodo ſufficienter indicent conſenſus; nec ſolum ſufficit, quod immediatè percipiant verba, vel ſigna eorundem contrahentium, ſed etiam, ſi eadem percipiant, mediatè hoc eſt per interpretem, quod colligi poteſt ex *l. 1. §. fin ff. de verb.*

*verb. oblig.*, & confirmari etiam poteſt exemplo confeſſionis, quam quis validè poteſt facere per interpretem nemine diſceptante; &, ſi ipſi contrahentes poſſunt ſibi ad inuicem deferre conſenſum, cur eundem deferre non poterunt ad Parochum, & teſtes per eundem interpretem?

Hic duplex examinanda occurrit difficultas prima, an data hanc ſuppoſitione, quod ſufficiat, quod Parochus, & teſtes, vt dicantur ſufficientèr præſentes, intelligant mutuum contrahentium conſenſum per interpretem, poſſit validè idem interpres deferre ad hunc effectum eorundem contrahentium conſenſum ad ipſum Parochum, & teſtes ſimul exiſtentes, quantumvis ipſi contrahentes exhibito eidem interpreti conſenſu tempore delationis ſint abſentes. Secunda, an intelligatur ſufficiens præſentia Parochi, & teſtium ad validitatem matrimonij, ſi Parochus ſufficientèr præſens, vt commodè poſset videre, audire, & intelligere ea, quæ fiunt, affectaret non intelligere, ſeù conſultò nollet intelligere aures, & oculos præcludendo.

**Duo dubia examinanda.**

In ordine ad primam recolenda ſunt in primis, ea, quæ ſuperius diximus de matrimonijs initis per Procuratorem. Secundò de ijs, quæ inita ſunt per literas, per quas, vt vidimus, poteſt coram Parocho, & teſtibus manifeſtari mutuus conſenſus, etiam prout importat mutuam acceptationem. Vide, quæ diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrim. I. prænot 8. aſſert. 4., & aſſert. 2. per totum*. Nihilominus in rigore loquendo exiſtimo interpretem, vt interpretem manifeſtantem conſenſus contrahentium abſentium coram Parocho, & teſtibus non eſse ſufficientem ad reddendū validum matrimonium, quià interpres, vt interpres præcisè declarat, & exprimit conſenſum, non propriè defert, nec acceptat. Quod, ſi ſupponas, non ſolum eſse interpretem, ſed etiam procuratorem conſtitutum ad deferendum, & acceptandum nomine ſuorum principalium, tunc dicendum eſt prout diximus *ſub hoc eodem titulo dicta prænot. 8. aſſert. 1. verſ. diſputant inſuper, & tom. 5. ſub tit. contractus XIV. de ſponſal. I. prænot. 5. ſect. 7. n. 11.*, ad quæ vos remitto.

**4 Interpres, vt interpres non eſt ſufficiens ad deferendū conſenſum contrahentium abſentium.**

In ordine ad ſecundam dicendum eſt ſubſiſtere matrimonium, quantumvis Parochus ſufficientèr præſens obturando aures, & oculos occludendo affectaret non intelligere ea, quæ fiunt, dummodò tamen intelligeret, ſecus ſi non intelligeret. In his terminis in vniuerſum conſentit *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 39. n. 6. verſ. fateor. difficilem*. Fundamentum primæ partis deſumitur ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trident. interpretum apud *Salzedo pract. c. 73. inter alias quas ibi recitat ea eſt ad 4. publ.*, quæ ſic habet. *Congregatio Concilij cenſuit non valere matrimonium, ſi ſacerdos non intellexit, niſi tamen affectatum eſset non intelligere*; nihil enim aliud eſt affectare, quam conſultò aliquid facere per textum *in l. quod ait lex 23. §. quod ait lex ff. ad leg. Iul. de adul.* Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià omninò improbabile eſt, quod ſacra Congregatio voluerit teſtimonium illius eſse validum, qui nihil percepit eorum, quæ facta ſunt. Quomodo enim teſtificari poteſt de matrimonio, quod non cognouit?

**5 Tenet matrimoniū, quantumvis Parochus præſens affectet non audire, nec percipere, quæ fiunt dummodo percipiat.**

Ex dictis ſequitur, quod furioſi, amentes, infantes, ebrij, & dormientes non poſſint dici valide præſentes ad effectum, vt matrimonium coram illis initum dicatur ſubſiſtere *Franciſcus Molinus lib. 2. de ritu nupt. diff. 11. nu. 124. Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. n. 87 Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 3. num. 2. in fin.* & ratio eſt, quià huiuſmodi communitèr reputantur pro abſentibus per textum *in l. 1. §. furioſus, ff. de acq. poſſeſ.* Excipe niſi furioſus haberet dilucida interualla, & aſſiſteret pro tempore ſanæ mentis *l. qui teſtamento §. eum, qui C. de teſtam.*

**6 Furioſi, amentes, ebrij, & infantes non ſufficientèr moralitèr cenſentur præſentes.**

Aſſert. III. Præſentia Parochi debet eſse cum actuali attentione, nec ſufficit, ſi ſit cum virtuali ad valorem matrimonij *Fillintius part. 1. tract. 10. c. 6. n. 224. Gutierez de matrimon. c. 69. Laiman lib. 5. tract. 10. par. 1. 2. c. 4. n 6. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 39. n. 5. Auguſtinus Barboſa de Parochis c. 21. nu. 49.* hancque tutiorem appellat *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. cont. c. 3. n. 21.*

**7 Præſentia debet eſſe cum actuali attentione.**

Nomine attentionis virtualis in hoc genere *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 3. n. 1. in comment. lit. E.* qui docet ſufficere aſsertionem virtualem, intelligit præcisè eam, qua Parochus præmonitus, & rogatus ad aſſiſtendum matrimonio acceſſit, vel ſponſi coram eo ſe præſentarunt, per quod indicatur intentio aſſiſtendi, licet poſtea pro tempore, quo ſponſi exhibent ſuum conſenſum alio mente directus non attendat, nec percipiat ea, quæ actu fiunt; nomine verò attentionis actualis venit actualis perceptio, & intelligentia mutui conſenſus exhibiti per contrahentes.

**Quid veniat nomine attentionis virtualis.**

Ratio ex eo deducitur, quià aſſiſtentia debet eſse talis, vt de viſu, vel de auditu poſſit parochus, & teſtes coram Eccleſia teſtificari de matrimonio initio per actualem conſenſum, ſed ſtante præcisè virtuali attentione, nec de viſu, nec de auditu teſtificari poſsunt de actuali conſenſu ſenſibilitèr exhibito, ſed dumtaxat, vel de proprio acceſsu, vel de præſentatione coniugum coram ſe, ergò per talem attentionem non ſufficientèr aſſiſtunt, vt validum dici poſſit matrimonium. Confirmatur

**Præſentia virtualis non eſt ſufficiens, vt poſſint teſtificari, vel de viſu, vel de auditu.**

Digitized by Google

quià ſcilicet ad validitatem geſtorum per habentem titulum putatiuum non ſolum requiritur error communis, ſed etiam, quod titulus ſit ab habente legitimam auctoritatem illum conferendi, & alius ab ipſo, ſi conferat, quantumvis ſit ſuperior in ordine tamen adhoc munus conferendi perindè eſset, ac ſi eſset perſona priuata, & non ſuperior. Hinc inferunt aliqui, quod, ſi capitulum ſede vacante per ſuum Vicarium conferat alicui titulum inualidè conferat, & geſta per illum ſint abſolutè irrita. Non negauerim tamen, quod ſi Vicarius Generalis vacante aliqua Parochia aliquem ad munera parochialis illius beneficij deſtinàuerit geſta per illum ſic deſtinatum teneant, ſed hæc præſtaret potius per munus ſibi commiſsum, non per titulum acquiſitum, cum Vicarius illum conferre non potuerit.

11 Delegatus per intruſum inualidè aſſiſtit.

Colligitur ſecundò, quod, ſi fiat delegatio, & delegans fuerit intruſus, quamuis per communem errorem habeatur pro legitimo, acta per delegatum ſint ipſo iure irrita *Sanchez d. lib. 3. de matrim. d. diſp. 22. nu. 51. Sbrozius de Vicario lib. 3. q. 24. nu. 2. Paulus Caſtrenſis conſ. 99. dub. 1. vol. 2.*, & pro hac illatione militant eædem rationes, quæ militant pro ſuperius dictis.

12 In ijs, in quibus vltrà electionem requiritur confirmatio electus à legitimo, & ab illegitimo cõfirmatus non validè aſſiſtit.

Colligitur tertiò, quod vbi requiritur ad validam, & perfectam collationem tituli confirmatio, quantumvis electio facta fuerit per habentem legitimam auctoritatem eligendi, non tamen ſecuta fuerit confirmatio ab habente auctoritatem confirmandi, geſta per electum non teneant *Sanchez d. lib 3. diſp. 22. n. 52. Vallerus verbo nullitas diff. 7. n. 5.* Ratio eſt, quià titulus non haberetur à legitimo ſuperiore, cum per ſolam confirmationem conferatur.

13 Deficiente legitimo Parocho ſubſtitutus per concilium loci ad adminiſtranda ſacramenta non validè aſſiſtit.

Colligitur quartò, quod, ſi in aliquo loco deficiente Parocho per concilium loci fuerit ſubſtitutus ſimplex ſacerdos ad adminiſtranda ſacramenta ſine approbatione Epiſcopi, vel habentis poteſtatem, & iuriſdictionem Epiſcopalem in tali loco geſta per eundem ſubſtitutum præcipuè quoad ſacramentum pænitentiæ, & matrimonij non teneant *Sanchez, loc. cit. nu. 63.*, quià non aderat titulus, nec legitima delegatio in illo Parocho præſumpto à ſuperiore habente legitimam auctoritatem conferendi titulum, vel delegandi ad talia munera.

Duo dubia excitata.

Pro complemento eorum, quæ pertinent ad præſentis prænotionis titulum duæ remanent difficultates diſsoluendæ. Prima eſt, an in dubio de legitimo titulo in Parocho, vel ſufficientis mandati in delegato validè contrahatur matrimonium coram illo. Secunda, an, ſi in collatione fuerit defectus in electionis forma, quatenus ſolemnitas iure præſcripta omittatur in electione, vel collatione, geſta per ſic electum valeant, anverò nullius roboris ſint.

14 In dubio, an habeat legitimum titulum, ſi dubium ſit opinatiuũ aſſiſtens validè aſſiſtit, ſecus, ſi fuerit ſuſpenſiuũ.

Ad primam reſpondendum exiſtimo cum diſtinctione, vel etenim tale dubium eſt opinatiuum, vel ſuſpenſiuum; ſi fuerit merè opinatiuum, & rationes inclinantes pro legitimitate tituli fuerint probabiles, & inducentes moralem, & prudentem credulitatem exiſtentiæ eiuſdem ſentiendum eſt geſta per eundem eſse valida, prout ſpectant ad iuriſdictionem, & auctoritatiuam præſentiam *Sanchez d. lib. 3. diſp. 22. n. 65. Henriquez lib. 5. ſumma c. 14. nu. 3., & 4. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect. 3. caſ. 2. §. 4. nu. 150., & de matrimon. contract. c. 4. nu. 97.* Si verò dubium fuerit ſuſpenſiuum reſpectu maioris partis illius populi, ſeù Parochiæ probabilius eſt geſta per eundem non tenere. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in opinatiuis vbi extant diuerſæ ſententiæ, & omnes innixæ probabilibus fundamentis inducentibus prudentem credulitatem pro vtraque parte licitum eſt ſequi alteram ex illis altera relicta, & ius quoad ea, quæ pertinent ad iuriſdictionem in ea hypotheſi ſupplet quemcunque defectum præcipuè cum talis facultas ſit fauorabilis, & latè interpretanda, ergo, ſi contrahentes coram eodem contrahant cum tali prudenti credulitate validè contrahere præſumendi ſunt. Sed, an in ea hypotheſi, ſi probabiliores coniecturæ militarent pro parte non cognoſcente legitimum titulum in eodem Parocho, vel delegato liceret tunc ſequi alteram partem minus probabilem ſtante moderna declaratione Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis, qui damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine ſecunda, qua dicebatur etiam in materia ſacramentorum licere ſequi ſententiam probabilem relicta probabiliori tu vide. Certè aſſiſtentia Parochi non eſt de iure diuino, & ſolum iure Eccleſiaſtico Concil. Trident. inducta, prout reſpicit contractum, & ſolum indirectè ſacramentum; tutius tamen exiſtimo Pontificis verbis expreſſis adhærendum. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia in dubio ſupenſiuo animus non inclinat ad vnam, nec ad alteram partem, & intellectus eſt omninò pendulus, ſed quando non eſt inclinatio ad vnam, vel alteram partem, & intellectus omninò ſuſpenſus remanet, non eſt communis error, quandoquidem error eſt cum tendentia ad eam partem, ad quam error tendit, cum exiſtimetur ille idoneus, qui idoneus non eſt, & iuxta hunc ſenſum approbat doctrinam *Baſilij Pontij lib. 5. de matrim. cap. 20. num. 7. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuil ſect. 3. caſ. 2. §. 4. num. 150. in fin.*

Facultas eſt fauorabilis, & latè interpretanda.

In dubio ſuſpenſiuo non eſt cõmunis error.

Digitized by Google

ſin., ergo &c. Solum hic remanet dubitandum circa præſentem difficultatem, an, ſi ſit dubium opinatiuum verſans circa collationem beneficij Parochialis, an ſcilicet fuerit collatum à ſuperiore habente legitimam auctoritatem conferendi, nec ne, liceat ſequi opinionem probabilem, quod legitimus ſuperior contulerit; Qua in difficultate crederem affirmatiuè reſpondendum, ſi verè titulus fuerit à legitimo ſuperiore collatus, negatiuè, ſi non fuerit ab eodem collatus. Conſentit *Nicolaus Garzias part.5. de benef. cap.4. nu.285.* contra *Paciechum de probat. lib. 2. cap. 31. nu.81.*, quia non prodeſt bona fides, quando titulus non eſt à legitimo ſuperiore, quia hic non agitur de acquiſitione fructuum beneficij, ſed de validitate actuum, quæ eſſe non poteſt per ſuperius probata, quando titulus, vel eſt per intruſionem, vel per non habentem legitimam poteſtatem illum conferendi. Limitarem tamen in caſu, quo ſic intruſus, vel habens titulum à non legitimo ſuperiore per decennium poſſediſſet, & habitus fuiſſet pro habili, nam tunc per decennalem poſſeſſionem præſumeretur titulus *Garzias loc. cit. num. 298.* allegans *Rotam in vna Salmantina Parochiali, ſine beneficij 15. Nouembris* 1593., quod intellige, niſi conſtet de defectu tituli.

15 Si in collatione fuerit defectus ſolemnitatis geſta per ſic electum probabilius tenent

Ad ſecundam ſentiendum exiſtimo, ſi in collatione fuerit ſolummodo defectus ſolemnitatis in electione, ſeù collatione, dummodo fuerit à legitimo ſuperiore, geſta per ſic electum, vel prouiſum cum communi errore valere *Nicolaus Garzias d. part.5. de benefic. cap.4. nu.290.* hancque ſententiam non improbabilem exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius de triplic. Iubil. priuileg ſect.3. caſ.2.§.4. num.161.* quidquid in contrarium dixerit *Sanchez lib.3. de matrimonio diſp.22. num.53. ex Bartolo in l. actuarios num. 2. C. de numerarijs lib. 12.* ea motus ratione, quia peccatum eſt in forma, & in radice, & propterea titulus deficit. Ratio ex eo deducitur primò, quia textus *in d. l. Barbatius ff. de offic. prætoris, & cap. frequentibus de inſtit.* ſolum requiritur ad validitatem actuum, quod adſit error communis, & quod titulus ſit à legitimo ſuperiore habente auctoritatem conferendi collatus; quæ vtraque in hac hypotheſi reperiuntur, nec conſiderat formam, nec qualitatem ſubiecti, ergo &c. Secundò, quia omnes *DD.* contrarium in hoc caſu particulari ſentientes ſuſtinent, quod, ſi quis in concurſu promotus fuerit non exiſtentibus examinatoribus ſinodalibus à iure requiſitis exiſtente communi errore in actibus iuriſdictionalibus valide eos exerceat, & tamen in hac hypotheſi eſt defectus formæ in collatione, ergo &c. Tertiò, quia, vt optimè docent *Innocentius in c. nihil de elect. Henriquez lib.13. ſumma cap.7.§.6. lit. B. in comp. Suarez tom. 4. in tertia parte diſp.26. ſect. num. 7.* valent geſta per prouiſum à Papa per ſubreptionem, & tamen defectus pertinet ad formam. Quamobrem ad ea, quæ dicuntur ex *Bartolo in d. l. actuarios de numerarijs lib.* 12. dicendum eſt, eum textum procedere ſolummodo de quibuſdam exactoribus, ſeù receptoribus pecuniæ publicæ, qui non poterant ſine principis expreſſa facultate, hic autem eſt ſermo de exercitio iuriſdictionis, ſeù quaſi iuriſdictionis, quæ ſtante errore communi, & titulo habito à legitimo ſuperiori exerceri poteſt.

---

## PRÆNOTIO XXXI.

### An valeant geſta per Vicarium Generalem Epiſcopi poſt mortem, reuocationem, & excommunicationem eiuſdem Epiſcopi, ſi Vicarius fuerit ignorans mortis, reuocationis &c.

### SVMMARIVM.

*Ceſſat Vicarij Generalis poteſtas morte Epiſcopi, reuocatione, excommunicatione, ſeù ſuſpenſione Vicarij.* 1.

*Morte Epiſcopi ceſſat Vicarij Generalis poteſtas etiam in ordine ad cauſas iam inceptas.* 2.

*Quoad cauſas delegatas, ſi fuerit commiſſa Vicario, vt Vicario morte Epiſcopi ceſſat etiam eius poteſtas.* 3.

*Mortuo Epiſcopo probabilius Vicarius Capitularis poteſt exequi commiſſiones directas Vicario Epiſcopi, vt Vicario.* 4.

*Si cauſa fuerit delegata Vicario non intuitu dignitatis, ſed ratione idoneitatis talis perſona non expirant morte Epiſcopi, cuius eſt Vicarius.* 5.

*Si Epiſcopus fuerit excommunicatus non tamen nominatim denuntiatus, aut publicus Clerici percuſſor ipſius geſta non irritantur.* 6.

*Matrimonium celebratum coram Vicario Generali, cuius Epiſcopus eſt excommunicatus vitandus, tenet.* 7.

*Deputatus in Vicecuratum ab excommunicato Epiſcopo vitando matrimonio valide aſſiſtit* 8.

*Per reuocationem directam factam ab Epiſcopo ceſſat poteſtas Vicarij Generalis. num.* 9.

*Non eſt neceſſe, vt mors Epiſcopi iuridicè denuntietur eius Vicario, vt ipſius ceſſet auctoritas.* 10.

*Cognita morte Epiſcopi à Vicario, & ab alijs com-*

*communiter ignorata geſta per Vicarium ante communem ſcientiam tenent.* 11.

*Et probabilius Vicarius exercens huiuſmodi actus in ea hypotheſi non peccat.* 12.

*Ignorante Vicario mortem Epiſcopi, ſi alij communiter ſciunt ipſum mortuum, acta per eundem ad iuriſdictionem ſpectantia non tenent.* 13.

*Si Vicarius Generalis Epiſcopi poſt mortem eiuſdem ignoratam communiter literas dimiſſorias dederit, vel delegationem, ſi hac ante expeditionem ſciatur communiter, non poſſunt huiuſmodi literæ expediri,* num. 14.

*Reuocato Vicario per Epiſcopum, & conſtante communiter de reuocatione acta ipſius non tenent.* 15.

*Reuocatio tamen debet eidem notificari, vel per Epiſtolam Epiſcopi, vel per Procuratorem, vel per nuntium ad id deputatum.* 16.

*Intellige, niſi reuocans in actu reuocationis expreſſerit nolle ex tunc geſta per reuocatum ſubſiſtere.* 17.

*Vel niſi immediatè alium Vicarium ſubſtituat. Ibid.*

*Reuocato Vicario ſciente reuocationem, ſi adſit error communis reuocationis, geſta per ipſum tenent.* 18.

1 Ceſſat Vicarij poteſtas morte Epiſcopi, reuocatione, & ſuſpenſione eiuſdem Vicarij.

STatuunt communiter DD. ex triplici capite Vicarij Generalis poteſtatem deficere; primò morte Epiſcopi, cuius eſt Vicarius; Secundò reuocatione facta per eundem Epiſcopum; Tertiò excommunicatione, seù ſuſpenſione Epiſcopi; & quidem morte Epiſcopi expirare eſt communis *DD.* conſenſus, quos allegant, & ſequuntur *Sanchez de matrimon. lib.* 3. *diſp.*30.*num.*2. *Gutierez cap.*68. *num.*14. *Baſilius Pontius lib.*5.*cap.*11.*num.*8. nec incongrua ratione, quia quantumvis auctoritas Vicarij Generalis ſit ordinaria, & vna, & eadem cum Epiſcopo, cum quo conſtituit vnum tribunal, & reputatur vna, & eadem perſona per textum *in c.* 2. *de conſuetud. in* 6. *& cap. Romana de appellat. item in* 6. nihilominus non eſt principalis, ſed acceſſoria; ceſſante autem principali auctoritate ceſſare debet, & acceſſoria per vulgatiſſima iura. Circa ceſſationem Vicarij Generalis ex hoc capite mortis Epiſcopi ſolum hic remanet duplex difficultas examinanda; prima eſt, an in ordine ad cauſas iam incæptas deſinat abſolutè eius auctoritas. Secunda, an ceſſet etiam in ordine ad cauſas per Curiam Romanam delegatas. In ordine ad primam abſolutè aſſerendum eſt omninò ceſſare *Sanchez, Gutierez, Pontius mox allegati, & Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap.* 4. *num.*70. aduerſus *Sbrozium de offic. Vicar. lib.*3.*qu.*45.*num.*2., *& alios ab ipſo allegatos*. Ratio ex eo deducitur, quia mortuo Epiſcopo eo ipſo expirat cum eodem ipſius iuriſdictio, & per conſequens quæcunque eidem annexa, ergo, & illa Vicarij generalis, quæ fundatur in eadem Epiſcopi: nec officit, quod iam cauſa fuerit incæpta, quandoquidem, cum etiam ad proſecutionem, & potiſſimum ad terminationem requiratur in Iudice iuriſdictio, ſi hæc ceſſarit antecedenter ad illas per mortem Epiſcopi, non poterit proſequi, nec terminare. Quod, ſi vlterius vrgeas, iuriſdictionem delegati, quando negotia iam incæpta ſunt, non expirare per mortem delegantis per ea, quæ communitèr docent ſcribentes, ergo, neque iuriſdictio Vicarij Generalis quoad cauſas incæptas expirat morte Epiſcopi; contra adhuc impugnaberis, quia diſpar omninò eſt ratio, quia vnum, & idem eſt Tribunal Epiſcopi, ac ipſius Vicarij Generalis eſt, & ius Vicarij fundatur in illo Epiſcopi, adeoque mortuo Epiſcopo ceſſat quodcunque ius Vicarij; Delegatus autem, & delegans non conſtituunt vnum, & idem Tribunal, ſed omninò diuerſum, adeoque &c. Quod autem, quando res non eſt integra per mortem delegantis non expiret iuriſdictio delegati habetur per textum *in cap. gratum de offic. deleg.* In ordine ad ſecundam difficultatem propoſitam ſecundum varias inſpectiones dirimenda res eſt; vel etenim huiuſmodi cauſæ per Curiam Romanam commiſſæ ſunt Vicario Generali, quatenus Vicarius eſt, vel eidem, quatenus talis perſona eſt, habito reſpectu ad eiuſdem idoneitatem, vel circumſtantias perſonæ; Si commiſſæ fuerint eidem, quatenus Vicarius Generalis eſt, exiſtimo abſolutè ſentiendum per mortem Epiſcopi, ſiue res fuerit integra, ſiuè incæpta, ceſſare etiam in ordine ad eaſdem iuriſdictionem eiuſdem Vicarij Generalis. Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi cauſæ intantum intelliguntur eidem commiſſæ, in quantum Vicarius Generalis eſt; ſed per mortem Epiſcopi deſinit eſſe Vicarius Generalis, ergo &c. Quod, ſi dicatur, quod cum eadem cauſa non procedat ab Epiſcopo, ſed à Curia Romana delegante non poſſit quoad iuriſdictionem in ordine ad eundem Vicarium ceſſare, cum etiam per mortem delegantis ex ſuperius dictis, quando res non eſt integra, non ceſſet iuriſdictio delegati per textum *in cap. gratum de offic. deleg.*, ſtatim erit impugnatio, quia quantumvis cauſa non procedat ab Epiſcopo conceditur tamen intuitu eiuſdem, cum deferatur ad ipſius tribunal, quod, cum ceſſat per mortem ipſius, ceſſat quoque quoad Vicarium, cui commiſſa fuit tanquam conſtituenti acceſſoriè cum eodem Epiſcopo idem tribunal; ad id, quod ſubditur de delegante non facit ad rem pro

Duo dubia circa ceſſationem ex morte Epiſcopi.

2 Ceſſat etiã in ordine ad cauſas iam incæptas.

Nec currit paritas cũ poteſtate delegati per morte delegantis, & quare.

3 Ceſſat etiã poteſtas quoad cauſas delegatas, ſi eidẽ fuerint cõmiſſæ, vt Vicario.

Ceſſante auctoritate Epiſcopi, ceſſat etiam Vicarij eius Generalis.

præ-

præſenti inſtituto; quandoquidem per mortem delegantis re incæpta permanet iuriſdictio in delegato, in præſenti autem hypotheſi ceſſat etiam delegatus, nam delegatio eſt Vicario Generali; & per mortem Epiſcopi deſinit eſſe Vicarius Generalis. Quod, ſi vlterius vrgeas, quod, ſi ab alio delegetur Vicario Epiſcopi aliqua cauſa per mortem Epiſcopi delegatio non expirat *Paulus Clem. 2. de reſcript. & ibi Cardin. quæſt. 8. Ancharanus col. 1. in fin. Felinus cap. inſinuante num. 2. de offic. deleg. Sbrozius de offic. Vicarij lib. 3. qu. 17. num. 10. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 30. num. 9.* adhuc impugnaberis; quia ea procedunt, quatenus cauſa commiſſa eſt Vicario Generali, non quatenus Vicarius eſt, ſed quatenus talis perſona eſt; Deinde dici poteſt, & fortè melius præallegatos DD. loqui dumtaxat in ſuppoſitione, qua Epiſcopus non fuerit mortuus, ſed dumtaxat excommunicatus, in quo caſu licet Epiſcopi iuriſdictio, ſicut, & Vicarij ordinaria ſit ſuſpenſa, non tamen, nec ille, nec iſte deſinit eſſe Epiſcopus, & Vicarius, & proinde licet Vicarius non poſſit exercere ordinariam iuriſdictionem ſibi ab Epiſcopo competentem, poteſt tamen exercere delegatam, nam ex vno capite adhuc Vicarius eſt, cui comiſsa fuit delegatio, ex alio illam non exercet, vt ſibi dimanatam ab Epiſcopo excommunicato, ſed ab alio, qui excommunicatus non eſt.

An ceſſante Vicario Epiſcopi per mortem ipſius quoad cauſas delegatas poſſit Vicarius Capitularis eas perficere.

Si autem hic inquiratur, an in ea hypotheſi (qua dictum fuit delegatas cauſas à Pontifice, vel à Curia Romana Vicario Generali Epiſcopi, poſt mortem eiuſdem Epiſcopi non perſeuerare quoad iuriſdictionem in eodem Vicario) poſſit Vicarius capitularis eaſdem perficere, ſi fuerint inceptæ, an incipere, ſi fuerint adhuc integræ, maximum eſt diſſidium inter DD. *Garzias de beneficijs tom. 2. part. 6. cap. 2. num. 45.* docet non poſſe, quia vſus Curiæ, & Cancellariæ habet ſede Epiſcopali vacante non dirigere litteras in forma *dignum* Vicario capituli, quia non confidit in illo, ſed Vicario Epiſcopi vicinioris;

Sententia negatiua.

vnde *Barboſa de iure Eccleſiaſtico lib. 1. cap. 32. num. 57.* refert Sacram Congregationem die 24. Maij 1601. declaraſſe diſpenſationes matrimoniales directas Epiſcopo, & eius Vicario Generali, ſi ſedes vacare contingat, non poſse per Vicarium capitularem expediri, & iterum die ſecunda Auguſti 1651. cenſuiſſe capitulum, ſeù eius Vicarium non poſſe exequi commiſſiones Apoſtolicas in forma *dignum*, & alias directas Epiſcopo, vel eius Vicario Generali intuitu officij, vel ſub nomine dignitatis. Contrarium ſenſit

Sententia affirmatiua.

*Ochagauia de ſacramentis tract. 4 qu. 11. nu. 23. & Gauantus Enchirid. verb. capitulum ſede vacante num. 55.* vbi refert Sacram Congregationem Epiſcop. die 5. Februarij 1601. declaraſſe Vicarium Capituli poſſe exequi literas directas ad Vicarium Epiſcopi ſub nomine Vicarij, & ſub die 10. Aprilis 1615. Vicarium capituli poſſe exequi literas eiuſdem Congregationis directas Epiſcopo defuncto, & ab eodem non executas. Quid igitur concludendum? In hac declarationum diuerſitate ad oraculum ſedis Apoſtolicæ recurrendum crediderim; non damnarem tamen ſtantibus declarationibus à Gauanto relatis, ſi Vicarius capitularis interim illas exequeretur.

4 Probabilior eſt ſententia affirmatiua.

Quod, ſi vlterius dicatur communem eſſe opinionem, quod Vicarius capitularis non ſuccedat Epiſcopo in illis, quæ ipſi competunt tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato *Diana part. 7. tract. 12. reſol. 28.* ſtatim erit reſponſio communem opinionem procedere quoad ea, quæ eidem Epiſcopo tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato competunt de iure, ſeù à iure, ſuntque radicata, & exigunt tractum ſucceſſiuum, vt ſuſpendere, & ordinare, ne aliquis Regularis amplius prædicet, punire regulares prædicantes in Eccleſijs ſine licentia, & benedictione, viſitare monaſteria monialium exemptarum, & ſedi Apoſtolicæ ſubiectarum; non quoad ea, quæ per ſpecialem delegationem procedunt ab homine in ordine ad aliquem effectum exigentem executionem, quæ regulariter non exigit differri, ita etenim ex præſumpta delegantis voluntate eſt interpretandum.

Inſtantia ad prædicta, & reſponſio.

Si verò huiuſmodi cauſæ fuerint Vicario generali commiſſæ non intuitu Vicarij, & ſub nomine dignitatis, ſed vt talis perſona eſt habito reſpectu ad idoneitatem, & circumſtantias perſonæ; tunc abſolutè ſentiendum eſt, per mortem Epiſcopi Vicarij iuriſdictionem in ordine ad illas cauſas non expirare; Et in hoc ſenſu exiſtimo locutos *Paulum Clement. 2. de reſcriptis; & ibi Cardin. qu. 8. Ancharanum col. 1. in fin. Felinum cap. inſinuante num. 2. de offic. deleg. Sbrozium de offic. Vicar. lib. 3. qu. 17. num. 10.* Ratio ex eo deducitur, quia tunc nec expirat poteſtas ex parte delegantis, nec ex parte eiuſdem delegati per mortem Epiſcopi; non ex parte delegantis, eo quia ſupponitur perſeuerare cum omnimoda ſui auctoritate, & quamvis delegans mortuus fuiſſet, quando commiſſio iam incæpta eſt adhuc quoad complementum cauſæ perſeuerat in delegato per textum *in cap. gratum de offic. deleg.* non ex parte delegati, quandoquidem commiſſio non facta fuit eidem, quatenus Vicarius eſt, ſed quatenus talis perſona eſt, ſub qua ratione perſeuerat poſt mortem Epiſcopi, licet non perſeuerat quoad eſſe Vicarij. Hoc vt plurimum

5 Cauſæ cõmiſſæ non intuitu dignitatis, ſed perſonæ non expirant morte Epiſcopi.

contingeret, quando per viam appellationis à Curia Romana in partes committitur aliqua cauſa tali, vel tali Doctori Eccleſiaſtico, inter quos numeraretur idem Vicarius, vt Doctor, & partes in eundem conuenirent.

Geſta per Epiſcopũ excommunicatũ non tamen nominatim denuntiatũ nec publicũ clerici percuſſorẽ tenent.

6 Circa ceſſationem Vicarij ex capite excommunicationis, ſeu ſuſpenſionis Epiſcopi indubitatum eſt, quod, ſi non fuerit nominatim denuntiatus Epiſcopus, nec notorius Clerici percuſſor, ipſius auctoritas non remaneat ſuſpenſa, nec geſta per eum ad iuriſdictionem ſpectantia irritentur per allegata ſuperius iura poſt Concil. Conſtantienſe; ſi vero fuerit nominatim denuntiatus, vel publicus Clerici percuſſor, & ipſius auctoritas ſuſpenſa remanet, & illa Vicarij generalis quoad ſpectantia ad iuriſdictionem, & geſta per vtrumque in hoc genere non tenent, & omnino irrita ſunt per textum *in c. 1. in fin. de offic. Vicarij in 6. Gutierez de matrimonio c. 68. num. 19., & lib. 1. canonicar. qq. c. 1. num. 83. Baſilius Pontius lib. 5. c. 11. num. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. num. 72.* Quoad hoc caput ceſſationis poteſtatis Vicarij generalis duplex etiam inſurgit difficultas in hoc loco examinanda. Prima eſt, an in hac hypotheſi non obſtante excommunicatione, ſeu ſuſpenſione nominatim Epiſcopi poſſit eius Vicarius generalis valide aſſiſtere matrimonijs in tali Diœceſi celebrandis. Secunda, an Epiſcopus, ſeu eius Vicarius generalis quando ille eſt excommunicatus nõ toleratus, aut ſuſpenſus poſſit alium Vicarium, ſeu Vicecuratum inſtituere in tali Diœceſi; vel in aliqua Parochia eiuſdem Diœceſis, & ſi ille Vicarius, ſeu Vicecuratus aſſiſteret matrimonijs, valide aſſiſteret.

Duo dubia excitata.

Matrimonium initũ coram Vicario Generali, cuius Epiſcopus eſt excõmunicatus vitandus, tenet.

7 In ordine ad primam abſolute ſentiendum eſt iuxta ſuperius dicta, quod matrimonia coram eodem Vicario generali, cuius Epiſcopus eſt excommunicatus non toleratus, vtique tenerent. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contractu c. 4. num. 72., & de tripl. Inb. priuil. ſect. 3. §. 3. num. 65. Gutierez de matrimon. c. 68. num. 2. Marius Alterius tom. 1. de cenſur. lib. 1. diſp. 8. c 6. verſ. ex dict. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 119.* Ratio eſt, quia adhuc remanet in eſſe Vicarij generalis, nec talis aſſiſtentia eſt actus proprius iuriſdictionis per ſuperius dicta, ſed tantum actus auctoritatiuæ præſentiæ tanquam teſtis à publico deputati.

In Vicecuratum deputatus ab Epiſcopo excommunicato vitando inualide aſſiſtit.

8 In ordine ad ſecundam videtur prima fronte dicendum matrimonia coram illo Vicario ſubſtituto, vel Vicecurato inita valida eſſe, quandoquidem ex ſuperius dictis Epiſcopus, ſeu Vicarius generalis nominatim excommunicatus, & non toleratus, ſicuti poteſt valide aſſiſtere matrimonijs, ita poteſt facultatem aſſiſtendi alteri delegare, cùm talis delegatio non ſit propriè actus iuriſdictionis, ſed mera ceſſio proprij iuris quoad hunc effectum. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt non ſubſiſtere *Gutierez de matrimon. c. 68. num. 2. Sanchez. de matrimon. lib. 3. diſp. 30. num. 10.* Ratio ex eo deducitur, quia illa inſtitutio in Vicarium, ſeu Vicecuratum eſt manifeſtus actus iuriſdictionis; neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, nam licet delegatio directa ad aſſiſtendum matrimonijs poſſit fieri ab Epiſcopo nominatim excommunicato, vel ab eius Vicario, cùm non ſit actus iuriſdictionis, illa tamen commiſſio indirecta, & conſecutiua validè fieri non poteſt, quià in tantum intelligitur facta commiſſio ad aſſiſtendum matrimonijs, in quantum eſt commiſſa cura in illa Diœceſi, vel Parochia; cùm igitur illa commiſſio curæ ſit actus merè iuriſdictionalis, qui exerceri non poteſt ab Epiſcopo nominatim excommunicato, nec ab eius Vicario, ſi illa non ſubſiſtit, nec ſubſiſtere poſſunt ea, quæ conſecutiuè eidem cohærent.

Circa ceſſationem Vicarij per directam reuocationem factam ab Epiſcopo indubitatum eſt eadem reuocatione poſita non poſſe amplius Vicarium actus iuriſdictionis, & munera Vicariatus exercere, quandòquidem illud officium non habet in titulum, ſed eſt ad nutum amouibilis; cum pendeat tàm in electione, quam in continuatione à voluntate, & arbitrio Epiſcopi eligentis, qui ſicut potuit eligere, & non eligere, ita poteſt velle electionem perſeuerare, vel non perſeuerare. 9

9 Per reuocationem directam ceſſat poteſtas vicarij generalis.

His iam ſuppoſitis in ordine ad has omnes ceſſationes ex triplici enumerato capite nonnullæ inſurgunt dubitandi rationes, quæ ſunt ſcopus præſentis prænotionis, & primo, an, ſi morte Epiſcopi reuocata fuerit poteſtas, & iuriſdictio Vicarij, neceſſarium ſit, vt ceſſet à iuriſdictione, & munere Vicarij exercendo, vt mors Epiſcopi eidem Vicario iuridicè intimetur. Secundò, an, ſi Vicarius illam extraiudicialitèr norit, quamuis fuerit error communis de non exiſtentia mortis, poſſit adhuc actus iuriſdictionales validè exercere, & aſſiſtere matrimonijs, vel facultatem aſſiſtendi concedere; & è conuerſo, an poſſit actus illos iuriſdictionis, & aſſiſtentiæ exercere, ſi ipſe mortem ignoret, quamuis alij communitèr nouerint; Tertiò quomodò debeat Vicario reuocatio eiuſdem facta per Epiſcopum innoteſcere.

Articuli examinandi circa propoſitũ titulum.

Aſſertio I. Non eſt neceſſe ad effectum, vt Vicarij Generalis auctoritas, & iuriſdictio ceſſet poſt mortem Epiſcopi, vt eadem mors eidem iuridicè denuntietur *Felinus in c. ex parte decani n. 19. verſ. fallit octauo de reſcript. Flaminius lib. 7. de reſignat. benefic.* 10

10 Vt ceſſet iuriſdictio Vicarij nõ eſt neceſſe, vt mors Epiſcopi eidem iuridice denuntietur.

*benefic. q.24.n.36. Sanchez lib.3. de matrimon. diſp.30 n.4. Ioannes Angel. Boſſius de matrim. contract. c.4 n.71.*

10 **Communis ſcientia interpellat pro morte.**

Ratio ex eo deducitur, quià non eſt neceſſaria intimatio, vbi communis ſcientia pro morte interpellat, quandòquidem ipſo iure ceſſat, nec ad depoſitionem exigit hominis miniſterium, ergò vbi mors communitèr innotuerit ceſſabit auctoritas, nec poterit amplius illam exercere. Confirmatur ex ijs, quæ infra dicentur, nam, quantumvis ipſe fuerit ignorans mortis Epiſcopi, ſi tamen illa cõmuniter non ignoretur non poteſt amplius munera Vicariatus iuriſdictionalia, ſeù auctoritatiua exercere, ergò non eſt neceſſaria iuridica intimatio, adhoc vt ab huiuſmodi muneribus teneatur abſtinere.

11 **Si communitèr ignoretur mors Epiſcopi, quamuis ſciatur ab eius vicario geſta per iſtum tenent.**

Aſsertio II. Si Vicarius mortem Epiſcopi nouerit, & alij communitèr ignorauerint, geſta per ipſum ante communem ſcientiam tenent. Conſonat cum ijs, quæ ſuprà dicta ſunt, dum de Epiſcopo, & Parocho putatiuo, & in hoc conſentit *Sanchez lib.3. de matrimon. diſp. 22.n.59.* per textum *in d.l. Barbatius, ff. de offic. prætor.*

Ratio ex eo deducitur, quià titulus coloratus cum errore communi, quandò titulus collatus eſt à legitimo ſuperiore habente auctoritatem conferendi ſufficiens eſt ad validitatem actuum, nec ſcientia priuata eiuſdem Vicarij de morte Epiſcopi deſtruit titulum coloratum, nam hic deſumitur ſecundum communem hominum exiſtimationem, & ſenſum, nec minus minuit errorem communem, quandòquidem hic reſidet penes alios, non penes ipſum *Albericus l. ſi forte in initio, ff. de offic. præſid. Vbertinus, & alij apud Speculat. tit. de Iudice delegato §. reſtat videre num.5.*, ſed mortuo Epiſcopo, & ſciente Vicario, dum alij communitèr ignorant mortem, reuera adeſt titulus coloratus cum communi errore, ergò non eſt, cur geſta per eundem ante communem ſcientiam non debeant tenere.

12 **Et probabilius Vicarius ſciens mortem, & exercens huiuſmodi actus non peccat**

Hic ſolum oritur difficultas, an Vicarius ſciens mortem Epiſcopi, & per conſequens officium proprium cum illo expiraſſe, dum tamen perſeuerat error communis de morte illius, ſi exerceat munera iuriſdictionalia, & auctoritatiua peccet, dum iuriſdictionem ſciens ſibi arrogat, quæ eidem non competit. Probabilius crederem non peccare, quià vtitur iure ſibi competente, nec alicui infert iniuriam, nec tenetur ſe ipſum priuare iure, quod iura eidem concedunt, nec ſibi arrogat, quæ ſua non ſunt, quià quotieſcunque perſeuerat communitèr error, perſeuerat eiuſdem auctoritas, & iuriſdictio.

13 **Ignorante Vicario mortem Epiſcopi, ſi alij communitèr ſciant, geſta per iſtũ non tenent**

Aſsertio. III. Ignorante Vicario mortem Epiſcopi, ſi alij communitèr ſciunt ipſum mortuum, acta per eundem ad iuriſdictionem, & auctoritatem pertinentia non tenent *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 30. n. 59., & 2. Gutterez de matrimon. c.63.n.14., & 15. Baſilius Pontius lib.5. c. 11. n.8. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 3. nu. 71., & de tripl. Iubil. priuileg. ſect.3. caſu 2. § 4. n.144.*

Ratio ex eo deducitur, quià in hac hypotheſi, nec verè eſt titulus, cum per mortem Epiſcopi defecerint, nec titulus coloratus, nec error communis, ergò &c. Antecedens quoad primam partem ex ſe patet, quoad ſecundam euincitur, quià titulus coloratus non conſiſtit in vera exiſtentia tituli, ſed in aprehenſione communi hominum, quod verè exiſtat, licet re vera non ſit, ſed vbi eſt communis ſcientia de defectu Epiſcopi per mortem non poteſt eſſe communis apprehenſio de exiſtentia iuriſdictionis in ipſius Vicario, ſiquidem conſtante de morte eo ipſo conſtat de deficientia auctoritatis eiuſdem Vicarij, ergò &c. Hac eadem ratione euincitur, quod non poſſit eſſe error communis, ergò &c. Conſequentia probatur, quia iura *in d.l. Barbatius, ff. de offic. prætoris*, & alia ſuperius allegata tunc tantum valida reputant geſta per habentem titulum coloratum, quandò adeſt communis error.

**Inſtantia propoſita eiuſque ſolutio.**

Dices, ſi Epiſcopus mortuus fuerit in remotis partibus, & Vicarius ignorans dimiſſorias fecerit, vel ex ſpeciali mandato admiſerit reſignationem beneficij, tenent, & literæ, & reſignatio *Flaminius de reſignat. beneficij lib.7. q.24.n.33. vbi etiam refert deciſionem Rotæ Romanæ, Anaſtaſius Germonius de indultis §. tibi quoad vixeris nu. 63. Sbrozius lib.3. de offic. Vicarij Epiſcopi q. 37. n.9. in fin. Henriquez lib.6. de pænit. c.13.n. 3. in comment. lit. A.*, ergò ſolo Vicario ignorante non inualidantur ipſius acta. Sed contrà, quià huiuſmodi allegati DD. non ſupponunt ſolum ignorantiam in vicario, ſed communem in alijs omnibus, quod præcipuè colligitur ex eo, quod ſupponitur mors in remotis regionibus ſecuta, atque ita eoſdem intelligit *Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 22. n.59. in fin.*, & concordat cum ſuperius dictis.

14 **Si Vicarius Generalis literas dimiſſorias, vel delegationẽ dederit mortuo Epiſcopo, cum ignorantia communi talis mortis, & re adhuc integra, mors promulgetur, nec literæ, nec delegatio poteſt exequi**

Hic oritur ratio dubitandi, an, ſi mortuo Epiſcopo ignorantibus omnibus Vicarius generalis litteras dimiſſorias dederit, huiuſmodi literæ teneant, licet poſtea re integra ſciatur mortem Epiſcopi præceſſiſſe. Hæc difficultas, quæ excitatur in ordine ad literas dimiſſorias poteſt extendi ad alia ſimilia, puta, ſi facta fuerit delegatio ſecuta morte Epiſcopi, eaque communiter ignorata v.gr. ad aſſiſtendum matrimonio poſſit delegatus adhuc aſſiſtere, quantumvis antequam aſſiſtat ſciatur mortem Epiſcopi præceſſiſſe delegationem. Crediderunt aliqui in vtro-

que caſu tenere, ſi tempore conceſſionis literarum, ſeù delegationis fuerit error communis circa mortem Epiſcopi. Ratio ex eo deducitur, quia pro tempore conceſſionis erat ſufficiens, & legitima poteſtas in concedente, ſeù delegante, quandoquidem extante communi errore perſeuerabat titulus coloratus, & poſita legitima delegatione ius in delegato, ſicuti non expirat morte delegantis, ità nec expirare videtur habita notitia de morte ipſius, quandò delegatio facta eſt per Vicarium pro tempore, pro quo error communis vigebat circa mortem Epiſcopi; Ita expreſsè tenere videtur *Henriquez lib. 10. de ſacram. ordin. cap. 22. nu. 3. in comment. lit. P.* Nihilominus tutius ſentiendum exiſtimo, cognita communiter morte re adhuc integra, nec literas dimiſſorias tenere, nec delegationem exequi validè poſſe. Ratio ex eo deducitur, quia, quantumvis per mortem delegantis re non adhuc integra non ceſſet delegatio, ſeù iuriſdictio in delegato, ceſſat tamen re adhuc integra per textum *in cap. gratum, & cap. licet de offic. delegat.* in vtroque autem caſu expoſito res adhuc intelligitur integra, & vera delegatio.

15 Reuocato per Epiſcopum Vicario cum ſcientia communi acta ipſius non tenent.

Aſſertio IV. Reuocato Vicario Generali per Epiſcopum, & conſtante de reuocatione, tam ipſi Vicario, quam alijs communiter, geſta ſubſequenter per ipſum Vicarium abſolutè non tenent *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 30. num. 11. in princip. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 4. nu. 74., & eſt communis omnium ſcribentium conſenſus.*

Ratio ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi Vicarius caret omnimodè iuriſdictione, nec eidem ſuffragari poteſt titulus coloratus, nec error communis, ergo quodcunque geſſerit pertinens ad iuriſdictionem poſt illam reuocationem ſic notam erit inualidè geſtum.

Difficultas poteſt eſſe ſolummodò, an quando non adeſt communis error, ſed ſcientia regulariter apud omnes de tali reuocatione ſufficiat, vt eadem reuocatio ſit quomodocunque nota eidem Vicario, ad effectum, vt geſta per eundem non teneant, an verò requiratur ſpecialis notitia per intimationem eiuſdem, & quomodo. Plerique exiſtimant ſufficere, ſi eidem ſit nota per perſonam fide dignam, quæ certò nouerit reuocationem, certioremque faciat eundem reuocatum. *Gloſa Clem. cauſam verb. plena de elect., & cap. capientes verbo notitiam de elect. in 6., & ibi Ancharanus num. 3. verſ. notitiam, Calderinus rub. de offic. Vicarij conſ. 4. Felinus cap. cæterum num. 11. de reſcript. Sbrozius de Vicario Epiſcopi lib. 3. qu. 33 num. 10.* Contrarium ſuſtinent *Rebuffus praxi beneficior. tit. de forma Vicariatus num. 212. Antonius Cucus lib. 2. inſtit. maior. tit. 8. num. 147. Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 30. num. 13.* quibus libentius aſsentior, non ita tamen, vt exiſtimem, requiri intimationem iuridicam ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus, ſed ſolummodo, quod intimatio fieri debeat, vel per eiuſdem Epiſcopi epiſtolam, vel per Procuratorem, vel per nuntium ad id deputatum. Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte nemo ſuo iure priuandus eſt per ſimplicem alicuius, vel populi dictionem; vnde congruum eſt, vt eo modo, quo fuit electus, eodem diſſoluatur electio; ſicuti igitur electio exigit notitiam non quomodocunque, ſed vel per Epiſtolam, vel per nuntium ad id deputatum, ita & eandem debet exigere reuocatio *arg. cap. 1. de reg. iuris*; ex altera, cum tàm electio, quam reuocatio dependeat à ſola Epiſcopi voluntate, & arbitrio ſufficit, quod vel per ſe ipſum, vel per procuratorem notificet reuocationem.

16 Reuocatio tamen debet eidem notificari, vel per Epiſtolam Epiſcopi, vel per Procuratorem, vel per nuntiū ad id deputatum.

Dices ex ſuperius dictis, ſi per mortem Epiſcopi ſequatur reuocatio Vicarij Generalis, non eſt neceſsaria intimatio mortis facienda eidem Vicario, ſed ſufficit, quod communiter non ignoretur, vnde eodem etiam ignorante, dummodo fuerit ſcientia communis de morte non tenent geſta per ipſum, ergo, neque erit neceſsaria intimatio reuocationis factæ per eundem Epiſcopum, ſed ſufficiet ſcientia quomodocunque. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia poſita morte Epiſcopi ſecundum ſe ceſsat ipſo iure Vicarij iuriſdictio, & tantum poteſt ſubſiſtere in errore communi, qui, ſi deficiat, abſolutè deficere debet, cum, nec in re, nec in communi apprehenſione vim habeat; poſita verò reuocatione, videtur interim tacitus reuocantis conſenſus perſeuerare, vt Vicarius vices ſuas gerat, adeoque eſt neceſſaria eiuſdem reuocationis intimatio modo, quo ſupra.

17 Intellige, niſi reuocans in actu reuocationis expreſſerit, nolle ex tunc geſta per reuocatum ſubſiſtere.

Dixi, *tacitus reuocantis conſenſus durare videtur*, nam, ſi ipſe reuocans in eodem actu reuocationis expreſſerit nolle ex tunc geſta per reuocatum valere, tunc certè acta non poſſent ſubſiſtere, quia iuriſdictio, nec vim haberet in communi errore, cum ſupponatur notitia reuocationis vbique, nec in formali voluntate Epiſcopi, cum eam retractauerit, nec in præſumpta, nec interpretatiua, quia cum conſtet expreſsè nolle amplius acta per Vicarium valere, non poteſt eſse præſumptio, quod tacitè annuat ipſius geſtis. Nunc ſolum remanet dubium, an, ſi Epiſcopus in reuocatione non expreſsè dixetit ſe nolle amplius Vicarij reuocati geſta valere, ſed ſolummodo immediatè alium Vicarium elegerit, intelligantur irrita

Vel immediatè aliū Vicarium ſubſtituerit.

prioris

prioris vicarij geſta, etiam ſi eidem non fuerit intimata reuocatio. Probabilius eſt, eadem eſſe irrita; ſi etenim, quando Epiſcopus in reuocatione expreſſa dixit ſe nolle ex tunc eiuſdem vicarij geſta valere, non valent etiam, ſi non fuerit intimata reuocatio, nec etiam valere poſſe videntur, quando poſt reuocationem eiuſdem alium immediatè ſubſtituit; quandoquidem per talem ſubſtitutionem videtur ſufficienter indicare ſuam voluntatem de nullitate actuum poſtea per ipſum reuocatum gerendorum, & illa noua electio æquiualet illi expreſſioni; Neque obeſſe poteſt textus *in l. ſi fortè 17. ff. de offic. præſid.* vbi ſic legitur *Si fortè præſes prouinciæ manumiſerit, vel tutorem dederit, priuſquam cognouerit ſucceſſorem aduenisse, erunt & hæc rata*; ex quibus vides, quod iam alius præſes ſucceſſor fuerat electus, & aduenerit in prouinciam ſibi demandatam, & quod præſes anteceſſor ſciuerit aduentum, & tamen geſta per eundem dicuntur rata, ergo, quantumvis alter vicarius electus fuerit poſt ipſius reuocationem, non propterea prioris erunt irrita geſta, niſi reuocatio eidem fuerit intimata; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in illo textu non dicitur, quod cæteri illius prouinciæ ſciuerint præſidem ſucceſſorem aduenisse, ac proinde aderat error communis, in quo fundatur validitas geſtorum per anteceſſorem, quod non militat in præſenti hypotheſi, ſecundum quam ſupponitur communiter nota reuocatio, & alterius electio.

18 **Renocato Vicario ſciente reuocationem, ſi adſit error communis geſta per ipſum tenent.**

Aſſertio V. Si Vicarius reuocatus fuerit, & ſciuerit reuocationem, & adſit communis error reuocationis geſta per eundem rata habentur. Conſentiunt *Sanchez de matrimon. diſp. 30. num. 11. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 74.*

Ratio deducitur ex ſuperius dictis *ex d. l. Barbarius ff. de offic. prætor.*, quia licet tunc iuriſdictio, & poteſtas Vicarij non fundetur in titulo ſecundum rei veritatem exiſtenti, fundatur tamen in titulo colorato, & in communi errore; & pro hoc faciunt ea, quæ ſuperius dicta ſunt de reuocatione per mortem Epiſcopi, quæ quamvis fuerit nota eidem vicario, quantumvis ab alijs communiter ignorata non deſtruit acta per eundem vicarium, quouſque ſuperuenerit communis notitia, & error communis deſtruatur: nec officit priuata ſcientia eiuſdem vicarij de morte Epiſcopi, quandoquidem vnius, vel alterius ſcientia non attenditur à iuribus ad hoc vt geſta per habentem titulum coloratum irrita, vel valida habeantur, vt notant *Sanchez diſp. 22. num. 6., & Baſilius Pontius lib. 5. c. 19. nu. 4. ex d. l. Barbarius ff. de offic. prætor.*

---

## RÆNOTIO XXXII.

### Qualis præſentia Parochi, & teſtium requiratur ad matrimonij valorem.

### *SVMMARIVM.*

*Non eſt neceſſaria præſentia Parochi, & teſtium Phyſica, ſed ſufficit moralis in eo ſenſu, vt ſecundum communem exiſtimationem non ſint moraliter abſentes.* 1.

*Non ſufficit præſentia Phyſica, & corporea, ſed requiritur moralis, rationalis, & humana.* 2.

*Non eſt neceſſe vt Parochus, & teſtes percipiant omnibus ſenſibus ea, quæ fiunt per contrahentes.* 3.

*Interpres vt interpres manifeſtans conſenſus contrahentium abſentium coram Parocho, & teſtibus non eſt ſufficiens ad validitatem, niſi ſimul ſit procurator.* 4.

*Tenet matrimonium, quantumvis Parochus præſens affectet non percipere ea, quæ fiunt, dummodo percipiat.* 5.

*Furioſi, amentes, ebrij, & infantes non cenſentur validè, & moraliter præſentes.* num. 6.

*Præſentia Parochi debet eſſe cum actuali attentione, nec ſufficit, ſi ſit cum virtuali ad valorem matrimonij.* 7.

*Sufficit, quod aliquo ſenſu percipiant ea, quæ fiunt.* 8.

*Præſentia Parochi, & teſtium ad validitatem matrimonij debet eſſe ſimultanea, nec ſufficit ſucceſſiua.* 9.

*Non requiritur, vt aſſiſtentia Parochi, & teſtium ſit rogata.* 10.

*Probabilius etiam tenet matrimonium, ſi contrahentes proferant conſenſum, dum Parochus ſacris indutus progreditur ad altare, vel ab eodem reuertitur.* 11.

*Quinimmò etiam, ſi dum actu celebrat eidem proferant ſuum conſenſum, dummodo videri poſſint, & diſcerni.* 12.

*Non eſt neceſſe, quod præſentia ſit voluntaria, ſed ſufficit etiam coacta, & per dolum inducta.* 13.

*Non ſatis eſt, quod Parochus, & teſtes fuerint præſentes ſponſalibus etiam iuramento firmatis, nec ſponſalibus, ſi poſtea ſponſi clam animo vxorio ſe cognoſcant, vel ſi adſtiterint matrimonio impuberum, vel puberis cum impubere.* 14.

*Si clam præceſſerint ſponſalia, & poſtea ſecuta fuerint copula coram Parocho, & teſtibus non tenet, nec fit matrimonium.* num. 15.

*Si ſponſalia, & copula fuerint habita coram Parocho, & teſtibus præſumitur pro matrimonio.* 16.

Hacte-

Digitized by Google

Articuli examinandi circa propoſitũ titulum.

HActenus poteſtatem, & ius aſſiſtendi, & delegandi ad aſſiſtendum iuxta diſpoſitionem *Sacroſancti Concil. Trid. in cap. 1. ſeſs. 24. de reform. matrimon.* examinauimus, nunc exercitium eiuſdem poteſtatis ſecundum præſentiam ad hoc munus requiſitam indagandam aſſumimus, non ſolum in ordine ad qualitatem eiuſdem præſentiæ, ſed etiam in ordine ad obiectum, ad quod illa debet referri. In ordine ad eandem præſentiam ſecundum ſe erit lata diſputatio, an eadem debeat eſse phyſica, an ſufficiat moralis, an corporea præcisè, an requiratur rationalis, & humana, an ſimultanea, an verò etiam cum diſcontinuatione, an rogata, an accidentalis, an ſpontanea, an etiam coacta, an libera, an vero etiam doloſa, & his ſimilia. In ordine vero ad eandem relatiuè ad obiectum inquiretur primò, an ſufficiat præſentia Parochi, & teſtium ſponſalibus iuramento confirmatis. Secundò, an ſufficiat eadem præſentia ſponſalibus, ſi poſtea ſequatur copula, vel alia, quæ ex genere ſuo inducunt matrimonium. Tertiò, an ſufficiat, quando interſunt matrimonio impuberu, vel puberis cum impuberi malitia in impuberi non ſupplente ætatem.

1 Sufficit præſentia moralis, vt non cenſeantur abſentes.

Aſſertio I. Non eſt neceſſaria præſentia Parochi, & teſtium phyſica, ſed ſufficit moralis in eo ſenſu, vt ſecundum communem exiſtimationem ſit tanta diſtantia, vt cenſeantur moraliter abſentes. Hanc arbitror communem ſententiam, quamuis apud neminem expreſſam inueniam.

Ratio ex eo deducitur primò, quia hæc præſentia Parochi, & teſtium ad eum effectum inducta eſt, vt coram Eccleſia teſtificari poſſit de mutuo contrahentium conſenſu per verba de præſenti coram ſe exhibito, & per hoc euerti poſſit matrimoniorum repetita congeries, & valida iam cõtracta declarantur, & ne ineantur inualida contra fidem priori coniugi præſtitam, vt conſtat ex proemialibus *Concil. Trident. in eod. cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim*, ſed ad hoc non eſt neceſſaria præſentia phyſica, ſed ſufficit moralis, ſecundum quam, & ipſe Parochus, & teſtes commode videre poſſunt, quæ fiunt, & audire, quæ dicuntur per eoſdem contrahentes, ergo &c. Minor patet, quia teſtis validè, & efficaciter deponere poteſt, tàm de viſu, quàm de auditu, quoad ea, quæ in aliqua diſtantia vidit, & audiuit. Secundò, quia in reliquis, in quibus de præcepto requiritur præſentia regulariter non eſt neceſſaria phyſica, ſed moralis, vt videre eſt in auditione ſacri ſub præcepto, in contactu in ordinibus recipiendis, in quibus de neceſſitate non requiritur phyſicus, ſed moralis, ergo etiam &c.

2 Non ſufficit præſentia phyſica, & corporea, ſed requiritur moralis, rationalis, & humana.

Aſſertio II. Non ſufficit præcisè præſentia phyſica, & corporea in eo ſenſu, vt ſint tantum præſentes corpore, non mente, ſed requiritur moralis, rationalis, & humana in eo ſenſu, vt percipiant, quæ fiunt, & audiant, quæ dicuntur *Spinus tract. de teſtam gloſ. 15. num. 47. & ſeqq. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 60. Franciſcus Zippæus lib. 4. tit. de ſponſalib. & matrim. num. 14. Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 7. nu. 5. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 78. & de Parochis cap. 21. num. 49. Paulus Laiman lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 6. Filliucius part. 1. tract. 10. cap. 6. num.* 224., & alij innumeri apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. cap. 3. num. 2.*

Expreſsè hæc aſſertio colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Cardin. Concil. Trident. interpretum apud *Rebellium part. 2. lib. 2. qu. 8. num. 4., & 7., & poſt lib. 4.* per hæc verba formalia. *Quartum dubium, ſi Sacerdos adfuit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audiuit, vtrum tale matrimonium validum ſit ſic contractum, vel potius tanquam ſine ſacerdote nullius ſit ponderis: Reſpondit Sacra Congregatio non valere, ſi ſacerdos non intellexit*; quod etiam in fortioribus terminis colligitur ex verbis eiuſdem *Trident. d. cap. 1 ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* Ibi *eorum mutuo conſenſu intellecto*, nec in congrua ratione, quia, qui non intelligit, nec præſens dici poteſt ad effectum, vt teſtificetur per textum *in l ſin. ff. de verb. ſignif. & l. teſtium C. de teſtibus.*

Requiritur præſentia, vt poſſit teſtificari.

Ratione etiam euincitur ſuperius adducta, quia ideò requiritur à Concilio Trident. præſentia Parochi, & teſtium, vt poſſint coram Eccleſia teſtificari de contractu per legitimum, & expreſſum conſenſum initum, quomodo autem teſtificari poſſunt, ſi fuerint corpore præſentes, ſpiritu tamen abſentes? Confirmatur, quia ad effectum intentum ab Eccleſia ſcilicet teſtificandi de matrimonij contractu actu non intelligens, quæ fiunt, perindè eſt, ac, ſi eſſet abſens, ergo &c.

3 Non eſt neceſſe, vt omnibus ſenſibus percipiant ea, quæ fiunt.

Ad hoc tamen, vt talis præſentia ſit moralis, rationalis, humana, & ſufficiens, non eſt neceſſe, quod Parochus, & teſtes omnibus ſenſibus percipiant, quæ fiunt, ſed ſatis eſt, quod vno, vel altero ſenſu cognoſcant, vt, ſi audiant verba, vel videant ſigna mutui conſenſus, cum matrimonium ex dictis in quæſtionibus de ſponſalibus valide poſſit contrahi verbis, vel ſignis, dummodo ſufficienter indicent conſenſus; nec ſolum ſufficit, quod immediatè percipiant verba, vel ſigna eorundem contrahentium, ſed etiam, ſi eadem percipiant, mediatè hoc eſt per interpretem, quod colligi poteſt ex l. 1. §. fin. ff. de

verb.

*verb. oblig.*, & confirmari etiam poteſt exemplo confeſſionis, quam quis validè poteſt facere per interpretem nemine diſceptante; &, ſi ipſi contrahentes poſſunt ſibi ad inuicem deferre conſenſum, cur eundem deferre non poterunt ad Parochum, & teſtes per eundem interpretem?

Hic duplex examinanda occurrit difficultas prima, an data hanc ſuppoſitione, quod ſufficiat, quod Parochus, & teſtes, vt dicantur ſufficientèr præſentes, intelligant mutuum contrahentium conſenſum per interpretem, poſſit validè idem interpres deferre ad hunc effectum eorundem contrahentium conſenſum ad ipſum Parochum, & teſtes ſimul exiſtentes, quantumvis ipſi contrahentes exhibito eidem interpreti conſenſu tempore delationis ſint abſentes. Secunda, an intelligatur ſufficiens præſentia Parochi, & teſtium ad validitatem matrimonij, ſi Parochus ſufficientèr præſens, vt commodè poſset videre, audire, & intelligere ea, quæ fiunt, affectaret non intelligere, ſeù conſultò nollet intelligere aures, & oculos præcludendo.

**Duo dubia examinanda.**

In ordine ad primam recolenda ſunt in primis; ea, quæ ſuperius diximus de matrimonijs initis per Procuratorem. Secundò de ijs, quæ inita ſunt per literas, per quas, vt vidimus, poteſt coram Parocho, & teſtibus manifeſtari mutuus conſenſus, etiam prout importat mutuam acceptationem. Vide, quæ diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrim. I. prænot 8. aſſert. 4., & aſſert. 2. per totum*. Nihilominus in rigore loquendo exiſtimo interpretem, vt interpretem manifeſtantem conſenſus contrahentium abſentium coram Parocho, & teſtibus non eſſe ſufficientem ad reddendũ validum matrimonium, quia interpres, vt interpres præcisè declarat, & exprimit conſenſum, non propriè defert, nec acceptat. Quod, ſi ſupponas, non ſolum eſse interpretem, ſed etiam procuratorem conſtitutum ad deferendum, & acceptandum nomine ſuorum principalium, tunc dicendum eſt prout diximus *ſub hoc eodem titulo dicta prænot. 8. aſſert. 1. verſ. diſputant inſuper, & tom. 5. ſub tit. contractus XIV. de ſponſal. I. prænot. 5. ſect. 7. n. 11.*, ad quæ vos remitto.

**4 Interpres, vt interpres non eſt ſufficiens ad deferendũ conſenſum contrahentium abſentium.**

In ordine ad ſecundam dicendum eſt ſubſiſtere matrimonium, quantumvis Parochus ſufficientèr præſens obturando aures, & oculos occludendo affectaret non intelligere ea, quæ fiunt, dummodò tamen intelligeret, ſecus ſi non intelligeret. In his terminis in vniuerſum conſentit *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 39. n. 6. verſ. fateor, difficilem*. Fundamentum primæ partis deſumitur ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trident. interpretum apud *Salzedo pract. c. 73. inter alias quas ibi recitat ea eſt ad 4. publ.*, quæ ſic habet. *Congregatio Concilij cenſuit non valere matrimonium, ſi ſacerdos non intellexit, niſi tamen affectatum eſset non intelligere*; nihil enim aliud eſt affectare, quam conſultò aliquid facere per textum *in l. quod ait lex 23. §. quod ait lex ff. ad leg. Iul. de adul.* Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià omninò improbabile eſt, quod ſacra Congregatio voluerit teſtimonium illius eſse validum, qui nihil percepit eorum, quæ facta ſunt. Quomodo enim teſtificari poteſt de matrimonio, quod non cognouit?

**5 Tenet matrimoniũ, quantumvis Parochus præſens affectet non audire, nec percipere, quæ fiunt dummodo percipiat.**

*Ex* dictis ſequitur, quod furioſi, amentes, infantes, ebrij, & dormientes non poſſint dici valide præſentes ad effectum, vt matrimonium coram illis initum dicatur ſubſiſtere *Franciſcus Molinus lib. 2. de ritu nupt. diff. 11. nu. 124. Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. n. 87. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 3. num. 2. in fin.* & ratio eſt, quià huiuſmodi communitèr reputantur pro abſentibus per textum *in l. 1. §. furioſus, ff. de acq. poſſeſ.* Excipe niſi furioſus haberet dilucida interualla, & aſſiſteret pro tempore ſanæ mentis *l. qui teſtamento §. eum, qui C. de teſtam.*

**6 Furioſi, amentes, ebrij, & infantes non ſufficientèr moralitèr cenſentur præſentes.**

Aſſert. III. Præſentia Parochi debet eſse cum actuali attentione, nec ſufficit, ſi ſit cum virtuali ad valorem matrimonij *Fillintius part. 1. tract. 10. c. 6. n. 224. Gutierez de matrimon. c. 69. Laiman lib. 5. tract. 10. par. 1. 2. c. 4. n. 6. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 39. n. 5. Auguſtinus Barboſa de Parochis c. 21. nu. 49.* hancque tutiorem appellat *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. cont. c. 3. n. 21.*

**7 Præſentia debet eſſe cum actuali attentione.**

Nomine attentionis virtualis in hoc genere *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 3. n. 1. in comment. lit. E.* qui docet ſufficere aſſertionem virtualem, intelligit præcisè eam, qua Parochus præmonitus, & rogatus ad aſſiſtendum matrimonio acceſſit, vel ſponſi coram eo ſe præſentarunt, per quod indicatur intentio aſſiſtendi, licet poſtea pro tempore, quo ſponſi exhibent ſuum conſenſum alio mente directus non attendat, nec percipiat ea, quæ actu fiunt; nomine verò attentionis actualis venit actualis perceptio, & intelligentia mutui conſenſus exhibiti per contrahentes.

**Quid veniat nomine attentionis virtualis.**

Ratio ex eo deducitur, quià aſſiſtentia debet eſſe talis, vt de viſu, vel de auditu poſſit parochus, & teſtes coram Eccleſia teſtificari de matrimonio initio per actualem conſenſum, ſed ſtante præcisè virtuali attentione, nec de viſu, nec de auditu teſtificari poſſunt de actuali conſenſu ſenſibilitèr exhibito, ſed dumtaxat, vel de proprio acceſſu, vel de præſentatione coniugum coram ſe, ergò per talem attentionem non ſufficientèr aſſiſtunt, vt validum dici poſſit matrimonium. Confirmatur

**Præſentia virtualis non eſt ſufficiens, vt poſſint teſtificari, vel de viſu, vel de auditu.**

firmatur ex ijs, quæ dicta ſunt ſub præcedenti aſſertione de aſſiſtentia cum affectatione, ne intelligant, & percipiant ea, quæ fiunt, ſi re vera non intelligant.

Dices, attentio virtualis ſufficiens eſt ad adimplementum oneris audiendi ſacrum in die feſto, & ad alia ſacramenta conficienda, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam erit ſufficiens ad validam aſſiſtentiam pro matrimonio. Sed contra neganda eſt conſequentia; diſparitas in eo conſiſtit, quia aſſiſtentia Parochi ad matrimonium requiritur ex Eccleſiæ inſtituto, vt ſit teſtis auctoritatiuus ad teſtificandum actum: non poteſt autem actum teſtificari, niſi actu, vel per viſum, vel per auditum eundem actum nouerit; attentio autem ad ſacrum, vel ad alia ſacramenta conficienda non eſt, niſi ad valorem actuum, ad quos poteſt influere, quantumvis ſolum virtualiter perſeueret.

Hic alia ſuboritur difficultas, an ad validitatem matrimonij requiratur, quod Parochus, & teſtes videant, quid agatur, an vero ſufficiat, quod aliquo ſenſu percipiant, & intelligant. *Franciſcus Molinus lib.2.de ritu nupt. diff.11.nu.120. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg.32. num.86.& ſeqq. Stephanus Gratianus diſcept foren. tom. 5. cap* 849. *num* 20. ſuſtinent ad præſentiam moralem requiſitam ad validitatem matrimonij requiri, vt Parochus, & teſtes non ſolum intelligant, quæ aguntur, ſed etiam videant, quod multis conantur rationibus euincere deductis, tum à periculo fraudium, quæ poſsent contingere, ſi non viderent; ad quod periculum euertendum potiſſimum reſpexit *Concil. Trident. in d. ſeſſ* 24. *cap.* 1 *de reformat. matrimon.* tum ex eo, quod cæcus non eſt integer teſtis, nec integræ fidei, & omni exceptione maior *Menochius de arbitrar cap.*475. *num.* 22. *Farinacius de teſtib.qu.*61. *num* 27. cum facile in voce falli poſſit *Igneus in l* 4 § *ignoſcitur num.22.verſ. ſecundo cæcus ff. ad ſyllan.* Nihilominus tenendum eſt ad validitatem matrimonij ſufficere, quod intelligant, & percipiant aliquo ſenſu ea, quæ per contrahentes aguntur *Henriquez lib.11. cap.3.* § 1. *Gutierez de matrim. cap.69. num.4. in fin. Filliucius prima parte tract.*10.*cap.6.num,*224. *Rebellius ſecunda part.lib.2.qu.8 num.7.* Ratio ex eo deduci poteſt, quia ſufficit, quod quoquo modo conſenſus contrahentium ſit ſenſibilis, & actu percipiatur à Parocho, & teſtibus, nam, ſi ſufficit, quod in ordine ad ipſos contrahentes manifeſtetur ad inuicem, vel per verba, vel per nutus, vt conſentiunt communiter ſcribentes, cur ſufficere non poterit in ordine ad Parochum, & teſtes etiam, quod per verba contrahentium præciſè talis conſenſus percipiatur. Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quandoquidem, cum ſenſus omnes ſint fallibiles æquè deceptio contingere poteſt in viſu, ac in auditu per textum *in cap.quomodo* 31. *qu.*1.*& l.* 1. *ff. de ventre inſpicien.* cum vnus loco alterius poſſit ſubſtitui, & vbi matrimonium contraheretur per nutus facilius etiam quoad viſum contingere poſſunt fallentiæ, & deceptiones. Nec item obeſſe poteſt id, quod ſubditur, quod ſcilicet cæcus non admittatur, vt teſtis, vel, ſi admittatur, non ſit integer, nec integræ fidei, & omni exceptione maior; non, inquam, obeſse poteſt, quia cæcus non admittitur quidem, vt teſtis quoad ea, quæ ſolo viſu percipiuntur, bene tamen quoad ea, quæ cadunt ſub ſenſum auditus, vnde communiter docent, quod teſtificari poſſit ſuper verbis ſtipulationis, & contractus à contrahentibus prolatis, modo vocem loquentis notam, & cognitam habeat. *Maſcardus de probat. verbo cæcitas concil.* 278. *num.* 10. *&* 16. *Menochius de arbitrarijs caſ.*475.*num.*16. *&* 22. *Barboſ.tom.*1.*collectan.lib.*2. *tit.*20.*cap.*33. *num.*3., & Menochius loc.cit. affert tria exempla, in quibus cæcus plene probat, & quamuis daremus, quod cæcus non eſſet teſtis omni exceptione maior, adhuc noſtræ aſſertioni non officeret, quandoquidem, cum matrimonium ſit maxime fauorabile; admittit quoſcunque teſtes, nec exigit omni exceptione maiores, vt videbimus infrà, vnde etiam in hanc ſententiam tranſiuit *Rota Romana deciſ.*634. *num.*4. *apud Buratum.*

8
**Sufficit, quod aliquo ſenſu percipiant ea, quæ fiunt.**

9
**Debet eſſe ſimultanea, nec ſufficit ſucceſſiua.**

Aſſertio IV. Præſentia Parochi, & teſtium ad validitatem matrimonij debet eſſe ſimultanea, nec ſufficit ſucceſſiua *Poſſeuinus de offic. Curati cap.* 10. *num.* 22. *VeraCrux append ad ſpecul. dub.*6. *concl.*4. *Rebellius part.2.lib.2.qu.8. num* 7. *Bonacina de matrimon. quæſt.2.punct.8. num* 41. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap.*3. *num.* 1.

Ratio deducitur primò, quia Concilium Tridentinum determinans aſſiſtentiam Parochi, & duorum, vel trium teſtium voluit plenam probationem contractus iam initi, ſed plena non haberetur probatio, ſi aſſiſtentia non eſſet ſimultanea, ſed ſucceſſiua, ergo &c. Minor probatur, quia, ſi Parochus, & teſtes ſucceſſiuè aſſiſterent, eſſet omnes teſtes ſingulares, ſed teſtes ſingulares non plenè, & perfectè probant, ergo &c. Secundò, quia Concilium Tridentinum ſtatuens tanquam formam contractus aſſiſtentiam Parochi, & teſtium vtriuſque præſentiam exigit copulatiuè non alternatiuè, nec diſiunctiuè, & aliter contractum declarat nullum, & contrahentes inhabiles, ergo ſimul debent interuenire non ſucceſſiuè.

**Si ſucceſſiuè aſſiſterent eſſet teſtes ſingulares.**

Dices

Digitized by Google

Dices, etiam in ſacramentis copulatiuè decernitur materia, & forma, & tamen non eſt neceſse materiam, & formam phyſicè, ſimul coexiſtere, ſed ſufficit coexiſtentia moralis, & ſucceſſiua, ergo etiam quantumvis ex diſpoſitione Concil. Trident. præſentia parochi, & teſtium importetur per particulam copulatiuam &, nihilominus ſaluabitur exiſtentia matrimonij, quantumvis Parochus, & teſtes ſucceſſiuè moraliter aſſiſtant. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia cum ſacramenta ſint tantum compoſita moralia non exigunt ad ſui ſubſtantiam, niſi coexiſtentiam moralem; hic autem non agitur præcisè de compoſito morali in ordine ad eſse, ſed de conflato requiſito ad inducendam plenam, & omnimodam probationem, quæ haberi non poteſt, niſi per ſimultaneam aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, cum cæteroqui vt pote teſtes ſingulares non plenè, ſed tantum imperfectè probarent.

16 Non requiritur, vt aſſiſtentia Parochi ſit rogata.

Aſsertio V. Aſſiſtentia Parochi, & teſtium ad valorem matrimonij non eſt neceſse, vt ſit rogata, ſed ſufficit, ſi fuerit accidentalis, dummodo fuerit cum actuali attentione, & perceptione eorum, quæ aguntur *Nauarrus lib. 4. conſ. in prima edit. tit de ſponſalib. conſ. 20., & in ſecunda tit. de clandeſt. deſponſat. conſ. 11. Petrus de Ledeſmà de matrimon. qu. 45. art. 5. punct. 3. dub. 2. ad fin. Segura ſecunda part. director. Iudic. cap. 51. num. 54. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 3. num. 6., & alij innumeri apud eundem.*

Expreſsè euincitur ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinal. Concil. Trid. interpretum apud *Salzedo ad practic. Diaz cap. 37. dub 5.*, quæ caſum reſoluit in his terminis *An, ſi adſit Parochus, dum contrahitur matrimonium, caſu non cogitans ſe ad id vocatum, ſed aliud agens audiuit duos inter ſe contrahentes matrimonium ſit validum tale matrimonium, in quo fuit præſens; non tamen certioratus, neque ad id expreſsè vocatus, neque interponens ſuam auctoritatem dicto, vel facto, vel potius ſit nullum, quaſi aſſiſtentia auctoritatiua per Concilium requiratur, non nuda, vel carnalis præſentia. Sacra Congregatio Concilij cenſuit valere, etiam ſi Parochus aliam ob cauſam adhibitus ſit ad illum actum.* Neque obeſse poſſunt contrariæ eiuſdem Sacræ Congregationis declarationes, quæ adducuntur à *Rebellio part. 2. lib. 2. qu. 8. ſect. 3. num. 51. & 73.* quarum prima ſic cantat *Parochus præſens matrimonio debet eſſe, vt appareat à contrahentibus adhibitum fuiſſe, ſecus ſi præſens caſu fuiſſet.* Secunda ſic habet *An ſit matrimonium, ſi duo contrahant per verba de præſenti Parocho præſente, & alijs requiſitis non omiſſis, cui contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit, ſed dum forſan conuiuij, vel confabulationis, vel aliud tractandi cauſa adeſſet, accidit huiuſmodi contractum fieri, & poſtea alter contrahentium velit ab huiuſmodi contractu ratione huius defectus reſilire. Congregatio reſpondit poſſe, niſi alia interuenerint, quæ Parochum à contrahentibus adhibitum fuiſſe arguant, qui diceretur adhibitus vt ſupra, quamuis ex alia cauſa eſſet vocatus, dummodo ſit adhibitus ad illum actum.* Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia, ne teneamur admittere circa eandem quæſtionem inconcuſſum Sacræ Congregationis tribunal ſibimet ipſi contrarium fuiſſe, & circa idem diuerſa, eaque contraria ſtatuiſſe, debemus aſserere, vt vtraque dicta concilientur, poſteriores declarationes intelligendas eſſe, quando Parochus caſu præſens non intellexit, quæ fierent, vel non potuit intelligere rem ſerio fieri, prout explicat *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 3. num. 7. in fin.*, vnde Parochus, & teſtes, quantumvis caſu præſentes dici poſſunt ad eum actum adhibiti ex eo, quod contrahentes coram illis conſenſum manifeſtauerint ad finem ſeruandi ea, quæ ex *Concil. Trid in d. cap. 1. ſeſs. 24. de reformat. matrimon.* diſponuntur, dummodo intellexerint ea, quæ per eoſdem contrahentes dicta, vel facta ſunt.

Conciliantur variæ Sacræ Congregationis declarationes.

Ratione vlterius ſic euincitur, quia quantumvis Parochus, & teſtes caſu adfuerint, dummodo intellexerint ea, & ſenſu perceperint, quæ facta, vel dicta ſunt adhuc ſaluari poteſt finis principaliter intentus à Concilio Tridentino, qui fuit, vt poſſint coram Eccleſia teſtificari de matrimonio iam inito, & per hoc euertere occaſiones fraudium, ne ſcilicet ob clandeſtinitatem matrimonia valida diſſoluantur, vt contrahantur inualida, quandoquidem, quantumvis fuerint caſu præſentes, dummodo tamen intellexerint ea, quæ facta, vel dicta ſunt, ea poſsunt coram Eccleſia deponere, & per hoc tolli poſsunt illa ſcandala, ergo &c. Neque obeſse poteſt, ſi dicatur, quod præcipue Parochus debeat auctoritatiuè aſſiſtere auctorando quodamodo geſta eorundem contrahentium; quomodo autem dici poteſt auctoritatiuè aſſiſtere, ſi per accidens præſens eſt, & ad eum finem non vocatus? Non, inquam, obeſse poteſt, quia ly *auctoritatiuè aſſiſtere* ſtare poteſt dupliciter, vel ſubiectiuè ſcilicet, vel formaliter; ſubiectiuè, quatenus perſona, coram qua contrahitur, vt pote à publico deputata auctoritate polleat ſecundum ſe formaliter, quatenùs, vel dicto, vel facto auctoritatẽ ſuam in tali actu exhibeat; ſufficit igitur, quod primo modo exiſtat ad validitatem matrimonij, vt auctoritatiuè poſſit teſtificari de contractu coram ſe inito.

Sufficit, quod facto auctorizet.



Digitized by Google

Explicantur varij caſus, ſecundum quos tenet matrimoniũ, quamuis Parochus non fuerit rogatus.

Ex dictis inferas primo, quod ſi Parochus, & teſtes in aliquo conuiuio ſimul exiſtant, & contrahentes ſe coram ipſis præſentent, & ſuos mutuos conſenſus per expreſsa verba, vel per nutus manifeſtent teneat contractus. Secundò etiam, ſi caſu tranſeat Parochus per viam, & coram ipſo, & teſtibus fiat talis conſenſuum manifeſtatio. Tertiò, ſi idem Parochus interueniat ad finem aliud negotium peragendi, & contrahentes vtentes tali circunſtantia ſe proferant coram ipſo, & teſtibus, ſeque matrimonium contrahere aſseuerent; hæcque omnia eiſdem declarationibus, & rationibus euincuntur, quibus ipſa aſsertio.

11 Probabilius etiam tenet matrimoniũ, ſi quandò ſacris indutus progreditur ad altare, vel ab eodem reuertitur contrahentes eidem ſe præſentant, & proferant conſenſum

Maior difficultas eſt, an etiam ſubſiſtat matrimonium celebratum coram Parocho antecedentèr nõ vocato, dum ſacris indutus veſtibus ad altare progreditur miſſum celebraturus, vel eadem finita ab altari reuertitur ſacras veſtes exuturus. Affirmatiuè reſpõdet *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.3. n.6. prope medium*, vbi aſserit ita in caſu conſimili deciſum fuiſſe Mediolani, & Romæ, & quidem ſuppoſita præcedenti doctrina, quod non requiratur ad validitatem matrimonij, quod Parochus fuerit rogatus, ſeù præmonitus, ſed ſufficiat, quod caſu tranſeat, non video, cur etia m non ſufficiat, ſi tranſeat progrediendo ſacris indutus ad altare miſſam celebraturus, vel eadem finita reuertendo ſacros habitus depoſiturus? Quod, ſi dicatur, quod quando ſacris indutus procedit ad altare, vel ab eodem reuertitur fingatur quaſi alter ab ipſo Parocho, & omninò abſtractus à curis temporalibus, adeoque præſumatur, quod attentionem non habuerit, ſeù non habeat ad ea, quæ fiunt per ipſos contrahentes; ſtatim dictum eludetur, quandòquidem ex eo, quod ſacris indumentis fuerit veſtitus non deſinit eſse Parochus, quinimmò tunc maximè eſt Parochus, quià exercet munera Parochiæ, & quamuis præſumatur, quod tunc ſit mente eleuatus ad contemplationem diuinorum, ità tamen non intelligitur abſtractus à ſenſibus, vt non poſſit ea percipere, quæ contrahentes eidem obuiantes palam exercent, & clara voce depromunt; & ſicuti quamuis actu ad altare celebret repentino caſu, & periculo mortis obueniente poteſt a ſacro deſiſtere, & aſſiſtere pereunti per miniſterium pænitentiæ, ita non eſt, cur dum actu progreditur ad altare, vel ab eodem reuertitur non poſſit ſufficientèr percipere ea, quæ in ipſius tranſitu per contrahentes fiunt, & validum conſtituere matrimonium, cum ex præcedentèr dictis non requiratur, quod fuerit rogatus, vel præmonitus, ſed ſufficiat, quod caſu tranſeat.

Quid verò dicendum ſit, ſi Parochus fuerit in actuali exercitio celebrationis miſsæ, & contrahentes temerariè ſe exhibeant, vel dum ſe voluit ad populum dicens, Dominus vobiſcum, vel adſtantes benedicens, vel intra miſsarum ſolemnia communicans, vel fortè etiam accedentes ad altare veſte leuitèr eundem Parochum atrahentes dicant coram teſtibus. *Sumus ad inuicem coniuges*. Exiſtimo adhuc probabilius illud matrimonium ſubſiſtere, quià illud miniſterium, quod tunc exercet parochus non impedit, quominus poſſit videre, audire, & intelligere ea, quæ fiunt per eoſdem contrahentes, & ſi parochus intra miſsarum ſolemnia poteſt facere denuntiationes matrimoniales aliaq; edicere, cur non poterit etiam hoc munus obire, quantumvis inuitus? non enim Concil Tridentinum exigit præſentiam parochi omninò voluntariam, ſed præcisè aſſiſtentiam eiuſdem, vt poſſit tanquam teſtis auctoritatiuus teſtificari de conſenſu per verba de præſenti ſenſibiliter poſito. 12

12 Quinimmò etiam dum actu celebret, ſi videat, & percipiat, quæ fiunt.

Aſsertio VI. Non eſt ſimplicitèr ad valorem matrimonij neceſsaria aſſiſtentia parochi, & teſtium voluntaria, ſed ſufficit etiam coacta, vel per dolum inducta *Gutierez de matrim. c. 55. n.9. Stephanus Gratianus tom 1. diſcept. for. in addit. deciſ.37. nu.10, Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.3. num.3.* 13

13 Sufficit etiam coacta, & per dolum inducta.

Hoc definitum reperitur à Sacra Congregatione Cardinalium Concil. Trid. interpr. apud Farinacium, Salzedo, Rebellium, quæ interrogata, *an ſi inuitus, & compulſus per vim adſit Parochus præcedente, vel non præcedente prohibitione ordinarij tale matrimonium ſubſiſtat*. Reſpondit *ſubſiſtere*. Ratio ex eo deducitur, quià concilium aliud non requirit, quam quod matrimonium contrahatur coram parocho, & teſtibus, nec alias qualitates exigit circa talem aſſiſtentiam, ergò quantumvis per dolum inducatur, & per vim detineatur parochus poterit validè coram eodem matrimonium celebrari, quandòquidem, cum Concilium Trident. ſit in hoc correctorium iuris communis, debet ſumi, prout verba ipſius ſonant, non reſtringi, nec extendi vltra formalem eorundem verborum ſignificationem; nec obeſse poteſt textus *in reg. qui poteſt inuitis, ff. de reg. iur.* vbi dicitur, quod poteſt fieri inuitis multò magis ignorantibus, & abſentibus, ſed matrimonium non poteſt celebrari ignorantibus, & abſentibus parocho, & teſtibus ex ſuperius enunciatis, ergò multò minus eiſdem inuitis, hocque eo fortius vrgetur, quod in iure idem eſt abeſse, ac adeſse inuito, ſeù ſine conſenſu, vt docet *Baldus in l. cum non ſolum §. neceſſitate nu.5. C. de bonis, quæ lib.*; Non, inquam, obeſse poteſt, quià, vt benè notat *Rebuffus in l. coram Titio 209. ff. de verb. ſignifi. verſ.9.* illa

regula

Digitized by Google

regula non procedit, quando actus neceſſariò exigit talem præſentiam, ſine qua fieri non poteſt, tunc etenim, quamuis haberi non poſſit ignorante eo, qui ex diſpoſitione iuris debet eſſe præſens, haberi tamen poteſt eo præſente, & cognoſcente, quantumuis inuito, cum requiratur ipſius præſentia cum cognitione eius, quod fit, non tamen eiuſdem conſenſus, & hoc idem reſponderi poteſt ad illud, quod ſubditur; idem enim eſt abeſſe, & adeſſe inuito, quando conſenſus eius, qui adeſt, requiritur, ſecus quando non requiritur.

14 Non ſufficit, ſi aſſiſtant ſponſalibus iuramento firmatis, nec ſponſalibus, ſi poſtea clam ſecuta fuerit copula animo coniugali.

Aſſertio VII. Ad validitatem matrimonij non ſufficit, quod Parochus, & teſtes fuerint præſentes ſponſalibus iuramento confirmatis, nec ſponſalibus, ſi poſtea ſponſi clam animo vxorio ſe cognoſcant, vel, ſi aſtiterint matrimonio impuberum, vel puberis cum impuberi malitia ætatem non ſupplente. Ita in vniuerſum ſuſtinet *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 40. per totum*.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Concil. Trident. præſcripſit tanquam formam aſſiſtentiam Parochi, & teſtium matrimonio, non autem ſponſalibus, ergo per aſſiſtentiam eorundem præcisè ſponſalibus non redditur validum matrimonium, quod ſecundum ſe exigit tanquam formam illam aſſiſtentiam, non præcisè in præambulis. Confirmatur, quia finis præcipuus diſpoſitionis Concilij fuit, ne matrimonia valida diſſoluerentur, & contraherentur inualida, & vt Parochus, & teſtes poſſent teſtificari de matrimonio iam inito, ſed hæc ſequi non poſſunt per aſſiſtentiã ad ſponſalia, quantumuis iuramento firmata ſcilicet, quod matrimonia valida diſſoluantur, & inualida contrahantur, quandoquidem nullum matrimonium initum eſt, & celebratis ſponſalibus cum vna, ſi cum alia celebretur matrimonium dici non poteſt, quod fiat tranſitus à matrimonio valido ad inualidum, cum ſponſalia ex genere ſuo diſſoluantur per ſubſequens matrimonium, & aſſiſtens præcisè ſponſalibus non poſſit teſtificari de matrimonio iam inito, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod per iuramentum illa ſponſalia tranſierint in matrimonium per textum *in cap. ſi quis diuinis 30. qu. 5.* adeoque, quod per aſſiſtentiam parochi, & teſtium validè firmentur: Non, inquam, obeſſe poteſt, quia nullibi conſtat per iuramentum ſponſalia tranſire in matrimonium, nec hoc euincit textus enuntiatus, quandoquidem ſolum aſſerit iurantem teneri ſponſam accipere in ſuam, non quod ſua fide facto: nec incongrua ratione hoc dicitur, quandoquidem, vt benè docet *D. Thomas in 4. diſt. 28. quæſt. vnica art. 3. in corpore* iuramentum ex genere ſuo habet ſolummodo confirmare dictum, &, cum dictum ſolummodo ſit de matrimonio de futuro, non poteſt, niſi addere vinculum Religionis ad obligandum ad idem dictum, non autem ad conſtituendum matrimonium de præſenti.

Sponſalia per iuramentum non tranſeunt in matrimonium.

Nec per copulam ſubſequẽtem etiam animo vxorio.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia de iure nouiſſimo Concilij Trident. per copulam ſubſequentem ad ſponſalia, quantumvis legitimè contracta eadem ſponſalia nõ tranſeunt in matrimonium, ad quod requiritur, quod exhibeatur de præſenti conſenſus coram Parocho, & teſtibus; nec Parochus, & teſtes in ea hypotheſi teſtificari poſſunt, niſi de ſolis ſponſalibus, ergo non ſufficit illa aſſiſtentia præſtita ſponſalibus ad validitatem matrimonij, ſed vlterius requiritur, quod conſenſus coram illis exhibeatur per verba de præſenti.

Duplex ratio dubitandi.

Hic ex occaſione duplex ſuboritur difficultas. Prima eſt, an, ſi contractis clam ſponſalibus Parocho non interueniente, nec teſtibus, & poſtea ſecuta fuerit copula coram ipſis intelligatur valide initum matrimonium. Secunda, an, ſi tam ſponſalia fuerint inita coram Parocho, & teſtibus, quam copula habita coram eiſdem valide tale matrimonium intelligatur contractum. In ordine ad primam dicendum eſt abſolutè non fieri validum matrimonium iuxta diſpoſitionem Concil. Trident. Ratio eſt, quia in ea hypotheſi poſſent tantum teſtificari de copula, non autem de ſponſalibus antecedenter initis, nec de conſenſu præſtito de præſenti *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 40. num 7. verſ. ſed dicendum eſt*. In ordine ad ſecundam probabilius eſt, etiam ſtante diſpoſitione Concil. Trident. conſtitui verum matrimonium, vel ſaltem præſumptum *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. num. 7. Spino ſpecul teſtam. gloſ. 15. num. 65. & 66. Sanchez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur quia tunc ſufficienter ponitur mutuus conſenſus de præſenti ſenſibili ſigno externo manifeſtatus coram Parocho, & teſtibus, ergo non eſt, cur illud matrimonium non debeat ſubſiſtere. Antecedens probatur, quia poſitis legitimis ſponſalibus coram Parocho, & teſtibus, & ſucceſſiuè coram eiſdem copula carnali illa copula poſt ſponſalia eſt ſufficiens ſignum externum manifeſtatiuum conſenſus de præſenti; non enim per ſuperius dicta ad eundem conſenſum ſenſibiliter manifeſtandum ſemper ſunt neceſſaria, verba, ſed ſufficiunt ſigna apta ſecundum ſe illa manifeſtare, & illa copula de iure antiquo ſuppoſitis præcedentibus ſponſalibus inducebat ſecundum ſe matrimonium, ergo modo, ſi illa fiat coram Parocho, & teſtibus erit ſufficiens ad inducendum matrimonium; non enim Concil. Trident.

15 Si præceſſerint clã ſponſalia, & poſtea ſubſecuta fuerit copula corã Parocho, & teſtibus non tenet matrimonium.

16 Si ſponſalia, & copula fuerint habita coram Parocho, & teſtibus præſumitur pro matrimonio.

Indicatur ſufficienter conſenſus.

aliquid innouauit circa ſufficientiam conſenſus, ſed ſolum ſtatuit, quod conſenſus exhibeatur coram Parocho, & teſtibus, ergo, ſi antecedenter illa copula poſt contracta ſponſalia erat ſine præſentia Parochi, & teſtium inductiua matrimonij, modo etiam erit inductiua eiuſdem, ſi coram eiſdem habeatur. Hac eadem ratione docent plerique apud *Sanchez loc. cit.* quod, ſi ſponſus poſt contracta legitimè ſponſalia coram Parocho, & teſtibus ſponſam coram eiſdem ſolemniter traduçat ad domum propriam, intelligatur ratione illius exhibere coram eiſdem conſenſum de præſenti, adeoque verum conſtituere matrimonium.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia ille conſenſus præſtitus per impuberes, vel per puberem, & impuberem, quamvis ponatur per verba de præſenti, re vera tamen reſoluitur dumtaxat in matrimonium de futuro, quandoquidem illi ſunt inhabiles ad contrahendum de præſenti, ſed ad validitatem matrimonij requiritur iuxta diſpoſitionem Concil. Trident., quod conſenſus ita exhibeatur de præſenti, vt de præſenti conſtituat matrimonium, cæteroqui Parochus, & teſtes non poſſent teſtificari de matrimonio, ſed tantum de ſponſalibus, ergo &c.

---

## PRÆNOTIO XXXIII.

### An Parochus in tali aſſiſtentia debeat ex neceſſitate exercere aliqua munera.

*SVMMARIVM.*

*Præuia Parochi interrogatio non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed tantum præcepti in ſuppoſitione, quod alia via contrahentes non aperirent ſuum liberum conſenſum.* num. 1.

*Quando dubitat de libero alterius conſenſu præmittere debet interrogationem ſub lethali.* 2.

*Interrogatio, quando neceſſario facienda eſt poteſt vni, vel alteri pro libito prius fieri,* num. 3.

*Poteſt etiam interrogatio fieri per interpretem.* 4.

*Non tenetur Parochus in celebratione contractus regulariter loquendo interrogare contrahentes, an inter ipſos ſit aliquod impedimentum.* 5.

*[Ex]hibitum conſenſum verba illa* Ego vos [con]iugo *non ſunt de neceſſitate ſacra[men]ti, ſed tantum præcepti.* 6.

*[Si Pa]rochus illa omittat, non peccat lethaliter.* 7.

*Exhibito conſenſu per verba de præſenti, ſi Parochus ſubiungat* Ego vos coniungam, *non ſuſpendit matrimonium.* 8.

Titulus propoſitus eo potiſſimum collimat, vt inquiratur, an antecedenter Parochus teneatur contrahentes interrogare, an velint contrahere, ſaltem de neceſſitate præcepti, & an, ſi omittat hanc præuiam interrogationem peccet, vel lethaliter, vel venialiter; Secundò, an teneatur interrogare eoſdem, an inter ipſos intercedat aliquod impedimentum, vel ſimpliciter impediens, vel etiam dirimens. Tertiò, an habito eorum conſenſu teneatur illa verba proferre *Ego vos coniugo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vel alia ſimilia iuxta conſuetudinem regionis, & qua neceſſitate. Quartò, an omittendo illa verba peccet, & an lethaliter, vel venialiter tantum. Quintò, quid, ſi habito contrahentium conſenſu dicat Ego vos coniungam &c.

Quænam veniant diſputabilia circa præſentē titulum.

Ratio dubitandi potiſſimum deſumitur ex verbis *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrimon.* vbi ſic legitur *Præcipit Sancta Sinodus, vt Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuſcuiuſque prouinciæ ritum*, vbi ex illis verbis *Viro, & muliere interrogatis*, quæ poſtponuntur præcepto, per illa verba *Præcipit Sancta Sinodus*, colligitur neceſſitas præuiæ interrogationis; ex illis poſtea ſequentibus, *dicat Ego vos in matrimonium coniungo &c.* neceſſitas huius benedictionis, vel prolationis huiuſmodi verborum, vel ſimilium. Nihilominus ſit

Fundamentum dubitandi.

Aſſertio I. Illa præuia interrogatio non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed tantum præcepti non quidem abſolutè, ſed tantum in ſuppoſitione, qua alia via contrahentes non aperirent ſuum liberum, & mutuum conſenſum. Ita quoad primam partem *VeraCrux in append. ad ſpecul. dub. 4. Cucus lib. 5. tit. 11. num. 57. Franciſcus Leo in theſau. for. Eccleſ. part. 2. c. 24. num. 46. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 169. Rebellus part. 2. lib. 2. qu. 7. ſect. 1. num. 4. Bonacina de matrimon. qu. 2. punct. 8. num. 39. Reginald. lib. 31. num. 175.* Quoad ſecundam de neceſſitate præcepti eſt communis apud omnes. Quoad tertiam *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 3. num. 16. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 21. num. 3.*

1 Interrogatio non eſt de neceſſitate ſacramenti, & tunc tantū requiritur, quando cõtrahentes aliter non aperirent conſenſum

Probatur prima pars, quia eſſentia ſacramenti matrimonij conſiſtit in legitimo conſenſu contrahentiū ſenſibiliter manifeſtato, ſed adhoc neceſſaria nõ eſt præuia Parochi interrogatio, ſi quidem independenter ab illa poſſunt contrahentes illum conſenſum ſenſibiliter manifeſtare, ergo &c.

Digitized by Google

*Tenet matrimonium coram Parocho, & teſtibus nõ cogitantibus, nec rogatis, ſed inuitis.*

&c. Confirmatur primo, quià nemine diſceptante matrimonium contractum coram Parocho, & teſtibus non cogitantibus, ſed præuentis à contrahentibus dummodò intelligant, videant & audiant, quæ fiunt, & dicuntur, validum eſt, quinimmò, vt ſuprà dicebamus, ſubſiſtit, quantumvis Parochus, & teſtes fuerint per vim detenti, ſeù per dolum inducti, ergò eiuſdem parochi interrogatio non eſt neceſsaria neceſſitate ſacramenti. Confirmatur ſecundò, quià Trident. non præcepit interrogationem ſub clauſula irritante, ergò illa neceſſaria non eſt ad valorem matrimonij. Conſequentia tenet, quià, ſi Concil. voluiſset matrimonium irritum eſse ſine illa præuia interrogatione, vtique expreſſiſset, ſicuti expreſſit, quandò contrahitur ſine parocho, & teſtibus; quinimmò, cum concilium quoad hoc ſit correctorium iuris communis, debet ſtrictè intelligi ſecundum quod verba ſonant, non extendi vltra verborum ſonum ad irritationem. Confirmatur tertiò ex nonnullis declarationibus Sacræ Congregationis Card. Concil. Trid. interpretum apud *Bellarminum ad d. c. 1. Concil. Trid. ſeſſ. 24 de reformat. matrimon.*, *& apud Rebellium poſt lib. 4. ſect. 3. n. 38.*, *& ſeqq.*

*...ptũ ...tini.*

Probatur ſecunda pars ex expreſſis verbis *eiuſdem Concil. Trid. d. c. 1. ſeſſ. 24. de matrimon.*, vbi ſic legitur *Præcipit Sancta Synodus, vt Parochus viro, & muliere interrogatis*, quæ certè verba important præceptum, quod vtique adimpleri debet, quotieſcunque viget cauſa finalis præcepti, nempè omnimoda claritate inueſtigandi, & cognoſcendi formalem conſenſum contrahentium; voluit enim ſancta Synodus, vt quantum fieri poſſit, ad claritatem trahatur conſenſus, ne poſtea aliqua tragiuerſatione poſset per contrahentes impugnari.

*Ceſſante fine non eſt neceſſaria interrogatio.*

Probatur tertia pars, quià interrogatio eſt præcisè ad finem, vt interrogans indaget mentem, & conſenſum liberum contrahentium, ergò, vbi ipſi contrahentes præuiè ad ipſam interrogationem palam coram Parocho, & teſtibus expreſſis verbis manifeſtauerint ſuum conſenſum ad contrahendum de præſenti, non erit neceſſaria eadem interrogatio, ad quid etenim adhibere media ad finem, qui iam obtentus eſt? Antecedens probatur, quià illa interrogatio non præſcribitur, vt forma contractus, cum contractus conſiſtat in ſolo contrahentium conſenſu tali, vel tali modo manifeſtato, nec Parochus ſit propriè miniſter huius ſacramenti, ſed tantum teſtis auctoritatiuus, vt poſſit teſtificari coram Eccleſia de contractu iam inito.

*Duplex dubium examinandum.*

Hic duplex ſubotitur difficultas, prima, an in hypotheſi, qua ad claram expreſſionem conſenſus ex præcepto eſt neceſs aria interrogatio, quamuis aliqualitèr ſenſibilitèr idem conſenſus innoteſcat, peccet læthalitèr Parochus, ſi eandem interrogationem omittat. Secunda, an in ea hypotheſi poſſit interrogationem præmittere per interpretem, vel per aliquem nuntium. In ordine ad primam diſtinguendum eſſe exiſtimo, vel etenim alia via Parocho innoteſcit mutuus conſenſus liber contrahentium, vt quià ipſi non interrogati proferunt alia verba, vel exibent ſigna ſignificantia eundem conſenſum, & tunc exiſtimo non peccare lethalitèr Parochum omittentem interrogationem; vel parocho tantum innoteſcit conſenſus ex eo, quod rogatus fuerit ad aſſiſtendum, & contrahentes ſponte ſe offerunt coram illo, & teſtibus, & quid aliud expreſſius non ſignificant, ita vt tamen ipſe Parochus ex illa oblatione ſpontanea, alijſque præcedentibus ſignis cognoſcere potuerit illorum liberum, & ſpontaneum conſenſum; & tunc etiam exiſtimo, non peccare, læthalitèr, vel tandem coram Parocho ità ſe exhibent, & teſtibus, vt idem parochus poſſit dubitare, quod alter ipſorum non omninò ſpontè, & liberè conſentiat, & nullum ſit periculum ſcandali, non ſolum tenetur ſub læthali expreſsè interrogare, ſed etiam poteſt aliqua verba addere quibus extorqueat expreſſionem conſenſus. V. g. *ſi liberè conſenſiſtis liberè pronuntiate, quià ſi minus liberè, nullum erit matrimonium.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià materia præcepti eſt leuis, cum præceptum eò ſolum referatur, vt dignoſcatur conſenſus; ſi ergò aliunde ſufficientèr talis conſenſus habetur non fruſtratur finis præcepti, adeoque non grauitèr læditur. Hac eadem ratione euincitur ſecunda pars, quià ex ſuperius dictis non ſolum conſenſus poteſt verbis exprimi, ſed etiam ſignis, dummodò hæc in communi acceptione habeantur pro ſignificatiuis eiuſdem conſenſus, ergò habitis ſufficientibus ſignis manifeſtatiuis conſenſus ſecundum ſe non erit peccaminoſum læthalitèr omittere præuias interrogationes. Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quod in ea hypotheſi omittens interrogationem faceret directè contra diſpoſitionem Concilij, nec poſset ſe tueri aſſerens ſe plenum contrahentium conſenſum percepiſse, nam dubitat de vera exiſtentia conſenſus ex parte vnius, ergò in ea hypotheſi non vitaret grauem culpam. Quod, ſi ſuppo nas præmiſsa interrogatione, & palam præſtito per contrahentes conſenſu Parochum adhuc dubitare, tunc crederem ſine alio poſse aſſiſtere, quià prudentèr ageret ſecundum allegata, & probata; ſi tamen congruentius duceret præmittere illam proteſtationem, de qua ſupra, vtique ad vberiorem cautelam poſset, ſi inde nullum timeretur ſcandalum,

*Quandonam ſit neceſſaria interrogatio, vt Parochus vitet peccatum.*

*2 Quandò dubitat de alterius libero conſenſu peccat lethalitèr non interrogando.*

Agis

3 **Interrogatio potius vni prius facienda, quam alteri.**

Agit hic Poſſeuinus, an in caſu, quo interrogatio præmittenda eſt, incipiendum ſit a coniuge, an verò à marito. Sed quià hæc quæſtio modici roboris eſt, ideo ad conſuetudinem regionis remittendam exiſtimo, nec grauiter peccaret Parochus ordinem inuertendo.

4 **Poteſt interrogatio fieri per interpretem.**

In ordine ad ſecundam exiſtimo abſolutè interrogationem poſſe fieri per interpretem, nam ſicuti per eundem poteſt deferri, & declarari conſenſus contrahentium, ità non eſt, cur interrogatio parochi non poſſit per eundem interpretem, vel per quemcunque deferri, & explicari, ſi fuerit de mandato eiuſdem parochi, præcipuè cum talis interrogatio non ſit de forma contractus, ſed tantum de præcepto ad indagandam intentionem contrahentium.

5 **Non tenetur in celebratione contractus interrogare de exiſtentia impedimenti.**

Aſſertio II. probabilius eſt parochum in actu celebrationis contractus matrimonialis non teneri interrogare contrahentes, an inter ipſos intercedat aliquod impedimentum dirimens regularitèr loquendo. Ita in vniuerſum ſentire videntur *Sanchez lib.3 de matrimon. diſp.38. n.10. verſ. ſed hoc intelligo, Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.3. nu.20 Baſilius Pontius lib.5. c 21. n.3. Diana part.3. tract. 4. reſol. 294.*

Ratio ex eo deducitur, quià, nec ex natura ſua talis interrogatio prærequiritur, nec ex diſpoſitione Concil. Trident., ergò &c. Antecedens quoad primam partem probatur, quià regularitèr loquendo non deuenitur ad matrimonium, niſi præceſſerint congruæ, & legitimæ denuntiationes, quæ vtique ſunt ad inquirendum, an intercedat, nec ne aliquod impedimentum; præmiſſis autem huiuſmodi denuntiationibus non eſt vlterius inquirendum, & ſi quandoque ex Epiſcopi diſpenſatione huiuſmodi denuntiationes omittantur, tunc ad Epiſcopum ſpectat huiuſmodi impedimenta inquirere. & ſi Epiſcopus diſpenſat poſtpoſitis diſpenſationibus, tunc etiam non eſt ex neceſſitate præmittenda huiuſmodi interrogatio ſuper impedimentis, cum ſtandum ſit iis, quæ reſultabunt ex denuntiationibus poſtponendis; quod, ſi ſupponas vrgenti graui neceſſitate non permittente recurſum ad Epiſcopum parochum aſſiſtere ſine denuntiationibus, tunc non negarem eidem incumbere onus inquirendi ſuper huiuſmodi impedimentis, ſed an tunc teneatur interrogare eoſdem contrahentes ſuper huiuſmodi impedimentis, crederem etiam negatiuè reſpondendum; nam vel huiuſmodi impedimenta eſſent notoria, & tunc poſſet aliundè cognoſcere, vel eſſent occulta, & tunc præſumere poſſet, quod ſicuti audactèr accedunt ad contrahendum nulla habita ratione huiuſmodi impedimentorum, ità audactèr eſſent eadem negaturi; Neque hucvſque dictis obeſſe poteſt textus *in c. cum inhibitio de clandeſt. deſponſ.*, vbi dicitur parochum præter denuntiationes incumbere debere, vt inueſtiget, an ſubſit impedimentum aliquod; Non, inquam, obeſſe poteſt, nam vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius de contract. matrim. c. 3. nu. 20. in fin.* textus ille ad ſummum procedit, quando interuenit rationabilis ſuſpicio de exiſtentia huiuſmodi impedimenti, ex aliqua præcedenti cauſa, vel diſpoſita per huiuſmodi textum in contrariam conſuetudinem abierunt.

Aſſertio III. Illa verba propoſita à Trident. poſt habitum conſenſum proferenda à parocho *Ego vos coniungo in Nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti* non ſunt de eſſentia ſacramenti, ſed tantum de præcepto *Veracrux append. ad ſpecul. dub.4. concl. 3., & 4. Cucus lib.5. inſtit. maior. tit.11. n.57. Henriquez lib. 11. de matrim. c.2. nu. 7. Rebellius pars 2. lib.2. q 7. ſect 1 n.4. Bonacina quæſt.2. punct.8. n.39 Coninchus diſp.27. dub. 4. n. 45. Baſilius Pontius lib.5. c 21. Reginald. lib.31. n.175.* 6 **Illa verba *Ego vos coniungo*, non ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti.**

Prima pars definita fuit à Sacra Congregatione Cardinal. Concil. Trident. interpret. apud *Bellarminum ad d. c.1. ſeſſ. 24. Concil. Trident. de reform. matrim.*, *& apud Rebellium poſt lib.4. ſect.3. n.38* per hæc verba *Non pertinet ad ſubſtantiam matrimonij, vt Parochus aliqua verba proferat, idemque valet matrimonium quauis verba exprimentia conſenſum prolata ſit tantum à contrahentibus dummodò Parochus ſit præſens, & intelligat id, quod agitur*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem parochus non interuenit, tanquam miniſter huius ſacramenti, nec eius verba ſunt materia, & forma, quandòquidem ipſi contrahentes ſunt miniſtri huius ſacramenti, & eorum conſenſus ſenſibilitèr expreſſus ſub diuerſo reſpectu habent rationem materiæ, & formæ, vt ſupra probauimus, & infrà ex profeſſo dicetur, ergò &c.

Secunda pars expreſſe euincitur *ex eod. Concil. Trident. d. cap. 1. ſeſſ.24. de reformat. matrimon.* ibi *Præcipit ſancta Sinodus, vt Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis iuxtà &c.* Ex quibus habes ex diſpoſitione Concilij Trident. non eſſe ex neceſſitate præcepti adhibenda illa verba formalia. *Ego vos coniungo*, ſed ſufficere æquiualentia iuxta ritum cuiuſcunque regionis, & ſic colligitur præcedens pars ſcilicet non eſſe de neceſſitate ſacramenti illa verba. 7 **Sufficiunt verba æquiualentia.**

Hic ſolum oritur ratio dubitandi, an ſi parochus omittat illa verba peccet læthalitèr,

7 Si Parochus illa omittat, ſine contemptu probabilius peccat tantum venialitèr.

litèr, an tantum venialitèr. Probabilius eſt, niſi omittat ex contemptu peccare tantum venialitèr, quià non eſt violatio præcepti in re graui, nec illa verba pertinent ad ſolemnitatem aliquam magni ponderis, nec ſecundum ſe continent aliquod miſterium, vel rapræſentationem ſupra illud, ſeù illam, quam, ſeù quod continent contrahentium conſenſus ſenſibilitèr exhibiti; vndè etiam in pluribus alijs ſacramentis ſunt verba nonnulla præcepta, quæ non pertinent ad ſubſtantiam illorum ſacramentorum, quæq; ſi omittantur, non inducunt noxam læthalem. Sed, an parochus poſſit illa verba proferre per interpretem, ſicuti per eundem poteſt interrogare contrahentes de eorum conſenſu affirmat *Veracrux append. ad ſpecul. dub. 4. concl. 5.* Sed non libentèr eidem adhæreo, vndè ſi Parochus per eundem interpretem proferet, non ſatisfaceret præcepto Trident. nec vitaret noxam venialem, quià concilium ipſi præcipit, & ad parochum ſpectat ſponſos benedicere, nec in hoc currit paritas de interrogatione, quæ poteſt fieri per eundem interpretem, quæ poteſt eſſe ex aliqua cauſa, & præcisè interrogare non eſt ex genere ſuo ità affixum parocho, ſicuti eſt benedicere.

8 Exhibito conſenſu per verba de præſenti, ſi Parochus ſubiungat *Ego vos coniungam* non ſuſpendit matrimonium.

Aſſertio IV. Exhibito per contrahentes mutuo, & libero conſenſu per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus, ſi idem Parochus ſubiungat, *Ego vos coniungam in nomine* &c. non propterea ſuſpendit Matrimonium *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp 38. nu. 5. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 2. n. 7. Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 3. n. 15. in fin.*

Ratio ex eo deducitur, quod ſuprà dicebamus, ea verba non pertinere ad ſubſtantiam matrimonij, quæ ſolum conſiſtit in mutuo, libero, & legitimo conſenſu contrahentium, & ſicuti, ſi omittantur, non vitiant, ita ſi varientur, non inficiunt, nec ſuſpendunt, quandòquidem poſitis ſubſtantialitèr requiſitis in actu, non eſt, cur in actu matrimonium non debeat ſubſiſtere. Verum tamen eſt, quod, ſi contrahentes habuerint tantummodò intentionem contrahendi ad normam benedictionis Parochi, & intentionis eiuſdem; nec aliter, nec alio modo, tunc ſuſpenderetur contractus non quidem ex vi illorum verborum, ſed ex vi conſenſus limitati ad illam normam *Ioannes Angelus Boſſius, & Sanchez mox cit.*

---

## PRÆNOTIO XXXIV.

### Quodnam ſit ſubiectum capax delegationis ad aſſiſtendum matrimonio.

### SUMMARIUM.

*Parochus etiam non ſacerdos poteſt validè, & licitè aſſiſtere matrimonijs ſuorum ſubditorum.* 1.

*Parochus, ſiue fuerit Sacerdos, ſiue Diaconus debet ex neceſſitate delegare Sacerdotem, nec poteſt Diaconum.* 2.

*Parochus, ſiue fuerit Sacerdos, ſiue Diaconus non poteſt delegare alium Parochum, qui non ſit Sacerdos.* 3.

*Non ſolum Epiſcopus poteſt delegare Sacerdotem alterius Prouinciæ ad aſſiſtendum, ſed etiam Parochus ſacerdotem alterius Pareciæ.* 4.

*Delegatus, ſi communi errore habeatur Sacerdos, quamvis re vera talis non ſit, tenet matrimonium.* 5.

Concilium *Trident. d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* habet hæc verba *Qui alitèr, quam præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi, ſeù ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt. &c.* Hinc deſumpſerunt occaſionem DD. dubitandi primo, an ipſe Parochus ex neceſſitate debeat eſſe Sacerdos ad effectum, vt poſſit validè aſſiſtere matrimonio præcipuè ex illis verbis, *vel alio ſacerdote*; illa etenim particula eſt relatiua, quæ ſicuti ſupponit qualitatem ſacerdotis in termino ad quem refertur, ità ſupponere videtur in fundamento, quod ad illum refertur, nam relatiuorum illa eſt natura, & conditio, maximè ſi fundantur in ſimilitudine, vt quod de vno dicitur, in altero reperiatur. Secundò ex ſuppoſitione, quod Parochus etiam Diaconus poſſit validè aſſiſtere poſſit alium quamuis ſolum Diaconum ad aſſiſtendum delegare. Tertiò ex ſuppoſitione, quod Diaconum ſimplicitèr non poſſit delegare, poſſit ſaltem Parochum alterius Parochiæ, qui ſolum ſit Diaconus deputare. Quartò, an poſſit ſacerdotem delegare, qui ſit non ſolum alterius Pareciæ, ſed etiam Diœceſis. Quintò, an ſi deputauerit alterum, qui communitèr reputaretur, vt ſacerdos, cum tamen eſſet ſolum Diaconus, teneat matrimonium coram illo, & teſtibus contractum. Sextò, an etiam teneret matrimonium, quantumvis delegatus eſſet ſolummodò laicus, cum tamen communitèr reputaretur ſacerdos, & alia his ſimilia. Articuli examinandi circa titulum.

Aſ-

I

Parochus etiam non ſacerdos poteſt validè, & licitè aſſiſtere,

Aſſertio I. Parochus, quantumvis non fuerit ſacerdos, poteſt validè, & licitè aſſiſtere matrimonijs ſuorum ſubditorum. *Nauarrus lib.4.conſil 9. de clandeſt. deſponſ. in ſcolijs, & conſ. 30. de ſponſalib. in prima edit.Garzias debenef.part.9. c.2. n.925. Auguſtin.Barboſa de poteſt. Epiſc.alleg.32.n. 105. & de Parochis c.21.n.6., & in remiſ. ad Concil. d. c. 1.ſeſſ.24.concil. Trid. Bonacina de matrimon. q. 2. punct 8. n.16. Baſilius Pontius lib. 5. c. 17. n. 1., & ſeqq. Coninchus diſp. 27. dub. 2. n. 21. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon.contract.c.4.num.102., & alij communitèr.*

Expreſsè definita remanet hæc aſſertio ex declaratione Sacræ Congregationis Cardin. Concil. Trid. interpretum apud *Bellarminum ad d. cap. 1. Concil. ſeſſ. 24. in declarationibus declarat. vltima*, quæ ſic habet. *Parochus ſufficit etiam, ſi non ſit ſacerdos, dum expectatur manus*, & ratio ex eo deducitur, quià Concil. Trident. exigit præciſè parochum indefinitè, ſine vlla expreſſione qualitatis, & ſine vlla reſtrictione, ergò nec nos reſtringere debemus, nec in Parocho exigere qualitatem, quam non exigit Concilium; Accedit, quod munus aſſiſtendi matrimonijs non eſt actus ordinis, quinimmò nec rigoroſæ iuriſdictionis, vt ſuprà latè probauimus; Parochus autem non ſacerdos poteſt omnia munera etiam iuriſdictionis exercere, ſicuti Epiſcopus non conſecratus omnia, quæ pertinent ad iuriſdictionem in ſua Diœceſi, ergò poterit matrimonijs aſſiſtere.

Potior probatio huius aſſertionis erit confutatio argumentorum, quæ ex aduerſa parte afferuntur. Arguunt igitur primò, prout etiam ſupra præferebamus hoc pacto. Illà particula, *vel alio ſacerdote* eſt relatiua, & repetit præcedentem qualitatem eius, cuius eſt perſona expreſſa, & ità ſignificat ſimilem qualitatem in relato per textum *in l. ſi fugitiui C. de ſeruis fugit. Menochius lib 1. de arbitr. q. 80. n. 122. Gutierez de iuramen. prima part. c.14.n.13. in fin.*, ergò, ſicuti perſona delegata debet eſſe ſacerdos, ita & delegans debet eſſe talis. Accedit, quod vna pars alternatiuæ alteram declarat per textum *in l. 1. ff. de reb. dub.*, ergò, cum vna pars decreti de ſacerdote verba faciat cum particula relatiua, & altera de ſacerdote erit interpretanda. Sed facilè occurrere poſſum huic argumento aſſerens in primis, quod ad veritatem alternatiuæ ſufficit, quod vna pars verificetur per textum *in reg. in alternatiuis de reg. iur. in 6. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4.* Deindè illa particula, *alius*, non ſemper qualitatem præcedentem ſimilem importat, vt colligi poteſt *ex aut., qui ſemel verbo aliud C. quomodo, & quandò*, vbi textus dicit *aliud anni ſpacium indulgetur*, & tamen antecedentèr anni ſpacium non fuerat conceſſum. Hoc idem clariori exemplo poteſt ex eo, quod dicitur *Matthæi 28., & Marci 15.*, quod Chriſtus Dominus fuerit crucifixus, & *cum eo alij duo latrones*. Quis autem auderet ex illa dictione, *alij duo latrones* nefandam illam blaſphemiam obijcere Chriſto, quod fuerit latro? Quamobrem in hac hypotheſi illius dictionis appoſitæ à Concil. Trid. *vel alio ſacerdote* dic intelligendam eſſe de alteritate perſonæ non cum omnibus qualitatibus præcedentibus præſuppoſitis in relato, ſed cum qualitate præciſè requiſita in ſubiecto delegato. Si autem inquiras, cum requiratur illa qualitas in termino, non in relato, dicendum erit, hoc requiri, quià in delegato debet eſſe aliqua qualitas, quæ ſuppleat qualitatem exiſtentem in delegante; ex eo etenim, quod Parochus ſit delegatus, ſeù deputatus ad munus Parochiale à publico videtur habere maiorem dignitatem, & præcellentiam, adeoque Concilium, quod voluit auctoritatiuam præſentiam requirit in delegato ſacerdotium ad ſupplendam dignitatem præexiſtentem in delegante.

Soluitur argumentum deſumptum ex verbis concilij.

Ad veritatem alternatiuæ ſufficit, quod altera pars verificetur

Arguunt ſecundò. Concilium Tridentinum præcipit aſſiſtentiam Parochi matrimonijs, vt ſit teſtis omni fide dignus, omnique exceptione maior, ſponſoſque coniungat, & benedicat Eccleſiæ nomine, ſed hæc omnia competunt ſacerdoti, ergò Parochus ad validè aſſiſtendam ſecundum diſpoſitionem Concilij debet eſſe ſacerdos. Sed etiam facilè occurrere poſſum huic argumento aſſerens, quod etiam Diaconus, qui ſit Parochus ſit omni fide dignus, omnique exceptione maior, cum ſit ſpecialiter electus ad beneficium Parochiale, & habeat ratione officij publicam auctoritatem, nec illa benedictio per illa præciſè verba *Ego vos coniungo in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*, ita eſt ſacerdotalis, vt non poſſit competere Diacono, nec illa neceſſaria eſt, vt ſuprà diximus, & quamvis eſſet ex neceſſitate impendenda à ſacerdote, quod tamen falſum eſt, poſſet ſacerdoti munus illam adimplendi imperriri per delegationem, cum non ſit actio perſonalis.

Etiam Diaconus electus Parochus eſt teſtis omni fide dignus

Arguunt tertiò, quià olim celebri Eccleſiæ ritu nuptijs contrahendis adhibendus erat Sacerdos, vt probat *Gratianus 30. q. 5. per totam* relatis pluribus Pontificum, & Conciliorum decretis, ergò hic, & nunc adhibendus eſt Parochus, qui ſit ſacerdos non aliter, nec alio modo, quandòquidem in hoc Concil. Trident. non correxit ius antiquum, quinimmò præſcribens præſentiam Parochi videtur idem ius antiquum in hoc confirmaſſe. Sed huic etiam argumento facilè occurrere poſ-

Digitized by Google

Diſpar ratio de antiqua conſuetudine, ac de moderno ritu.

poſſum, quia quidquid ſit de illo ritu antiquo ſpecialis eſt ratio in nouiſſimo iure Trident. quandoquidem per non aſſiſtentiam ſacerdotis antiquitus non irritabantur matrimonia, modo autem per non aſſiſtentiam Parochi, vel alterius ſacerdotis de ipſius Parochi, vel ordinarij licentia matrimonia irritantur; cum igitur vertemur in iure correctorio, debet attendi ſecundum formalem verborum ſignificationem dictio correctiua, & non extendi; vnde, cum dicatur ſolum Parochus, nec addatur alia qualitas, vtique illius aſſiſtentia efficax eſt, quamuis ſit ſine qualitate ſacerdotij, cum hanc non exprimat concilium.

2 Parochus debet delegare ſacerdotem, nec poteſt Diaconum.

Aſſertio II. Parochus, ſiue ſit ſacerdos, ſiue Diaconus ſolum poteſt quidem delegare alterum ſacerdotem ad aſſiſtendum matrimonijs ſuorum ſubditorum, non tamen ſimpliciter Diaconum. Procedit aſſertio quoad delegationem ſacerdotis, ſiue in ſententia aſſerente Parochum non ſacerdotem poſſe aſſiſtere, ſiue in ſententia negante. Ita in vniuerſum *Sanchez lib. 3. diſp. 20. num. 6. vſque ad fin. Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. lib. 11. tit. 31. de offic. ordinar. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 3. nu. 5. Manuel primo tom. ſumma ſecunda edit. cap. 219. num. 9., & alij.*

Ratio primæ partis quoad Parochum ſacerdotem nullam habet difficultatem ſtante expreſſa definitione *Concil. Trid. d. cap. 1. ſeſſ. 24.* per illa verba *vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel ordinarij licentia*, quoad Parochum verò Diaconum in ſententia aſſerente, eum poſſe validè aſſiſtere ex eo euincitur, quia eadem facultas, quæ eidem conceditur valide aſſiſtendi, conceditur eodem iure delegandi ſacerdotem, vt colligitur ex verbis eiuſdem Concilij Trid. *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius licentia*, deinde ex generali regula ſuperius adducta, quod ordinarius poſſit alteri ſecundum ſe habili ex diſpoſitione iuris ſuas vices delegare; in ſententia verò negante eundem poſſe aſſiſtere ſic probatur, quia Parochus non ſacerdos poteſt Religioſo concedere licentiam miniſtrandi euchariſtiam, vt docet *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 20. num. 7. relatiue ad num. 3. & alij magis communiter*, ergo non eſt, cur non poſſit alteri ſacerdoti licentiam concedere aſſiſtendi matrimonio, quantumvis ipſe non poſſit aſſiſtere, nam etiam ipſe non poteſt miniſtrare Euchariſtiam, & valide alteri concedit facultatem miniſtrandi. Confirmatur, quia in ea hypotheſi optimè ſaluaretur finis, & intentio Concilij Trid. volentis qualitatem ſacerdotij in aſſiſtente, vt conuenientius, & fide dignius haberetur teſtimonium; Neque dicas, quod quantumvis in aſſiſtente eſſet qualitas ſacerdotij intenta à Concilio, non eſſet tamen virtus ſufficiens in delegante, nam facultatem, quam ipſe non habet valide aſſiſtendi, non poteſt alteri communicare; contra enim impugnaberis, quia cum Concilium Tridentinum non conſideret in ordinario illam qualitatem ſacerdotij, & ex alio capite per ſuperius probata Parochus non ſacerdos poſſit exercere omnia munera iuriſdictionis, ſicuti poteſt Epiſcopus non conſecratus, quantumvis daremus ex ſpeciali motiuo Parochum non ſacerdotem non poſſe exercere hanc iuriſdictionem per actualem, propriam, & perſonalem aſſiſtentiam, non tamen tolleretur, quin poſſit exercere eandem alterum ſacerdotem delegando ad aſſiſtendum, nam Concilium aliud non intendit, niſi ſacerdotem, vel proprium, vel delegatum ad aſſiſtendum, & cum Concilium ipſum ſit correctorium debet ſtrictiſſimè interpretari, ita vt minus, quam fieri poſſit, lædat auctoritatem ordinarij.

Eadem facultas, quæ competit aſſiſtendi, competit etiam dandi facultatem aſſiſtendi.

Quamuis non poſſet aſſiſtere Parochus Diaconus, poteſt tamen facultatem dare aſſiſtendi.

Obiectio expoſita, & reiecta.

Dices, quod ſtante hac ſententia aſſerente Parochum, vt validè aſſiſtat, debere eſſe ſacerdotem euidenter euincatur, quod etiam debeat eſſe ſacerdos, vt valide alteri conferat poteſtatem aſſiſtendi, ſi etenim ex eo, quod dicatur *vel alio Sacerdote* ob relatiuum diuerſitatis requiritur eadem qualitas ſacerdotij in relato, quæ neceſſaria eſt in termino relationis, ſequitur etiam, quod, cum dicatur de *ipſius* Parochi licentia, quod importat relationem identitatis requiratur ad validitatem talis licentiæ, quod eadem qualitas ſacerdotij, quæ deſideratur in delegato, debeat etiam requiri in delegante. Sed contra, negandum eſt aſſumptum primo, quia illa particula *ipſius* non eſt relatiua, niſi ſecundum quod licentia debet ab eodem procedere, & in alterum transferri, non autem ſecundum quod eædem qualitates in vtroque deſiderentur; nec currit paritas quoad particulam, *alio*, importantem relationem diuerſitatis, quandoquidem quoad illam particulam ponitur expreſſio per ſubſequentem, nempe *ſacerdote*, quæ expreſſio non habetur per illam particulam *ipſius*. Secundò, quia finis concilij optimè ſaluatur per aſſiſtentiam ſacerdotis delegati à Parocho non ſacerdote, qui non ſaluatur per aſſiſtentiam eiuſdem Parochi non ſacerdotis, quandoquidem ſolum voluit Concilium aſſiſtentiam Sacerdotis, vel proprij, vel delegati, vt conuenientius, & fide dignius teſtimonium haberetur, quod vtique ſaluatur per aſſiſtentiam ſacerdotis etiam delegati, quod non habetur per aſſiſtentiam Parochi non ſacerdotis.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ſtatutum Concilij in hac parte ſe habet per modum formæ ſubſtantialiter re-



Digitized by Google

quiſit r ad validitatem contractus, quod colligitur ex eo, quod inducitur per clauſulam irritantem, ergo cum per Concilium requiratur, vt delegatus ſit ſacerdos; Ibi. *Qui alibi, quam præſente Parocho, vel alio ſacerdote*, ſi aliter fiat, hoc eſt alter deputetur, qui non ſit ſacerdos, inualidus abſolute erit contractus ex defectu formæ ſubſtantialiter requiſitæ; Neque dicas, quod cum verſemur in materia matrimonij, quæ maximè fauorabilis eſt, cuique plura conceduntur, quæ alijs contractibus non tribuuntur, nomine ſacerdotis compræhendantur etiam Diaconus, & ſubdiaconus *Antonius c. ſi quiſquam num. 3. de cohabit. cler., & mul., & ibi Abbas num. 2. Angelus verb. ſacerdos nu. 1., & ibi Tabiena q. 1. num. 2.* cum præcipuè illa aſſiſtentia non ſit actus ordinis, & aſſiſtens non ſit propriè miniſter matrimonij: contra enim impugnaberis, quia ad ſummum nomine ſacerdotis veniunt Diaconi, & ſubdiaconi quoad ea, quæ pertinent ad ipſorum perſonale commodum, non quoad ea, quæ neceſſaria ſunt ad valorem ſacramenti, nam tunc ſunt accipienda verba ſecundum propriam, formalem, & ſtrictam eorum ſignificationem, ne ſacramentum exponatur periculo irritationis; Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, quod quamvis illa aſſiſtentia non ſit actus ordinis, nec aſſiſtens miniſter proprius ſacramenti, adeoque, quantum eſt ex ſe, poſſit committi Diacono, ex diſpoſitione tamèn iuris ſit addicta ordini ſacerdotali, vbi non interuenit proprius parochus ob dignius, & conuenientius teſtimonium, & maiorem auctoritatem ratione gradus ſacerdotalis.

*Diſpoſitio cōcilij ſtat reſtrictiuè.*

Nec in præſenti circa hoc eſt hæſitandum, quandoquidem Sacra Congregatio Cardin. Concil. Trident. interpretum pluries ſuper hoc requiſita ſemper reſpondit matrimonium fore inualidum, niſi contractum ſit coram Parocho, vel ſacerdote, vel ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario delegato: & huiuſmodi declarationes expreſſe, & per extenſum habentur apud *Farinacium in declarat. ad d. cap. 1. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon., & apud Rebellium in append. poſt lib. 4.*

*Euincitur ex declarationibus Sacræ Congregationis.*

3 Aſſertio III. Parochus, ſiue fuerit Sacerdos, ſiuè ſimpliciter Diaconus, non poteſt delegare alteri Parocho, qui ſimpliciter ſit Diaconus facultatem aſſiſtendi matrimonijs ſuorum ſubditorum. In hanc exiſtimo conſentire, quotquot ſuſtinent hanc facultatem non poſſe delegari ſimpliciter Diacono *Nauarrus conſ. 6. nu. 2. in 2. edit. de clandeſt. deſponſ., & in pr. edit. conſ. 45. tit. de ſponſalib. Canallos q. 604. num. 18. Gutierez de matrimon. cap. 62. num. 22. Franciſcus Molin. lib. 2. de ritu nupt. diſſ. 11, num. 133.*

*Parochus ſiue fuerit mere Diaconus, ſiue ſacerdos non poteſt delegare alium Parochum Diaconum*

Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia huiuſmodi cauſa aſſiſtendi matrimonijs non eſt delegabilis Diacono, ergo neque Diacono alterius Pareciæ, quantumvis illius fuerit Parochus. Conſequentia probatur, quia Parochus alterius Pareciæ in ordine ad oues, ſeu ſubditos alterius perinde eſt, ac ſi non eſſent Parochus, ergo in ordine ad illos conſideratur præcisè, prout eſt Diaconus, ergo eidem delegari non poteſt facultas aſſiſtendi matrimonijs; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod qualitas Parochi inexiſtens in illo Diacono ſuppleat defectum qualitatis ſacerdotij, vt videre eſt in Parocho proprio, & Concilium nil aliud intendat, quam vt teſtimonium aſſiſtentis ſit conuenientius, & fide dignius; eſt autē fide dignius, quando eſt à Diacono Parocho, quam quando eſt ſimpliciter à Diacono, & Eccleſia, quæ maximè vna eſt, acceptat dictum, ſeu teſtimonium Parochi Diaconi, non autem ſimpliciter Diaconi: Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa qualitas Parochi ſolummodo dignificat perſonam, cui inexiſtit, in ordine ad ſuos ſubditos, in ordine ad munera eiuſdem Pareciæ obeunda, non in ordine ad alios non ſubditos, reſpectu quorum quoad hunc effectum perinde eſt, ac ſi illa dignitas non exiſteret, & licet Eccleſia requirat teſtimonium dignius, & conuenientius, non exigit tamen illud quomodocunque, ſed in perſonis determinatis, vel à iure, vel per delegationem ſuppoſitis in delegato certis conditionibus, cæteroquialiæ perſonę digniores Curato, ſeu Parocho validè aſſiſterent, quod non eſt aſſerendum. Cum igitur Concilium Trident. exigat in aſſiſtente, vel qualitatem Parochi, ſi ſit ordinarius, vel ſacerdotij, ſi ſit delegatus, & ille exterus Parochus ſit delegatus, nec tamen habeat qualitatem ſacerdotis, ſequitur, quod illius aſſiſtentia non proſit.

*Qualitas Parochi dignificat perſonam cui inexiſtit in ordine ad ſuos ſubditos tantū.*

Confirmari poteſt aſſertio, quia Concil. Tridentinum ad validitatem matrimonij exigit, vel aſſiſtentiam proprij Parochi, vel alterius ſacerdotis ab ipſo Parocho, vel ab ordinario delegati, ergo vbicunque non interuenerit proprius parochus, quicunq; alter delegatus debet eſſe ſacerdos Antecedens probatur, quia quantumvis Concil. Trident. in illo decreto irritante mentionem non fecerit Parochi proprij; ſed Parochi indefinitè. Ibi. *Qui aliter, quam præſente Parocho &c.* nihilominus attentis præcedentibus, & ſubſequentibus dictio intelligenda eſt de proprio: ex præcedentibus quidem, quia idem Tridentinum *d. c. 1. ſeſſ. 24.* in principio illius decreti locutum eſt de proprio Parocho. Ibi. *Præcipit Sancta Sinodus, vt matrimonium coram proprio contrahentium parocho denuntietur;* ex ſubſequentibus, vbi ſtatuit, vt à proprio Parocho benedictiones fiant

ergo,

ergò, & ipſum decretum irritans debet intelligi de proprio Parocho, clauſula enim non ità expreſſa debet intelligi ad normam præcedentium, & ſubſequentium. Confirmatur, quià illius Parochi ad valorem matrimonij neceſſaria eſt præſentia, cuius eſt alteri concedere facultatem aſſiſtendi, ſed ſolum proprio contrahentium Parocho competit ius alterum delegandi ad aſſiſtendum, quià ipſe ſolum habet in eoſdem contrahentes iuriſdictionem, ergò &c. Confirmatur ſecundò, quià contrahentes per tranſitum exiſtentes in aliena Parochia nequeunt coram Parocho illius contrahere per ſuperius dicta, ergò &c. Confirmatur tertiò, quià *Tridens. c. 13. ſeſſ. 24.* præcipit Epiſcopis, vt vbi Parochi eſſet promiſcui, diſtribuantur parochiæ, & ſingulæ diſtinctis Parochis aſſignentur, vt vnuſquiſque ſuis ſubditis ſacramenta adminiſtret, ergò, quià vult, vt proprius cuiuſque Parochus eadem adminiſtret, & etiam matrimonio aſſiſtat. Conſequentia primi argumenti probatur, quià vbi proprius Parochus non aſſiſtit debet eſſe alter ab eodem delegatus, ſed ſolus ſacerdos eſt delegabilis. Ibi - qui *aliter; quam præſente; vel alio ſacerdote de ipſius licentia*, ergò &c.

4 Aſſertio IV. Non ſolum Epiſcopus poteſt delegare ſacerdotem alterius Diœceſis, ſed etiam Parochus ſacerdotem alterius Parochiæ ad aſſiſtendum matrimonio ſuorum ſubditorum. Conſentiunt ferè omnes.

*Non ſolum Epiſcopus poteſt delegare ſacerdotem alterius Diœceſis, ſed etiam Parochus ſacerdotem alterius Pareciæ.*

Ratio ex eo deducitur, quià Concilium ſolum requirit ad validitatem matrimonij aſſiſtentiam Parochi, vel alterius ſacerdotis de ipſius Parochi, vel ordinarij licentia, nec facultatem delegandi reſtringit ad ſacerdotem eiuſdem Diœceſis, vel Parochiæ, ergò parochus, vel Epiſcopus poterit facultatem concedere alteri ſacerdoti, ſiuè ſit eiuſdem parochiæ, & Diœceſis, ſiuè diuerſæ, quod enim Concil. non reſtringit, nec nos reſtringere debemus. Confirmatur primò, quià ſacerdos, qui aſſiſtit, vel de parochi, vel de ordinarij licentia aſſiſtit per iuriſdictionem, vel auctoritatem ab eodem parocho, vel Epiſcopo ſibi communicatam, & efficacia habetur à delegante, & perindè eſt, ac ſi ipſe aſſiſteret, quià actiones delegati ſunt moralitèr actiones delegantis, ſicuti actiones mandatarij reputantur actiones mandantis, ergò cum ſit quodamodò auctoritas, & iuriſdictio parochi, ſeù Epiſcopi delegantis, in cuius virtute aſſiſtit, parum referre poterit, quod illa ſit in ſacerdote iſtius, vel alterius Diœceſis, ſemper enim verificatur, quod matrimonium fuerit contractum cum auctoritate parochi, vel ordinarij. Confirmatur ſecundò, quià nulla eſt repugnantia quin

*Aſſiſteret per auctoritatem ab eodem Parocho emanantem.*

poſſit aſſumi ad beneficium parochiale in hac Diœceſi ſacerdos alterius Diœceſis, vel in Vicarium Epiſcopi extera quædam perſona, ergò etiam &c.

Aſſertio V. Si fuerit, vel à Parocho, vel ab Epiſcopo deputatus ad aſſiſtendum matrimonio ſuorum ſubditorum quis communi errore reputatus ſacerdos, qui tamen re vera ſacerdos non ſit, ſed tantum Diaconus, vel fortè etiam ſimplicitèr laicus, & iſte aſſiterit, tenet matrimonium *Gutierez de matrim c. 62. n. 26. verſ. ſecundo, quod Sanchez lib. 3. diſp. 22. nu. 61. Filliutius tract. 10. c. 6. n. 206. Bonacina de matrimon. q. 2. punct. 8. n. 30. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 3. caſ. 2. §. 3. nu. 144., & de matrim. contract. c. 3. num. 96., & ſeqq., & num. 108.* 5

*Delegatus, ſi communi errore pro ſacerdote habeatur, quamuis talis nō ſit validè aſſiſtit.*

Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi aſſiſtentia, vel eſt ſolummodò actus iuriſdictionis, vel quaſi iuriſdictionis, ſed in ijs, quæ pertinent ad iuriſdictionem error communis facti ius per textum *in l. 1. C. de teſtam. & l. 2. in fin. ff. de offic. præſid.*, ergò &c. Confirmatur, quià geſta à Iudice ordinario, vel delegato, non vero, ſed putatiuo habente titulum coloratum, ſeù putatiuum cum errore communi valent, tàm in foro externo, quam in interno, quandiù nullitas tituli ignoratur per textum *in l. Barbarius §. ſi ſeruus ff. de offic prætoris, & c. infamis 3. q. 7. verſ. veruntamen*, & hoc ob neceſſitatem, & vtilitatem publicam, nam cæteroqui ſequerentur grauiſſima ſcandala, & inconuenientia, vndè in ea hypotheſi dici poteſt, quod ius, ſeù Eccleſia ſuppleat defectum tituli realis, ius quidem in ordine ad ea, quæ ſpectans ad iuriſdictionẽ ciuilem, Eccleſia in ordine ad ea, quæ pertinent ad Eccleſiaſticam. Vide, quæ ſuprà diximus de Parocho putatiuo, & hic applica.

*Haberet titulum coloratũ, cum communi errore.*

Dices, ſi quis contraheret cum impedimento dirimente occulto, ità vt lateret omnes, & ipſos etiam contrahentes contraheret quidem cum errore communi, & tamen contractus eſſet inualidus, ità vt ſi poſtea innoteſceret, coniuges eſſet omninò ſeparandi, ergò etiam, ſi quis contraheret coram delegato non ſacerdote, qui tamen communitèr haberetur pro ſacerdote, inualidè contraheret, ità vt detento errore ſit contractus diſſoluendus. Conſequentia probatur, quià vtrobique eſt error communis, vtrobique eſt defectus ſubſtantialis, vtrobique impedimentum eſt iuris humani præcisè, ergò &c. Sed contrà neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo eſt, quià aſſiſtentia Parochi, vel delegati ab eodem eſt actus iuriſdictionis, vel quaſi iuriſdictionis, illa autem qualitas impedimenti non pertinet ad iuriſdictionem, ſed præcisè ad perſonam contrahentem; in iuriſdictionalibus

*Inſtantia eiuſque ſolutio.*

Q 2 autem

Digitized by Google

autem ius commune facit ius, non ſic autem in qualitatibus pertinentibus ad qualitates perſonarum contrahentium.

---

## PRÆNOTIO XXXV.

### Quæ, & qualis licentia requiratur, vt alter à Parocho poſſit valide aſſiſtere matrimonio.

### SVMMARIVM.

*Quomodo ſumatur tacitum, prout contradiſtinguitur ab expreſſo.* 1.
*Quomodo ſumi poſſit licentia generalis.* 2.
*Ad valorem matrimonij non ſufficit licentia tacita per voluntatem præſumptam de futuro, quinimmo, nec per ſubſequentem expreſſam.* 3.
*Si eadem die data fuerit licentia aſſiſtendi, & contractum ſit matrimonium, & dubium ſit, an illa præceſſerit, præſumendum eſt, quod præceſſerit.* 4.
*Probabilius etiam eſt, quod non ſufficiat licentia tacita de præſenti, quatenus Parochus videat ſacerdotem aſſiſtere, & taceat.* 5.
*Non requiritur licentia ſpecialis, & expreſſa aſſiſtendi matrimonijs, ſed ſufficit generalis ad omnia munera parochialia.* 6.
*Sacerdos deputatus à Parocho ad adminiſtranda omnia ſacramenta poteſt etiam validè aſſiſtere matrimonijs.* 7.
*Per conceſſionem præcisè ad aliquos actus digniores in particulari puta ad confeſſionem, & Euchariſtiam adminiſtrandam non venit conceſſio ad aſſiſtendum matrimonijs.* 8.
*Non eſt neceſſaria licentia in ſcriptis, ſed ſufficit verbalis.* 9.
*Licentia etiam fictè conceſſa, hoc eſt ſolis verbis, non cum animo concedendi ſufficiens eſt, vt ſacerdos valide aſſiſtat.* 10.
*Licentia etiam per metum cadentem in conſtantem virum, vel per dolum, & mendacia extorta valida eſt ad hunc effectum.* num. 11.
*Licentia debet deputato innoteſcere aliundè, quàm per atteſtationem contrahentium.* 12.
*Excipe tamen, niſi contrahentes eſſent omni exceptione maiores, omnique fide digni.* num. 13.
*Si præſtita fuerit fides contrahentibus vt pote in communi conceptu habitis fide dignis, & re vera licentia non fuerit, non tenet matrimonium.* 14.
*Si præſtita fuerit fides contrahenti non fide digno, quamuis re vera fuerit licentia non tenet matrimonium.* 15.
*Si licentia conceſſa fuerit motu proprio Parochi extraneo ſacerdoti ſufficit, quod eidem innoteſcat per perſonam omni exceptione maiorem.* 16.
*Si licentia fuerit ad inſtantiam commiſſarij petentis per nuntium ſufficit, ſi eidem innoteſcat per eundem nuntium.* 17.
*Si Parochus facultatem conceſſerit coram nuntio, & Procuratore, antequam deferatur ad principalem, non poteſt hic valide aſſiſtere.* 18.
*Si conceſſio fuerit ad inſtantiam alterius ab ipſo ſacerdote ſufficit, ſi eidem innoteſcat per perſonam omni exceptione maiorem.* num. 19.
*Si facultas aſſiſtendi data fuerit ſub certa forma per modum conditionis ea non ſeruata, non tenet matrimonium.* 20.
*Secus, ſi data fuerit ſub certa forma ſub modo.* 21.
*Quandonam intelligatur data ſub conditione, & quandonam ſub modo.* 22.
*Licentia conceſſa à Parocho, vel ab Epiſcopo aſſiſtendi, poteſt etiam exerceri extra Parochiam, & Diœceſim.* 23.
*Etiam, ſi delegans dixerit in mea Parochia, in mea Diœceſi.* 24.
*Secus, ſi dixerit limitatè in mea Parochia tantum.* 25.
*Licentia ſemel conceſſa ad aſſiſtendum matrimonio reuocabilis eſt ante contractum matrimonium.* 26.
*Reuocata conceſſione intimanda eſt reuocatio per nuntium ad id muneris deputatum.* 27.

PLures, & valdè vtiles quæſtiones ſub hoc titulo examinandæ proponuntur. Prima erit, an ſufficiat licentia tacita, an verò requiratur expreſsa. Secunda, an ſufficiat generalis, & qua generalitate, an verò deſideretur ſpecialis. Tertia, an requiratur in ſcriptis, an ſufficiat verbalis. Quarta, an debeat eſſe realis, an verò ſufficiat ficta. Quinta, an voluntaria, an vero per metum, vel dolum extorta ſufficiens ſit. Sexta, an debeat innoteſcere delegato, vel per delegantem, vel per nuntium ad id deputatum, vel per intimationem, an ſufficiat, quod innoteſcat per aſſertionem contrahentium. Septima, an conceſſa ſub certa forma ſufficiens ſit ad validitatem matrimonij, ſi deputatus non ſeruata illa forma aſſiſtat. Octaua, an huiuſmodi licentia extendi poſſit, & exerceri extra fines parochiæ delegantis. Nona, an ſit reuocabilis, & reuocatio intimari debeat reuocato, & quomodo, & quid, ſi reuocatus aſſiſtat neſciens reuocationem, & alia his ſimilia. Pro ſolutione

Articuli examinandi circa propoſitũ titulum.

1 Aduerte primò tacitum, prout contradiſtinguitur ab expreſſo, multipliciter poſſe ſumi, & primò, prout importat voluntatem præſumptam concedentis, non quidem de præſenti, ſed de futuro, qua ratione idem eſt, ac ratihabitio, quatenus quis aſſiſtit

Quomodo ſumatur tacitum, prout contradiſtinguitur ab expreſſo.

aſſiſtit ſibi ſuadens, quod Parochus, ſeù delegans, poſtquam nouerit ſit approbaturus aſſiſtentiam per ſe præſtitam, ſecundò, prout importat talem voluntatem præſumptam de præſenti, quatenus talia ſunt ſigna conſenſus parochi, vt rationabiliter pro eodem conſenſu præſumatur, vt, ſi Parochus videat alterum ſacerdotem aſsiſtere, & taceat; Tertiò, quatenus Parochus aliquos actus præcedentes poſuerit, ex quibus rationabiliter poſſit eius voluntas coniectari. Porrò expreſſum, prout contradiſtinguitur à tacito, etiam dupliciter poteſt ſumi; primò, prout ſubſequenter ad actualem aſſiſtentiam per expreſſa verba ratificetur actus; ſecundò, prout antecedenter ad talem aſſiſtentiam, vel in illo actu aſſiſtentiæ expreſsè approbatur.

2 Quomodo ſumi poſſit licentia generalis.

Aduerte ſecundò, licentiam generalem poſſe etiam multipliciter ſumi primò, prout extenditur ad omnia parochialia munera exercenda. Secundò, prout extenditur ad aliqua digniora in aliquo genere. Porro etiam ſpecialis, prout diſtinguitur contra generalem, dupliciter poteſt ſumi, primò, quando per verba ſpecialia, & ſpecificè exprimitur in conceſſione matrimonium; ſecundò, prout idem ſonat, ac expreſſa, & tunc eſt, quando licet non exprimatur in ſpecie comprætenditur tamen ſub generali verborum ſignificatione. His ſic prænotatis ſit.

3 Non ſufficit licentia tacita de futuro ſcilicet præſūpta, nec ſubſequens ad actum.

Aſſertio I. Ad validitatem matrimonij non ſufficit licentia tacita per voluntatem præſumptam de futuro; quinimmo, nec per ſubſequentem ad actum expreſſam. *Rota Rom. in nouiſſim. part. 1. deciſ. 750. nu. 10. & ſeqq. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſ. alleg. 32. num. 129. & de Parochis cap. 21. nu. 69. Sanchez lib. 3. diſp. diſp. 35. nu. 17. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 29. num. 1. Bonacina de matrim. qu. 2. punct. 8. num. 11. Fillincius part. 1. tract. 10. cap. 6. num. 219. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 4. num. 114. & ſeqq.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia licentia Parochi, quando alter ab ipſo aſſiſtit, eſt abſolutè neceſſaria ad validitatem matrimonij, vt expreſsè colligitur ex verbis Concilij Tridentini irritantis, quando aliter fit, ſed quando licentia neceſſaria eſt ad valorem ſacramenti non ſufficit, quod ſit tacita cum ratihabitione de futuro, ergo &c. Minor probatur, quia, quando neceſſaria eſt, tunc debet adeſſe, quando fit actus, ſed quando fit actus, non eſt actu licentia, cum ſit tantum ratihabitio de futuro, ergo &c. Confirmatur primò, quia valor ſacramentorum non poteſt dependere ab euentu de futuro, ſed tunc debent perfici, quando fiunt, cum enim conſiſtant in fieri, & in actione tranſeunti, ſi tunc non perficerentur, quando fiunt, perficerentur quando non eſt materia, & forma applicata, ergo, ſi non tenet, quando fiunt, nec tenere poſtea poterunt, quando ponitur illa conditio, ſeu euentus de futuro; matrimonium autem, ſi iniri poſſet per tacitam licentiam cum ratihabitione de futuro, vtique penderet quoad eſſe ab euentu de futuro, nam licentia requiſita ad illius valorem non poneretur, niſi poſt contractum, quando ſcilicet Parochus conſcius poneret ratificationem, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quia Concilium Trident. voluit ſimultaneam eſse Parochi, & teſtium præſentiam, vt valida fieri poſſet probatio, ſed hoc non verificaretur, ſi ſacerdos nomine Parochi aſſiſteret ſine actuali licentia iſtius, ſed tantum ſub ſpe ratihabitionis, quandoquidem illius aſſiſtentia actu non eſſet ſecundum qualitates à iure requiſitas.

Tunc debet eſſe, quando fit actus.

Valor ſacramentorum nec dependet ab euentu de futuro.

Dices primò ratihabitionem comparari mandato per textum *in reg. ratihabitionem de reg. iur in 6.* quandoquidem ratihabitio retrotrahitur ad actum, qui ratihabetur, ſed ſi à principio interueniſſet mandatum Parochi, matrimonium vtique ſubſiſteret, ergo matrimonium etiam erit validum per ratihabitionem, quando Parochus actu ratam habet licentiam. Sed contra, quia ratihabitio ſolum comparatur mãdato, & retrotrahitur, quodamodo per fictionem iuris, nō verè, & realitèr; ad validitatem autem matrimonij, dum actu fit, non ſufficit licentia per fictionem iuris, ſed requiritur vera, & realis, quandoquidem pertinet ad ſubſtantiam actus, & concilium ſtatuens talem aſſiſtentiam tanquam ſolemnitatem ſubſtantialiter requiſitam voluit actu interuenire.

Ratihabitio ſolum æquiparatur mandato per fictionem iuris.

Dices ſecundò Euchariſtia, Pænitentia, Sacra ordinatio miniſtrari nequit ſubditis, niſi à proprio Parocho, vt de Euchariſtia habetur *Clem. Dudum* §. *verum ne Parochiales de ſepult & ex Tridens. ſeſ. 24 cap. 13. de reformat.*, de pænitentia *ex cap. omnis vtriuſque ſexus de pænis & remiſſ.*, de ſacra vero ordinatione *ex cap. Lugdunenſis 9. q. 2.*, & tamen alienus Parochus poteſt miniſtrare Euchariſtiam ex ratihabitione de futuro proprij Parochi *Paludanus in 4. diſt. 23. qu. 2. num. 14. D. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 15. Caietanus in ſumma verb. communionis miniſter*, pænitentiam *Hoſtienſis in ſumma tit. de pænit., & remiſ.* §. *cui confitendum num. 14. verſ. 8. Henricus cap. omnis vtriuſque ſexus num. 24 de pænit., & remiſ.* & alienus Epiſcopus ordinare clericos, non ſubditos *Gloſa in d. cap. Lugdunenſis 9. q. 2.* ergo etiam &c. Sed contra (quidquid ſit de pænitentia, de qua mox ſubdam) in ordine ad Euchariſtiam, & Sacros ordines, & item in ordine ad ſacram vnctionem diſpar omninò eſt ratio, quia ad ſubſtantiam illorum non requiritur præ-

Soluitur ratio deſumpta à paritate, Euchariſtiæ, pænitentiæ, & ſacrorum ordinum.



Digitized by Google

tia licentia illius, ad quem ſpectat illa adminiſtrare, ſed ad licitè illa adminiſtranda ſufficit probabilis licentia etiam de futuro; in ordine vero ad aſſiſtentiam matrimonij ad ſubſtantiam eiuſdem prærequiritur illa actualis licentia de præſenti, quæ debet eſſe realis, vel ſaltem rationabiliter præſumpta. Ad illud, quod dicitur de pænitentia aſſerendum eſt, præcitatos Doctores intelligendos eſſe de licentia tacita, ſeu de ratihabitione de præſenti, non quomodocunq; ſed vt coniungitur cum aliquo actu poſitiuo, vt explicat *Sanchez de matrimonio diſp. 35. in fine ad ſecundum arg. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuileg. ſect. 3. caſ. 2. §. 4. num. 140., & 141.*

Eiſdem ferè rationibus innititur ſecunda pars aſſertionis, quæ etiam vlterius ſic euincitur. Quæ ſunt de ſubſtantia actus debent, vel præcedere, vel in ipſo actu interuenire *auth. licentia C. de epiſc., & cler. l. ſi quis mihi bona §. iuſtum ff. de acq. poſſeſ. l. vltim. §. neceſſitate c. de bon lib.* Confirmatur, quia non validum eſt matrimonium initum coram alio ſacerdote à Parocho cum ſola licentia tacita, ſeu cum ratihabitione de futuro, vt probauimus in præcedenti parte, ergo neque erit validum cum tali licentia expreſſa, ſed poſita ſubſequenter ad matrimonium iam initum. Conſequentia probatur, tum quia ideò non tenet cum licentia tacita de futuro, quia pro tempore actus illa non adeſt, & ſacramentum non poteſt eſſe in pendenti, ſed nec tunc adeſt expreſſa, & ſacramentum adhuc penderet, ergo &c. tum quia in hoc valent iura, quod taciti, & expreſſi eadem ſit ratio, idemq; iudicium.

4 Si eadem die, qua contractū eſt matrimonium, data ſit facultas expreſſa aſſiſtendi, & dubium ſit, an licentia matrimonium præceſſerit, præſumendū eſt pro validitate.

Hic oritur difficultas, an, ſi eadem die, qua celebratum fuit matrimonium coram alio ſacerdote à Parocho, conceſſa fuerit expreſſa licentia, nec tamen conſtet, an matrimonium præceſſerit talem licentiam, an vero licentia matrimonium, præſumendum ſit pro validitate eiuſdem, an vero pro inualiditate. Reſpondendum eſt præſumendum eſſe pro validitate *Bellarminus ad d. c. 1. Concil. Trident. ſeſſ. 24. in addit. nu. 19. Rota Rom. in nouiſſimis part. 1. deciſ. 170. nu. 11. Sanchez lib. 3. diſp. 35. nu. 19. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract. c. 4. num. 115.* Ratio ex eo deducitur, quia cauſa matrimonialis eſt ſecundum ſe maximè fauorabilis, ſed in cauſis fauorabilibus extante dubio pro eiſdem eſt iudicandum per textum *in c. fin. de ſentent., & re iudic.* ergo &c. Confirmatur, quia in dubio præſumendum potius eſt, vt actus valeat, quam vt peccet *l. quoties 2. ff. de reb. dub.* ergo &c.

5 Aſſertio II. Probabilius eſt ad valorem matrimonij, quando alter ſacerdos à Parocho aſſiſtit, nec ſufficere licentiam tacitam cum ratihabitione de præſenti, quatenus Parochus videat ſacerdotem aſſiſtere, & taceat *Menochius lib. 2. de arbitrar. cent. 3. caſ. 453. nu. 13., & ſeqq; Salzedo ad c. 72. pract. Diaz verſ. duodecimo Segura in direct. in 2. part. c. 15. num. 48. Franciſcus Molinus lib. 2. de ritu nupt. diff. 11. num. 98. Gonzales ad reg. 8. gloſ. 47. nu. 52. Auguſtinus Barboſa in remiſ. ad conc. Trident. cap. 1. ſeſſ. 24. num. 41. Henriquez lib. 11. c. 3. §. 5. lit. V. Bonacina de matrimon. q. 2. punct. 8. num. 11.* aduerſus *Sanchez d. lib. 3. diſp. 35. num. 20. Coninchum tom. 2. diſp. 30. dub. 2. n. 31. Reginaldum lib. 31. num 181. Filliutium part. 1. tract. 10. c. 6. num. 219. Pontium lib. 5. cap. 29. nu. 1. in fine Ioannem Angelum Boſſium de matrim. contract. c. 4. n. 120.*

Etiam non ſufficit licētia tacita, ſi Parochus videat, & taceat.

Expreſſè colligitur hæc aſſertio ex declaratione Sacræ Congregationis Cardin. Concil. Trident. interpretum ſub die 12. Nouembris 1573. apud *Gonzalez loc. cit. num. 52., & apud Farinacium in declar. ad d. c. 1. Concil. Trident. verb. vel de ordinarij licentia, & apud Rebellium 2. part. poſt lib. 4. ſect 3. nu. 9.*, quæ declaratio per hæc verba refertur. *Non ſufficit tacita licentia, quæ reſultat ex tolerantia, requiritur verò vel commiſſio generalis ad adminiſtranda ſacramenta, vel ſi hæc abſit, expreſſa, vel ſpecialis licentia*: nec hæc declaratio, vt male explicat Boſſius loco cit., explicari poteſt de licentia tacita, ſeu ratihabitione de futuro, quandoquidem, cum Concilium mentionem faciat, & excludat licentiam tacitam, quæ reſultat ex tolerantia, non poteſt intelligi, niſi de licentia de præſenti, cum tolerantia ſit de iis, quæ de præſenti cadunt ſub ſenſibus, non enim toleramus ea, quæ non ſunt, ſed quæ coram nobis fiunt.

Euincitur ex declaratione Sacræ Congregationis,

Hæc Sacræ Congregationis declaratio potiſſimū me mouet ad hanc ſententiam, nam cæteroqui contrariæ ſententiæ rationes non inefficaces ſunt, ſed non modicam inferunt probabilitatem. Probatur tamē vlterius noſtra aſſertio, quia vbi ad valorem alicuius actus expreſſè requiritur licentia, neceſſaria eſt expreſſa, nec ſufficit tacita *Tiraquel de leg. connub. gloſ. 7. num. 8. Afflictus in c. imperialis num. 45., & ſeqq; de probib. feud. alien. Lambert. de iure patron. lib. 1. p. 2. q. 1. art. 18. nu. 8. Gloſ clem. vnica de teſtam. verb. obtenta, & ibi Tremola nu. 7.* ſed concil. *Triden. in d. c. 1 ſeſſ. 24.* expreſſe requirit licentiam tanquam partem formæ requiſitæ ad ſubſtantiam actus, ergo &c.

Iam contraria argumenta, quantum fieri poteſt, diſſoluamus. Arguunt igitur primo. In textu *in c. omnes vtriuſque ſexus de pænit., & remiſ.* eodem fere modo, quo concilium Tridentinum ſtatuit aſſiſtentiam alterius ſacerdotis à Parocho de licentia eiuſdem, ſtatuitur licentia proprij

ſacer-

ſacerdotis, vt alienus valeat audire confeſſiones, ſed ad audiendas confeſſiones ſubditorum alterius ſacerdotis ſufficit licentia tacita eiuſdem per ratihabitionem de præſenti *Roſella verb. confeſſio ſacramentalis 3. num. 31. Silueſter verb. confeſſor 1. q. 6. in fin. Caietanus in ſumma verb. abſolutio ex part. abſoluentis verſ. licentia, Sotus in 4. diſtinct. 18. q. 4. art. 3. verſ. circa conceſſiones; & alij innumeri* apud *Sanchez d. lib. 3. diſp. 35. n. 20. verſ. 3. q. eodem tenore*, ergò &c. Sed facilè poſſum occurrere, quidquid ſit de licentia illa tacita in ordine ad confeſſiones extraneorum audiendas, aſſerens ex ſpeciali diſpoſitione iuris Tridentini, prout declaratur à Sacra Congregatione eiuſdem interprete exigi licentiam expreſſam, nec ſufficere tacitam cum tolerantia, & vbi eſt expreſſa diſpoſitio in vno, & non in altero ſimili non valet argumentum ab vno ad alterum. Deindè poteſt eſſe ſpecialis ratio per ordinem ad finem in ordine ad ſacerdotem aſſiſtentem ex licentia dumtaxat tacita, & ſacerdotem abſoluentem, nam hæc reſpicit actum purè pænitentialem internum, nec reſolui debet in aliquam atteſtationem externam in facie Eccleſiæ, illa verò reſpicit actum iudicialem externum, & referri debet, ſi opus fuerit, ad publicam atteſtationem, vndè apparere debet legitimitas atteſtantis, quæ proindè exigit licentiam expreſſam. Tandem *Veracrux append. ad ſpecul. dub. 5 concl. 3. Tabiena verb. Abſolutio I. n. 43.* ſuſtinent etiam in pænitentia non ſufficere licentiam tacitam cum ratihabitione de præſenti.

Eſt ſpecialis ratio quoad facultatem aſſiſtendi matrimonijs, & quænam.

Arguunt ſecundò, quià qui ſciens tacet in ijs, quæ ad ipſum pertinent, & in quibus tenetur contradicere, conſentire videtur, per textum *in reg. 10. de reg. iur. in 6.*, & ſcientia, & patientia in ijs, quę ſunt modici præiudicij operantur conſenſum *Bartolus in l. quæ dotis n. 24 ff. ſol. matrim. Maſcardus de probat. concl. 1258. n. 34.*, ergò cum in præſenti parochus videns, & tacens poſſit contradicere, & non contradicat, & verſemur in rebus modici præiudicij, taciturnitas eius computari debet pro conſenſu. Sed etiam huic argumento facilè occurrere poſſum aſſerens, hæc procedere quoad ea, quæ ex diſpoſitione iuris non exigunt expreſſum conſenſum, & præſumptiuè procedunt, non autem quoad ea, quæ procedunt ex reali, & poſitiuo conſenſu, illumque exigunt. Deindè in præiudicialibus taciturnitas non computatur pro conſenſu *l. procurator §. fin. ff. ad exhib. & l. quo enim in princip. ff. rem ratam hab. l. qui vacalus §. viſum, ff. de furt. Paulus Caſtrenſis in l. interdum num 3. ff. rem ratihab. Gloſ. in l. Caius verſ. non obeſſe, ff. de pignorat. act.* Quod, ſi vlterius repetas, quod etiam, ſi agatur de tacentis præiudicio in taciturnitate præſumatur conſenſus, quandò per contradictionem poteſt præiudicio obſiſtere *Bartolus in l. qui dotis n. 13. verb. ſi verò contradicendo, ff. ſol. ut. matrimon. Caſtrenſis in l. Caius col. 2. ff. de pignor. act. Alexander in l. ſæpè n. 18 ff. de re iud.*; ſtatim impugnaberis, quià in primis cum iura ſtatuant requiri licentiam expreſſam, non eſt neceſſarium parochum videntem contradicere, nam non contradicendo non poſſint conſenſum expreſſum neceſſarium. Deindè non contradicendo merè negatiuè ſe habet, non poſitiuè influit, nec propriè approbat.

In præiudicialibus taciturnitas non habetur pro conſenſu.

Arguunt tertiò. Taciturnitas cum ſcientia habetur pro conſenſu ſufficienti ad valorem matrimonij in ipſis contrahentibus, ergò à fortiori habebitur pro legitimo conſenſu in parocho quoad approbationem ſacerdotis aſſiſtentis. Antecedens probatur, quià ſi maſculus dicat puellæ *accipio te in meam*, & ipſa taceat ſupponitur ſufficiens conſenſus pro validitate matrimonij, vt refert deciſum à Rota Romana *Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 3. nu. 72.* Conſequentia item euincitur, quià magis videtur neceſſarius conſenſus contrahentium ad validitatem matrimonij, cum hic pertineat ad formam ſubſtantialem intentam, quam conſenſus parochi ad aſſiſtentiam alterius ſacerdotis, cum hæc aſſiſtentia pertineat ſolum ad formam extrinſecam, ergò &c. Sed etiam huic argumento facilè occurrere poſſum negando aſſumptum, prout etiam negant *Menochius lib. 3. præſumpt. 42. n. 4. Moneta in ſuo tract. de commut. vlt. vol. c. 7. n. 386. Auguſt. Barboſa tom. 3. collect. ad decret. lib. 5. tit. de reg iur. reg. 43.*, vbi aſſerunt, quod qui tacet, nec fateri, nec vtique negare videatur, & in terminis fæminæ tacentis *Baſilius Pontius lib. 2. c. 14. n. 13. Bonacina de matrim. q. 2. punct. 8. n. 6. Rebellius de oblig iuſt. part. 2. lib. 2. q. 10. ſect. 1. n. 9. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 3. n. 168.*, qui omnes volunt prærequiri aliquem actum poſitiuum indicantem talem conſenſum; vndè ad illud, quod dicitur deciſum à Rota Romana dicendum eſt fæminam illam ſufficienter antecedenter expreſſiſſe ſuum conſenſum, & licet interrogata à parocho tunc non exprimeret ſuum conſenſum, ſe tamen ad illum referebat dicens *iam dixi*, vndè non fuit merè tacens; Caſus hic erat; ſibi ad inuicem ſpoponderant matrimonium Maſculus, & quædam nobilis fæmina Barcinone, huic matrimonio mater fæminæ obſiſtebat. Tempore celebrationis contractus præſente eadem matre obſiſtente interrogatus à parocho maſculus conſenſum expreſsè præſtitit; interrogata poſteà fæmina ob verecundiam matris reluctantis primò tacuit, &

Aſſumptū non ſubſiſtit.

cum

eum poſteà à Parocho inſtanter vrgeretur dixit. *Iam dixi*; antecedentèr autem dixerat ſe velle illum maſculum in ſuum. Delata re ad Rotam Romanam definiuit illud matrimonium tenere; ſed hoc non officit noſtræ quæſtioni, quandòquidem illa fœmina elicuit actum poſitiuum ſe referendo ad conſenſum expreſſum iam elicitum.

Arguunt quartò *ex cap. final. de offic. Vicarij in 6.*, vbi dicitur, quod eidem reuocata per Epiſcopũ licentia ad conferenda beneficia, quæ ſolum ex ſpeciali commiſſione ipſi poteſt competere, & reuocatione eidem intimata, ſi tamen ipſe conferat beneficia vidente, & patiente Epiſcopo, teneat collatio; quod idem aſſerit de procuratore reuocato *Gloſa in l. ſi mutuam §. inſtaurauerit ff. mandati*, qui, ſi ſciens reuocationem adhuc gerat negotia ſciente, & tacere Domino, validè agit, ergo etiam, ſi ſacerdos aſſiſtat matrimonio vidente, & tacente Parocho validè aſſiſtit. Sed huic etiam argumẽto facile poſſum occurrere aſſerens in primis de licentia Parochi eſſe ſpecialem diſpoſitionem, vnde ab vno, ad alterum caſum, quantumvis ſimilem, de quo non eſt illa ſpecialis diſpoſitio, non valet argumentum. Deindè diſpar omninò eſt ratio, quia in allegatis caſibus viget titulus coloratus cum errore communi, & ille titulus proceſſit ab habente legitimam poteſtatem conferendi, vnde non eſt, cur huiuſmodi acta non debeant tenere; in noſtra autem hypotheſi, nec adeſt titulus coloratus, nec poteſtas collata, in qua fundari poſſit error communis.

Si tamen cum taciturnitate con ungeretur actus poſitiuus valide aſſiſteret.

Hic tamen aduerte, quod, quantumuis licentia tacita per ratihabitionem de præſenti, quæ conſiſtit in ſcientia, & tolerantia, non ſufficiens ſit ad validitatem matrimonij, ſi tamen coniungatur cum aliquo actu poſitiuo, per quem indicetur poſitiuus conſenſus parochi, valida ſit, & ſufficiens ad talem effectum, quia talis actus poſitiuus cum illa tolerantia ſtat pro conſenſu expreſſo.

6 Sufficit licentia generalis ad omnia munera Parochiala.

Aſſertio III. Non eſt ad valorem matrimonij neceſſaria licentia ſpecialis, qua fiat expreſſa mentio aſſiſtendi matrimonijs, ſed ſufficit generalis, qua ſacerdoti exercitium ad omnia ad curam animarum in tali parochia ſpectantia concedatur *Nauarrus conſ. 27. tit. de ſponſalib. in prima edit. & conſ. 13. de clandeſt. deſponſat. in ſecunda, Rota Romana in Nouiſſimis part. 1. deciſ. 750. num. 1. Bellarmin. ad cap. 1. Trident. ſeſſ. 24. verb. alij ſacerdoti, & in addit. num. 19. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num 127., & de Parochis cap. 21. num. 27. Bonacina de matrim. qu. 2. punct. 8 num. 11. Hurtadus de matrimon. diſp. 5. diff. 11. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 132.*

Expreſsè habetur ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinal. Concil. Trid. interpret. ſupra relata per extenſum in probatione præcedent. aſſert. - Ibi - *requiritur vero, vel commiſſio generalis ad adminiſtranda ſacramenta*, & vlterius ratione ſic euincitur, quia Concilium Trident. exigit quidem licentiam Parochi, vel ordinarij in ſacerdote aſſiſtente, non tamen ſpecialem, vt in ea fiat expreſſa mentio de matrimonio, ergo non eſt neceſſaria ex diſpoſitione iuris ſpecialis licentia, ſed ſufficit licentia quomodocunque, ſed ex eo, quod fuerit conceſſa licentia ad omnia munera parochialia exercenda intelligitur etiam licentia ad matrimonium, cum hoc contineatur inter munera parochialia, ergo &c. Antecedens patet ex expreſſis verbis Trident. vbi ſolum appellat facultatem ſine reſtrictione. Prima conſequentia etiam euincitur, quia vbi ius non diſponit, nec nos diſponere debemus. Subſumpta minor etiam euincitur, quia facultas ad omnia in aliquo genere extenditur ad ea omnia, quæ continentur in tali genere. Confirmatur, quia in hac parte Concil. Trident. eſt correctorium, & reſtrictiuum iuris communis, ergo non debet amplius reſtringi, quam verba ſonent; verba autem important licentiam, non tamen ſpecialem, ſed quomodocunque.

Duo dubia examinanda.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi parochus concedat ſacerdoti facultatem adminiſtrandi omnia ſacramenta intelligatur etiam concedere facultatem aſſiſtendi matrimonijs in ſua parochia. Secunda, an, ſi concedat facultatem ad aliquos actus digniores ſupponatur etiam concedere ad matrimonium.

7 Deputatus ad omnia ſacramenta poteſt valide aſſiſtere matrimonio.

Ad primam abſolutè ſentio intelligi in illa generali conceſſione conceſſam etiam facultatem aſſiſtendi matrimonijs, ac proinde ſacerdotem ſic deputatum valide aſſiſtere. *Reginald. lib. 31. num. 178. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 29. nu. 2. Andreas Vallenſ. in ſumma decret. lib. 4. tit. 3. num. 7. verſ. proprij item Rebellius part. 2. poſt lib. 4. in declarat. ſect. 3. num. 66. Bonacina de matrimon. qu. 2. punct. 8. num. 11.* contra *Sanchez lib. 3. diſp. 35. num. 8. Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. cap. 4. num. 124.* Expreſsè euincitur ex dicta Sacræ Congregationis declaratione, quæ expreſſis verbis hoc importat - Ibi - *Requiritur vero, vel commiſſio generalis ad adminiſtranda omnia ſacramenta*; & eidem etiam fauet ratio, nam conceſſio ad omnia ſacramenta eſt indefinita, & illimitata, & propterea nullum excludit. Quod, ſi dicas aſſiſtere matrimonio, illudque ſolemnizare non eſſe adminiſtrare ſacramentum, adeoque non comprehendi in illa generalitate conceſſionis, quæ ſolum eſt ad adminiſtranda ſacra-

menta

Digitized by Google

*Eſt miniſterium requiſitum, vt reſultet ſacramentũ.*

menta, ſtatim impugnaberis, quia licet in rigore ſic aſſiſtere non ſit miniſtrare ſacramentum, vt præfertur in inſtantia, eſt tamen quoddam miniſterium ex diſpoſitione Eccleſiæ neceſſario requiſitum, adhoc vt poſſit reſultare ratio ſacramenti, & concedens facultatem generalem ad adminiſtranda omnia ſacramenta ſine vlla penitus reſtrictione, intelligitur concedere ad quodcunque miniſterium ſibi competens, & eo modo, quo competit. Quod, ſi vlterius inſtes in generali conceſſione non venire ea, quæ ſunt ſpeculi nota digna, cuiuſmodi eſt aſſiſtentia matrimonijs, quæ eſt res grauiſſima, & ardua per textum *in cap. fin. de procurat. in 6. verſ. & quamuis*; ſtatim etiam impugnaberis, quia in primis hac ratione contra ea, quæ expreſſis, & prægnantibus verbis ſtatuunt *Sanchez, & Boſſius loc. cit.* neque veniret facultas aſſiſtendi matrimonijs in generali illa conceſſione ad omnia munera parochialia, cum hoc munus ſit res ardua. Deindè ex ſuperius dictis ad valide aſſiſtendum matrimonio, non requiritur ſpecialis facultas, ſed ſufficit generalis. Quod, ſi tandem vrgeas in conceſſione generali licentiæ adminiſtrandi ſacramenta facta ab Epiſcopo, vel Parocho venire tantum ex præſumpta ipſorum concedentium voluntate ſacramenta neceſſitatis, nempe confeſſionis, & Euchariſtiæ, ſicuti quando conceditur per bullam Cruciatæ, vel aliud ſimile priuilegium facultas generalis ad ſacramenta intelligitur ſolum de eiſdem ſacramentis neceſſitatis, vt latè docent *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. cont. cap. 4. num. 37. Henriquez lib. 11. cap. 3. §. 5. Fillutius part. 1. tract. 10. cap. 6. num. 218.*, contra adhuc reſpondeo, hæc ad ſummum verificari, quando præcisè conceſſio eſt indefinita, & dubium eſt de voluntate concedentis; tunc etenim limitatur ſecundũ ea, quæ ſolent regulariter concedi, nempe ad ſacramenta pænitentiæ, & Euchariſtiæ, non quando conceſſio eſt cum omni generalitate concepta per ſincategorema vniuerſale, *omnia*, tunc etenim non poteſt eſſe dubium de voluntate concedentis, & qui dicit omnia, nullum excludit, nec illa duo ſacramenta pænitentiæ, & Euchariſtiæ ſunt omnia.

8 *Per conceſſionem Euchariſtiæ, & cõfeſſionis non venit conceſſio ad aſſiſtendum matrimonijs.*

Ad ſecundam difficultatem propoſitam dico per conceſſionem præcisè ad aliquos actus digniores In particulari puta ad confeſſionem, & Euchariſtiam adminiſtrandam non venire conceſſionem ad aſſiſtendum matrimonijs *Veracrux append. ad ſpecul. dub. 5. concl. 7. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 35. num. 9.* Ratio ex eo deducitur, quia poteſtas delegata non eſt extendenda de caſu expreſſo ad non expreſſum per textum *in cap. P. & G. de offic. deleg. in fin.*, nec delegatio ad Euchariſtiam miniſtrandam extenditur etiam ad ſacramentum pænitentiæ.

Aſſertio IV. Ad validè aſſiſtendum matrimonio non eſt neceſſaria licentia in ſcriptis, ſed ſufficit verbalis *Nauarrus conſ. 41. de ſponſal. in prima edit. & conſ. 12. de clandeſt. deſponſ. in ſecunda Menochius conſ. 188. in princip. vol. 1. Franciſcus Molinas lib. 2. de ritu nupt. diſſ. 11. num. 100. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc alleg. 32. num. 128. & de Paroch. cap. 21. num. 7. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 29. num. 2. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 35. num. 10. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 113.* 9

*Non eſt neceſſaria licentia in ſcriptis.*

Ratio ex eo deducitur, quia, nec ex natura ſua neceſſaria eſt, nec ex diſpoſitione iuris, ergo &c. Antecedens quoad primam partem probatur ex generali regula, ſecundum quam omnis actus poteſt verbis confici, niſi aliud à iure ſtatuatur per textum *in cap. 1. de cenſib. in 6.* & regulaitèr ſcriptura non requiritur ad ſubſtantiam actus, ſed ad ſummum ad probationem per textum *in l. contrahitur ff. de pignor.* quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia Concilium Trident. diſponens de præſentia Parochi, vel alterius ſacerdotis de ipſius, vel ordinarij licentia non exigit talem licentiam in ſcriptis, & cum concilium in ea parte ſit correctorium, & reſtrictiuum iuris communis debet ſtrictè accipi, non extendi, nam, ſi voluiſſet ſcripturam, expreſsè exegiſſet, ergo &c. Confirmatur, quia ad valide excipiendas confeſſiones non eſt neceſſaria facultas Epiſcopi in ſcriptis, ſed ſufficit verbalis, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam &c.

Dices, ex ſpeciali fine, ad quem inducta eſt per Tridentinum hæc aſſiſtentia Parochi, vel alterius ſacerdotis de ipſius licentia requiri, vt licentia ſacerdotis delegati ſit in ſcriptis, quandoquidem inducta eſt, vt poſſit nedum auctoritatiuè aſſiſtere, ſed etiam poſt contractum coram ſe initum teſtificari coram Eccleſia de illius celebratione; vt autem poſſit per modum teſtis publici, & auctoritatiui teſtificari debet docere de ſua auctoritate, quod præſtare nequit, niſi facultatem habeat in ſcriptis. Sed contra, quia ſatis eſt ad hunc effectum, vt immediatè coram Parocho delegante teſtimonium præſtet de matrimonij celebratione, ad quod non requiritur ſcriptura conceſſionis, & in eo caſu ſatis eſt, quod Parochus aſſerat talem facultatem conceſſiſſe.

Aſſertio V. Licentia etiam fictè conceſſa, hoc eſt ſolis verbis, non cum vero animo concedendi ſufficiens eſt ad hoc, vt alienus ſacerdos poſſit valide aſſiſtere matrimonio, *Sanchez lib. 3. diſp. 22. num. 65. Gutierez de matrimon cap. 62. nu. 28. Auguſt.* 10

*Sufficit etiam licentia fictè conceſſa.*



Digitized by Google

*Barboſa de poteſt Epiſcop. alleg. 32. nu. 109., & de Parochis c. 21. nu. 61. Bonacina quæſt. 2. punct. 8. num. 33. Ioannes Angelus Boſſius] de matrim. contract. c. 4. num. 109., & de tripl. Iub. priuil. ſect. 3. caſ. 2. §. 4. num. 144., & ſeqq;*

Ratio ex eo deducitur, quia poſita tali conceſſione adeſt in ſacerdote titulus coloratus à legitimo ſuperiore habente facultatem concedendi cum errore communi, quandoquidem adeſt licentia expreſſa, & nullitas eiuſdem eſt omnino occulta, ergo nō eſt, cur eadem poſita non debeat eſſe valida aſſiſtentia ſacerdotis habentis talem titulum. Confirmatur quia valida eſt confeſſio ſacramentalis facta ſacerdoti, quem Epiſcopus fictè approbauit ſine animo approbandi, vt latè probat *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuil. ſect. 3. caſ. 2. §. 4. n. 144.* ergo etiam erit valida aſſiſtentia &c.

11 Etiam extorta per metum, & dolum.

Aſſertio VI. Licentia etiam per metum cadentem in conſtantem virum, vel per dolum, & mendacia extorta valida eſt ad effectum, vt alienus ſacerdos poſſit cum effectu aſſiſtere matrimonio, *Auguſtin. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 133., & de Parochis c. 21. num. 70., & in remiſ. ad c. 1. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon. num. 4. Sanchez de matrimon. lib. 3. cap. 39. num. 13., & ſeqq; Bonacina de matrim. q. 2. punct. 8. num. 17. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 4. num. 125., & ſeqq;*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ad validè aſſiſtendum matrimonio reſpectu alterius ſacerdotis à Parocho non requiritur translatio iuriſdictionis, & quantumuis hæc requireretur non obſtanti tali metu haberetur, ergo habita licentia per metum etiam cadentem in conſtantem virum valide poterit alienus ſacerdos aſſiſtere. Antecedens quoad primam partem ex eo patet, quia aſſiſtentia eiuſdem Parochi ad matrimonium non eſt actus formaliter iuriſdictionis, ergo alteri concedendo talem facultatem aſſiſtendi eidem non committit aliquam iuriſdictionem, quandoquidem eidem ſolummodo committit vices ſuas in ordine ad talem actum; quoad ſecundam ex eo euincitur, quia etiam iuriſdictio transferri poteſt, quantumvis transferens ſit affectus ad illam transferendam metu cadente in conſtantem virum, vt latè probant *Sanchez d. lib. 3. diſp. 39. num. 13. Cardin. in c. 2. de his quæ vi n. vnica verſ. quintus caſus Ioannes Angel. Boſſius loc. cit.* ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur matrimonium initum per metum cadentem in conſtantem virum in ordine ad ipſos contrahentes eſſe ipſo iure irritum per ea, quæ diximus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. I. prænot. 5. ſect. 4., & 5.* ergo etiam &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum ex allegatis ibid. iuribus matrimonium debeat eſſe per conſenſum omnino liberum, non poteſt eſſe cum metu cadente in conſtantem virum, cum hic afficeret libertatem ad idem requiſitam, metus autem cadens in conſtantem virum in ordine ad extorquendam licentiam nō afficit libertatem matrimonij, adeoq; &c. Accedit, quod etiam ipſe Parochus, quantumvis per vim, nedum per metum cadentem in conſtantem virum detineatur, valida eſt ipſius aſſiſtentia.

Non currit paritas de matrimonio inito per metū cademē in conſtantē virū, ac de licētia aſſiſtendi extorta per talē metū.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod mox dicebamus, quia valida eſt aſſiſtentia matrimonij, per quam Parochus inductus eſt per vim, & dolum, ergo etiam valida erit aſſiſtentia ſacerdotis delegati per licentiam per dolum, & vim obtentem. Conſequentia probatur, quia in tantum contrariæ ſententiæ aſſertores aſſerunt in caſu noſtræ aſſertionis, quod non ſubſiſtat illa licentia, in quantum dolus eſt directè contrarius conſenſui per textum *in l. ſi per errorem ff. de iuriſdictionem omnium Iud.* ſed etiam dolus interueniente ipſo Parocho eſt ſecundum ſe contrarius conſenſui, & nihilominus contractus ſubſiſtit, ergo &c. tum quia, ſicuti ipſe aſſiſtens per dolum autorizat matrimonium, ità per dolum concedens licentiam auctorizat delegatum.

Dolus, quo licentia extorta eſt non obſtat.

Confirmari poteſt hęc ſecunda pars, quia quamuis Parochus per dolum concedens licentiam decipiatur quoad media, aſſentitur tamen in finem nempe in illam perſonam, cui licentiam concedit, vt aſſiſtat matrimonio, ergo non eſt, cur matrimonium illud coram eodem ſic delegato non teneat. Antecedens probatur paritate conceſſionum, quæ fiunt ad inſtantiam fictæ perſonæ, reſpectu quarum illa ficta perſona ſe habet tantum, vt medium, & vt cauſa impulſiua, non tanquam finalis propria, quæ certe conceſſiones tenent, nam ceſſante præciſe cauſa impulſiua non ceſſat diſpoſitio *Tiraquel tract. ceſſante cauſa limit. 1. à nu. 1. vſque ad* 10., vbi innumeros citat DD. Neque dicas, quod illa cauſa conceſſionis, nempe interceſſio illius perſonæ fictæ ſit talis, vt ſine illa Parochus licentiam illam non conceſſiſſet, adeoque quod dolus verſetur circa cauſam finalem, non præciſè impulſiuam; contra enim impugnaberis, quia vt bene notat *D. Thomas in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. ad ſecundū* non ſemper verum eſt, quod cauſa finalis ſit illa, ſine qua actus non fieret, ſed illa, quæ finaliter, & principaliter mouet agentem ad operandum. Confirmari poteſt ſecundo, quia ſi error, & dolus in matrimonio non verſetur circa ſubſtantiam, ſeu circa conditionem ſeruilem, non irritatur contractus, vt infra videbimus, ergo multo minus irritabitur conceſſio, ſi error verſetur circa

media,

Digitized by Google

media, quæ pertinent non ad ſubſtantiam, ſed ad accidentia conceſſionis.

12 Licentia aſſiſtendi debet deputato innoteſcere aliundè, quam per atteſtationem contrahentiũ.

Aſſertio VII. Licentia ad effectum validę aſſiſtentię alterius ſacerdotis à Parocho deputati debet aliundè eidem innoteſcere, quam per atteſtationem contrahentium regulariter loquendo *Auguſt. Barboſa in remiſ. ad cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon. n. 46., & de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. n. 134., & de Paroch. c 21. n. 76. Sanchez lib. 3. diſp. 37 n. 2., & ſeqq. Coninchus diſp. 27. n. 39. Baſilius Pontius lib. 5. c. 29. n. 8. Bonacina de matrimon. q. 2. punct. 8. n. 38. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 141.*

In ijs, quæ pertinent ad externam gubernationem non eſt fides præſtanda in propria cauſa.

Ratio ex eo deducitur, quià, quamuis daremus in ijs, quæ pertinent ad internam Eccleſiæ gubernationem præſtari poſſe fidem aſſerenti ſe habere facultatem à legitimo ſuperiore puta confitendi apud aliquem determinatum ſacerdotem ſua peccata; in ijs tamen, quæ pertinent ad externam eiuſdem Eccleſiæ gubernationem fides non eſt præſtanda ei, qui aſſerit talem licentiam in propria cauſa per textum *in c ſicut de ſent. excommun.* nec incongrua ratione, quià quoad ea, quę pertinent ad forum animæ ſolum pro ſalutis ſpiritualis commodo acceditur, in ordine ad quod non eſt præſumenda falſitas, vel mendaciũ: in ordine verò ad ea, quę pertinent ad externam gubernationem attendi poſſunt multa commoda temporalia, ac proindè in ordine ad ipſa ſubeſſe poteſt mendacium, ergò, &c. ſed aſſiſtentia quoad matrimonium pertinet ad externam Eccleſiæ gubernationem, ergò &c. Confirmatur ex eo, quod docet D. Thomas nempè credendum non eſſe excommunicato aſſerenti ſe beneficium abſolutionis obtinuiſſe iuxtà *d. c. ſicut de ſent. excomm.*, quià ſcilicet excommunicatio pertinet ad forum externum, ſed matrimonium etiam pertinet ad forum externum, & externam Eccleſiæ gubernationem, ergò non eſt credendum &c.

13 Excipe, niſi eſſet omni exceptione maiores, omnique fide digni.

Dixi, *regulariter loquendo*, nam ſi aſſerens eſſet perſona omni exceptione maior, omnique fide digna, tunc aſſerunt, & quidem non improbabilitèr *Sanchez d. lib. 3. diſp. 37. n. 3. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. n. 141.* eidem poſſe fidem præſtari arg. deduct. ab ijs, quæ docent DD., & præcipuè *Paludanus in 4. diſt. 18. quæſt. 6. art. 2. num. 5. Angelus verb. excommunicatio 8. num. 16. Silueſter verb. excommunicatio 5. quæſt. 26. verſ. decimum ſeptimum*, nempè, quod quamuis excommunicato aſſerenti ſe abſolutum eſſe non ſit credendum, poſſit tamen credi, ſi ſit perſona magna fide digna, & omni exceptione maior, quod argumentum poteſt extendi ad rem præſentem, cum militet eadem ratio.

Duo dubia examinanda proponuntur.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an ſi præſtita fuerit fides ex eo, quod ſit perſona fide digna, alteri contrahenti aſſerenti ſe facultatem habere à proprio Parocho, vt talis ſacerdos aſſiſtat, qui tamen re vera facultatem illam non habuerit, teneat matrimonium coram illo ſacerdote initum. Secunda, an ſi ſacerdos alius à parocho fidem præſtiterit alteri contrahenti, qui non ſit tanta fide dignus, & adſtiterit illius matrimonio, teneat matrimonium, ſi re vera ille facultatem habuerit.

14 Si præſtita fuerit fides contrahentibus, & licentia nõ fuerit non tenet matrimonium

In ordine ad primam aſſerendum eſt, non tenere, quià quamuis poſſit dici, quod ratione illius aſſertionis perſonę fide dignæ, & omni exceptione maioris ſacerdotem illum habere titulum coloratum, & fortè etiam coniunctum cum errore communi, non habet tamen illum titulum ab habente auctoritatem conferendi, ergò illud matrimonium non erit validum, vt potè contractum coram ſacerdote non habente legitimam poteſtatem aſſiſtendi; nec in hoc amplius eſt locus ambigendi, quandòquidem fuit definitum à Sacra Congregatione Cardinalium Concil. Trident. interpretum ſub die 7. Septembris 1620., prout refert *Barboſa de Parochis c. 21. n. 78.* atque ità etiam ſentit *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contr. c. 4. n. 141. prope medium*.

15 Si præſtita fuerit fides alteri contrahenti, qui non ſit omni fide dignus, & re vera licentia fuerit, non tenet matrimoniũ.

In ordine ad ſecundam aſſerendum eſt, etiam non tenere matrimonium cum illa aſſertione contractum. Ratio ex eo deducitur, quià ad validum vſum licentiæ aſſiſtendi matrimonio requiritur, vt ſacerdos notam legitimè habeat illam licentiam *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 36. n. 8. Fillintius part. 1. tract. 10. c 6. nu. 220. Baſilius Pontius lib. 5. c. 29. n. 8. Hurtadus de matrimon. diſp. 5. diffic. 13. Auguſt. Barboſa de Parochis c. 21. n. 75.* rationemque adducunt DD., quià huiuſmodi conceſſio habet rationem meræ gratiæ; gratia autem non eſt perfecta, niſi cognita ab eo, cui conceſſa eſt *arg. textus in c. 1. §. ex parte de conceſſ. preben. in 6., & c. ſi tibi abſenti verb. donec ipſam ratam habueris de preben., & dignit. item in 6. Menochius de abitr. lib. 2. caſ. 185. nu. 3., & ſeqq. Azorius part. prima inſtit. mor. lib. 5. c. 3. q. 5.*, quinimmò ſubdit *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 36. n. 8.* non ſufficere notitiam quomodocunque, ſed requiri, vt ſit à certis perſonis, nam talis conceſſio æquiparatur donationi, quæ debet innoteſcere donatario per certas perſonas *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 3. n. 310. Sanchez lib 1. diſp. 6. n. 3.*, ſed in hypotheſi, in qua procedit difficultas propoſita, ſacerdos non habet legitime notam illam conceſſionem facultatis, quandòquidem contrahens, ſi non eſt omni exceptione maior, & fide dignus, non eſt approbatus

batus ad deferendam validè illam conceſſionem, & conceſſio non nota, & non legitimè nota paria ſunt in effectu, ergò &c.

Ex eo autem, quod non ſufficiat aſſertio contrahentium, adhoc, vt ſacerdos alienus poſſit validè, & legitimè aſſiſtere matrimonio congruo ordine remanet inquirendum quomodo ſacerdoti alieno poteſtas ſibi collata aſſiſtendi debeat innoteſcere. Pro quo aduerte illam facultatem multipliciter poſſe à Parocho promanare; primò motu proprio eiuſdem parochi; ſecundò ad inſtantiam eiuſdem ſacerdotis, qui per nuntium, vel procuratorem illam petierit. Tertiò ad inſtantiam alterius, qui illam pro tali ſacerdote petierit. Quibus poſitis ad dubium excitatum.

Nonnulla dubia excitata.

16 Si fuerit conceſſa motu proprio Parochi ſufficit, ſi deputato innoteſcat per perſonam omni exceptione maiorem.

Reſpondeo primò, ſi conceſſio fuerit motu proprio parochi concedentis ſufficere, quod innoteſcat ſacerdoti per perſonam omni exceptione maiorem, omnique fide dignam, quamuis conuenientius foret, vt eidem innoteſceret, vel per literam, vel per concedentis nuntium. In hoc non percipio qua conſequentia procedat Sanchez dum *lib. 3. diſp. 36. num.* 8. aſſerit, quandò huiuſmodi licentia conceditur per parochum motu proprio, vel ad inſtantiam alterius, requiri vt ſacerdoti innoteſcat, vel per nuntium impetrantis, vel ipſius parochi ad normam donationis factæ abſenti, ad quam requiritur, vt donatario deferatur donatio per nuntium ad id muneris ſpecialitèr deputatum non aliter, nec alio modo, & poſteà *diſp.* 37. *num.* 3. dicit, ſi perſona affirmans ad eſſe licentiam fuerit fide digna eidem poſſe credi, & ſacerdotem ſic aſſiſtentem validè aſſiſtere. Prima pars euincitur ex ijs, quę ſupra dicta ſunt de excommunicato, cui credendum eſt aſſerenti ſe fuiſſe ab excommunicatione abſolutum, ſi fuerit perſona fide digna; nec in hoc currit abſolutè paritas de donatione, quandòquidem per ſolam licentiam nihil transfertur in ſacerdotem delegatum, cum in eundem non transferatur iuriſdictio, ſicuti transfertur in donatarium res donata, ſed precisè approbatur perſona, cui conceditur talis licentia, vndè quoad donationes requiritur ſcientia legitima, ſeù legitimè notificata, quoad hanc verò licentiam ſufficit notitia fundata. Secunda pars etiam euincitur, quià nulli dubium, quin faciat pleniorem probationem notitia per nuntium ad id deputatum, vel per literas concedentis, quam ſimplex alterius aſſertio.

17 Reſpondeo ſecundo, ſi conceſſio fuerit ad inſtantiam eiuſdem ſacerdotis deputati, qui talem facultatem per nuntium, vel per Procuratorem petierit ſufficit, ſi notitia deferatur per eundem nuntium, vel procuratorem. Conſentit in hoc *Sanchez d. lib. 3. diſp. 36. nu. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contr. c. 4. num. 139. Hurtadus de matrimonio diſp. 5. diff. 13. Filliutius part. 1. tract. 10. c. 6. num.* 220. Ratio ex eo deducitur, quia nuntius, & procurator repræſentat perſonam ſui principalis, & non ſolum intelligitur deſtinatus ad deferendum petitionem poſtulantis, ſed etiam reſponſionem concedentis, ergo notitia per eundem delata conceſſionis ſufficiens erit &c. Solum hic remanet inquirendum, an, ſi Parochus facultatem conceſſerit coram nuntio, & Procuratore, antequam innoteſcat per eundem nuntium, ſeu Procuratorem ſacerdoti petenti poſſit hic validè matrimonio aſſiſtere præſumens talem conceſſionem ſibi eſſe factam. Affirmatiuè ſentit *Sanchez loc. cit.* ea motus ratione, quia talis conceſſio æquiparatur priuilegio, & donationi, quæ ſuum ſortiuntur effectum, ſi fiant coram nuntio, ſeu Procuratori priuilegiati, ſeu donatarij ad id muneris deputato, vt latè probat *lib. 1. diſp. 6. num.* 29. nam nuntius, & deputatus Procurator repræſentat perſonam ſui principalis, adeoque factum coram eodem intelligitur factum coram principali. Nihilominus probabilius eſt, non ſufficere illam conceſſionem coram Nuntio, ſeu Procuratore, antequam deferatur ad principalem. *Baſilius Pontius lib. 5. c. 29 num. 8. Auguſtinus Barboſa de Parochis c. 21. nu. 75. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 4. num.* 139. præcipuè propter declarationem Sacræ Congregationis Concil. ſub die 5. Decembris 1626., & 15. Aprilis 1628. relatam ab *Auguſt. Barboſa de Paroch. c. 21. num. 75., & in collect. Bullarij verb. matrimonium* in quo ſic legitur. *Cenſuit matrimonium contractum coram ſacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio Parocho vnius ex contrahentibus, & ignorat ſe illam habere, eſſe inualidum*, quod ſatis eſt ad præſens inſtitutum.

Si cōceſſio fuerit ad inſtantiā ſacerdotis cō miſſarij petentis per nuntiū, vel per Procuratorē ſufficit, ſi eidem deferatur per eundē nuntium. 18

Si Parochus facultatem conceſſerit corā nuntio, & Procuratore, antequā conceſſio deferantur ad principalē non poteſt hic aſſiſtere

Reſpondeo tertio, ſi conceſſio fuerit ad inſtantiam alterius ab ipſo ſacerdote ſufficit, ſi eidem ſacerdoti innoteſcat per perſonam omni exceptione maiorem, omnique fide dignam, vel per nuntium ab ipſo impetrante ad id muneris deputatum. Conſentiunt omnes, qui ſuſtinent primam reſponſionem, & eiſdem ferè rationibus innititur.

19 Si fuerit ad inſtātiā alterius ſufficit, ſi innoteſcat per perſonam omni exceptione maiorem.

Aſſertio VIII. Si Epiſcopus, vel Parochus concedat facultatem ſacerdoti extraneo aſſiſtendi matrimonio ſuorum ſubditorum ſub certa forma, quæ adijciatur per modum conditionis, & ſacerdos delegatus aſſiſtat ea non ſeruata non valet matrimonium, ſecus vero ſi illa forma adijciatur tanquam modus. Conſentiunt *Baſilius Pontius lib. 5. c. 29. num. 6. Ioannes* Ange-

20 Si facultas aſſiſtendi fuerit conceſſa ſub certa forma per modum conditionis ea non ſeruata non tenet matrimonium.

Digitized by Google

*Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 4. num. 136.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia mens concedentis reſtringitur ad normam conditionis appoſitæ in conditione, ita vt taliter valeat, non aliter, nec alio modo, vnde idem ſonat talis conceſſio conditionata, ac ſi dicatur *Hoc tibi concedo, ſi hoc feceris, non concedo, ſi non feceris,* ergo, ſi illa forma præſcribatur per modum conditionis, & non fuerit ſeruata nec conceſſio tenebit, nec actus ſubſequenter initus. Conſequentia probatur, quia actus dependentes ab alterius conſenſu totam vim habent ab eodem conſenſu, & limitantur, & ampliantur ad normam eiuſdem conſenſus, ergo ſi cōſenſus fuerit, vt valeat poſita tali conditione actus, non valeat illa non poſita, actus &c.

21 Secus, data fuerit ſub modo.

Ratio ſecundæ partis etiam ex eo euincitur, quia modus non ſuſpendit actum, nec ipſum viciat *Bartolus l. quibus diebus §. Termillius ff. de condit., & demonſtrat. Rebulfus de verb. ſignif. l. 156. verſ. cum vero, & verſ. vtilitas per l. 1. 2., & fin. C. de donat., quæ ſub mod.*, & nos etiam late docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. 1. prænot. 5. ſect. 11. num. 6. præcipuè per textum in l. cum ab eo 41. ff. de contrah. empt.* ergo illa forma præſcripta per modum modi. quantumvis non fuerit ſeruata, non inualidabit conceſſionem, ſeu actum, ad quem illa dirigitur.

22 Quandonam intelligatur forma præſcripta ſub conditione, & quandonam ſub modo.

Solum difficultas remanet in inquirendo, quandonam illa forma præſcribatur per modum conditionis, & quandonam per modum modi. Communior ſententia aſſerit tunc intelligi apponi per modum conditionis, quando exprimitur per particulam, *Si*, apponi vero per modum modi, quando exprimitur per particulam, *vt, vel dummodo* per textum *in l. quoniam C. de rer. permutat.*, ſed quoniam illa particula, *Si*, quæ ex genere ſuo eſt conditionalis, quandoque reſoluitur in modum, ita vt idem ſonet, *ac vt*, ſeù *dummodo*, vt, ſi dicatur, *concedo tibi facultatem aſſiſtendi matrimonio, ſi moneas* &c. quæ æquiualet huic *Concedo tibi &c. dummodo moneas, ſeu ea conditione, vt moneas,* ideo alij dicunt tunc apponi per modum conditionis, quando adijcitur ante actum perfectum, tunc verò per modum modi, quando adijcitur actui iam completo. Sed quoniam etiam ex diuerſitate modi apponendi huiuſmodi formam poteſt eſſe controuerſia, an adijciatur actui completo, vel incōpleto, ideò *Sanchez d. lib. 3. diſp. 33. nu. 2., & 3.*, dicit quod quando illa forma, quæ præſcribitur à delegante eſt iam præſcripta à iure intelligatur appoſita, vt modus, cum ſe habeat per modum inſtructionis reſpectu delegati, vnde cum dicitur *Concedo tibi facultatem, ſi moneas contrahentes, ne conſument ante publicationes, ſi inter ipſos non exiſtat impedimentum*, vel quid ſimile, ſemper intelligitur modus tantum apponi, & particula, *ſi*, reſoluitur in particulam *vt vel dummodo*, quando verò illa forma, quæ præſcribitur à delegante non eſt à iure præſcripta, vel diuerſo modo præſcribitur, quo eſt præſcripta à iure tunc intelligatur appoſita per modum conditionis. Primam partem explicationis Sanchez admittunt communiter DD., & præcipuè *Baſilius Pontius lib. 5. cap. 29. num. 6. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 4. num. 136., & de tripl. Iubil. ſect. 1. cap. 21. §. 6. num. 80.*, ſecundam vero limitant, adeo vt vera ſit, ſi certe appareat de mente apponentis per modum conditionis, ſi vero non appareat expreſsè de tali mente per modum conditionis. tunc coniectandum arbitrantur ex fine, ad quem illa forma additur, ſi etenim non ſeruata illa forma adhuc habetur finis intentus à concedente, tunc dicunt eſſe appoſitam per modum modi, nec ſuſpendere, nec vitiare actum, ſi verò illa nō ſeruata non habetur finis intentus à concedente, tunc aſſerunt apponi per modum conditionis, quibus libenter, & ego adhæreo.

Explicatur varij modi

23 Poteſt etiā exerceri extra Parochiam, & Diæceſim.

Aſſertio IX. Licentia conceſſa à Parocho, vel ab Epiſcopo priuato ſacerdoti poteſt validè exerceri ab eodem ſacerdote extra Parochiam, ſeù Diæceſim delegantis. *Victoria in ſumma de confeſſione nu. 151. Sotus in 4 diſt. 18. qu. 4. art. 3. verſ. aliud vero, Henriquez lib. 6. de pænit. cap. 7. num. 1. Phyliarchus de offic. ſacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 24. §. nullus alius, Angles Floribus prima part. qu. 3. de confeſſione art. 8. dub. 4. concl. 2.*, qui licet omnes loquantur in terminis ſacramenti penitentiæ, poſſunt tamen ex paritate rationis reduci ad ſanum ſenſum noſtræ aſſertionis, & in proprijs terminis *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 24. num. 2., & ſeqq. Reginaldus lib. 31. num. 180. Coninchus de matrimon. diſp. 27. dub. 2. num. 23., & dub. 3. num. 38. Gutierez de matrimon. cap. 62. num. 10. Bonacina de matrim. qu. 2. punct. 8. num. 13.*

Ratio ex eo deducitur, quia aſſiſtentia non eſt actus propriæ iuriſdictionis, vel ad ſummum iuriſdictionis voluntariæ per ea, quæ latè ſupra probauimus, ſed actus iuriſdictionis voluntariæ poſſunt exerceri etiam extra parochiam, & Diæceſim per *text. in l. 2. ff. de offic. proconſul. & notant ibi omnes ſcribentes, & cap. noui de offic. legat. Coaruuias lib. 3. var. cap. 20. nu. 8.*, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, hæc verificari ſolummodo, quando huiuſmodi iuriſdictio voluntaria exercetur ab ordinario, ſecus verò, quando à delegato, prout videtur colligi *ex ead. l. 2. ff. de offic. proconſul.* vbi ſic legitur *Omnes Proconſules ſtatim quod vrbem egreſſi fuerint, habent iuriſdictio-*

*nem*

Digitized by Google

*nem non tamen contentioſam, ſed voluntariam, apud legatum vero Proconſulis, nemo manumittere poteſt, quia non habet iuriſdictionem talem*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia iura non attendunt, an iuriſdictio exercentis ſit ordinaria, an delegata, ſed ſolum ſtatuunt, quod voluntaria poſſit exerceri vbique, quia per illius exercitium nulli fit iniuria, cum fiat abſque ſtrepitu, & figura iudicij. Quamobrem ad allegatum textum *in l.2. ff. de offic. proconſul.* dicendum eſt, legatum Proconſulis non poſſe exercere iuriſdictionem, quia nullam habet ex diſpoſitione iuris ante ingreſſum proconſulis in prouincia, prout ſupra etiam diximus.

Duo dubia excitata.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, ſi ordinarius, vel parochus facultatem concedant in hanc formam ſimplici ſacerdoti. *Coniunge in matrimonium Titium, & Caiam in mea Eccleſia, vel in mea Parochia*, an talis ſacerdos poſſit adhuc valide aſſiſtere extra parochiam delegantis. Secunda, quid ſentiendum, ſi dixerit delegans limitatiuè. *Concedo tibi facultatem aſſiſtendi matrimonio Titij, & Caiæ, ſed tantum in mea Parochia, non aliter, nec alio modo.*

24 Etiam, ſi delegans dixerit in mea Parochia, in mea Diœceſi.

In ordine ad primam aſſerendum exiſtimo, poſſe adhuc validè extra parochiam aſſiſtere *Sanchez de matrimon. lib.3. diſp.34. num.4.* Ratio ex eo deducitur, quia illa particula in mea Eccleſia, vel in mea Parochia non ſtat reſtrictiuè, ſed tantum demonſtratiuè ad indicandum ſcilicet facultatem eſſe ad coniungendos ſolummodo Parochianos delegantis.

25 Secus, ſi dixerit limitate in mea Parochia.

In ordine ad ſecundam abſolutè ſentiendum eſt, illum ſacerdotem delegatum non poſſe valide extra Parochiam aſſiſtere. Ratio eſt, quia licentia tantum valet ſecundum normam, & intentionem expreſſam concedentis. & ſic cum illa particula ſtat tantum reſtrictiuè *tantum non aliter, nec alio modo* non poteſt delegatus vltra illam munus ſibi commiſſum exercere.

26 Conceſſa reuocabilis eſt ante contractũ matrimonium.

Aſſertio X. Licentia ſemel conceſſa ad aſſiſtendum matrimonio reuocabilis eſt ante contractum matrimonium *Sanchez lib.3. diſp.36. num.9. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap.4. num.140.*

Ratio ex eo deducitur, quia talis conceſſio eſt mere gratuita, & omninò dependens à voluntate concedentis, per quam alteri committit vices ſuas, ergo eandem poterit ad libitum reuocare; & ex hoc patet, quam incongruè loquatur *Sanchez loc. cit. num.2. verſ. quinto, quia priuilegium*, dum appellat talem conceſſionem donationem; ſi etenim eſſet talis, ſicuti donatio poſt acceptationem non eſt reuocabilis à donante, ita poſt acceptationem conceſſionis illa licentia eſſet irreuocabilis, quod non eſt dicendum.

Hic etiam duplex oritur difficultas. Prima, an, ſi fuerit talis conceſſio reuocata ad effectum, vt deputatus non poſſit validè aſſiſtere matrimonio, debeat reuocatio eidem delegato, ſeu reuocato intimari, & quomodo. Secunda, an, ſi eidem fuerit intimata, dum tamen extat error communis reuocationis, poſſit adhuc reuocatus validè aſſiſtere. Duo dubia examinanda proponuntur.

27 Reuocata cóceſſione intimanda eſt reuocatio per nuntium ad id muneris deputatum.

Ad primam ſentio abſolutè reuocato intimandam eſſe reuocationem per nuntium ad id muneris deputatum, vt latè probat *Sanchez dict. lib.3. diſp.30. num.11., & 13. Boerius deciſ.347. à num. 14. vſque ad 18. Rebuffus praxi benefic. tit. de forma Vicariatus num.212. Antonius Cucus lib.2. inſtit. maior. tit. 8. num. 147.*, & nos etiam ſupra docuimus, dum de reuocatione Vicarij *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. 1. pranot. 30. aſſert.4. verſ. difficultas poteſt eſſe*, ad quæ vos remitto. Quod, ſi dixeris, hæc aduerſari ijs, quæ ſuperius nos commendauimus, nempe ſufficere conceſſionem innoteſcere delegato per perſonam omni exceptione maiorem, & fide dignam, ergo etiam ſufficiet, quod reuocatio eiuſdem conceſſionis innoteſcat eidem per perſonam fide dignam, nec requiretur nuntius ad id ſpecialiter deputatus præcipuè *cum eadem pranot. 30. aſſert.4. verſ. difficultas poteſt eſſe* dixerimus congruum eſſe, vt eodem modo, quo fit, diſſoluatur electio, & ibi etiam innuimus requiri, vt denuntiatio electionis, ſeu deputationis fiat per talem nuntium, per quæ nobiſmet ipſis contrarij videmur, dum alibi diximus, vt præfertur in inſtantia, ſufficere conceſſionem innoteſcere delegato per perſonam fide dignam; Si, inquam, hæc dixeris, ſtatim impugnaberis, quia plura videntur requiri ad priuationem iuris iam acquiſiti, quam ad acquiſitionem illius, cum acquiſitio ſit fauorabilis, priuatio odioſa; vnde conciliando, quæ diuerſis in locis dicta ſunt cum ijs, quæ hic dicuntur, dico in primis eodem modo diſſolui conceſſionem licentiæ, quo fit, quando fit per intimationem per nuntium ad id muneris deputatum, nam tunc per eundem nuntium, vel per æquiualens debet diſſolui, ſecus autem, quando conceſſio poteſt valide innoteſcere delegato alio modo, puta per perſonam fide dignam, nam tunc non ſufficit, ſi reuocatio conceſſionis denuntietur per aliam perſonam fide dignam, ſed requiritur nuntius ad id muneris deputatus, propter allegatam rationem, quia in odioſis fortior ratio requiritur ad priuandum iure iam acquiſito. Deinde, quando diximus ſufficere conceſſionem innoteſcere delegato per perſonam fide dignam procedit in fauora-

In odioſis fortior ratio requiritur.

Digitized by Google

uorabilibus, & gratioſis, non alitèr.

Ad ſecundam iam ſatis dictum eſt ſub *hoc eod. tit. Contractus XIV. de matrimon. I. d. prænot. 30. aſſert. 4.* ad quæ vos remitto.

---

## PRÆNOTIO XXXVI.

Quot, & quales teſtes requirantur præter Parochum ad valorem matrimonij.

### SVMMARIVM.

*Triplex genus teſtium explicatur.* 1.
*Vltrà Parochum duo ſaltem teſtes requiruntur.* 2.
*Numerus teſtium non poteſt ſuppleri per vnum omni exceptione maiorem.* 3.
*Ad valorem matrimonij non requiruntur teſtes omni exceptione maiores.* 4.
*Ad valorem matrimonij ſufficiunt etiam teſtes alias inhabiles, dummodò ſint rationis compotes.* 5.
*Excitata lite ſuper valore matrimonij, qui teſtes, qui eidem interfuerunt admitti poſſunt ad probationem, quamuis alias eſſent inhabiles.* 6.
*Quænam perſonæ in particulari poſſint admitti.* 7.
*Vbi agitur de diſſoluendo matrimonio requiruntur teſtes omni exceptione maiores.* 8.

In quo reſtringatur difficultas.

NOn hic agemus de præſentia teſtium, an debeat eſse Phyſica, an ſufficiat moralis, an voluntaria, an ſufficiat coacta, vel per metum, vel per dolum inducta, an requiratur rationalis, & humana, an ſufficiat materialis, & purè corporea, nec de eorum attentione, an requiratur actualis, an verò ſufficiat virtualis, nam de ijs latè egimus, dum de præſentia Parochi requiſita ad validitatem matrimonij. Solum difficultas reſtringitur ad numerum, & qualitatem teſtium præſcindendo à Parocho, & quidem de teſtibus non ſolum ad valorem matrimonij requiſitis, ſed etiam de teſtibus ad probandum idem matrimonium poſtquam contractum eſt. Pro clariori notitia.

1 Triplex genus teſtium explicatur.

Aduerte triplex teſtium genus communitèr numerari. Primum eſt teſtium omni exceptione maiorum, qui illi dicuntur, & ſunt, qui plenam fidem faciunt nullaque, vel minima exceptione poſsunt repelli *Gloſa in §. item verborum in verb. idoneos Inſtit. de inutil ſtipul. Gloſa in cap. 1. verb. maiores de conſan., & affin. Maſcardus de probat. concl. 1023. n. 4., & 5. Coarruuias in 4. decret. 2. par. c. 8. §. 12. n. 7. Farinacius in praxi crimin. de oppoſ. contra perſon. teſt. q. 62. n. 1. Auguſt. Barboſa collect. ad d. c. 1. de conſang., & affin.* Dixi, *plenam fidem faciunt*, quod intellige non comparatiuè ad plenam probationem in cauſa, ſed relatiuè ad proprium dictum, quatenus eidem non poteſt opponi ex perſona eiuſdem teſtificantis. Secundum eſt genus teſtium idoneorum, quos aliqui confundunt cum teſtibus omni exceptione maioribus, ſed incongruè, prout benè notant *Blancus in tract. de Iudic. ad l. fin. ff. de quæſt. num. 318. Crotus in tract. de teſtib. n. 3. n. 94. ad fin. Gratianus tom. 3. diſp. 539. n. 20.*, quandòquidem teſtes omni exceptione maiores eximiam quandam prærogatiuam præſeferunt ſuprà idoneos, & illi ſunt idonei in gradu ſuperlatiuo, iſti verò nonniſi in gradu poſitiuo. Sunt igitur teſtes idonei illi, qui à iure non reprobantur, ſed tanquam probatæ fidei, bonæ opinionis admittuntur. Tertium genus eſt teſtium inhabilium, quod eſt quaſi ſubalternum, & poteſt ſubdiuidi in duo alia genera inferiora, alij etenim tunc teſtes inhabiles ex genere ſuo ob defectum plenæ rationes, cuiuſmodi ſunt amentes, furioſi &c., alij à iure ob aliquam notam nempè infames, periurij, inimici, conſanguinei, domeſtici, excommunicati &c. de quibus latè *Farinacius de oppoſit. aduerſus perſon. teſt. à q. 53. ad 61.* His ſuppoſitis ſit.

2 Vltra Parochum duo ſaltè teſtes requiruntur

Aſſertio I. Teſtes vltra Parochum ad valorem matrimonij debent eſſe ſaltem duo. Conſentiunt omnes ſcribentes poſt Concil. Trid. *VeraCrux in append. ad ſpecul. dub. 6. concl. 2. Spin. in ſpecul. teſtam. gloſ. 15. num. 46. Cauallos in comm. contra com. q. 604. num. 83.*

Expreſſe colligitur ex *eod. Concil. Trident. d. c. 1. ſeſſ. 24 de reformat. matrim.* Ibi. *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi, ſeu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt*, vbi nota quod cum conciliũ faciat diſtinctionẽ Parochi à teſtibus nomine teſtium, ſeu numero eorundum non poſſit venire Parochus per ea, quæ allegat *Felinus in c. ex literis num. 10. verſ. modo aduerte de probationibus*, & deinde cum dicat *duobus vel tribus teſtibus* non poſſit numerus ſuppleri per vnicum teſtem omni exceptione maiorem, quandoquidem, quæ diſponuntur, vt ſint tanquam forma in contractu, nec poſſunt ſuppleri per equipollens, vt ſunt vulgatiſſima iura.

3 Numerus teſtium nõ poteſt ſuppleri per vnũ omni exceptione maiorẽ.

4 Non requiruntur omni exceptione maiores.

Aſſertio II. Ad validitatem matrimonij, non requiruntur teſtes omni exceptione maiores *Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 61. Veracrux append. ad ſpecul. dub. 7. per totum Spino in ſpecul. teſtament. gloſa 15. n. 46., & ſeqq. Gutierez de matrim. c. 44. n. 70. in fin. Auguſtin. Barboſa de poteſt. Episcop. part. 2. alleg. 32. n. 138., & de Parochis c. 21. n. 8., & in remiſ. ad d. c. 1. ſeſſ. 24 num. 91.*

Pro-

Proponuntur rationes aduerſantes, & reijciuntur

Probatur primò, quià lex Trident. eſt correctoria iuris communis in ea parte, qua ſtatuit matrimonium contractum ſine teſtibus eſſe inualidum, atque non expreſsè exigit hanc qualitatem in eiſdem teſtibus, vt ſint omni exceptione maiores, ſed ſolum appellat duos, vel tres teſtes, ergò concilium in ea diſpoſitione nudè ſumendum eſt, non vt veſtitum qualitate teſtium omni exceptione maiorum. Conſequentia probatur, quià ex vulgatis iuribus lex correctoria iuris communis ſtrictè eſt interpretanda, ita vt vt non excedat terminos, quibus concipitur. Neque dicas, quod ex hac noſtra ratione clarè deduceretur requiri teſtes idoneos, & omni exceptione maiores, quandòquidem lex correctoria, vtpotè ſtrictè interpretanda, debet tantum in ea parte diſcordare à iure communi, in qua illud corrigit, in reliquis verò debet cum illo concordare, ſed ius commune exigit teſtes omni exceptione maiores per textum *in cap.* 1. *de conſang. verſ. nunc quæſtio*, quod vlterius ratione euincitur, quià cauſa matrimonialis eſt cauſa ardua; in cauſis autem arduis requiruntur teſtes, quorum fides ex aliqua cauſa dilui non poſſit per textum *in c. licet verſ. quamquam a uiem de probat.* Item ex doctrina *Coaruuy 4. decretalium* 2. *part. c.* 8. §.12. *n.*8. aſſerentis ad probationem matrimonij eſſe neceſſarios teſtes ità integros, ſicuti in cauſis criminalibus. Tandem ex eo, quod iure communi matrimonia clandeſtina illa reputabantur, quæ legitimè probari non poterant per textum *in c.* 2. *de clandeſt. deſponſ.*, ergò cum Concilium Trid. in hoc ſe accomodare debeat eidem iuri cõmuni, debet tales teſtes exigere, quales ſufficiant ad legitimè probandum &c. Contra enim impugnaberis, quià, cum Tridentinum ſtatuat nouum ius cum irritatione, quæ antecedentèr non erat, non attendit in reliquis omnem rigorem, qui erat in iure veteri, & communi, ſed illum modificat iuxtà terminos, ſecundum quos eſt concepta lex eiuſdem Trident, & ſic dum in vno grauat, in altero alleuiat. Deinde idem Concilium Tridentinum induxit æquipollens illi qualitati teſtium, quæ antecedentèr requirebatur, dum præter teſtes inducit etiam aſſiſtentiam Parochi, quæ ſupplet illum defectum in teſtibus; & per hoc etiam reſpondetur ad id, quod ſubditur, licet enim cauſa matrimonialis ſit ardua, vt præfertur ex præcitatis iuribus, ſuppletur tamen quicunque defectus, qui poteſt eſſe in teſtibus per aſſiſtentiam Parochi, qui antecedenter non requirebatur; deinde, licet illa cauſa ſit ardua, eſt tamen etiam fauorabilis, in qua propterea non excluduntur quamuis non ſint omni exceptione maiores. Ad illud, quod tertio loco ſubdebatur infra erit vberior ſolutio; interim dic, exiſtente Parocho ſuppleri defectum eorumdem teſtium per ipſius aſſiſtentiam, qui, ſi coniungatur cũ eiſdem ad probandum, plenam faciet probationem. Ad illud tãdem, quod vltimo loco præferebatur, dicendum eſt extante ſimul cum teſtibus Parochi præſentia plene poſſe probari matrimonium contractum, quandoquidem Tridentinum transfert in eundem Parochum ſimul cũ teſtibus quamcunque vim probandi.

Probatur ſecundo, quia cauſa matrimonialis eſt cauſa maxime fauorabilis, vt ſparſim ſupra probauimus, ſed in cauſis fauorabilibus admittuntur etiam teſtes non omni exceptione maiores, vt videre eſt in fauorem fidei per textum *in c. in fidei fauorem de hæret. in* 6. Confirmatur, quia in cæteris cauſis non admittuntur regularitèr fœminæ ad teſtificandum, & tamen in cauſa matrimoniali non excluduntur per textum *in c. ſuper eo al ſecundo de teſtib., & conſang. c. videtur, qui matrim. accuſ. poſ.* & docet *Sanchez lib.*3. *de matrimon. diſp.*41. *num.*5. *verſ. quarto, quia in cauſa fauorabili* ergo in huiuſmodi cauſa poſſunt admitti teſtes, qui non ſint omni exceptione maiores.

In cauſis fauorabilibus admittuntur etiã teſtes non omni exceptione maiores.

5 Aſſertio III. Ad valorem matrimonij ſufficiunt etiam teſtes alias inhabiles, dummodo ſint rationis compotes, cuiuſmodi ſunt infames, excommunicati, infideles, conſanguinei, Domeſtici, ſerui, fœminæ, moniales *Zerula in praxi Epiſc. part. pr. verb. matrimon.* §.14. *Gutierez de matrimon. c.*44. *num.*70. *in fin. Henriquez lib.* 11. *ſumma c.*3. *nu.*9. *Rebellius de oblig. iuſt. part.* 2. *lib.* 2. *q.* 8. *nu.* 7. *Ægidius Coninchus de matrim. diſp.* 27. *dub.* 4. *num.* 41. *Bonacina de matrim. q.* 2. *punct.* 8. *num* 43. *Laiman. lib.* 5. *Theol. mor. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 6.

Sufficiũt teſtes etiam alias inhabiles, dummodo ſint rationis cõpotes.

Ratio ex eo deducitur, primo, quia, vbi iura requirunt teſtes omni exceptione maiores, vel ſaltem in iure idoneos, id exprimunt, vt videre eſt per textum *in c. cum eſſes de teſtamentis* vbi cum fiat exceptio à communi regula teſtamentorum, ſecundum quam requiruntur quinque, vel plures teſtes, & cũ reſtringatur, quando adeſt Parochus, ad tres, dicitur *coram Presbitero, & tribus aut duobus alijs perſonis idoneis* ergo, cum Concilium Trident exigat tantum aſſiſtentiam Parochi, & duorum, vel trium teſtium in cauſa matrimoniali, nullamque fecerit mentionem de idoneitate ipſorum, ſe reducit ad ius naturæ, ſecundum quod omnes rationis compotes habiles ſunt, & hoc maximè æquum eſt, cum cauſa huiuſmodi ſit fauorabilis.

Secundo, quia quantumuis deficiat ali-

qua

Digitized by Google

quia qualitas regulariter in teſtibus requiſita ex eo tamen. quod per ius inducatur aſſiſtentia Parochi tanquam teſtis auctoritatiui, & deputati ab Eccleſia ſuppletur ille defectus, quod non incongrua ratione aſſeritur, quandoquidem ſi teſte *Rota Romana deciſ.* 772. *num.* 4. *apud Farinaciam* 2. *parte in recent.*, *&* 143. *nu.* 12. *apud Buratum* numerus ſupplet defectum, & inhabilitatem teſtium per *gloſ. vulg. in l. numero ff. de teſtib.* & late probat *Gabua l. de teſtibus concl.* 6. *num.* 1., *&* *eadem Rota Rom. apud Buratum deciſ.* 349. *num.* 5., *&* *Ferentillius ad d. deciſ. Burat.* 143. *lit. D.* non video cur qualitas ſuperexcedens Parochi auctoritatiuè aſſiſtentis non ſupplere poſſit defectum qualitatis in teſtibus exiſtentem; quod etiam videre eſt in ſimilibus v. gr. in aſſiſtentia auctoritatiua Iudicis ſuum decretum interponentis in actionibus minorum, & ſimilium, ergo Parocho ſupplente illud vitium in teſtibus inexiſtens non erit, cur matrimonium coram illis initum non debeat ſubſiſtere.

Aſſiſtentia Parochi ſupplet defactum teſtium alias inhabiliū.

Dices, præallegatam doctrinam tunc tantum ſubſiſtere, quandò in numero teſtium aliqui ſunt idonei, ſecùs verò, ſi omnes aliquam patiantur exceptionem, quiâ tunc vitia, & defectus viciſſim ſuppleri non poſſunt *Aymon. conſ.* 99. *n.* 10., *&* *conſ.* 226. *n.* 13. *Rota Romana in Bergomenſi Capellania* 26. *Aprilis* 1627. *coram Merlino* Demus, iam quod & ipſe Parochus laboret aliqua infamia, vel affectus ſit excommunicatione, vel alia nota inficiatur. Quomodo iam per ipſum ſuppleri poterit defectus teſtium? ergo &c. Sed contra reſpondet *Sanchez d. lib.* 3. *diſp.* 41. *num.* 5. *verſ. quod ſi dicas* hunc caſum, vtpotè rarum Concil. Trident. deſpexiſſe, nam iura non reſpiciunt caſus particulares, ſed frequentiores per textum in *l. nam ad ea iuncta l. ſeq. ff. de legib.* Addi etiam poteſt, quod quamvis excõmunicatio, aliæq; qualitates enumeratæ in inſtantia multum demant de fide Parochi in alijs negotijs, non tamen in ijs, in quibus ex neceſſitate requiritur eius atteſtatio, cum alius ab ipſo non poſſit teſtificari, & non obſtante excommunicatione, aliſq; qualitatibus in ipſo perſeuerat qualitas Parochi, quæ ſolum à Concil. Trident. ad hunc ſpecialem effectum matrimonij attenditur.

In neceſſarijs excommunicatio non demit de fide Parochi.

Tertio maximè conueniens fuit, vt in ijs, quæ neceſſaria ſunt ad valorem ſacramenti maximè neceſſarij ad naturæ propagationem Eccleſia ea præciperet, quę commodiora ſunt, & vſualia, faciliora, ſicuti Chriſtus Dominus inſtituit ſacramenta in materia vſu communiori, ne ob defectum eiuſdem fideles ſacramentis deſtituerentur; ſed non ita res ſe haberet, ſi ad validitatem matrimonij requirerentur teſtes omni exceptione maiores, quandoquidem in villis pluribus non reperiuntur niſi perſonę vilis conditionis, pauperes, vel domeſticæ, familiares, & conſanguineæ, ſicq; aſſiduæ conſurgerent rationes dubitandi circa validitatem matrimoniorum initorum, ergo debuerunt decerni perſonę in omni gente promptiores, queq; facile poſſent occurrere, adeoq; &c.

Aſſertio IV. Excitata lite, ſeu controuerſia ſuper validitate matrimonij initi coram Parocho, & teſtibus alias inhabilibus ijdem teſtes validè admitti poſſunt ad probationem eiuſdem matrimonij *Panormitanus c. ſuper eo* 2. *de teſtib. nu.* 2. *Alciatus de præſumpt. reg.* 1. *præſumpt.* 2. *nu.* 4. *Pariſius conſ.* 55 *num.* 2 *lib.* 4. *Aloiſius Riccius collect. part.* 4. *collect c.* 329. *Rota Roman. deciſ.* 209. *part.* 1. *in nouiſ. in colimbricen. matrimonij* 14. *Decembris* 1615. *coram Buratto*, *&* *in alia Papienſi matrimonij* 1. *Iunij* 1594. *coram Merlino*. 6

6 Excitata lite ſuper valore matrimonij contracti corā Parocho, & teſtibus alias inhabilibus ijdem teſtes admitti poſſūt ad probationem eiuſdem.

Ratio ex eo deducitur, quia fruſtrà, & inutiliter admitterentur, vt teſtes in matrimonio, ſi non poſſent validè, & efficaciter teſtificari de matrimonio iam contracto: ideo enim requirũtur à Concil. vt poſſunt teſtificari, & probare contractum, ergo cum admittantur tanquam ſufficientes ad valorem contractus, non eſt, cur non ſit admittendum illorum teſtimonium ad eundem probandum. Verum tamen eſt, quod, ſicuti ſimpliciter, & ſecundum ſe non admittuntur, ſed prout ſimul concurrunt cum Parocho, à quo quodamodo vim ſortiuntur, ita debent ſimul cum illo concurrere ad probandum. Quod ſi dicatur, quod huiuſmodi teſtes poſſint facile corrumpi, tunc reſpondebit Sanchez hunc caſum rarum eſſe, nec omnia inconuenientia vitari poſſe, & ſatis eſſe per legem prouideri incommodis, quæ frequentiora ſunt; frequentius autem eſſet, quod irritarentur matrimonia, ſi hæc ex neceſſitate celebrari deberent coram Parocho, & teſtibus omni exceptione maioribus, quia ſemper poſſet dubitari, an iſte, vel ille eſſet omni exceptione maior, & non ſemper teſtes omni exceptione maiores eſſet inuenire.

Secundo, quia huiuſmodi cauſa eſt fauorabilis per textum *in c. fin. de ſent.*, *&* *re iudic.* in cauſis autem fauorabilibus admittuntur etiam teſtes de iure alias inhabiles, vt in cauſa fidei decernit textus *in c. in fidei fauorem de hæreticis in* 6.

Hinc in particulari cõmuniter docent primo etiam coram duabus, vel tribus fæminis ſimul cum Parocho poſſe contrahi matrimonium, haſque admitti ad illud probandum, prout ſufficienter colligitur ex *c. ſuper eo* 2. *de teſtib.*, *&* *ibi Ioannes Andreas num.* 4. *Butrius num.* 7. *Couaruuias in* 4. *decret. de ſponſal. part.* 2. *c.* 8. §. 12. *n.* 8. *poſt*

*medium Farinacius de oppoſ. contra perſon. teſt q.59. num 33. Rota Roman. deciſ. 772. nu. 1. in recentior apud Farinacium part. 2., & deciſ.273. part.4. deciſ.530. num 1. apud Buratum*; quod in fortioribus terminis probant de duabus Monialibus teſtificantibus de matrimonio iam cõtracto *Angelus conſ. 255. num.1 Rota Rom. illa deciſ. 530. num. 1. apud Buratum*;

7 Quęnam perſonæ in particulari poſſint admitti.

cum ſint vt plurimum nobiles, & notæ probitatis, & ipſarum teſtimonium dictis laicorum pręferri docet *Gloſa in c. Monacus verb. quorum diſt. 27. Rolandus à valle conſ. 24. num. 54. lib. 1.* Secundo etiam admitti parentes, & conſanguineos per textum *in c. ſicut ex literis de ſponſal. c. videtur 35. q. 61. ſuper eo 2. de ſponſal. c. licet ex quadam de teſtib, & c videtur, qui matrimon. accuſ. poſ.* Tertio etiam Domeſticos, & familiares per textum *in c. ex literis de teſtibus Maſcardus de probat. concl. 1365. num. 1., & 2. Alciatus de præſumpt. reg. 1. præſumpt. 39. num. 5. Gutierez de matrimon. cap. 44. num. 85. verſ. habemus igitur Antonius Gabriel lib. 1. de teſtib. concl. 7. num. 1.*

8 Ad diſſoluendum requiruntur teſtes omni exceptione maiores.

Aſſertio V. vbi agitur de diſſoluendo matrimonio requiruntur teſtes omni exceptione maiores. *Felinus, ac Hoſtienſis in c. ſuper eo de teſtib. Abbas in c. cum Ioannes de fid. inſtrum. Aloiſius Riccius collect. part. pr. collectan. 1329. Marcus Antonius Genuenſ. in prax. cap. 21. num. 4. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 41. num. 9. Camillus Borellus in ſumma deciſ. tom. 3. de ſponſal, & matrim. num. 919.*

Ratio ex eo deducitur primò, quia quamuis cauſa matrimonialis quoad ipſius conſtitutionem ſit maximè fauorabilis per ſuperius probata, quoad diſſolutionem tamen eſt maximè odioſa, &

Rationes euincentes intentum.

æquiparatur criminalibus *Decius conſ. 133. num 3. Coarnuias de ſponſ. ſecunda part. cap. 8. §. 12. num. 7. Menochius de arbitr. caſ. 205. num. 7. Iacobus Sbroz de Vicar. lib. 2. qu. 43 num. 10.* in cauſis autem criminalibus requiruntur probationes luce meridiana clariores, vt eſt in confeſſo apud omnes.

Secundò, quia vinculum coniugale eſt de iure diuino indiſſolubile per ſuperius probata, & quos Deus coniunxit non debet homo ſeparare, vnde merito *in cap. licet ex quadam in fin. de teſtib.* dicitur, quod tolerabilius eſt aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quod coniunctos legitimè contra ſtatuta Domini ſeparare, ſicque ad talem ſeparationẽ requiruntur concludentiſſimæ probationes, ne de facili contra ius diuinum, & contra ius acquiſitum matrimonio idem diſſoluatur. Nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi circa hanc aſſertionem, ſed quia de ijs erit ſermo in diſquiſitionibus ideo ijs ad illum locum reſeruatis ad vlteriora progredior.

---

## PRÆNOTIO XXXVII.

Expediuntur omnia, quæ ſpectant ad denuntiationes in matrimonio.

### *SVMMARIVM.*

*Diſpoſitio Tridentini circa denuntiationes. num. 1.*

*Denuntiationes non ſunt de ſubſtantia matrimonij. 2.*

*Denuntiationes regulariter facienda ſunt diebus feſtiuis. 3.*

*Quandoque tamen fieri poſſunt diebus ferialibus. 4.*

*Regulariter fieri debent intra miſſarum ſolemnia; confluente tamen populo poſſunt fieri, vel ad veſperas, vel alio diei tempore. 5.*

*Poſſunt fieri tribus duobus feſtiuis immediatè ſubſequentibus. 6.*

*Siſtendo in rigore iuris, & præciſa quacunque ſpecialis Eccleſiæ ordinatione eadem die, qua facta eſt vltima denuntiatio, poteſt celebrari matrimonium. 7.*

*Regulariter facienda ſunt denuntiationes tribus diebus feſtiuis continuis, ita vt non intermedient alij dies feſtiui. 8.*

*Non eſſet tamen grauis culpa, ſi aliquod intermediaret. Ibid.*

*Attenta actionis honeſtate, & conſuetudine denuntiationes facienda ſunt in Eccleſia, poſſunt tamen ex neceſſitate alibi fieri, vbi eſt concurſus populi. 9.*

*Et in Eccleſijs ſubordinatis Parochiali, ſi ibi adſit populi concurſus. 10.*

*Si contrahentes fuerint diuerſarum Parochiarum probabilius denuntiationes facienda ſunt in vtraque Parochia. 11.*

*Facienda ſunt in illa Parochia, in qua diutius contrahentes habitarunt. 12.*

*Denuntiationes facienda ſunt per Parochum contrahentium, vel alium de ipſius mandato. 13.*

*Ex conuenientia tenetur ſacerdotem eligere maximè, ſi facienda ſint in Eccleſia, non tamen ex neceſſitate. 14.*

*Epiſcopus, & Archiepiſcopus in ſuis reſpectiuè Diœceſibus poſſunt diſpenſare, vt denuntiationes omittantur. 15.*

*Etiam Vicarius Generalis eorundem etiam ſine ſpeciali delegatione. 16.*

*Nec Epiſcopus poteſt ſibi reſeruare illam facultatem priuatiuè ad Vicarium Generalem. 17.*

*Facultas diſpenſandi in huiuſmodi denuntiationibus eſt per Epiſcopum delegabilis non ſolum in caſu particulari, ſed etiam in genere. 18.*

*Poteſt delegari ad hoc munus alia perſona à ſacerdote. 19.*

*Quan-*

*Quando contrahentes ſunt diuerſæ Diœceſis requiritur vtriuſque Epiſcopi diſpenſatio.* 20.

*Ad diſpenſandum in denuntiationibus requiritur iuſta, & legitima cauſa.* 21.

*Non requiritur iuridica cognitio, ſed ſufficit extraiudicialis.* 22.

*Prima cauſa diſpenſandi eſt timor rationabilis malitioſi impedimenti matrimonij.* 23.

*Interueniente periculo malitioſi impedimenti poteſt Parochus, vel vnam tantum denuntiationem præmittere, vel immediatè aſſiſtere coram teſtibus.* 24.

*Tenetur tamen eaſdem denuntiationes poſtponere.* 25.

*Secunda cauſa diſpenſandi eſt nimius pudor propter diſparitatem inter contrahentes.* num. 26.

*Tertia vicinitas temporis, ad quod prohibentur nuptiæ.* 27.

*Quarta maxima contrahentium dignitas.* num. 28.

*Quinta ſcandalum, quod inde poſſet obuenire, & quomodo.* 29.

*Sexta notabile damnum, vel ſpirituale, vel temporale.* 30.

*In dubio, an ſit iuſta cauſa ſtandum eſt arbitrio Epiſcopi.* 31.

*Exiſtente iuſta cauſa, & expedit bono publico, vel priuato contrahentium tenetur Epiſcopus diſpenſare ſub pœna peccati.* 32.

*Huiuſmodi diſpenſationes interueniente iuſta cauſa ſunt faciendæ gratis, quantum eſt ex vi diſpenſationis.* 33.

*Poteſt tamen imponi mulcta pecuniaria in pœnam delicti.* 34.

*In caſibus, in quibus Epiſcopus diſpenſare tenetur, poſſunt omitti denuntiationes, non ſic in caſibus, in quibus non tenetur.* 35.

*In caſibus tamen, in quibus poſſunt omitti, recurrendum eſt ad Epiſcopum, ſi commode poſſit.* 36.

*In caſibus, in quibus Epiſcopus non tenetur diſpenſare, ſi deneget, probabilius eſt contrahentes non poſſe à negatione appellare.* 37.

*Poteſt tamen officium ſuperioris implorari.* num. 38.

*Epiſcopus, & ordinarius, antequam diſpenſat, debet ſumere informationes ſuper impedimentis.* 39.

*Iuxta maiorem, vel minorem qualitatem periculi, & cauſæ debet, vel aliquas tantum, vel omnes remittere denuntiationes.* 40.

*Item iuxta informationes poteſt, vel abſolutè remittere, vel poſtponere contractui.* Ibid.

*Si ordinarius tantum diſpenſauerit, vt poſtponantur, peccant lethaliter conſummando ante illas.* 41.

*Celebrato matrimonio ſine denuntiationibus ex grauiſſima cauſa, in qua non fuit acceſſus ad Epiſcopum, vel ipſe iniuſtè negauit conſumando, quandoque peccant contrahentes, quandoque non.* 42.

*In caſibus, in quibus Epiſcopus diſpenſauit, vt poſtponerentur præcisè, peccant lethaliter contrahentes, ſi præmiſſis duabus denuntiationibus ante tertiam conſumment.* 43.

*Conſummantes ante denuntiationes non ſolum peccant prima vice, ſed toties quoties conſummant.* 44.

*Factis denuntiationibus, ſi in aliqua parte impedimentum ſit notorium, ſiue proueniat ex delicto, ſiue ex alio capite conſcius illius tenetur illud manifeſtare.* 45.

*Si impedimentum fuerit occultum, & non proueniens ex delicto conſcius tenetur illud detegere.* 46.

*Si verò fuerit occultum, & proueniens ex delicto tenetur prius delinquentem monere, vt recedat à contractu, poſtea parentes, tandem tenetur deferre ad Eccleſiam.* 47.

*Si delictum illud noueris ſolum ex auditu alterius, & non recordetur, à quo, non tenetur deferre.* 48.

*Si verò audieris à perſona fide digna, cuius recordetur, tenetur deferre.* Ibid.

*Si noueris certo, nequeat tamen probare, tenetur deferre.* 49.

*Qui nouit impedimentum occultum etiam, ſi illud probare poſſit, non tenetur deferre cum ſui conſiderabili iactura.* 50.

*Conſcius impedimenti ſub ſecreto ſigilli naturalis, & fortè etiam vt vulgo dici ſolet confeſſionis non habita ſacramentali confeſſione probabilius tenetur impedimentum occultum deponere.* 51.

NON ſolum dicitur matrimonium clandeſtinum, ſi celebratur abſque aſſiſtentia Parochi, & teſtium, prout in præcedentibus prænotionibus aſſerebamus, ſed etiam, ſi fiat non præmiſſis à iure præſcriptis denuntiationibus, quæ non ſolum de iure antiquo communi obligabant, prout habetur *in cap. cum inhibitio de clandeſt. deſponſ.*, ſed fortius de præſenti vrgent ſtante *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. matrim.*, cuius diſpoſitionem, quia conducit ad plura in hoc genere diſſoluenda, placet per extenſum referre, quæ eſt tenoris, vt ſequitur. *Præcipit Sancta Sinodus, vt impoſterum antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter miſſarũ ſolemnia publicè denuntietur inter quos matrimonium ſit contrahendũ quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimũ opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonij in faciem Eccleſiæ procedatur* (& nonullis inter poſitis, quæ nõ faciunt ad rem præſentem ſubdit) *Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc, vel vna tantum*

1 Diſpoſitio Tridentini circa denuntiationes,

*denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deindè ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, vt ſi aliqua ſubſint impedimenta, facilius detegantur, niſi ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Sinodus reliquit.* Circa hanc diſpoſitionem innumeræ excitantur rationes dubitandi, quas maioris breuitatis, & claritatis gratia placet per varia, quæſita diſcutere.

Dubium primum.

Dubitatur primò, an huiuſmodi denuntiationes ſint de ſubſtantia matrimonij.

2 Denuntiationes non ſint de ſubſtantia matrimonij.

Reſpondeo negatiuè. *Roias in epit. ſucceſ. c. 2. n. 22., & ſeqq. Gutierez de iuram. conſ. prima part. c. 51. n. 25. Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. n. 86. Riccius in prax. for. Eccleſ. deciſ. 257. n. 6. Gratianus tom. 1. diſcep. c. 83. n. 7. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 5., & communitèr Theologi, & Canoniſtæ* aduerſus *Menochium conſ. 69. n. 30. lib. 1., & conſ. 398. lib. 4. Lupum de alleg., & nat. reſtit. lib. tom 4. §. 1. n. 33.*, qui ea mouentur ratione, quià Trid. eodem contextu præcipit denuntiationes, ac aſsiſtentiam Parochi, & teſtium, hanc autem præcipit ſub nullitate; ſecundò, quià illud decretum de denuntiationibus concipitur per ablatiuum abſolutum - Ibi - *quibus denuntiationibus factis* abſolutus autem ablatiuus importat conditionem *l. à teſtatore, ff. de condit., & demonſt.* conditio autem importat formam *l. qui hæredi, & l. mauius, ff. eod. tit* Nihilominus probatur primò reſponſio ex contextu verborum Concilij Tridentini, vbi duo præcipit, alterum circà denuntiationes, alterum circà aſſiſtentiam parochi, & teſtium; circà hoc apponit clauſulam irritantem, non circà illud, ergò quià voluit aſſiſtentiam parochi, & teſtium eſſe de ſubſtantia, non ſic denuntiationes. Conſequentia probatur, tùm quià, ſi Concilium voluiſſet irritationem circà vtrumque expreſſiſſet *arg. textus in c. inter corporalia poſt med. de translat. Epiſc., vel elect.*, tùm quià clauſula illa irritans eſt correctoria iuris communis, quæ eſt reſtringenda ad caſum, ſupra quem expreſſè cadit, non extendenda ſuprà id, ſuprà quod non cadit. Secundò, quià concilium Trident. in ordine ad id, quod diſponit circà denuntiationes non eſt correctiuum iuris antiqui *in d. c. cum inhibitio*, ſed confirmatiuum, prout colligitur ex verbis eiuſdem Trid. Ibi. *S. Lateranenſis Concil. ſub Innocentio III. celebrati veſtigijs inhærendo præcipit &c.*, ſed *in d. c. cum inhibitio*, quod eſt eiuſdem concil. Lateranenſis denuntiationes non præcipiebantur ſub nullitate, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergò &c. Tertiò, quià diſpenſatio ſuper eiſdem denuntiationibus remittitur iudicio, & arbitrio Epiſcopi, cuius arbitrio non remittitur diſpenſatio ſuper aſſiſtentia parochi, & teſtium, ergò &c. Ad illud, quod dicebatur ex aduerſo, ſcilicet præceptum de denuntiationibus importari per ablatiuum abſolutum, quod proptereà importet formam, & conditionem, dicendum eſt importare formam, & conditionem quoad licitum eſſe, non autem quoad eſſe validum, hoc eſt quoad ſubſtantialitèr requiſita ad validitatem matrimonij. Dici etiam poteſt, quod importet conditionem iam tacitè inexiſtentem, & proptereà nihil inducere ſuprà id, quod antecedentèr requirebatur; hoc autem erat ſolum ad licitum eſſe.

Concilium Trid. eaſdē non præcipit cum clauſula irritante.

Dubium ſecundum.

Dubitatur ſecundò. Quandonam ſint faciendæ denuntiationes, an in diebus tantum feſtiuis, an verò etiam fieri poſſint in ferialibus. Si ſiſtamus in rigoroſo ſenſu verborum, ſecundum quę conceptum eſt decretum Tridentini circà huiuſmodi denuntiationes, certum eſt non poſſe fieri, niſi in diebus feſtiuis, & non quomodocunqe in illis, ſed intrà miſſarum ſolemnia Ibi *tribus diebus feſtiuis continuis in Eccleſia intra miſſarum ſolemnia*; Si verò attendamus mentem concilij, & finem verborum videtur aliter aſſerendum.

3 Regularitèr faciendæ ſunt diebus feſtiuis

Reſpondeo tamen attento etiam fine verborum, & mente Concilij regularitèr huiuſmodi denuntiationes fieri nequeunt, niſi in diebus feſtiuis, quandòque tamen fieri poſſunt etiam in diebus ferialibus. Ita expreſſè ſentiunt *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 7. n. 6. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 6. nu.* 10. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià mens concilij, & cauſa finalis ſtatuti eiuſdem eſt, & fuit, vt matrimonium celebrandum innoteſceret populo congregato in Eccleſia, vt vnuſquiſque monitus impedimentum, ſi quod adeſſet, inter contrahentes poſſet detegere, ſed regularitèr populus in Eccleſia non reperitur congregatus, niſi in diebus feſtiuis præcipuè ad ſolemnitatem ſacri, quod per Parochum celebratur, ergò &c. Ratio ſecundæ partis ex eo euincitur, quià contingere poteſt, quod in aliquo die non feſtiuo magnus adſit in Eccleſia concurſus populi, vel quià adeſt dies vocationis eiuſdem Eccleſiæ, vel quià inſignis concionator ſermonem habet ad populum, vel quià in eadem Eccleſia primum ſacrum noui ſacerdotis celebratur, ſed tunc ſaluatur finis intentus ab eodem concilio, qui eſt, vt ad multorum notitiam matrimonium celebrandum perueniat, quo facilius impedimenta, ſi quæ ſunt, detegantur *Auguſt. Barboſa in remiſ. ad d. c. 1. ſeſſ. 24. n. 10., & de poteſtate Epiſcopi alleg. 32. nu. 15., & de offic. Parochi c. 21. n. 20. Paulus Laiman lib. 5. tract. 10. part. 2. c. 4. n. 10. Bonacina de matrim. q. 2. punct. 6. n. 18 Reginal. lib. 31. n. 227. Poſſeuinus de offic.*

4 Quandòq; tām fieri poſſunt diebus ferialibus, & quandò.

*curati*

Digitized by Google

*curati c.10. num. 12. Hurtadus de matrimon. diſp.5. diff.28. nu.61.* ergo &c. Neque obeſſe poteſt Sacræ Cong. Cardin. Concil. Trid. interprætum declaratio apud *Farinacium in declarat. ad c.1. ſeſſ.24., & apud Rebellium de oblig. iuſt. part. 2. in ſuis declarat. poſt lib. 4. num.19.*, cuius declarationis tenor eſt huiuſmodi *Epiſcopus ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ ſunt nuptiæ poteſt remittere aliquas denuntiationes ſecundum prudentiam ſuam, & iudicium, non tamen iubere, vt in diebus ferialibus fiant.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis, vt notat Ioannes Angelus Boſſius hoc procedit ſecundum legem ordinariam, ſecundum quam Epiſcopus non poteſt concedere, non ſecundum extraordinariam, ſecundum quam vrget neceſſitas. Deinde Sacra Congregatio id declarauit, quia ſupponit in diebus ferialibus non adeſſe populi frequentiam, quod non decreuiſſet, ſi ſuppoſuiſſet tantam adeſſe populi frequentiam, vt in diebus feſtiuis, prout ſupponitur in noſtra reſponſione ex prædllegatis cauſis.

5 *Regulariter fieri debent intra miſſarum ſolemnia, poſſunt tamen confluente populo fieri ad veſperas.*

Reſpondeo ſecundò, regulariter huiuſmodi denuntiationes fieri debere intra miſſarum ſolemnia, poſſe tamen cofluente populo fieri etiam ad veſperas, vel alio diei feſtiui tempore. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia regulariter, & vt plurimum tunc ſolet adeſſe maxima populi frequentia, vnde Tridentinum ad id reſpiciens iuxta normam cæterorum iurium, quod vt plurimum euenire ſolet, tale tempus determinatè præſcripſit. Secunda verò pars etiam ex eo facile liquet, quia cum finis Concilij fuerit, vt matrimonium celebrandum innoteſcat maiori parti populi, vt facilius impedimenta, ſi quæ ſunt, detegantur, vtique hic ſaluari poteſt, ſi alio eiuſdem diei feſtiui tempore huiuſmodi denuntiationes fiant, quo idem populi concurſus interueniat.

*Dubium tertium.*

Dubitatur tertiò, an huiuſmodi denuntiationes ex neceſſitate faciendæ ſint tribus diebus feſtiuis continuis. Sub hac dubitatione plures compræhenduntur difficultates examinandæ. Prima eſt, an, ſi fuerint tres dies feſtiui continui ſine vlla interruptione dierum ferialium poſſint valide in ijs fieri tres denuntiationes à Concil. præſcriptæ. Secunda, an eadem die poſt vltimam denuntiationem poſſit celebrari matrimonium. Tertia, an inter vnam, & alteram denuntiationem licitè interponi poſſint aliqui dies feſti.

6 *Poſſunt fieri tribus diebus feſtiuis immediatè ſubſequentibus.*

Reſpondeo primò ad primam ſufficere, ſi huiuſmodi denuntiationes fiant tribus diebus feſtiuis immediatè ſequentibus ſine interruptione dierum ferialium, puta in tribus diebus Pentecoſtes *Hurtadus de matrim. diſp.5. diff.19. num. 60.* contra communiorem DD. ſententiam. Ratio ex eo deducitur, quia per hoc ſaluantur verba adamuſſim eiuſdem Concil. Tridentini; verificatur enim, quod tribus diebus continuis feſtiuis fiant huiuſmodi denuntiationes; Neque dicas, quod non verificetur finis, ad quem tale decretum denuntiationum ordinatum eſt, hic etenim eſt, vt non ſolum matrimonium contrahendum innoteſcat maiori parti populi, ſed etiam, vt vnuſquiſque poſſit detegere impedimentum, ſi quod ineſt, quando autem denuntiationes ſibi ita immediatæ ſunt, non poteſt congruè ſuppetere tempus ad excogitanda, & detegenda huiuſmodi impedimenta, ad quod reſpexerunt *Concilium Prouinciale Colonienſe ſub Adulpho Archiepiſcopo tit. cenſura, & decreta lata pro abuſuum emendatione cap. 32. & Mogontinum ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo cap. 38.* dum ſtatuerunt debere aliquod dierum interuallum inter huiuſmodi denuntiationes intercedere; contra enim impugnaberis, quia cum trinæ denuntiationes pro tribus diſtinctis diebus ſint præſcriptæ, videtur ſufficienter conſultum fini eiuſdem Concilij cum pro illorum trium dierum interuallo potuerit vnuſquiſque cogitare, & etiam commodè deponere, ſi quod eſſet inter contrahentes impedimentum; nec aliquid contrarium euincunt prællegata concilia, quæ, dum præſcribunt illud interuallum, non præſcribunt tanquam de neceſſitate, ſed tanquam de conuenientia, & ad melius eſſe, non ad neceſſe eſſe; Deinde illa Concilia Prouincialia fuerunt antecedentèr ad Concil. Tridentinum, & ad ſummum obligant in illis prouincijs, & Diæceſibus, quæ ſubſunt eiſdem Concilijs. Vlterius euincitur reſponſio ex eo, quod huiuſmodi decretum Concil. Trident. ſuper denuntiationibus eſt correctorium iuris naturæ, ſecundum quod ſufficit vtriuſque contrahentis liber conſenſus, ergo eſt ſtrictè interprætandum, adeout non excedat formalem verborum ſignificationem, per quæ eſt conceptum. Tandem eandem reſponſionem euincit communis praxis, ſecundum, quam nemine diſceptante in his regionibus huiuſmodi denuntiationes occurrentibus tribus diebus feſtiuis ſibi immediatis fiunt in eiſdem.

*Concilia prouincialia non obſtant, nec poſſint obſtare, cum fuerint præcedentia.*

7 *Eadem die qua facta eſt vltima denũtiatio celebrari poteſt matrimonium*

Reſpondeo ſecundo ſiſtendo in rigore iuris, & præciſa quacunq; ordinatione, quæ poteſt eſſe, & quidem congruè, in ſpecialibus Eccleſijs, poteſt eadem die, qua facta eſt vltima denuntiatio, celebrari matrimonium, quamuis congruum eſſet expectare poſt aliquod temporis. Ratio ex eo deducitur, quia Concilium ipſum præſcribens huiuſmodi denuntiationes nullum ſtatuit tempus inter eaſdem, & matrimonium contrahendum. Ibi. *Quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum*

*num opponetur impedimentum ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur* vbi autē lex maximè correctoria iuris naturæ nil determinat, nec nos determinare debemus. Verum tamen eſt, quod non approbarem, vt immediatè poſt tertiam denuntiationem fieret matrimonium, ſed differretur vſq; ad veſperas eiuſdem diei. Dixi *præciſa quacunque ordinatione particularis Eccleſiæ*, nam alicubi ſtatutum eſt, vt diferatur matrimonium ad duos, vel tres dies poſt vltimam denuntiationem, vt in conſtitutionibus Mediolanenſibus *tit. de ſponſal. c. 13.*, & habetur *in actis Eccl. med. part. pr. tit. de his, quæ ad matrim. ſacram. pertinent, & part. 4. tit. de ſacram. matrim.*

8 Regulariter faciendæ ſunt denuntiationes tribus diebus feſtiuis cōtinuis, ita vt alij dies feſtiui nō intercedant.

Reſpondeo tertio. Regulariter faciendæ ſunt denuntiationes tribus diebus feſtiuis continuis, ita vt non intermedient alij dies feſtiui, non eſſet tamen grauis culpa, ſi per aliquod feſtum interrumperentur, dummodo non ſit talis diſtantia, vt ob magnum temporis interuallum contingere poſſit, vt Parochiani tardiores euadant ad deferenda impedimenta, & interim obliuiſcantur præcedentium denuntiationum. Ita in vniuerſum *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 7. num. 11.* Ratio primæ partis facile eluceſcit ex expreſſa diſpoſitione eiuſdem Concil. Trid. loc. cit. Ibi. *tribus continuis diebus feſtiuis.* Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia per illam modicam interruptionem non grauiter læditur eadem diſpoſitio, nec graue præiudicium infertur fini à lege Trid. intento; non primum, quia cum verſemur in iuribus poſitiuis ſicut paruitas materiæ excuſat, ita modicitas temporis non grauat; Non ſecundum, quia finis à Concilio intentus eſt, vt detegantur impedimenta, ſi quæ ſunt, & non impediantur conſcij impedimenti ob lapſum temporis, vel ob memoriæ labilitatem, vel ob quid aliud ad detegendum, ſed hæc obuenire moraliter nequeunt, quando modica mora interuenit, ergo &c. Ratio tertiæ partis ex eo deſumitur, quia vbi longum tempus intercedit læditur in re graui mens Concilij ſtatuentis fieri huiuſmodi denuntiationes per tres dies feſtiuos ſibi immediatè ſuccedentes, ſiquidem euenire poteſt ex obliuione, ne impedimenta detegantur, atq; ita ſentiunt *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 5. num. 8. Gutierez de matrim. c. 56. num. 3. circa finem Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. num. 13., & de off. Paroch. c. 21. n. 19. Coninchus de matrimon. diſp. 27. num. 47. Bonacina de matrim. q. 2. punct. 6. nu. 15.*

Ob interruptionem aliquā non læditur grauiter diſpoſitio Concilij.

Dubium quartum.

Dubitatur quarto, an denuntiationes neceſſario faciendæ ſint in Eccleſia, & quanam. Sub hoc dubio plures comprehenduntur difficultates examinandæ. Prima eſt, an huiuſmodi denuntiationes ex neceſſitate faciendæ ſint in Eccleſia, an vero poſſint fieri in alio loco, vbi confluit maximus populi numerus. Secunda, an faciendæ ſint in Eccleſia Parochiali tantum, an vero etiam in alia Eccleſia non Parochiali. Tertia, an ſi contrahentes fuerint diuerſæ Parochiæ, aut Diœceſis denuntiationes ex neceſſitate faciendæ ſint in vtraque Parochia. Quarta an fieri poſſint in Parochia paruæ habitationis contrahentium, an vero, vbi diutius habitant.

9 Fieri debēt in Eccleſia, ex neceſſitate tamen poſſunt alibi fieri.

Reſpondeo primo, attenta honeſtate actioniter, & conſuetudine huiuſmodi denuntiationes faciendas eſſe in Eccleſia; poſſe tamen ex neceſſitate alibi fieri, vbi concurſus maximus populi confluxerit. *Hoſtienſis in c. fin. ſuper verb. in Eccleſijs de clandeſt. deſp., & ibi Ioannes Andreas num. 5. Antonius num. 16. Ancharanus num. 15. Abbas num. 7. Alexander de Neuo num. 20. Præpoſitus nu. 7. Roſella verb. impedimentum 1. impedimento 1. num. 15. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 6. num. 9. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. cont. cap. 7. num. 13.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Concilium ita expreſſè præcipit, & conſuetudo ibi obtinuit. Ibi. *tribus diebus feſtiuis in Eccleſia intra miſſarum ſolemnia*, & vbique cernimus non niſi in Eccleſia huiuſmodi matrimonia celebranda promulgari, & quidem congruæ rationi huiuſmodi conſuetudo innititur, quandoquidem cum agatur de materia ſacramenti videtur locum ſacrum requirere, quantum commodè fieri poteſt. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia finis Eccleſiæ in tali præceptione eſt, & fuit, vt matrimonium contrahendum publice innoteſceret populo ad effectum, vt facilius impedimenta, ſi quæ ſubeſſent detegerentur, quod ſi determinatè in Eccleſijs fieri præceperit, hoc fuit quia, & ſtatus materiæ ita congruentius exigebat, & quia vt plurimum populus coaceruatim confluere ſolet ad Eccleſiam, ſed hic finis æque obtineri poteſt, quantumvis in alio loco ab Eccleſia, vbi maxima populi frequentia conuenerit, ergo &c. Neque obſtant, quæ ſuperius aſſerebantur honeſtatem ſcilicet actionis exigere locum ſacrum, adeoq; extra illum fieri non poſſe; Non obſtant, inquam, quia in fortioribus terminis eſt magis res ſacra, & honeſtior matrimonium, vtpote inuoluens rationem ſacramenti, quam ſit publicatio eiuſdem, & tamen illud nedum validè, ſed etiam licitè celebrari poteſt extra Eccleſiam. Rurſus alia etiam ſacramenta dignis de cauſis ſuſcipi poſſunt extra Eccleſiam, vt videre eſt in confeſſione ſacramentali, & huiuſmodi, ergo ex eo &c.

Saluatur finis Eccleſiæ.

Reſpondeo ſecundo. Non ſolum huiuſmodi denuntiationes poſſunt validè, & licitè fieri in Eccleſia Parochiali, ſed etiam 10

in

Digitized by Google

*Et in Eccleſijs ſubordinatis Parochiali ibi adſit concurſus.*

in alis Eccleſijs, vel eidem ſubordinatis, vel non ſubordinatis, ſi ibidem maxima populi frequentia pro eo tempore confluxerit. Conſentit *Bellarminus ad d. cap. 1. ſeſſ. 24. in obſeruat. verbo denuntietur, Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 7. num. 15.* Ratio in fortioribus terminis deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione; ſi enim congruè fieri poteſt extra Eccleſiam, vbi magnus populi numerus confluxerit, cur fieri non poterit in alia Eccleſia à Parochiali, vbi idem numerus interuenerit? Solum poteſt eſſe difficultas, an, ſi illa Eccleſia fuerit aliena, & non ſub poteſtate Parochi poſſit idem Parochus ibi denuntiationes facere irrequiſito rectore illius Eccleſiæ. Crediderim, licitè non poſſe, quia quamuis aſſiſtere matrimonio in aliena Parochia non ſit actus iuriſdictionis contentioſæ, cum fiat ſine ſtrepitu, & forma iudiciali per ſuperius dicta, illæ tamen denuntiationes propter publicitatem, quam præſeferunt, valde imitantur iuriſdictionem contentioſam, & de illo exercitio Parochus, ſeù Rector illius Eccleſiæ poteſt eſſe rationabiliter inuitus.

11 *Si fuerint diuerſarũ Parochiarũ faciendæ ſunt denuntiationes in vtraque Parochia.*

Reſpondeo tertiò. Si contrahentes fuerint diuerſarum Parochiarum probabilius eſt denuntiationes faciendas eſſe in vtraque parochia *Innocentius in d cap. fin. de clandeſt. deſponſ. in princip., & ibi Abbas num. 7. Segura in direct. ſecunda part. cap. 16. num. 19. Auguſt. Barboſa de officio Parochi cap. 21. num. 18. Vgolin. de poteſt. Epiſ. cap. 13. §. 11. num. 2. Sanchez diſp. 6. num. 4. Conincbus de matrim. diſp. 27. num. 46. Hurtadus diſp. 5. diffic. 8. num 60. Baſilius Pontius lib. 5. de matrimon. cap. 30. num. 4.*, & ita declaraſſe Sacram Congregationem Concilij refert *Farinacius in ſuis declarat. ad d. cap. 1. Trident. ſeſſ. 24 de reformatione matrim.* Ratio autem ex eo deſumitur, quia finis huiuſmodi denuntiationum eſt, & fuit, vt matrimonium contrahendum notum fieret notis contrahentium, vt ex illa notitia detegi poſſent impedimenta, ſi quæ ſubeſſent, ſed ad hunc finem non benè eſſet conſultum, ſi quando contrahentes ſunt diuerſarum Parochiarum denuntiationes fierent tantum in vna Parochia, quandoquidem non plenè innoteſceret notis omnium contrahentium, & reſpectu contrahentis vnius Pareciæ poſſunt innoteſcere impedimenta ſubditis illius Parochiæ, non ſubditis alterius, ergo &c. Non tamen hic libentèr acquieſcerem rationi, quam ad hoc firmandum adducit *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 7. num. 16.*, ſitam in eo, quod Concil. Trident. præcipiat denuntiationes fieri à Parocho contrahentium; Non, inquam libenter acquieſcerem, quia etiam idem Tridentinum præcipit, vt matrimonium fiat coram contrahentium Parocho, & tamen ex alibi dictis, & ſecundum id, quod ſentit idem Boſſius ſufficit, ſi Parochus vnius illos coniungat, ergo &c. Minus poſſum acquieſcere *Marco Antonio Cuco lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 29.* aſſerenti ſatis eſſe, ſi proclamationes fiant in ea Eccleſia, in qua matrimonium eſt contrahendum, pro cuius rei confirmatione adducit *Nauarrum in Manuali cap. 25. referentem* Sacram Congregationem Concilij ſic declaraſſe. Minus, inquam, poſſum acquieſcere, quia non video, quomodo ſaluari poſſit finis Concilij, nec de illa declaratione Sacræ Congregationis Concilij authenticè conſtat, & quando etiam conſtaret, ne teneremur aſſerere eandem contraria in eodem genere ſanxiſſe, deberemus interpretari, vt procedat in eo dumtaxat ſenſu, in quo vna Parochia ita parum diſtaret ab alia, & in vtraque viciſſim populi vtriuſque conuenirent, vt declamationes poſſent de facili omnibus innoteſcere, vt ſentit *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num. 18.*

Reſpondeo IV. Probabilius eſt denuntiationes faciendas eſt in ea parochia, in qua contrahentes diutius pro illo anno habitarunt, non in illa, in qua ex breui tempore moram trahunt *Innocentius in c. final. de clandeſt. deſponſ. Ioannes Lupus in tract. de matrim., & legit. part. 2. princip. nu. 8. Gutierez de matrimon. cap. 56. num. 6. Auguſtinus Barboſa de offic. Parochi cap. 21. nu. 18. Franciſcus Zippaus lib. 4. tit. de ſponſal. num. 13. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 6. num. 6. Diana tertia part. tract. 4. reſol. 235. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 7. num. 22. & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quia attento fine Concilij ibi denuntiationes faciendæ ſunt, vbi probabilius poſſunt innoteſcere impedimenta, & hac de cauſa *in cap. fin. de clandeſt. deſponſ.* quod Tridentinum innouauit, non correxit, præcipiuntur denuntiationes fieri in Eccleſia, vbi eſt parentum vtriuſque antiqua habitatio *Innocentius in d. cap. fin. de clandeſt. deſponſ. num. 1., & ibid. Ioannes Andreas num. 5. Cardin. num 3. verſ. quæro quid ſint, Ancharanus num. 16. Præpoſitus num. 7. verſ. ſed quia, Gregorius Lopez l. 1. verb. en la yglesia tit. 3. part. 4.*, ſed probabilius poſſunt innoteſcere impedimenta, vbi contrahentes pro maiori tempore habitarunt, non vbi pro breui moram trahunt, ergo &c. Neque hic audiendus eſt *Baſilius Pontius d. lib. 5. de matrimon. cap. 30. num. 5.* aſſerens, quod, cum Tridentinum dicat eas debere fieri à proprio parocho, intelligi debet de eo, in cuius parochia de facto degunt, cum ipſe ſit proprius Parochus, & alius, in cuius parochia ante degebant, deſierit eſſe talis reſpectu ipſorum; Non, inquam audiendus eſt, nam, vel Pontius loquitur de

12 *Faciendæ ſunt in illa Parochia, in qua diutius contrahentes habitarunt*

de ijs, qui in aliqua Parochia degunt pro paruo tempore cum animo tamen ibi non permanendi, & in hoc caſu non eſt ipſorum Parochus ille talis Parochiæ, nec in hoc ſenſu intelligendæ ſunt declarationes Sacræ Congregationis, quibus innititur ipſe Pontius, cum iſtæ loquantur de habitatione cum animo permanendi; vel loquitur de ijs, qui pro paruo tempore incipiunt habitare in aliqua parochia, cum animo ibi permanendi, & tunc dicendum eſt, quod parochus illius parochiæ ſit proprius ipſorum contrahentium in ordine ad aſſiſtendum, non autem in ordine ad denuntiationes, & hoc attento fine eiuſdem concilij, qui fuit ad detegenda impedimenta, ſi quæ fuerint inter contrahentes, ad quod requiritur notitia perſonarum, quæ ſupponitur in Parochia, in qua pro maiori tempore habitarunt, non in illa, in qua pro paruo tempore degunt. Hic poteſt deduci primò, quod in ea hypotheſi factis denuntiationibus in parochia, in qua pro diuturniori tempore contrahentes habitarunt non eſse neceſse eaſdem repeti in parochia paruæ habitationis, prout notant *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 6. n. 7. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. cont. c. 7. n. 23. Innocentius in d. c. fin. n. 2. de clandeſt. deſponſ., & ibi Ioannes Andreas n. 5. Antoninus n. 16.*, quià nullum ius hoc exigit, & nimium eſset multiplicare denuntiationes. Secundò, ſi contrahentes habeant duas Parochias, non eſſe neceſse, quod denuntiationes fiant in vtraque Parochia, ſed ſufficiat, quod fiant in qualibet earum, vbi ſufficienter ſint noti; congruentius tamen eſset in ea hypotheſi, ſi fierent in parochia, in qua celebrandum eſt matrimonium.

Nec eſt neceſſe repeti in parochia paruæ habitationis.

Dubium quintum.

Dubitatur V. A quonam faciendæ ſint huiuſmodi denuntiationes.

13 Denuntiationes faciendæ ſunt per parochum contrahentium, vel alium de ipſius mandato.

Reſpondeo faciendas eſse per Parochum contrahentium, vel per alium de ipſius licentia, vel mandato. *Manuel 1. tom ſumma in 2. edit. c. 217. n. 6. Sanchez de matrim lib. 3. diſp. 6. num 5. Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. c. 7. nu. 14. Coninchus de matrim diſp. 27. num. 47. Hurtadus diſp. 5. diff 8. n. 60.* Prima pars expreſsè colligitur ex verbis Trident. *in d. c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* - Ibi - *ter à Proprio contrahentium Parocho*, quod etiam videtur innui in Concil. Lateranenſi relato *in d. c. fin. de clandeſt. deſponſ.* Ibi - *cum matrimonia fuerint contrahenda in Eccleſijs per præsbiteros publicè proponantur &c.*, vbi communitèr DD per ly *Præbiteros* intelligunt proprios contrahentium parochos. Secunda pars facilè ex eo euincitur, quod Parochus poteſt alterum deputare qui nomine ſuo aſſiſtat matrimonijs ſuorum ſubditorum, vt patet ex eod. Concil. Tridentino, ergò etiam poterit alterum eligere, qui nomine ſuo habeat huiuſmodi denuntiationes: Conſequentia probatur, quià ſi poteſt id, quod maius eſt, delegare, cur non poterit id, quod minus eſt? Hoc idem euincit praxis alicubi obſeruata, ſecundum quam vel publica præconis voce emittuntur, vel per concionatores cócurrente ibidem, vel extante populo. Solum hic remanet difficultas, an teneatur ſolummodò Parochus ad huiuſmodi denuntiationes faciendas delegare ſacerdotem, an verò poſſit hanc prouinciam cuicunque voluerit demandare. Ratio dubitandi ex eo deſumitur primò, quià Concilium Tridentinum tribuens facultatem parocho delegandi alteri poſse aſſiſtere matrimonio illam facultatem reſtringit ad ſacerdotem; Concilium verò Lateranenſe abſolutè aſserit præsbiteros debere populo huiuſmodi matrimonia contrahenda proponere. Nihilominus ſentiendum eſt non teneri ſacerdotem ad huiuſmodi denuntiationes faciendas eligere, congruentius tamen eſse, maximè ſi faciendæ ſint in Eccleſia, eligere Eccleſiaſticum. Ratio ex eo deducitur, quià quamvis Concil. Trident. ſtatuat pro aſſiſtentia ſacerdotem, quandò non eſt parochus, pro denuntiationibus tamen nihil ſtatuit, nec ratio quæ exigit pro aſsiſtentia ſacerdotem, eundem exigit pro denuntiationibus, nam aſſiſtentia eſt actus auctoritatiuus, denuntiatio autem non eſt talis, vndè praxis alicubi obtinuit, vt fiant etiam publica præconis voce, vel per edituos, vt obſeruarunt Boſſius, & Sanchez.

An poſſit Parochus delegare non ſacerdotem.

14 Congruentius tenetur ſacerdotem eligere maximè, ſi ſint faciendæ in Eccleſia, non tamen ex neceſſitate.

Dubium ſextum.

Dubitatur VI. An huiuſmodi denuntiationes ſint diſpenſabiles, & omiſſibiles, & à quo. Difficultas non eſt de diſpenſatione huiuſmodi denuntiationum attento iure antiquo concil. Lateranenſis relato *in d. c. fin. de clandeſt. deſponſ.*, quandòquidem certum eſt, tunc non potuiſse ſuper his diſpenſari, niſi à Romano Pontifice, vel Concilio, non autem ab Epiſcopo, niſi ad ſummum in caſu vrgentis, & grauis neceſſitatis, prout docent *Paludanus in 4. diſt. 28 q. 2. art. 3. nu. 21. D. Antoninus 3. parte tit. 1. cap. 16. in fin. Nauarrus in ſumma c. 22. n. 70. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 5. n. 5. in comment lit. S.*, quià Epiſcopus nequit in lege Concilij generalis ſe ingerere, in eaque diſpenſare, cum talis facultas per idem Concilium eidem non ſit tradita. Dixi *niſi ad ſummum in caſu vrgentis, & grauis neceſſitatis*, quod præſumendum eſt ex præſumpta eiuſdem Concilij, ſeù Pontificis voluntate, vt videre eſt etiam in reſeruatis Romano Pontifici, in quibus vrgenti graui neceſſitate Epiſcopus abſoluit. Difficultas igitur ſtat attento iure nouo *Concil. Trid. in d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformatione matrimonij*, & quidem non in ordine ad poteſtatem Epiſcopi ſuper diſpenſatione, quandò-

Antiquitus non poterant diſpenſari ab Epiſcopo.

Non ſic in caſu vrgentis neceſſitatis.

Digitized by Google

quandòquidem in eodem textu concilij hæc facultas eidem expreſſe conceditur. Ibi *niſi ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædicta denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Sinodus reliquit*, ſed in ordine ad explicandum quiſnam veniat in d. textu nomine ordinarij, qui valeat diſpenſare.

15 Epiſcopus, & Archiepiſcopus in ſuis reſpectiuè regionibus poſſunt diſpenſare, vt omittantur denuntiationes.

Reſpondeo primo poſſe ex vi diſpoſitionis Concilij diſpenſare, vt omittantur huiuſmodi denuntiationes Epiſcopus, & Archiepiſcopus in ſuis reſpectiuè Diœceſibus. Ita communiter DD. *Caphalus conſ. 421. n. 29. lib. 3. Nauarrus conſ. 5. per totum tit. de ſponſalib. lib. 4. in prima edit. Menochius conſ. 69. num. 51. lib. 1., & de arbitrar. lib. 2. cent. 5. c. 453. num. 5.*, nec in hoc poteſt eſſe dubium, cum nemine diſceptante veniant nomine ordinarij, ſicque comprehenduntur in dicta diſpoſitione Concilij.

16 Etiam Vicarius generalis ipſorum etiam ſine ſpeciali delegatione.

Reſpondeo ſecundò. Vicarius generalis Epiſcopi, ſeù Archiepiſcopi ex vi officij ſui ſine ſpeciali delegatione Epiſcopi, ſeù Archiepiſcopi poteſt diſpenſare ſuper huiuſmodi denuntiationibus *Nauarrus d. conſ. 5. tit. de ſponſal. lib. 4. in prima edit. Segura in direct. I ud. 2. part. c. 16. nu. 3. Sbrozius de Vicario lib. 2. q. 43. n. 28., & ſeqq. Gutierez lib. 1. can. qq. c. 19. n. 13. Stephanus Gratian. tom. 1. diſcept. for. c. 83. n. 11. Coninchus diſp. 27. nu. 55. Bonacina de matrim. q. 2. punct. 6. nu. 7. Hurtadus diſp. 5. diffic. 19. nu. 6.* & alij magis communitèr, quidquid ex aduerſo dixerint *Franciſcus Molinus lib. 2. de ritu nupt. diff. 11. n. 69. Henriquez lib. 11. c. 5. nu 5. Baſilius Pontius lib. 5. c. 31. nu. 5. & ſeqq., & alij plures* apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrim. contract. c. 7. num. 50.*, vel moti declaratione ſacræ Congregationis aſſerente in hoc caſu nomine ordinarij non venire vicarium Epiſcopi, vel ex Concil. Tolet. anno Domini 1585. reſtringente hanc facultatem ad Epiſcopum, vel ex natura ipſa diſpenſationis, quæ ex genere ſuo non venit in generali commiſſione. Probatur iam reſponſio, quià vbicunque in Concilio Trident aliquid committitur ordinarijs, vel eorum fit mentio intelligitur etiam de Vicarijs Generalibus Epiſcop. ex eo, quod appellatione ordinarij veniat etiam Vicarius Epiſcopi *Gloſa in cap. 2. de offic. vicar. in 6. Coaruuias lib. 3 var. reſol. c. 20. nu. 4. Sbrozius de vicario lib. 2. q. 5.* Secundò ex ijs, quæ ſuprà docuimus ſcilicet Vicarium generalem Epiſcopi venire nomine ordinarij quoad validè aſſiſtendum matrimonijs, & alijs facultatem delegandi. Tertiò, quià vbi concilium Trident. excludere voluit Vicarium id expreſſit. Quamobrem ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt imprimis illam declarationem Sacræ Congregationis, ſi verè emanauit, non fuiſſe

Nomine ordinarij venit Vicarius generalis.

vſu receptam, ſicut nec Concil. Toletanū in ea parte, cum communis praxis, vbique locorum contrarium obtinuerit; adquem quod ſubditur de natura diſpenſationis dicendum eſt cum *Sanchez d. lib. 3. de matrimon. diſp. 7. n. 14.*, quod quamuis ex generali commiſſione Vicarius non poſſit diſpenſare in omnibus, in quibus poteſt Epiſcopus, poſſit tamen diſpenſare in ijs, quorum diſpenſationem ius committit ordinario. Solum hic remanet difficultas, an, ſi Epiſcopus ſibi reſeruauerit facultatem diſpenſandi ſuper huiuſmodi denuntiationibus, poſſit nihilominus Vicarius eiuſdem generalis diſpenſare. Negat *Sanchez d. lib. 3. diſp. 7. n. 13.* ea motus ratione, quod ſicuti poteſt Epiſcopus totum officium Vicarij reuocare, ita poſſit partem eiuſdem ſibi reſeruare. Nihilominus recolenda ſunt, quæ diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. I. prænot. 26. ſub aſſert. IV. verſ. hic duplex oritur difficultas;* conformiter ad quæ aſſerendum eſt non poſſe Epiſcopum ſibi reſeruare illam facultatem diſpenſandi priuatiuè quoad ipſius vicarium. Ratio eſt, quià ſuppoſita electione alicuius in vicarium iuriſdictio quoad ea, quæ ſunt ordinarij eidem Vicario competunt à iure, ſeù à canone per textum *in c. licet, & ibi omnes ſcribentes de Offic. Vicarij in 6.*, ſed in ijs, quæ vicario competunt à iure rato eodem manente non poteſt Epiſcopus eidem iriſdictionem auferre, ergò &c.

17 Nec Epiſcopus poteſt ſibi reſeruare illam facultatem priuatiuè ad Vicarium generalem.

Hic latè diſputant DD. an, & quandò Archiepiſcopus poſſit diſpenſare quoad huiuſmodi denuntiationes quoad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, item an legati, & nuntij in prouincia ſuæ legationis, item an prælati inferiores Epiſcopis habentes ſuum territorium, ſeù quaſi Diœceſim priuatiuè quoad Epiſcopos, item an capitulum, ſeù eius Vicarius ſede Vacante, item an Archipræsbiter Catedralis, & ArchiDiaconus, item an Vicarij foranei, ſed quià hæc omnia poſſunt diſſolui ad normam eorum, quæ diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. I prænot. 26. per totum*; ideò pro ſolutione ad eadem vos remitto.

Difficultates remiſſiuè.

18 Facultas diſpenſandi in huiuſmodi denuntiationibus eſt per Epiſcopum delegabilis.

Reſpondeo tertiò, facultas hæc diſpenſandi eſt delegabilis per Epiſcopum alteri ne dum in caſu particulari, ſed etiam in genere *Segura in direct. part. 2. c. 16. num. 3. Cauallos q. 604. num. 92., & 98. Gutierez de matrim. c. 56. n. 13. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 32. n. 36. Sanchez lib. 3. diſp. 7. n. 20. Hurtadus de matrim. diſp. 5. diffic. 19. nu. 64. & alij plures quos allegat, & ſequitur Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 7. num. 60.* Ratio quoad primam partem ex eo deducitur primo, quià talis facultas diſpenſandi in Epiſcopo in huiuſmodi denuntiationibus eſt ordinaria,

quandoquidem ex iuris priuilegio competit non perſonæ, ſed dignitati, & officio in perpetuum, vt notant *Suarez de cenſur. diſp.41. ſect. 2. num. 8. Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp.41. nu. 14. Antonius Fernandez, in medulla part.4. c.9. nu 1. Marius Alterius tom 1. de cenſuris lib.4 diſp. 3. c. 2. col.2., & 3. Siluester verb. abſolutio 4. q.6. dub. 2.*, ſed habens iuriſdictionem ex priuilegio iuris competentem non perſonæ, ſed perpetuo dignitati poteſt illam delegare, & per alium exercere per textum *in c. vlt. de offic. ordinarij iuncto Gloſa ibidem. Sicut ex officio vel priuilegio dignitatis ſua competit abſoluere aliumue iuriſdictionis actum exercere poteſt id etiam per alium facere* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in tali conceſſione facta per Tridentinum Epiſcopis electa fuerit induſtria perſonæ eiuſdem Epiſcopi, quod colligitur ex verbis eiuſdem Concilij. Ibi. *Quod illius prudentia, & iudicio Sancta Sinodus relinquit*; quæ autem committuntur arbitrio prudentiæ, & iudicio, hoc eſt diſcretiori alicuius perſonalia ſunt, & transferri non poſſunt in alium per textum *in c. ne inuitaris de conſtit. Bartolus in l. à Iudice ff. de iudicijs Menochius de arbitr. iud. lib. 1. q. 54. num. 2., & 3.*, quæ præcipuè verificantur in grauibus, & arduis *DD, in l. 1. ff. de offic. eius, & in l. more maiorum ff. de iuriſd omn. Iud.*, diſpenſare autem in huiuſmodi denuntiationibus eſt res grauis, & ardua, vtpote quæ concernit matrimonium; Non, inquam, obeſſe poteſt primo, quia, vt aſſerebam, hæc facultas non eſt annexa perſonæ, ſed dignitati, & officio in perpetuum; Secundo, quia vniuerſalitèr verum non eſt, quod ea, quæ committuntur perſonæ in dignitate conſtitutæ in perpetuum, & pro futuris temporibus ſucceſſiuè reſpiciant præciſè induſtriam perſonæ; nam hoc ſolum verificatur, quando tale munus committitur certæ, & determinatæ perſonæ cognitæ, ſecus quando perſonæ incognitæ, & indeterminatæ, vt prælatis præſentibus, & futuris *Siluester verb. delegatus n 11. Hoſtienſis c. literas de reſtit. ſpol. Menochius de arbitr. lib.1 q.64. n.17.* Secundo ſecunda pars ex eo euincitur, quia habens poteſtatem ordinariam non ſolum poteſt eandem delegare in caſu particulari, ſed etiam in omni caſu hoc eſt in genere, vt eſt in confeſſo apud omnes. Hic ſolummodo oritur difficultas, an talis facultas ſit delegabilis cuicunque perſonæ, an vero ſolummodo ſacerdoti. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod facultas aſſiſtendi ex diſpoſitione Concilij non eſt delegabilis alteri à ſacerdote, ergo nec facultas diſpenſandi circa denuntiationes. Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo, hanc facultatem in Epiſcopo diſpenſandi non reſtringi præciſè ad ſacerdotem. Ratio ex eo deducitur, quia nec natura talis muneris exigit illam qualitatem, nec iuris diſpoſitio; non primum, quia munus ad quod fieret delegatio non eſt actus ordinis; non ſecundum, quia nullibi reperitur iuris diſpoſitio coarctans talem facultatem ad ſolum ſacerdotium; ex quo patet diſcrimen, quod intercedit inter hoc munus delegatum diſpenſandi, & munus delegatum aſſiſtendi, quia ſcilicet hoc ex diſpoſitione iuris eſt alligatum ſacerdotio. Confirmatur, quia Vicario generali Epiſcopi ex ſuperius dictis competit, hoc munus diſpenſandi, & tamen Vicarius Generalis poteſt non eſſe ſacerdos, ergo hoc munus diſpenſandi non eſt ex genere ſuo alligatum ſacerdotio.

Hæc facultas non eſt annexa perſonæ, ſed dignitati.

An ſit delegabilis ſolũ ſacerdoti, an vero alteri cuicunq;

19 Hæc facultas delegãdi non reſtringitur ſolum ad ſacerdotẽ.

Dubitatur VII. An quando contrahentes ſunt duplicis Diæceſis munus diſpenſandi ſuper denuntiationes ſpectet ad Epiſcopum vtrumq; Diæceſis diuerſæ, an vero ad alterum tantum, & ad quemnam illorum. Videtur abſolutè dicendum, ſi diſpenſatio fiat ab altero tantum Epiſcopo contrahentis vnius ſufficere, nec requiri, quod fiat ab vtroque. Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia ſicuti ratione connexionis, quæ inducitur in contrahentibus ſufficit quando contrahentes ſunt diuerſæ Parochiæ, quod Parochus vnius aſſiſtat, ita ratione eiuſdem connexionis videtur ſufficere, quando ſunt diuerſarum Diçceſum, quod Epiſcopus vnius diſpenſet, cum vterque ratione eiuſdem connexionis fiat ſubditus Epiſcopi diſpenſantis, atque ita expreſſè ſentit *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.7. num.39.*, qui pro ſe citat *Gutierez, Sanchez, Coninchum, Hurtadum*, Nihilominus.

Dubium ſeptimum.

Sententia aſſerens ſufficere vnius tantum Epiſcopi diſpenſationem.

Reſpondeo probabilius eſſe non ſufficere vnius Epiſcopi diſpenſationem, ſed requiri vtriuſq; Ita ſentire videtur licet hæſitantèr *Baſilius Pontius lib. 5. de matrimon. c. 31. num. 9.* Ratio ex eo deducitur primo, quia quando contrahentes ſunt diuerſarum Parochiarum, ſeù Diæceſum denuntiationes ſunt faciendæ in vtraque Parochia, ſeù Diæceſi, vt ſupra probauimus, & ſuſtinet acritèr idem *Ioannes Angelus Boſſius d.c. 9. nu.17. & Sanchez d.lib.3. diſp.6. num.4.* ergo, & diſpenſatio ſuper eiſdem denuntiationibus fieri debet ab vtroq; contrahentiũ Epiſcopo, nec ſufficit, quod fiat ab altero tantum, Conſequentia probatur, quia in tantum denuntiationes fieri debent in vtraque Parochia, ſeù Diæceſi, in quantum poteſt contingere, quod impedimenta in vna innoteſcant, & non in altera, ſed ex hoc eodem capite euincitur, quod diſpenſatio debeat fieri ab vtroque Epiſcopo, nam quod neceſſario faciendum eſt in vtraque Parochia indiget relaxatione in vtraque, ſi licitè omittatur, & Parochus vnius Diæceſis non dependet à diſpen-

20 Requiritur vtriuſq; Epiſcopi diſpenſatio

Digitized by Google

penſationibus Epiſcopi alterius Diœceſis. Secundò, quia, quando Epiſcopus diſpenſat ſuper denuntiationibus onus transfunditur, in eundem Epiſcopum diligenter inquirendi de impedimentis, ſi quæ fuerint inter contrahentes, vt innuimus ſupra, & infrà latè videbimus; Sed Epiſcopus vnius Diœceſis, quando contrahentes ſunt diuerſarum Diœceſum, non poteſt inquirere in aliena Diœceſi ſuper huiuſmodi impedimentis, nam ſubditi alterius Diœceſis non tenentur eidem obtemperare, ergo &c. Ad id, quod ex aduerſo dicebatur, dicendum eſt diſparem omninò eſſe rationem de aſſiſtentia matrimonij, ac de denuntiationibus, nam in primis matrimonium reſpicit præcisè contrahentes, qui ratione connexionis ſubduntur alteri Parocho, denuntiationes autem reſpiciunt alias perſonas, quæ propter notitiam contrahentium poſſunt habere nota impedimenta, ſi quæ interceſſerint inter contrahentes, adeoque ad illas debet fieri denuntiatio, quæ, cum ſint in diuerſis Diœceſibus, exigunt fieri, ibi ſunt. Deindè aſſiſtentia Parochi eſt in ordine, vt matrimonium initum iuridicè innoteſcat Eccleſiæ, quod haberi poteſt per parochum vnius, cum teſtibus à iure requiſitis, denuntiationes verò ſunt, vt innoteſcant impedimenta, quantum fieri poteſt, quomodo autem poſſunt innoteſcere, ſi non denuntietur matrimonium contrahendum, vbi alter contrahens habitat?

Denuntiationes reſpiciunt alias perſonas à contrahentibus.

Dubium octauum.

Dubitatur VIII. An requiratur iuſta, & legitima cauſa, & iudicialis eiuſdem cognitio, vt Epiſcopus ſuper denuntiationibus diſpenſat.

21 Requiritur iuſta, & legitima cauſa.

Reſpondeo primò, ad diſpenſandum requiri iuſtam, & legitimam cauſam. *Nauarrus in manual cap. 22. num. 70. & 85. Segura in direct. 2. part. cap. 16. nu. 17. Menochius de arbitrar lib. 2. cent. 5. caſ. 453. num. 5. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 32. num. 38. Baſilius Pontius de matrim. lib. 5. cap. 32. num. 1. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 8. num. 1. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. cont. cap. 7. num. 64., & alij magis communiter.* Ratio ex eo deducitur, quod Concilium Trident. non liberè remittit voluntati Epiſcopi remittere huiuſmodi denuntiationes, ſed ipſius iuditio, & prudentiæ, ſed remiſſio ad arbitrium, & prudentiam appellat iuditium prudentiale, & ratione regulatum, quod non poteſt eſſe ſine iuſtà, & legitima cauſa, prout docent *Menochius conſ. 69. num. 62. & 63. vol. 1.* ergo &c.

22 Non requiritur iuridica cognitio cauſæ, ſed ſufficit extraiudicialis.

Reſpondeo ſecundò, non eſſe neceſſarium iuridicè cognoſci ſuper huiuſmodi iuſtam cauſam diſpenſandi, ſed ſufficere extraiudicialem cognitionem eiuſdem. *Gutierez de matrim. cap. 57. num. 2. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 32. num. 39. Sanchez de matrim lib. 3. diſp. 8. num 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 7. num 67.* Ratio ex eo deducitur, quia dum Concilium Trident. remittit huiuſmodi diſpenſationem arbitrio, & prudentiæ Epiſcopi remittit eiuſdem conſcientiæ, nam vt benè docet *D. Thomas prima part. qu. 79. art. 13. ad primum* iudicium, & conſcientia idem ſunt, cum vtrumque ſit mentis dictamen, ſed quando aliquid remittitur conſcientiæ alicuius non eſt neceſſaria iuridica cognitio *arg. textus, & Gloſa in cap. ſtatutum verb. relinquatur de reſcriptis in 6. & in cap. fin. de voto, & cap. niſi cum pridem de renunt. ad fin., & cap. fin. de hæred. in 6., Phylippus Francus in d. cap. ſtatutum de reſcript. in 6. Ioannes Andræas in cap. 2. num. 2. de iure iurand., & ibi Ancharanus num. 4. notab. 4. Caualcanus prima part. deciſ. 22. num. 40., & deciſ. 46. num. 420.* Confirmatur ex communi omnium Eccleſiarum praxi, in quibus obſeruatur, vt ſine iudiciali cognitione fiat remiſſio denuntiationum. Plura argumenta congerunt DD. aduerſus hanc noſtram reſponſionem, ſed omnia facilè poſſunt diſſolui, ſi aduertatur Epiſcopis committi eorum conſcientias onerando; cæterum omnia vide diſſoluta ſimul, & propoſita apud *Sanchez d. lib. 3. diſp. 8. in princip., & in fine.*

Hoc ſuadet praxis recepta in Eccleſia.

Dubium nonum.

Dubitatur IX. Quænam ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi ſuper huiuſmodi denuntiationibus. Facilè dubio propoſito poſſemus reſpondere aſſerentes, quod ſicuti Concilium Tridentinum remiſit eiſdem Epiſcopis, ſeù eorum arbitrio, & prudentiæ remittere huiuſmodi denuntiationes, ita eorum arbitrio implicitè remiſerit iudicium, quænam ſint iuſtæ, & legitimæ cauſæ, Nihilominus nonnullas placet in particulari aſſignare cauſas, quas latè recenſent *Sotus in quarto diſt. 28. quæſt. 1 art. 2. Nauarrus in manuali cap. 22. num. 75., & alij innumeri*, quos citat *Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. c. 7. nu. 71.*

23 Timor rationabilis malitioſi impedimenti.

Prima eſt timor rationabilis malitioſi impedimenti matrimonij contrahendi. Hæc cauſa expreſſa ponitur ab eodem Concil. Trident. *d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* vbi ſic legitur. *Quod, ſi aliquando probabilis ſit ſuſpicio matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes tunc, vel vna tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem coram Parocho, & duobus, vel tribus* &c. Circa hanc cauſam maxima oritur inter DD. difficultas, an tunc poſſit Parochus diſpenſatione nulla Epiſcopi interueniente, vel vnam tantum præmittere denuntiationem, vel vrgente cauſa immediatè aſſiſtere coram teſtibus matrimonio contrahendo. Sentio abſolutè, poſſe vel vnam tantum denuntiationem in eo caſu præmittere, vel, ſi ita iudicauerit neceſſarium,

24



Digitized by Google

Exiſtente rationabili timore poteſt Parochus ex ſe, vel vnã tantum denuntiationem præmittere, vel immediate aſſiſtere.

rium, immediatè aſſiſtere coram teſtibus *Veracruχ append. ad ſpecul.dub.1.prop.3., & 4. Albornoz lib. 4. de arte contract. tit.1. Viualdus in candel.1. part.de matrim.num 243. Vega lib 6. ſumma cap. 112., & lib.3.caſ.211., Petrus de Ledeſma de matrim. qu. 45. art.5. circa tertium punctum dub.1. Metinalib. 1. ſummæ cap.16. §.13. fol.231 col.2.* Expreſsè colligitur ex contextu verborum *eiuſdem Concil.Trident.d.cap.1. ſeſſ 24.*, vbi interueniente huiuſmodi cauſa nulla facta mentione diſpenſationis ordinarij definit, vel præmiſſa tantum vna diſpenſatione, vel immediatè coram parocho, & teſtibus deueniendũ eſſe ad matrimonium. Ibi *tunc, vel vna tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur.* Quod, ſi deindè ſubdatur *Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, vt, ſi aliqua ſubſint impedimenta, facilius detegantur, niſi ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur, &c.* hæc verba non referuntur ad factum, ſed ad quid faciendum ſit poſt celebratum contractum, vnde ſolummodo eſt in arbitrio Epiſcopi remittere denuntiationes faciendas poſt matrimonium initum, cum de hoc ſolum diſponat Concilium, non autem de præcedentibus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, quod ante Tridentinum Parochus non poterat diſpenſare in denuntiationibus, vt videntur omnes concedere, adeoque, nec poſt illud videatur poſſe, quandoquidem Tridentinum non correxit in hac parte ius antiquum Lateranenſis Concilij, ſed potius confirmauit, dum dixit *Sacri Concilij Lateranenſis veſtigijs inhærendo*. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quidquid ſit de potentia diſpenſandi ante Tridentinum, nam tunc etiam multi in caſu vrgentis neceſſitatis, & periculi non denegabant parochum poſſe omittere denuntiationes, adhuc non militat ratio poſt idem Tridentinum, nam etiam antecedenter per ſuperius probata, nec poterat ordinarius diſpenſare, & tamen nunc poteſt ex ſpeciali indulto eiuſdem Concilij; hoc autem indultum etiam reſpectu parochi in caſu ſuſpicionis malitioſi impedimenti ſatis colligitur ex eo, quod Concilium eidem tribuat facultatem nulla facta mentione Epiſcopi, cuius tantum poteſtatem requirit circa denuntiationes omittendas, vel non omittendas poſt celebratum matrimonium ante conſummationem, vnde etiam ſequitur, quod hic caſus non poſſit dici omiſſus. Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi dicatur, quod illa dictio *Deinde* ſit continuatiua præcedentium, & integram clauſulam ab illis verbis *Quod, ſi aliquando &c.* perficiat, potiſſimum cum clauſula in fine poſita referatur ad omnia præcedentia per textum *in l. talis ſcriptura §. fin. ff. de legat. 1.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia gratis omninò dicitur, quod illa dictio *Deinde* ſit continuatiua præcedentium maximè in hypotheſi, de qua loquimur, quia potius diſcontinuat ea, quæ facta ſunt ab ijs, quæ ſunt facienda, nec ſemper verum eſt, quod clauſula in fine poſita referatur ad omnia præcedentia, & potiſſimum, quando non militat eadem ratio in ſubſequentibus, quæ militat in præcedentibus, vt in caſu noſtro, in quo contracto matrimonio ceſsat ſuſpicio malitioſi impedimenti, & ſic tunc poſſunt haberi denuntiationes, vel omitti ad arbitrium Epiſcopi, ante contractum autem eadem ſuſpicio maximè militat, & proinde &c.

25 Tenetur tamen poſtponere denuntiationes.

Vbi tamen commodè adiri poſſet Epiſcopus eſſet adeundus.

Aduerterem tamen, quod, ſi commode adiri poſset ordinarius, & ab eo obtineri diſpenſatio, non poſset Parochus ipſe diſpenſare, & præmittere vnam dumtaxat denuntiationem, vel immediate aſſiſtere coram teſtibus. Ratio limitationis ex eo deducitur, quia in tantum concilium in hac parte derogat iuri communi, in quantum obuiare intendit illi periculo malitioſi impedimenti, nec aliter in hoc diſponeret, ergo, ſi commode obuiari poſſit per recurſum ad ordinarium, non erit, cur pro diſpenſatione ad illum non ſit recurrendum.

26 Nimius pudor propter diſparitatem.

Secunda cauſa eſt nimius pudor, quo ſuffunderentur contrahentes propter diſparitatem inter ipſos intercedentem, vt, ſi ſenex ducere intendat iuuenculam, nobilis ignobilem, honeſtus inhoneſtam, & turpem, diues pauperem *Paludanus in 4. diſt.28.qu.2.art.3.concl.1.num 19. D. Antoninus tertia part.tit.1. cap.16 in fin. Sotus in 4. diſt.28 quæſt.1. art.2.verſ. de bannis, Silueſter verbo matrimonium 6 qu.7.dict.2 Nauarrus in ſumma cap.22.nu.70.*, & alij plures apud *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp.9. num. 3.*, vel propter vitium concubinatus, quod interceſſit inter coniuges futuros ob idem motiuum pudoris *Paludanus, D. Antoninus, Silueſter ſupra allegati, & vlterius, Roſella verb. impedimentum impedimento 1. num.11. Sanchez loc.cit.num.5.*

27 Vicinitas temporis ad quod prohibentur nuptiæ

Tertia cauſa eſt vicinitas temporis, ad quod prohibētur nuptiæ, ſeù ſolemnes benedictiones *Henriquez lib. 11. de matrimon. c.16.num.2.*, & ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trident. interdretum apud *Bellarminum, & Farinacium in declarat. ad d. c.1. Trident ſeſs.24. de reformat.matrim., & apud Rebellium poſt lib.4. ſecunda partis in declarat. num. 17.* in hæc verba *Epiſcopus ob vicinitatem temporis, quo prohibita ſunt nuptiæ omittere poteſt aliquas denuntiationes ſecundum prudentiam ſuam, & iudicium*. Ratio autem huius cauſæ ex eo deducitur, quia ex vna parte non expedit differre matrimonium cum periculo forni-

Digitized by Google

fornicationis; ex alio conuenit nuptias benedici ante conſummationem.

28 Maxima contrahentium dignitas.

Quarta cauſa eſt maxima perſonarum contrahentium dignitas, inter quas non poteſt eſſe præſumptio impedimenti occulti *Paludanus in 4. diſt. 28. q. 2. art. 3. concl. 2. num. 20. Capua lib. 2. deciſ. c. 85. num. 3. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 56. §. circa prædictam doctrinam Vega lib. 3. ſumma caſ.* 211., & iam mos obtinuit, vt huiuſmodi Principum matrimonia non denuntientur.

29 Scandalum quod inde poſſet obuenire, & quomodo.

Quinta cauſa eſt ſcandalum, quod inde obuenire poteſt, quando matrimonium aliquod eſt publicè, & in faciem Eccleſiæ celebratum, & poſtea ex impedimento occulto eſt ex diſpenſatione renouandum *Nauarrus in Manual. c. 16. nu. 37., & conſ. 1. de ſponſalib. in pr. edit. Bellarminus ad d. c. 1. ſeſſ. 24. in pr. addit. n. 8. Sanchez d. lib. 3 diſp. 9. nu. 9. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract c. 7. num.* 86.

30 Notabile damnũ, vel ſpirituale, vel tẽporale, & quomodo.

Sexta cauſa eſt notabile damnum temporale, vel ſpirituale euitandum, quod contingeret primo, quando quis in articulo mortis conſtitutus vellet ducere concubinam ad legitimandam prolem, vel, vt in bono ſtatu decedat *Nauarrus in man. c. 16. num. 37. Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 8. Cauallos q. 604. num* 107. Secundo, quando Virginis deflorator ad reparandum damnum vellet eam ducere, & eſſet periculum mutationis voluntatis eiuſdem in dilatione *Segura in direct. 2. part. c. 16. num. 16. Cauallos d. q. 604. num.* 111. *Sanchez, & Boſſius loc. cit.* Tertio quando in aliquo caſu repentino concubinarij eſſent plectendi; vellentq; contrahere vt poſſent dicere ſe eſſe coniuges *Sanchez d. lib. 3. diſp. 9 num 16. Filliutius tom 1. tract. 10. c. 5. num* 178. Quarto quando eſt periculum fornicationis inter contrahere volentes, vt ſi duo concubinarij velint contrahere, & ſit periculum, quod commiſceantur, dum emittuntur huiuſmodi denuntiationes *Zippaus lib. 4. tit. de ſponſal., & matrim. num.* 11. Verum tamen eſt, quod alicubi ad euertendum huiuſmodi periculum iniunctæ ſunt graues pœnæ aduerſus ſponſos ſe cõmiſcentes, antequam matrimonium per verba de præſenti contrahatur. Quinto vbi timeantur grauia damna ob aliquam præuiſam factionem *Sanchez lib. 3. diſp. 9. num. 18. Bartolomeus de Ledeſma dub. 2. de matrimon. Vega lib. 3. ſumma caſ.* 211.

Quomodo huiuſmodi damna ex denũtiationibus poſſunt obuenire.

Alias plures cauſas enumerat *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 9.* per totum, ad quem vos remitto. Hoc vnum addendum exiſtimo, quod in dubio, an ſit iuſta cauſa diſpenſandi, nec ne, ſtandum ſit arbitrio Epiſcopi, qui penſatis omnibus pro ſui prudentia, & cum dictamine rationis iuxtà facti contingentiam iudicet. Cæterum de ijs erit etiam ſermo in diſquiſitionibus.

31 In dubio an ſit iuſta cauſa ſtandum eſt arbitrio Epiſcopi.

Dubium decimum.

Dubitatur X. An vbi adeſt iuſta cauſa diſpenſandi teneatur circa huiuſmodi denuntiationes diſpenſare, & an hoc debeat præſtare gratis, & quid ſi iniuſtè deneget diſpenſationem.

32 Exiſtente graui cauſa tenetur diſpenſare ſub pœna peccati.

Reſpondeo primo, teneri ſub pœna peccati diſpenſare, quotieſcunq; expedit ob bonum publicum, & negatio cederet in graue damnum, vel ſpirituale, vel temporale contrahentium, vt ſi adeſſet ſuſpicio malitioſi impedimenti, vel ſequatur ſcandalum, vel infamia *Gutierez de matrim. c. 57. num. 4., & ſeqq. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 51. Sanchez lib. 3. diſp. 10. num. 6. Bonacina de matrimon. q. 2. punct. 6. num 7. Zippaus lib. 4. tit. de matrim., & ſponſal. num. 11. verſ., & exiſtente cauſa Filliutius tom 1. tract. 10. c. 5. num* 179. quotieſcunque vero non expedit bono publico, nec vllum periculum timetur animæ, vel corporis ſub nulla pœna tenetur diſpenſare *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contr. c. 7. num.* 104. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Epiſcopus ex vi proprij muneris tenetur cõſulere bono cõmuni, & priuato ſuorum ſubditorũ, illorumque periculis obuiare, quandoquidem poteſtas diſpenſandi eſt tradita prælatis in ordine ad bonũ publicũ, & ſuorũ ſubditorũ ergo non diſpenſando, vbi neceſſitas boni publici, vel priuati vrget peccabit. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia non quidquid poteſtati Iudicis permittitur, id iuris neceſſitati obijcitur *l. quidquid* 40. *ff. de iudicijs Gloſa c. conſuluit verbo gratiam de offic. deleg.* Confirmatur ex eo, quia recta ratio non exigit, vt ius commune diſpenſatione aut relaxatione rumpatur, quando ipſa relaxatio non proficit nocabilitèr.

33 Sunt faciendæ gratis quantum eſt ex vi diſpenſationis.

Reſpondeo ſecundò, diſpenſationes huiuſmodi, ſiuè in cauſis concernentibus bonum publicum, & damnum tùm ſpirituale, tùm temporale coniungendorum euitandum, ſiuè in alijs, vt in ſecunda parte præcedentis reſponſionis faciendæ ſunt gratis ſine certa mulcta, quantum eſt ex vi diſpenſationis *Sanchez d. lib. 3. diſp. 10. n. 8. Filliutius tom. 1. tract. 10. c. 5. n. 180. Ioannes Angelus Boſſius c. 7. nu.* 105. Ratio ex eo deducitur, quià Tridentinum *in alleg. c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrimonij* indulget Epiſcopo poſſe diſpenſare interueniente legitima cauſa, non autem commutare in aliud opus pecuniarium, vel quid ſimile, ergò &c. Antecedens patet ex ipſis verbis Trident. Conſequentia etiam liquet; Neque dicas, quod ſi poteſt diſpenſare à fortiori poſſit commutare, quià minus eſt commutare, quam diſpenſare, ſiquidem diſpenſatio tollit obligationem in totum, commutatio autem in aliud transfert; contra enim impugnaberis, quià vt benè notat *Sanchez d. lib. 3. diſp. 10. n. 9.* plus eſt in

In materia legis plus eſt commutare, quam diſpenſare.

Digitized by Google

In materia legis plus eſt commutare, quam diſpenſare. in materia legis commutare, quam diſpenſare, quandòquidem per diſpenſationem ſolum legis vinculum tollitur, per commutationem autem non ſolum legis vinculum tollitur, ſed nouum imponitur, quod non poteſt inferior eo, qui talem legem tulit; nec in hoc currit paritas de commutatione voti, in quo plus eſt diſpenſare, quam commutare, quandòquidem diſpenſando tollitur vinculum voti, commutando autem non tollitur, ſed manet idem votum in materia commutata, & vouens poteſt ex ſe votum in melius commutare, non tamen obligationem legis. Confirmatur, quià *Concil. Trident cap. 18. ſeſſ. 25. de reformat.* præcipit diſpenſationem gratis omninò faciendam eſſe.

34 Poteſt imponi mulcta in pœnam delicti. Dixi, *quantum eſt ex vi diſpenſationis*; Non enim negauerim, quod in delicti pœnitentiam poſſit ordinarius aliquam pecuniariam mulctam imponere, vt v. gr., ſi petatur diſpenſatio eo, quod præcedens concubinatus, vel virginis defloratio præberet cauſam diſpenſandi, tunc etenim non ob diſpenſationem, ſed quaſi ob pœnam delicti poſſe onus imponere aliquod, vel in beneficium eccleſiæ, vel pauperum aſſerunt *Sanchez d. diſp. 10. n. 10., & Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*

35 In ijs caſibus, in quibus tenetur Epiſcopus diſpenſare poſſunt omitti denuntiationes, non ſic in caſibus, in quibus non tenetur. Reſpondeo tertiò. In ijs caſibus, in quibus Epiſcopus iuxtà prędicta tenetur diſpenſare, & iniuſtè denegat diſpenſationem poſſunt omitti denuntiationes, & celebrari matrimonium, non ſic in caſibus, in quibus non tenetur diſpenſare. Quoad primam partem *Gutierez de matrim. c. 57. n. 4., & 5 Barboſa de poteſt. Epiſcop alleg. 32. num 51., & ſeqq. Zippaus lib. 4. tit. de matrimon., & ſponſal. n. 11. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 32 n. 6. Sanchez de matrim. d lib. 3. diſp. 10. n. 26. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 7. n. 108.* Quoad ſecundam *Silueſter verb. matrimonium 2. qu. 17. dict. 3. Sotus in 4. diſt 28 q. 1. art. 3. poſt concluſionem tertiam verſ. ex his primum colligitur, Sanchez, loc. cit. n 30., & Boſſius num 112.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià licentia debita, & legitimè petita, ſi iniuſtè, & irrationabilitèr denegetur, habetur pro conceſſa *Sotus in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. verſ. ex his primum colligitur, Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. de matrim. c. 39. §. ex prædictis corrolariè, Petrus de Ledeſma de matrim q. 45. art. 5. punct. 1. dub. 2. concl. 3.* Secundò, quià quotieſcunque legis obſeruantia eſt notabilitèr nociua per Epicheiam, ſeù benignam interpretationem ceſſat eiuſdem legis obligatio *D. Thomas 2. 2. q. 120. art. 2., & 1. 2. q. 66. art. 6. Ioannes Vallerus de diff. inter vtrumque forum verb. interpretatio diff. 1.*, denegata autem diſpenſatione ſupponitur difficilis obſeruantia, quandòquidem in hac hypotheſi vrget periculum damni, ſiuè ſpiritualis, ſiuè temporalis, adeoque &c.

36 In hoc tamen caſu, in quo poſſunt omitti, recurrendum eſt ad Epiſcopū, ſi commodè poſſit. Circa hanc primam partem oritur modo difficultas, an in caſibus, in quibus Ordinarius tenetur diſpenſare ob imminentia illa pericula, poſſint denuntiationes omitti non requiſita diſpenſatione ab eodem ordinario, quamuis fuerit proximus acceſſus, & facilis ad eundem, & diſpenſatio fuiſſet ſine obſtaculo concedenda. Probabilius eſt, recurrendum eſſe in ea ſuppoſitione ad ſuperiorem pro diſpenſatione; nam Epicheia tantum admittitur, quandò vrget neceſſitas, cui alitèr occurri non poteſt, quandò autem commodè per ſuperioris recurſum ſubueniri poteſt, non habet locum. Addo, quod interpretari legem per Epicheiam in foro iudiciali, vbi commodè recurri poteſt ad ſuperiorem abſque periculo in mora, ſpectat ad ſolum Principem, non ad priuatos prout probat *D. Thomas prim. ſecunda. q. 96. num 6.*, & habetur in textu *in l. 1. C. de leg.*, ergò &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià in illa hypotheſi non militat illa ratio vrgentis neceſſitatis, & Epicheiæ, cum in illa expectare tempus denuntiationis non afferat notabile detrimentum temporale, vel ſpirituale, ergò &c.

An negate Epiſcopo in caſibus, in quibus non tenetur diſpenſare detur appellatio ad ſuperiorē. Hic ſuboritur alia difficultas, an in hac hypotheſi, ſecundum quam Epiſcopus denegaret diſpenſationem, quam non tenetur concedere, poſſint contrahere volentes appellare ab iniuſta illa negatione ad ſuperiorem Epiſcopi. Difficultas deſumitur ex verbis Tridentini, ſecundum quę committit arbitrio, & conſcientiæ ordinarij remiſſionem huiuſmodi denuntiationum, quæ autem remittuntur arbitrio, & conſcientiæ alicuius, an ſint appellabilia, nec ne, maximum eſt diſſidium inter DD. deſumpto fundamento ex duabus gloſis, quæ videntur ſibi extremè oppoſitæ, nam in primis *gloſa in c. ſtatutum §. atteſtatorem verbo relinquitur de reſcriptis in 6.* aſſerit ab ijs, quæ remittuntur alicuius conſcientiæ non admitti appellationem; Gloſa verò *in clementin. poteſt verbo oneramus de iure patronatus* admittit expreſſè appellationem. Varios modos conciliandi huiuſmodi gloſas adducit *Sanchez d lib. 3. diſp. 10. num. 12., & ſeqq.* ad quem vos remitto. Interim moneo non poſſe in hoc difficultatem propoſitam habere locum, quandò diſpenſatio eſt debita, & ordinarius tenetur denuntiationes remittere, quandòquidem iuxtà ſuperius dicta in eo caſu ordinario iniuſtè negante diſpenſationem poſſunt licitè omitti denuntiationes, & matrimonium celebrari; ad quid igitur in hac hypotheſi recurrere ad ſuperiorem Ordinarij per viam appellationis? Nec in hoc percipio, quo-

Digitized by Google

quomodo *Sanchez*, qui *d. diſp.* 10. *num.* 6. docuit contradicente Epiſcopo omitti poſſe liberè denuntiationes in caſibus, in quibus tenetur diſpenſare, & modo *d. diſp.* 10. *nu.* 21. aſſerat, quod ſi talis adſit cauſa, vt teneatur diſpenſare admittatur quidem appellatio quoad deuolutiuum non quoad ſuſpenſiuum; Si enim per Epicheiam, & benignam iuris interpretationem ceſſat obligatio legis, ad quid interponere appellationem? Quamobrem reducendo

37 Probabilius eſt contrahentes non poſſe appellare.

caſum ad terminos, in quibus Ordinarius non poteſt cogi ad diſpenſandum aſſero, ſi diſpenſationem neget non poſſe contrahentes propriè à tali negatione appellare *Baldus in l. quicunque n. 17. verſ. 4. caſu C. de ſeru. fugit. Felinus c. ſuper his n. 12. verſ. quinto limita de accuſat.* Ratio ex eo deducitur, quià in hoc caſu ordinarius denegans diſpenſationem nullam committit iniuſtitiam, nec propriè grauat contrahentes *Felinus in d. c. ſuper his nu. 13. verſ. 6. limita, Marant de ordin. iudic. 6 part. tit., & quandoque appellatur n. 365.* Neque dicas, quod iniuſtitiam committat per acceptionem perſonarum, quandòquidem cum vno diſpenſat, & non cum altero, & ſic ab hac iniuſtitia poſſit appellare; contrà enim impugnaberis, quià acceptio perſonarum eſt, quandò quid conceditur ſine iuſta cauſa, vndè fit, quod ſemper ex iuſta cauſa debeat concedi, non autem quod ſemper debeat concedi, quando eſt iuſta cauſa.

38 Poteſt tamen officiũ ſuperioris implorari.

Quamuis autem in huiuſmodi caſibus ab ordinario iniuſtè negante propriè non detur appellatio, poteſt tamèn in hoc caſu officium ſuperioris implorari, vt ex officio, & miſericordia diſpenſet, aut faciat, vt inferior diſpenſet, & per hoc optimè conciliari poſſunt gloſæ ſupra allegatæ inter ſe diſcordes, ità vt prima negans dari appellationem procedat de rigore iuſtitiæ, & de appellatione propriè ſumpta; ſecunda verò procedat per viam ſupplicationis miſericordiæ, & ex gratia *Baldus c. ſi ſacerdos n. 2. de offic. ordin. Dominicus c. ſtatutum §. aſſeſſorem n. 5. de reſcript. in 6., & ibi, Francus n. 6. Immolal. ab executore in fin. princip. ff. de appellat. Iaſon in inſtit. de act. § ſed iſta num. 136. Gloſa c. cum conſtitueretur verbo detrahendum diſt. 50. ArchiDiaconus c. licet canon de elect. in 6. ad fin. num. 6. verſ. poſſis diſpenſatio.*

Dubium vndecimũ.

Dubitatur XI. An, quandò ordinarius ex aliqua ex prædictis cauſis diſpenſat ſuper denuntiationibus teneatur antecedentèr informationes ſumere, an ſubſit impedimentum, & decernere, an ſint remittendæ omnes denuntiationes, an aliqua tantum.

39 Epiſcopus antequam remittat denuntiationes debet informationes ſumere ſuper impedimentis.

Reſpondeo primò, Epiſcopum, ſeù ordinarium; antequam remittat denuntiationes debere ſumere informationes, an aliqua inter contrahere volentes ſubſint impedimenta *Paludanus in 4. diſt. 28. q. 2. art. 3. concl. 2. num. 20. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 20. Gutierez de matrim. c. 57. n. 3. Sanchez d. lib. 3. diſp. 9. n. 20., & alij magis communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quià, quantumuis Concil. Tridentinum ex iuſta cauſa relinquat ordinario remittere, vel in toto, vel in parte denuntiationes, non remittit præcisè arbitrio eiuſdem, & libertati, ſed prudentiæ, & conſcientiæ, quæ importat rectum rationis dictamen, ità vt ex vna parte conſulat indemnitati contrahentium per illius facultatis conceſſionem, ex alia quantum fieri poſſit, caueat ne impediti coniungantur, ergò ad prudentèr conſulendum, ne contra iuris ordinem coniungantur debet aliquas informationes præcedentèr aſſumere.

40 Iuxtà qualitatem periculi, & cauſæ poteſt, vel omnes, vel aliquas tantum remittere.

Reſpondeo ſecundo iuxtà maiorem, vel minorem qualitatem periculi poteſt, & debet, vel aliquas tantum, vel omnes remittere denuntiationes attenta etiam cauſa ob quam remittit; Item iuxta informationes poteſt, vel abſolutè remittere, vel tantum poſtponere celebrationi contractus. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià Concilium Tridentinum intantum permiſit ordinarijs huiuſmodi diſpenſationes, quæ antecedentèr ad ipſum non erant permiſſæ, in quantum voluit conſulere neceſſitati contrahentium, non tamen per hoc intelligitur voluiſſe exponere contrahentes periculo inualidè contrahendi ex aliquo impedimento, ſi inter ipſos interceſſerit, ergò iuxta periculi qualitatem, & cauſę debet vel omnes, vel aliquas tantum denuntiationes Epiſcopus, cuius prudentiæ hoc munus diſpenſandi remiſſum eſt, remittere; ſi etenim vna tantum præmiſſa denuntiatione non metuantur illa damna, quæ timeri poſſint ex pluribus, & illa habita ceſſare poſſit periculum impedimenti, non eſt, cur de illa non debeat diſponere, vt præmittatur, ſi verò ex illa etiam timeantur illa damna, & ferè nullum ſit periculum impedimenti, non eſt, cur illam etiam non poſſit remittere.

Item iuxtà informationes poteſt, vel abſoluto remittere, vel poſtponere.

Ratio ſecundæ partis ex ſimili fere ratione poteſt deduci; nam ſi cauſa, ob quam fit huiuſmodi denuntiatio, militet ſolummodò ante contractum, vtique non debet abſolutè remittere, ſed tantum poſtponere, ſi verò etiam militat poſt contractum poteſt abſolutè remittere, in quo tamen caſu debet ſtrictiores aſſumere informationes, ne impediti coniungantur.

Dubium duodecimum.

Dubitatur XII. An omiſſis ex iuſta cauſa denuntiationibus peccent contrahentes, ſi conſumment matrimonium antequam illæ præmittantur, & an toties peccent quoties copulantur ante illas, an prima vice tantum, In hypotheſi, qua

per

per ordinarium diſpenſaturo fuerit ſimplicitèr ſuper huiuſmodi denuntiationibus ipſas abſolutè remittendo nulli dubium eſt non peccare contrahentes, ſi poſt contractum matrimonium illis non præhabitis conſumment, qnod ex verbis expreſſis Concil. Trident. colligitur *in d. c. 1. ſeſſ. 24.* - Ibi - *Niſi ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædicta denuntiationes remittantur, quod illius prudentia, & iudicio Sancta Sinodus reliquit*, nec ex hoc timeri poteſt aliquod periculum, quandòquidem iuxta ſuperius dicta ſupponitur, quod idem ordinarius ſic remitttendo aſſumpſerit congruas, & competentes informationis de non exiſtentia impedimenti.

Difficultas eſt, quandò denuntiationes ſunt poſtponendæ, non abſolutè omittendæ.

Difficultas igitur ſolum reducitur ad hæc; primò, an ſi ordinarius non abſolutè remiſerit huiuſmodi denuntiationes, ſed ſolum diſpenſarit, vt prçmittatur eiſdem matrimonium, ijdem contrahentes peccent læthalitèr, ſi ijſdem non præhabitis conſumment matrimonium; ſecundò, an quandò vrgente aliqua cauſa damni, vel temporalis, vel ſpiritualis, in qua non ſit facilis aditus ad Epiſcopum, vel hic iniuſtè petitionem neget, celebratur contractus ſine diſpenſatione, ijdem contrahentes peccent conſummando non præmiſsis eiſdem denuntiationibus. Tertiò, an peccent læthalitèr, quandò præmiſſis duabus denuntiationibus in prædictis caſibus non expectata tertia conſummant. Quartò, an peccent tantum conſummando prima vice non præmiſſis denuntiationibus, an verò toties, quoties.

41 Peccant læthalitèr contrahentes conſumantes ante denuntiationes, quãdò ſunt poſtponendæ.

Reſpondeo primò. Si ordinarius non abſolutè remiſerit huiuſmodi denuntiationes, ſed tantum diſpenſauerit, ne matrimonio præmittantur, peccant mortalitèr contrahentes conſummando matrimonium ante illas *Nauarrus in ſumma c. 16. num. 38., & c. 22. num 68. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 45. art. 5. verſ. ſed adhuc eſt dubium Reginaldus lib 31. nu. 237. Fillіutius tom. 1. tract. 10 n. 123. Laiman lib. 5. tract. 10. part. 2 c. 4. n. 11. Bonacina de matrimon q. 2. punct. 6. n. 8 Diana part. 3. tract. 4. reſol. 241. Sanchez de matrimon lib 3. diſp. 11. nu. 2. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 8. n. 6.* Probatur primò, quià contrahere matrimonium ſine præuijs denuntiationibus à Concil. Trident præfinitis, & ſine diſpenſatione non vrgente aliqua graui cauſa eſt peccaminoſum læthalitèr per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, & admittunt communitèr DD. cum ſit præceptum transgredi in re grauiſſima, ergò etiam matrimonium conſummare eiſdem non præmiſſis, quandò diſpenſatum eſt ſolummodò, ne præmittantur matrimonio, ſed poſtponantur, erit peccatum læthale. Conſequentia probatur, quià eodem modo Concilium Tridentinum præcipit præmitti denuntiationes ante contractum matrimonium ſine diſpenſatione, quo præcipit, ſi poſtmittantur ex diſpenſatione, vt præmittantur conſummationi, vt legenti textum ſit manifeſtum, ergò ſicuti in primo caſu committitur peccatum læthale, ità & in ſecundò. Secundò ſic euincitur, quià ideo prohibetur celebrari matrimonium non præmiſſis denuntiationibus, quià contrahentes exponuntur periculo fornicationis, ſi quod eſset inter ipſos impedimentum, ſed hoc idem inconueniens ſequitur, ſi non præmittantur eædem denuntiationes conſummationi eiuſdem matrimonij, ergò &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſseratur, quod hic finis fornicationis vitandæ poſſit omiſſis etiam denuntiationibus ante conſummationem haberi per ſufficientem diligentiam ad dignoſcendum, an eſset aliquod impedimentum dirimens, ergò eadem adhibita non erit peccatum lęthale conſummare. Proptèr hanc rationem nonnulli ex præ allegatis DD., & pręcipuè *Petrus de Ledeſma loc. cit.* limitarunt reſponſionem, ita vt non procedat in hoc caſu. Non, inquam, obeſse poteſt, quià ſicuti non ſufficit præhabita diligentia ad matrimonij contractum, niſi præmittantur denuntiationes à Concil. præſcriptæ, quandò non interuenit diſpenſatio, proptèr hanc rationem, quod eccleſia pręſcripſit ſpecialem modum cognoſcendi ſuper huiuſmodi impedimentis, à quo non licet recedere ex ſpeciali libertate contrahentium, cum eccleſia ipſa poſſit velle cognoſcere; ità non videtur eadem pręuia diligentia ſufficere ad conſummationem, cum etiam eccleſia eundem ſpecialem modum præſcripſerit; à quo contrahentes non poſſunt ex propria libertate recedere.

Peccant, quià exponuntur periculo fornicationis, & faciunt contrà pręſcriptum Eccleſiæ.

42 Celebrato matrimonio ſine denuntiationib⁹ ex grauiſſima cauſa, ob quam non fuit acceſſus ad Epiſcopum.

Vel eodē iniuſtè denegante, conſummando quandoq; peccant, quandoq; non.

Reſpondeo ſecundò. Si matrimonium contractum fuerit ſine diſpenſatione vrgente graui neceſſitate, cum acceſsus ad ordinarium eſse non poſset, vel ordinarius ipſe iniuſtè negauerit diſpenſationem, contrahentes, quandòque peccant conſummando ante denuntiationes, quandoq; non, ſemper tamen adhibendam eſſe congruam diligentiam ad dignoſcendum, an intercedat aliquod impedimentum dirimens, nec ne. Ratio ex eo deſumitur, quia quandoque ratio, quæ eximit ab onere denuntiationum ante contractum matrimonium militat quoque eodem contracto ſi denuntiationes haberentur ante conſummationem, quandoque vero ratio, quæ militat ante contractum non militat poſt contractum ante conſummationem, ergo quandoque denuntiationes ſi omittantur ante conſummationem inducunt noxam læthalem, quandoque non

Aſſignatur in particulari, quandonã peccent, & quãdo nõ.

non inducunt. Antecedens probatur diſcurrendo per aliquas cauſas, quæ eximunt ab onere denuntiationum, & primo in cauſa periculi malitioſi impedimenti ratio, quæ eximit ab onere denuntiationum ante contractum, non eximit poſt contractum ante conſummationem, quandoquidem contracto matrimonio non amplius poteſt diſſolui; Secundo in cauſa periculi, quo duo concubinarij pro tempore denuntiationum commiſceantur carnalitèr ſicuti ratio talis periculi eoſdem eximit ab onerem denuntiationum ante contractum, ita etiam eximit poſt contractum ante conſummationem, quandoquidem idem periculum ſemper viget, & ſic diſcurrendo per omnes prææallegatas cauſas conijcies, quandonam vrgeat ratio denuntiationum ſub peccato, & quandonam non vrgeat. Conſequentia item primi argumenti probatur, quia ſicuti vrgente tali neceſſitate non peccant contrahendo, ita ſi eadem vrgeat, nec peccare poſſunt conſummando, vel ſi non vrgeat, peccant. Confirmatur, quia ſi Epiſcopus abſolute remitteret denuntiationes non peccarent contrahentes, nec contrahendo, nec conſummando ſine illis, ſi vero non remitteret abſolutè, ſed tantum iuxta exigentiam cauſæ permitteret poſtponendas peccarẽt conſummando ſine illis iuxta ſuperius dicta, ergo etiam ſi Epiſcopus non remittat, ſed vrgente neceſſitate contrahatur matrimonium ſine denuntiationibus, ſi eadem neceſſitas vrgeat quoad conſummationem, quæ vrgebat quoad contractum, non peccabũt conſumando, ſi vero illa neceſſitas non vrgeat, peccabunt. Conſequentia probatur, quia id præſtat neceſſitas, quod efficit Epiſcopus diſpenſando.

43 Reſpondeo tertio. In quibus ordinarius diſpenſauit, non vt remitterentur abſolutè denuntiationes, ſed poſtponerentur matrimonio celebrato non eximerentur à culpa læthali contrahentes, ſi duabus emiſſis denuntiationibus ante tertiam matrimonium cõſummarent *Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. c. 8. num. 5. Baſilius Pontius de matrimon. lib. 5. cap. 30. num. 3.* aduerſus *Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 5. num. 7. VeraCrucem append. ad ſpecul. dub. 1. concl. 5. Petrum de Ledeſma de matrim. q. 45. art. 5. punct. 3. dub. 1 concl. 3., & alios recentiores* apud *Ioannem Angelum Boſſium loc. cit. nu. 4.* Ratio ex eo deducitur primo, quia contrahere matrimonium ſine diſpenſatione præmiſſis duabus tantum denuntiationibus eſt peccatum læthale, ſiquidem eſt contra decretum præceptiuum Tridentini, & contra finem ab eodem intentum, vt quantum fieri poſſit detegantur impedimenta, ſi quæ fuerint, ergo etiam erit peccaminoſum læthalitèr poſita diſpenſatione præcisè, vt poſtponantur ad matrimonium, ſi duabus dumtaxat præmiſſis idem conſummetur ante tertiam, quandoquidem eadem militat ratio, nec diſpenſatio tollit diſpoſitionem iuris Concilij, ſed ſolum poſtponit. Secundo, quia, ſi Parochus ex ſuo arbitratu vnam ex proclamationibus omittat, eſt graui pæna multandus, ergo, quia talis omiſſio eſt ex genere ſuo grauis, cæteroqui incongrue contra talem omiſſionem imponeretur illa grauis pæna.

In caſibus in quibus Epiſcopus diſpẽſauit vt poſt ponerẽtur nõ eximuntur à culpa lethali ſi premiſſis duabus denunciationibus ante tertiã conſũment

44 Reſpondeo quarto. In caſibus, in quibus præmittendæ ſunt denuntiationes ad conſummationẽ coniuges conſummando ante illas non ſolum peccant prima vice, ſed etiam toties, & quoties conſummant. *Gutierez de matrimon. c. 56. num. 4., & c. 75. num. 9. Filliutius tom. 1. tract. 10. cap. 5. n. 173. Reginald. lib. 31. nu. 223. Egidius Coninchus de ſacram. diſp. 27. num 51. Bonacina de matrim. q. 2. punct. 6. nu. 7. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 8. num. 7. in fin.* aduerſus *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 16. num. 1.* Ratio ex eo deducitur, quia præceptum non contrahendi matrimonium ante denuntiationes, ſicuti non conſummandi ante illas, quando ex digna cauſa per diſpenſationem ſunt poſtpoſitæ, eſt præceptum negatiuum, quod obligat ſemper, & ad ſemper, ergo illud tranſgrediendo toties, & quoties per tranſgreſſionem peccabitur. Confirmatur, quia eadem militat ratio prohibitionis quoad primam vicem, ac quoad ſubſequentes, quæ eſt, ne committatur peccatum fornicationis, ſi quod adeſſet impedimentum inter tales coniuges, æquè autem ſubeſt periculum fornicationis non præmiſſis denuntiationibus per conſummationem primam, ac per ſecundam, & ſubſequentes; Neque hic audiendus eſt Henriquez, & alij, qui aſſerunt ex eo, quod matrimonium prima vice ſit conſummatum habere coniuges plenam poteſtatem, & vſum corporis, adeoque non peccare ſucceſſiuè conſummando, vel ex eo, quod, cum conſummando prima vice violarint præceptum Eccleſiæ, non poſſint amplius reſarcire, ea proportionali ratione, qua violato ſemel præcepto ieiunij, cum non poſſit amplius reſarciri, non peccant violantes, ſi ſucceſſiuè eadem die comedant: Non, inquam, audiendi ſunt, quia ad illud, quod aſſerunt de plena poteſtate in corpora verum eſt quoad ſubſtantiam, ſi nullum adſit impedimentum, quia vero iuxta formam ab Eccleſia præſcriptam non conſtat de non exiſtentia impedimenti, ideo cum ſemper ſubſit periculum impedimenti, ſemper peccant conſummando, cum ſemper vigeat motiuum, ex quo Eccleſia prohibet conſummationem: Ad illud vero, quod dicitur de præcepto ieiunij prima

Conſũmantes ante denũtiationes non ſolũ peccant prima vice, ſed etiã toties, quoties cõſummant.

Præceptũ non conſũmandi ante denũtiationes eſt negatiuum.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

vice violato facile reſpondebis, ſi aduertas illud eſſe præceptum iuris poſitiui, quod non obligat ſemper, & ad ſemper, ſicuti pro die Ieiunij obligat præceptum non edendi carnes, quod vtpote negatiuum pro ſemper obligat. & toties quis peccat, quoties pro illa die edit carnes; Cum igitur etiam præceptum, de quo loquimur, ſit negatiuum, ideo &c.

Dubium decimum tertium, & articuli circa ipſum examinandi.

Dubitatur XIII. An ex vi denuntiationum præmiſſarum iuxta formam Concilij conſcij alicuius impedimenti inter contrahere volentes teneantur illud denuntiare, ſeu manifeſtare. Conſidera, an impedimentum ſit aliqua in parte notorium, an vero occultum, ita vt quemcunque lateat præter aliquam determinatam perſonam; ſecundo an, ſi ſit occultum proueniat ex delicto, an ex aliquo alio capite, puta ex conſanguinitate, vel affinitate. Tertio, quomodo conſcius illius impedimenti illud nouerit, an ſub ſigillo naturali, an vero ſub ſigillo confeſſionis ſine ſacramentali confeſſione.

45 Factis denũtiationibus, ſi in aliqua parte notoriũ ſit ſiue proueniat ex delicto, ſiue ex alio capite conſcius illius tenetur illud manifeſtare.

Reſpondeo primo, ſi impedimentum ſit in aliqua parte notorium puta per famam ſiuè proueniat ex delicto, ſiue ex alio capite conſcius illius tenetur illud aperire. In hanc opinionem propendere exiſtimo *Paludanum in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. c. 9. n. 27. Priedo lib. 2. de libert. Chriſtiana c. 7. ferè in initio §. aliud eſt ſcire Coaruuiam 4 decret. 2. part. c. 6. §. 10. num. 21. Gutierez lib. 1. qq. can. c. 11. num. 27. & ſeqq. Maſcardum de probat concl. 1035. nu. 7. Lazarium de monit. ſect. 2. q. 12. num. 13. Auguſtinum Barboſam de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num 25., & alleg. 96. num. 51. in fin. Fagundez de quinque precept. precept. 2. lib. 6. cap. 5 num. 4. Laiman. lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 4. num 9.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte Tridentinum obligat ad manifeſtandum, ex alia nulla eſt cauſa eximens ab onere manifeſtationis, ergo conſcius impedimenti ſaltem ex fama notorij tenetur poſitis denuntiationibus illud manifeſtare. Antecedens quoad primam partem facile ex eo liquet, quod Concilium fruſtrà proponeret præceptum denuntiationum ad detegenda impedimenta, ſi conſcius eorundem non teneretur eadem propullare, præceptum etenim denuntiationum eſt correllatiuũ ad vnus reuelationũ; quoad ſecundam partem ex eo euincitur, quia ſi quæ eſſet ratio eximens ab onere reuelationis maximè ea eſſet, quando impedimentum oriretur ex delicto, quia conſurgeret aliqua infamia contrahenti, qui deliquit, ſed hæc ratio in præſenti hypotheſi non ſubſiſtit, quandoquidem vltra exiſtentiam delicti verè, & realiter commiſſi ſupponitur fama de eodem, ergo &c.

46 Si fuerit occultũ, et nõ proueniẽs ex delicto conſcius tenetur illud detegere.

Reſpondeo ſecundo. Si impedimentum fuerit occultum, & non proueniens ex delicto tenetur conſcius eiuſdem immediatè poſitis denuntiationibus illud detegere, ſi vero illud proueniat ex delicto occulto, & ſit ſpes reſilietiæ à contractu ineundo tenetur conſcius eiuſdem prius ſecundum leges caritatis delinquentem fraternè monere, vt recedat à contractu, quod ſi non reſcipuerit, poteſt parentes monere, & eo adhuc non reſcipiſcente tenetur ad Eccleſiam deferre. Prima pars eſt communis apud eos omnes, qui allegati fuerunt pro præcedente reſponſione.

47 Si vero fuerit occultũ, & proueniens ex delicto tenetur prius monere fraterne vt recedat à contractu, poſtea parentes, tandem Eccleſiam.

Quod ſecundam ex generali regula ſuſtinent *Canedo ad decret. collect. 101. num. 3. verſ. ſed, et quamuis, Ioannes Valerus verb. denuntiatio diff. 1. Marcus Antonius Genuenſis in prax. Neapol. c. 2. num. 2. Nauarrus cap. ſacerdos de pænit. diſt. 6. nu. 27. Coarruuias de ſponſal. part. 2. c. 6. §. 10. num. 21. Gutierez de matrim. c. 69. nu. 3. Fillintius tom. 1. tract. 10. c. 5. num. 185. Pontius de matrim. lib. 5. c. 34. num. 3. in fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 7. num. 157.* Ratio primæ partis ex ijs deducitur, quæ dicebantur in probatione præcedentis reſponſionis, quæ hic non repeto. Ratio verò ſecundæ partis ſic euincitur, quia vnuſquiſq; ſecundum leges caritatis tenetur quantum fieri poteſt ſine iuris læſione conſulere famæ, & honori proximi ſui ergo vrgente præcepto denuntiationis, ex qua reſultare poteſt infamia delinquentis, tenebitur conſcius impedimenti, ex quo talis infamia timeatur, prius fraternè delinquentem monere, vt recedat à contractu, antequam deferat, aliaque media adhibere, per quæ ex vno capite conſulatur diſpoſitioni iuris, ex alio famæ eiuſdem deliquentis; Quod ſi his præactis ille nolit reſcipiſcere non eſt, cur non teneatur ad Eccleſiam deferre, quandoquidem fortius eſt ius, quod obligat ad euitanda peccata, quodque eſt iuſtitiæ, quam ius, quod obligat ad ſaluandam proximi famam, eſtque ſolum vinculum caritatis.

Tenetur ſeruare leges caritatis.

Hic tamen vnum ſolum monerem, quod etiam innui in reſponſione, ceſſare onus correctionis, ſeu monitionis fraternæ premittendæ, quando nulla ſubeſſet ſpes, quod ſit profutura; tunc etenim conſcius delicti poſſet illud immediatè deferre ad Eccleſiam.

48 Si nouerit ex auditu tantum vnius, non recordetur à quo, non tenetur deferre.

Hic ſolum oritur difficultas an ſi conſcius illius impedimenti, vel illud tantum nouerit ex auditu alterius, vel ſi ſcienter, taliter tamèn tantum, vt nequeat illud probare, teneatur deferre. In ordine ad primum aſſerendum eſt, quod non teneatur deferre, ſi non recordetur à quo audiuerit *Nauarrus c. inter verba in ſecunda edit. corrol 66. nu. 291. Corduba lib. 1. quæſt. quæſt. 43. dub. 2. §. ſexto quando, Sanchez lib. 3. diſp. 13. nu. 7 Ioannes Angelus Boſſius de matrim.*

*trim contract. c.7.n.164.*, & ratio eſt, quià talis teſtis nil prodeſt ad effectum intentum à Tridentino, cum nihil probet *Farinacius de teſtibus q.69.n.75.& ſeqq.* quinimmò etiam, ſi recordetur, à quo ſciuerit, ſed ille nihil ſciat, vel non ſit perſona fide digna *Petrus Nauarra de reſtit. in 2. edit. c.4.part.2.dub.10.nu.108.Nauarrus d. corrol. 66.nu.260.*, ſi verò audierit à perſona fide digna, tenetur, eo nõ denuntiante, denuntiare *Manuel.2.tom. ſumma 2.edit.c.217.n.9.* Ratio autem ea eſt quià notitia habita à perſona fide digna eſt notitia faciens probationem in his, & ſimilibus, & poteſt Iudex illam perſonam citare, eiuſque teſtimonium accipere. In ordine ad ſecundum, vtique tenetur adhuc deferre, quià ex dictis *tom.5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. prænot.* 7. dictum vnius deponentis in hac materia eſt ſufficiens, quod etiam in ſequentibus latius oſtendemus.

Si audierit à perſona fide digna, cuius recordatur tenetur deferre.

49 Si ſciat certo, nequeat tamen probare, tenetur deferre

50 Qui nouit impedimẽtum occultum non tenetur deferre, cum maxima ſui iactura.

Reſpondeo tertiò, eum qui nouit impedimentum occultum, etiam ſi illud probare poſſit, non teneri illud detegere, cum ſui conſiderabili iactura *Adrianus in 4. de confeſ.q.5.dub.7. Nauarrus in ſum c.22. num.82. Manuel.in ſumma part.1.c.217.n.8. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg 32.n.26. Rrginal.lib.31.n.229. Comitolus lib.1. Reipubl. moralis q.112.* Ratio ex eo deducitur, quià nec leges in hac hypotheſi obligant, nec correctio fraterna cum tali damno denuntiare; hinc in particulari docet *Comitolus loc. quo ſupra* fœminam, quæ ex proprio filio filiam ſuſcepit eo ignorante, & poſtea volente cum eadem filia contrahere, eximi ab obligatione denuntiandi, ne teneatur proprium ſcelus cum maxima ſui infamia diſtinguendo gradus conſanguinitatis, ex quibus ipſa poſſit cognoſci mater vtriuſque, propallare. Secundò, nec Parochum ſacerdotem, qui ex diuerſis fœminis ſuſcepit maſculum, & fœminam teneri propallare impedimentum inter eoſdem, ſi velint ad inuicem contrahere, quià cum teneatur diſtinguere gradus, & indicare, vnde dicta conſanguinitas orta ſit, de facili ſe ipſum reum ſceleris depromeret.

Explicantur aliqui caſus in particula n, in quibus non tenetur deferre.

51 Conſcius impedimẽti occulti tenetur illud manifeſtare, quamuis nouerit ſub ſecreto naturali.

Reſpondeo IV. Quantumuis quis conſcius fuerit impedimenti exiſtentis inter contrahere volentes ſub ſecreto ſigilli naturalis, & forte etiam confeſſionis, vt vulgo dici ſolet, non tamen habita ſacramentali confeſſione, probabilius eſt teneri impedimentum occultum depromere *Paludanus in 4.diſt.28. qu.2. art.5. in tertia pana num 31. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 13. num.4.verſ. verum dicendum eſt.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia hic non agitur de punitione, vel de alicuius damno, ſed dumtaxat de peccato vitando, & liberando denuntiatum à morte ſpirituali ſibi imminenti, lex autem tendens ad damna ſpiritualia vitanda, & ad vitam animæ conſeruandam fortior, eſt lege de ſeruando naturali ſecreto. Confirmatur ex ijs, quæ docet *D. Thomas ſecunda ſecundæ q.70. art.2.* nempe manifeſtanda eſſe ſecreto commiſſa, quando vergunt in damnum publicum, aut tertiæ perſonæ, ergo cum in præſenti hypotheſi illud impedimentum vergeret in damnum ſpirituale contrahentium, & temporale prolis, quæ ex eodem matrimonio poteſt procedere, vtique erit manifeſtandum, non obſtante illo ſecreto naturali. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia illa expreſſio manifeſtationis ſub ſigillo confeſſionis, quando ſacramentalis confeſſio non eſt habita, ſe habet præcisè, ac, ſi eſſet ſub ſigillo naturali *Innocentius cap. communis vtriuſque ſexus de pænit., & remiſſ. num. 6. & ibi Abbas num.25. Rebuffus repet. ſuper d. cap. omnis vtriuſque ſexus ſuper verb. ſuſcipiens reuerenter verb. amplia in eo, Silueſter confeſſio 3. qu.5. verſ. quarto, Tabiena verb. confeſſionis calatio qu.3. num. 4. Armilla verb. confeſſor num 6. Nauarrus in ſumma cap. 17. num.55. Sotus de ſigillo memb.2.qu.7. concl 4., & alij innumeri* apud *Sanchez d.lib.3. diſp.13 nu.5. verſ. hinc infertur*; Si igitur non obſtante ſigillo naturali tenetur deferre, non eſt, cur non teneatur etiam deferre cognita ſub ſigillo confeſſionis, quando ſacramentalis confeſſio habita non eſt.

Sigillum confeſſionis extra confeſſionem æquiparatur ſigillo naturali.

---

## PRÆNOTIO XXXVIII.

Expediuntur omnia, quæ pertinent ad benedictiones nuptiales.

### *SVMMARIVM.*

*Benedictiones nuptiales ſunt ex præcepto adhibenda in primis nuptijs.* 1.

*Hoc præceptum afficit non ſolum virgines, ſed etiam corruptos, dummodò alias nuptias non contraxerint, & alias benedictiones non receperint.* 2.

*Hoc præceptum ſecundum ſe non obligat ſub lethali, ſi abſit contemptus.* 3.

*Conſummatio non eſt peccaminoſa lethalitèr ante benedictiones.* 4.

*Vbi lata eſt excommunicatio, vel conſuetudo ſub lethali recepta viget, vt primò nubentes recipiant benedictiones, ſi ſit præcisè contra omittentes, ſi conſummauerint ante illas, probabilius non peccarunt lethalitèr, ſi poſtea recipiant benedictiones.* 5.

*Si verò excommunicatio, & conſuetudo ſit contra conſummantes ante benedictiones peccant lethalitèr ante illas conſummantes.* 6.

*Probabilius tamen peccant ſolummodò primà vice conſummantes ante illas.* 7.



Digitized by Google

*Attento iure canonico ſecundæ nuptiæ non ſunt benedicendæ, ſi primæ fuerint benedictæ, ſiuè vterque coniux tranſeat ad ſecundas nuptias, ſiuè alter tantum.* 8.

*Vbi conſuetudo viget benedicendi ſecundas nuptias poſſunt licitè benedici.* 9.

*Si nuptiæ primæ benedictæ fuerit inualidæ ex aliquo impedimento, & obtenta diſpenſatione ſuper illo ſint renouandæ ſunt repetendæ benedictiones ſi impedimentum illud erat notorium, vel proximum notorietati, ſecus ſi occultum.* 10.

*Benedictiones repetendæ ſunt ſi diſſoluto priori matrimonio inualido coniuges tranſeant ad alias nuptias cum alijs.* 11.

*Suſpenſio ab officio, & beneficio contra Parochum benedicentem ſecundas nuptias non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ.* 12.

*Illa pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio non ferit ſolum Parochum benedicentem ſecundas nuptias primis in ſuo eſſe permanentibus, ſed etiam benedicentem ſecundas primis penitus diſſolutis.* 13.

*Illa pœna non eſt ordinaria; ſed arbitraria Epiſcopo.* 14.

*Benedictiones nuptiales faciendæ ſunt in Eccleſia. niſi Epiſcopus aliud diſpenſauerit.* 15.

*Benedictiones huiuſmodi fieri debent à proprio contrahentium Parocho.* 16.

*Contra ſacerdotes ſiue ſæculares, ſiue regulares benedicentes alienos ſponſos, ſine licentia proprij Parochi, vel ordinarij lata eſt ſuſpenſio, donec ab ordinario loci fuerint abſoluti.* 17.

*Conditiones requiſitæ, vt illa pœna incurratur.* 18.

*Si contrahentes fuerint diuerſarum Parochiarum non ab vtroque recipiendæ ſunt benedictiones, ſed attento iure ab altero ipſorum ad libitum; attenta tamen conſuetudine à Parocho mulieris, ſi in eius Parochia celebretur matrimonium.* 19.

*Antiquitus pro tribus anni temporibus ſolemnes benedictiones nuptiales interdicebantur.* 20.

*Poſt concil. Trid. ab aduentu Domini vſque ad feſtum Epifaniæ, & à quarta feria cinerum ad octauam paſchæ.* 21.

*Tempus feriatum pro huiuſmodi nuptijs ſolemnibus non incipit, niſi à media nocte primæ dominicæ aduentus, & à media nocte quartæ feriæ cinerum.* 22.

*Nec deſinit niſi peracto die Epiphaniæ, & octauæ Paſchatis.* 23.

*Orationes, & ceremoniæ, quæ adhibentur, ex præſcripto Eccleſiæ in nuptijs, viduorum, ſi fiant ſine ſolemnitate non prohibentur pro temporibus feriatis.* 24.

*Benedictiones nuptiales regulariter fiunt intra miſſarum ſolemnia, poſſunt tamen fieri alio diei tempore, niſi ſit in aliqua eccleſia ſpecialis prohibitio.* 25.

AMplam hanc de benedictionibus nuptialibus materiam ſub hoc vno, eodemque titulo reſtringimus, & ſequentes methodum præcedentis prænotionis per expeditas dubitationes diſſoluendam proponimus, ne in immenſum quæſtiones protrahamus; nec quidem ſine ordine has quæſtiones de benedictionibus ſubijcimus diſputationibus de denuntiationibus, quandoquidem matrimonia ſine illis inita dicuntur quoquo modo clandeſtina, ſicuti dicuntur clandeſtina celebrata ſine denuntiationibus.

Dubitatur igitur primò. An benedictiones nuptiales ſint de præcepto, & ſub quo onere, & an tam adhibendæ ſint pro primis nuptijs, quam pro ſecundis, & vlterioribus.

1 Benedictiones nuptiales ſunt ex præcepto adhibendæ in primis nuptijs.

Reſpondeo primo Benedictiones nuptiales ſunt ex præcepto adhibendæ in primis nuptijs *Nauarrus in ſumma c.22. n. 83. Borgninus Caualcanus in deciſ. Tiriz. deciſ. 58. num. 21. Auguſt. Barboſa part. 2. de poteſt. Epiſc. alleg. 32. n. 179. Hurtadus de matrimon. diſp. 5. diff. 23. n. 83.*, & alij innumeri aduerſus, nonnullos aſſerentes eſſe ſolummodo de conſilio adhibendas. Expreſſè colligitur *ex can. aliter can. noſtrates, & can. ſponſus 30. q. 5.*, quod etiam innuiſſe videtur *Trident. d. cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrimonij*, & hoc ita verum eſt, vt non amplius ſit ratio dubitandi, cum etiam de hoc communis praxis vigeat. Solum poteſt eſſe aliquod dubium, an hoc præceptum afficiat primò contrahentes virgines, an verò etiam corruptos, & an obliget ſub læthali, vel tantum ſub veniali. In ordine ad primum aſſerendum eſt afficere etiam corruptos, dummodò alias nuptias non contraxerint, & alias benedictiones non receperint *Bellarminus in obſeruat. ad d. c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrimon. verbo hortatur, & Zippæus lib. 4. tit. de ſponſal. nu.* 19. Ratio eſt, quia in ordine ad huiuſmodi corruptos non militat ratio intenta à iure *in c. vir de ſecundis nuptijs*, quę fuit, vt plene ſignificaretur coniunctio vnius ſponſi Chriſti cum vna Eccleſia, vt infra latius dicemus.

2 Præceptum afficit etiam corruptos, ſi alias nuptias non contraxerint.

3 Non obligat ſub lethali, ſi abſit contemptus.

In ordine ad ſecundum dicendum eſt probabilius non obligare ſub lethali, ſi abſit contemptus, vel niſi in aliqua Diœceſi lata ſit excommunicatio contra conſummantes matrimonium non pręmiſſis primo eccleſię benedictionibus *Sanchez, Gutierez, Barboſa, Hurtadus apud Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. c. 9. n. 7. Bonacina de matrimon. q. 4. punct. 6. num. 2. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 265. in fin.* Ratio eſt, quia huiuſmodi benedictiones ſunt tantum quædam ſacramentalia, & ſunt breuis momenti; ex quibus à fortiori inferes, ſi præſcindas à contemptu, ſcandalo, & ab excommunicatione, ſi fortè hęc alicubi fuerit illata

non

non peccare læthalitèr coniuges conſummantes matrimonium ante benedictiones, ſi etenim omiſſio earundem abſolutè non eſt peccaminoſa lęthalitèr, nec erit peccaminoſa conſummatio ante eaſdem.

4 Conſummatio non eſt peccaminoſa lęthaliter ante benedictiones.

Difficultas ſolummodò aliqua eſse poteſt, an ſi alicubi ſub excommunicatione pręcipiantur primo nubentibus benedictiones, vel ex conſuetudine ita recipiantur benedictiones, vt earum omiſſio habeatur pro læthali, tunc conſummare matrimonium ſit peccaminoſum læthalitèr ante eaſdem benedictiones, quantumuis fuerit animus in contrahentibus poſteà ſuſcipiendi, & an toties tunc committatur peccatum læthale, quoties ante eaſdem fit conſummatio. Ex forma, qua concepta eſt huiuſmodi excommunicatio, vel recepta huiuſmodi conſuetudo dirimenda eſt difficultas; vel etenim excommunicatio lata eſt pręcisè contra omittentes benedictiones eccleſię, & conſuetudo hoc pacto recepta, vel lata, & recepta eſt excommunicatio, & conſuetudo aduerſus conſummantes non pręmiſſis benedictionibus.

5 Excommunicatio cõtra omittẽtes benedictiones non afficit conſumantes ante illas, ſi poſtea recipiant.

Iuxtà primam acceptionem probabilius exiſtimo conſummantes, dummodo non fuerit ſcandalum, vel contemptus, non peccare læthaliter, ſi prius conſumment, & poſtea recipiant Eccleſiæ benedictiones, quia ex vno capite ipſi ſunt veri cõiuges, & copula inter eoſdem non eſt peccaminoſa; ex alia in re graui non læditur Eccleſiæ præceptum, cum illa poſtpoſitio non ſit grauis momenti, nec præſumendum eſt, quod Eccleſia ſub tanto onere voluerit illum ordinem, cum hoc non expreſſerit, ſed ſolummodo benedictiones quoad ſubſtantiam.

6 Lata vero contra cõſummãtes ante illas afficit, ſi verè conſummatur, & poſtea benedictiones receperint.

Iuxta ſecundam verò acceptionem probabilius eſt peccare læthaliter conſummando ante illas, cum ſit hoc expreſsè ſub graui pœna, nempe excommunicationis præceptum *Petrus de Ledeſma de matrim. q.45. art.5 punct.3. dub.1. Manuel primo tom ſummæ ſecunda edit. cap. 242. in fin. Henriquez lib.11. de matrim. cap.5. num.7. in fin.*, & hoc multis in locis præfinitum eſt, & in viridi manet obſeruantia. Sed, an in huiuſmodi caſibus committatur ſolummodo peccatum conſummando prima vice ante Eccleſiæ benedictiones, an verò toties quoties.

7 Probabilius peccant tantũ prima vice conſummando ante illas.

Exiſtimo probabilius eſſe peccare tantum prima vice *Paludanus in 4. diſt.28. qu.1. art.2. num.19. D. Antoninus tertia part. tit.1. cap.28. §.8. Tabiena matrimon. 3. qu.3. num. 4. Sanchez lib.3. diſp 12. num. 11.* Ratio ex eo deducitur, quia ea prohibitio ſolum refertur ad id, vt debitus ordo ſeruetur, & reuerentia benedictionibus debita præmittendo eas priori copulæ, ſed hic ordo ſeruari non poteſt habita antecedenter eadem copula, ergo &c. Neque hic currit paritas de denuntiationibus, quandoquidem præceptum denuntiationum eſt ad effectum, vt detegantur impedimenta, ſi quæ ſunt, præceptum benedictionum, vt ſeruetur ordo, & debita reuerentia benedictionibus; finis autem denuntiationum adhuc habita priori copula viget, non ſic finis benedictionum, vt per ſe patet.

Reſpondeo ſecundò, attento iure canonico ſecundis nuptijs, ſi primæ fuerint benedictæ, non impertiendas eſſe Eccleſiæ benedictiones, & hoc, ſiue vterque coniux tranſeat ad has ſecundas nuptias, ſiue alter eorum tantum, cum alter antea non fuerit coniugatus, hocque, ſiue antecedenter coniugatus fuerit maſculus, ſiue fœmina. 8

8 Attento iure canonico ſecũdæ nuptię non ſunt benedicẽdæ, ſi primæ fuerit benedictę, & hoc ſiue vterque tranſeat ad ſecundas nuptias, ſiue alter tantum.

*Nauarrus in ſumma cap.22. num. 83. Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 16. num.2. Marcus Antonius Gennenſis in praxi Neapol. cap. 69. num.3. Marius Alterius de cenſur. tom 2. diſp.11. cap. 4. dub.4. Sanchez lib.7. de matrimon. diſp.82. num. 15. Hurtadus de matrimon. diſp.5. diff 23. num.8.* Expreſsè colligitur *ex cap. vir de ſecundis nupt.* vbi ſic legitur. *Vir autem, vel mulier ad bigamiam tranſiens non debet à Præsbitero benedici; quia cum alia vice benedicti ſint eorum benedictio iterari non debet*, vbi nota in primis illam particulam diſiunctiuam *Vir autem vel mulier*, quæ non ad vtroſque coniunctiuè refertur, ſed ad alterum eorum, ſiue fuerit maſculus, vel fœmina, qui fuerit benedictus, & per hoc excluditur illorum opinio, qui aſſerunt ſolum interdici benedictionem, quando ſunt ſecundæ nuptiæ ex parte mulieris; dum enim textus, vtrumque enuntiat ſub diſiunctione, nec potius vnum, quam alterum includat, vel excludat, hinc eſt, quod ſiue fuerit maſculus, qui tranſit ad ſecundas nuptias, ſiue fœmina includatur in prohibitione benedictionum; neque obeſſe poteſt, quod textus loquatur de bigamia ibi *ad bigamiam tranſiens*; bigamia autem proprie non eſt, vbi non eſt conſummatio ſecundi matrimonij per textum *in cap. debitum bigamis*; ſicque &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia attento fine prohibitionis per ly *ad bigamiam tranſiens* intelligitur tranſiens ad ſecundas nuptias, vt bene explicat *Hoſtienſis in ſumma tit. de ſecundis nuptijs num 3. verb. ſed contra in fin. Enricus d. cap. vir num.7.*, vbi etiam aſſerit illud *cap. vir de ſecundis nuptijs* in ea parte, qua dicitur *ad bigamiam tranſiens* explicari *per cap.1. eod. tit.* vbi dicitur, *quando ſecundum initum eſt matrimonium*. Dixi, *attento fine prohibitionis*, qui duplex potiſſimum eſſe poteſt, alter, quia cum benedictiones inductæ fuerint ad indicandam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, & quidem illius, vt vnius ſponſi cum vna ſponſa, non poſſunt ordinari ad ſignificandam aliam vnionem diuerſam à prima,

Finis, ob quem inducta eſt prohibitio benedicendi ſecundis nuptias.

Digitized by Google

prima, vt benè notauit *D.Thomas in 4.diſt. 42.qu.3.art.2. Siluester verb. nuptiæ quæſt. 1.*, alter, quia huiuſmodi benedictiones, quæ comparantur, ac conſecrationes Eccleſiæ, altarium, virginum, ex diſpoſitione iuris nequeunt iterari, quia vilipenderentur *Sanchez d.lib.7.diſp.82. num.16. Nauarrus in ſumma cap. 22. num. 83.*, quicunque autem ex his duobus finibus fruſtraretur, ſi iterum benedicerentur nuptiæ, ſiue maritus fuerit in alijs nuptijs benedictus, ſiue vxor, vt per ſe patet; ſi autem inquiras, cur ſaltem benedici non poſſit ille, qui non fuit antecedenter benedictus, reſpondebit *Sanchez loc. cit.*, quia neuter coniux, abſque altero poteſt benedici, & per benedictionem vnius, alter benedictionem participat, potiſſimum cum fiant vna caro, ad quod non requiritur vnitas Phyſica, ſed ſufficit per quandam analogicam proportionem.

9 Vbi cõſuetudo viget benedicendi ſecũdas nuptias poſſunt benedici.

Reſpondeo tertio, quod quamuis in iure ita præſcriptum fuerit, ſi tamen alicubi contraria conſuetudine tale ius fuerit præſcriptum, poteſt licitè conſuetudo ſeruari per textum *in c. fin. de conſuet.*, quod procedit etiam in ſacramentalibus per textum *in c. de trina, & ibi gloſ. de conſecration. diſt. 4., & cap. 2. de tempor. ordin.* Quamobrem in hoc attendenda eſt conſuetudo inueterata cuiuſcunque regionis, quæ, & qualis fuerit, tu vide, non enim mihi licet omnes regiones percurrere, & earum conſuetudines indagare. Regulariter hoc certum eſt, quaſi vbique obſeruari, vt ſi vterque fuerit viduus, & benedictus, non amplius benedicatur.

Dubium ſecundum, eiuſq; duplex ſẽſus.

Dubitatur ſecundo, an vbi ius commune canonicum ſecundum textum *in d. c. vir. de ſecundis nuptijs* obſeruatur, ſi contigerit ex aliquo impedimẽto priores nuptias benedictas eſſe inualidas, poſſit, & debeat iterari benedictio in alijs nuptijs, quę valide celebrentur. Hoc dubium ſecundum duplicem ſenſum poteſt examinari, vel etenim cognito impedimento, & obtenta ſuper impedimento diſpenſatione renouatur matrimonium inter eoſdem, vel abſolute diſſoluto priori matrimonio ob tale impedimentum vterq; coniux cum alijs nouum contrahit matrimonium.

10 In renouatione contractus inualidi ſunt repetendæ benedictiones, ſi cauſa, ob quã fuit inualidus erat notoria, ſecus ſi occulta.

Reſpondeo iuxta primum ſenſum cum diſtinctione, vel etenim impedimentum, ob quod prius matrimonium fuit inualidum, erat notorium, vel ſaltem tale, vt de facili poſſet innoteſcere, & in eo caſu probabilius ſentio, quod, ſicut eſt repetenda forma Concilij, ita etiam ſint repetendæ benedictiones: ſi vero fuerit omnino occultum, ita vt de facili non potuerit innoteſcere, tunc ſicut forma Concilij non eſt repetenda, nec repetendas eſſe benedictiones ex neceſſitate, quamvis conſultius eſſet repetere. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia forma Concilij in eo caſu repetenda eſt, ideſt debet denuo exhiberi conſenſus coram Parocho, & teſtibus Ita Sacra Cong. Cardinalium Concil. Trid. interpretum apud *Bellarminum ad d.c.1. Trident. ſeſſ.24. de reform. matrim.* per hæc verba. *Item quando impedimentum eſt nullum ob impedimentum ſecretum ſatis eſt ſecretus conſenſus ſine noua forma, ſed ſi eſt publicũ eſt ſeruanda forma Concilij*, & alibi apud *Franciſcum Leonem part. 2. Theſaur. c.24. num.83.*, & ſic habet. *Si impedimentum ex vi vel metu præſuppoſito occultum ſit, non eſt opus iterum contrahere repetitis ſolemnitatibus alias rite iuxta formam huius decreti adhibitis in primo contractu, ſi autem huiuſmodi impedimentum fuit manifeſtum matrimonium de nouo contrahendum eſt ſeruata forma Concilij in hoc decreto tradita iuxta reſponſionem Congregationis alias datam in caſu matrimonij contracti inter conſanguineos*; atq; ita etiam declaraſſe Pium V. refert *Nauarrus c.22. num. 70.* ergo etiam in ea hypotheſi debent repeti benedictiones, quia vbi repetitur, quoad maius eſt, & de ſubſtantia contractus, à fortiori repetendum eſt, quod minus eſt, & de cõſequenti. Secunda pars ex contrario ſenſu, & ex declarationibus eiſdem Sacræ Congregationis euincitur; ſi enim in caſu occulti impedimenti non eſt repetenda forma Concilij, quæ eſt de ſubſtantia contractus, multo minus videntur repetendæ benedictiones, quæ tantum ſunt ad melius, & honeſtius eſſe.

Reſpondeo ſecundo iuxta ſecundum ſenſum abſolutè repetendas eſſe huiuſmodi benedictiones *Tabiena verb. impedimentum impedim. 14. q. fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 9. num. 37.* contra *Siluestrum verb. nuptiæ q. 3. Gutierez de matrim. c. 106. num. 15. Auguſtinum Barboſam part. 2. de poteſt. Epiſc. alleg. 32. num. 183. Sanchez lib.7. diſp.82. num. 26. Bonacinam de matrim q.4. punct. 6. nu.4.* Ratio ex eo deducitur primo, quia ſi qui benedicãtur non contractis prius nuptijs, eiſdem poſtea initis ſunt iterum benedicendi nulla habita ratione ad præactas benedictiones, ergo etiam ſi benedictiones fuerint impertitæ in nuptijs ex impedimento inualidis, ſi poſteà nouæ nuptiæ validæ cum alijs contrahantur, erunt huiuſmodi benedictiones repetendæ. Conſequentia patet, quia benedictiones eſſe impertitas, quando non ſunt nuptiæ, ac quando ſunt nuptiæ, ſed inualidæ paria ſunt quoad effectum. Antecedens vero probatur, quia huiuſmodi benedictiones referuntur ad determinata ſubiecta, & ad determinatos effectus ad ſtabiliendum ſcilicet perſonarum coniunctionem, & ad commoda eiuſdem coniunctionis perficienda; quomodo autem poteſt perfici, quod non eſt, & firmari coniunctio, quæ nullum habet funda-

11 Benedictiones repetẽdæ ſunt, ſi diſſoluto priori matrimonio inualido coniuges trãſeant ad alias nuptias cum alijs.

Digitized by Google

Benedictio quoad nuptias inualidas ad effectus, ad quos eſt ordinata, non poteſt prodeſſe.

fundamentum? Secundò, quià textus in illo *cap. vir de ſecundis nuptijs*, ſolum prohibet benedictiones quoad veras nuptias ſubſtantialiter ſecundas, ſed quando primæ ex impedimento dirimente fuerunt inualidæ, ſequentes non poſſunt dici ſubſtantialiter ſecundæ, ſed ſunt verè, & realiter primæ, ergo &c. Neque hic audiendi ſunt Sanchez, & alij ſupra allegati aduerſus noſtram reſponſionem aſſerentes benedictiones non reſpicere propriè nuptias, ſed ferri in perſonas, quæ propterea in eiſdem permanent, adeoque non eſſe iterandas; Non, inquam, audiendi ſunt, quia licet benedictiones ferantur in perſonas, in quibus eorum effectus tanquam in ſubiecto proportionato recipiuntur, non feruntur tamen in illas quomodocunque, ſed tanquam in perſonas legitimè coniunctas, ſeù affectas illa qualitate coniugum, quæ, ſi deſit, vtique non ſortiuntur effectum, ac proinde ita ſe habent, ac, ſi non eſſet impertitæ.

Dubiũ tertium, & articuli circa ipſum examinandi.

Dubitatur III. An, & quas pænas incurreret Parochus, vbi conſuetudo non eſt recepta benedicendi ſecundas nuptias, ſi illas benediceret. Pro quo aduerte *in cap. 1. de ſecundis nuptijs* hæc verba haberi *Capellanum, quem benedictionem cum ſecunda conſtiterit celebraſſe, ab officio, beneficioque ſuſpenſum cum literarum teſtimonio ad Sedem Apoſtolicam nullatenus deſtinare poſtponas*. Circa quem textum nonnulli inſurgunt articuli examinandi, qui multum conferent ad diſcuſionem propoſiti dubij. Primus erit, an illa ſuſpenſio ab officio, & beneficio ſit latæ ſententiæ, an ferendæ. Secundus, an feriat ſolummodo Parochum, quando ſecundas nuptias benedicit perſeuerantibus primis in ſuo eſſe, an vero etiam, quando ſecundas benedicit diſſolutis primis per mortem alterius coniugis. Tertius, an illa pæna ſit ordinaria, ita vt in omni caſu ſeruari debeat à Iudice, an vero arbitraria, adeout eadem omiſſa poſſit aliam pro libertate imponere.

12 Suſpenſio ab officio, & beneficio contra Parochum benedicentem ſecundas nuptias nõ eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ.

Reſpondeo primò. Illa ſuſpenſio ab officio, & beneficio expoſita in illo *cap. 1. de ſecundis nuptijs* non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ *Sanchez de matrimon lib. 7 diſp. 82. num. 27. Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. cap. 9. num. 30.* Colligitur ex modo, quo concepta eſt per Pontificem illa pæna; non enim ibi dicitur, quod ille Capellanus ſit ipſo iure ſuſpenſus, ſed præcipitur Epiſcopo, vt ſuſpendat, & ſic ſuſpenſum remittat ad Romanum Pontificem. Aduerte hic tamen, quod, ſi Epiſcopus illum ſuſpenderit iuxta formam in illo textu diſpoſitam, non tamen de præſenti intelligatur illa ſuſpenſio reſeruata Romano Pontifici, quia, vt refert *Perez lib. 5. ordinamenti tit. 1. l. 5. Salzedo ad Diaz cap. 77. verb. ad Sedem Apoſtolicam, Gutierez cap. 106. num. 18. Auguſtinus Barboſa collect. ad cap. 1. de ſecundis nuptijs* illa reſeruatio tanquam pæna exorbitans ſublata eſt per extrauagantem Ioannis XXII.

Reſeruatio ſublata eſt.

13 Afficit Parochum benedicentẽ ſecundas primis permaneatibus, ſed etiam ſecundas primis diſſolutis.

Reſpondeò ſecundò. Illa pæna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio iuxta formam præſcriptam in illo *cap. 1.* non fecit ſolum Parochum benedicentem ſecundas nuptias primis in ſuo eſſe permanentibus, ſed eundem etiam benedicentem ſecundas primis pænitus diſſolutis *Salcedo d. cap. 77. verb. viuente priore coniuge, Marcus Antonius Genuenſis in praxi Neapol. cap. 69. num. 4. Marius Alterius de cenſuris tom. 2. diſp. 11. cap. 4. dub. 1. Auguſtinus Barboſa d collect. ad cap. 1. de ſecundis nuptijs, & part. ſecunda de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. num. 187. aduerſus Aloiſium Riccium in praxi fori Eccleſiaſtici deciſ. 370, & alios apud Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract cap. 9. num. 41.* Ratio ex eo deducitur, quia nihil conſtat ex illo textu, quod inferre poſſit intelligendum eſſe de benedicente ſecundas nuptias primis permanentibus in ſuo eſſe, & *ex cap. vir eod. tit.* potius contrarium euincitur.

14 Illa pæna non eſt ordinaria, ſed arbitraria Epiſcopo

Reſpondeo tertiò. Illam ſuſpenſionem ab officio, & beneficio non eſſe pænam ordinariam infligendam cuicunque Parocho benedicenti ſecundas nuptias; atque hanc communiorem eſſe opinionem teſtatur *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 9. num. 41.*, vnde dicendum eſt Romanum Pontificem per illum textum non ſtatuiſſe regulam generalem, ſed dumtaxat in illo caſu particulari iuxta facti contingentiam, quod ex circumſtantijs graue fuiſſe præſumendum eſt, illam decreuiſſe. Quamobrem aſſerendum eſt aduerſus ſacerdotem ſic delinquentem arbitrariè Epiſcopum debere animaduertere per pænas, iuxta quod ex circumſtantijs delictum grauius, vel leuius eſt.

Dubium quartum circa locũ benedictionum.

Dubitatur IV. Vbinam benedictiones nuptiales faciendæ ſint. Ex eo, quod dictum fuerit ſupra, matrimonium poſſe vbique celebrari, & etiam domi, dummodo ſeruetur forma Concilij videntur etiam poſſe benedictiones, vbique, aut domi fieri; ſi enim licet vbique, quod maius eſt, non eſt, cur vbique etiam non liceat, quod minus eſt, nec obſtat, quod benedictiones ſint quid ſacrum, quandoquidem, & ipſum matrimonium vt potè ſacramentum eſt quid ſacrum, & tamen non exigit determinatum locum. Nihilominus

15 Reſpondeo benedictiones nuptiales faciendas eſſe in eccleſia, niſi Epiſcopus, ſeù ordinarius aliud diſpenſauerit *Ioannes Ange-*

Digitized by Google

Benedictiones nuptiales faciendæ ſunt in Eccleſia, niſi ordinarius aliud diſpenſauerit.

*Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 9. num. 21. Zippeus lib. 4. analit. ennarat. tit. de ſponſalib., & matrim. nu.* 19. Hoc expreſsè colligitur *ex Trident. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.*, vbi ſic legitur *Benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam eſſe*, & hoc maximè congruit dignitati actionis. Dixi niſi ordinarius aliud diſpenſauerit, quià cum hęc actio pertineat ad ſacramentalia. & non ſit grauis momenti, ſicuti ſine graui noxa poteſt omitti, ita accedente Epiſcopi auctoritate ſine aliqua labe poteſt de vno in alium locum tranferri.

Dubium quintum.

Dubitatur V. A quonam faciendæ ſint huiuſmodi benedictiones nuptiales.

Fieri debent à proprio contrahentium Parocho.

Reſpondeo fieri debere, à proprio contrahentium Parocho, vel ab alio ſacerdote de ipſius Parochi, vel ordinarij licentia. Epreſsè colligitur *ex eod. Concil. Trident. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimonij*. Quinam autem ſit proprius contrahentium Parochus diximus ſupra, dum de aſſiſtentia eiuſdem cum teſtibus.

Hic diſputant DD. quamnam pænam incurrat alienus ſacerdos, ſiuè ſæcularis, ſiuè regularis, qui alienos Parochianos benedicit in nuptijs, ſine licentia Parochi propri, eorundem, vel ordinarij. Conci. *Trident. eod. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* hæc ſtatuit *Quod ſi quis Parochus, vel alius ſacerdos, ſiuè ſæcularis, ſiuè Regularis, etiam ſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochia ſponſos ſine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit ipſo iure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiù ab ordinario eius Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeù à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur*, vbi aduerte, quod cum dicatur, *auſus fuerit*, requiratur ad incurrendam hanc ſuſpenſionem plena ſcientia, vnde quæcunque ignorantia excuſare poteſt ab incurſu illius *Marius Alterius de cenſur. tom. 2. diſp. 11. c. 5. verſ. hoc autem, quod dixi, Bonacin. tom. 3. de ſuſpenſ. diſp. 3. q. 3. punct. 5. n. 1.*, audacia etenim importat ingentem temeritatem, quę non poteſt eſse, cum ignorantia licet craſsa. Aduerte inſuper, quod cum dicatur *matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit* in hac pęna comprehendatur ſolum exercens munus benedicendi, non autem mandans benedici, vndè ſi ſacerdos alienus concederet alteri facultatem aſſiſtendi, non incurreret illam ſuſpenſionem, quià regularitèr verum eſt, quod pænę illatę contrà exercentes non extenduntur ad mandantes, & conſulentes, niſi exprimatur. Aduerte tandem, quod cum dicatur, ſi *Quis Parochus, vel alienus ſacerdos, ſiuè ſæcularis, ſiuè regularis*, non comprehendatur in illa diſpoſitione ſubdiaconus, vel Diaconus ſic benedicens; ſi autem fuerit Parochus non ſacerdos probabile eſt comprehendi, cum Concil. dicat: *Parochus*.

17 Suſpenſio lata contra alienos ſacerdotes benedicentes ſine licentia.

18 Quomodo incurratur illa ſuſpenſio.

19 Quandò ſunt diuerſarum Parochiarum ab altero ipſorum ſunt recipiendæ benedictiones, & conſuetudine à parocho fæminæ.

Reſpondeo ſecundò, ſi contrahentes fuerint diuerſarum Parochiarum, non eſse neceſse benedictiones nuptiales recipi ab vtroque Parocho, ſed ab altero ipſorum, nec potius ab vno, quam ab altero, loquendo de rigore iuris, licet de conſuetudine inueterata quaſi vbique recipiantur à Parocho mulieris, ſi in eiuſdem Parochia contrahatur, & fiant benedictiones. In hanc reſponſionem propendent *Canedo ad decret. 81. n. 8. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 82. n. 4. Gutierez de matrim. c. 106. n. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 9. num.* 23. Ratio primę partis ex eo deducitur, quià *Concilium Trident. d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* eodem modo, & ſub eadem clauſula requirit proprium Parochum ad benedicendum, ac de aſſiſtendum, ſed ex ſuperius dictis ad aſſiſtendam ſufficit Parochus alterutrius contrahentis, ergo etiam ad benedicendum. Intellige tamen dummodo nuptiæ ſolemniter non benedicantur, quandoquidem ſi ita fierent, deberent fieri à Parocho illius Parochię, in qua deberent fieri huiuſmodi benedictiones, cum etenim illa ſolemnitas importet quandam formam iuriſdictionis in loco, in quo fit, non poteſt fieri à non habente iuriſdictionem in tali loco. Ratio ſecundę partis euincitur ex obſeruantia fere vbique recepta, ſecundum quam Parochus mulieris benedicit nuptias, cum eædem regularitèr celebrentur in Parochia mulieris, ad quam maritus pro hoc actu accedit. Quod ſi ſtante adhuc hac conſuetudine fæmina accederet ad Parochiam mariti, tunc non negarem Parochum eiuſdem mariti poſse nedum priuatim, ſed etiam ſolemnitèr eaſdem nuptias benedicere.

Dubium ſextum circà tempus benedictionum.

Dubitatur VI. An benedictiones nuptiales ſolemnes poſſint fieri pro quocunque tempore. Dixi *benedictiones ſolemnes nuptiales*, vt contradiſtinguerem à certis orationibus, & ceremonijs, quæ adhiberi ſolent in nuptijs viduorum. Dixi *pro quocunque tempore*, quæ particula ad duo referri poteſt; vel ſcilicet ad aliquod tempus, pro quo ex diſpoſitione iuris ſint interdictę nuptię, vel ad aliquam partem diei, pro qua nuptię non ſiut prohibitę, ità vt talis benedictio, v. g. debeat fieri mane, & non poſsit in veſperis celebrari.

20 Antiquitus pro tribus anni corporibus ſolemnes benedictiones nuptiales interdicebantur

Reſpondeo primo, ſolemnes benedictiones nuptiales antiquitus ante Concilium Tridentinum pro tribus anni temporibus fieri non poterant, nempe ab Aduentu ad Epiphaniam, à ſeptuageſima ad octauam Paſcatis, à diebus rogationum ad octauam Pentecoſtes, vt expreſsè colligitur *ex can. non oportet 33. q. 4. ex can. non licet e nec vxorem ead. 33. q. 4.*, modo autem

poſt

Digitized by Google

poſt. concil. Trident., quod tale tempus reſtrixit ſolum prohibentur à prima die Aduentus Domini vſque ad diem epiphaniæ, & à Feria quarta cinerum vſque ad octauam Paſchatis incluſiuè. Ita habetur *c.10 ſeſſ.24.de reform.matrim.*, vbi ſic legitur *Ab aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum vſque in octauam Paſchatis incluſiuè antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligentèr ab omnibus obſeruari ſancta Sinodus præcipit in alijs verò temporibus nuptias ſolemnitèr celebrari permittit* nomine autem ſolemnium nuptiarum potiſſimum intelligunt DD. ſolemnes benedictiones earundem, & traductiones etiam ſolemnes ſponſæ in domum ſponſi, de qua re alibi erit ſermo. Ratio autem prohibitionis pro his temporibus feriatis duplex potiſſimum aſſignatur à DD. Altera, quià pro illis temporibus erat ſub præcepto communio, prout optimè conſideràuit *D.Thomas in 4. diſt.32. q.vnica art.5. quaſtiuncula 4. in corpore*, & ideo huiuſmodi ſolemnitates nuptiales tanquam retrahentes à curis ſpiritualibus prohibebantur; Altera, quià huiuſmodi tempora præferebant feſta omnium toto anno occurrentium celeberima, & proinde congruum fuit, vt Eccleſia abſtinentiam pro illis temporibus à ſolemnibus nuptijs præciperet, vt homines commodius ieiunijs, & orationibus vacare valerent, hancque cauſam adducit *Bellarminus lib.1.de matrimon. c.31 § addo quod*.

21 Poſt Concil.Trid. ab Aduentu Domini vſque ad diē Epiphaniæ, & à quarta feria cinerum vſque ad octauam Paſchæ.

Ratio finalis talis prohibitionis.

Variæ rationes dubitandi.

Circa horum temporum præſcriptionem, qua prohibentur nuptiæ dubitandum occurrit, an dies immediatè præcedentes ad Dominicam primam Aduentus, & ad quartam feriam cinerum à veſperis comprehendantur in prohibitione, an verò nullo modo comprehendantur, ſed incipiat ſolummodo prohibitio à media nocte, qua incipit dies Dominicæ Aduentus, & à media nocte, qua incipit feria quarta cinerum. Rurſus, an dies Epiphaniæ comprehendatur in tali prohibitione, an verò excludatur. Ratio dubitandi circa primam difficultatem quoad inceptionem temporis vetiti pro ſolemnibus nuptijs ex eo deſumitur, quod quoad primam Dominicam Aduentus officium illius incipit in veſperis Sabbati præcedentis; quoad feriam autem quartam cinerum officium eiuſdem non incipit in veſperis feriæ tertiæ, ſed ipſa met die feriæ quartæ à matutino, propter quam rationem nonnulli aſſerunt, inter quos *Marcus Antonius Cucus inſtit. maior. lib.5.tit 12.n.7. Sanchez lib 7. diſp.7.n.2. Belletus diſquiſ cler. part.2.tit. de pœnis Cleric §.32. n 8.* tempus prohibitionis quoad prima tempora aduentus incipere à primis veſperis eiuſdem Dominicæ, quæ celebrantur ſabbato præcedenti, quoad tempora verò quadrageſimæ incipere non à primis Veſperis feriæ quartæ cinerum, cum non ſint veſperæ illius diei, ſed à media nocte eiuſdem feriæ quartæ. Ratio autem dubitandi circa tempus deſitionis prohibitionis in die Epiphaniæ ex eo deducitur, quod Concilium Trident. loquens de tempore feriato quadrageſimæ illud protrahit vſque ad octauam Paſchatis addendo particulam *incluſiuè*; loquens verò de tempore feriato Aduentus illud protrahit vſque ad Epiphaniam nullamque particulam incluſiuam addit. Nihilominus ſentiendum abſolutè eſt, tempus feriatum pro huiuſmodi nuptijs ſolemnibus non incipere, niſi à media nocte primæ Dominicę Aduentus, & à media nocte ferię quartę cinerum, nec deſinere niſi peracto die Epiphaniæ. Ita quoad primam partem *Cauualcanus ſecunda part. deciſ. de contract. deciſ. 12., & in ordine 58 nu. 19 Fillintius tom. 1. tract. 10. c.9. n. 268. Baſilius Pontius de matrim. lib 6. c.8. n.5. Diana 3. part. tract. 4. reſol. 202. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.9. n. 54.* Quoad ſecundam *Emanuel Sà verb. matrimonium quoad impedimenta non dirimentia n.2. Sanchez lib.7. diſp. 7. n.1. in fine Baſilius Pontius d. c.8. n.4.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià in rigore tempus aduentus non incipit niſi à prima Dominica eiuſdem, in qua etiam incipit abſtinentia ab eſu carnium aliorumque. Nec officit, quod officium illius diei incipiat à veſperis, quandòquidem hoc ſpeciale eſt quoad officium, non quoad alia, vt videre eſt quoad obſeruantiam feſti per abſtinentiam ab operibus ſeruilibus, à cibis, & ſimilibus. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià tota illa diſpoſitio quoad vtraque tempora, quibus prohibentur nuptiæ per Tridentinum continetur ſub eadem clauſula, vnde illa particula, incluſiuè, in fine poſita refertur ad totam diſpoſitionem pro vtriſque temporibus. Secundò, quod antiquis temporibus ante Concil. Trident. dies Epiphanię comprehendebatur ſub iure prohibente, nec in hoc per Tridentinum pręſumenda eſt inducta correctio. Tertiò ex eo, quod particula, *vſque*, eſt incluſiua ex genere ſuo, non excluſiua *Auguſtinus Barboſa in tract. de diſtinctionib., & clauſulis diction. 379. nu. 1., & collect. ad c. ſi gratiosè nu. 4. de reſcript. in 6.* Ex quibus habes, quid reſpondeas ad ea, quæ ſupra dicebantur, ſcilicet in vno caſu apponi particulam *incluſiuè*, & non in altero, de quo in præſenti agimus; Habes, inquam, quid reſpondeas, ſi dicas illam particulam referri ad vtrumque tempus, vel ex natura particulę, *vſque* ſufficienter connotari.

Sententia aſſerens quoad prima tempora aduentus incipere à primis veſperis ante primā dominicam aduentus, & quoad ſecunda à media nocte feriæ quartæ cinerum.

22 Probabilius tamen non incipit niſi à media nocte vr... vſque di...

23 Nec deſinit niſi die Epiphaniæ, & octauo Paſchatis.

24 Reſpondeo ſecundò. Orationes, & ceremoniæ, quæ adhibentur ex præſcripto

per ordinarium diſpenſaturo fuerit ſimplicitèr ſuper huiuſmodi denuntiationibus ipſas abſolutè remittendo nulli dubium eſt non peccare contrahentes, ſi poſt contractum matrimonium illis non præhabitis conſumment, qnod ex verbis expreſſis Concil. Trident. colligitur *in d. c. 1. ſeſſ. 24.* - Ibi - *Niſi ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentia, & iudicio Sancta Sinodus reliquit*, nec ex hoc timeri poteſt aliquod periculum, quandòquidem iuxta ſuperius dicta ſupponitur, quod idem ordinarius ſic remittendo aſsumpſerit congruas, & competentes informationis de non exiſtentia impedimenti.

Difficultas eſt, quandò denuntiationes ſunt poſtponendæ, non abſolutè omittendæ.

Difficultas igitur ſolum reducitur ad hæc; primò, an ſi ordinarius non abſolutè remiſerit huiuſmodi denuntiationes, ſed ſolum diſpenſarit, vt pręmittatur eiſdem matrimonium, ijdem contrahentes peccent læthalitèr, ſi ijsdem non præhabitis conſumment matrimonium; ſecundò, an quandò vrgente aliqua cauſa damni, vel temporalis, vel ſpiritualis, in qua non ſit facilis aditus ad Epiſcopum, vel hic iniuſtè petitionem neget, celebratur contractus ſine diſpenſatione, ijdem contrahentes peccent conſummando non præmiſsis eiſdem denuntiationibus. Tertiò, an peccent læthalitèr, quandò præmiſſis duabus denuntiationibus in prædictis caſibus non expectata tertia conſummant. Quartò, an peccent tantum conſummando prima vice non præmiſſis denuntiationibus, an verò toties, quoties.

41 Peccant læthalitèr contrahentes conſumantes ante denuntiationes, quàdò ſunt poſtponendæ.

Reſpondeo primò. Si ordinarius non abſolutè remiſerit huiuſmodi denuntiationes, ſed tantum diſpenſauerit, ne matrimonio præmittantur, peccant mortalitèr contrahentes conſummando matrimonium ante illas *Nauarrus in ſumma c. 16. num. 38., & c. 22. num 68. Petrus de Ledeſina de matrimon. q. 45. art. 5. verſ. ſed adhuc eſt dubium Reginaldus lib 31. nu. 237. Fillіutius tom. 1. tract. 10 n. 123. Laiman lib. 5. tract. 10. part. 2 c. 4. n. 11. Bonacina de matrimon q. 2. punct. 6. n. 8 Diana part. 3. tract. 4. reſol. 241. Sanchez de matrimon. lib 3. diſp. 11. nu. 2. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 8. n. 6.* Probatur primò, quià contrahere matrimonium ſine præuijs denuntiationibus à Concil. Trident præfinitis, & ſine diſpenſatione non vrgente aliqua graui cauſa eſt peccaminoſum læthalitèr per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, & admittunt communitèr DD. cum ſit præceptum tranſgredi in re grauiſſima, ergò etiam matrimonium conſummare eiſdem non præmiſſis, quandò diſpenſatum eſt ſolummodò, ne præmittantur matrimonio, ſed poſtponantur, erit peccatum læthale. Conſequentia probatur, quià eodem modo Concilium Tridentinum præcipit præmitti denuntiationes ante contractum matrimonium ſine diſpenſatione, quo præcipit, ſi poſtmittantur ex diſpenſatione, vt præmittantur conſummationi, vt legenti textum ſit manifeſtum, ergò ſicuti in primo caſu committitur peccatum læthale, ità & in ſecundò. Secundò ſic euincitur, quià ideo prohibetur celebrari matrimonium non præmiſſis denuntiationibus, quià contrahentes exponuntur periculo fornicationis, ſi quod eſset inter ipſos impedimentum, ſed hoc idem inconueniens ſequitur, ſi non præmittantur eædem denuntiationes conſummationi eiuſdem matrimonij, ergò &c. Neque obeſse poteſt, ſi aſseratur, quod hic finis fornicationis vitandæ poſſit omiſſis etiam denuntiationibus ante conſummationem haberi per ſufficientem diligentiam ad dignoſcendum, an eſset aliquod impedimentum dirimens, ergò eadem adhibita non erit peccatum lęthale conſummare. Proptèr hanc rationem nonnulli ex præ allegatis DD., & pręcipuè *Petrus de Ledeſma loc. cit.* limitarunt reſponſionem, ita vt non procedat in hoc caſu. Non, inquam, obeſse poteſt, quià ſicuti non ſufficit præhabita diligentia ad matrimonij contractum, niſi præmittantur denuntiationes à Concil. præſcriptæ, quandò non interuenit diſpenſatio, propter hanc rationem, quod eccleſia pręſcripſit ſpecialem modum cognoſcendi ſuper huiuſmodi impedimentis, à quo non licet recedere ex ſpeciali libertate contrahentium, cum eccleſia ipſa poſſit velle cognoſcere; ità non videtur eadem pręuia diligentia ſufficere ad conſummationem, cum etiam eccleſia eundem ſpecialem modum præſcripſerit; à quo contrahentes non poſſunt ex propria libertate recedere.

Peccant, quià exponuntur periculo fornicationis, & faciunt contrà pręſcriptum Eccleſiæ.

42 Celebrato matrimonio ſine denuntiationib' ex grauiſſima cauſa, ob quam non fuit acceſſus ad Epiſcopum.

Vel eodē iniuſtè denegante cōummando quandoq; peccant, quandoq; non.

Reſpondeo ſecundò. Si matrimonium contractum fuerit ſine diſpenſatione vrgente graui neceſſitate, cum acceſsus ad ordinarium eſse non poſset, vel ordinarius ipſe iniuſtè negauerit diſpenſationem, contrahentes, quandòque peccant conſummando ante denuntiationes, quandoq; non, ſemper tamen adhibendam eſſe congruam diligentiam ad dignoſcendum, an intercedat aliquod impedimentum dirimens, nec ne. Ratio ex eo deſumitur, quia quandoque ratio, quæ eximit ab onere denuntiationum ante contractum matrimonium militat quoque eodem contracto ſi denuntiationes haberentur ante conſummationem, quandoque vero ratio, quæ militat ante contractum non militat poſt contractum ante conſummationem, ergo quandoque denuntiationes ſi omittantur ante conſummationem inducunt noxam læthalem, quandoque

non

Aſſignatur in particulari, quandonã peccent, & quãdo nõ.

nõn inducunt. Antecedens probatur diſcurrendo per aliquas cauſas, quæ eximunt ab onere denuntiationum, & primo in cauſa periculi malitioſi impedimenti ratio, quæ eximit ab onere denuntiationum ante contractum, non eximit poſt contractum ante conſummationem, quandoquidem contracto matrimonio non amplius poteſt diſſolui; Secundo in cauſa periculi, quo duo concubinarij pro tempore denuntiationum commiſceantur carnalitèr ſicuti ratio talis periculi eoſdem eximit ab onerem denuntiationum ante contractum, ita etiam eximit poſt contractum ante conſummationem, quandoquidem idem periculum ſemper viget, & ſic diſcurrendo per omnes præallegatas cauſas conijcies, quandonam vrgeat ratio denuntiationum ſub peccato, & quandonam non vrgeat. Conſequentia item primi argumenti probatur, quia ſicuti vrgente tali neceſſitate non peccant contrahendo, ita ſi eadem vrgeat, nec peccare poſſunt conſummando, vel ſi non vrgeat, peccant. Confirmatur, quia ſi Epiſcopus abſolute remitteret denuntiationes non peccarent contrahentes, nec contrahendo, nec conſummando ſine illis, ſi vero non remitteret abſolutè, ſed tantum iuxta exigentiam cauſæ permitteret poſtponendas peccarẽt conſummando ſine illis iuxta ſuperius dicta, ergo etiam ſi Epiſcopus non remittat, ſed vrgente neceſſitate contrahatur matrimonium ſine denuntiationibus, ſi eadem neceſſitas vrgeat quoad conſummationem, quæ vrgebat quoad contractum, non peccabũt conſumando, ſi vero illa neceſſitas non vrgeat, peccabunt. Conſequentia probatur, quia id præſtat neceſſitas, quod efficit Epiſcopus diſpenſando.

43 In caſibus in quibus Epiſcopus diſpẽſauit vt poſt ponerẽtur nõ eximuntur à culpa lethali ſi præmiſſis duabus denuntiationibus ante tertiã conſũment

Reſpondeo tertio. In quibus ordinarius diſpenſauit, non vt remitterentur abſolutè denuntiationes, ſed poſtponerentur matrimonio celebrato non eximerentur à culpa lethali contrahentes, ſi duabus emiſſis denuntiationibus ante tertiam matrimonium cõſummarent *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 8. num. 5. Baſilius Pontius de matrimon. lib. 5. cap. 30. num. 3.* aduerſus *Sanchez lib. 3. de matrimonio diſp. 5. num. 7. VeraCrucem append. ad ſpecul. dub. 1. concl. 5. Petrum de Ledeſma de matrim. q. 45. art. 5. punct. 3. dub. 1 concl. 3., & alios recentiores* apud *Ioannem Angelum Boſſium loc. cit. nu. 4.* Ratio ex eo deducitur primo, quia contrahere matrimonium ſine diſpenſatione præmiſſis duabus tantum denuntiationibus eſt peccatum lethale, ſiquidem eſt contra decretum præceptiuum Tridentini, & contra finem ab eodem intentum, vt quantum fieri poſſit detegantur impedimenta, ſi quæ fuerint, ergo etiam erit peccaminoſum læthalitèr poſita diſpenſatione præcisè, vt poſtponantur ad matrimonium, ſi duabus dumtaxat præmiſſis idem conſummetur ante tertiam, quandoquidem eadem militat ratio, nec diſpenſatio tollit diſpoſitionem iuris Concilij, ſed ſolum poſtponit. Secundo, quia, ſi Parochus ex ſuo arbitratu vnam ex proclamationibus omittat, eſt graui pæna multandus, ergo, quia talis omiſſio eſt ex genere ſuo grauis, cæteroqui incongrue contra talem omiſſionem imponeretur illa grauis pæna.

44 Conſũmantes ante denũtiationes non ſolũ peccant prima vice, ſed etiã toties, quoties cõſummant.

Reſpondeo quarto. In caſibus, in quibus præmittendæ ſunt denuntiationes ad conſummationẽ coniuges conſummando ante illas non ſolum peccant prima vice, ſed etiam toties, & quoties conſummant. *Gutierez de matrimon. c. 56. num. 4., & c. 75. num. 9. Fillincius tom. 1. tract. 10. cap. 5. n. 173. Reginald. lib. 31. nu. 223. Egidius Coninchus de ſacram. diſp. 27. num 51. Bonacina de matrim. q. 2. punct. 6. nu. 7. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 8. num. 7. in fin.* aduerſus *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 16. num. 1.* Ratio ex eo deducitur, quia præceptum non contrahendi matrimonium ante denuntiationes, ſicuti non conſummandi ante illas, quando ex digna cauſa per diſpenſationem ſunt poſtpoſitæ, eſt præceptum negatiuum, quod obligat ſemper, & ad ſemper, ergo illud tranſgrediendo toties, & quoties per tranſgreſſionem peccabitur. Confirmatur, quia eadem militat ratio prohibitionis quoad primam vicem, ac quoad ſubſequentes, quæ eſt, ne committatur peccatum fornicationis, ſi quod adeſſet impedimentum inter tales coniuges, æquè autem ſubeſt periculum fornicationis non præmiſſis denuntiationibus per conſummationem primam, ac per ſecundam, & ſubſequentes;

Præceptũ non conſũmandi ante denũtiationes eſt negatiuum.

Neque hic audiendus eſt Henriquez, & alij, qui aſſerunt ex eo, quod matrimonium prima vice ſit conſummatum habere coniuges plenam poteſtatem, & vſum corporis, adeoque non peccare ſucceſſiuè conſummando, vel ex eo, quod, cum conſummando prima vice violarint præceptum Eccleſiæ, non poſſint amplius reſarcire, ea proportionali ratione, qua violato ſemel præcepto ieiunij, cum non poſſit amplius reſarciri, non peccant violantes, ſi ſucceſſiuè eadem die comedant: Non, inquam, audiendi ſunt, quia ad illud, quod aſſerunt de plena poteſtate in corpora verum eſt quoad ſubſtantiam, ſi nullum adſit impedimentum, quia vero iuxta formam ab Eccleſia præſcriptam non conſtat de non exiſtentia impedimenti, ideo cum ſemper ſubſit periculum impedimenti, ſemper peccant conſummando, cum ſemper vigeat motiuum, ex quo Eccleſia prohibet conſummationem: Ad illud vero, quod dicitur de præcepto ieiunij prima

Soluuntur rationes oppoſitæ.

V vice

Digitized by Google

vice violato facile reſpondebis, ſi aduertas illud eſſe præceptum iuris poſitiui, quod non obligat ſemper, & ad ſemper, ſicuti pro die Ieiunij obligat præceptum non edendi carnes, quod vtpote negatiuum pro ſemper obligat. & toties quis peccat, quoties pro illa die edit carnes; Cum igitur etiam præceptum, de quo loquimur, ſit negatiuum, ideo &c.

Dubitatur XIII. An ex vi denuntiationum præmiſſarum iuxta formam Concilij conſcij alicuius impedimenti inter contrahere volentes teneantur illud denuntiare, ſeu manifeſtare. Conſidera, an impedimentum ſit aliqua in parte notorium, an vero occultum, ita vt quemcunque lateat præter aliquam determinatam perſonam; ſecundo an, ſi ſit occultum proueniat ex delicto, an ex aliquo alio capite, puta ex conſanguinitate, vel affinitate. Tertio, quomodo conſcius illius impedimenti illud nouerit, an ſub ſigillo naturali, an vero ſub ſigillo confeſſionis ſine ſacramentali confeſſione.

Dubium decimum tertium, & articuli circa ipſum examinandi.

45 Factis denũtiationibus, ſi in aliqua parte notorũ ſit ſiue proueniat ex delicto, ſiue ex alio capite conſcius illius tenetur illud manifeſtare.

Reſpondeo primo, ſi impedimentum ſit in aliqua parte notorium puta per famam ſiuè proueniat ex delicto, ſiue ex alio capite conſcius illius tenetur illud aperire. In hanc opinionem propendere exiſtimo *Paludanum in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. c. 9. n. 27. Priedo lib. 2. de libert. Chriſtiana c. 7. ferè in initio §. aliud eſt ſcire Coaruuiam 4 decret. 2. part. c. 6. §. 10. num. 21. Gutierez lib. 1. qq. can. c. 11. num. 27., & ſeqq. Maſcardum de probat. concl. 1035. nu. 7. Lazarium de monit. ſect. 2. q. 12. num. 13. Auguſtinum Barboſam de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num 25., & alleg. 96. num. 51. in fin. Fagundez de quinque precept. precept. 2. lib. 6. cap. 5 num. 4. Laiman. lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 4. num 9.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte Tridentinum obligat ad manifeſtandum, ex alia nulla eſt cauſa eximens ab onere manifeſtationis, ergo conſcius impedimenti ſaltem ex fama notorij tenetur poſitis denuntiationibus illud manifeſtare. Antecedens quoad primam partem facile ex eo liquet, quod Concilium fruſtrà proponeret præceptum denuntiationum ad detegenda impedimenta, ſi conſcius eorundem non teneretur eadem propullare, præceptum etenim denuntiationum eſt correllatiuũ ad vnus reuelationũ; quoad ſecundam partem ex eo euincitur, quia ſi quæ eſſet ratio eximens ab onere reuelationis maximè ea eſſet, quando impedimentum oriretur ex delicto, quia conſurgeret aliqua infamia contrahenti, qui deliquit, ſed hæc ratio in præſenti hypotheſi non ſubſiſtit, quandoquidem vltra exiſtentiam delicti verè, & realiter commiſſi ſupponitur fama de eodem, ergo &c.

Reſpondeo ſecundo. Si impedimentum fuerit occultum, & non proueniens ex delicto tenetur conſcius eiuſdem immediatè poſitis denuntiationibus illud detegere, ſi vero illud proueniat ex delicto occulto, & ſit ſpes reſilietiæ à contractu ineundo tenetur conſcius eiuſdem prius ſecundum leges caritatis delinquentem fraternè monere, vt recedat à contractu, quod ſi non reſcipuerit, poteſt parentes monere, & eo adhuc non reſcipiſcente tenetur ad Eccleſiam deferre. Prima pars eſt communis apud eos omnes, qui allegati fuerunt pro præcedente reſponſione. Quod ſecundam ex generali regula ſuſtinent *Canedo ad decret. collect. 101. num. 3. verſ. ſed, et quamuis, Ioannes Valerus verb. denunſiatio diff. 1. Marcus Antonius Genuenſis in prax. Neapol. c. 2. num. 2. Nauarrus cap. ſacerdos de pænit. diſt. 6. nu. 27. Coarruuias de ſponſal. part. 2. c. 6. §. 10. num. 21. Gutierez de matrim. c. 69. nu. 3. Filliutius tom. 1. tract. 10. c. 5. num. 185. Pontius de matrim. lib. 5. c. 34. num. 3. in fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 7. num. 157.* Ratio primæ partis ex ijs deducitur, quæ dicebantur in probatione præcedentis reſponſionis, quæ hic non repeto. Ratio verò ſecundæ partis ſic euincitur, quia vnuſquiſq; ſecundum leges caritatis tenetur quantum fieri poteſt ſine iuris læſione conſulere famæ, & honori proximi ſui ergo vrgente præcepto denuntiationis, ex qua reſultare poteſt infamia delinquentis, tenebitur conſcius impedimenti, ex quo talis infamia timeatur, prius fraterne delinquentem monere, vt recedat à contractu, antequam deferat, aliaque media adhibere, per quæ ex vno capite conſulatur diſpoſitioni iuris, ex alio famæ eiuſdem deliquentis; Quod ſi his præactis ille nolit reſcipiſcere non eſt, cur non teneatur ad Eccleſiam deferre, quandoquidem fortius eſt ius, quod obligat ad euitanda peccata, quodque eſt iuſtitiæ, quam ius, quod obligat ad ſaluandam proximi famam, eſtque ſolum vinculum caritatis. Hic tamen vnum ſolum monerem, quod etiam innui in reſponſione, ceſſare onus correctionis, ſeu monitionis fraternæ præmittendæ, quando nulla ſubeſſet ſpes, quod ſit profutura; tunc etenim conſcius delicti poſſet illud immediatè deferre ad Eccleſiam.

46 Si fuerit occultũ, et nõ proueniẽs ex delicto conſcius tenetur illud detegere.

47 Si vero fuerit occultũ, & proueniens, ex delicto tenetur prius monere fraterne vt recedat à contractu, poſtea parentes, tandem Eccleſiam.

Tenetur ſeruare leges caritatis.

Hic ſolum oritur difficultas an ſi conſcius illius impedimenti, vel illud tantum nouerit ex auditu alterius, vel ſi ſcienter, taliter tamèn tantum, vt nequeat illud probare, teneatur deferre. In ordine ad primum aſſerendum eſt, quod non teneatur deferre, ſi non recordetur à quo audiuerit *Nauarrus c. inter verba in ſecunda edit. corrol 66. nu. 291. Corduba lib. 1. quæſt. quæſt. 43. dub. 2. §. ſexto quando, Sanchez lib. 3. diſp. 13. nu. 7 Ioannes Angelus Boſſius de matrim.*

48 Si nouerit ex auditu tantum vnius, & non recordetur à quo non tenetur deferre.

Digitized by Google

*trim contract. c.7.n.164.*, & ratio eſt, quià talis teſtis nil prodeſt ad effectum intentum à Tridentino, cum nihil probet *Farinacius de teſtibus q.69.n.75.& ſeqq.* quinimmò etiam, ſi recordetur, à quo ſciuerit, ſed ille nihil ſciat, vel non ſit perſona fide digna *Petrus Nauarra de reſtit. in 2. edit. c.4.part.2.dub.10.nu.108. Nauarrus d. corrol. 66.nu.260.*, ſi verò audierit à perſona fide

Si audierit à perſona fide digna, cuius recordatur tenetur deferre.

digna, tenetur, eo nõ denuntiante, denuntiare *Manuel.2.tom. ſumma 2.edit.c.217.n.9.* Ratio autem ea eſt quià notitia habita à perſona fide digna eſt notitia faciens probationem in his, & ſimilibus, & poteſt Iudex illam perſonam citare, eiuſque teſtimonium accipere. In ordine ad ſecundum, vtique tenetur adhuc deferre, quià

49 ex dictis *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. prænot. 7.* dictum vnius deponentis in hac materia eſt ſufficiens, quod etiam in ſequentibus latius oſtendemus.

Si ſciat certo, nequeat tamen probare, tenetur deferre

Reſpondeo tertiò, eum qui nouit im-

50 pedimentum occultum, etiam ſi illud probare poſſit, non teneri illud detegere, cum ſui conſiderabili iactura *Adrianus in 4. de confeſ. q.5. dub.7. Nauarrus in ſum c.22. num.83. Manuel. in ſumma part.1. c.217. n.8. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg 32.n.26. Rrginal. lib.31.n.229. Comitolus lib.1. Reipubl. moralis q.112.* Ratio ex eo deducitur, quià nec leges in hac hypotheſi obligant, nec correctio fraterna cum tali damno denuntiare; hinc in particulari docet *Comitolus loc. quo ſupra* fœminam, quæ ex proprio filio filiam ſuſcepit eo ignorante, & poſtea volente cum eadem filia contrahere, eximi ab obligatione denuntiandi, ne teneatur proprium ſcelus cum maxima ſui infamia diſtinguendo gradus conſanguinitatis, ex quibus ipſa poſſit cognoſci mater vtriuſque, propallare. Secundò, nec Parochum ſacerdotem, qui ex diuerſis fœminis ſuſcepit maſculum, & fœminam teneri propallare impedimentum inter eoſdem, ſi velint ad inuicem contrahere, quià cum teneatur diſtinguere gradus, & indicare, vnde dicta conſanguinitas orta ſit, de facili ſe ipſum reum ſceleris depromeret.

Qui nouit impedimẽtum occultum non tenetur deferre, cum maxima ſui iactura.

Explicantur aliqui caſus in particulari, in quibus non tenetur deferre.

51 Reſpondeo IV. Quantumvis quis conſcius fuerit impedimenti exiſtentis inter contrahere volentes ſub ſecreto ſigilli naturalis, & forte etiam confeſſionis, vt vulgo dici ſolet, non tamen habita ſacramentali confeſſione, probabilius eſt teneri impedimentum occultum depromere *Paludanus in 4. diſt.28. qu.2. art.5. in tertia pana num 31. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 13. num.4. verſ. verum dicendum eſt.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia hic non agitur de punitione, vel de alicuius damno, ſed dumtaxat de peccato vitando, & liberando denuntiatum à morte ſpirituali ſibi imminenti, lex autem tendens ad damna ſpiritualia vitanda, & ad vitam animæ conſeruandam fortior, eſt lege de ſeruando naturali ſecreto. Confirmatur ex ijs, quæ docet *D. Thomas ſecunda ſecundæ q.70. art.2.* nempe manifeſtanda eſſe ſecreto commiſſa, quando vergunt in damnum publicum, aut tertiæ perſonæ, ergo cum in præſenti hypotheſi illud impedimentum vergeret in damnum ſpirituale contrahentium, & temporale prolis, quæ ex eodem matrimonio poteſt procedere, vtique erit manifeſtandum, non obſtante illo ſecreto naturali. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia illa expreſſio manifeſtationis ſub ſigillo confeſſionis, quando ſacramentalis confeſſio non eſt habita, ſe habet præcisè, ac, ſi eſſet ſub ſigillo naturali *Innocentius cap. communis vtriuſque ſexus de pœnit., & remiſſ. num. 6. & ibi Abbas num.25. Rebuffus repet. ſuper d. cap. omnis vtriuſque ſexus ſuper verb. ſuſcipient reuerenter verb. amplia in eo, Silueſter confeſſio 3. qu.5. verſ. quarto, Tabiena verb. confeſſionis celatio qu.3. num. 4. Armilla verb. confeſſor num 6. Nauarrus in ſumma cap. 17. num.55. Sotus de ſigillo memb.2. qu.7. concl 4., & alij innumeri* apud *Sanchez d. lib.3. diſp.13 nu.5. verſ. hinc infertur*; Si igitur non obſtante ſigillo naturali tenetur deferre, non eſt, cur non teneatur etiam deferre cognita ſub ſigillo confeſſionis, quando ſacramentalis confeſſio habita non eſt.

Conſcius impedimenti occulti tenetur illud manifeſtare, quamuis nouerit ſub ſecreto naturali.

Sigillum confeſſionis extra confeſſionem æquiparatur ſigillo naturali.

---

## PRÆNOTIO XXXVIII.

Expediuntur omnia, quæ pertinent ad benedictiones nuptiales.

### *SVMMARIVM.*

*Benedictiones nuptiales ſunt ex præcepto adhibendæ in primis nuptijs.* 1.

*Hoc præceptum afficit non ſolum virgines, ſed etiam corruptos, dummodò alias nuptias non contraxerint, & alias benedictiones non receperint.* 2.

*Hoc præceptum ſecundum ſe non obligat ſub lethali, ſi abſit contemptus.* 3.

*Conſummatio non eſt peccaminoſa lethaliter ante benedictiones.* 4.

*Vbi lata eſt excommunicatio, vel conſuetudo ſub lethali recepta viget, vt primò nubentes recipiant benedictiones, ſi ſit præcisè contra omittentes, ſi conſummauerint ante illas, probabilius non peccarunt lethaliter, ſi poſtea recipiant benedictiones.* 5.

*Si verò excommunicatio, & conſuetudo ſit contra conſummantes ante benedictiones peccant lethaliter ante illas conſummantes.* 6.

*Probabilius tamen peccant ſolummodò prima vice conſummantes ante illas.* 7.

*Attento iure canonico ſecundæ nuptiæ non ſunt benedicendæ, ſi primæ fuerint benedictæ, ſiuè vterque coniux tranſeat ad ſecundas nuptias, ſiuè alter tantum.* 8.

*Vbi conſuetudo viget benedicendi ſecundas nuptias poſſunt licitè benedici.* 9.

*Si nuptiæ primæ benedictæ fuerit inualidæ ex aliquo impedimento, & obtenta diſpenſatione ſuper illo ſint renouandæ ſunt repetendæ benedictiones ſi impedimentum illud erat notorium, vel proximum notorietati, ſecus ſi occultum.* 10.

*Benedictiones repetendæ ſunt ſi diſſoluto priori matrimonio inualido coniuges tranſeant ad alias nuptias cum alijs.* 11.

*Suſpenſio ab officio, & beneficio contra Parochum benedicentem ſecundas nuptias non eſt lata ſententia, ſed ferenda.* 12.

*Illa pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio non ferit ſolum Parochum benedicentem ſecundas nuptias primis in ſuo eſſe permanentibus, ſed etiam benedicentem ſecundas primis penitus diſſolutis.* 13.

*Illa pœna non eſt ordinaria; ſed arbitraria Epiſcopo.* 14.

*Benedictiones nuptiales faciendæ ſunt in Eccleſia, niſi Epiſcopus aliud diſpenſauerit.* 15.

*Benedictiones huiuſmodi fieri debent à proprio contrahentium Parocho.* 16.

*Contra ſacerdotes ſiue ſæculares, ſiue regulares benedicentes alienos ſponſos, ſine licentia proprij Parochi, vel ordinarij lata eſt ſuſpenſio, donec ab ordinario loci fuerint abſoluti.* 17.

*Conditiones requiſitæ, vt illa pœna incurratur.* 18.

*Si contrahentes fuerint diuerſarum Parochiarum non ab vtroque recipiendæ ſunt benedictiones, ſed attento iure ab altero ipſorum ad libitum; attenta tamen conſuetudine à Parocho mulieris, ſi in eius Parochia celebretur matrimonium.* 19.

*Antiquitus pro tribus anni temporibus ſolemnes benedictiones nuptiales interdicebantur.* 20.

*Poſt concil. Trid. ab aduentu Domini vſque ad feſtum Epifaniæ, & à quarta feria cinerum ad octauam paſchæ.* 21.

*Tempus feriatum pro huiuſmodi nuptijs ſolemnibus non incipit, niſi à media nocte primæ dominicæ aduentus, & à media nocte quartæ feriæ cinerum.* 22.

*Nec deſinit niſi peracto die Epiphaniæ, & octaua Paſchalis.* 23.

*Orationes, & ceremoniæ, quæ adhibentur, ex præſcripto Eccleſiæ in nuptijs, viduorum, ſi fiant ſine ſolemnitate non prohibentur pro temporibus feriatis.* 24.

*Benedictiones nuptiales regulariter fiunt intra miſſarum ſolemnia, poſſunt tamen fieri alio diei tempore, niſi ſit in aliqua eccleſia ſpecialis prohibitio.* 25.

AMplam hanc de benedictionibus nuptialibus materiam ſub hoc vno, eodemque titulo reſtringimus, & ſequentes methodum præcedentis prænotionis per expeditas dubitationes diſſoluendam proponimus, ne in immenſum quæſtiones protrahamus; nec quidem ſine ordine has quæſtiones de benedictionibus ſubijcimus diſputationibus de denuntiationibus, quandoquidem matrimonia ſine illis inita dicuntur quoquo modo clandeſtina, ſicuti dicuntur clandeſtina celebrata ſine denuntiationibus.

Dubitatur igitur primò. An benedictiones nuptiales ſint de præcepto, & ſub quo onere, & an tam adhibendæ ſint pro primis nuptijs, quam pro ſecundis, & vlterioribus..

1 Benedictiones nuptiales ſunt ex præcepto adhibendæ in primis nuptijs.

Reſpondeo primo Benedictiones nuptiales ſunt ex præcepto adhibendæ in primis nuptijs *Nauarrus in ſumma c.22. n. 83. Borgninus Caualcanus in deciſ. Tiriz. deciſ. 58. num. 21. Auguſt. Barboſa part. 2. de poteſt. Epiſc. alleg. 32. n. 179. Hurtadus de matrimon. diſp. 5. diff. 23. n. 83.*, & alij innumeri aduerſus, nonnullos aſſerentes eſſe ſolummodo de conſilio adhibendas. Expreſsè colligitur *ex can. aliter can. noſtrates, & can. ſponſus 30. q. 5.*, quod etiam innuiſſe videtur *Trident. d. cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrimonij*, & hoc ita verum eſt, vt non amplius ſit ratio dubitandi, cum etiam de hoc communis praxis vigeat. Solum poteſt eſſe aliquod dubium, an hoc præceptum afficiat primò contrahentes virgines, an verò etiam corruptos, & an obliget ſub læthali, vel tantum ſub veniali. In ordine ad primum aſſerendum eſt afficere etiam corruptos, dummodò alias nuptias non contraxerint, & alias benedictiones non receperint *Bellarminus in obſeruat. ad d. c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrimon. verbo hortatur, & Zippæus lib. 4. tit. de ſponſal. nu 19.* Ratio eſt, quià in ordine ad huiuſmodi corruptos non militat ratio intenta à iure *in c. vir de ſecundis nuptijs*, quę fuit, vt plene ſignificaretur coniunctio vnius ſponſi Chriſti cum vna Eccleſia, vt infra latius dicemus.

2 Præceptũ afficit etiã corruptos, ſi alias nuptias non contraxerint.

3 Non obligat ſub læthali, ſi abſit contemptus.

In ordine ad ſecundum dicendum eſt probabilius non obligare ſub lęthali, ſi abſit contemptus, vel niſi in aliqua Diœceſi lata ſit excommunicatio contra conſummantes matrimonium non pręmiſſis primo eccleſię benedictionibus *Sanchez, Gutierez, Barboſa, Hurtadus apud Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. c. 9. n. 7. Bonacina de matrimon. q. 4. punct. 6. num. 2. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 265. in fin.* Ratio eſt, quià huiuſmodi benedictiones ſunt tantum quædam ſacramentalia, & ſunt breuis momenti; ex quibus à fortiori inferes, ſi præſcindas à contemptu, ſcandalo, & ab excommunicatione, ſi fortè hęc alicubi fuerit illata

non

non peccare lethalitèr coniuges conſummantes matrimonium ante benedictiones, ſi etenim omiſſio earundem abſolutè non eſt peccaminoſa lęthalitèr, nec erit peccaminoſa conſummatio ante eaſdem.

4 Conſummatio non eſt peccaminoſa lethaliter ante benedictiones.

Difficultas ſolummodò aliqua eſse poteſt, an ſi alicubi ſub excommunicatione pręcipiantur primo nubentibus benedictiones, vel ex conſuetudine ita recipiantur benedictiones, vt earum omiſſio habeatur pro lethali, tunc conſummare matrimonium ſit peccaminoſum lethalitèr ante eaſdem benedictiones, quantumuis fuerit animus in contrahentibus poſteà ſuſcipiendi, & an toties tunc committatur peccatum lethale, quoties ante eaſdem fit conſummatio. Ex forma, qua concepta eſt huiuſmodi excommunicatio, vel recepta huiuſmodi conſuetudo dirimenda eſt difficultas; vel etenim excommunicatio lata eſt pręciſè contra omittentes benedictiones eccleſię, & conſuetudo hoc pacto recepta, vel lata, & recepta eſt excommunicatio, & conſuetudo aduerſus conſummantes non pręmiſſis benedictionibus.

5 Excommunicatio cõtra omittẽtes benedictiones non afficit conſumantes ante illas, ſi poſtea recipiant.

Iuxtà primam acceptionem probabilius exiſtimo conſummantes, dummodo non fuerit ſcandalum, vel contemptus, non peccare lethaliter, ſi prius conſumment, & poſtea recipiant Eccleſię benedictiones, quia ex vno capite ipſi ſunt veri cõiuges, & copula inter eoſdem non eſt peccaminoſa; ex alia in re graui non læditur *Eccleſiæ* præceptum, cum illa poſtpoſitio non ſit grauis momenti, nec præſumendum eſt, quod *Eccleſia* ſub tanto onere voluerit illum ordinem, cum hoc non expreſſerit, ſed ſolummodo benedictiones quoad ſubſtantiam.

6 Lata vero contra cõſummãtes ante illas afficit, ſi verè conſummarint, & poſtea benedictiones receperint.

Iuxta ſecundam verò acceptionem probabilius eſt peccare lethaliter conſummando ante illas, cum ſit hoc expreſsè ſub graui pœna, nempe excommunicationis præceptum *Petrus de Ledeſma de matrim. q.45. art.5 punct.3. dub.1. Manuel primo tom ſummæ ſecunda edit. cap. 242. in fin. Henriquez lib.11. de matrim cap.5. num.7. in fin.*, & hoc multis in locis præfinitum eſt, & in viridi manet obſeruantia. Sed, an in huiuſmodi caſibus committatur ſolummodo peccatum conſummando prima vice ante Eccleſiæ benedictiones, an verò toties quoties.

7 Probabilius peccant tantũ prima vice conſummando ante illas.

Exiſtimo probabilius eſſe peccare tantum prima vice *Paludanus in 4. diſt.28. qu.1. art.2. num.19 D. Antoninus tertia part. tit.1. cap.28. §.8. Tabiena matrimon. 3. qu.3. num. 4. Sanchez lib.3. diſp 12. num.11.* Ratio ex eo deducitur, quia ea prohibitio ſolum refertur ad id, vt debitus ordo ſeruetur, & reuerentia benedictionibus debita præmittendo eas priori copulæ, ſed hic ordo ſeruari non poteſt habita antecedenter eadem copula, ergo &c. Neque hic currit paritas de denuntiationibus, quandoquidem præceptum denuntiationum eſt ad effectum, vt detegantur impedimenta, ſi quæ ſunt, præceptum benedictionum, vt ſeruetur ordo, & debita reuerentia benedictionibus; finis autem denuntiationum adhuc habita priori copula viget, non ſic finis benedictionum, vt per ſe patet.

8 Attento iure canonico ſecũdæ nuptię non ſunt benedicẽdæ, ſi primæ fuerint benedictę, & hoc ſiue vterque tranſeat ad ſecundas nuptias, ſiue alter tantum.

Reſpondeo ſecundò, attento iure canonico ſecundis nuptijs, ſi primæ fuerint benedictæ, non impertiendas eſſe *Eccleſiæ* benedictiones, & hoc, ſiue vterque coniux tranſeat ad has ſecundas nuptias, ſiue alter eorum tantum, cum alter antea non fuerit coniugatus, hocque, ſiue antecedenter coniugatus fuerit maſculus, ſiue fœmina. *Nauarrus in ſumma cap.22. num. 83. Henriquez lib.11. de matrimon. cap. 16. num.2. Marcus Antonius Genuenſis in praxi Neapol. cap. 69. num.3. Marius Alterius de cenſur. tom 2. diſp.11. cap. 4. dub.4. Sanchez lib.7. de matrimon. diſp.82. num. 15. Hurtadus de matrimon. diſp.5. diff 23. num.8.* Expreſsè colligitur *ex cap. vir de ſecundis nupt.* vbi ſic legitur. *Vir autem, vel mulier ad bigamiam tranſiens non debet à Præbitero benedici; quia cum alia vice benedicti ſint eorum benedictio iterari non debet*, vbi nota in primis illam particulam diſiunctiuam *Vir autem vel mulier*, quæ non ad vtroſque coniunctiuè refertur, ſed ad alterum eorum, ſiue fuerit maſculus, vel fæmina, qui fuerit benedictus, & per hoc excluditur illorum opinio, qui aſſerunt ſolum interdici benedictionem, quando ſunt ſecundæ nuptiæ ex parte mulieris; dum enim textus, vtrumque enuntiat ſub diſiunctione, nec potius vnum, quam alterum includat, vel excludat, hinc eſt, quod ſiue fuerit maſculus, qui tranſit ad ſecundas nuptias, ſiue fæmina includatur in prohibitione benedictionum; neque obeſſe poteſt, quod textus loquatur de bigamia - Ibi - *ad bigamiam tranſiens*; bigamia autem proprie non eſt, vbi non eſt conſummatio ſecundi matrimonij per textum *in cap. debitum bigamis*; ſicque &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia attento fine prohibitionis per ly *ad bigamiam tranſiens* intelligitur tranſiens ad ſecundas nuptias, vt bene explicat *Hoſtienſis in ſumma tit. de ſecundis nuptijs num 3. verb. ſed contra in fin. Enricus d. cap. vir num.7.*, vbi etiam aſſerit illud *cap. vir de ſecundis nuptijs* in ea parte, qua dicitur *ad bigamiam tranſiens* explicari *per cap.1 eod. tit.* vbi dicitur, *quando ſecundum initum eſt matrimonium*.

Finis, ob quem inducta eſt prohibitio benedicendi ſecundis nuptias.

Dixi, *attento fine prohibitionis*, qui duplex potiſſimum eſſe poteſt, alter, quia cum benedictiones inductæ fuerint ad indicandam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, & quidem illius, vt vnius ſponſi cum vna ſponſa, non poſſunt ordinari ad ſignificandam aliam vnionem diuerſam à prima,

Digitized by Google

prima, vt benè notauit *D. Thomas in 4. diſt. 42. qu. 3. art. 2. Siluester verb nuptia quaſt.* 1., alter, quia huiuſmodi benedictiones, quæ comparantur, ac conſecrationes Eccleſiæ, altarium, virginum, ex diſpoſitione iuris nequeunt iterari, quia vilipenderentur *Sanchez d. lib. 7. diſp.* 82. *num.* 16. *Nauarrus in ſumma cap.* 22. *num.* 83., quicunque autem ex his duobus finibus fruſtraretur, ſi iterum benedicerentur nuptiæ, ſiue maritus fuerit in alijs nuptijs benedictus, ſiue vxor, vt per ſe patet; ſi autem inquiras, cur ſaltem benedici non poſſit ille, qui non fuit antecedenter benedictus, reſpondebit *Sanchez loc. cit.*, quia neuter coniux, abſque altero poteſt benedici, & per benedictionem vnius, alter benedictionem participat, potiſſimum cum fiant vna caro, ad quod non requiritur vnitas Phyſica, ſed ſufficit per quandam analogicam proportionem.

9
Vbi cõſuetudo viget benedicendi ſecũdas nuptias poſſunt benedici.

Reſpondeo tertio, quod quamuis in iure ita præſcriptum fuerit, ſi tamen alicubi contraria conſuetudine tale ius fuerit præſcriptum, poteſt licitè conſuetudo ſeruari per textum *in c. fin. de conſuet.*, quod procedit etiam in ſacramentalibus per textum *in c. de trina, & ibi gloſ. de conſecration. diſt.* 4., *& cap.* 2. *de tempor. ordin.* Quamobrem in hoc attendenda eſt conſuetudo inueterata cuiuſcunque regionis, quæ, & qualis fuerit, tu vide, non enim mihi licet omnes regiones percurrere, & earum conſuetudines indagare. Regulariter hoc certum eſt, quaſi vbique obſeruari, vt ſi vterque fuerit viduus, & benedictus, non amplius benedicatur.

Dubium ſecundum, cuiuſq; duplex ſẽſus.

Dubitatur ſecundo, an vbi ius commune canonicum ſecundum textum *in d. c. vir. de ſecundis nuptijs* obſeruatur, ſi contigerit ex aliquo impedimẽto priores nuptias benedictas eſſe inualidas, poſſit, & debeat iterari benedictio in alijs nuptijs, quę valide celebrentur. Hoc dubium ſecundum duplicem ſenſum poteſt examinari, vel etenim cognito impedimento, & obtenta ſuper impedimento diſpenſatione renouatur matrimonium inter eoſdem, vel abſolute diſſoluto priori matrimonio ob tale impedimentum vterq; coniux cum alijs nouum contrahit matrimonium.

10
In renouatione contractus inualidi ſunt repetendæ benedictiones, ſi cauſa, ob quã fuit inualidus erat notoria, ſecus ſi occulta.

Reſpondeo iuxta primum ſenſum cum diſtinctione, vel etenim impedimentum, ob quod prius matrimonium fuit inualidum, erat notorium, vel ſaltem tale, vt de facili poſſet innoteſcere, & in eo caſu probabilius ſentio, quod, ſicut eſt repetenda forma Concilij, ità etiam ſint repetendæ benedictiones; ſi vero fuerit omnino occultum, ita vt de facili non potuerit innoteſcere, tunc ſicut forma Concilij non eſt repetenda, nec repetendas eſſe benedictiones ex neceſſitate, quamvis conſultius eſſet repetere. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia forma concilij in eo caſu repetenda eſt, ideſt debet denuo exhiberi conſenſus coram Parocho, & teſtibus Ita Sacra Cong. Cardinalium Concil. Trid. interpretum apud *Bellarminum ad d. c. 1. Trident. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* per hæc verba. *Item quando impedimentum eſt nullum ob impedimentum ſecretum ſatis eſt ſecretus conſenſus ſine noua forma, ſed ſi eſt publicũ eſt ſeruanda forma Concilij*, & alibi apud *Franciſcum Leonem part. 2. Theſaur. c. 24. num.* 83., & ſic habet. *Si impedimentum ex vi vel metu præſupoſito occultum ſit, non eſt opus iterum contrahere repetitis ſolemnitatibus alias rite iuxta formam huius decreti adhibitis in primo contractu, ſi autem huiuſmodi impedimentum fuit manifeſtum matrimonium de nouo contrahendum eſt ſeruata forma Concilij in hoc decreto tradita iuxta reſponſionem Congregationis alias datam in caſu matrimonij contracti inter conſanguineos*; atq; ita etiam declaraſſe Pium V. refert *Nauarrus c. 22. num.* 70. ergo etiam in ea hypotheſi debent repeti benedictiones, quia vbi repetitur, quoad maius eſt, & de ſubſtantia contractus, à fortiori repetendum eſt, quod minus eſt, & de cõſequenti. Secunda pars ex contrario ſenſu, & ex declarationibus eiſdem Sacræ Congregationis euincitur; ſi enim in caſu occulti impedimenti non eſt repetenda forma Concilij, quæ eſt de ſubſtantia contractus, multo minus videntur repetendæ benedictiones, quæ tantum ſunt ad melius, & honeſtius eſſe.

Reſpendeo ſecundo iuxta ſecundum ſenſum abſolutè repetendas eſſe huiuſmodi benedictiones *Tabiena verb. impedimentum impedim.* 14. *q. fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.* 9. *num.* 37. contra *Siluestrum verb. nuptia q.* 3. *Gutierez de matrim. c.* 106. *num.* 15. *Auguſtinum Barboſam part. 2. de poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *num.* 183. *Sanchez lib. 7. diſp.* 82. *num.* 26. *Bonacinam de matrim. q. 4. punct. 6. nu.* 4. Ratio ex eo deducitur primo, quia ſi qui benedicãtur non contractis prius nuptijs, eiſdem poſtea initis ſunt iterum benedicendi nulla habita ratione ad præactas benedictiones, ergo etiam ſi benedictiones fuerint impertitæ in nuptijs ex impedimento inualidis, ſi poſteà nouæ nuptiæ validæ cum alijs contrahantur, erunt huiuſmodi benedictiones repetendæ. Conſequentia patet, quia benedictiones eſſe impertitas, quando non ſunt nuptiæ, ac quando ſunt nuptiæ, ſed inualidæ paria ſunt quoad effectum. Antecedens vero probatur, quia huiuſmodi benedictiones referuntur ad determinata ſubiecta, & ad determinatos effectus ad ſtabiliendum ſcilicet perſonarum coniunctionem, & ad commoda eiuſdem coniunctionis perficienda; quomodo autem poteſt perfici, quod non eſt, & firmari coniunctio, quæ nullum habet funda-

11
Benedictiones repetẽdæ ſunt, ſi diſſoluto priori matrimonio inualido coniuges trãſeant ad alias nuptias cum alijs.

Digitized by Google

Benedictio quoad nuptias inualidas ad effectus, ad quos eſt ordinata, non poteſt prodeſſe.

fundamentum? Secundò, quià textus in illo *cap. vir de ſecundis nuptijs*, ſolum prohibet benedictiones quoad veras nuptias ſubſtantialiter ſecundas, ſed quando primæ ex impedimento dirimente fuerunt inualidæ, ſequentes non poſſunt dici ſubſtantialiter ſecundæ, ſed ſunt verè, & realiter primæ, ergo &c. Neque hic audiendi ſunt Sanchez, & alij ſupra allegati aduerſus noſtram reſponſionem aſſerentes benedictiones non reſpicere propriè nuptias, ſed ferri in perſonas, quæ propterea in eiſdem permanent, adeoque non eſſe iterandas; Non, inquam, audiendi ſunt, quia licet benedictiones ferantur in perſonas, in quibus eorum effectus tanquam in ſubiecto proportionato recipiuntur, non feruntur tamen in illas quomodocunque, ſed tanquam in perſonas legitimè coniunctas, ſeù affectas illa qualitate coniugum, quæ, ſi deſit, vtique non ſortiuntur effectum, ac proinde ita ſe habent, ac, ſi non eſſet impertitæ.

Dubiũ tertium, & articuli circa ipſum examinandi.

Dubitatur III. An, & quas pænas incurreret Parochus, vbi conſuetudo non eſt recepta benedicendi ſecundas nuptias, ſi illas benediceret. Pro quo aduerte *in cap. 1. de ſecundis nuptijs* hæc verba haberi *Capellanum, quem benedictionem cum ſecunda conſtiterit celebraſſe, ab officio, beneficioque ſuſpenſum cum literarum teſtimonio ad Sedem Apoſtolicam nullatenus deſtinare poſtponas*. Circa quem textum nonnulli inſurgunt articuli examinandi, qui multum conferent ad diſcuſionem propoſiti dubij. Primus erit, an illa ſuſpenſio ab officio, & beneficio ſit latæ ſententiæ, an ferendæ. Secundus, an feriat ſolummodo Parochum, quando ſecundas nuptias benedicit perſeuerantibus primis in ſuo eſſe, an vero etiam, quando ſecundas benedicit diſſolutis primis per mortem alterius coniugis. Tertius, an illa pæna ſit ordinaria, ita vt in omni caſu ſeruari debeat à Iudice, an vero arbitraria, adeout eadem omiſſa poſſit aliam pro libertate imponere.

12 Suſpenſio ab officio, & beneficio contra Parochum benedicentem ſecundas nuptias nõ eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ.

Reſpondeo primò. Illa ſuſpenſio ab officio, & beneficio expoſita in illo *cap. 1, de ſecundis nuptijs* non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ *Sanchez de matrimon lib. 7 diſp. 82. num. 27. Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. cap. 9. num. 30.* Colligitur ex modo, quo concepta eſt per Pontificem illa pæna; non enim ibi dicitur, quod ille Capellanus ſit ipſo iure ſuſpenſus, ſed præcipitur Epiſcopo, vt ſuſpendat, & ſic ſuſpenſum remittat ad Romanum Pontificem. Aduerte hic tamen, quod, ſi Epiſcopus illum ſuſpenderit iuxta formam in illo textu diſpoſitam, non tamen de præſenti intelligatur illa ſuſpenſio reſeruata Romano Pontifici, quia, vt refert *Perez lib. 5. ordinamenti tit. 1. l. 5. Salzedo ad Diaz cap. 77. verb. ad Sedem Apoſtolicam, Gutierrez cap. 106. num. 18. Auguſtinus Barboſa collect. ad cap. 1. de ſecundis nuptijs* illa reſeruatio tanquam pæna exorbitans ſublata eſt per extrauagantem Ioannis XXII.

Reſeruatio ſublata eſt.

13 Afficit Parochum benedicentẽ ſecundas primis permanentibus, ſed etiam ſecundas primis diſſolutis.

Reſpondeò ſecundò. Illa pæna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio iuxta formam præſcriptam in illo *cap. 1.* non fecit ſolum Parochum benedicentem ſecundas nuptias primis in ſuo eſſe permanentibus, ſed eundem etiam benedicentem ſecundas primis pænitus diſſolutis *Salcedo d. cap. 77. verb. viuente priore coniuge, Marcus Antonius Genuenſis in praxi Neapol. cap. 69. num. 4. Marius Alterius de cenſuris tom. 2. diſp. 11. cap. 4. dub. 1. Auguſtinus Barboſa d. collect. ad cap. 1. de ſecundis nuptijs, & part. ſecunda de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. num. 187. aduerſus Aloiſium Riccium in praxi fori Eccleſiaſtici deciſ. 370, & alios apud Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. cap. 9. num. 41.* Ratio ex eo deducitur, quia nihil conſtat ex illo textu, quod inferre poſſit intelligendum eſſe de benedicente ſecundas nuptias primis permanentibus in ſuo eſſe, & *ex cap. vir eod. tit.* potius contrarium euincitur.

14 Illa pæna non eſt ordinaria, ſed arbitraria Epiſcopo

Reſpondeo tertiò. Illam ſuſpenſionem ab officio, & beneficio non eſſe pænam ordinariam infligendam cuicunque Parocho benedicenti ſecundas nuptias; atque hanc communiorem eſſe opinionem teſtatur *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 9. num. 41.*, vnde dicendum eſt Romanum Pontificem per illum textum non ſtatuiſſe regulam generalem, ſed dumtaxat in illo caſu particulari iuxta facti contingentiam, quod ex circumſtantijs graue fuiſſe præſumendum eſt, illam decreuiſse. Quamobrem aſserendum eſt aduerſus ſacerdotem ſic delinquentem arbitrariè Epiſcopum debere animaduertere per pænas, iuxta quod ex circumſtantijs delictum grauius, vel leuius eſt.

Dubium quartum circa locũ benedictionum.

Dubitatur IV. Vbinam benedictiones nuptiales faciendæ ſint. Ex eo, quod dictum fuerit ſupra, matrimonium poſse vbique celebrari, & etiam domi, dummodo ſeruetur forma Concilij videntur etiam poſse benedictiones, vbique, aut domi fieri; ſi enim licet vbique, quod maius eſt, non eſt, cur vbique etiam non liceat, quod minus eſt, nec obſtat, quod benedictiones ſint quid ſacrum, quandoquidem, & ipſum matrimonium vt potè ſacramentum eſt quid ſacrum, & tamen non exigit determinatum locum. Nihilominus

Reſpondeo benedictiones nuptiales faciendas eſse in eccleſia, niſi Epiſcopus, ſeù ordinarius aliud diſpenſauerit *Ioannes* 15

*Ange-*

Digitized by Google

Benedictiones nuptiales faciendæ ſunt in Eccleſia, niſi ordinarius aliud diſpenſauerit.

*Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 9. num. 21. Zippeus lib. 4. analit. ennarat. tit. de ſponſalib., & matrim. nu.* 19. Hoc expreſsè colligitur *ex Trident. c. 1. ſeſſ. 24 de reformat. matrim.*, vbi ſic legitur *Benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam eſſe*, & hoc maximè congruit dignitati actionis. Dixi niſi ordinarius aliud diſpenſauerit, quià cum hęc actio pertineat ad ſacramentalia, & non ſit grauis momenti, ſicuti ſine graui noxa poteſt omitti, ita accedente Epiſcopi auctoritate ſine aliqua labe poteſt de vno in alium locum tranferri.

Dubium quintum.

Dubitatur V. A quonam faciendæ ſint huiuſmodi benedictiones nuptiales.

Fieri debent à proprio contrahentium Parocho.

Reſpondeo fieri debere, à proprio contrahentium Parocho, vel ab alio ſacerdote de ipſius Parochi, vel ordinarij licentia. Epreſsè colligitur *ex eod. Concil. Tridens. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimonij*. Quinam autem ſit proprius contrahentium Parochus diximus ſupra, dum de aſſiſtentia eiuſdem cum teſtibus.

Hic diſputant DD. quamnam pænam incurrat alienus ſacerdos, ſiuè ſæcularis, ſiuè regularis, qui alienos Parochianos benedicit in nuptijs, ſine licentia Parochi propri, eorundem, vel ordinarij. Conci. *Tridens. eod c 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* hæc ſtatuit *Quod ſi quis Parochus, vel alius ſacerdos, ſiuè ſacularis, ſiuè Regularis, etiam ſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili*

17 Suſpenſio lata contra alienos ſacerdotes benedicentes ſine licentia.

17 *conſuetudine licere contendat, alterius Parochia ſponſos ſine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit ipſo iure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiu ab ordinario eius Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur*, vbi aduerte, quod cum dicatur, *auſus fuerit*, requiratur ad incurrendam hanc ſuſpenſionem plena ſcientia, vnde quæcunque ignorantia

18 Quomodo incurratur illa ſuſpenſio.

18 excuſare poteſt ab incurſu illius *Marius Alterius de cenſur. tom. 2. diſp. 11. c. 5. verſ. hoc autem, quod dixi, Bonacin. tom. 3. de ſuſpenſ. diſp. 3. q. 3. punct. 5. n. 1.*, audacia etenim importat ingentem temeritatem, quę non poteſt eſſe, cum ignorantia licet craſſa. Aduerte inſuper, quod cum dicatur *matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit* in hac pęna comprehendatur ſolum exercens munus benedicendi, non autem mandans benedici, vndè ſi ſacerdos alienus concederet alteri facultatem aſſiſtendi, non incurreret illam ſuſpenſionem, quià regularitèr verum eſt, quod pænę illatę contrà exercentes non extenduntur ad mandantes, & conſulentes, niſi exprimatur. Aduerte tandem, quod cum dicatur, ſi *Quis Parochus, vel alienus ſacerdos, ſiuè ſacularis, ſiuè regularis*, non comprehendatur in illa diſpoſitione ſubdiaconus, vel Diaconus ſic benedicens; ſi autem fuerit Parochus non ſacerdos probabile eſt comprehendi, cum Concil. dicat: *Parochus*.

19 Quandò ſunt diuerſarum Parochiarum ab altero ipſorum ſunt recipiendæ benedictiones, & conſuetudine à parocho fæminæ.

Reſpondeo ſecundò, ſi contrahentes fuerint diuerſarum Parochiarum, non eſſe 19
neceſſe benedictiones nuptiales recipi ab vtroque Parocho, ſed ab altero ipſorum, nec potius ab vno, quam ab altero, loquendo de rigore iuris, licet de conſuetudine inueterata quaſi vbique recipiantur à Parocho mulieris, ſi in eiuſdem Parochia contrahatur, & fiant benedictiones. In hanc reſponſionem propendent *Canedo ad decret. 81. n. 8. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 82. n. 4. Gutierez de matrim c. 106. n. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 9. num.* 23. Ratio primę partis ex eo deducitur, quià *Concilium Trident. d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* eodem modo, & ſub eadem clauſula requirit proprium Parochum ad benedicendum, ac de aſſiſtendum, ſed ex ſuperius dictis ad aſſiſtendam ſufficit Parochus alterutrius contrahentis, ergo etiam ad benedicendum. Intellige tamen dummodo nuptiæ ſolemniter non benedicantur, quandoquidem ſi ita fierent, deberent fieri à Parocho illius Parochię, in qua deberent fieri huiuſmodi benedictiones, cum etenim illa ſolemnitas importet quandam formam iuriſdictionis in loco, in quo fit, non poteſt fieri à non habente iuriſdictionem in tali loco. Ratio ſecundę partis euincitur ex obſeruantia fere vbique recepta, ſecundum quam Parochus mulieris benedicit nuptias, cum eædem regularitèr celebrentur in Parochia mulieris, ad quam maritus pro hoc actu accedit. Quod ſi ſtante adhuc hac conſuetudine fæmina accederet ad Parochiam mariti, tunc non negarem Parochum eiuſdem mariti poſſe nedum priuatim, ſed etiam ſolemnitèr eaſdem nuptias benedicere.

Dubium ſextum circà tempus benedictionum.

Dubitatur VI. An benedictiones nuptiales ſolemnes poſſint fieri pro quocunque tempore. Dixi *benedictiones ſolemnes nuptiales*, vt contradiſtinguerem à certis orationibus, & ceremonijs, quæ adhiberi ſolent in nuptijs viduorum. Dixi *pro quocunque tempore*, quæ particula ad duo referri poteſt; vel ſcilicet ad aliquod tempus, pro quo ex diſpoſitione iuris ſint interdictę nuptię, vel ad aliquam partem diei, pro qua nuptię non ſiut prohibitę, ità vt talis benedictio, v. g. debeat fieri mane, & non poſſit in veſperis celebrari.

20 Antiquitus pro tribus anni corporibus ſolemnes benedictiones nuptiales interdicebantur

Reſpondeo primo, ſolemnes benedictiones nuptiales antiquitus ante Concilium Tridentinum pro tribus anni temporibus fieri non poterant, nempe ab Aduentu ad Epiphaniam, à ſeptuageſima ad octauam Paſcatis, à diebus rogationum ad octauam Pentecoſtes, vt expreſsè colligitur *ex can. non oportet 33. q. 4. ex can. non licet & nec vxorem ead. 33. q. 4.*, modo autem

post

poſt. concil. Trident., quod tale tempus reſtrixit ſolum prohibentur à prima die Aduentus Domini vſque ad diem epiphaniæ, & à Feria quarta cinerum vſque ad octauam Paſchatis incluſiuè. Ita habetur *c.10 ſeſſ.24.de reform.matrim.*, vbi ſic legitur *Ab aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum vſque in octauam Paſchatis incluſiuè antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligentèr ab omnibus obſeruari ſancta Sinodus præcipit in alijs verò temporibus nuptias ſolemnitèr celebrari permittit* nomine autem ſolemnium nuptiarum potiſſimum intelligunt DD. ſolemnes benedictiones earundem, & traductiones etiam ſolemnes ſponſæ in domum ſponſi, de qua re alibi erit ſermo. Ratio autem prohibitionis pro his temporibus feriatis duplex potiſſimum aſſignatur à DD. Altera, quià pro illis temporibus erat ſub præcepto communio, prout optimè conſiderauit *D.Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 5. quæſtiuncula 4. in corpore*, & ideo huiuſmodi ſolemnitates nuptiales tanquam retrahentes à curis ſpiritualibus prohibebantur; Altera, quià huiuſmodi tempora præferebant feſta omnium toto anno occurrentium celeberima, & proinde congruum fuit, vt Eccleſia abſtinentiam pro illis temporibus à ſolemnibus nuptijs præciperet, vt homines commodius ieiunijs, & orationibus vacare valerent, hancque cauſam adducit *Bellarminus lib.1. de matrimon. c.31 § addo quod*.

21 Poſt Concil. Trid. ab Aduentu Domini vſque ad diē Epiphaniæ, & à quarta feria cinerum vſque ad octauam Paſchæ.

Ratio finalis talis prohibitionis.

Varię rationes dubitandi.

Circa horum temporum præſcriptionem, qua prohibentur nuptiæ dubitandum occurrit, an dies immediatè præcedentes ad Dominicam primam Aduentus, & ad quartam feriam cinerum à veſperis comprætendantur in prohibitione, an verò nullo modo comprehendantur, ſed incipiat ſolummodo prohibitio à media nocte, qua incipit dies Dominicæ Aduentus, & à media nocte, qua incipit feria quarta cinerum. Rurſus, an dies Epiphaniæ comprehendatur in tali prohibitione, an verò excludatur. Ratio dubitandi circa primam difficultatem quoad inceptionem temporis vetiti pro ſolemnibus nuptijs ex eo deſumitur, quod quoad primam Dominicam Aduentus officium illius incipit in veſperis Sabbati præcedentis; quoad feriam autem quartam cinerum officium eiuſdem non incipit in veſperis ferię tertiæ, ſed ipſa met die feriæ quartæ à matutino, propter quam rationem nonnulli aſſerunt, inter quos *Marcus Antonius Cucus inſtit. maior. lib.5. tit 12. n.7. Sanchez lib 7. diſp.7. n.2. Belletus diſquiſ cler. part.2. tit. de pœnis Cleric §. 32. n 8.* tempus prohibitionis quoad prima tempora aduentus incipere à primis veſperis eiuſdem Dominicæ, quæ celebrantur ſabbato præcedenti, quoad tempora verò quadrageſimæ incipere non à primis Veſperis feriæ quartæ cinerum, cum non ſint veſperæ illius diei, ſed à media nocte eiuſdem feriæ quartæ. Ratio autem dubitandi circa tempus deſitionis prohibitionis in die Epiphaniæ ex eo deducitur, quod Concilium Trident. loquens de tempore feriato quadrageſimæ illud protrahit vſque ad octauam Paſchatis addendo particulam *incluſiuè*; loquens verò de tempore feriato Aduentus illud protrahit vſque ad Epiphaniam nullamque particulam incluſiuam addit. Nihilominus ſentiendum abſolutè eſt, tempus feriatum pro huiuſmodi nuptijs ſolemnibus non incipere, niſi à media nocte primæ Dominicę Aduentus, & à media nocte ferię quartę cinerum, nec deſinere niſi peracto die Epiphaniæ. Ita quoad primam partem *Caualcanus ſecunda part. deciſ. de contract. deciſ. 12., & in ordine 58 nu. 19 Fillintius tom. 1. tract.10. c.9. n. 268. Baſilius Pontius de matrim. lib 6. c.8. n.5. Diana 3. part. tract.4. reſol. 202. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.9. n.54.* Quoad ſecundam *Emanuel Sà verb. matrimonium quoad impedimenta non dirimentia n.2. Sanchez lib.7. diſp. 7. n.1. in fine Baſilius Pontius d. c.8. n.4.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià in rigore tempus aduentus non incipit niſi à prima Dominica eiuſdem, in qua etiam incipit abſtinentia ab eſu carnium aliorumque. Nec officit, quod officium illius diei incipiat à veſperis, quandòquidem hoc ſpeciale eſt quoad officium, non quoad alia, vt videre eſt quoad obſeruantiam feſti per abſtinentiam ab operibus ſeruilibus, à cibis, & ſimilibus. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià tota illa diſpoſitio quoad vtraque tempora, quibus prohibentur nuptiæ per Tridentinum continetur ſub eadem clauſula, vnde illa particula, incluſiuè, in fine poſita refertur ad totam diſpoſitionem pro vtriſque temporibus. Secundò, quod antiquis temporibus ante Concil. Trident. dies Epiphanię comprehendebatur ſub iure prohibente, nec in hoc per Tridentinum pręſumenda eſt inducta correctio. Tertiò ex eo, quòd particula, *vſque*, eſt incluſiua ex genere ſuo, non excluſiua *Auguſtinus Barboſa in tract. de diſtinctionib., & clauſulis diction. 379. nu. 1., & collect. ad c. ſi gratioſè nu. 4. de reſcript. in 6.* Ex quibus habes, quid reſpondeas ad ea, quæ ſupra dicebantur, ſcilicet in vno caſu apponi particulam *incluſiuè*, & non in altero, de quo in præſenti agimus; Habes, inquam, quid reſpondeas, ſi dicas illam particulam referri ad vtrumque tempus, vel ex natura particulę, *vſque* ſufficienter connotari.

Sententia aſſerens quoad prima tempora aduentus incipere à primis veſperis ante primā dominicam aduentus, & quoad ſecunda à media nocte feriæ quartæ cinerum.

22 Probabilius tamen non incipit niſi à media nocte vtriuſque di[ei] ...

23 Nec deſinit niſi finit die Epiphaniæ, & octauo Paſchatis.

24 Reſpondeo ſecundò. Orationes, & ceremoniæ, quæ adhibentur ex præſcripto

 Eccle-

Digitized by Google

Orationes in nuptijs viduorum non prohibentur pro temporibus feriatis.

Eccleſiæ in nuptijs viduorum, ſi fiant ſine ſolemnitate non intelliguntur prohibitæ pro temporibus feriatis. *Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract.d.cap.9. num.74.* aduerſus *Baſilium Pontium lib.6. cap.8. nu. 13.*, cui videtur adhærere *Diana part. 3. tract. 2. reſol. 265.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte illæ orationes, & ceremoniæ non ſunt benedictiones nuptiales, & ex alia non ſupponuntur fieri cum ſolemnitate; Neque obeſſe poteſt id, quod aſſerit Pontius contigiſſe de nobilibus viduis, qui contrahere volentes tempore quadrageſimæ pro diſpenſatione recurſum habuerunt ad Sedis Apoſtolicæ nuntium degentem in Regnis Hiſpaniarum, quæ fuit negata. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia fortaſſis contrahere volebant cum ſtrepitu, & ſolemnitate, & proindè congruè fuit negata; ſi etenim voluiſſent priuatim contrahere, non indiguiſſent diſpenſatione.

25 Poſſunt fieri pro quocumque diei tempore, niſi ſit ſpecialis municipalis prohibitio.

Reſpondeo tertiò. Benedictiones nuptiales regulariter fieri manè inter miſſarum ſolemnia, non eſſe tamen improbandum, ſi pro alio diei tempore fierent, niſi ex ſpeciali aliqua cauſa in aliquo loco ſtatutum fuerit, vt non fiant, niſi mane, abſque facultate ordinarij. Ratio eſt, quia hæc temporis translatio non eſt grauiter conſiderabilis, nec aduerſatur fini contractus. In hoc non immoror, quia iterum occurret ſermo, dum de impedimentis non dirimentibus.

---

## PRÆNOTIO XXXIX.

### De Pœnis, tàm clandeſtinè aſſiſtentium, quàm contrahentium.

*SVMMARIVM.*

*Contrahentes matrimonium clandeſtinè ſine præſentia Parochi, & teſtium non ſunt abſolutè inhabiles ad contrahendum, ſed dumtaxat quoad illum contractum.* 1.

*Ad diſſolutionem contractus ſubſtantialiter clandeſtini nulla requiritur declaratio.* num. 2.

*Ad renouandum contractum cum ſolemnitate iuris non requiritur Epiſcopi licentia.* 3.

*Contrahentes ſine præſentia Parochi, & teſtium ſunt grauiter punibiles ad arbitrium ordinarij.* 4.

*Filij nati ex matrimonio clandeſtino, quod parentes putabant validum, cum eſſet ex impedimento occulto inualidum, ſunt illegitimi.* 5.

*Hæc pœna non ſolum intelligitur, quando matrimonium celebratum eſt clandeſtinè ſine Parocho, & teſtibus, ſed etiam, quando celebratum eſt ſine denuntiationibus à iure requiſitis.* 6.

*Intelligenda eſt de matrimonio clandeſtino ex quocunque titulo ſit inualidum.* 7.

*Si impedimentum non potuit innoteſcere per denuntiationes, ijs omiſſis proles non habetur pro illegitima.* 8.

*Celebrato clandeſtinè matrimonio inualido ob impedimenti ignorantiam, ſi poſtea illud ſolemniter celebretur, & nullo detecto impedimento ab Eccleſia approbetur filij nati, & geniti poſt approbationem habentur pro legitimis, quantumvis poſtea detegatur impedimentum.* 9.

*Si concepti fuerint ante approbationem, & nati poſt eandem adhuc cenſentur legitimi.* 10.

*Etiam, ſi concepti fuerit, & nati ante approbationem, dummodo poſtea publicatum fuerit, & approbatum.* 11.

*Matrimonium ſecundum ſe validum, ſed clandeſtinum legitimat prolem antea ſuſceptam pro tempore, quo parentes habiles erant ad contrahendum.* 12.

*Contrahentes ſcienter, vel ignoranter affectatè in gradibus prohibitis omiſſis denuntiationibus carere debent ſpe diſpenſationis obtinenda.* 13.

*Hæc pœna extenditur ad contrahentes ſcienter cum impedimento dirimente quomodocunque.* 14.

*Concilium non abſtulit poteſtatem a Pontifice diſpenſandi, ſed tantum declarauit non expedire.* 15.

*Parochus, ſeù quilibet Sacerdos de licentia Parochi aſſiſtens matrimonio clandeſtino eſt triennio ſuſpendendus.* 16.

*Hæc pœna non eſt lata ſententia, ſed ferendæ.* 17.

*Si Parochus poſt ſententiam ſuſpenſionis alteri matrimonio clandeſtino adſtiterit, incurrit nouam ſuſpenſionem incipiendam finito primo triennio.* 18.

*Intelligitur etiam hæc pœna de ſuſpenſione à beneficio.* 19.

*Hæc pœna poſtquam lata eſt non poteſt ab Epiſcopo abſolui.* 20.

*Parochus, ſeù Sacerdos aſſiſtens de ipſius licentia matrimonio clandeſtino poteſt, quandoque ratione ignorantia excuſari à tali pœna.* 21.

*Pœna triennalis ſuſpenſionis correcta eſt per Concilium Tridentinum, quando matrimonium fuit clandeſtinum ex defectu teſtium, & reducta ad pœnam Epiſcopo arbitrariam.* 22.

*Si matrimonium eſt clandeſtinum ex defectu denuntiationum remanet incorrecta, & in ſuo robore.* 23.

*Regularis Sacerdos coniungens, ſeù benedicens alienos ſponſos, abſque debita licentia incurrit ipſo iure pœnam ſuſpenſionis reſeruata ordinatio loci, in quo coniunxit, non tamen excommunicationem.* 24.

Præ-

Digitized by Google

*Præſcindendo à diſpoſitione Concilij Trid., ſi regularis aſſiſteret matrimonio ſine licentia non tamen benediceret, vitaret pœnam excommunicationis Clem. I. de priuileg. num. 25.*

*Teſtes intereſſentes matrimonio denuntiationibus ſine neceſſitate omiſſis grauiter peccant, & ſunt arbitrariè punibiles. 26.*

CLandeſtinitas, quantum pertinet ad præſens inſtitutum, vel poteſt eſſe ex defectu aſſiſtentiæ Parochi, & teſtium, qui defectus, vbi receptum eſt Concilium Tridentinum, eſt ſubſtantialis, qua ratione quoad pœnas ſolum afficere poteſt contrahentes, eorumque ſobolem; vel ex defectu denuntiationum, quæ licet non ſint de ſubſtantia contractus ſunt tamen de præcepto, qua ratione afficere non tantum poteſt contrahentes, ſed etiam Parochum, ſi ex propria culpa omiſerit; vel defectu benedictionum, qua ratione potiſſimum afficit contrahentes.

1 Contrahentes ſine Parocho, & teſtibus redduntur ſolum inhabiles quoad illum contractũ.

Aſſertio I. Contrahentes matrimoniũ clandeſtinè ſubſtantialiter hoc eſt ſine præſentia Parochi, & teſtium non fiunt inhabiles ad abſolutè contrahendum, ſed ſolummodo ad illum contractum, quem ſic clandeſtinè contraxerunt; cæterum ſeruata forma Concilii poſſunt validè, & licitè contrahere non ſolum inter ſe, ſed etiam cum alijs abſque Epiſcopi, vel alterius diſpenſatione. *Menochius de præſumpt. lib. 3 præſumpt. 1. in fin. Gutierez de iuramen. prima parte cap. 51. num. 22. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 89. VeraCrux append. ad ſpecul. dub. 18. Palacios in quarto diſt. 28. diſp. 3. ad fin. verſ. heſitas numquid Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 8. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 45. art. 5.* Et quidem matrimonium illud ſic contractum inualidum eſse non ſolum directè, ſed etiam indirectè ex inhabilitatè contrahentium clarè liquet *ex Concil. Trident. d. cap 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimonij*, & ex dictis à nobis ſupra.

Probatur iam, quod non fiant abſolutè inhabiles ad contrahendum, ſiuè inter ſe, ſiuè cum alijs ſeruata forma concilij, quia hæc pœna non imponitur à concilio, nec antecedenter erat impoſita, nec natura matrimonij clandeſtini hanc exigit, ergo &c. Antecedens quoad primam partem ex eo liquet, tùm quia Tridentinum non dicit abſolutè eſse inhabiles, ſed limitatè ſcilicet tantum ad ſic contrahendum; tùm quia, cum hæc ſit pœna grauiſſima, nempe inhabilitas in perpetuum, ſi concilium voluiſset eam imponere, vtique verbis prægnantibus expreſſiſset, quod cum non præſtiterit, præſumendum eſt eam non voluiſse; tùm quia cum hoc ius Tridentini ſit nouum, & in hac parte correctorium iuris antiqui eſt ſtrictè interpretandum, ita vt non excedat limites verborum, quibus concipitur; Quoad ſecundam partem etiam facile liquet, quia antecedenter ad Concil. Tridentinum non aderat onus contrahendi coram Parocho, & teſtibus, & licet requirerentur teſtes, non tamen requirebantur ſub pœna nullitatis. Quoad tertiam etiam liquet, quia contractus ex natura ſua non exigit, niſi conſenſum vtriuſque contrahentis ſenſibiliter appoſitum.

2 Ad diſſolutionem cõtractus ſubſtantialiter clandeſtini nulla requiritur declaratio.

Ex quibus duo inferes, alterum ad diſſolutionem contractus clandeſtini initi ſine præſentia Parochi, & teſtium non eſſe neceſſariam aliquam declarationem, quia illud decretum irritat ipſo iure contractum, & inualiditas conſurgit non ſolum directè ex parte formæ, ſed etiam indirectè defectu ſcilicet cauſæ efficientis habilis *Nauarrus lib. 4. conſil. in pr. edit. tit. de ſponſalib. conſ. 1. num. 2., & in 2. edit. tit. de clandeſt. deſponſ. conſ. 3. nu. 2.*; alterum, non exigi Epiſcopi licentiam, vt qui clandeſtine contraxerunt, poſſint nouum matrimonium ſeruata iuris ſolemnitate inire quidquid in contrarium dixerit *Maiolus lib. 3. de irregul. c. 25. §. crimina impedientia matrimonium num. 17. verſ. hodie alius caſus*, quia, cum ille contractus ſit nullus, nec aliqua pœna quoad hoc ſit eiſdem illata, vtiq; liberi remanent ad nouum contractum ineundum ſeruata iuris ſolemnitate.

3 Ad renouandum contractum clãdeſtinũ cum iuris ſolẽnitate non requiritur licentia Epiſcopi.

4 Sunt punibiles pœnæ arbitrariæ.

Aſſertio II. Contrahentes matrimonium clandeſtinè non ſeruata iuris ſolemnitate quoad præſentiam Parochi, & teſtium ſunt grauiter punibiles arbitrio ordinarij *Salzedo pract. c. 73. § 7. ex verbis, & §. circa quod tamen Manuel. pr. tomo ſumma 2. edit. c. 221. num. 4. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 46. num. 6.*

Expreſſè colligitur *ex eodem Concil. Trident. c. 1. ſeſſ 24. de reform. matrimon.* vbi ſic legitur *Sancta Sinodus eos arbitrio ordinarij puniri præcipit*, nec incongruæ rationi hæc ordinatio innititur, quandoquidem temerarius auſus ſic contrahendi non debet impunè relinqui; non enim ſufficit, quod inualidè contrahat qui ſic inhabilis eſt ad contrahendum, cum etenim audeat contra legem ita iuſtam, & notam operari in pœnam auſus grauem meretur punitionem; vbi nota, quod, cum concilium præcipiat puniri, non eſt in libertate Epiſcopi punire, vel non punire, ſed debeat abſolutè iuxta grauitatem culpæ proportionatam imponere pœnam. Aduerte vlterius, quod ſi vlterius progrediantur contrahentes matrimonium ſic clandeſtinè initum conſummantes longe grauiores pœnas debeant ſubire iuxta maiorem grauitatem delicti *Sanchez, & DD., qui ſupra allegati in aſſertione.*

Alias pœnas aduerſus clandeſtinè contra-

trahentes, ſiue per iura municipalia aliquarum Diœceſum, ſiue per iura Regnorum referunt DD. ſcilicet, vel excommunicationis, vel exheredationis, vel ſeruitutis perpetuæ, ſed quia, vel huiuſmodi

Aliæ pœnæ ſunt abolitæ.

pœnæ contraria conſuetudine aboletæ ſunt, vel quia ad nos non ſpectat ſingula iura Regnorum, vel Diœceſum indagare, ideo vos ad praxim locorum remitto.

5 Filij nati ex matrimonio clãdeſt no reputato valido à parentibus ſunt illegitimi.

Aſſertio III. Inter cæteras pœnas matrimonij clandeſtini hæc eſt, vt filij nati ex matrimonio clandeſtino, quod parentes putabant validum, quod tamen ex impedimento occulto erat inualidum, non ſint legitimi. Pro cuius aſſertionis intelligentia ſcias in iure cautum eſſe, quod ſi filij naſcentur ex matrimonio inualido ex aliquo impedimento occulto, quod in fide parentum, vel alterius ſaltem reputabatur validum, iſti habeantur pro legitimis per textum *in c. ex tenore Qui filij ſint legitimi*; hæc autem pœna efficit, vt quantumvis parentes in bona fide tenuerint matrimonium eſſe validum, filij tamen non habeantur pro legitimis.

Expreſſè colligitur *ex c fin. §. ſi quis verò de clandeſt. deſp.* vbi ſic legitur *Si quis verò clandeſtina coniugia inire præſumpſerit in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de tali coniunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium, cum illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ cenſeantur*, vbi nota rationem huius diſpoſitionis, quæ eſt non præſumpta ignorantia, non etenim eſt probabilis ignorantia, vbi omittuntur requiſita ad aſſequendam veritatem, vnde merito *Bartolus in l. fin. in init. ff. de ritu nupt., & l. poſt contractum nu. 7. ff. de donat.* dixit celebrantem actum prohibitum palam poſſe excuſari prætextu ignorantiæ, non autem celebrantem clam.

Circa hunc textum multæ inſurgunt rationes dubitandi, quas currenti calamo expono, & diluo. Prima eſt, an intelligatur tantum de coniugio, quando celebratum eſt clandeſtinè ſine Parocho, & teſtibus, an vero etiam, quando celebratum eſt coram Parocho, & teſtibus, ſed ſine denuntiationibus à iure requiſitis. Sentio abſolute

6

intelligendum eſſe etiam quando præciſe omittuntur denuntiationes *Sanchez lib. 3. de matrim. lib. 3. diſp. 42. num. 6. verſ. ſed quidquid ſit de hoc* quidquid ex aduerſo dixerit *Petrus à Ledeſma de matrim. q. 45. art. 5. §. eſt tamen dubium*, ex motus ratione, quod huiuſmodi matrimonium non eſt proprie clandeſtinum ex eo, quod ſit contractum in facie Eccleſiæ, hoc eſt coram Parocho vicem gerente eiuſdem Eccleſiæ, & teſtibus. Ratio ex eo deducitur primo, quia etiam in hac hypotheſi mili-

Etiam quãdo inualide celebratũ eſt omiſſis denũtiationibus.

tat ratio *dict. c. fin. de clandeſt. deſp.*, quod ſcilicet parentes ſint affectatores ignorantiæ, nam negligentes denuntiationes negligunt media, quibus fieri poſſunt conſcij impedimentorum, ſi quæ ſunt. Secundo, quia ſine dubio efficacius eſt medium ad detegenda impedimenta publicare ter matrimonium in Eccleſia cõfluente illuc populo, quam contrahere ſecreto coram Parocho, & duobus teſtibus, ergo, cum cauſa finalis præallegati textus *in c. fin.* fuerit ob affectationem ignorantiæ, præſumendum eſt potius pro eadem, quando non fuerunt præmiſſæ denuntiationes, ac quando matrimonium contractum eſt coram Parocho, & teſtibus. Tertio, quia diſpoſitio illius iuris *in c. fin. de clandeſt. deſponſatione* non potuit reſpicere præſentiam Parochi, & teſtium tanquam quid requiſitum de ſubſtantia cõtractus, quandoquidem ante Concilium Tridentinum non requirebatur huiuſmodi præſentia tanquam de ſubſtantia, vt eſt in confeſſo apud omnes ergo reſpiciebat præcisè defectum teſtium, & denuntiationum. Quarto, quia Concilium Tridentinum æquiparat *c. 5. ſeſſ. 24. de matrimon.* ſcienter contrahentes in gradibus prohibitis, ac ignoranter contrahentes non præmiſſis denuntiationibus, ergo quoad finem eiuſdem *c. fin. de clandeſtina deſp.* æquè comprehenduntur, qui contraxerunt non præmiſſis denuntiationibus.

Secunda ratio dubitandi ea eſt an ſolummodo intelligenda ſit diſpoſitio illius textus *in c. fin. de clandeſt. deſponſ.* quando matrimonium illud eſt inualidum ex impedimento occulto affinitatis, vel conſanguinitatis, vel cognationis, an vero ex quocunq; alio capite, ex quo matrimonium dirimatur. Fundamentum dubitandi ex eo deſumitur, quod *in d. textu cap. fin. de cland. deſp.* dicitur *Clandeſtina coniugia inire præſumpſerit in gradu prohibito*, gradus autem propriè conſiderantur in affinitate, conſanguinitate, & cognatione, & cum hæc lex ſit pœnalis, & correctoria debet ſtrictè ſumi, nec extendi vltra expreſſa per textum *in reg. odia de reg. iur. in 6. Goffredus in ſumma tit. qui ſint legitimi Card. eodem c. fin. num. 4. verſ. quæro quid, & alij.* Nihilominus ſentiendum exiſtimo textum extendi ad quemcunque caſum nullitatis ex impedimento occulto, dummodo ad illud detegendum confluere poſſint denuntiationes *Innocentius in c fin. num. 2. de clandeſt. deſponſ., & ibi Ancharanus 2. 16. Antonius num. 24. Hoſtienſis c. ex tenore in fin. qui filij ſint legitimi Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. in init. num. 12. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. nu. 75.* Ratio ex eo deducitur, quia eadem militat ratio finalis textus, quando inualiditas conſurgit ex impedimento occulto

7 Intelligenda etiam eſt hæc pœna d: matrimonio inualido ex quocunq; titulo.

com-

Digitized by Google

conſanguinitatis, & affinitatis, ac quando ex alio impedimento diuerſi generis promanat, ſiquidẽ eſt affectatio ignorantiæ, quæ computatur ſcientiæ; nec obeſſe poteſt id, quod dicebatur in fundamento dubitationis, nempe hanc eſſe legem pænalem, & correctoriam, quæ etiam ex identitate rationis non eſt extendenda vltra expreſſa; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet regularitèr leges pænales non extendantur vltra expreſſa, fallit tamen quando in diſpoſitione talis pęnę exprimitur ratio, ob quam inducitur, quia tunc tollitur ratio non extenſionis, nam quando ratio finalis non eſt expreſſa relinquit locum dubitandi, an hæc potius fuerit ratio, quã alia, & ideo tunc fit reſtrictio ad verba legis, nec extenditur, quando verò ratio finalis legis in eadem expreſſè apponitur non relinquit locum hæſitandi, an hæc fuerit, an alia, & ideo quotieſcunque eadem militat lex non eſt reſtringenda ad verba, ſed iuxta eandem rationem finalem extendenda, & in hac hypotheſi verificatur id, quod communitèr circumfertur, quod potius mens, quam verba ſint attendenda *Abbas in c. fin. num. 10., & ſeqq. de reſcriptis, & c. nihil num. 9. de elect. Lambertinus de iure patronatus lib. 2. part. 1. quaſt. 10. art. 4. in fin. Silueſter verb. lex q. 18., & verb. pæna q. 4 Gutierez qq. canon. lib. 1. c. 10. num. 3. Rolandus conſil. 27. num. 98. vol. 1.* Confirmari poteſt, quia, cum hæc lex emanarit in fauorem animarum ſcilicet ad euitanda peccata, quæ ex matrimonijs inualidis poſſunt conſurgere, debet potius dilatari, quam reſtringi *Hoſtienſis c. ex tenore in fine. Qui filij ſint legitimi, & ibi Ioannes Andreas num. 5. Antonius num 9. Ancharanus num. 5. Abbas nu. 5. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. in init. num.* 12. Ex quibus etiam facile poteris reſpondere ad ea, quæ nonnulli circunferunt ex *Concil. Trident. c. 5. ſeſſ. 24. de matrimon.* nempe contrahentes ſcienter in gradibus prohibitis ſeparandos eſſe atque ſpe diſpenſationis carere, quod dictum ſolum reſtringunt ad matrimonium contractum cum ſcientia, & ignorantia affectata impedimenti affinitatis, & conſanguinitatis; facile inquam reſpondere poteris, gratis omnino dici reſtringi ad ſolum impedimentum affinitatis, & conſanguinitatis, quia licet ſolum conſanguinitas, & affinitas in eo textu exprimatur, cum dicatur *intra gradus prohibitos*, cum tamen exprimatur ratio prohibitionis, quæ æque extenditur ad caſus aliorum impedimentorum dirimentium, & hic ſit ſermo de fauorabilibus animarum, ideo debet fieri extenſio ad omnes ſimiles caſus, aliaq; impedimenta. Deinde licet Tridentinum tunc expreſſionem ſolummodo fecerit affinitatis, & conſanguinitatis, poſteà non obſcurè mentem ſuam aperuit in ordine ad omnia impedimenta, dum ſubdidit. *Si verò impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit.*

Quãdo eſt expreſſa ratio legis ipſa lex extẽditur ad ea, in quibus militat ratio legis

8 Dixi, *dummodo ad illud detegendum influere poſſent denuntiationes*; Si etenim impedimenta illa ſint talis rationis, vt poſitis etiam denuntiationibus non poſſent innoteſcere, tunc etiam ſi huiuſmodi denuntiationes non fuiſſent præmiſſæ, ſi contrahentes habuerint bonam fidem validitatis contractus adhuc eorum filij haberentur pro legitimis; hoc potiſſimum eueniret, ſi matrimonium eſſet inualidum ex defectu conſenſus interni alterius contrahentis, vel ex defectu Parochi communiter reputati talis, cum talis non eſſet, cum eſſet intruſus, nec habens auctoritatem, & titulum à legitimo ſuperiore. Ratio huius limitationis ex eo deducitur, quià in tantum *textus in d. c. fin. de clandeſt. deſponſ.* ſtatuit, vt filij ex matrimonio clandeſtino inualido reputarentur illegitimi, in quantum parentes fuerunt affectatores ignorantiæ ex eo, quod non adhibuerunt media, ex quibus poſsent dignoſcere impedimentum, ſeù quod idem eſt omiſerint denuntiationes, ſed hæc ratio non militat, quandò impedimentum eſt tale, vt præmiſſis etiam denuntiationibus non potuiſset innoteſcere, ergò &c. Neque dicas, quod quamuis præmiſſis denuntiationibus non potuerit etiam tale impedimentum innoteſcere parentes tamen, & filij afficiantur tali pæna ob trangreſſionem præcepti earundem denuntiationum; contra enim impugnaberis, quià vbi in textu exprimitur ratio, ob quam talis pęna incurritur, eadem ceſſante non eſt, cur debeat incurri, ceſſante enim fine legis ceſſare debet, & eadem lex maximè, ſi fuerit pænalis.

Si impedimentũ nõ potuit innoteſcere per denuntiationes ijs omiſſis proles non haberetur pro illegitima.

Tertia ratio dubitandi ea eſt, an illa pæna afficiat etiam filios natos ex matrimonio clandeſtino inualido ob impedimenti ignorantiam, ſi poſtea illud publicetur, nullũ impedimentum inde dignoſcatur, & ab Eccleſia approbetur. Senſus huius dubitationis hic eſt. Contraxerunt ad inuicem Męuius, & Caia matrimonium, inter quos aderat impedimentum dirimens, ſed occultum, hocque præſtiterunt non præmiſſis denuntiationibus. Poſtea eiſdem ſeparatis, & habitis debitis denuntiationibus nullum detectum fuit impedimentum, & matrimonium fuit ab eccleſia approbatum, licet re vera eidem obſiſteret impedimentum non cognitum, quod tamen poſt approbationem eccleſiæ à multo tempore detectum fuit. In hac facti ſerie quæritur primo dependentèr *à c. quod nobis. Qui filij ſint legitimi*, vbi

Factum ſingulare, & articuli circa ipſũ examinandi.

ſic

ſic legitur *Si qui de matrimonio clandeſtino poſtmodum ab Eccleſia comprobato generati fuerint eos legitimos reputes filios* quæritur, inquam primo, an filij geniti, & nati poſt illam eccleſiæ approbationem reputandi ſint legitimi, an illegitimi, & naturales. ſecundò, an ſint reputandi legitimi, ſi concepti fuerint, & nati ante approbationem. Tertiò, an ſint reputandi tales, ſi concepti fuerint ante approbationem, nati tamen poſt eandem. In ordine ad
9 primum aſſerendum abſolutè, eſt filios ſic genitos, & natos poſt approbationem reputandos eſſe, vt legitimos *Antonius d. c. quod nobis nu. 7., & ibi Ancharanus nu. 6. Qui filij ſint legitimi Sanchez de matrim. diſp. 43. n. 1.* Ratio ex eo facilè deducitur, quià *ex c. ex tenore. Qui filij ſint legitimi*, quandò parentes ignorant re vera, & ſine affectatione matrimonium eſse inualidum filij ex eodem progeniti habentur pro legitimis; ſed in hypotheſi, de qua loquimur, parentes verè ignorant inualiditatem matrimonij, nec poſsunt affectare ignorantiam, cum habitæ fuerint debitæ denuntiationes, & eccleſia illud
10 approbauerit, ergò &c. In ordine ad ſecundum, & tertium aſſerendum eſt, filios conceptos antequam appareat impedimentum, licet ante approbationem nati ſint, cenſeri legitimos, vbi matrimonium publicatum fuerit, & auctoritate eccleſiæ reputatum, vt validum, licet poſtea detegatur impedimentum. *Ioannes Andreas d. c. quod nobis n. 4 Qui filij legitimi, & ibi Antonius n. 7. Ancharanus nu. 6. Prepoſitus n. 4. Silueſter verbo Filij q. 8. §. 10. Coarruias 4. decret. ſecunda part c. 8. § 2. nu 16. verſ. 10.*
11 *Sanchez lib. 3. de matrim diſp. 43. n. 4.* contra nonnullos, inter quos *Gloſa d. c. quod nobis verbo fuerint. Qui filij ſint legitimi, & ibi Calderinus, & Abbas num. 5. Brunellus de ſponſalib concl. 2. ampliat. 3. num. 18. Roſella verb. illegitimus n. 4. Angelus verb. filius n. 12.* volentes genitos ante approbationem non eſſe legitimos. Mouentur iſti primo *ex d. c. fin. de clandeſt. deſp*, vbi abſolutè dicitur filios ſuſceptos ex matrimonio clandeſtino inualido, ob ignoratum impedimentum eſſe illegitimos, ſed hi re vera ſuſcepti ſunt ex matrimonio clandeſtino inualido, cum conceptionis tempore illud matrimonium reuera eſset clandeſtinum. Secundò, quià, quandò parentes non poſsunt validè copulari matrimonio tempore conceptionis, & natiuitatis, quantumuis contrahant in faciem eccleſiæ proles ex eodem matrimonio ſuſcepta non redditur legitima per textum *in cap. tanta. Qui filij ſint legitimi*, ergò, quandò parentes non poſsunt copulari ex impedimento inter ipſos intercedente, & contraxerint calandeſtinè proles ex eodem matrimonio ſuſcepta ante approbationem non poterit eſse legitima, quià non plus poteſt tribui matrimonio putatiuo clandeſtino, quam matrimonio contracto in faciem eccleſiæ, quantumuis hoc ex aliquo impedimento fuerit inualidum. Tertiò, quià error nihil prodeſse poteſt danti operam rei illicitæ per textum *in l. eum, qui nocentem §. ſi iniuria ff. de iniurijs*; contrahens autem clandeſtinè dat operam rei illicitæ, & ſic error nequit eidem ſuffragari; hanc eadem ratione docent plurimi, quod ſpurij non legitimentur per matrimonium ſubſequens verum, quià cum dederint operam rei illicitæ non poſsunt iuuari errore.

Filij nati, & geniti poſt approbatio-nē cenſentur pro legitimis.

Si concepti fuerint ante approbationem Eccleſiæ, & nati poſt approbationem cenſentur legitimi.

Idem intellige, quando concepti, & nati ſunt ante approbationem.

Rationes, quę ex aduerſo opponuntur.

Nihilominus probatur noſtra aſsertio *ex c. 2. de clandeſt. deſponſat.*, vbi dicitur approbationem clandeſtini matrimonij factā ab eccleſia ita operari, ac ſi ab initio matrimonium eſset contractum in faciem eccleſiæ, ſed ſi eſset contractum in faciem eccleſiæ ab initio licet poſtea detegatur impedimentum filij haberentur pro legitimis, ergo &c. Confirmatur primo, quià approbatio eccleſiæ ita purgat in ordine ad contrahentes omne vitium clandeſtinitatis, ſicuti matrimonium ſubſequens purgat omnem turpitudinem præcedentem. Confirmatur ſecundò, quià in pænis ſemper benignior interpretatio facienda eſt, vt quantum fieri poteſt, minus lædat.

Approbatio clandeſtini facta ab eccleſia operatur, ac ſi matrimonium ab initio eſſet ſolemne.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur reſpondendum eſt, & quidem ad primam verum eſse id, quod dicitur, quotieſcunque res permanet in puro eſſe matrimonij clandeſtini inualidi, quod non militat in noſtro caſu, in quo per approbationem eccleſiæ purgatur ab omni vitio clandeſtinitatis, ceſsat etenim, & ignorantia affectata, & contumacia contra eccleſiæ præſcripta. Ad ſecundam dicendum eſt, illum textum *in c. tanta. Qui filij ſint legitimi* rectè ſecundum ſe procedere, ſed non in noſtro caſu, quandòquidem ibi ſupponuntur parentes conſcij impedimenti, in noſtro autem caſu contrahentes ſupponuntur ignorantes, & ſic ſolum fuit culpa in modo contrahendi clandeſtinè, quæ culpa purgatur per approbationem eccleſiæ, quod idem reſpondendum eſt ad tertiam aduerſantium rationem. Ad id tandem, quod ſubditur, patet ex ſe diſparitas, quià ſpurij concipiuntur per vitium fornicationis, & coitum ex genere ſuo prohibitum, quod nequit purgari.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Quarta ratio dubitandi ea eſt, an matrimonium ſecundum ſe validum, ſed clandeſtinum legitimet prolem antea ſuſceptam pro tempore, quo parentes erant habiles ad contrahendum inter ſe matrimonium. Reſpondendum eſt abſolutè affirmatiuè *Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 12. n. 13. Antonius Ga-*

*briel.*

Digitized by Google

12 Matrimonium ſecundum ſe validum, ſed clandeſtinum legitimat prolem antea ſuſceptam.

*briel. ſibi contrariùs tom.3. communium tit. de legitimatione concl.2.n.7. Ancharanus c. tanta n.4 Qui filij ſint legitimi Fuluius Pacianus lib.2. de probat. c.16. nu.68.* aduerſus innumeros, quos allegat *Sanchez lib.3.diſp.44. n.1.verſ.tertiò probatur*. Ratio huius noſtræ ſententiæ deſumitur ex textu *in d. c. fin. de deſponſ. clandeſt.*, vbi adhoc, vt filij dicantur illegitimi duo requiruntur, & quod matrimonium ſit inualidum, & quod ſit clandeſtinum, vbi autem vna ex his qualitatibus deficit, non eſt, cur illa pena ſit incurrenda; verſamur etenim in pœnalibus, & correctorijs, quæ non incurruntur, niſi plenè conſummato delicto, ſecundum quod iura diſponunt; Secundò ex ratione eiuſdem textus, qui in tantum illegitimam declarat prolem, in quantum per omiſſionem denuntiationum ſupponit ſcientiam, vel ignorantiam ſaltem affectatam in contrahentibus de impedimento exiſtente, ergò, vbi impedimentum abſolutè non eſt, non poteſt eſſe, nec præſumi ſcientia de illo, adeoque. Neque obeſſe poteſt textus *in auth. quibus modis naturales efficiantur legitimi §. illud quoque verſ. quantum vero*, vbi ad legitimationem per ſubſequens matrimonium requiruntur inſtrumenta dotalia, preſentia Epiſcopi, & trium, vel quatuor clericorum, ergò ad legitimam prolem non ſufficit matrimonium clandeſtinum, quantumvis validum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià quidquid ſit de illo iure ad hunc effectum non attendenda ſunt iura ciuilia, ſed tantum canonica. Deinde illud ius iam contraria conſuetudine præſcripta correctum eſt. Tandem, quià illæ ſolemnitates non requiruntur ad legitimandam prolem, ſed ad probandum matrimonium, & per conſequens etiam prolis legitimationem.

13 Cõtrahentes ſcientèr ſine denuntiationibus in gradibus vetitis carere debent ſpe diſpenſationis.

Aſſertio IV. Contrahentes ſcientèr, vel ignorantèr affectatè in gradibus prohibitis ſeù cum impedimento dirimente omiſſis denuntiationibus carere debet ſpe diſpenſationis obtinendæ *Petrus de Ledeſma de matrimon. q 56. art fin. dub.2 diff.1. concl. 1., & 2. Sanchez de matrim. lib. 3. diſput. 42.n.7. Paulus Laiman lib.5. Theol. mor. tract. 10. part. 2. c.4 n.16. verſ. altera pæna.*

Expreſsè colligitur ex *Trid. ſeſſ. 24. c.5. de matrim.*, vbi ſic legitur. *Si quis intra gradus prohibitos ſcientèr matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat*, vbi aduertè, quod quamuis dicatur, *ſcientèr*, intelligendum tamen ſit diſpoſitum etiam de ignorantia affectata, quæ in iure æquiparatur ſcientiæ.

Diſputant hic DD., & hæc pæna Tridentini intelligenda ſint dumtaxat, quandò ſit contractus in gradibus prohibitis cognationis, ſiuè corporalis, ſiuè ſpiritualis, & affinitatis, an verò etiam cum quocunque impedimento dirimente. Sed iuxta ſuperius dicta dum *de c. fin. de clandeſt. deſp.* crediderim intelligendam eſſe de contractu cum quocunque impedimento dirimente omiſſis denuntiationibus, quià quantumvis agatur de pænalibus, cum tamen ordinetur ad maximum animarum fauorem extendenda eſt ad ſimilia, quod etiam non ſub obſcurè innuiſſe videtur Tridentinum dum ſubdidit. *Si verò impedimentum aliquod poſtea ſub eſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius, cum eo diſpenſari poterit*, vbi præcisè non loquitur de impedimento cognationis, ſed de quocunq; alio dirimente.

14 Hæc pæna extenditur ad contrahentes in impedimente quomocunque dirimente ſcientèr.

15 Concilium non abſtulit poteſtatem à Pontifice diſpenſandi, ſed tantum declarauit non expedire.

Diſputant vlterius. Quid operetur illa clauſula, *Et ſpe diſpenſationis conſequendæ careat*. Certè diſpenſatio ad Pontificem pertinet, cuius auctoritas eſt ſuprà Concilium. Quomodo autem Concilium poteſt in Pontificem imperium exercere præcipiendo ne in hac hypotheſi fiat diſpenſatio? Sed per hoc aſſererem ſolum concilium declaraſſe non expedire in hoc genere diſpenſare, ne facilè in tàm perniciosum ſcelus homines irruant contra præcepta eccleſiæ, niſi grauiſſima de cauſa, nec per hoc abrogaſſe Pontificis auctoritati.

16 Aſſiſtens clandeſtino matrimonio eſt triennio ſuſpendendus.

Aſſertio V. Parochus, ſeù quilibet alius ſacerdos, ſiuè ſecularis, ſiuè Regularis de ipſius Parochi licentia aſſiſtens matrimonio clandeſtino eſt triennio ſuſpendendus. In hoc conſentiunt omnes attento iure antiquo, vt videre eſt apud *Sanchez d.lib.3.diſp. 48. Boſſium c.6. nu.78., & ſeqq.*

Expreſſè colligitur hæc pæna ex *cap. cum inhibitio §. fin. de clandeſt. deſponſ.*, vbi ſic legitur *Qui eis præſumpſerit intereſſe per triennium ab officio ſuſpendatur grauius puniendus, ſi culpa qualitas poſtulauerit.*

Circa hanc pænam plures inſurgunt rationes dubitandi, quas profero, & explano.

17 Hæc pæna non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ.

Prima eſt, an huiuſmodi pæna ſit latæ ſententiæ, an ferendæ. Reſpondeo eſſe ſententiæ ferendæ non latæ *Paludanus in quarto diſt. 28. qu. 2. art.5. num.30. Petrus à Ledeſma ſecunda part. qu. 47. art. 5. Manuel primo tom. ſumma in ſecunda edit. cap. 411. num 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract cap 6. num. 85, & ſeqq.* Colligitur ex modo, quo imponitur; dicitur enim *ſuſpendatur*, quæ particula importat tempus futurum optatiui modi, & poſtulat iudicis miniſterium, quæ ex genere ſuo indicant tantum ſententiam ferendam, non latam, *Tiraquel. l. ſi vnquam C. de reuoc. donat. verb. reuertatur num. 39. Moneta de diſtribut quotid. part. 3. qu. 7. num. 21. Gutierez de matrimon. cap. 75. num. 19. Barbo-*

ſa

Digitized by Google

*ſa de poteſt. Epiſc.alleg.32. num.160.*

18 Per nouam aſſiſtentiã poſt latam ſententiam nouam contrahit incipiendã nõ finito priori triennio.

Secunda, an, ſi Parochus poſt latam ſententiam ſuſpenſionis iterum alteri matrimonio clandeſtino adſtiterit, & iterum per ſententiam ſuſpendatur durante priori ſuſpenſione, tempus ſecundæ ſuſpenſionis incipiendum ſit à die latæ ſecundæ ſententiæ, quantumuis prior ſuſpenſio perſeueret, an vero à die finitæ primæ ſuſpenſionis. Probabilius exiſtimo, niſi aliud in ſententia fuerit declaratum, vt incipiat finito priori triennio, incipere poſt ſententiã latam immediatè, *Sanchez lib. 3. diſp. 50. num. 3. Auguſt. Barboſa de poteſtat. Epiſcop. alleg. 32. num. 164. Marius Alterius de cenſur. tom. 2. diſp. 11 cap. 5. verſ. vlterius dubitari Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. cap. 6. num* 86. Ratio in primis ex eo deducitur, quia expreſſio temporis intelligitur de proxime ſequenti, niſi aliud exprimatur. Deindè, quia in pænalibus begnignior facienda eſt interpretatio per textum *in reg. in pœnis de reg. iur. in 6.*

19 Hæc pæna intelligitur etiam de ſuſpenſione à beneficio.

Tertia eſt, an huiuſmodi pæna ſuſpenſionis ab officio per triennium intelligenda ſit etiam à beneficio; ſenſus difficultatis hic eſt, an intelligatur non ſolum ſuſpenſus ab officio Clericali, ſed etiam à fructibus beneficij, quod poſſidet. Sentio abſolutè non intelligi ſuſpenſum à beneficio *Gloſa cap. presbiter, ſi à plebe 2. qu. 4. verbo ſuſpendatur, Nauarrus lib. 5. conſil. in ſecunda edit. tit. de homicidio conſ 41. num. 2. Manuel primo tom. ſumma ſecunda edit. cap. 221. num. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract cap. 6. num. 87. Sanchez de matrim. lib 3 diſp. 51. num. 12.* Ratio ex eo deducitur primò, quia vbi iura voluerunt priuationem, ſeù ſuſpenſionem, tàm ab officio, quàm à beneficio id expreſſerunt, vt *in cap. tàm literis in fin de teſtibus, & atteſt., & cap. 1. de ſecundis nuptijs, & cap. tuarum de priuilegijs*, ergo cum in præſenti caſu non exprimant ſuſpenſionem à beneficio pæna illa non debet ad talem ſuſpenſionem extendi. Secundò, quia ſuſpenſio ab officio, & beneficio ſunt diuerſæ ſuſpenſiones, & ex genere ſuo omninò ſeparabiles, cum in iure hæc diuerſitas, & ſeparabilitas exprimatur, quandoque enim ſolum ponitur ſuſpenſio ab officio vt *cap. quia in omnibus in fin. de vſuris*, quandoque à beneficio, vt *cap. cum in cunctis in fin. de electione*, quandoque ab vtroque, vt *præcit cap. tam literis in fin. de teſtib. & atteſtat., & cap. 1. de ſecundis nuptijs*, ſicque ſuſpenſio ab vno non inducit ſuſpenſionem ab altero, niſi exprimatur. Tertiò, quia cũ verſemur in pænalibus non eſt facienda extenſio ſine expreſſione.

Quarta eſt, an Epiſcopus poſtquam lata eſt ſententia ſuſpenſionis aduerſus Parochum, vel alium ſacerdotem, ſiue ſæcularem, ſiue Regularem, qui adſtitit, vel ex officio, vel ex deputatione matrimonio clandeſtino, poſſit eundem à ſuſpenſione abſoluere. Reſpondendum eſt negatiuè *Henriquez lib. 3. ſumma cap. 39. num. 3. lit. E. Gutierez de matrim. cap. 75. num. 23. Marius Alterius de cenſur. tom. 2. diſp. 11. cap 5. verſ. quinto Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 766. Coninchus diſp. 27. nu. 84. concl. 2. Baſilius Pontius de matrimon. lib. 5. c. 3. n. 11. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp 42. n. 2. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 6. nu 89., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quià Epiſcopus non poteſt diſpenſare in ijs, quæ impoſita ſunt à Concilijs generalibus, quià inferior non poteſt diſpenſare in lege ſui ſuperioris; & licet regularitèr in ijs, quæ iuris ſunt, quandò ſpecialiter non ſunt reſeruata, poſſit ordinarius abſoluere, fallit tamen, quandò pęna aliqua impoſita eſt non indefinitè, ſed ad certum tempus determinatum *Silueſter verbo ſuſpenſio q. 8. verſ. tertium*, vbi allegat *Gloſam in c. cupientes de elect. in 6., & in clement. 2. de hæretic. Diaz in pract. crimin. c. 76. nu. 3. Gutierez de matrim. c. 75. n 23.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cum hæc ſententia ſuſpenſionis lata ſit ab homine, nempe ab eodem ordinario vtique poſſit ab eodem abſolui iuxtà regulam generalem, qua dicitur, quod eius ſit abſoluere cuius eſt ligare; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià non ligat propria auctoritate, ſed tanquam miniſter concilij, cuius dumtaxat declarat ſententiam, & applicat caſui particulari, prout pręcepit idem Concilium.

20 Hæc pæna poſtquam lata eſt nõ poteſt ab Epiſcopo abſolui.

Quinta difficultas eſt, an Parochus, vel alius ſacerdos, ſiuè ſęcularis, ſiuè Regularis de ipſius licentia aſſiſtens matrimonio clandeſtino, poſſit quandoque ratione ignorantię excuſari à tali pęna ſuſpenſionis triennalis. Iuxtà ſuperius dicta reſpondendum eſt affirmatiuè *Gutierez de matrimon. c. 75 num. 16. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 48. n. 7. Marius Alterius de cenſur. tom 2. diſp 11. cap. 5. verſ. hoc autem, quod dixi Bonacina tom. 3. de ſuſpenſ. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 5. nu. 1 Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 6. nu. 97.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi pęna comminatur contra eum, qui *auſus fuerit*; hęc autem particula importat ſcientiam, dolum, audaciam, & temeritatem, à quibus excuſat ignorantia, quantumuis craſſa. Aduerterem tamen, quod vix poſſit præſumi de tali ignorantia.

21 Poteſt ratione ignorantiæ excuſari à tali pæna.

Sexta difficultas eſt, an in eandem pænã ſuſpenſionis incidat non ſolum Parochus, ſeù alter ſacerdos de ipſius licentia aſſiſtens matrimonio Clandeſtino, ſed etiam alienus Parochus, & ſacerdos, quod alteri ſacerdoti dat facultatem aſſiſtendi. Reſpondendum eſt non incurrere talem pęnam ſuſpenſionis ſacerdotem alienum ſic mandantem quinimmò, nec incurrere

ſuſ-

Digitized by Google

ſuſpenſionem latam à *Concil. Trident. c.*1. *ſeſſ.* 24. de reformat. Ratio ex eo deducitur, quia regularitèr pęna illata contra facientes non extenditur contra mandantes, niſi exprimatur.

22 Septima difficultas eſt. An illa pæna triennalis ſuſpenſionis comminata *in d. c. fin.* § *finali de clandeſt. deſponſ.* intelligatur correcta per *Trident. c.* 1. *ſeſſ.* 24. *de matrimon. verſ. inſuper Parochum.* Cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo, vel etenim matrimonium, cui illi aſſiſtunt eſt clandeſtinum ex defectu teſtium adhoc requiſitorum, vel ex defectu denuntiationum; Si ſit ex defectu teſtium abſolute exiſtimo correctam eſſe per pænam arbitrariam eidem Epiſcopo per Tridentinum remiſſam; Si ſit ex defectu denuntiationum ſentio integram, & in ſuo robore permanere pænam illam triennalis ſuſpenſionis.

Pæna triennalis ſuſpéſionis quãdo matrimoniũ eſt clãdeſtinũ correcta eſt per Cõcil. Trid.

Prima pars eſt *Matienzo lib.* 5. *recop. tit.* 1. *l.* 1. *gloſ.* 1. *nu.* 2. *in fin. Sanchez lib.* 3. *diſp.* 48. *num.* 4. *Gutierez de matrimon. c.* 75. *num.* 14. *Hurtadi de matrim. diſp.* 5. *diffic.* 17. *num.* 55. aduerſus *Ioannem Angelum Boſſium d. c.* 6. *num.* 81., & alios. Secunda pars eſt *Maioli lib.* 3. *de irregular. c.* 25. *nu.* 17., *& ſeqq; Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 5 *num.* 6. *Vega lib.* 6. *ſumma c.* 112. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Concilium Tridentinum in eo caſu imponit nouam pænam mitiorem, nempe arbitrio ordinarij imponendam, vt patet *ex d. c.* 1. *ſeſſ.* 24. *de matrimon.* ergo intelligitur antiqua correcta, conſequentia tenet, quia quando minor pæna imponitur noua lege pro eodem delicto, pro quo imponebatur grauior lege antiqua, intelligitur antiqua grauior deſinere, nec probabile eſt Concilium Tridentinum voluiſſe reducere pænam ſuſpenſionis triennalis ad arbitrium ordinarij; ſi voluiſſet eandem perſeuerare *Gregorius Lopez l. fin. verb. à furto tit.* 3. *part.* 4. *Antonius Gomez* 3. *var. cap.* 1. *n.* 38. *Boſſius pract. tit. de officialibus corruptis pecun. num.* 10. *Iulius Clarus lib.* 5. *recept. pract. crimin.* § *fin. q.* 85. *verſ. debet etiam Iudex Nauarrus lib.* 5. *conſ. in pr. edit. tit.* 37. *de pænis conſ.* 1. *in fin. & in* 2. *lib.* 1. *tit. de conſtitut. conſ.* 10. *in fine*. Neque hic audiendus eſt Ioannes Angelus Boſſius exiſtimans Trident. in hoc non derogare iuri antiquo Lateranenſis Concilij, cum proteſtetur eiuſdem velle veſtigijs inhærere, præcipuè cũ à iure antiquo nõ liceat recedere, ſine noua, & expreſſa declaratione *l. præcipimus C. de appellat.*, & vbi vnaquæque pæna ſuſtineri poteſt per nouam non derogatur antiquæ *Bartolus in l.* 1. *ad fin. ff. de vi bon. rapt. Felinus c. quod olim num.* 2. *de Iudæis Bertachinus in repert. lit. P. verb. pæna* §. *pænæ diuerſæ verſ. pæna noua Antonius Gomez* 3. *var. c.* 1. *num.* 38. *verſ. quarta concluſio Gratianus reg.* 291. *num.* 3. Non, inquam, audiendus eſt, quandoquidem licet Concilium Trid. aſſerat ſe velle veſtigijs Lateranenſis adhęrere, hoc intelligendum eſt, quoad præceptum denuntiationum præmittendarum, & pænas Parochi eas omittens, non vero quando illud matrimonium eſt nullum ex defectu teſtium, cum enim tunc Tridentinum illud irritauerit, quod antecedenter non erat nullum, debuit congruè etiam pænas moderari. Ad illud, quod ſubditur dic per nouã legẽ pęnalem mitiorem derogari antiquæ quando nõ militat eadem ratio inconuenientiæ, plura etenim inconuenientia oriri poterãt, quando matrimonium non erat nullum defectu teſtium, ac quando eſt ex illorum defectu nullum; quod idem reſponderi poteſt ad illud, quod ſubditur; non etenim congruum eſt, quod pænæ augeantur, quando diminuitur ratio inconuenientium. Ratio ſecundę partis ex eo deducitur, quia quando omittuntur præciſè denuntiationes Concilium Tridentinum nouam pænam non conſtituit, & eadem oriri poſſunt inconuenientia, quæ oriri poterant ex illarum omiſſione antecedenter ad idem Concilium Tridentinum, ergo non eſt, cur intelligatur correcta eadem pæna, quia vbi viget eadem ratio, nec quid noui eſt inductum, non eſt, cur non debeat vigere idem ius.

23

Si ſit clandeſtinũ ex defectu denũtiationũ remanet in correcta, & in ſuo robore.

24 Aſſertio VI. Regularis Sacerdos coniungens, vel benedicens ſponſos alienos abſque debita licentia incurrit quidem ipſo iure pænam ſuſpenſionis reſeruatæ Ordinario Parochi, qui intereſſe debebat, non tamen excommunicationem *Clement.* 1. *de priuileg. Henriquez lib* 13. *cap.* 38. *nu.* 2. *lit. E. in comment. Sairus de cenſur. lib.* 4 *c.* 16. *nu.* 10. *Filliutius tom.* 1. *tract.* 17. *c* 6 *nu.* 101. *Bonacina de matrim. q.* 2. *punct.* 8. *nu.* 12., *& q.* 4. *punct.* 6. *num.* 3. *Rebellus de obligat iuſtitia* 2. *part. poſt lib* 4. *in declarat. Sacræ Congregationis cap.* 1 *ſect* 3. *num.* 33. *Hurtadus de matrimon. diſp.* 5. *difficult* 17. *num.* 57.

Regularis coniũgens alienos ſponſos ſine licẽtia incurrit ſuſpẽſionẽ reſeruatã Epiſcopo loci, vbi coniunxit, non tamen excommunicationẽ.

Ratio primę partis expreſſe deducitur ex eod. *Concil. Trident. cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* vbi ſic legitur *Ipſe iure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiù ab ordinario Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeù à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur,* qui quidem textus loquitur, tam de ſacerdote ſæculari, quam Regulari.

Ratio ſecundæ partis deducitur ex ijs, quæ ſupra dicebamus, ſcilicet per nouam pænam mitiorem conſtitutam à noua lege corrigi antiquam duriorem, præſertim, ne pro vno peccato duplex incurratur pæna, & vtiq; vtraq; grauis.

Hic oritur difficultas, an præſcindendo à Concilio Tridentino, per quod ſupponitur grauis illa pæna excommunicationis latæ per illam *clem.* 1. *de priuileg.* per impo-

25 Regularis aſſiſtēs matrimonio, ſine licētia non tamen benedicēs nō incurret pœnam excommunicationis. *Clem. 1. de priuil.*

ſtionem nouæ pœnæ ſuſpenſionis correcta, ſi Regularis aſſiſteret matrimonio ſponſorum alienorum, non tamen eoſdē benediceret vitaret illam pœnam excommunicationis comminatę *in ead. Clem 1. de priuileg.* Sentio abſolutè illam pœnam vitare. *Gloſa in d. clem. 1. de priuileg. verb. ſolemnizare Tabiena verb. excommunicatio 5. c. 11 num. 8 Nauarrus in ſumma c. 27. nu. 101. Sairus de cenſur. lib. 3 c. 29. num. 32. Suarez de cenſuris diſp 22. ſect. 4. num 12. Vgolinus de poteſt. Epiſc. c. 15 §. 12. num. 8. Bonacina de cenſur in particul diſp. 2. q. 9. punct. 5 nu. 13.* Ratio ex eo deducitur, quia ly ſolemnizare, præcipuè quantum erat de iure antiquo, importabat tantum ſolemnem benedictionem nuptiarum, vt Gloſa, & omnes DD. præcitati, vel omnē ſolemnitatem, quæ obſeruatur iuxta ritum Eccleſiarum Regionis, vt habetur *c. 1. de ſponſalib.*, ergo cum præciſè aſſiſtens, & non benedicens non exerceat omnem ſolemnitatem, vt per ſe patet, non incurret illam excommunicationem, quandoquidem in pœnalibus non facienda eſt extenſio, vltra propriam, & rigoroſam verborum formam.

26 Teſtes aſſiſtentes matrimonio clādeſtino ſine denunciationibus peccant.

Aſſertio VII. Teſtes intereſſentes matrimonio omiſſis abſque diſpenſatione, aut vrgenti neceſſitate denuntiationibus grauiter peccant, & ſunt pœna arbitraria iuxta qualitatem delicti plectendi *Nauarrus in ſumma c. 16. num 36. Stephanus Gratianus tom. 1. diſcept. forenſ. c. 82. num. 8. Gutierez de iuram. confirm p part. c. 51. nu. 29, & de matrimon. c 56. num. 4. Paulus Laiman. lib. 5. Theolog. mor. tract. 10. part. 2. cap 4. num. 9, & alij plurimi quos citat, & ſequitur Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 8. nu. 1.*

Ratio primæ partis ex eo facile deducitur, quia auctoritatem, quantum eſt de ſe præſtant matrimonio ab Eccleſia interdicto eius iuſſa contemnentes præſcripta in Concil. Lateranenſi relato *in cap. cum inhibitio de clandeſt deſp.*, & in Concil. Trident. *cap. 1. ſeſſ 24. de reformat. matrim*; facile tamen poſſent eximi à culpa, ſi fuerint inſcij denuntiationum non præmiſſarum, quandoquidem ad eoſdem non incumbit onus inquirendi. Hinc facile etiam deduci poteſt ratio ſecundę partis, quia tranſgreſſores legis ſunt condigna pœna afficiendi.

## PRÆNOTIO XXXX.

Quinam poſſint contrahere matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Illi omnes poſſunt contrahere matrimonium, qui nullo impedimento dirimente afficiuntur.* 1.

*Requiritur ad validitatem contractus in maſculo ætas quatuordecim annorum, in fæmina duodecim.* 2.

*Talis ætas ſolum requiritur de iure Eccleſiaſtico.* 3.

*Pontifex poteſt in ætate illa diſpenſare, non ſic Epiſcopus.* 4.

*Vbi non conſtat de malitia præueniente ætatem talis ætas in vtroq; debet eſſe perfectè completa.* 5.

*Præueniente malitia ætatem poſſunt valide ante illam contrahere.* 6.

*Quomodo in dubio, an malitia præceſſerit ætatem, ſit coniectandum.* 7.

EXpeditis iam quæſitis, an ſit, quid ſit, & quotuplex ſit matrimonium, aſſumimus iam cauſas indagandas, quibus ſit, & primo ſe ſe offert cauſa efficiens eiuſdem, nempe contrahentes, quinam ſcilicet poſſint contrahere, & efficere matrimonium.

Aſſertio I. Illi omnes poſſunt contrahere matrimonium, qui nullo impedimento dirimente afficiuntur. Eſt communis apud omnes, tam Theologos, quam canoniſtas. 1 Poſſūt omnes contrahere, qui non ſunt impediti.

Ratio ex eo deducitur, quia ius contrahendi matrimonium omnibus inditum eſt à natura, cum omnibus dictum fuerit *Creſcite, & multiplicamini*, niſi aliquod ius obſiſtat, vel ratio prohibeat; non etenim eſt naturæ ius ſtrictè ſumptum, & abſolutè præcipiens, ſed ius naturæ permittens non quomodocunque, ſed ſtantibus certis conditionibus, & qualitatibus, ergo vbicunque nullum impedimentum dirimens interuenerit vnuſquiſque poterit matrimonium contrahere. Quænam autem ſint, hæc impedimenta dirimentia clarius, & expreſſè innoteſcet in ſubſequentibus, dum expreſſe de impedimentis.

Aſſertio II. Ad hoc, vt contrahentes poſſint valide contrahere matrimonium requiritur in maſculo ętas quatuordecim annorum, & in fęmina ętas duodecim. Conſentiunt omnes, tam Theologi, quam canoniſtę. 2 Ætas requiſita ad valide contrahendum.

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quia ad contrahendum matrimonium requi-

Digitized by Google

requiritur pubertas in vtroque coniuge per textum *in c. puberes de ſpon. impuberum*, ſed in fęmina pubertas communitèr accedit ad annum duodecimum *c. continebatur de deſpon. impub.*, in maſculo verò ad decimum quartum *c. atteſtationes, & c. ex literis eod. tit.*, ergò &c. Atque hęc ætas ita à canonibus definitur, quià tunc præſumuntur habiles ad copulam, & ad concubitum coniugalem *ex c. puberes eod. tit., & ibi gloſa fin. ab omnibus recepta*. Si autem inquiras, cur minor ætas aſsignetur ad pubertatem fęminæ, quam maſculi, latè, & erudite tractant *Tiraquel lib. 6. connubij n. 38., & Gutierez auth. ſacramenta puberum nu. 1. & 2. C. ſi aduerſus venditionem* quos conſule.

3 Talis ætas ſolum requiritur de iure Eccleſiaſtico.

*Diſputant DD.* hic primò, an talis ętas ad validè contrahendum requiratur ſolum de iure Eccleſiaſtico, an verò etiam de iure naturę. Reſpondeo, requiri ſolummodò de iure Eccleſiaſtico *Henriquez lib. 12. c. 7. n. 1. D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 5. in corpore, Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſal conſ. 39. num. 7., & in ſecunda tit. de deſponſat. impub. conſ. 4. num. 7., & tot. conſ. 5. VeraCrux prima part. ſpecul. art. 39. concl. 1. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 58. art. 5. paulo poſt princip.* Ratio ex eo deducitur, quià ex vno capite non eſt de eſsentiali conceptu matrimonij actualis copula, ex alio ante illam ætatem poſsunt prę̨ſtare liberum, & determinatum conſenſum, qui eſt forma ſubſtantialis contractus, ergò ſecundum ſe præciſo quocunque iure poſitiuo non eſt, cur contractus ante illam ætatem non poſsit ſubſiſtere. Confirmatur ex eo, quod illa impotentia ad complementum accidentale coniugij, nempe ad copulam non eſse perpetua, ſed merè temporalis, ſed impotentia temporalis ad actum ſecundum per ſe non dirimit matrimonium, vt videre eſt in præpedito aliqua infirmitate, ergò &c.

*Diſputant* ſecundò. An non ſolum Pontifex, ſed etiam Epiſcopus poſſit diſpenſare ſuper ętate, vt contrahatur matrimonium à maſculo ante decimum quartum annum, & à fęmina ante duodecimum. Ex eo, quod in præcedenti dubio dixerimus talem ætatem ſolum requiri de iure poſitiuo eccleſiaſtico non poteſt eſse dubium, quin Romanus Pontifex poſſit diſpenſare, quandòquidem eſt ſuper omne ius poſitiuum; ſolum difficultas remanet de Epiſcopò, cum de iure communi circa talem ætatem ſit diſpoſitum; in ijs autem,

4 Solus Pontifex poteſt in illa ætate diſpenſare, non Epiſcopus.

quę ſunt de iure communi diſpoſita. *Sanchez lib. 7. de impedimentis diſp. 104. n. 12.*, qui pro ſe citat *Hoſtienſem in c. 2. n. 4. verb. niſi fortè, Ioannem Andraam ibi n. 1. Nauarrum lib. 4. conſil. in 2. edit. tit. de deſponſ. impub. conſ. 5. Angelum verb. matrimonium 3. imped. 16. n. 7., & alios* exiſtimat ob vrgentem cauſam Epiſcopum poſse diſpenſare. Abſolutè tamen ſentio, Epiſcopum non poſse diſpenſare, ſed vrgente grauiſſima cauſa ceſsare quoad particularem illum caſum diſpoſitionem iuris. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià Epiſcopus non poteſt diſpenſare in ijs, quę iuris communis ſunt, & procedunt ab auctoritate ſuperiori, vt videre eſt in omnibus alijs impedimentis dirimentibus inductis à iure Eccleſiaſtico, ergò &c. Neque enim in hoc eſt ſpecialis iuris diſpoſitio eidem permittens ſuper hoc diſpenſandi facultatem. Ratio ſecundæ partis deducitur ex textu *ex cap. 2. de deſponſat. impub.*, vbi ſic legitur. *Diſtrictius inhibemus, ne aliqui ante ætatem canonibus præſcriptam coniungantur, niſi fortè aliqua vrgentiſſima neceſſitate interueniente vtpote pro bono pacis talis coniunctio toleretur*, vbi nota hanc vltimam particulam, *toleretur*, quę non importat aliquem actum poſitiuum derogationis iuris per diſpenſationem, ſed ſolummodò permiſſionem eiuſdem iuris ſine reluctantia, & ſine irritatione contractus; & quidem maximè ęquum fuit in tam graui neceſſitate, vt ſupponitur, ius indulgere, ne deterius quid inde in damnum publicum eueniret. Fateor tamèn, quod ſi dubium eſset, an talis cauſa vrgens eſset ſufficiens ad tolerantiam, nec ne, congruentiſſimum eſset ad Epiſcopum ſpectare cognitionem.

Diſputant tertiò. An ad validitatem matrimonij requiratur, vt ętas quatuordecim annorum in maſculo ſit completa, & in fæmina ętas duodecim. Procedit in ſuppoſitione, qua manifeſtè malitia non ſuppleat ętatem, de qua re infrà. Reſpondeo iuxta dicta *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. prænot. 2. num.* 8 niſi expreſsè conſtet de potentia ad perfectam copulam, & plena directione antecedentèr ad illud tempus, annum quartum decimum in maſculo, & duodecimum in fęmina, vt ſaltem inchoatus ſit vltimus dies *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 104. n. 2. Ioannes Andraas c. fin. n. 3. de deſponſ impub., & ibi Antonius n 6. Abbas n. 6. Cardin. nu. 2. Roſella verb. matrimonium 2. nu. 5. Silueſter. verb. matrimonium 5. q. 5.* contra *Speculum prima part. art. 16. Bonacinam de Matrimon. q. 1. punct. 4. n. 11., & alios apud ipſum*. Colligitur primo *ex cap. atteſtationes de deſponſatione impub.* Ibi. *Antequam ad annum decimum quartum perueniſſet, & ex cap. ex literis eod. tit.* Ibi. *donec compleat puer annum decimum quartum*, & item *ex cap. fin. eod. tit.*, vbi deciſum fuit coniugium puellæ, quæ circà duodecimum annum nupſit, non valuiſse, quià non conſtabat malitiam ætati prę̨ponderaſse. Secundò ratione ſic euincitur, quià in iure quoad

5 Vbi non conſtat de malitia ſupplente ætate illa ætas debet eſſe in vtroque comlpeta perfectè.

vtrumque contrahere volentem præſcribitur illud tempus non quomodocunque, ſed completum, vt ex allegatis iuribus conſtat, quia nonniſi pro illo tempore præſumitur perfecta potentia, & plena diſcretio ad contrahendum, & conſummandum, ergo vbi non conſtat de perfecta illa potentia, & plena diſcretione ius ipſum debet permanere in ſua poſſeſſione, quod ſcilicet matrimonium non teneat.

6 Vbi compleuerint talem ætatem, nec tamen ſint apti ad generationē non poſſunt valide contrahere

Diſputant quartò, an, ſi puer compleuerit decimum quartum annum, & fæmina duodecimum, nec tamen adepti fuerint potentiam generandi poſſint valide contrahere matrimonium. Supponimus, quod illa impotentia non ſit perpetua, ſi enim eſſet talis nulli dubium, quod validè non poſsent contrahere, vt infra, dum de impedimentis fuſius diſſeremus. Reſpondeo probabilius eſſe non poſſe valide contrahere *Gloſa in cap. continebatur verb. proximè de deſponſat. impub.*, *& cap. puberes verb. tardiſſimè eod. tit.*, *& ibi Abbas num. 5.*, qui etiam aſſerit hanc ſententiam veriorem eſſe; *VeraCrux prima part. ſpecul. art. 39. concl. 2.* Ratio ex eo deducitur primò, quia iura non ideo præſcribunt illam ætatem in vtroque contrahente, quia eandem velint ſecundum ſe nullo alio habito reſpectu, ſed quia in illa regulariter acquiritur, & præſumitur potentia generandi in contrahentibus; ergo, ſi pro illa ætate non acquiſierint potentiam ad generandum, non propterea valide contrahent. Secundò, quia præueniente malitia ætatem valide ante ætatem illam à iure præſcriptam contrahunt, vt mox videbimus, ergo ſubſequenti ſolummodo non concomitante malitia ætatem, ſeù quod idem eſt potentia ad generandum cum diſcretione, in tali ætate non peterunt validè contrahere. Conſequentia tenet, quia ceſſat ratio ætatis, vbi viget, vel non viget potentia ad generandum. Tertiò ex textu *in cap. ex illis 2. de clandeſt. deſponſ.* vbi deciditur, impuberes potentes generare valide matrimonium inire, ergo è contrario, qui generare nequit, quantumvis ætate ſit pubes, dicetur impubes ad matrimonium, adeoque illud non poterit valide contrahere.

Diſputant quintò, an malitia ſupplente ætatem poſſit ſponſus antecedenter ad decimum quartum annum contrahere, & fæmina antecedenter ad duodecimum. Ad claram huius diſputationis diſcuſſionem aduertendum eſt nomine malitiæ, prout ad præſens inſtitutum pertinet non venire ſolum potentiam ad copulam, ſeù ad generationem, ſed vlterius requiri prudentiam, ac diſcretionem ad intelligendam vim conſenſus coniugalis, prout euincitur *ex cap. fin. de deſponſat. impub. D. Thomas in quarto diſt. 36. qu. vnica art. 5. in corpore, Abbas cap. de illis 2. nu. 4. de deſponſ. impub. Sotus in quarto diſt. 35. qu. vnica art. 5. verſ. quod ſi rurſus, Coaruuias quarto decret. ſecunda part. cap. 5. num. 3. Coſtanus de ſponſalibus tit. de his, qui nuptias contrahere poſſunt num. 50., & ſeqq.* Reſpondeo præueniente malitia ætatem iuxta hunc ſenſum poſſe valide contrahi matrimonium *Sanchez d. lib. 3. diſp. 104. num. 5.* atque etiam ſentire videtur *D. Thomas tertia parte q. 42. art. 2. Sotus in quarto diſt. 27. qu. 2. art. 2. Coninchus de matrimon. diſp. 21. dub. 5. num. 52.* Ratio ex eo deducitur, quia tota ratio conſtituendi terminum quatuordecim annorum in maſculo, & duodecim in fæmina contrahendi nuptias ea fuit, quia in illa ætate ſolummodo præſumitur potentia ad generandum cum plena diſcretione, & cognitione vis conſenſus coniugalis, ergo, ſi euidenter conijciatur talem potentiam, & diſcretionem præueniſſe ætatem ante illam ætatem poterunt valide contrahere.

Præueniente malitia ætatem poſſunt antecedenter ad illam valide contrahere.

Diſputant ſextò. Quomodo in dubio, quod malitia præceſſerit, ſeù præcedat ætatem, ſeù non præceſserit, & non præcedat ætatem, ſit coniectandum, vel de præuentione, vel non præuentione ad effectū, vt matrimonium ſtatuatur validum, vel declaretur inualidum. Quantumvis nomine malitiæ, quantum ſpectat ad præſens inſtitutum, importetur indiuiſibiliter tàm potentia ad generandum, quàm plena diſcretio, & cognitio vis conſenſus coniugalis, vt ſupra diximus, nihilominus hanc difficultatem in præſenti reſtringimus ad dignoſcendam potentiam ad generandum, licet poſtea aliquid ſubdemus de coniecturis, quæ poſsunt inducere illam plenam diſcretionem. Conueniunt omnes primò optimè euinci potentiam impuberis ad copulam, ſi fæmina impubes ab alio fuerit cognita, vel puer impubes aliam fæminam perfectè cognouerit *Gloſa in cap. vnico verbo ſupplebat de deſponſ. impub. in 6. Antonius cap. de illis 2. de deſp. impub. num. 5., & ibi Abbas num. 4. Henricus cap. puberes num. 3. eod. tit. Maſcardus de probat. concl. 889. num. 10. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 13. n. 11.* Dixi *perfectè*, hoc eſt non ſolum per penetrationem vaſis muliebris, ſed etiam per emiſſionem veri ſeminis apti ad generationem ex parte vtriuſque, quia poteſt contingere, quod fæmina impubes per maximam violentiam patiatur penetrationem, nec tamen ſeminet, nec verum ſemen recipiat, in quo caſu non eſſet potentia, quæ requiritur ad præſentem effectum. Facilius tamen præſumeretur in hoc caſu, ſi vterque eſſet proximus pubertati. Conueniunt ſecundò, hanc potentiam ad generationem ex ſignis probari, quamuis copula nondum ſit habita

7 Quomodo in dubio, an malitia præceſſerit ætatem, nec ne ſit coniectandum.

habita. Sed quænam ſint ſigna ſufficientia, & quænam non, hoc opus, hic labor. Cōmunitèr ſtatuunt huiuſmodi ſigna arbitrio, & iudicio Iudicis penſanda eſſe, qui inſpecta qualitate perſonæ, membrorum diſpoſitione, ac valetudine bona, alijſque qualitatibus decernat *Nauarrus lib. 4. conſil. in priori edit. tit. de ſponſalib. conſ. 39. num. 13. in poſteriori tit. de deſponſat. impub. conſ. 4. num. 13.*, requirunt tamen DD. vt ex ſignis dignoſcatur potentia ad generationem, vt vterque ſit proximus pubertati *Antonius cap. de illis 2. num. 5. de deſponſat impuber. Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 13 num. 11. in comment. lit. M.* Sed, an in eo caſu ad dignoſcendam potentiam ad generationem requiratur inſpectio partium verendarum impuberis contrahere contendentis nonnulli affirmarunt, & vtique per matronas practicas, quod colligere videntur *ex cap. ex literis cap. fraternitatis, & cap. fin. de frigid. & maleficiat.*, ſed abſolutè hoc negandum eſt, nam pudori parcendum eſt, & honeſtati. In particulari ſtatuunt ſufficiens ſignum eſſe talis potentiæ, ſi fæmina incipiat menſtruū pati *Abulenſis ſuper illud Exodi 21. Egredietur gratis qu. 13. verſ. de pubertate, Valles de Sacra Philoſophia cap. 10.*, hocque etiam expreſsè innuiſſe videtur *Ariſtoteles lib. 7. de hiſtor. animalium cap. 2. in initio*, dum dixit conceptum mulierum à profluio menſtrui ſuaptè natura incipere. Secundò ex parte maſculi ſufficiens inditium talis potentiæ aſſignant, ſi ſemen incipiat effundere *Roſella verb. matrimonium 2. num. 3. Silueſter verb. matrimonium 5 qu. 3.* Sed hoc de facili non admitterem, niſi aliæ ſimul concurrerent coniecturæ indicantes cumulatiuè illam potentiam, ſicuti non admitterem hanc potentiam ſufficienter euinci ex eo, quod impubes in partibus pudendis ſit piloſus &c.

---

## PRÆNOTIO XLI.

### Quænam ſit materia, & forma matrimonij.

*SVMMARIVM.*

*Materia, & forma exponitur remiſſiuè.* 1.
*Verba, an neceſſaria ſint remiſſiuè.* 2.
*Simultas conſenſus, an requiratur, remiſſiuè. num.* 3.
*Externa promiſſio ficta, an ſufficiat, remiſſiuè.* 4.
*An metus irritet, remiſſiuè.* 5.
*An promiſſio poſſit fieri abſenti, remiſſiuè.* 6.
*An poſſit iniri per procuratorem, remiſſiuè, num.* 7.
*An dolus, vel error irritet, remiſſiuè.* 8.
*An conditio vitiet, & ſuſpendat, remiſſiuè: num.* 9.
*An pœna, remiſſiuè.* 10.
*An modus, demonſtratio, & cauſa, remiſſiuè.* 11.
*An conſenſus præſumptus ſufficiat remiſſiuè: num.* 12.
*Quodnam ſit obiectum conſenſus, remiſſiuè: num.* 14.
*An deferri poſſit conſenſus per verba affirmatiua, vel negatiue, remiſſiuè.* 15.

NON diutius in hac prænotione immorandum eſt, quandoquidem de eadem fusè egimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. prænot. 4., & 5. per totum*, vbi vidimus eundem conſenſum verbis, ſeù ſignis ſenſibilibus informatum ſub diuerſa conſideratione, & habere rationem materiæ, & ſimul formæ; materiæ ſcilicet, quatenus per talem conſenſum expreſſum defertur ad inuicem promiſſio futurarum nuptiarum, prout ſuſtinent *D. Thomas in 4. diſt. 26. qu. 2. art. 1. Sotus item in quarto ead. diſt. qu. 2. art. 3. Bellarminus lib. 1. de matrimon. cap. 6. Suarez tom. 1. de Sacramentis qu. 60. art. 8.*, formæ vero, prout importat expreſſionem mutuæ acceptationis promiſſionis ad inuicem factæ *D. Thomas loc. cit. cum omnibus ferè præcitatis DD.* 1 *Materia, & forma exponitur remiſſiuè.*

Plures, & longæ plures eſſent hic texendæ diſputationes de huiuſmodi conſenſu, tàm circa qualitates eiuſdem, quàm circa obiectum, ſed quia de his latiſſimè actum eſt *eod. tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus I. prænot. 5. per omnes ferè ſectiones*, ideò ab eiſdem abſtineo. Placet tamen ad faciliorem legentium manuductionem eorum, quæ dicta ibi ſunt, vt facile ibi ea recolere poſſint, quæ eſſent hic agitanda, ſynopſim omnium breuiter efformare.

Anigitur ſint neceſſaria verba ad deferendum contrahentium conſenſum, an ſufficiant ſigna, & quomodo dictum eſt eodem *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. prænot. 5. ſect. 1.* per totum. 2 *Verba, an neceſſaria ſint.*

An conſenſus vtriuſque contrahentis debeat ſimul deferri, an vero ſufficiat, quod deferatur ex interuallo dictum eſt *ibid. ſect. 2. per totum.* 3 *Simultas conſenſus an requiratur.*

An ſufficiat externa promiſſio ficta ſine animo, vel in vtroq; vel in altero contrahente, ſe obligandi dictum eſt *ibid. ſect. 3. per totum*, vbi variæ ſunt poſitæ diſtinctiones. 4 *Externa promiſſio ficta an ſufficiat.*

An conſenſus, cum metu elicitus poſſit compati cum validitate matrimonij dictum eſt *ibid. ſect. 4. per totum*, & an hoc verificetur, ſiue de iure poſitiuo, ſiuè de iure naturæ. *Ibid. ſect. 5. per totum.* 5 *An metus irritet.*

An promiſſio matrimonij poſſit fieri abſenti, & an obliget, & quomodo dictum eſt *ibid. ſect. 6. per totum*, 6 *An abſenti poſſit fieri*

Quo-

7 An poſſit iniri per procuratorem.

Quomodo poſſit conſtitui procurator, & quomodo hic poſſit conſenſum deferre, & quomodo hic poſſit reuocari, & an reuocatus valide deferat conſenſum, dictum eſt *ibid. ſect. 7. per totum*.

8 An dolus, vel error irritet.

An, & quomodo poſſit compati conſenſus cum errore, vel dolo ad contrahendum validè matrimonium, vbi de dolo antecedenti, concomitanti, & conſequenti, item de errore quoad ſubſtantiam, & quoad qualitatem dictum eſt *ibidem ſect.* 8.

9 An cōditio vitiet, vel ſuſpendat.

De conſenſu conditionato, an, & quomodo vitiet contractum, ſeu ſuſpendat, an & quomodo vitietur, vbi de varijs conditionum generibus in ordine ad ſponſalia, & matrimonium dictum eſt *ibid. ſect. 9. per totum*.

10 An pœna.

De conſenſu ad matrimonium, & ad ſponſalia, ſub pœna, & quot tuplex ſit pœna, quæ conſiderari poteſt in hac materia, & quomodo irritet, vel non irritet contractum dictum eſt *ibid. ſect.* 10. *per totum*.

11 An modus demonſtratio, & cauſa.

De conſenſu ad ſponſalia, ſub modo, demonſtratione, & cauſa, & quid operetur modus, demonſtratio, & cauſa dictum eſt *ibid. ſect.* 11. *per totum*.

12 An conſenſus interpretatiuus ſufficiat.

De conſenſu præſumpto, & interpretatiuo, quid operetur in huiuſmodi contractu, & quomodo, & ex quibus inferatur dictum eſt *ibid ſect* 12 *per totum*.

13 Quodnā ſit obiectū conſenſus.

Quodnam ſit obiectum proprium conſenſus matrimonialis, an ſcilicet referatur ad actualem copulam, vel ad coniunctionem, & quamnam, dictum eſt *ibid. ſect.* 14. *per totum*.

14 Verba, an ſint neceſſaria.

Quænam verba apta ſint ad manifeſtandum contractum matrimonialem, ſiue ſint affirmatiua, ſiue negatiua dictum eſt *ibid. ſect.* 16., *&* 17. *per totum*.

15 An deferri poſſit per verba affirmatiua, vel negatiua.

Placuit, hæc omnia per ſynopſim referre, ne qui hunc tractatum viderit, & non præcedentem de ſponſalibus, arbitretur, eame omiſiſſe, quæ maximè neceſſaria ſunt ad præſens inſtitutum.

---

## PRÆNOTIO XLII.

### De cauſa finali matrimonij propria.

### *SVMMARIVM.*

*Contrahens præciſe ad finem explendæ libidinis peccat ſaltem venialiter*. 1.

*Licitum eſt matrimonium ex fine præciſe legitimandi prolem, & reddendi honorem fæmina corrupta*. 2.

*Alia cauſa finales aſſignantur*. 3.

NEC etiam in hoc titulo diutius immorandum eſt, quandoquidem ex prædictis clare liquet primò, hoc matrimonium inſtitutum fuiſſe in officium naturæ ad propagandam ſcilicet ſpeciem, quæ ſecus in indiuiduis, quæ ſecundum ſe defficientia ſunt, dilaberetur, poſtmodum ordinatum in concupiſcentiæ remedium; cum etenim per lapſum Adæ in labem originalem tota humani generis maſſa infecta, & vulnerata remanſerit maximè concupiſcentiæ ſtimulis, debuit matrimonium in eiuſdem remedium ordinari, vt ex vno capite concupiſcentiæ ardoribus ſatisfieret, ex alio naturæ legibus homines per peccata non obuiarent. Contrahere ex duplici hoc fine indubitatum eſt apud omnes licitum eſſe, cum ipſa inſtitutio, & propagatio inſtitutionis matrimonium ad huiuſmodi fines ordinauerit. Difficultas ſolummodo aliqua eſſe poteſt, an licitum ſit matrimonium ex fine contrahentis præciſè ordinare ad explendam libidinem, quantumuis ex genere ſuo indiuiſibiliter ſequantur illi duo fines propagationis ſcilicet ſpeciei, & remedij concupiſcentiæ.

Aſſertio; Probabilius eſt contrahentem præciſè matrimonium ad finem explendæ libidinis remoto quantum eſt ex parte contrahentis quocunque alio fine licito peccare ſaltem venialiter. Ab hac opinione neminem diſſentire exiſtimo, ſi attentè perpendatur. 1 Cōtrahens præciſe ad finem explendæ libidinis nō vitat noxā venialem.

Ratio ex eo deducitur primo, quià ſic contrahens, quantum eſt ex ſe, ordinat actionem per ſe licitam, & honeſtam ad finem, qui ſecundum ſe nullam dicit honeſtatem, ſed potius turpitudinem; explere etenim libidinem per ſe malum eſt, & quamuis medium non ſit tale ſecundum ſe non tollit tamen inhoneſtatem finis, ſicuti qui audit ſacrum ex fine aliquo inhoneſto videndi ſcilicet mulierem, & fruendi eiuſdem aſpectu, quamuis exerceat opus, quod ſecundum ſe malum non eſt non tamen tollit inhoneſtatem finis, ex quo audit. Secundò ex eo, quod aſſerere *opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus carere culpa, & defectu veniali* eſt abſolutè damnatum à Sanctiſs. D. N. Innocentio XI. Pontifice nunc regnante, qui damnauit propoſitionem hanc, quæ eſt in numero nona ex illis multis, quas damnauit *in vniuerſali Congregatione ſacra Inquiſitionis habita die* 2. *Martij* 1679., ergò etiam erit peccaminoſum ſaltem venialiter contrahere matrimonium ad finem ſolius voluptatis captandæ. Conſequentia probatur, quià ſi opus ipſum ſecundum ſe ſumptum ex tali fine eſt peccaminoſum venialitèr quamuis intendatur per medium nempe per matrimonium, quod ſecundum ſe licitum eſt, non eſt, cur contrahere ad illum finem non ſit peccaminoſum ſaltem venialitèr, quamvis opus intendatur per medium, quod ſecundum ſe licitum eſt Declaratio Innocentij XI.

Digitized by Google

2 Licitum eſt ex fine legitimandi prolem, & reddendi honorē fœminæ corruptæ.

eſt præſcindendo ab illo fine.

Aſsertio II. Licitum eſt matrimonium ex fine præcisè legitimandi prolem ex coitu fornicario antea habitam, & reddendi honorem fœminæ corruptæ, quamuis ex illo non ſit ſpes concubitus futuri. Hoc contingeret in hypotheſi, qua quis in articulo mortis conſtitutus contraheret cum concubina ad effectum prolis legitimandæ *Ioannes Andraas reg. ſine culpa dub. 1. de reg. iur. in 6. & c. tanta n. 2. qui filij ſint legitimi, & ibi Antonius nu. 14. Ancharanus nu. 4. notab. 2. Cardinal. nu. 6. Prapoſitus n. 8. Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. nu. 138. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 105. num. 3.*

Ratio ex eo deducitur, quià illud matrimonium non eſt illicitum ex natura ſua, nec redditur tale ex illo fine legitimandi prolem, & reſtituendi honorem fœminæ corruptæ, ergò &c. Antecedens patet ex communi praxi eccleſiæ, quæ habet, vt in articulo mortis conſtitutus valde affectus verſus concubinam eam ducat, ne ſalus eius ſpiritualis deſperetur ob concubinæ affectum. Secundò ex eo, quià ad validitatem matrimonij, & honeſtatem eiuſdem non eſt neceſse actuale execitium coniugij, ſed ſufficit potentia ad concumbendum, quamuis per aliquod extrinſecum per accidens impediatur; Quoad ſecundam partem idem antecedens maximè euincitur ex eo, quod à natura inditum eſt propriæ proli benefacere, eamque habilem reddere ad ſuccedendum in proprijs bonis, & à iuſtitia exigitum, vt honor alterius læſus, quantum fieri poteſt, reparetur; Neque obeſse poteſt textus *in l. Titio cum morietur, ff. de vſufructu*, vbi ſic legitur. *Titiò cum morietur inutilitèr vſusfructus legari intelligitur, in id tempus videlicet collatus, quo à perſona diſcedere incipit* cuius ratio ea eſt, quià repugnat, quod pro eodem momento incipiat poſseſſio, quo debet deſinere; in hac autem hypotheſi matrimonium pro eo tempore inciperet, quo per mortem deberet deſinere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià ille textus ſolum intendit, vt non conferatur vſusfructus in tempus mortis, ita vt ſolum à tempore mortis valere incipiat, non autem, quod mortis tempore conferatur, ita vt quandiu viuit, illo gaudeat, quod idem dicendum eſt de matrimonio, quod non poteſt conferri in tempus mortis; poteſt autem iniri tempore mortis, quià tunc contrahitur tempore habili, ac pro tempore habili.

3 Aliæ cauſę finales aſſignantur.

Plures alij fines ex intentione contrahentium vltra allegatos poſsunt haberi, vt ſplendor familiæ, diſſidiorum conciliatio, vinculum pacis, nexus inter ſtirpes, & alij huiuſmodi, qui, ſi ſecundum ſe honeſti ſint, nequeunt inficere contractum matrimonialem, pręcipuè ſi non præſcindant à finibus à natura, & ab inſtitutore intentis, cuiuſmodi ſunt conſeruatio ſpeciei, & remedium concupiſcentiæ.

---

# DISQVISITIONES I.

## A prima ad duodecimam prænotionem excluſiuè.

### §.

### An matrimonium ratum præcedens diſſoluatur per conſummatum poſterius.

*SVMMARIVM.*

*Caſus expoſitus in ſuis terminis.* 1.
*Argumentum deſumptum à diſſolutione matrimonij rati per profeſſionem in Religione.* num. 2.
*Argumentum pro diſſolutione deſumptum à ſuperuenientia fortioris vinculi.* 3.
*Matrimonium ratum non diſſoluitur per poſterius conſummatum.* 4.
*Diſſolutio matrimonij rati per ingreſſum in Religionem eſt ex priuilegio ratione ſtatus perfectioris.* 5.
*Chriſtus Dominus non diſpenſauit ſuper inſolubilitate matrimonij rati per ſuſceptionem ſacrorum ordinum.* 6.
*Non diſſoluitur matrimonium ratum per profeſſionem, quià hæc æquiparetur conſummato.* 7.
*Matrimonium ſecundum non poteſt dici fortius vinculum, nec conſummatum, quià non eſt matrimonium ratum.* 8.

DISQVISITIO I. Fidem ſibi dederant ad inuicē Titius, & Caia de contrahendo matrimonio intrà certum determinatum tempus. Tempore præfinito ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus matrimonium per verba de præſenti contraxerunt; ſed cum inde aliqua cauſa emergeret ex parte Caiæ, intra bimeſtre à iure cōceſſum ad deliberandum de perfectiori ſtatu Religionis Titius nouum matrimonium contraxit cum Calidonia ſeruatis item iuris ſolemnitatibus, & immediate illud aſſentiente Calidonia conſummauit. Quæſitum hic fuit, an per tale matrimonium ſubſequens conſummatū intelligatur antecedens ratum diſſolutum. 1 Proponitur ſtatus difficultatis.

Ratio dubitandi ex eo deducitur, quia matrimonium diſſoluitur per profeſſionem ſolemnem in Religione, non autem per votum ſimplex, hocque non alia ratione, 2 Argumentum primū à diſſolutione matrimonij rati per profeſſionem.

Digitized by Google

tione, niſi quia ſolemnis profeſſio æquiparatur matrimonio conſummato, cum perfectiſſimum ius per illam Deo acquiratur non ſolum per nudam promiſſionem, ſed etiam per ſolemnem perſonæ traditionem, ſicuti per matrimonium conſummatum perfectum ius acquiritur alteri coniugi per actualem poſſeſſionem corporis alterius, ergo ſicuti per profeſſionem diſſoluitur matrimonium ratum, etiam per conſummatum idem diſſolui cenſendum eſt. Accedit, quod perfectius ius acquiſiuit fæmina, cum qua conſummatum eſt matrimonium, quam illa, cum qua præcisè eſt ratum, ſiquidem illa acquiſiuit ius in re ex quacunque cauſa indiſſolubile cum plena poſſeſſione, iſta vero ſolum ius ad rem, vel ſi in re diſſolubile tamen, vel ex diſpenſatione, vel ex ingreſſu in Religionem, & non cum actuali poſſeſſione, ſed tantum cum iure ad illam, vbi autem ſuperuenit fortius vinculum cedit minus forte, & diſſoluitur. Nihilominus.

3 Argumētū ſecūdum à ſuperueniētia fortioris vinculi.

Reſpondeo abſolutè, non diſſolui prius matrimonium ratum per ſubſequens cōſummatum *Coaruuias 4 decret. 2. part. c. 7. §. 4 num. 15. Matienzo lib. 5. recopil tit. 1. num. 6. gloſ. 1. num 76. Gutierez qq: canon. lib. 1. c. 17. nu. 22. Veracrux 2. part. ſpeculi art. 28. conc. 4 in ſecunda ratione*. Ratio ex eo deducitur primo, quia iuxta communem, & communiter receptam opinionem, quod per ingreſſum in Religionem diſſoluatur matrimonium ratum, & non conſummatum eſt ex ſpeciali priuilegio Chriſti Domini in ordine ad illum ſtatum perfectiorem, ſed hoc priuilegium non legitur conceſſum, niſi in ordine ad huiuſmodi ſtatum, vt pote perfectiorem, non in ordine ad alios, maxime ſi non ſint ita perfecti; vnum autem matrimonium non eſt ex genere ſuo perfectius alio, ergo &c. Secundo, ex dictis *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. pranot. 5. aſſert. 3. num* 8. nempe ſponſalia legitimè contracta, quod idem in fortioribus terminis intelligendum eſt de matrimonio rato legitimè contracto in faciem Eccleſię non diſſolui per ſuſceptionem, nec per votum ſacrorum ordinum, prout late docent *Paludanus in 4 diſt. 27. q 1. art 3. caſ. 5. nu. 21. verſ. quarto Maiolus lib. 1. de irregularitate c 34. nu. 6. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 38. Sanchez lib. 1. de ſponſalibus diſp. 47. num.* 3. ergo multo minus diſſoluetur matrimonium ratum per aliud matrimonium conſummatum ſubſequenter initum. Conſequentia tenet, quia eſt perfectior ſtatus, ſtatus clericalis, qui importat vitam celibem, quam ſtatus coniugalis, vt per ſe patet; tùm quia, ſi Chriſtus Dominus non diſpenſauit ſuper inſolubilitate matrimonij rati propter ſuſceptionem ordinum ſacrorum, nec minus diſpenſaſſe præſumendus eſt ſuper eadem propter matrimonium ſubſequens conſummatum. Tertiò expreſsè euincitur ex textu *in cap. licet de ſponſ. duor. in fin.*, vbi Alexander III. definit non dirimi ratum per ſubſequens conſummatum.

4 Matrimoniū ratū nō diſſoluitur per poſterius conſummatū.

5 Diſſolutio matrimonij rati per ingreſſum in Religionē eſt ex priuilegio ratione ſtatus perfectioris.

6 Chriſtus Dominus non diſpenſauit ſuper indiſſolubilitate matrimonij rati per ſuſceptionem ſacrorum ordinum.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam non ideò diſſolui matrimonium ratum per ſolemnem profeſſionem in Religione, quia æquiparatur matrimonio conſummato, ſed quia ex ſpeciali priuilegio Chriſti Domini ob maiorem ſtatus perfectionem hoc eidem indultum eſt. Deindè in hoc ad ſummum æquiparatur profeſſio Religioſa matrimonio cōſummato, quod vtrumque eſt indiſſolubile, quando legitimè contractum eſt; matrimonium autem conſummatum non legitimè contractum eſt obſtante vinculo prioris matrimonij rati, circa quod nulla ſupponitur diſpenſatio, nec ex diſpoſitione iuris diuini, nec humani in ordine ad aliud matrimonium conſummatum, quæ de iure diuino ſupponitur in ordine ad profeſſionem Religioſam.

7 Matrimonium ratū non diſſoluitur per profeſſionem, quia hæc æquiparetur matrimonio conſummato.

Ad illud, quod ſubditur, negandum eſt perfectius ius acquiſiuiſſe fæminam, cum qua conſummatum eſt matrimonium ſubſequens, quam ſit illud, quod acquiſiuit illa, cum qua contractum eſt prius matrimonium, quinimmo illa nullum ius acquiſiuit, nec poteſt dici illud matrimonium conſummatum, quia matrimonium non erat, quandoquidem copula non confirmat matrimonium, niſi quod prius fuerat ratum, ſed poſterius eſt iure naturæ irritum, quoniam traditio alicui facta impedit eiuſdem rei alteri fieri traditionem.

8 Matrimonii ſecundum non poteſt dici conſummatum, quia non eſt matrimonium.

---

## §. II.

### An, vt Pontifex diſpenſare poſſit ſuper indiſſolubilitate matrimonij rati, requiratur vtriuſque contrahentis conſenſus.

*SVMMARIVM.*

*Refertur caſus in terminis particularibus.* 1.

*Argumentum deſumptum ex communi regula quod communi conſenſu contractum eſt, non niſi communi conſenſu diſſoluitur.* 2.

*Non videtur legitima cauſa, vbi eſt præiudicium alterius.* 3.

*Si fuerit cauſa iuſta diſpenſationis, poteſt Pontifex diſpenſare etiam altero diſſentiente.* 4.

*Ancto-*

Digitized by Google

*Auctoritas Pontificis in hoc non dependet à voluntate partis.* 5.
*Ex mutuo conſenſu præciſè non poteſt diſpenſare, ſed tantum ex cauſa.* 6.
*Explicatur generaliter regula adducta in argumento contrario.* 7.

1 Expoſitio caſus in terminis particularibus.

DIſquiſitio II. Contracto adinuicem matrimonio per verba de præſenti inter Meuium, & Seiam contendens Meuius ex aliqua cauſa ab eodem contractu reſilire eandem cauſam expoſuit Romano Pontifici, contra quam excipiebat Seia nolens conſenſum præbere diſſolutioni, ſeù reſilientiæ ab eodem contractu. Quæſitum fuit, an non obſtante reluctantia Seiæ potuerit Pontifex circa indiſſolubilitatem eiuſdem contractus, ſeù matrimonij rati diſpenſare.

2 Argumentum deſumptum à communi regula, quod communi conſenſu contractum eſt, non niſi communi conſenſu diſſoluitur.

Videbatur prima fronte negandum potuiſse, quia, quod communi conſenſu contractum eſt, non niſi cum communi conſenſu diſſolui poteſt, cum regulariter in præiudicium alterius, qui iam perfectū ius acquiſiuit ex conſenſu reciproco non fiat iuſtè diſpenſatio, maximè in ijs, quæ iam tranſierunt in ſacramentum. Accedit, quod ex ſuperius dictis Pontifex non poteſt diſpenſare ſuper hoc, niſi ex iuſta, & legitima cauſa; non videtur autem iuſta eſse; vbi agitur de præudicio alterius &c. Nihilominus

3 Non videtur legitima cauſa, vbi eſt præiuditium tertij.

4 Ex legitima cauſa poteſt Pontifex diſpenſare etiam altero diſſentiente.

Reſpondeo. Si cauſa fuerit iuſta, ob quam Meuius à Romano Pontifice inquirit diſpenſationem poſse eundem Pontificem altero etiam diſsentiente diſpenſare ſuper indiſsolubilitate matrimonij rati *Gozadinus conſ. 2. num.* 14. *Antonius Gabriel tom. 2. commun. lib.* 11. *de matrimon. Metina lib. 5. de ſacrorum hominum continentia cap.* 89. *Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 15. num.* 7. *in fin.* Probatur primò, quia hæc facultas diſpenſandi collata eſt ſolummodo Romano Pontifici, & quidem non abſolutè per ea, quæ ſuperius diximus, ſed cognita cauſa iuſta, & rationabili; non autem data eſt poteſtas eiſdem partibus diſſoluendi ex ſe; ſed auctoritas in ſuperiore non dependet à voluntate partium, ſed ſolummodo à cauſa, quæ eidem proponitur ad diſpenſandum, ergo, ſi eadem fuerit iuſta, & rationabilis ad inſtantiam vnius poterit diſpenſare etiam altero reluctante.

5 Auctoritas Pontificis non dependet à voluntate partium.

Secundò, quia inter cæteras cauſas, quæ enumerantur, vt poſſit Pontifex diſpenſare, eſt notabilis error in qualitate, quia matrimonium ordinatur ad mutuam amicitiam, & concordiam, vt habetur ex illo *Eccleſiaſtici* 13. *Vir, & vxor ſibi bene conſentientes*; nil autem mutuæ amicitiæ, & beneuolentiæ magis diſſonum eſt, quam diſparitas, vnde *Plato lib.* 8. *de legibus* dixit Amicitia, quæ à diſſimilibus proficiſcitur, dura, & aſpera eſt; item grauis timor ſcandali magni futuri, quia id cedit in magnum damnum cómune *Felinus conſ.* 26. *n.* 19. *Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſumpt.* 10. *nu.* 42. Item lepra ſuperueniens alteri coniugi ante matrimonium conſummatum *Borgatius de irregularitate part. 6. tit. de ſponſalib. num.* 74. *Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 16. num.* 5. ſed in ijs eadem ratio militat diſpenſandi etiam altero diſsentiente, vt per ſe patet, ergo &c.

Cauſæ, ob quas poteſt diſpenſare ex genere ſuo nó exigunt conſenſum vtriuſque partis.

6 Ex mutuo conſenſu præciſè nó poteſt diſpenſare, ſed tantum ex cauſa.

Tertiò, quia ex mutuo præciſè contrahentium conſenſu non poteſt Pontifex diſpenſare ſuper matrimonio rato *Hoſtienſis cap. ex publico de conuerſ. coniugat. ſuper verb. conſummatum, & ibi Ioannes Andreas nu.* 9. *Henricus cap. fin. de ſponſa duorum num.* 4. *Socinus Senior conſ.* 28. *num. 6. vol.* 1. *Natta conſ. 90. col. 2. ad fin. lib. 2. Roſella verb. Papa num.* 2. *Angelus verb matrimon. 3. impedim. 13. num.* 3. *Silueſter verb. diuortium quæſt.* 2. *Brunellus de ſponſal. concl.* 30. *num.* 1., niſi interueniat legitima cauſa *Ancharanus conſ. 239. in fin. Coaruuias quarto decret. ſecunda part. cap. 7. §. 4. num.* 14. *Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. de matrimon. cap.* 54. *Decius conſ. 112. num.* 3., ergo conſenſus ipſe non influit, ſed tantum legitima cauſa, ergo hac interueniente ſine conſenſu alterius poterit Pontifex legitime diſpenſare. Neque dicas, quod quamuis conſenſus per ſe non influat ſine legitima cauſa, influat tamen eadem accedente, ita vt, nec ſola legitima cauſa, nec ſolus vtriuſque conſenſus præſtat diſpenſationem, ſed vtrumque ſimul; contra enim impugnaberis, quia cum poteſtas diſpenſandi in Romano Pontifice in hoc genere ſit abſoluta ad diſſoluenda litigia, & damna, infeliceſque exitus, quæ poſsunt ex tali matrimonio obuenire, non dependet à conſenſu partium, ſed ſolummodo à legitima, & rationabili cauſa, nec ſolum eſt ad componendum amicabiliter, ſed abſolutè ad decidendum, & iudicandum.

Neque obeſse poſsunt ea, quæ ſupra ex aduerſo dicebantur, quandoquidem inprimis non ſemper ea, quæ mutuo conſenſu componuntur poſsunt mutuo diſſolui diſsenſu, quando iam compoſita induunt aliquam aliam rationem ſuperiorem, vt euenit in caſu noſtro, ſecundum quem contractus mutuò conſenſu initus tranſit in ſacramentum. Deinde, vt videre eſt in contractu ſponſalium, qui non ex ſolo mutuo conſenſu poteſt diſsolui, ſed etiam ex alijs cauſis interuenientibus etiam altero ex ſponſis diſsentiente, vt patet ex latè dictis *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 2. per vniuerſ. prænot., & diſquiſ.* contractus mutuo conſenſu initi poſsunt etiam diſſolui conſenſu alterius non interueniente. Ad illud, quod ſubditur dicendum eſt ſine vllo penitus iure dici non eſse legitimam cauſam diſpen-

7 Soluitur argumentum ex communi regula deductum & hæc explicatur,

ſandi, quotieſcunque alter eſt coniugibus diſſentit; iuſtitia etenim cauſæ non deſumitur ab aſſenſu, vel diſſenſu contrahentium, ſed à ratione iuſti, vel iniuſti ex obiecto, quæ militat ad diſpenſandum, vel non diſpenſandum; hoc etenim iudicium remittitur iudicio ſuperioris, qui habet ius ad diſpenſandum, non arbitrio contrahentium.

---

## §. III.

### An ex notabili inter contrahentes in qualitate diſparitate poſſit Pontifex in matrimonio rato diſpenſare.

*SVMMARIVM:*

*Refertur ſtatus controuerſia.* 1.
*Magis dignus, vel fuit praecedenter conſcius inferioris conditionis alterius, vel inſcius. num.* 2.
*Magis nobilis inſcius deterioris conditionis alterius eadem cognita poteſt diſpenſari ſuper matrimonio rato.* 3.
*Fundamentum deducitur ex metu infelicis exitus, & periculo rixarum.* 4.
*Contrahens eminentioris dignitatis conſcius etiam deterioris conditionis alterius, ſi caeca affectione, & leuitate illam duxerit, poteſt etiam ſuper illo matrimonio diſpenſari.* 5.
*Etiam ex timore grauis ſcandali poteſt eſſe iuſta diſpenſatio.* 6.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DIſquiſitio III. In præcedenti paragrapho innuimus ex hac diſparitate Pontificem poſſe diſpenſare; nunc in caſu particulari rem ex profeſso examinandam aſſumimus. Titius contraxit per verba de præſenti matrimonium cum Theodorica fæmina ignobili, cum ipſe eſſet maximæ nobilitatis affectione quadam cæca, & leuitate motus. Poſtea ante conſummationem ægrè ferens contractum per ſe initum Romanum Pontificem, vel per ſe, vel per literas adijt patens diſpenſationem ſuper contractu iam habito. Quæſitum fuit, an ſuper eiuſdem petitione ſtante allegata cauſa potuerit Pontifex diſpenſare.

2 Attendendum eſt, an magis dignus fuerit præcedenter cõſcius inferioris conditionis alterius, vel inſcius.

Ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. praenot. 1. nu. 2., & 6.* magis dignum conſcium alterius deterioris conditionis contrahentem cum minus digno non inualide contrahere, nec poſſe ſecundum ſe à contractu recedere, videtur etiam congruè aſſerendum, ſi conſcius fuerit illius diſparitatis non poſſe pro diſpenſatione ad Pontificem iuſtè recurrere, nec eundem congruè diſpenſare, ſiquidem ex eo, quod ille conſcius deterioris conditionis alterius contraxerit ceſſit iuri ſuo in ordine ad illam qualitatem; vnde ad ſummum videtur poſſe eſſe controuerſia, quando magis nobilis contraxerit inſcius alterius deterioris qualitatis, quo in caſu *loc. cit. num* 5. diximus poſſe diſſoluere ſponſalia cognita poſtea illa conditione, prout etiam notarunt *Couarruuias reg. poſſeſſor ſecunda part. §. 6. in fin. Molina de iuſt. diſp. 352. concl. 1. Sanchez de matrimon. lib. 1. de ſponſalib. diſp. 44. num. 6.* Nihilominus his non obſtantibus

3 Magis nobilis inſcius deterioris conditionis alterius poteſt diſpenſari ſuper matrimonio rato.

Reſpondeo primò, contrahentem magis nobilem iuſtè poſſe petere diſpenſationem, & Pontificem ex hac cauſa poſſe legitimè diſpenſare, ſi ille fuerit inſcius deterioris conditionis alterius. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo *Nauarrum lib. 4. conſil. tit. 1. de ſponſ. in prima edit. conſ. 49., & in ſecunda conſ. 3. Menochium conſ. 385. num. 4. vol. 4., & de praeſumpt. lib. 2. praeſumpt. 10. num 39. Socinum Seniorem conſ. 28. num. 8. lib. 1. Celſum conſ. 105. num. 12. in fine Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 16 num. 2.* Deducunt aliqui rationem ex eo, quod ex ſimili cauſa poteſt alter ex ſponſis poſt contracta legitimè ſponſalia cognita illa deteriori conditione ex ſe recedere à ſponſalibus, ergo ex eadem poſt contractum legitimè matrimonium poterit ab eodem legitimè recedere accedente Romani Pontificis diſpenſatione ad inſtantiam ipſius: quod, ſi aſſeratur, quod fortius ſit vinculum coniugale, quod conſurgit ex matrimonio rato, quam ſit illud, quod conſurgit ex ſponſalibus ſimpliciter ſumptis, ſiquidem illud habet adiunctam rationem ſacramenti; ſtatim reſpondent, quod ex eo, quod ſit fortius vinculum diſſoluatur ſuperiori auctoritate Pontificis per diſpenſationem, quod non euenit in ſponſalibus, quæ ſuppoſita illa cauſa non exigunt ad ſui diſſolutionem illam ſuperiorem auctoritatem. Sed non in omnibus huic argumento adhærerem, quandoquidem ex eo facilè euinceretur, quod ex quacunque cauſa poſſent diſſolui ſponſalia poſſet per Pontificis diſpenſationem diſſolui etiam matrimonium ratum, & ſic ex paupertate ſuperuenienti, ex aliqua notabili deformitate, & ſimilibus, quod non facilè admittendum exiſtimo. Quamobrem ad aliam rationem me confero, quam in præcedenti diſquiſitione attigi. quia ſcilicet ex illo matrimonio poſſunt infelices exitus timeri, & iurgia inter coniuges, & diſſenſiones inter conſanguineos, cum ex vno capite, vt aſſerebat *Plato d. lib. 8. de Legibus* amicitia, quæ à diſſimilibus proficiſcitur dura, & aſpera ſemper exiſtat, ex alio experientia ipſa doceat imparia connubia in infelices exitus degenerare, vnde

Fundamentũ aliquorum reijcitur.

4 Fundamentum fortius deducitur ex metu infelicis exitus, & rixarum.

Oui-

*Ouidius in Epiſtola Deiniræ ad Herculem* habet *Si qua voles aptè nubere, nube pari*, & omnes commendant coniugia inter perſonas ſimilis qualitatis, damnant inter diſſimiles.

5 Côtrahens eminentioris dignitatis etiam conſcius deterioris conditionis alterius, ſi cæcâ affectione, & leuitate contraxerit, poteſt diſpenſari.

Reſpondeo ſecundò, contrahentem eminentioris dignitatis, quantumuis fuerit conſcius deterioris conditionis alterius, ſi cæca affectione, & leuitate quadam illam duxerit, poſſe petere diſpenſationem, & Pontificem licitè, & efficaciter illam concedere. In hanc aſſertionem propendent omnes quotquot ſuſtinent præcedentem reſponſionem. Ratio ex eo deducitur, quod attenta præciſe illa reclamatione coniugis dignioris, & petitione diſpenſationis ſuper illo matrimonio ante conſummationem poſſunt timeri infelices illi exitus, iurgia, ſeditiones, & diſſidia, de quibus in præcedenti reſponſione, ergo non eſt, cur eadem cauſa vigente non poſſit Pontifex ſuper illo matrimonio diſpenſare. Hac eadem ratione *dicto tom.5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 2. prænot. 1. nu. 2.* docuimus, quod quantumuis ſponſus fuerit conſcius deterioris conditionis alterius, & contraxerit cum eodem ſponſalia poſſit ab iiſdem recedere, ſi timeantur grauia illa damna, & ſcandala, & infelices exitus; vnde in hac hypotheſi, de qua loquimur, Pontifex, qui diſpenſat ſuper matrimonio, intelligitur etiam diſpenſare, & relaxare illam promiſſionem, quod etiam crediderim, ſi fuerit iuramento firmata, quia tunc etiam ex illis cauſis diſpenſaret ſuper iuramento, illudque relaxaret.

6 Etiam ex timore grauis ſcandali poteſt eſſe iuſta diſpenſatio.

Hac eadem ratione arbitror poſſe ſuper matrimonio præcisè rato non conſummato Romanum Pontificem ad petitionem alterius diſpenſare, ſi fuerit grauis timor ſcandali magni futuri, quia id cederet in magnum damnum commune *Pelin. conſ. 26. num. 19. Portius conſ. 154. num. 22., & 24. Menochius de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 10. num. 42.* Hinc in particulari poterit Pontifex diſpenſare, ſi maritus omni conatu quæreret repellere vxorem, nullaque eſſet ſpes rationabilis reſipiſcentiæ; vnde refertur Eugenium IV. diſpenſaſſe ob odiũ, quod inter coniuges emerſerat.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, iam patet ex dictis quid dicendum, quantumuis enim, quando ſponſus magis dignus fuit conſcius deterioris conditionis alterius, non poſſit ſecundum ſe diſſoluere ſponſalia antecedenter inita cum illa conditione, & cognitione illius deterioris conditionis, poteſt tamen diſſoluere, ſi inde timeantur grauia illa damna, odia inter coniuges, diſſenſiones inter conſanguineos, & ſimilia.

---

## §. IV.

### An matrimonium ratum ex Romani Pontificis diſpenſatione poſſit diſſolui propter aliud conſummatum ſubſequens.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur ſtatus quæſtionis in caſu particulari.* 1.

*Contrahens ſecundas nuptias coram Parocho, & teſtibus non diſſolutis primis non contrabit pœnam arbitrariam clandeſtinè contrahentium.* 2.

*Matrimonium primum ad inſtantiam coniugis innocentis, dum alius tranſiuit ad ſecunda vota, & conſummauit, poteſt à Pontifice diſpenſari, vt diſſoluatur.* 3.

*Probabilius etiam poteſt diſpenſare ſuper priori matrimonio ad inſtantiam mariti, qui inuita vxore tranſiuit ad ſecunda vota.* 4.

*Ad perſeuerandum in ſecundo matrimonio non poteſt Pontifex licitè, niſi ex grauiſſima cauſa diſpenſare.* 5.

DIſquiſitio IV. Contraxerant adinuicem matrimonium per verba de præſenti Lelius, & Liuia ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus. Pendente termino bimeſtris ad deliberandum de ſtatu Religionis, nec adhuc conſummato matrimonio Lelius recedens ab illa parochia, in qua illud matrimonium contraxerat, arrepta occaſione ad aliquod breue tempus aliud matrimonium in alia parochia ſeruata etiam Concilij forma nempe cum aſſiſtentia illius parochi, & teſtium cum Flauia contraxit, illudque conſummauit. Hoc ſecundum matrimonium contractũ cum Flauia inualidum eſſe, & nullius penitus roboris clare liquet ex dictis in præcedentibus, quia per illam copulam non poteſt proprie dici confirmatum matrimonium illud, cum fuerit in ſua radice inualidum, quinimmo nec matrimonium, ſed potius adulterium. Hic tamen orta eſt difficultas, an Pontifex in ea hypotheſi potuerit diſpenſare, vt Lelius in ſecundo matrimonio iam conſummato perſiſtat diſſoluto primo, quod fuit tantum ratum cum Liuia.

1 Refertur in terminis particularibus ſeries facti.

Matrimonium ſecundum eſt ex ſe inualidum.

Ad clariorem diſquiſitionis propoſitæ notitiam aduertendum eſt primo, ſic contrahentem ſecundas nuptias non contrahere illam pœnam Concilij Tridentini arbitrariam *in c, 1. ſeſſ. 24. de matrim.* quandoquidem non poteſt dici, quod contraxerit ſine proprio Parocho, & teſtibus; vt enim

2 Côtrahens ſecundas nuptias coram Parocho, & teſtibus non côſũmatis primis nõ incurrit pœnas clandeſtinè contrahentiũ.



Digitized by Google

enim ſuperius dicebamus ſufficit, quod matrimonium contrahatur coram Parocho alterius ex contrahentibus, quod factum fuiſſe ſupponimus in præſenti hypotheſi, ſecundum quam matrimonium poſterius ſupponitur contractum coram Parocho ſecundæ vxoris, quod ſufficiens eſt. Potius ſubiret pęnas, quę iniungi poſſunt contra contrahentes non præmiſſis denuntiationibus, de quibus latè ſupra; cum etenim vt ſuperius diximus denuntiationes, quando contrahentes ſunt diuerſę Parochiæ, ſint faciendæ in vtraque Parochia, & ex malitia iſtius non fuerint in ſua Parochia habitæ, per conſequens non videtur ſubterfugere poſſe pœnas, vel à iure impoſitas, vel ab homine imponendas contra ſic clandeſtine contrahentes.

Contrahit tamen pęnas contrahētiū ſine denuntiationibus.

Secundo aduertendum eſt, an illa diſpenſatio ſuper matrimonio prius contracto petatur a priori vxore innocente, cuius fides per illud ſecundum matrimonium violatum eſt, an vero à coniuge, qui deliquit tranſeundo poſt fidem datam, & obligatam priori vxori ad ſecundas nuptias.

Conſiderabile circa propoſitū dubium.

3 Matrimonium primum ad inſtantiam coniugis innocētis, auctoritate Pōtificis poteſt diſſolui.

Reſpondeo primo. Ad inſtantiam coniugis innocentis poteſt Pontifex diſpenſare ſuper illo matrimonio rato, vt diſſoluatur. Sic ſaltem implicitè tenere videtur *Felinus conſ. 26. num. 19. Caietanus in opuſcul. tract. 28. de matrimon. q. vnica Menochius conſ. 385. num. 7. vol. 4. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 16. num.* 4 dum aſſerunt iuſtam eſſe cauſam diſpenſandi, quando vir omni conatu quęrit repellere vxorem; quænam maior autem eſt vis, & quinam fortior conatus eam repellendi, quam aliam ducere ipſa omnino inuita. Ratio huius reſponſionis ex eo euincitur, quia vbi timētur infelices exitus, diſſidia inter coniuges, damna, & ſcandala poteſt eſſe iuſta cauſa diſpenſandi, hæc autem omnia iuſtè, & rationabilitèr timere poteſt vxor, quando maritus eadem ſpreta ad alia tranſijt coniugia. Accedit, quod matrimonium ordinatur ad mutuam amicitiam, & concordiam, & propter hanc rationem aſſerunt communiter DD., quod quando eſt diſparitas inter contrahentes poſſit Pontifex diſpenſare, quia non poteſt eſſe pręſumptio amicitię, & concordiæ, quando eſt diſſimilitudo in qualitatibus. Quomodo autem poteſt eſſe mutua amicitia, & concordia, vbi fides fracta fuit, & amicitiæ vinculum violatum?

Poſſunt timeri infelices exitus, & diſſidia.

4 Probabilius etiam Pontifex ſuper illo matrimonio priori diſpenſare ad inſtātiā mariti, qui inuita vxori tranſiuit ad ſecunda vota.

Reſpondeo ſecundo, probabilius etiam eſſe Pontificem poſſe diſpenſare ſuper eodem matrimonio priori rato ad inſtātiam mariti, qui inuita priori coniuge tranſiuit ad ſecundas nuptias, ſi grauia illa damna inde timeantur. Ratio ex eo deducitur, quod etiam in hac hypotheſi militant rationes, de quibus ſupra diximus, ſemper etenim viget radix, & occaſio diſſidiorum ex illo matrimonio poſteriori, & ex illo concubitu cum ſecunda fictitia vxore; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſic petens diſpenſationem ex proprio delicto commodum reportaret, & prior vxor damnum innocens pateretur, quandoquidem non ita facile poſſet alteri æquali nubere, ex eo quod cum illo matrimonium contraxerit, & ab eodem fuerit quodammodo repudiata; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa damna, quæ timētur ex illo coniugio æquiponderant illi commodo, ſi quod eſt, quod maritus noxius reportaret ex illa diſſolutione per diſpenſationem, & coniux innocens debet imputare proprio infortunio, quod illi primo nupſerit. Congruum tamen eſſet, quod in illa diſpenſatione Pontifex, & grauibus pœnis delinquentem ſubderet, & compelleret ad damna, quæ contingere poſſent innocenti, reparare.

Reſpondeo tertio, in ordine ad perſeuerandum in ſecundo matrimonio non poteſt Pontifex licitè, niſi ex grauiſſima cauſa diſpenſare. Expreſſè colligitur ex *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 5. de matrimonio* vbi ſic legitur *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat*; & licet aliqui contendant hanc pœnam Trident. intelligendam eſſe dumtaxat, quando fit contractus in gradibus prohibitis cognationis, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis, & affinitatis. Nihilominus iuxta ſuperius dicta *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. l. prænot. 38. aſſert. 4. verſ. diſputant hic DD.* intelligenda eſt de contractu cum quocunque impedimento dirimente, quia quantumvis agatur de pœnalibus, cum tamen ordinetur ad maximum animarum fauorem extendenda eſt ad ſimilia, quod etiam nō ſub oſcure innuiſſe videtur idem Tridentinum, dum ſubdidit. *Si vero impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit tunc facilius cum eo diſpenſari poterit*, vbi eſt ſermo de quocunque impedimento dirimente, vt per ſe patet. Neque dicas hanc diſpoſitionem pœnalem Concilij Tridentini tantum procedere quando matrimonium contractum eſt cum impedimento dirimente non præmiſſis denuntiationibus, quod non videtur militare in præſenti hypotheſi; contra enim impugnaberis primo, quia in hac etiam hypotheſi non ſupponuntur præmiſſę denuntiationes ſaltem in parochia propria eiuſdem mariti, in qua contraxerat cum prima vxore. Deinde denuntiationes pręmittuntur ad finem dignoſcendi impedimenta, ſi quæ fuerint, hic autem præſcindendo etiam à denuntiationibus expreſſè dignoſcebatur impedi-

5 Ad perſeuerandū in ſecundo matrimonio nō poteſt Pontifex licitè diſpenſare niſi ex grauiſſima cauſa.

Diſpoſitio Tridentini intelligitur de omni impedimento dirimenti.

Digitized by Google

pedimentum ratione prioris matrimonij validè initi; vnde Concilium dixit. *Si quis ſcienter*.

---

## §. V.

### An propriè ſit Poligamus, qui contractu matrimonio rato cum vna ad alias nuptias viuente prima vxore tranſiuit, eaſq; conſummauit.

*SVMMARIVM.*

*Caſus propoſitus in ſuis terminis*. 1.
*Ratio formalis, & propria poligamia*. 2.
*Poligamus proprie non eſt, qui primo contraxit matrimonium, eoq; nõ conſummato ad alias nuptias tranſiuit, quas conſummauit*. 3.
*Qui duplex matrimonium contraxit, & primo non conſummato conſummauit ſecundum, non ſubterfugit pœnas extraordinarias*. 4.

1 Caſus propoſitus in terminis particularibus.

DIſquiſitio V. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis Lelius per verba de præſenti ſibi deſponſauerat Liuiam, cumque alium in locum ſe tranſtulerit intra terminum bimeſtris à iure præſcriptum ad deliberandum de ſtatu Religionis ex aliqua cauſa ibidem aliam fœminam ſibi matrimonio copulauit coram Parocho illius Parochiæ, & alijs teſtibus, eamque conſummando matrimonium carnaliter cognouit. Hic excitata fuit controuerſia, an pro illo tempore, pro quo ſecundam duxit, & cum eadem concubitum coniugalem habuit, nec adhuc diſpenſationem obtinuit ſuper priori matrimonio, proprie dicatur Poligamus, & ſubſit pœnis poligamiæ.

2 In quo cõſiſtat ratio poligamiæ

Tota difficultas ab eo pendet, in quo conſiſtat formalis, & rigoroſa ratio poligamiæ, an ſcilicet, cum poligamia dicat ex ſuo conceptu, quod plures habeantur ſimul vxores ad differentiam bigamiæ propriè ſumptæ, quæ exigit plures ſolummodo ſucceſſiuè, exigat, quod cum omnibus fuerit matrimonium conſummatum, an vero ſufficiat, quod cum vna fuerit ratum, cum altera conſummatum, & item requiratur, vt vtramque habeat pro vxore, an vero ſufficiat, quod licet cum vtraque matrimonium contraxerit vnam habeat pro vxore; non alteram, cum ipſam, quantum eſt ex ſe per ſubſequens matrimonium dimiſerit.

3 Reſpondeo in rigore Lelium in hac hypotheſi dici non poſſe propriè poligamum, nec poligamiæ labe infectum, quamuis præſeferat aliquam ſimilitudinem eiuſdem. In hac reſponſionem exiſtimo propendere quotquot ſuſtinent non contrahi propriè bigamiam, quando duplex matrimonium ſucceſſiuè contrahitur, non tamen vtrumque propriè conſummatur; atque iſti ſunt *D. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3 art. 1. quæſtiuncula pr. ... ad tertium, & ibi Paludanus q. 4. art. 2. n. 10., & 11. Silueſter verb. bigamia ſtatim in principio, & ibi Armilla nu. 2. in fin. Tabiena q. 3. in fin. Coaruuias Clem. ſi furioſus de homicid. prima part. §. 2. n. 2. verſ. primum, Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 4. col. 5. Toletus lib. 1. ſummæ c. 26. nu. 5. Petrus de Ledeſma de matrim. q. 66. art. 3. concl. 5.* Ratio in eo deduci poteſt primò, quià bigamia non committitur propriè per coniugium ſucceſſiuum cum duabus, quando altera illarum non fuit carnalitèr per copulam coniugalem cognita per textum *in c. debitum de bigam. & c. fin. diſtinct. 34., & c. fin. de bigam.*, ergò nec propriè committitur poligamia per matrimonium contractum cum duabus, quando altera illarum non fuit carnalitèr cognita. Conſequentia probatur, quià in prima hypotheſi ideo non eſt propriè bigamia, quià matrimonium copula non conſummatum non eſt aptum ad ſignificandum matrimonium Chriſti cum eccleſia per carnem aſſumptam, adeoque nec impedire, quin aliud matrimonium copula conſummatum perfectè ſignificet vnionem indiſſolubilem Chriſti cum eadem eccleſia, cum vir ille non dicatur carnem ſuam in plures diuiſiſſe; atque hæc eſt ratio, proptèr quam bigamia cum conſummatione ſecum trahit irregularitatem, ſecus, ſi ſine conſummatione; ſed hæc eadem ratio militat, quando quis plures ſimul duxit, nec tamen cum altera illarum conſummauit, quandòquidem non tollitur illa ſignificatio perfecta vnionis Chriſti cum eccleſia, ergò &c. Secundò probant aliqui reſponſionem ex eo, quod qui habet duas vxores ſimul, vel ſucceſſiuè vnam de iure, & aliam de facto, nec poligamiam committit, nec bigamiam, quià in ordine ad matrimonium de facto, cum nullum ſit ſacramentum nec poteſt eſſe defectus ſacramenti, ergò cum poligamia, vel bigamia conſequatur ad defectum ſacramenti nempe ad defectũ illius coniunctionis Chriſti cum eccleſia per carnem aſſumptam, non poterit ibi adeſſe propriè, nec per talem coniunctionem inducetur irregularitas. Sed ſi hæc probatio ſubſiſteret, nunquam poſſet eſſe poligamia, quandòquidem matrimonium, quod cum ſecunda contraheretur, cum ſit tantum de facto, non de iure, vtpotè inualidum non eſſet ſacramentum; vndè meritò *D. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. quæſtiuncula pr. ad primum* aſſerit, quod quamuis ibi non ſit ſacramentum, ſit tamen aliqua ſimi-

Poligamus non eſt, qui primò contraxit matrimoniũ, & non conſummauit, & deindè ad alias nuptias trãſiuit, eaſque conſummauit.

Bigamia non contrahitur, contracto duplici matrimonio, ſi vnum tantum fuerit conſummatũ.

Digitized by Google

Requiratur diuiſio carnis in plures.

ſimilitudo ſacramenti, quod ſatis eſt ad inducendam poligamiam. Quamobrem alia via ad confirmandam reſponſionem procederem hoc pacto, quia quando duplex illud matrimonium vnum eſt de facto, aliud de iure, & alterum eorum non eſt conſummatum non facta eſt diuiſio carnis eiuſdem in plures adeoq; non eſt facta deſtructio ſignificationis illius vnitatis Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, quod coincidit cum prima probatione, ergo &c.

4 Qui ſucceſſiue duplex matrimonium contraxit, & primo non diſſoluto, & non conſũmato conſummauit ſecundum non ſubterfugit pænas extraordinarias.

4 Reſpondeo ſecundò. Lelium in ea hypotheſi ſubterfugere quidem pænas ordinarias contra poligamos comminatas, non tamen extraordinarias ob intentantum crimen in ſecundo matrimonio. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià vbi propie crimen poligamiæ non eſt, non poteſt congruè eſſe pæna propria poligamiæ, ſi quidem pænæ regulantur ad normam delicti, quinimmò cum ſint odioſæ ſunt reſtringendæ, ita vt non extendantur vltra delictum ex omni parte, & ſecundum omnes conditiones conſummatum. Ratio ſecundæ partis deducitur *ex concil. Tident. c. 1. ſeſſ. 24. de matrimon.*, vbi contra ſcientèr contrahentes cum impedimento dirimente comminata eſt pæna arbitraria, & eo grauior, quo delictum ſecundum circunſtantias grauius eſt; cum igitur in hac hypotheſi creſcat delictum ex eo, quod ſecundum matrimonium initum contra iuris ordinem fuerit conſummatum, & vtique per fornicariam copulam, inde grauior pæna debet conſurgere.

---

## §. VI.

### An Pontifex poſſit ſtatuere, vt matrimonium ratum dirimatur per ſubſequens copula conſummatum.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſia expoſitus.* 1.

*Non poteſt Pontifex iuſtè legem ſtatuere, vt per poſterius matrimonium conſummatum dirimatur prius tantum ratum* 2.

*Si talis lex concederetur, & dependenter ab illa, quis contraheret ſecundum matrimonium, & conſummaret, non irritaret primum.* 3.

*Pontifices anteceſſores Alexandri III. non ſtatuerunt legem circa hoc, ſed tantum in ſpecialibus caſibus deciderunt, vel diſpenſarunt.* 4.

*Profeſſio Religioſa dirimit matrimonium ratum de iure diuino.* 5.

Status controuerſiæ expoſitus.

Disquiſitio VI. Iuxta ſuperius dicta ex nonnullis cauſis ſuper matrimonio rato, non tamen conſummato poteſt Pontifex diſpenſare, & quamuis in præcedentibus etiam dixerimus contrahentem ſecundum matrimonium, illudque conſummãtem ex diſpoſitione *Concil. Trident. cap. 1. ſeſſ. 24. de matrimon.*, vtpote ſcienter cum impedimento dirimente carere debere ſpe diſpenſationis conſequendæ; nihilominus non videtur per decretum concilij abbreuiata Pontificis auctoritas, quin poſſit vrgenti aliqua cauſa diſpenſare. Hic iam quæritur, an ſicuti poteſt in vno, vel altero caſu vrgente neceſſitate diſpenſare, ita poſſit ſtatutum condere, quo decernatur, vt per matrimonium ſubſequens conſummatum, prius ſolummodo ratum dirimatur. 1

Antiquitus per matrimoniũ conſummatum poſterius dirimabatur prius ratum.

Ratio potiſſimum dubitandi circa hoc quæſitum deſumitur ex *c. licet de ſponſalib. in fin.* vbi licet Alexander III. definiat non dirimi ratum per ſubſequens conſummatum aſſerit tamen aliter à prædeceſſoribus ſuis fuiſſe iudicatum, atque ideo hoc ſuſtinet *Gloſa in cap. ex publico de conuerſ. coniug. in fine, & ibi Alanus Laurentius, & Gofredus Archidiaconus c. quapropter 27. q. 2. Ancharanus repet. ſuper cap. canonum de conſtit. Metina lib. 5. de ſacrorum homin. continentia c. 87.*; & hoc magis confirmatur, ex eo quod aſſerit *Coarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 3. num. 5.* nempe communem eſſe DD. opinionem præciſo illo *c. licet de ſponſalibus* præferri matrimonium poſterius conſummatum priori tantum rato. Accedit vlterius, quod Pontifex per legem generalem ſtatuerit profeſſionem dirimere matrimonium ratum *Hoſtienſis c. ex publico ſuper verb. conſummatum de conuerſ. coniug., & ibi Ioannes Andreas num. 9. Antonius num. 16. Ancharanus repet. ſuper c. canonum nu. 28 de conſtitut. Gandanus quodlib. 5. q. 35. Metina lib. 5. de ſacrorum hom. continent. c. 86.*, qui etiam docent per profeſſionem Religioſam matrimonium ratum non diſſolui iure naturæ, nec diuino, ſed tantum Eccleſiaſtico; Si igitur Pontifex poteſt ſtatuere, quod per profeſſionẽ Religioſam dirimatur matrimonium ratum, quod de lege Diuina ſtatutum non erat, cur non poterit etiam ſtatutum condere, quo matrimonium ratum diſſoluatur per poſterius conſummatum. Nihilominus.

Per legem generalem profeſſio dirimit matrimonium ratum.

Non poteſt Pontifex condere legem, vt per poſterius conſũmatum dirimatur matrimonium prius ratum.

Reſpondeo non poſſe Pontificem iuſtè legem ſtatuere, vt per poſterius matrimonium conſummatum dirimatur præcedens tantum ratum. *Coarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 4. num. 15. Matienzo lib. 5. recop. 1. rub. gloſ. 1. num. 76. Gutierez qq; canon. lib. 1. c. 17. num. 22. Veracrux 2. part. ſpecul. art. 28. concl. 4. in 2. ratione Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 14. num. 4.* Ratio ex 2

eo

eò deducitur primo, quia auctoritas, quam habet Pontifex diſpenſandi ſuper matrimonio rato, eſt eidem communicata à Chriſto Domino per ea, quæ ſupra attigimus, ſed auctoritas à Chriſto Domino communicata Pontifici maxime in ijs, quæ pertinent ad ſacramenta, eſt ad ædificationem, non ad deſtructionem; eſſet autem hæc lex ad deſtructionem, quia daretur anſa per iniuriam dirimendi matrimonia rata contrahendo, & conſummando alia. Secundo, quia ex ſuperius dictis non niſi ex grauiſſima cauſa poteſt Pontifex diſpenſare, vt qui contraxit cum impedimento dirimente poſſit in eodem perſeuerare; ſicque non poteſt ex eo, quod præciſe commiſit delictum contrahendo, cum non poſſet contrahere, diſpenſare. Tertio, quia dato etiam, quod in vno, vel altero caſu poſſet ex graui cauſa diſpenſare, non tamen ſequitur, quod vniuerſali lege poſſit ſtatuere, quandoquidem iudicium in ſpeciali cauſa poteſt eſſe attentis circonſtantijs ad ædificationem, & vtilitatem; lex autem vniuerſalis non poſſet eſſe, niſi in deſtructionem, & in damnum nedum priuatum, ſed etiam publicum.

Poteſtas à Chriſto cōmunicata debet eſſe ad ædificationē, non ad deſtructionem.

Hic oritur difficultas, an, ſi non obſtante, quod talis lex eſſet in præiudicium; nihilominus conſtitueretur, & primo contrahentes freti auctoritate talis legis matrimonia ſecunda contraherent, eaque conſummarent, intelligerentur prima rata diſſoluta, & ſecunda ſubſiſtere. Aliqui loquentes in terminis *c. 1. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de matrimon.* ſuper illa clauſula *ſpe diſpenſationis conſequendæ careant*, aſſerunt, quod, quamuis Pontifex ſuper illo matrimonio diſpenſaret ſine vrgentiſſima noua cauſa, grauiter peccaret, nihilominus illud matrimonium cum illa diſpenſatione teneret, vt videre eſt apud *Sanchez lib. 3. diſp. 45. nu. 3. prope medium* Nihilominus verius eſt, non tenere diſpenſationem abſq; iuſta cauſa factam, quia indiſſolubilitas prioris matrimonij rati iuxta ea, quæ ſupra diximus, eſt de iure naturali diuino, in quo diſpenſatio Pontificis abſq; iuſta cauſa irrita eſt, vt fatentur communiter Theologi, & vtriuſq; iuris DD. *Ancharanus conſ. 239. in fin. Decius conſ. 112 nu 3. Coarruuias 4. decret. part. 2. c. 7. § 4 nu 14 Anton. Gabriel tom. 2. commun. lib. 14. verbo Papa Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. de matrimon c. 54. Abbas c ex parte 2. de conuerſ. coniug num. 3. Menochius de præſumpt. lib 2. præſumpt 10. num 37. Barboſa ff. ſolut. matrimon 2. part rub. n. 105.*

3 Condita tali lege per Pontificē ſi quis dependenter ab illa cōtraheret ſecundum matrimonū, & conſummaret non irritaretur primum.

Hinc facile erit reſpondere ad ea, quæ dicta ſunt in ratione dubitandi *ex d. c. licet de ſponſalib.* nempe Pontifices prædeceſſores Alexandri III. iudicaſſe per ſubſequens matrimonium conſummatum poſſe ex Pontificis diſpenſatione dirimi præcedens tantum ratum; facile, inquam, erit reſpondere, ſi aſſeratur iudicia Pontificum prędeceſſorum collimaſſe dumtaxat ad quarundam litium deciſionem ex iuſtiſſima cauſa, non autem ad canonum vniuerſalium inſtitutionem, vt bene notat *Coaruuias 4. decret. 2. part c. 7. §. 4. nu. 15.* Ad illud, quod ſubditur, communem ſcilicet opinionem aſſerere præciſo illo *c. licet de ſponſalibus* præferri matrimonium poſterius conſummatum priori tantum rato, dicendum eſt, illam opinionem, ſi communis eſt, vt aſſeritur, eſſe potius communem errorem, quam opinionem, quandoquidem matrimonium ratum inter fideles æquiparatur conſummato infidelium quoad effectum indiſſolubilitatis, & eſt indiſſolubile de iure naturali diuino, ſicque etiam independenter ab illo *c. licet de ſponſal.* non poteſt diſſolui per aliud matrimonium ſubſequens licet conſummatum. Ad illud tandem, quod ſubditur, dicendū eſt, quod ſi Pontifex ſtatuerit per Profeſſionem Religioſam dirimi matrimonium ratum, hoc præſtiterit non nouam legem conſtituendo, ſed promulgando legem diuinam; de iure etenim diuino poſitiuo eſt, non de mero iure Eccleſiaſtico competit profeſſioni dirimere matrimonium præcedens non conſummatum *Scotus in 4. diſt. 31. q. 1. verſ. 3. modo Abulenſis pr. Reg c. 8. q. 98., 103., & 113. Victoria de poteſtat. Papæ prop. 1. nu 1. ad primum Sotus in 4 diſt. 27. q. 1 art. 4 concl. 1. verſ ad illud Henriquez lib 11. de matrim. c. 8. nu. 6. Cucus lib. 5. inſtit. maior tit. 12. nu. 277 Gutierez lib. 1. qq. canon. c. 17 num. 26.*

4 Pontifices anteceſſores Alexandri III. nō ſtatuerunt legem hoc ſtatuentē, ſed in particularibus caſibus deciderunt.

5 Profeſſio Religio. dirimit matrimonium ratum de iure diuino

## §. VII.

### An Pontifex poſſit diſpenſare ſuper matrimonio rato, quando alter coniugum aſſerit, ſe non habuiſſe animum contrahendi.

**SVMMARIVM.**

*Refertur ſtatus diſquiſitionis.* 1.

*Matrimonium contractum ſine animo contrahendi in foro conſcientiæ eſt nullum.* 2.

*Contractum cum omnibus à iure requiſitis extrinſecè in foro externo tenet, & parit vinculum coniugale.* 3.

*Qui contraxit ſeruatis omnibus requiſitis in foro externo; ſed ſine animo contrahendi tenetur etiam in foro conſcientiæ contractū adimplere, & nouo conſenſu vero matrimonium validare.* 4.

*Pontifex deficiente vero conſenſu interno poteſt ſuper illo matrimonio diſpenſare, vt diſſoluatur.* 5.

Diſqui-

1 Refertur ſtatus diſquiſitionis.

DIſquiſitio VII. Contraxerant matrimonium in facie Eccleſiæ, hoc eſt coram Parocho, & teſtibus per verba de præſenti Titius, & Caia nullo apparente ſigno diſſenſus, cum interrogati à Parocho expreſse præbuerint conſenſum. Rebus ſic ſtantibus, & matrimonio nondum conſummato Titius palam proteſtatus eſt, ſe non habuiſſe intentionem contrahendi, & per conſequens negat conſummationem, intenditque à contractu recedere. Quæritur iam, an Pontifex ex illius dicto poſſit ſuper illo matrimonio diſpenſare. Pro ſolutione

2 Contractũ ſine animo contrahendi in foro conſcientiæ non tenet.

Aduerte primò, illud matrimonium in foro conſcientiæ, ſi reuera Titius non conſenſit, non eſſe validum, nec parere vinculum coniugale, vt conſtat ex *cap. tua nos de ſponſalib.* atque ita ſuſtinent *Couarruuias de ſponſalib. ſecunda part. cap. 2. num. 2. & ſeqq. Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 1. num. 33. & 37. Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nupt comp. 32. num. 8. Iulius Sannazarius de ſponſal. & matrim. cap. 3. art. 3. num. 17. Ioannes Vallerus in ſuis different. verb. matrimonium differ. 4.* Ratio euidens eſt, quia re vera defficit forma ſubſtantialis contractus, quæ eſt liber, & legitimus conſenſus vtriuſque contrahentis, nec vllus poteſt obligari ſine proprio conſenſu.

3 Contractũ cum omnibus extrinſece requiſitis in foro externo tenet, & parit vinculum coniugale.

Aduerte ſecundò, matrimonium ſic contractum exhibito extrinſecus conſenſu coram parocho, & teſtibus in foro externo tenere, & parere obligationem, vinculumque coniugale *D. Thomas in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 2. ad primum, Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 1. num. 103.* Ratio deducitur ex generali regula comprehendente omnes contractus, ſecundum quam, qui verbis apertè contrahit, ſtipulatur, vel emit, & ſi conſenſus internus deficiat, verè obligatur, nam aliter nulla daretur vnquam obligatio, & quicunque contractus poſſet maxima cum facilitate diſſolui, cum vnuſquiſque poſſet dicere, ſe animum contrahendi non habuiſſe, nec ſe obligandi; vnde merito aſſerit *Menochius loc. cit.*, quod lex id ipſum in corde præſumit, quod ore dictum fuit per textum *in l. Labeo §. idem Tubero ff. de ſuppel. leg.* & à verbis contractus non eſt recedendum *l. fideiuſſore Magiſtratuum §. pro Aurelio ff. de fideiuſſ. l. non aliter ff. de legat. 3. & cap. per tuas de probat.*, & nimis durum eſt aduerſus ea venire, quæ quis pleno ore proteſtatus eſt *l. generaliter C. de non numer. pecun.*

4 Qui ficte contraxit ſeruatis omnibus requiſitis in foro externo tenetur per nouum conſenſum cõtractum reualidare.

Aduerte tertiò, quod quantumuis, qui ſimulatè contraxit, & ſine animo ſe obligandi in foro interno non obligetur, teneatur tamen etiam in foro conſcientiæ contractum adimplere, & nouo conſenſu vero matrimonium validare *Nauarrus in manual. cap. 22. num. 76. Silueſter verb. matrimonium 4 qu. 8. Gutierez de matrimon. cap. 9. num. 5. Sotus in quarto diſt. 27. qu. 1. art. 3. Riccius in praxi fori Eccleſ. deciſ. 243. nu. 2. in fin. Henriquez lib. 11. cap. 11. §. 3. lit. P. in text., & coment. Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 18. dub. 8. num. 60. Baſilius Pontius lib. 2. cap. 5. num. 5. & ſeqq.* Rationes plurimas huius aſſertionis, & quidem efficaces affert *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 2. num. 57.*, ad quem vos remitto. Nobis hæc vna ſufficiat, quia ſic ficte contrahendo læſit ius, quod alter acquiſiuit ex conſenſu liberè præſtito, per quem ſe obligauit, ratione cuius poteſt exigere ex iuſtitia, quod alter etiam obligetur, ergo &c.

His ergo ſic ſuppoſitis ad pleniorem huius diſquiſitionis notitiam difficultas maximè circa propoſitum titulum in eo conſiſtit, quod, quantumuis in foro interno illud matrimonium non teneat, vt diximus in primo notabili, quia tamen ex dictis in tertio tenetur verum conſenſum elicere, & conualidare contractum in ſua origine inualidum ex defectu veri, & ſubſtantialis conſenſus, videtur inferre plenam obligationem, qua poſita non poteſt Pontifex ſine alia, & graui, & legitima cauſa diſpenſare, &, ſi diſpenſarit, non erit ex eo præciſè, quod alter coniugum negat ſe verum conſenſum præbuiſſe, ſed ex alia cauſa. Nihilominus

5 Deficiente vero conſenſu interno poteſt Pontifex illud matrimonio diſſoluere.

Reſpondeo, Pontificem in ea hypotheſi poſſe validè, & efficaciter diſpenſare *Borgaſius de irregul. part. 6. tit. de ſponſalib. n. 74. Socinus Sen. conſ. 18. num. 6., & ſeqq. lib. 1. Felinus conſ. 26. num. 1. verſic. præterea dato, Menochius de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 10. num. 45. & conſ. 385. num. 12. vol. 4.* Ratio ex eo deducitur primò, quia, quantumuis in foro externo contractus ille ſubſiſtat ex prædictis in ſecundo notabili, in foro tamen interno inualidus eſt ex dictis in primo, & quamuis alter, qui verum, & liberum conſenſum poſuit ius habeat, vt alter conſenſum ponat verum, per quem transferat ius in proprium corpus, non tamen antecedenter ad illum actum ius in corpus

6 Pontifex in iuribus quærendis poteſt diſpenſare.

illius acquiſiuit, ſed Pontifex in iuribus quærendis circa contractum matrimonialem poteſt diſpenſare, licet non poſſet in iuribus iam quæſitis, quandoquidem ſolum in matrimonio rato non poteſt ſine graui cauſa diſpenſare, quia eſt inſolubile de iure naturali diuino per ſuperius notata, quando autem conſenſus verus non adhuc eſt poſitus, non eſt matrimonium ratum, quamuis ſit ius ad illud, ergo poterit in illo iuſtè diſpenſare; Neque dicas, quod in foro externo matrimonium illud ſupponitur ratum, adeoque ius quæſitum alteri, qui poſuit conſenſum verum, liberum, & perfectum; contra enim impugnaberis, quia quantumuis ſupponatur tale,

re

Digitized by Google

re tamen vera tale non eſt, vnde in controuerſia, quod fuerit tale, vel non tale poterit Pontifex diſpenſare, ne grauetur per Eccleſiam, ne cogatur ad implementum &c.

Eſſet timor infelicis exitus, & diſſidiorum.

Ratio deduci poteſt ſecundò ex eo, quod quando ex matrimonio timentur infelices exitus, odia inter coniuges, diſſenſiones inter propinquos, ſi illud non fuerit conſummatum, poteſt Pontifex ſuper illo diſpenſare per ſuperius notata, ſed altero coniuge negante ſe verum conſenſum præbuiſse, ſi compelleretur in eodem perſiſtere, rationabiliter timeri poſſent ex illo matrimonio infelices exitus, damna, ſcandala, rixæ, & ſeditiones, ergo ſuper illo Pontifex poteſt diſpenſare. Minor probatur, quia ex eo, quod ille denegat matrimonium, ſeù conſenſum matrimonio præbuiſse, ſe alienum abſolutè præbet ab illo matrimonio, qui per conſequens, ſi compelleretur in eodem permanere, permaneret quaſi per vim, ſeù ſaltem inuoluntariè mixtè; ex matrimonio autem non liberè volito non poſſunt, niſi infelices exitus, & grauia damna timeri. Neque obeſse poteſt, ſi aſſeratur, quod tunc diſpenſatio non contingeret ex eo præcisè, quod alter aſſereret ſe verum, & liberum conſenſum non præbuiſse, ſed ex illis damnis, quæ timerentur; Non, inquam, obeſse poteſt, quia quantumuis diſpenſatio referretur ad illa incommoda, eſset tamen dependenter ab aſsertione coniugis denegantis ſe verum conſenſum præbuiſse, quod ſatis eſt ad præſens inſtitutum.

---

## §. VIII.

### An poteſtas Procuratori ad contrahendum matrimonium nomine ſui principalis debeat neceſſario conferri coram Parocho, & teſtibus.

*SVMMARIVM.*

*Refertur ſtatus diſquiſitionis.* 1.

*Sententia iuris peritorum requirentium ex neceſſitate, quod mandatum ad contrahendum matrimonium conferatur coram Parocho, & teſtibus.* 2.

*Non requiritur ad conſtituendum mandatum pro matrimonio contrahendo, quod mandatum ipſum conferatur coram Parocho, & teſtibus.* 3.

*Soluuntur rationes aduerſantes iuris peritorum.* 4.

1 DISQVISITIO VIII. Intendens Caius ciuis Mediolanenſis contrahere matrimonium cum Theodorica ciue Taurinenſi conſtituit Procuratorem Octauium cum certo, expreſſo, & determinato mandato ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus in eo conſtituendo ad effectum, vt nomine proprio cum eadem contraheret; non tamen in conſtitutione talis procuratoris adhibuit præſentiam Parochi, & teſtium. Orta hic fuit controuerſia, an illa procuratoris conſtitutio ſubſiſteret, & matrimonium per illum contractum teneret.

Status controuerſiæ in ſuis terminis.

2

Sententia iuris peritorũ requirentiũ præſentiã Parochi, & teſtium ad conſtituendum Procuratorem

Nonnulli iuris periti apud *Gutierez de matrimon. cap. 43. num. 12.* abſolutè aſſerunt ad validam procuratoris conſtitutionem ad hunc effectum contrahendi nomine ſui principalis matrimonium, & ad validum matrimonium per eundem procuratorem ineundum ex neceſſitate requiri aſſiſtentiam parochi, & teſtium poſt *Concilium Tridentinum cap. 1. ſeſſ. 24. de matrimon. reformat.* ſicuti requiritur ad validè matrimonium contrahendum, quod nonnullis conantur rationibus euincere; & primò, quia, vt aſſerit *Riminaldus conſ. 467. num. 78. & ſeqq. vol. 4.* ſolemnitas, quæ requiritur ad actum, requiritur etiam ad commiſſionem ad actum, cui congruenter docent communiter DD., quod prohibito aliquo cenſeatur prohibitum omne illud, quo peruenitur ad illud per textum *in l. oratio ff. de ſponſalib. Rebuffus cap. poſtulaſtis num. 1. & ſeqq. de cler. excom. miniſt. Gloſa clement. prim. de conſang. verbo contrahere, Hoſtienſis cap. fin ſuper verb. contrahenda, & ibi Ioannes Andreas num. 4. Cardinal. in fin. Ancharanus num. 17 Abbas num. 5. Præpoſitus num. 5. de clandeſt. deſp.* ſed poſt *Concil. Trident. loc. cit.* ad valorem actus nempe matrimonij requiritur tanquam ſolemnitas præſentia parochi, & teſtium, ergo eadem ſolemnitas requiritur ad commiſſionem ad actum, nempe ad conſtituendum procuratorem, vt contrahat nomine conſtituentis matrimonium. Secundò *ex l. 39. Tauri*, vbi dicitur eandem ſolemnitatem exigi in mandato teſtamentum conficiendi, quæ in ipſo teſtamento exigitur, rationemque adducunt *DD* quia eadem ratio, quæ eſt in conſequenti debet eſſe etiam in antecedenti, ergo etiam eadem ſolemnitas exigitur ad mandatum matrimonij, quæ exigitur ad ipſum matrimonium. Nihilominus

Rationes iuris peritorum afferuntur,

3

Non requiritur, quod mandatum conferatur coram Parocho, & teſtibus.

Reſpondeo abſolutè illam ſolemnitatem præſentiæ parochi, & teſtium, quæ requiritur ad valorem matrimonij, non requiri ad conſtituendum mandatum pro eodem matrimonio contrahendo *Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 21. nu. 23. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract. cap. 3. num. 300. Gutierez de matrimon. cap. 43. num. 12.* Ratio ex eo deducitur, quia lex Tridentini *in d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat.*

matrimonij in ea parte, qua exigit tanquam ſolemnitatem neceſſariam ad valorem contractus præſentiam parochi, & teſtium eſt correctoria iuris communis, & naturæ, ergo non eſt extendenda vltra terminos, de quibus loquitur idem Tridentinum, quod loquitur ſolum de ipſo actu matrimonij, dum exigit præſentiam parochi, & teſtium. Confirmatur ex communi praxi, & vbique inter Catholicos recepta conſuetudine, ſecundum quam etiam poſt Tridentinum contrahuntur matrimonia per procuratorem, nec tamen illa ſolemnitas in conſtitutione eiuſdem procuratoris obſeruari viſum eſt. Confirmatur ſecundò, quia, ſi Concilium Tridentinum voluiſſet illam ſolemnitatem requiri non ſolum ad actum, ſed etiam ad præcedentia ad actum, vtique expreſſiſſet *arg. l. item apud Labeonem §. prætor ait ff. de iniur. & cap. ad audient. de renunt.* cum igitur non expreſſerit ſignum eſt, quod eandem ſolemnitatem ad munus conſtituendi procuratorem tanquam neceſſariam non voluerit.

Concilium Trident. non ſtatuit illam præſentiam ad mandatum

4 Soluuntur rationes aduerſantes iuriſperitorum.

*Ad* rationes, quæ ex aduerſo per iuris peritos afferebantur dicendum eſt, & quidem ad primam illam nullo rationabili innixam eſſe fundamento, nec verum abſolute eſt, requiri eandem ſolemnitatem ad commiſſionem, quæ requiritur ad eundem actum, niſi commiſſio, & actus à iure expreſsè præcipiantur fieri ſub eadem forma, quod non militat in præſenti hypotheſi. Falſum item eſt, quod ſubditur nempe prohibito actu cenſeri prohibitum id, quo peruenitur ad actum; nam in terminis etiam præſentibus prohibetur contrahi matrimonium ſub nullitate ſine præſentia Parochi, & teſtium, non tamen prohibentur ſponſalia contrahi ſub nullitate, ſi præſentia eiuſdem Parochi, & teſtium omittatur; & tamen per ſponſalia peruenitur ad matrimonium. Deinde non militat eadem ratio irritandi conſtitutionem Procuratoris, ſine Parochi, & teſtium interuentu, quæ militat ad irritandum matrimonium ſine eiſdem, quandoquidem ratio irritandi huiuſmodi matrimonium fuit ad euitandum concubinatum, quo priori matrimonio clam inito ſpreto contrahens aliam publicè ducebat, ratione cuius cum non conſtaret Eccleſiæ de primo cogebatur perſeuerare cum ſecundo, quæ ratio non militat in conſtitutione procuratoris; ſiquidem conſtante de matrimonio per eundem procuratorem inito in faciem Eccleſiæ non poteſt eſſe dubium de illo concubinatu, vt per ſe patet. Ad illud, quod ſubditur de leg. 39. Tauri dicendum eſt, eandem non officere aſſerto noſtro, quandoquidem lex illa eſt municipalis, quæ in eo dumtaxat genere, de quo loquitur, reſtringit ius commune in locis, in quibus viget, non autem in alio genere, de quo expreſsè non loquitur. Deinde bene aſſignant diſparitatem *Gutierez, Sanchez, & Boſſius loc. cit.* ad quos vos remitto.

---

## §. IX.

### An ad valorem matrimonij ineundi per Procuratorem requiratur, vt mandatum exhibeatur Parocho, & teſtibus.

*SVMMARIVM:*

*Factum expoſitum in terminis particularibus.* 1.
*Sententia aſſerens non ſubſiſtere matrimonium, niſi mandatum exhibeatur coram Parocho, & teſtibus.* 2.
*Subſiſtit matrimonium, quantumuis mandatum non fuerit exhibitum coram Parocho, & teſtibus.* 3.
*Munus Parochi, & teſtium eſt ad teſtificandum de contractu, non ad inquirendum, & declarandum.* 4.
*Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.* 5.

DISQVISITIO IX. Conſtitutus fuerat per literas, vel per ſcripturam à Caio procurator Antonius, vt nomine ſuo contraheret matrimonium cum Calidonia. Vigore talis mandati coram parocho, & teſtibus nomine Caij Antonius contraxit tale matrimonium, ſed nec literas, nec ſcripturam mandati exhibuit eidem parocho, & teſtibus. Quæſitum fuit, an matrimonium illud ſic contractum ſubſiſteret.

1 Exp[...] ſerie[...]

Videtur abſolutè negandum illud matrimonium ſubſiſtere, prout negare videntur *Egidius Coninchius diſp. 29. dub. 1. concl. 4., & Paulus Laiman lib. 1. tract 10. part. 7. cap. 7. num. 3.* cum aſſerant, neceſſarium eſſe, vt Parochus, & teſtes, vel ex literis, vel ex ſignis ſufficientibus cognoſcant illud mandatum, quod non incongrua ratione videntur aſſerere, quandoquidem eiſdem debet conſtare de legitimitate perſonarum, cum etenim per diſpoſitionem Concilij Tridentini aſſumantur, vt poſſint publicè teſtari de matrimonio coram ſe contracto inter tales determinatas perſonas, vel immediatè per ſe ipſas, vel mediatè per Procuratorem, vtique debent cognoſcere illum eſſe legitimum procuratorem, quod aliunde haberi non poteſt, niſi vel per literas mandati, vel per alia ſigna ſufficientia ad inducendam credulitatem legitimitatis talis perſonæ conſtitutæ in procuratorem: atque hæc potiſſimum verificantur in actionibus aliquorum

2 Sent[...] affer[...] non ſtere[...] nium[...] mand[...] exhib[...] tur c[...] Paro[...] & te[...]

Digitized by Google

Eiuſdem ſententiæ rationes, & fundamenta.

rum per alios, quia cum nequeat eorum conſenſus innoteſcere, niſi per perſonam ſubmiſſam, ſeù deputatam in procuratorem debet conſtare vt validus ſit actus, de translatione voluntatis conſtituentis in ipſum conſtitutum, vt ipſius conſenſus innoteſcat; hac eadem ratione diximus in præcedentibus, quod, ſi procurator legitimè conſtitutus fuerit reuocatus, reuocatio eidem debeat innoteſcere per nuntium ad id muneris deputatum, vel per literas reuocantis, cum aliunde conſenſus reuocantis non poſſit eidem legitimè innoteſcere. Nihilominus

3 Subſiſtit matrimonium, quãtumuis mãdatum non fuerit exhibitum coram Parocho, & teſtibus.

Reſpondeo ſubſiſtere matrimonium, quantumuis procurator non exhibuerit parocho, & teſtibus literas ſui mandati, vel deputationis ad hoc munus præſtandum *Sanchez de matrimon. lib. 5. diſp. 8. num. 24. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 3. num. 303. Gutierez de matrimon. cap. 44. num. 100.* Ratio ex eo deducitur primò, quia Concilium Tridentinum non præſcripſit tanquam de neceſſitate contractus præſentiam Parochi, & teſtium, vt integrè, & plene poſſent teſtificari de validitate matrimonij quoad omnia, nempe de non exiſtentia impedimentorum, de potentia contrahentium, de qualitate perſonarum, ſed tantum, vt eſſent teſtes de præſenti quoad conſenſum præſtitum, vel per ipſos contrahentes immediate, vel per procuratorem nomine eorundem, ergo, ſi re vera Parochus, & teſtes adſtiterint tali matrimonio per procuratorem inito, quamuis iſti mandatum non viderint, tenebit matrimonium, ſi ille fuerit legitimè conſtitutus procurator. Secundò, quia, ſi Parochus, & teſtes adſtiterint matrimonio non præmiſſis denuntiationibus tenet matrimonium, ſi nullum interceſſerit impedimentum, non tenet, ſi impedimentum aliquod dirimens interuenerit, ergo etiam, ſi adſtiterint matrimonio per procuratorem nomine alterius inito, non præmiſſa diligenti perquiſitione ſuper legitimitate eiuſdem procuratoris per inſpectionem ſcripturarum, vel aliorum ſufficientium inditiorum matrimonium illud tenebit, ſi ille fuerit legitimus, non tenebit, ſi illegitimus. Conſequentia probatur, quia ita requiruntur denuntiationes ad finem detegendi impedimenta, ſicuti inſpectio ſcripturarum, aliarumque probationum ad dignoſcendam legitimitatem procuratoris, ergo, ſicuti illis omiſſis tenet matrimonium, etiam omiſsa tali inſpectione tenebit.

4 Munus Parochi, & teſtium eſt ad teſtificandũ, non ad inquirendum, & declarandum.

Tertiò, quia munus parochi, & teſtium in tali aſſiſtentia non eſt munus Iudicis ad inquirendum, & declarandum, ſed tantum teſtium ad teſtificandum, ſed ad validitatem omnium contractuum non eſt neceſſe, quod mandatum procuratoris videatur à teſtibus, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo neque eſt neceſſe, quod ab eiſdem videatur quoad contractum matrimonij. Quartò, quia ad partes contrahentes pertinet indagare ſuper legitimitate procuratoris, non ad Parochum, qui non tenetur gerere vices earundem partium, nam illorum periculo cederet, ſi non eſſet legitimus, ergo &c. Quintò, quia praxis iam vbique obtinuit, vt mandatum procuratoris exhibeatur partibus, non eidem parocho, & teſtibus, & tamen matrimonium per procuratorem initum ſine exhibitione mandati nullibi declaratur irritum, ergo &c.

Aliæ rationes euincentes intentum.

Sextò, quia per illum contractum matrimonialem ſic per procuratorem initum etiam ſine exhibitione mandati ſaluatur finis à Concilio intentus, qui eſt, & fuit, ne contrahantur ſecundæ nuptiæ ſpretis primis, quandoquidem, cum Eccleſiæ conſtet illud matrimonium fuiſſe initum, quantumuis valor pendeat à verificatione legitimitatis, non permittet contrahentes tranſire ad ſecundas nuptias, donec plenè diſcutiat, an procurator fuerit legitimus, nec ne, ergo &c.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt parochum, & teſtes non adhiberi, niſi ad teſtificandum de conſenſu præſtito per procuratorem coram ſe, & teſtibus, non autem de idoneitate, quæ aliunde debet conſtare, vt etiam contingere poteſt, ſi contrahentes ipſi, vel ex impotentia, vel ex aliquo impedimento dirimente ſint inhabiles ad contrahendum, cum hoc ſpectet ad aliam indaginem, vnde ſicuti in hac hypotheſi contracto matrimonio per verba de præſenti coram parocho, & teſtibus matrimonium tenet, ſi illi fuerint habiles ad contrahendum, non tenet, ſi fuerint inhabiles, ita in hypotheſi, de qua loquimur; tenebit matrimonium, ſi procurator fuerit legitimus, non tenebit, ſi illegitimus, & partibus incumbit onus inueſtigandi, cum de ipſarum commodo, vel præiudicio agatur, non ipſi parocho, & teſtibus, qui ſolum adhibentur, vt teſtes ſint illius actionis, quæ coram ipſis exercetur. Cæterum, ſi requireretur, quod eiſdem parocho, & teſtibus conſtaret de legitimitate procuratoris, requireretur etiam, quod eiſdem conſtaret de non reuocatione eiuſdem, quod tamen non eſt dicendum.



Digitized by Google

## §. X.

An neceſſarium ſit, quod Procurator ad contrahendum matrimonium conſtituatur in ſcriptis.

*SVMMARIVM.*

*Explicatur factum.* 1.
*Ratio ſuadens requiri ſcripturam.* 2.
*Non eſt neceſſe, quod conſtitutio Procuratoris fiat in ſcriptis.* 3.
*Satisfit rationi contrariæ.* 4.

1 Exponitur caſus.

DISQVISITIO X. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis Caius contendens contrahere matrimonium cum Calidonia ſuum Procuratorem in ordine ad hoc munus, vt ſcilicet nomine eiuſdem contraheret, conſtituit Antonium, eiq; mandatum dedit non in ſcriptis, ſed oretenus. Quęſitum fuit, an talis conſtitutio ſubſiſteret, & ſi matrimonium vigore illius mandati fuerit per eundem Procuratorem ſic conſtitutū contractum, plenum effectum ſortiretur.

2 Ratio ſuadens requiri ſcripturam.

Videtur prima fronte aſſerendum, quod, cum agatur de re difficilis probationis, & ſecundum ſe ardua, talis ſcriptura neceſſario requiratur, cum etenim innoteſcere debeat alteri contrahenti cōſenſus illius, qui conſtituit procuratorem, & ſemper poſſit ſubeſſe dubium, quod ille, qui dicitur procurator, non ſit talis verè, & realitèr, & diuerſa enuntiet ab ijs, quæ intendit principalis contrahens, hinc eſt, quod per ſcripturam eidem debeat manifeſtari conſtitutio, & dependenter ab illa conſenſus conſtituentis; hoc etiam euinci poteſt ex communi praxi, ſecundū quam huiuſmodi commiſſiones ſemper fiunt in ſcriptis. Nihilominus.

3 Non eſt neceſſe, quod conſtitutio Procuratoris ſit in ſcriptis.

Reſpondeo, non eſſe neceſſario huiuſmodi conſtitutionem fieri in ſcriptis. *Gloſa l. maritus verſ. præterea C. de procurat., & ibi Bartolus, Baldus, Fulgoſius, & Salicetus Iaſon. l. 1. num. 7. C. eod. tit. Perez lib. 3. ordinan. tit. 4. l. 3. verſ. vtrum autem Angelus conſ. 122. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 11. num. 14. Gutierez de matrimon. c. 43. nu. 16. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 3. nu. 278.* Ratio ex eo deducitur primo, quia cæteri Procuratores ad alia negotia poſſunt validè conſtitui ſine ſcriptis, prout late docent *DD.* mox allegati, & in ſpecie *d. Gloſa in l. maritus verb. præſcripſerunt C. de Procur., & ibi omnes ferè ſcribentes*, ergò non erit, cur etiam procurator ad contrahendum matrimonium non poſſit conſtitui valide ſine ſcriptis. Conſequentia probatur, quia à regula generali non eſt facienda exceptio, vbi non eſt ſpecialis diſpoſitio iuris, ſed quoad matrimonia contrahenda per Procuratorem non eſt aliquod ius præcipiens, quod debeat conſtitui in ſcriptis, cum tale ius non ſit aſſignabile, ergo &c. Secundo, quia, qui conſtituit procuratorem ad contrahendum matrimonium, poteſt ante contractum illum reuocare ſolum verbis ſine ſcriptura, ergo etiam poterit valide eundem ſine ſcriptura conſtituere, ſed dumtaxat oretenus. Antecedens communiter admittitur ab omnibus, quia ſicuti, ſine conſenſu non poteſt eſſe matrimonium, ita poſito, & reuocato conſenſu illud non poteſt ſubſiſtere, dummodo tamen reuocatio poſita ſit ante matrimonium. Conſequentia tenet, quia per ea, per quæ conſtituitur contractus, poteſt diſſolui, non per minora. Tertio, quia in tantum requiritur ſcriptura, in quantum hæc neceſſaria eſſet ad probationem, ſed hæc ratio non vrget, quandoquidem ſicut matrimonium ipſum poteſt aliunde probari, quam per ſcripturam, puta per teſtes, ita etiam probari poteſt conſtitutio procuratoris. Deinde ſequeretur ex hoc, quod omnes alij contractus exigerent ad ſui ſubſtantiam ſcripturam, ſi hæc neceſſaria abſolutè eſſet ad probationem. Cum autem regulariter ſcriptura neceſſaria non ſit ad ſubſtantiam contractus, ſed ad ſummum ad probationem, & hæc aliunde haberi poſſit, non eſt cur hæc debeat eſſe itá neceſſaria, vt ſine illa non poſſit eſſe valida procuratoris conſtitutio.

Procurator poteſt reuocari ſolis verbis.

4 Satisfit rationi contrariæ.

Ex his habes, quid reſpondeas ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur; aliunde etenim poteſt alteri contrahenti innoteſcere conſenſus conſtituentis procuratorem, quam per ſcripturam. Deinde, quamuis conſenſus conſtituentis non appareat per ſcripturam, vel verè adſtitit, vel non; ſi adſtitit, non eſt, cur contractus non debeat ſubſiſtere, cum adſit verè conſenſus internus contrahentis, qui conſtituit procuratorem, & ſimul ſenſibilitas poſita per eundem procuratorem; ſi non adſtitit, tunc verè non tenet contractus, ſed hoc eſt ex defectu veri proprij, & realis conſenſus principalis contrahentis. Tandem non omnia, quæ ſunt neceſſaria ad probationem, ſunt etiam neceſſaria ad ſubſtantiam actus, vt per ſe patet.

§. XI.

Digitized by Google

## §. XI.

### An teneat matrimonium, ſi procurator excedat fines mandati.

*SVMMARIVM.*

*Refertur caſus de contrahente matrimonium ſine dote preſcripta, & determinata per conſtituentem.* 1.
*Rationes ſuadentes matrimonium illud contractum per Procuratorem non ſeruata forma mandati tenere.* 2.
*Probabilius eſt, quod illud matrimonium non teneat.* 3.
*Defectus quoad qualitatem irritat contractum, quando qualitas eſt intenta tanquam conditio.* 4.

1 Refertur caſus de procuratore contrahente matrimoniū, ſine dote præſcripta à cōſtituente,

DISQVISITIO XI. Conſtituerat Caius ſuum Procuratorem Antonium, vt nomine proprio contraheret matrimonium cum Theodorica ea adiecta conditione, vt contractum iniret cum tanta, & tali determinata dote. Antonius iuxta mandatum contraxit, ſed conditionem illam quoad dotem determinatam non ſeruauit. Hic orta eſt controuerſia, an illud matrimonium, in quo procurator exceſſit fines mādati, eſſet ſuſtinendum, an vero in ſua radice corrueret.

2 Rationes ſuadentes matrimonium illud ſic contractum per procuratorem non ſeruata forma mādati tenere,

Ex ſuperius dictis videtur abſolutè dicendum, illum contractum ſic initum ſubſiſtere paritate deducta à matrimonio contracto per procuratorem omiſſis denuntiationibus preſcriptis in mandato; ſi enim, quis conſtituens procuratorem dixerit. *Do tibi facultatem contrahendi matrimonium nomine meo, cum tali determinata perſona ſeruata forma Concilij Tridentini*, & procurator ſic conſtitutus contraxerit non ſeruatis iuris ſolemnitatibus, hoc eſt non præmiſſis denuntiationibus adhuc valide contraxiſſe, & obligaſſe ſuum principalem docent *Vilalobos in ſumma tom. 1. tract. 13. difficult. 9. num 2. Gutierez de matrim c. 43. num. 19. Sanchez lib. 2. diſp. 11. num. 17. Baſilius Pontius de matrim lib. 2. c. 15. num. 6. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 3. nu. 162.* ergo etiam &c Accedit, quod ille defectus dotis non pertinet ad ſubſtantiam contractus, ſed tantum ad qualitatem, ergo ſecundum ſe non irritat contractum, vt late videbimus infra, dum de erroribus, ſicut enim contrahens cum fæmina, quam reputabat Virginem, & inuenit corruptam, cum nobili, & erat ignobilis, non inualidè contraxit, nec poteſt ſecundum ſe recedere à contractu iam inito, quia abſolutè, & libere conſenſit in ſubſtantiam, quæ non vitiatur per defectum qualitatis, ità, qui contraxit per procuratorem dato mandato quoad talem deteminatam perſonam, licet non fuerit conſecutus dotem in mandato præfixam, non propterea inualide contraxiſſe cenſendus eſt, nec poterit à contractu recedere, quia ſupponitur abſolutè conſenſum præſtitiſſe quoad ſubſtantiam. Nihilominus.

Defectus dotis non pertinet ad ſubſtantiā contractus

3 Probabilius illud matrimoniū ſic contractū non tenet.

Contrarium quoad præſens quæſitum de matrimonio contracto ſine dote in mandato præfixa ſuſtinent *Sanchez de matrimon. lib. 2 diſp. 11. num. 17. Gutierez de matrimon. c. 43. num, 19., & omnes DD. allegati* in ratione dubitandi. Rationem deducunt primo *ex l. diligenter ff. mandati*, vbi dicitur mandatum ad vnguem ſeruandum eſſe, & qui excedit limites mandati priuatus tota poteſtate cenſetur *Menochius de recup. poſſeſſ. remed. 8. num. 13., & 17. & conſ. 69. num. 73., & ſeqq. vol. 1.* Secundo, quia conſenſus ille principalis contrahentis præſtitus procuratori ad contrahendum nomine proprio matrimonium cum illa determinata perſona cenſetur abſolutè conditionalis, & limitatus ad talem conditionem; illa etenim conſtitutio procuratoris concepta ſub illa forma perinde ſe habet, ac ſi conſtituens diceret. *Do tibi facultatem contrahendi cum tali determinata perſona, dummodo illa mihi conſtituat talem, ac tantam dotem*, ſed conſenſus conditionalis non purificata conditione nullam penitus vim ſortitur, nec vllo modo obligat, ſiquidem obligatio eſt ad normam conſenſus, ergo ſi conſenſus ille non purificata conditione euaneſcit, nulla poterit inde conſurgere obligatio. Quid igitur in hac controuerſia concludendum? Sentio potiora eſſe iura huius ſecundæ opinionis, cui propterea adhærendum cenſeo.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad ea, quæ ex oppoſito dicebantur, dicendum eſt in primis diſparem omnino eſſe rationem, quia quotieſcunque in cōmiſſione exprimitur forma iuris eo modo, quo ineſt in iure communi, non eſt intentio inducendi nouam formam, & conditionem, ſed ſolummodo eſt expreſſio, vt ſeruetur forma iuris communis, vnde perinde eſt, ac ſi illa non eſſet poſita, nec aliquid vltra diſpoſitum à iure operatur; vnde in illa hypotheſi ſi præmittantur denuntiationis iam ſeruatur forma iuris, & expreſſio poſita per principalem contrahentem, & ſic non eſt, cur contractus non debent ſubſiſtere; ſi vero omittantur, etiam non irritant contractum, quandoquidem præcipiuntur, ſicuti eſt diſpoſitum in iure, ſicuti igitur omiſſio earum attento iure communi Tridentini non reddit irritos contráctus vt ſupra dicebamus, ita nec irritat attenta illa expreſſione conſti-

tuentis,

4 Etiam defectus quo ad qualitatem irritat contractũ, quãdo qualitas eſt adiecta per modũ conditionis. tuentis, quia ſolum intendit id, quod intenditur à iure, niſi aliud expreſſerit. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt etiam errorem, & defectum quoad qualitatem irritare contractum, quando illa apponitur per modum conditionis, quia tunc pertinet quodamodo ad ſubſtantiam, quatenus contrahens non intendit ſubſtantiam, niſi cum illa qualitate; in noſtro autem caſu certè liquet illam dotem apponi per modum conditionis, cum ſub ea forma conſtituens dederit mandatum.

## §. XII.

### An reuocatio Procuratoris contra iuramentum de non reuocando irritet matrimonium, ſi poſt illam contrahatur.

*SVMMARIVM.*

*Factum in ſuis terminis.* 1.
*Non obſtante illo iuramento de non reuocando, ſi facta fuerit reuocatio, matrimonium non tenet remiſſiuè.* 2.
*Reuocans tamen fit reus periurij, ſi reuocauerit ſine legitima cauſa, ſecus, ſi ex iuſta cauſa remiſſiue. Ibid.*

1 Exponitur ſtatus controuerſiæ. DISQVISITIO XII. Caius conſtituto ſuo procuratore Antonio ad contrahendum matrimonium cum Theodorica addidit iuramentum de eodem non reuocando. Non obſtante iuramento antequam per Antonium contractus inиretur reuocauit mandatum; & nihilominus Antonius, ſiue conſcius reuocationis, ſiue neſcius matrimonium celebrauit. Hic orta eſt difficultas, an illud matrimonium non obſtante reuocatione contra iuramentum ſubſiſteret, an vero inualidum eſſet.

2 Facta reuocatione, matrimonium non tenet. Non diutius in hac diſquiſitione immorandum eſt, quandoquidem de ea fusè egimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. Diſq. II. §. 23. per totum*, ad quæ vos remitto, vbi dignoſcetis matrimonium illud ſic contractum non ſubſiſtere, quamumuis reuocans fiat reus periurij, ſi reuocauerit ſine legitima cauſa, ſecus ſi legitima, & rationabili cauſa interueniente, quia ſemper ſupponitur elicitum, quando adiectum eſt mandato ſub tacita conditione, niſi interceſſerit talis cauſa reuocandi.

Fit tamen reuocans reus periurij.

## §. XIII.

### An teneat matrimonium, ſi principalis miſſo Procuratore inſaniat, antequam per illum contractus celebretur.

*SVMMARIVM.*

*Status diſquiſitionis expoſitus.* 1.
*Rationes ſuadentes matrimonium illud ſic contractum non ſubſiſtere.* 2.
*Amens, vt amens non poteſt per ſe ipſum contrahere.* 3.
*Diſparitas aſſignata ab aduerſarijs de baptiſmo petito ante amentiam, & recepto in amentia, ac de matrimonio volito ante amentiam, & celebrato in amentia.* 4.
*Sententia aſſerens matrimonium illud ſubſiſtere, quamuis principalis tempore contractus inciderit in amentiam.* 5.
*Hæc ſententia præfertur, & probatur.* 6.
*Cur ebrius, & demens, qui habuit voluntatem præcedentem contrahendi inualidè contrahat pro tempore ebrietatis, & dementia per ſe ipſum, non ſic, ſi tunc contrahat per procuratorem.* 7.
*Diſparitas aſſignata de ſomno, ac de ebrietate comparatiuè ad dementiam non valet ad præſens inſtitutum, & quare.* 8.
*Soluuntur rationes oppoſita.* 9.

DISQVISITIO XIII. Mandatum dederat Caius Antonio, vt pro ſe contraheret matrimonium cum Calidonia in valida forma. Pendente adhuc termino ad contrahendum Caius principalis incidit in amentiam, qua durante Antonius procurator, ſiue conſcius, ſiue neſcius amentiæ ſui principalis matrimonium cõtraxit. Quæſitum fuit, an illud matrimonium ſic initum validum eſſet, an abſolute irritum. 1 Caſus enucleatur in terminis particularibus.

Videtur abſolute dicendum matrimonium illud non ſubſiſtere, quia amens, vt amens non poteſt per ſe ipſum contrahere defectu capacitatis ſubiecti, ergo etiam vt talis non poteſt contrahere per procuratorem, quia, quod quis nequit per ſe ipſum præſtare, nec poteſt per alterum; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ideo amens, vt amens non poteſt per ſe ipſum contrahere, quia cum tunc careat vſu rationis non poteſt liberum, & legitimum conſenſum exhibere, quando autem contrahit per Procuratorem iam exhibuit liberum, & legitimum conſenſum in conſtitutione eiuſdem, qui virtute perſeuerat cum non fuerit reuocatus; non, inquam, obeſſe poteſt, quia, ſi ille, qui incidit in amentiam habuerit antecedenter animũ abſo- 2 Rationes ſuadentes matrimoniũ ſic contractũ non ſubſiſtere. 3 Amens, vt amens non poteſt per ſe ipſum contrahere.

abſolutum contrahendi cum eadem Calidonia poteſt dici, quod adhuc ille animus perſeueret, cum non fuerit reuocatus, & tamen matrimonium per illum initum tempore amentiæ non ſubſiſteret, ergo &c., quod vlterius euincitur ex ijs, quæ docuimus *tom.5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. Diſq.1. §.6. num* 3. nempe ſponſalia celebrata tempore ebrietatis ab eo, qui antecedenter ad ipſam habuit animũ deliberatum contrahendi cum tali perſona non ſubſiſtere, vt etiam docent *Ledeſma 2. part. q.60. art.3. Veracrux pr. part. ſpeculi. art. 4. concl. 5. Sanchez lib.1. de ſponſalib. diſp.8. num.20. verſ. dicendum tamen eſt.*

Aliç rationes pro hac ſententia.

Secundo, quia pro forma, & cauſa contractus eſt conſenſus contrahentis expreſſus per verba procuratoris, ſed pro eo tempore, quo principalis incidit in amentiam non poteſt eſſe conſenſus ipſius, ergo deficiente forma ſubſtantiali, & cauſa non poteſt eſſe matrimonium. Tertio, quia ſi interim, quo Procurator contrahit nomine ſui principalis, hic moriatur, certe contractus ille non ſubſiſtit, ergo nec ſubſiſtet, ſi ille incidet in amentiã, quia quoad conſenſum amentia æquiparatur morti. Ita expreſſe ſentit *Baſilius Pontius de matrimonio lib.2. cap.15. nu.14.*, quem referunt *Diana part.3. tract.4. reſol.249., & Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap.3. num.* 274.

Amentia quoad conſenſũ æquiparatur morti.

4

Diſparitas de baptiſmo petito ante amentiam, & recepto in amentia, & de matrimonio volito ante amentiam & celebrato tempore amentiæ.

Quod ſi obijciatur primo Baptiſmum receptum tempore furiæ, ſi fuerit tamen antecedenter ad ipſam petitus, ſubſiſtere, adeoq; etiam matrimonium initum tempore amentiæ ſubſiſtere, ſi fuerit efficaciter volitum ante eandem; ſecundo validum eſſe ſacramentum pænitentiæ receptum tempore amentiæ, quando recipiens ante amentiam dedit ſigna contritionis. Si, inquam, hæc obijciantur, ſtatim reſpondent diſparem omnino eſſe rationem, quia, vt baptiſmus habeat effectum, ſatis eſt, quod voluntas præceſſerit, & quod non fuerit reuocata, quinimmo ſufficit voluntas purè habitualis, ſeu non poſitiua reſiſtentia; at in matrimonio neceſſarius eſt conſenſus perſeuerans etiam in ipſo fieri contractus, cum conſenſus per verba, vel ſigna expreſſus ſit forma ſubſtantialis eiuſdem. Idem ferè reſpondent quoad ſacramentum pænitentiæ, ad quod ſufficit ſigna contritionis præceſſiſſe; non enim neceſſe eſt ſimul eſſe materiam, & formam huius ſacramenti.

5

Ex aduerſo *Henriquez lib. 11. de matrimon c.4. num.4. Gutierez de matrimon. c.43. num.14. Sanchez de matrimon. lib.2. diſp. 11. num. 12. Bonacina de matrimon. q.2. punct.5. nu.13. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.3. num.* 274. ſuſtinent matrimonium illud ſic initum virtute prioris conſenſus liberè præſtiti in conſtitutione Procuratoris ſubſiſtere, ſicuti ſubſiſtit baptiſmus receptus tempore dementiæ, ſeu furoris vigore præcedentis actus; quo ante dementiam, & ebrietatem fuerat requiſitus. Aliam rationem adducit *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, quia ſcilicet amens in hoc propoſito non differt à dormiente niſi ſecundum magis, & minus, & ſecundum facilem, & difficilem ſeparationem à ſubiecto, nam ſomnus eſt breuis amẽtia facile ſeparabilis, amentia vero eſt diuturna, & difficile ſeparabilis à ſubiecto, ſed matrimonium celebratum à Procuratore legitimè conſtituto pro tempore, quò principalis dormit, validum eſt, & ſubſiſtit nemine diſceptante, ergo non eſt, cur etiam non ſubſiſtat, ſi per eundem procuratorem celebratur pro tempore, quo principalis incidit in amentiam, quando antecedenter ad illum per conſtitutionem liberam eiuſdem præſtitus eſt liber conſenſus. Quid ergo in hac controuerſia eſt concludendum.

Sententia aſſerẽs matrimonium illud ſubſiſtere.

6

Hæc ſentẽtia præfertur, & probatur.

Reſpondeo potiora eſſe iura, & fundamenta huius ſecundæ ſententiæ; ad quam vltra rationes prædictas maximè me mouet hæc, quam ſubdo; nam quando quis contrahit per alium, ſeù miniſterio alterius non eſt neceſſe, quod quando fit contractus habeat conſenſum in actu exercito, ſed ſufficit, quod antecedenter habuerit, nec retractauerit, ergo, ſi antecedenter non retractauerit, poterit eſſe validus contractus, quantumuis, quando fit, ille non habuerit conſenſum actualem, ſed tantum antecedenter, nec reuocauerit. Antecedens probatur ex matrimonio contracto per Procuratorem pro tempore, quo principalis dormit, vel ebrius eſt, tunc etenim non poteſt habere conſenſum in actu exercito.

Dices primo, ſi ebrius pro tempore ebrietatis ſponſalia, vel matrimonium contraxerit inualidus eſt cõtractus, quantumuis antecedenter ad ebrietatem voluntatem efficacem habuerit contrahendi, & actum expreſſum elicuerit, quo dixerit ſe velle contrahere cum illa determinata perſona per ea, quæ diximus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. I. Diſq. I. §.6 nu.* 3. & ſuſtinet etiam *Sanchez lib. 1. de ſponſalib. diſp.8. num. 20. verſ. dicendum tamen eſt* quamuis modo *lib.1. diſp. 11. num.* 12. doceat matrimonium per procuratorem initum tempore dementiæ ſui principalis ſubſiſtere vigore præcedentis conſenſus liberi præſtiti in conſtitutione ipſius procuratoris, ergo etiam inualidus erit contractus initus per procuratorem pro tempore ebrietatis ejuſdem principalis. Conſequentia probatur, quia conſenſus, quo fit validus contractus, non eſt conſenſus procuratoris, ſed eiuſdem principalis conſtituentis, ſed non minus deficit conſenſus

prin-

principalis, quando ebrius eſt, ſiue contractus ineatur per ſe ipſum, ſiue per Procuratorem, ergo &c. Sed contra admiſſo nunc etiam antecedente neganda eſt abſolutè conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia quando contrahit per ſe ipſum, & ebrius eſt, & demens, nec tunc habet conſenſum, nec aptus eſt illum exhibere, cum in ipſo tunc ceſſet omnis actus, vſuſque rationis, & per conſequens non eſt, in quo valide poſſit perſeuerare prior conſenſus, ſeù actus elicitus pro tempore ſanæ mentis, quando verò contrahit per Procuratorem conſenſus iam præſtitus in conſtitutione eiuſdem perſeuerat moraliter in ſubiecto apto illum exhibere, cum fuerit conſenſus ille in ipſum moraliter translatus, nec reuocatus, vnde in primo caſu ceſſat conſenſus validus ratione ſubiecti, non ſic in ſecundo. *Dici* etiam poteſt, quod quando contrahens habuit voluntatem efficacem præcedentem ad dementiam, & ebrietatem contrahendi cum tali determinata perſona, non habuerit, niſi propoſitum contrahendi, quod propoſitum non continet actum deliberationis in actu exercito, cum dicat ſolum id, quod habens tale propoſitum ſtatuit in mente ſua efficere, non quod actu efficit, & proinde, cum non habeat in ſe ipſo deliberationem formalem in actu exercito non poteſt eandem communicare actui ſubſequenti in ebrietate; quando verò contrahens per actum expreſſum conſtituit procuratorem ad contrahendum nomine proprio non ſolum habuit propoſitum contrahendi, ſed etiam in eundem contulit actum formalem in actu primo; quatenus eidem commiſit conſenſum proprium applicandum per procuratorem, qui propterea in eodem perſeuerat tanquam in ſubiecto capaci.

7 Cur ebrius, & demens, qui habuit voluntatem præcedentem contrahẽdi inualide contrahat per ſe ipſum tempore ebrietatis, & dementiæ, non tamen ſit inualidus cõtractus, ſi ineatur per procuratorem.

8 Diſparitas de ſomno, & ebrietate comparatiuè ad dementiã non currit in præſenti caſu.

Dices ſecundò, diſparem eſſe rationem de contractu inito per procuratorem legitimè conſtitutum; quando principalis ebrius eſt, & dormit, ac quando in dementiam incidit, quandoquidem, cum ſomnus, & ebrietas ſint quid accidentale, & breue, & immediatè ſubſequatur vſus rationis prior conſenſus non ſupponitur extingui, ſed moraliter perſeuerare, cum vero dementia ſit, vel perpetua, vel diutina, vtique non poteſt eſſe cum perſeuerantia morali actus. *Deinde* in hoc comparatur ebrietas, & ſomnus ad dementiam, ſicuti impotentia temporalis ad perpetuam, ſed per impotentiam temporalem non redditur inualidum matrimonium, ergo, neque per ſomnum, & ebrietatem. Sed contra, quia vbi agitur de forma ſubſtantiali, ſi illa deficiat parum refert, quod deficiat, vel ex cauſa permanenti, vel ex cauſa tranſeunti, quia ſemper verificatur, quod non fuerit forma ſubſtantialis; vnde è conuerſo ſequitur, quod, ſi illa forma interceſſerit, ſiue illa cauſa fuerit permanens, ſiue tranſiens non conferat ad inualidandum contractum, qui, cum in ſe indiſſolubilis ſit, non poteſt per ſubſequens quid aliquid infirmari. Ad illud, quod ſubditur ex paritate potentiæ temporalis, & perpetuæ non facere ad rem dicendum eſt, quandoquidem ille defectus ſe tenet ex parte ſubiecti, quod tantum inhabile eſt ad contrahendum, quando impotentia eſt perpetua, cum reddat finem fruſtratorium, ad quem contractus intenditur, ſecus quando impotentia eſt temporanea, cum tandem ea ceſſante poſſit finis intentus obtineri; defectus autem ratione amentiæ ſe tenet ex parte formæ, qui ſi verè fuerit reddit inhabilem contractum, ſiue illa fuerit perpetua, ſiue temporanea, ſi vero non fuerit, non eſt, cur debeat illum irritare.

9 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad ea, quæ ex aduerſa ſententia opponebantur, dicendum eſt, & quidem ad primum iuxta ſuperius dicta diſparem eſſe rationem, quando quis præhabita intentione efficaci contrahendi cum aliqua determinata perſona contrahit per ſe ipſum poſtquam inciderit in amentiam; ac quando contrahit per procuratorem, cui plenum ius ſuum contulit ad contrahendum cum ſufficienti mandato, & contractus ſequitur poſt ipſius dementiam, quia ſcilicet in primo caſu habuit ſolum propoſitum contrahendi, non actum formalem in actu exercito; in ſecundo autem illum actum formalem tranſtulit in procuratorem conſtitutum, qui propterea contrahendo iuxta mandatum valide contrahit. *Ad* ſecundum dicendum eſt, quod conſenſus contrahentis ex eo, quod translatus ſit in procuratorem, & non fuerit reuocatus in eodem intelligatur moraliter perſeuerare, qui propterea poteſt illum applicare. *Ad* tertium dicendum eſt quoad hunc effectum amentiam non æquiparari morti naturali, quandoquidem, cum mors omnia ſoluat, per mortem mandantis ſoluitur etiam mandatum, quinimmo, & indirectè etiam quicunque conſenſus, cum perſona mortua ſit ſubiectum illius conſenſus; amentia autem non ſoluit ex genere ſuo mandatum, neque etiam ceſſat perſona, adeoque.

§.XIV.

Digitized by Google

## §. XIV.

### An in hypotheſi matrimonij contracti per Procuratorem tempore amentiæ principalis poſſit Pontifex ſuper illo matrimonio diſpenſare.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur caſus in ſuis terminis.* 1.
*Pontifex iuſtè poteſt ex ea cauſa diſpenſare. num.* 2.
*Pluris habetur defectus mentis, quam nobilitatis.* 3.
*Ratio congruentiæ maximè ſuadet in ea hypotheſi diſpenſationem.* 4.
*Dementia non comparatur impotentiæ temporaneæ.* 5.

1 Exponitur caſus in ſuis terminis.

DISQVISITIO XIV. Conſtituto mandato per Caium in perſonam Antonij iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis ad contrahendum matrimonium cum Calidonia, contractum fuit idem matrimonium, ſed pro tempore, quo idem Caius incidit in amentiam. Re cognita per Calidoniam, antequam matrimonium conſummaretur, recurſum eadem habuit ad Romanum Pontificem, vt matrimonium illud diſſolueretur. Quæſitum fuit, an Pontifex poſſet ex ea cauſa diſpenſare.

2 Pontifex iuſtè poteſt ex ea cauſa diſpenſare.

Reſpondeo, vtique poſſe Pontificem ex ea cauſa diſpenſare. Conſonat in fortioribus terminis cum ijs, quæ dicta ſunt ſuperius de alijs cauſis ad diſpenſandum. Ratio ex eo deducitur primò, quia ſufficiens eſt cauſa diſpenſandi notabilis in qualitate diſparitas, vel in genere nobilitatis, vel in alio genere, prout ſupra latè diximus, & docent *Socinus Senior conſ.* 28. *num.* 8. *lib.* 1. *Decius conſ.* 112. *ad fin. Felinus conſ.* 26. *num.* 20. *Celſus conſ.* 105. *num.* 12. *in fin. Nauarrus lib.* 4. *conſil. tit.* 1. *de ſponſalib. in prima edit. conſ.* 49., *& in ſecunda conſ.* 3. *Menochius conſ.* 385. *nu.* 4. *vol.* 4. *& de præſumpt. lib.* 2. *præſumpt.* 10. *num.* 39., ergo, & erit ſufficiens cauſa diſpenſandi notabilis diſparitas in genere intellectiuæ potentiæ, quatenus vnus eſt mentis compos, alter impos. Conſequentia probatur, tùm quia pluris faciunt homines defectum mentis, quam defectum nobilitatis, & diuitiarum;

3 Pluris habetur defectus mentis, quam nobilitatis

tùm quia ideo eſt iuſta cauſa diſpenſandi notabilis in qualitate diſparitas, quia cum matrimonium ordinetur ad mutuam amicitiam, & beneuolentiam, vt habetur *Eccleſiaſtici* 25. non poteſt talis finis, & ordo haberi, quando eſt inter contrahentes illa notabilis in qualitate diſparitas, vt colligitur *ex Eccleſiaſtico* 13., *& ex Platone lib.* 8. *de legibus*, cum amicitia ſoleat eſſe inter pares, & inter diſpares eſt dura, & aſpera; ſed hæc ratio in fortioribus terminis militat, quando vnus eſt ſanæ mentis, alter infirmæ; quomodo enim poteſt eſſe conſtans affectuum concordia, vbi à ratione huiuſmodi affectus non regulantur? vbi poteſt eſſe rationabilis amor, vbi deficit ipſa ratio? Secundò, ratio ex eo deduci poteſt, quia poteſt iuſtè Pontifex diſpenſare in matrimonio rato, quando ex illo matrimonio timentur ſcandala, damna, & præiudicia grauia per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, ſed quando alter coniugum incidit in amentiam rationabiliter timeri poſſunt ſcandala, damna in prole, & diſſidia quoad ipſos coniuges, ergo &c. Minor probatur, quia cum alter non ſit mentis compos poteſt petere, & velle irrationabilia, cui ſi alter ſanæ mentis contradicat euenire poſſunt diſſidia, & proles exponeretur periculo peſſimæ educationis, vt per ſe patet, vbi etenim ratio non regit, nonniſi irrationabilia poſſunt expectari. Tertiò ex eo deduci poteſt, quia quantumuis tutior ſit opinio, quod matrimonium initum per procuratorem legitimè conſtitutum pro tempore, quo principalis incidit in amentiam, teneat non eſt tamen abſolutè improbabilis opinio Pontij volentis illud matrimonium eſſe abſolutè irritum, ergo ſtante hac probabilitate addito illo timore futurorum damnorum, & ſcandalorum poterit Pontifex diſpenſare.

Vbi deficit ratio non eſt rationabilis amor

4 Nõ ſolum eſt poteſtas ad diſpenſandũ, ſed congruentia maxima diſpenſationis.

Nec ſolum in Pontifice in ea hypotheſi cognoſcerem poteſtatem abſolutam diſpenſandi, ſed etiam maximam congruentiam, vt ad petitionem partis innocentis facilius diſpenſaret propter certò moraliter imminentia damna, quæ inde obuenirent cum maximo Reipublicæ ſcandalo, potiſſimum, cum certum ſit, quod, ſi coniux ſanæ mentis cognouiſſet in altero illum defectum, vtique non contraxiſſet.

5 Dementia non comparatur impotentiæ temporaneæ.

Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum ille defectus in inſano poſſit euaneſcere, comparetur impotentiæ temporaneæ, circa quam non ita facile Pontifex diſpenſat diſſoluendo matrimonium; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dementia, non ita facile curabilis eſt, nec ſeparabilis à ſubiecto, quæ propterea regulariter computatur inter morbos perpetuos. *Deinde* incommoda illa, & damna timori poſſunt in illo tempore, pro quo durat amentia, adeoque non eſt, cur Pontifex ad illa euitanda non poſſit diſpenſare.



Digitized by Google

## §. XV.

### An verba Procuratoris pertineat ad materiam, & formam ſacramenti.

#### SVMMARIVM.

*Status difficultatis expoſitus.* 1.
*Sententia aſſerens verba Procuratoris includi in materia, & forma contractus.* 2.
*Verba Procuratoris, per quæ contrahit nomine ſui Principalis, non ſunt de materia, & forma, ſed tantum cauſa applicans conſenſum.* 3.
*Effectus ſacramenti non recipitur in Procuratore, ſed in contrahentibus.* 4.
*Senſibilitas, quæ eſt de ratione materiæ, & formæ ponitur per contrahentes, & ſolum exhibetur per Procuratorem.* 5.
*Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.* 6.

1 Status difficultatis expoſitus.

DISQVISITIO XV. Mandatum dedit Caius Antonio, vt nomine ſuo contraheret matrimonium cum Calidonia ſub hac forma. *Vade, & contrahe matrimonium meo nomine cum Calidonia.* Mandatum executus eſt Antonius, & contraxit per hæc verba. *Ego contraho tecum matrimonium nomine Caij mei principalis.* Quæſitum fuit, an hæc verba Antonij ſint tanquam expreſſiua conſenſus Caij, ſeu id, per quod ille conſenſus redditur ſenſibilis Calidoniæ, Parocho, & teſtibus ſint de ſubſtantia contractus, tanquam de materia, & forma eiuſdem.

2 Sententia aſſerens verba Procuratoris includi in materia, & forma.

Baſilius Pontius apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. cap. 3. nu. 316.* expreſſe ſenſit ipſa Procuratoris verba includi etiam in materia, & forma, ſicuti ipſe conſenſus expreſſus per verba; ad quod explicandum aſſerit verba procuratoris duplicem habere reſpectum; primò ad ipſum Procuratorem, quatenus velit exprimere proprium conſenſum; Secundò ad ipſum mandantem; iuxta primum reſpectum aſſerit verba procuratoris non pertinere ad materiam, & formam, ſicuti non pertinet ipſius conſenſus ad eandem; iuxta ſecundum aſſerit abſolutè pertinere ad materiam, & formam, quatenus ita ſe habent, ac, ſi ab ipſo mandante proferrentur, & ſub hac conſideratione licet ipſe procurator non ſit miniſter, eſt tamen quaſi inſtrumentum miniſtri; vnde etiam congruenter aſſerit, quod verba mandantis non poſſint eſſe completa forma, prout eidem procuratori conferunt ipſius conſenſum, quia hæc important præciſe commiſſionem ad contrahendum, non conſenſum ipſum in actu exercito, prout requiritur ad validitatem contractus, qui propterea conſenſus in actu exercito exprimitur per verba procuratoris, prout refertur ad ipſum mandantem. Nihilominus

3 Verba procuratoris per quæ cõtrahit nomine ſui principalis nõ ſunt de materia, & forma contractus, ſed tantũ cauſa applicãs conſenſum

Reſpondeo, verba Procuratoris, per quæ contrahit nomine ſui principalis, non eſſe de materia, & forma contractus, ſed tantum conditionem, ſeu cauſam applicantem conſenſum. *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 2. §. 7. lit. S. in textu, & coment. Petrus de Ledeſma q. 42. art. 1. dub. 7. ad quartum Sanchez lib. 2. diſp. 11. num. 28. Gutierez de matrimon. c. 43. num. 23. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 3. num. 316.* Ratio ex eo deducitur primo, quia vbi eſt materia, & forma, ibi recipitur ſacramentum, ſeu effectus ſacramenti, ſed effectus ſacramenti, ſeu ſacramentum non recipitur, niſi in contrahentibus principalibus, ergo ſolum in principalibus eſt materia, & forma, non in procuratore, in quo nec recipitur ſacramentum, nec effectus ſacramenti.

4 Sacramentum recipitur in contrahẽtibus non in procuratore.

Secundo, quia eiuſdem omnino rationis eſt contractus, qui initur per contrahentes ipſos immediate, ac contractus, qui initur per Procuratorẽ, quinimmo vnus, & idem eſt, ſiue contrahatur primo, ac ſecundo modo, non enim eſt duplex matrimonium, ſed vnum, & idem, ſed hoc non verificaretur, ſi verba procuratoris eſſent de ſubſtantia contractus tanquam materia, & forma, quandoquidem aliquid ſubſtantiale diuerſum interueniret intrinſecè in vno, quod non interueniret in altero, vt per ſe patet, ergo &c. Tertio, quia Procurator habet præciſe manifeſtare conſenſum ſibi collatum principalis contrahentis, ſed talis manifeſtatio non ingreditur rationem intrinſecam, & ſubſtantialem contractus, ergo &c. Minor probatur paritate eius, qui audito moribundo petente confeſſionem, actus petentis notificat confeſſario ſuperuenenti, cuius manifeſtatio non ingreditur intrinſecè rationem ſacramenti, & tamen ſatis eſt in virtute præcedentis actus exterioris pænitentis in petitione confeſſionis, vt confeſſio, & abſolutio valida ſit iuxta communiorem *DD.* opinionem, ergo &c.

*Dices*, ex alibi dictis ſenſibilitas conſenſus non eſt tantum conditio, ſine qua non, ſed eſt de formali ratione materiæ, & formæ etiam in contractu matrimonij, ſed in ordine ad alterum contrahentem, & ad Parochum, & teſtes non eſt alia ſenſibilitas ab illa, quæ ponitur per verba procuratoris contrahentis nomine ſui principalis, ergo verba eiuſdem non ſunt mera conditio, ſed de formali ratione materiæ, & formæ.

5 Sed contra: ſenſibilitas conſenſus eſt quidem de ratione materiæ, & formæ, quatenus ponitur per eoſdem contrahentes, quia eorum purum propoſitum in

Sēſibilitas, quæ eſt de ratione materiæ, & formæ, præſtatur per ipſos contrahētes, & tantum per Procuratorem exhibetur.

in mente retentum, quoad humana commercia nihil operatur, vnde neceſſe eſt, quod ponatur in actu externo; poſita autem ſemel illa ſenſibilitate non eſt, cur non poſſit eadem manifeſtari; ea proportionali ratione, qua actus interni pænitentis non poſſunt eſſe apta materia ſacramenti pænitentiæ, cum hoc inſtitutum ſit, vt fiat humano modo, vnde ex parte eiuſdem requiritur ſenſibilitas, quæ eſt pars eſſentialis eiuſdem materiæ; poſita autem ſemel hac ſenſibilitate non eſt, cur non poſſit exhiberi parocho per interpretem, vel per alios, quorum exhibitio non ingreditur rationem formalem materiæ, & formæ, ſed tantum tanquam conditio applicat eandem materiam, & formam iam ſufficienter poſitam in eſſe per ipſum pænitentem; vnde illud, quod operatur in ordine ad ſacramentum, ſiue pænitentiæ, ſiue matrimonij eſt actus expreſſus, vel pænitentis, vel principalis contrahentis ſuppoſita applicatione, vel interpretis, vel procuratoris tanquam conditione.

Ad rationes, quæ afferebantur ex Baſilio Pontio nunc reſpondendum eſt, & quidem in primis gratis omnino dicitur, quod verba procuratoris includantur in materia, & forma, ſicuti expreſſus conſenſus contrahentis, quod dare liquet, tum ex eo, quod ſacramentum recipitur in contrahente principali, non in ipſo procuratore; tum ex eo quod ipſe eſt tantum cauſa applicans materiam, & formam iam poſitam in eſſe, & ſibi collatam ad deferendum, non miniſter conficiens. Ad illud, quod ſubditur de illo duplici reſpectu, quam habent verba procuratoris, dicendum eſt verba procuratoris eſſe verba contrahentium in eo ſenſu, in quo applicant verba contrahentium, & exprimunt illa non quidem abſolutè, ſed in ordine ad perſonam, cum qua contrahit, & in ordine ad Parochum, & teſtes; vnde dici poteſt, quod ſint conditio, ſine qua verba, & conſenſus contrahentium non poſſunt eſſe materia, & forma in tali contractu, non quod ipſa ſint materia, & forma, vel pars earundem; & licet verba mandantis ſecundum ſe non videantur ſufficientia ad illum contractum, hoc non eſt, quia illis aliquid de ſubſtantia deficiat, ſed quia non ſunt applicata, quæ propterea requirunt verba procuratoris tanquā conditionem; ſed cauſam applicatiuam.

6 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

## §. XVI.

An contrahentes matrimonium, ſiue per ſe, ſiue per Procuratorem, dum exiſtunt in peccato mortali committant duplex peccatum.

### *SVMMARIVM.*

*Caſus proponitur in ſuis terminis.* 1.
*Procurator quamuis exiſtens in peccato læthali quando contrahit nomine principalis non peccat læthaliter.* 2.
*Contrahens per ſe ipſum, dum exiſtit in peccato læthali, non contrahit duplex peccatum læthale.* 3.
*Eadem actione, qua recipit ſacramentum, miniſtrat.* 4.
*Quamuis ſit miniſter, quia tamen non eſt conſacratus, non contrahit dictam culpam.* 5.
*Neq; ex eo, quod ſit ſimul miniſter, augetur culpa.* 6.

DISQVISITIO XVI. Cōmiſerat Caius Antonio, vt nomine ſuo contraheret matrimonium cum Calidonia, vel forte per ſe ipſum ſtatuerat cum eadem contrahere, & de facto, vel per eundem Antonium procuratorem, vel per ipſum Caium immediatè contractum eſt matrimonium, dum ipſe Caius exiſteret in peccato læthali. Quæſitum fuit, an in ea hypotheſi duplex peccatum lęthale cōmiſſum fuerit ſic contrahendo.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

Secundum duplicem ſenſum examinari poteſt propoſita difficultas, vel quatenus, quando contractum fuit per procuratorem, tam ipſe, quam principalis fuerit in peccato læthali, & ſic, an vterque nouum peccatum læthale commiſerit, vel quatenus, quando contractum eſt immediate per ipſum Caium ipſe fuerit in peccato læthali, & ſic an ipſe duplex peccatum commiſerit, vnum quatenus recipit ſacramentum, alterum quatenus adminiſtrat.

Duplex ſēſus, ſecundum quem poteſt examinari difficultas.

Iuxta primum ſenſum Reſpondeo, Procuratorem quamuis exiſtentem in peccato læthali, quando contrahit nomine Caij, non peccare læthaliter *Henriquez lib. 11. ſum. c. 2. §. 2. lit. A. in textu, & com. Gutierez de matrimon. c. 43. nu. 10. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 11. num. 29. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 42. art. 1. dub. 7. in ſolut. ad quartum Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 3. num. 317.* Ratio ex eo deducitur, quia Procurator, nec recipit ſacramentum, nec illud adminiſtrat, ergo non eſt, cur quantumuis exiſtat in peccato læthali debeat nouum peccatum

2 Procurator quamuis exiſtens in peccato læthali quando contrahit nomine principalis nō peccat læthaliter.



Digitized by Google

læthale committere. Conſequentia probatur, quia per ſolam ſacramentorum adminiſtrationem, & receptionem peccatum ſacrilegij committitur, & ob hanc rationem ſatis communiter docent, quod ſacerdos, qui tantum ſacramentum Euchariſtiæ diſtribuit in peccato læthali, nouum peccatum non committat, quia tunc nec recipit, nec conficit ſacramentū.

3 Contrahēs per ſe ipsū exiſtens in peccato læthali non contrahit duplex peccatum læthale.

Iuxta ſecundum ſenſum Reſpondeo ipſum contrahentem per ſe ipſum exiſtentem in peccato læthali, dum contrahit non contrahere illud duplex peccatum, de quo in diſquiſitione *Henriquez lib. 11. c.2. §.7. lit. D in text., & comment. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de ſacram. in gen. c. 59. concl. 2. Sanchez lib. 2. diſp.6. num. 4., & lib. 7. diſp. 9. num. 4. Egidius Coninchus diſp. 24. dub. 3. num. 34. Bonacina de matrim. q. 2. punct. 4. num. 6. in fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contractu c. 3. nu. 319.* aduerſus *Nauarrum in c. 1 §. ſacerdos nu. 10. de pænit. diſt. 6. Petrum de Ledeſma de matrimon. q. 42. art. 3. ad vlt. Baſilium Pontium lib. 1. cap. 10. num. 6., & cap. 8. num. 11.* volentes duplex contrahere peccatum læthale, alterum qua miniſter eſt, alterum, qua recipit ſacramentum. Ratio ex eo deducitur primo, quia eadē actione, qua miniſter eſt, recipit etiam ſacramentum, ergo non eſt, cur debeat duplex peccatum læthale contrahere. Conſequentia probatur, quia actiones peccaminoſæ non diuerſificantur, nec ſpecie, nec numero niſi, vel in ordine ad diuerſum obiectum, vel in ordine ad diuerſum finem, vel in ordine ad diuerſitatem actuum; illa autem actio, nec habet diuerſum obiectum, cum ſit idem contractus, in quem tendit, & finis eſt idem, nempe vitæ coniugalis, & gratiæ ad perpetuam vitæ ſocietatem ſeruandam, & virtute actionis, qua conficit ſacramentum, recipiat effectum eiuſdem. Hac eadem ratione ſatis communiter docent *DD.*, quod ſacerdos exiſtens in peccato læthali celebrans ſacrum non committat duplex peccatum læthale, quantumuis conficiat, & recipiat ſacramentum, non niſi quia eſt vnum ſacrificium, & per eadem actionem, qua conficit, etiam recipiat.

4 Eadē actione recipit, qua adminiſtrat.

5 Licet miniſter, quia tamen non eſt cōſecratus non peccat, vt talis.

Alia ratione procedunt *DD.* allegati pro noſtra reſponſione, quia quantumuis contrahentes ſint miniſtri conficientes ſacramentum, & recipientes effectum ſacramenti, prout tamen conficiunt non ſunt conſecrati adhoc munus, adeoque ratione talis miniſterij non contrahunt aliquam ſpecialem noxam, vt diſtinctam ab ea, quæ contrahitur per receptionem effectus ſacramenti, nempe gratiæ cum obice; quam rationem non inefficacem exiſtimo; vnde merito *D. Thomas 3. part. q. 64. art. 6. Cham c. 2. dub. 3. Nauarrus in manual c. 25. num. 12. Henriquez lib. 1. c. 29. num. 4. Coninchus q. 64. art. 6. dub. 1. num. 36. Pitigianus diſp. 5. q. 2. art. 4. Sairus lib. 2. c. 7. q. 1. art. 2., & 4.*, & alij magis communiter docent ſacerdotem in neceſſitate miniſtrantem baptiſmum in peccato læthali non peccare mortaliter eo quia non adminiſtrat ex officio, & vt miniſter conſecratus, quod in fortioribus terminis, docent de laico habente conſcientiam peccati læthalis, ſi baptizet in neceſſitate, quia nō eſt miniſter conſecratus ad hunc vſum *Coninchus q. 64. art. 6. dub. 1. num. 39. Henriquez lib. 1. cap. 29. Suarez diſp. 16. ſect. 4. circa medium, Vaſquez tertia part. diſp. 36. num. 39.*

Hinc inferes, quod ex eo, quod contrahens matrimonium ſit miniſter ſimul, & receptor ſacramenti non augeatur culpa, ſi illud recipiat habens conſcientiam peccati læthalis ex eo capite, quod ſimul ſit miniſter, ſi etenim ex eo, quod non ſit cōſecratus ad hoc munus, ſub hac ratione non contrahit culpam, nec ſub hanc ratione poteſt eam augere. 6 Neque eo, quod ſit miniſter augetur culpa.

---

## §. XVII.

### An ſacerdos aſſiſtens matrimonio, vel ſolemniter benedicens nuptias, ſi fuerit in peccato læthali peccet læthaliter.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ expoſitus.* 1.
*Ante Concilium Tridentinum Parochus, ſeu Sacerdos non erat miniſter huius ſacramenti.* 2.
*Parochus aſſiſtens in peccato læthali non peccat læthaliter.* 3.
*Nec benedicendo ſolemniter nuptias.* 4.

DISQVISITIO XVII. In contractu matrimonij initi inter Caiū, & Meuiam adſtitit, vel proprius Parochus, vel alius Sacerdos de ſpeciali ipſius licentia; vterque, ſeu ille, qui adſtitit ſibi conſcius erat peccati læthalis. Quæſitum fuit, an per talem aſſiſtentiam nouum peccatum læthale contraxerit; & difficultas potiſſimum vigebat ex eo, quod adſtitit ex officio, & adhoc munus ex diſpoſitione Concilij Tridentini debet eſſe Parochus electus, vel ſaltem ſacerdos conſecratus, ita vt alius ab ipſis non poſſit valide aſſiſtere. Ex alibi dictis non eſt dubium, quod ipſe non contrahat culpam ex eo, quod ipſe ſit miniſter, & confector ſacramenti, quid quid dixerit *Canus lib. 8. de locis Theologicis c. 5. in ſolut. ad tertium* auctoritate *Enchiridy conc. Colonienſis §. de miniſtro, & §. verbum,* 1 Status controuerſiæ expoſitus.

*verbum itaque*, cui etiam in parte fauet *Petrus de Ledeſma de matrim quæſt. 42. art. 1. dub. 4. concl. 4 iuncta concl. vltim.* dum aſſerit ante Tridentinum probabile fuiſse ſacerdotem eſse miniſtrum matrimonij, quatenus ſacramentum eſt, non autem poſt idem Tridentinum; Non, inquam, dubium eſt, quià ante Tridentinum matrimonia clandeſtina, ideſt inita ſine Parocho erant vera matrimonia, & rata, vt definit ipſum *Concil. Trid. d. cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimonij*, vbi anathematizat omnes, qui contrarium dixerint; matrimonia autem rata inter catholicos erant ſacramenta, quod in fortioribus terminis noſtrorum principiorum euincitur, ſecundum quæ diximus inter eoſdem catholicos inſeparabilem eſse rationem ſacramenti à ratione contractus, & è contra. Quo poſito etiam facilè euincitur, quod ante Tridentinum ſacerdos non erat miniſter huius ſacramenti, cæteroqui ſine ipſo matrimonium in ratione ſacramenti non potuiſset ſubſiſtere; cum autem Tridentinum non mutauerit, nec mutare potuerit materiam, & formam huius ſacramenti, ſequitur etiam, quod poſt ipſum ſacerdos non ſit propriè miniſter conficiens huius ſacramenti, ſed ſolummodò teſtis auctoritatiuus, quod etiam ſpeciali ratione ex eo euincitur, quod etiam, ſi ſacerdos aſſiſtens nulla verba proferat, quinimmò aſſiſtat etiam inuitus matrimonium teneat. Confirmatur, quià eius eſt eſse miniſter, cuius eſt exhibere formam, & applicare materiæ, ſed ſacerdos, nec exhibet formam, nec applicat materiæ, ſed ſolum contrahentes, quod ex eo deducimus, quod ſupra dicebamus, nempe materiam, & formam contractus matrimonialis nihil aliud eſse, quam conſenſus contrahentium ſub diuerſo reſpectu, ergò, &c.

2 Ante Concilium Trid. ſacerdos, ſeù Parochus aſſiſtens non erat miniſter.

Nec modo eſt miniſter.

Difficultas igitur ſolummodo eſt, an contrahant aliquam noxam læthalem ex eo, quod ex officio ſibi ab Eccleſia demandato aſſiſtant, & vt conſecrati, potiſſimum cum ipſorum actio verſatur circa rem ſacram nempe circa matrimonium, quod ſacramentum eſt, ad quod conualidandũ concurrunt, cum ſine ipſis nec eſſet matrimonium, nec proprie ſacramentum.

Difficultas eſt ex eo, quod modo eſt delegatus, ſeù electus ab Eccleſia

Reſpondeo, Parochum, ſeù ſacerdotem aſſiſtentem etiam ex officio matrimonio non peccare læthalitèr, ſi ipſe fuerit, dum aſſiſtit, in peccato læthali *Ledeſma 1. pars 4. q. 5. art. 6. dub. 3. Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 2. in fine, Suarez tom. 1. de ſacrament. q. 65. art. 4. diſp. 16. ſect. 2. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de ſacrament. in gener. c. 59. concl. 4. Paludanus in 4. diſt. 5. q. 2. n. 22. Vega lib. 6. ſumma caſ. 117. Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 6. n. 5.* Ratio ex eo deducitur, quià Parochus ſic aſſiſtens, nec eſt miniſter, nec recipit ſacramentum, ergò quantumuis fuerit in peccato lethali, dum aſſiſtit, non contrahet noxam læthalem. Conſequentia tenet, quià ſolum in miniſterio, & receptione ſacramentorum indignè contrahitur noxa læthalis. Neque obeſse poſſunt ea, quæ ſuprà innuebamus, debere ſcilicet aſſiſtere in qualitate ſacerdotis, eiuſque actionem ordinari ad rem ſacram, nempe ad validitatem ſacramenti; Non, inquam, obeſse poſſunt, quià quantumuis debeat aſſiſtere in qualitate ſacerdotis, ſi non fuerit Parochus, non propterea exercet in illa aſſiſtentia aliquem actum ordinis, ſed ideo aſſiſtit, vt ſacerdos, quià Concilium Tridentinum illum actum auctoritatiuum, vt magis qualificaret affixit, vel dignitati Parochi, vel ſacerdotis, ſi hic aſſiſtat ex commiſſione, & illa aſſiſtentia eſt ſolummodò ad legitimitatem contractus, quantumuis ad illam indirectè ſequatur ſacramentum, quod nonniſi in legitimo contractu fundatur, vndè poteſt dici, quod referatur ad rem ſacram, ſeù ſacramentum ſolum in conſequentia. Deindè non omnia munera, quæ exercet ſacerdos inducunt noxam læthalem, ſi fuerint exercita in peccato læthali, vt videre eſt in benedictionibus, quæ ſacramenta non ſunt, ſed tantum ſacramentalia; ex quibus deducere potes, quod nec etiam peccet læthalitèr benedicendo ſolemnitèr nuptias, niſi illi benedictioni ſolemni ſit aliqua alia actio annexa, quæ ſit ſacramentum, vt ſi ſolemnitèr benedicat in miſſa.

3 Parochus, ſeù ſacerdos aſſiſtens etiã ex officio matrimonio in peccato læthali non peccat læthalitèr.

4 Nec benedicendo ſolemnitèr nuptias.

---

## §. XVIII.

### An in cauſis, in quibus Pontifex poteſt diſpenſare ſuper matrimonio rato ſtandum ſit iuramento alterius coniugis aſserentis, ſe non conſummaſse.

### *SVMMARIVM.*

*Punctus difficultatis in quo conſiſtat.* 1.

*Si ſponſa non erat virgo, nec ſponſi domum traducta, vtrique aſſerentis matrimonium non fuiſſe conſummatum in foro externo credendum eſt, ſi verò fuerit traducta fides eorum dictis adhibenda non eſt.* 2.

*Si fuerit virgo, licet non traducta, non eſt credendum eorum dicto aſſerentium non fuiſſe conſummatum.* 3.

*In contradictione altero aſſerente, altero negante matrimonium eſſe conſummatum ſoli inſpectioni ſtandum eſt.* 4.

Dis-

1 Factus diſſiculatis in quo conſiſtat.

DISQVISITIO XVIII. Contracto matrimonio per verba de præſenti inter Meuium Nobilem, & Caiam ignobilem, ſiuè præcedente cognitione ignobilitatis iſtius, ſiuè non præcedente Caius ante conſummationem, vt ipſe aſſerebat, contendebat pro diſpenſatione apud Romanum Pontificem allegans ignobilitatem, aliaſque qualitates deterioris vxoris, ſimulque matrimonium non fuiſſe conſummatum, & per conſequens ex inæqualitate oriri poſſe diſſidia, & ſcandala, non vero foueri amicitiam, & concordiam, ad quam ordinatur matrimonium. In controuerſia iam, an matrimonium fuerit conſummatum, nec ne orta fuit contentio, an in foro externo ſit adhibenda fides coniugi aſſerenti matrimonium non fuiſſe conſummatum, maximè ſi dictum iuramento confirmarit. Pro ſolutione

Variæ conſiderationes circa factum.

Pleraque ſunt conſideranda in hac cõtrouerſia; primo an ſponſa fuerit virgo, an vidua, an corrupta, ſi de tali corruptione conſtat. Secundo, an ſiue fuerit virgo, ſiue corrupta traducta fuerit in domum mariti, an vero non. Tertio, an fæmina aſſertioni mariti aſſerentis matrimonium non fuiſſe conſummatum annuat, an vero expreſſè contradicat aſſerens vere fuiſſe conſummatum.

2 Si ſponſa non fuerit virgo, nec traducta, vtrique aſſerenti matrimonium conſummatum non eſſe credẽdum eſt, ſecus, ſi fuerit traducta.

Reſpondeo primo, ſi ſponſa non erat Virgo, nec ſponſi domum traducta fuerit, & vterque aſſerat matrimonium nõ fuiſſe conſummatum eorum dicto ſtandum eſt in foro externo, ſi vero fuerit traducta fides eorum dictis adhibenda non eſt. Ita in vniuerſum *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 33. num. 1. Hoſtienſis in ſumma tit. de conuer. coniug. nu. 9. verſ. quod ſi quis Baldus in l. Deo nobis in princip. C. de Epiſcop. & Cleric. num. 7. Ancharanus c. ex public. num. 3 de conuerſ. coniug.* Probat in vniuerſum *Sanchez loc. cit. ex textu in c. ſuper eo de eo qui cognou. conſang.* Prima pars ex eo euincitur, quia ex vna parte eſt vehemens, & efficax præſumptio non conſummationis ex eo, quod non fuerit traducta, quæ prout coniungitur cum iuramento partium non poteſt niſi inducere ſufficientẽ probationem; ex alia, cum non poſſit aliunde conſtare, cum ex aſpectu non poſſit dignoſci, reliquum eſt, vt ab efficaci illa præſumptione non diſcedatur, ergo &c. Secunda pars ex eo euincitur, quia traducta vxore in domum mariti, maximè ſi diu ibi perſeuerauerit, eſt maxima præſumptio conſummationis, qua ſtante poſſeſſio ſtat pro matrimonio, in cuius præiudicium, & diſſolutionem regularitèr non ſtatur dicto eorundem coniugum. Ita DD. præallegati.

3 Si ſponſa erat virgo, licet non fuerit traducta non eſt credendum vtrique aſſeranti non eſſe cõſũmatũ.

Reſpondeo ſecundo, ſi erat Virgo, quantumuis in domum ſponſi fuerit traducta, non eſt credendum eorum iuramento aſſerentium matrimonium non fuiſſe conſummatum *Ancharanus cap. ex publico num. 3. de conuerſ. coniug. Sanchez loc. cit. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia regulariter non admittitur iuramentum, vbi aliunde veritas poteſt innoteſcere, ſed quando ſponſa erat virgo aliunde poteſt innoteſcere, an matrimonium fuerit cõſummatum, nec ne, per aſpectum ſcilicet, ergo &c. Hic latè diſputant DD., an vbi aliunde veritas aſſerti conſummati matrimonij, aliunde haberi non poſſit, quam per inſpectionem licitum ſit tale remedium adhibere. Negant multi eo quod maximè dedeceat honeſtati fæminæ pudicæ, & ſit contra naturalem verecundiam; Nihilominus alij ſtatuunt, quod cum agatur de re maximi ponderis, cuiuſmodi eſt diſſolutio matrimonij legitimè initi, quod ſi fuerit conſummatum omni iure humano indiſſolubile eſt, non ſit a ratione diſſonum, ſi huiuſmodi remedium adhibeatur, potiſſimum cum hoc honeſtè ſatis præſtari poſſit adhibitis honeſtis, & peritis matronis.

Poteſt aliũde veritas innoteſcere.

4 In contradictione altero aſſerente, altero negante matrimoniũ nõ eſſe conſummatum neutri credendũ eſt, ſed ſtãdum inſpectioni.

Reſpondeo tertio. In contradictione, qua ſcilicet maritus negat matrimonium conſummatum eſſe, & ſponſa affirmat, ſi hæc fuerit virgo nullius dicto ſtandũ eſt, ſed aſpectui, ſi vero fuerit corrupta, ſeu vidua, & fuerit in domum mariti traducta probabilius eſt præſumendum pro cõſummatione, ſecus ſi non fuerit traducta. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo, quot quot ſuſtinent præcedentes. Ratio primæ partis deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt in ſecunda reſponſione; vbicunque etenim in partium controuerſia poteſt licitè aliunde veritas innoteſcere, non eſt, cur ex illo capite non ſit inquirenda. Ratio ſecundæ deducitur, quia cauſa matrimonialis maximè eſt fauorabilis, & in dubio pro eadem præſumendum iuxta vulgata iura ſuperius ſparſim allegata, ergo à fortiori, vbi vrget præſumptio traductionis pro eadem debebit præſumi; & pro indiſſolubilitate eiuſdem. Accedit, quod ſicuti in foro externo, quando matrimonium initum eſt in facie Eccleſiæ, quantumvis alter aſſerat ſe interne non conſenſiſſe, non eſt ſtandum ipſius dicto, quia præſumptio ſtat pro matrimonio, & alter, qui conſenſit, præferendus eſt in iuditio fori, ita nec videtur ſtandum, quando in facie Eccleſiæ ſponſa traducta eſt in ipſius domum, cum præſumptio traductionis maximè pro eadem militet. Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia ex quo eandem maritus ad propriam domum non traduxerit non eſt præſumptio, quod eam cognouerit maximè ſi contracto matrimonio alienum ſe ab ipſius conſortio exhibuerit.

§. XX.

## §. XIX.

An conatus ad copulam poſt contractum matrimonium, vtroque coniuge in eundem conſentiente reddat matrimonium omni iure humano indiſſolubile.

### SVMMARIVM.

*Series facti, & varij articuli circa ipſum examinandi.* 1.

*Per conatum præciſè in copulam ea non conſummata non impediuntur ingredi Religionem.* 2.

*Nec impediuntur ratione deliberationis exhibita in illa copula attentata ad ingreſſum.* 3.

*Nec impediuntur in ea hypotheſi ratione damni, niſi ſponſus doloſe ſponſam deflorare intenderit habens animum non conſummandi, ſed ingrediendi Religionem.* 4.

*Si tamen non obſtante illo dolo ingreſſus fuerit, & profeſſus, tenebit profeſſio.* 5.

*Si coniux poſt illum conatum impetrauerit diſpenſationem ex alia cauſa non facta mentione illius conatus probabilius non ſit diſpenſatio ſubreptitia.* 6.

1 Factum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XIX. Contractis nuptijs inter Caium, & Meuiam per verum, & legitimum conſenſum ex parte vtriuſque præſtitum coram Parocho, & teſtibus iuxta formam Concilij intrà bimeſtre à iure ſtatutum ad deliberandum de perfectiori ſtatu Religionis vnanimi conſenſu conſummare decreuerunt, & vigore iſtius decreti conatum habuerunt ad copulam, quam perficere non potuerunt, vel quia impediti fuerint, vel quia pro tunc non potuerint. Habito hoc conatu non tamen perfecto alter mutata voluntate de ingreſſu in Religionem deliberauit, vel forte ad Summum Pontificem ſupplicem dedit libellum pro diſpenſatione ſuper illo matrimonio allegans cauſam diſpenſationis, cæteroqui iuſtam. Orta hic fuit controuerſia primò, an in ea hypotheſi potuerit licitè deliberare de ingreſſu in Religionem, eamque perficere. Secundò, an potuerit iuſte recurrere ad Pontificem pro diſpenſatione, &, ſi eam obtinuerit reticito conatu ad copulam, poſſit ſponſa excipere de obreptione, & ſubreptione, eumque compellere ad perſiſtendum in matrimonio, non obſtante illa diſpenſatione.

Articuli circa factũ examinandi.

2 Reſpondeo primò, per illum conatum præciſe, & ſecundum ſe conſideratum ad copulam coniuges non impediuntur ab ingreſſu in Religionem *Vincentius cap. fin. de ſponſalib. Hugo 31. qu. 3. cap. 1. ArchiDiaconus cap. extraordinaria 35. qu. 3., & cap. vnico num 3. de deſponſ. impub. in 6. Innocentius cap. atteſtationes in initio de deſponſat. impub. Ioannes Andreas reg. quæ contra ius in fin. de reg. iuris in 6. D. Antoninus tertia part. tit. 1. cap. 11. ante §. 1. Sotus in 4. diſt. 27. cap. 1. art. 4. verſ. cauſa dirimendi, Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 8. num 8.*, qui omnes ſuſtinent ad conſummationem propriè, ita vt per eandem indiſſolubile efficiatur matrimonium etiam per profeſſionem in Religione, & per Pontificis diſpenſationem requiri ſeminationem maſculi intra vas fæmineum, quod nos ſuperius vlterius extendimus, ita vt requiratur etiam ſeminatio fæminæ, vt fiat ſeminum commixtio, & coniuges efficiantur in carne vna, ſed per ſolum conatum ad copulam ea non perfecta prædicta non fiunt, vt per ſe patet, quia cæteroqui non eſſet ſolus conatus, ſed copula, & conſummatio perfecta, ergo &c.

Per conatũ præciſè in copulam non impediuntur ingredi Religionem.

Per ſolum conatum non efficiuntur duo in carne vna.

Dixi, *præciſe, & ſecundum ſe conſideratum*, propter duplicem difficultatem, quam excitant DD. quarum prima eſt, an quamuis ratione conſummationis, quæ per illum conatum ſecuta non eſt, minime impediantur coniuges, ſeu alter eorum ingredi religionem, impediatur ſaltem ratione deliberationis firmæ, & attentatæ ad conſummationem, quatenus cum illud tempus ſit aſſignatum à iure ad deliberandum de tali ſtatu Religionis, & deliberatio iam ſecuta ſit per illum conatum ad non ingreſſum, nullum amplius vigeat ius ad ingreſſum. Secunda eſt, an ſaltem ratione damni illati in illo attentatu ad copulam, quod conſurgeret reſpectu fæminæ, teneatur ſponſus ab ingreſſu in Religionem abſtinere.

Duo dubia excitata circa præſens inſtitutum.

3 Ad primam dicendum eſt, nec ratione illius deliberationis impediri coniuges, antequam conſummauerint ab ingreſſu in Religionem. Ratio ex eo deducitur, quia quotieſcunque res eſt integra, ſeu matrimonium non conſummatum ſemper licet voluntatem mutare in melius; nec illa deliberatio officit, quia quouſque in effectu poſita non eſt, non tollit libertatem ad perfectiorem ſtatum eligendum, prout etiam videre eſt in ipſo actu celebrationis contractus, in quo debet eſſe voluntas conſummandi, quæ tamen non impedit electionem ſtatus perfectioris, & ſic, ſicuti electo ſtatu matrimoniali ratione perfectioris ſtatus licet ab electione recedere, ita electa per deliberationem conſummatione, antequam illa perficiatur, licebit ratione eiuſdem ſtatus perfectioris ab eadem deliberatione reſilire, vnde merito iura ad impediendum ingreſ-

Nec ratione deliberationis in illa copula attentata exhibitæ impediuntur.

Digitized by Google

Iura attendunt actũ, non propoſitum agendi.

ingreſſum in Religionem conſiderarunt ipſum actum conſummationis, non merum propoſitum conſummandi, vt videre eſt *in cap. 2. de conuerſ. coniug.* vbi Alexander tertius aſſerens poſſe coniugem ante copulam ad Religionem tranſire, ſubdit rationem his verbis, *quia cum non fuiſſent vna caro effecti ſimul*; copula autem actualis, & perfecta efficit vnam carnem, non autem propoſitum eiuſdem copulæ; item *ex cap. 1 27. qu. 2.*, vbi ſemper loquitur de commixtione ſanguinis; item *ex cap. ex publico de conuerſ. coniug.* vbi ſic legitur. Mandamus, quatens, ſi prædictus vir eam carnaliter non cognouerit, & eadem ad Religionem tranſire voluerit (& nonnullis interpoſitis) eam abſoluas, vbi non dicitur, ſi deliberarit eam carnaliter cognoſcere, ſed, ſi eam carnaliter non cognouerit, ſicque requiritur actus conſummationis, non propoſitum conſummandi.

4 Nec impediuntur ratione damni illati ſponſæ.

Ad ſecundam dicendum eſt probabilius eſſe, nec in ea hypotheſi ratione damni impediri ab ingreſſu in Religionem, niſi ſponſus doloſe ſponſam deflorare intenderet habens animum non conſummandi, ſed ingrediendi Religionem. Ita in vniuerſum *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 31. num. 7.* Ratio primæ partis ex eo deducitur primò, quia in eo negotio nil fraudulenter geſſit, nec alicuius delicti reus eſt, nec iniuriam aliquam contulit ſponſæ, ergo non eſt, cur non poſſit vti iure ſuo tranſeundo ad Religionem. Antecedens quoad primam partem patet, quia acceſſit animo conſummandi, & non potuit propter debilitatem, vel quia impeditus eſt eo quod aliquis ſuperuenerit, & ratione honeſtatis ſeceſſit ab vxore, vel quia in ipſo met actu Spiritus ſancti ductu decreuit Religionem; quoad ſecundam etiam patet, quia ex vi coniugij contracti ius habuit ad conſummandum, & intentandi conſummationem, ergo per illum conatum non conſtitutus eſt reus delicti, quia vſus eſt iure ſuo. Quoad tertiam partem ſic euincitur, quia, dum quis vtitur iure ſuo nulli infert iniuriam maximè cum ſupponatur eadem vxor illi conatui aſſentiri; neque dicas iniuriam, & damnum fæminæ in eo conſiſtere, quod cum maritus conatum adhibuerit ea conſentiente intelligendus eſt adhibuiſſe cum onere ſe obligandi ad perſeuerantiam in matrimonio, ſicuti copulam perfectam habens cum eadem intelligitur velle indiſſolubilitatem vitæ coniugalis cum eadem diſpoſitam à iure diuino; ſicque poſt illum conatum recedens à matrimonio per ingreſſum in Religionem iniuriam eidem maximam infert ratione illius conatus, cui non aſſenſum præbuiſſet, ſi cognouiſſet maſculum receſſurum. Deinde ex genere ſuo ille conatus infert quoddam dedecus; contra enim impugnaberis, quia cum maritus vtatur iure ſuo in illo conatu non infert iniuriam fæminæ, & cum adhuc non conſummato matrimonio ius habeat ad ingrediendum in Religionem non lædit ius fæminæ ad illam tranſeundo; vnde adhibendo illum conatum intelligitur velle ſe obligare ad perſeuerantiam in matrimonio, ſi ille conatus completus fuerit, non aliter. Secundò, ratio altera reſponſionis deduci poteſt, & per hoc etiam ſolui difficultas, quæ poſita fuit de illo dedecore; deduci, inquam, poteſt ex eo, quia iura concedunt bimeſtre, vt poſſint ſponſi non conſummare matrimoniũ, & ingredi Religionem, prout latè ſupra docuimus, & tamen eo tempore moraliter loquendo contingent oſcula, & tactus, ex quibus ſponſa non leue damnum patietur in ordine ad alias nuptias, nec tamen eo damno obſtante non permittitur ſponſo ingredi Religionem licitè, quia vtitur iure ſuo, ergo etiam &c.

Vtitur ſpõſus iure ſuo, nec infert iniuriam ſponſæ.

Per illum animũ doloſum factus eſt reus delicti.

Dixi, *niſi ſponſus doloſè ſponſam conaretur deflorare habens animum non conſummandi, ſed ingrediendi Religionem*, quia in ea hypotheſi criminis reus eſt, & iniurioſè ſe geſſit in fæminam, atque ita ſentit *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 8 num. 8., & cap 15. num. 3. Sanchez de matrimonio lib. 2. diſp. 31. num. 7. prope medium.* Non negauerim tamen, ſi non obſtante illo dolo, quo intentauit illum conatum in fæminam ingreſſus fuerit Religionem, & in eadem profeſſus diſſolueretur vinculum coniugale, quia ex vna parte ſemper verificaretur, quod matrimonium illud præcedens non fuerit conſummatum, & ex alia parte ſolemnis profeſſio in Religione non diſſoluitur ex quocunque damno alterius.

5 Si tamen non obſtante illo dolo ingreſſus fuerit, & profeſſus tenebit profeſſio.

6 Si coniux poſt illum conatum impetrauerit diſpenſationem ex alia cauſa non facta mentione illius conatus probabilius diſpenſatio nõ redditur ſubreptitia.

Reſpondeo ſecundò. Si coniux poſt illum conatum obtinuerit ex alia cauſa diſpenſationem à Romano Pontifice ſuper illo matrimonio nulla facta mentione in petitione de illo conatu probabilius eſt vxorem, quæ deſeritur, non poſſe excipere de ſubreptione, vel obreptione. Ratio ex eo deducitur, quia talis qualitas, nec de iure, nec de ſtilo Curiæ exprimenda eſt; non de iure, quia non inducit proprie aliquod ſubſtantiale diuerſum, quinimmò vt bene notat *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 25. num. 10.* ille conatus non ſecuta copula computatur ſolum inter tactus, qui cum ſit inter coniuges, nec poteſt dici impudicus, quinimmo hæc qualitas, quando non eſt cum conſummatione, quantumuis ſit impudica, non eſt exprimenda in impetratione diſpenſationis inter conſanguineos, vt contingeret, ſi duo conſanguinei intenderent inter ſe contrahere matrimonium, & antecedenter conati

fuerint

Digitized by Google

fuerint ad copulam, quam non expreſſerint; hi etenim, ſi petant diſpenſationem ſuper conſanguinitate, & non exprimant copulam antecedenter intentatam valide obtinent, & poſſunt ſine periculo ſubreptionis, vel obreptionis validè, & licitè contrahere; Non de ſtilo curiæ, cum hic non vigeat, nec aliquod ius obtinuit ex conſuetudine. Neque dicas, quod, ſi Pontifex illum conatum cognouiſſet non ita facile diſpenſaſſet maximè cum diſpenſatio videatur cedere in præiudicium tertij, nempe vxoris, aduerſus quam lata eſt diſpenſatio; Contra enim impugnaberis, quia non omnes qualitates, quæ, ſi eſſent cognitæ à Pontifice, eum retraherent à diſpenſatione reddunt gratiam conceſſam ſubreptitiam *Gloſ. clem vnica verb. vel alteri paulo poſt princip. de præbend. Calderinus conſ. 6. ad fin. verſ. per prædicta de præbend., & conſ. 10. num. vnico de reſcript. Felinus cap. poſtulaſti num. 1. verſ. declara etiam, & cap. ſuper literis num. 2. verſ. & regula eſt de reſcriptis, Mandoſius de ſignatura gratiæ verb. abſolutio ab hæreſi verſ. diſpenſatum fuerat, Petrus de Ledeſma de matrimon. cap. 56. art. vlt. dub. 2 concl. 2. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct., vbi de ieiunio cap. 112. col. 25.*, ſed illæ tantum, quæ ſunt intrinſecæ, quæ nimirum pertinent ad id, circa quod diſpenſatio eſt obtinenda, cuiuſmodi non eſt ille conatus, cum pro eo ſponſus non indigeat diſpenſatione, cuius propterea taciturnitas, nec eſt cauſa finalis, nec impulſiua diſpenſationis.

Ille qualitas non eſt intrinſeca,

---

## §. XX.

### An ad validitatem matrimonij ſufficiat quod conſenſus mutuus contrahentium aperiatur per vnum interpretem coram Parocho, & teſtibus.

*SVMMARIVM.*

*Status diſquiſitionis expoſitus.* 1.
*Sententia Pontij arbitrantis conſenſum exhibitum præciſe per interpretem non ſufficere.* 2.
*Teſtis debet deponere de eo, quod nouit per proprium ſenſum.* 3.
*Sufficit, quod exhibeatur per interpretem vtroque contrahente præſente.* 4.
*Interpres non eſt teſtis, ſed delator voluntatis contrahentium.* 5.
*Solutio rationum contrariæ ſententiæ.* 6.

1 DISQVISITIO XX. Contrahere contendentes ad inuicem matrimonium alienigenæ non calentes idioma Italicum interpretem adhibuerunt, qui coram Parocho, & teſtibus eorum conſenſum ipſis præſentibus aperiret. Præmiſſa debita diligentia, & obtenta ab ordinario facultate iuxta præſcriptum Concil. Trident. contractum fuit matrimonium coram parocho, & teſtibus, qui ex alio contrahentium non præceperunt conſenſum, niſi per interpretem. Quæſitum fuit, an tale matrimonium ſubſiſteret.

Diſquiſitio expoſita in ſuis terminis.

Valde ancipitem ſe erga quæſitum exhibet *Baſilius Pontius lib. 5. cap. 21. num. 10.*, & potius inclinare videtur in partem aſſerentem contractum illum non ſubſiſtere. Fundamentum ambigendi potiſſimum ex eo deducit, quod præſentia Parochi, & teſtium ideò à iure requiritur, vt teſtificari poſſint, & reddere Eccleſiam certam de matrimonio contracto, ſed quando Parochus, & teſtes tantum contrahentium conſenſum percipiunt per interpretem non poſſunt eſſe certi, nec Eccleſiam reddere certam de eodem matrimonio inito, ergo &c. Probatur minor, quia demus, quod alter contrahentium neget ſe conſenſum præſtitiſſe, & aſſerat interpretem mentitum fuiſſe exprimendo ſuum conſenſum. Quomodo innoteſcet veritas? Certè interpreti in re dubia non præſtatur fides *Donellus in l. prima ff. de verbor. oblig.* Deinde ille interpres, quamuis admitteretur vnus eſt, dictum autem vnius in iure eſt dictum nullius, illique non creditur *l. iureiurando C. de teſtibus*. Tandem cum ipſe conſenſum manifeſteuerit, præſumptio vehemens eſt, quod in dictis perſiſtet, cum agatur quodamodo de ipſius cauſa, nempe de propria veracitate ſuſtinenda; in ſua autem cauſa nullus poteſt eſſe teſtis *l. nullus ff. de teſtibus, & l. omnibus C. eod.*

2

Sententia Pontij arbitrantis conſenſum exhibitum per interpretem nõ ſufficere.

An in re dubia fides præſtetur interpreti?

Secundò, procedit ex eo, quod teſtis debet deponere de eo, quod nouit, & cui præſens fuit, & ſic per ſenſum proprium, & non per ſenſum alterius per textum *in cap. teſtes 3. qu. 6.*, ſed Parochus, & teſtes in ea hypotheſi non poſſunt deponere de ijs, quæ norunt per proprium ſenſum, ſed tantum per ſenſum interpretis, ergo non poſſunt valide, & efficaciter deponere, quia non poſſent teſtari, niſi de auditu alieno, & ſic cauſa ſcientiæ non eſt manifeſtior dicto, ſed ignotior, & eſt quaſi relatio relationis *Farinacius de teſtib. qu. 69. num. 5.* Nihilominus

3

Teſtes debent deponere de eo, quod norunt per proprium ſenſum.

Reſpondeo ad validitatem matrimonij ſufficere, quod conſenſus contrahentium præſentium explicetur coram Parocho, & teſtibus per interpretem ab vtroque contrahente electum. *Couarruuias epith. ad quartum decretal. part. 2. c. 4. §. 1. n. 3. Marcus Antonius Cucus lib. 5. tit. 11. num. 34. Villalobos in append. ad ſpecul. dub. 3 concl. 2.*

4

Sufficit, quod exprimatur per interpretẽ corã Parocho, & teſtibus vtroq; contrahente præſenteq;.



Gutie-

*Gutierez de matrimon. c. 69. num. 3. Sanchez lib. 3. diſp. 39. num. 3. Bonacina de matrimon. q. 2 punct. 8 num. 7. Vinaldus in candelab. p. part. de matrimon. num. 36. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract. c. 3. nu. 253. verſ. verum his non obſtantibus.* Ratio ex eo deducitur primo, quia contrahentes poſſunt ſibi adinuicem deferre conſenſum per interpretem, vbi ſunt diuerſi idiomatis, & vnus contrahentium non intelligit idioma alterius *Gloſa in c. ex literis 1. verb. intellexeris de ſponſalib, & ibi Ioannes Andreas num. 5. Abbas num. 3. Præpoſitus num. 4. verſ. 2. Auguſtinus Barboſa tom. 2. collect. ad decret. lib. 4. tit. 1. c. 7. nu. 8.* ergo etiam poterunt proprium conſenſum deferre per interpretem ad Parochum, & teſtes. Conſequentia probatur, quia magis eſſentiale eſt matrimonio, vt ipſi contrahentes conſenſum exterius expreſſum intelligant, quam quod intelligant Parochus, & teſtes, quandoquidem, quod contrahentes conſenſum mutuũ intelligant eſt de iure naturæ, & diuino ab initio requiſitum, quod autem Parochus, & teſtes intelligant conſenſum contrahentium eſt tantum de iure Eccleſiaſtico, & poſitiuo *Concil. Trident. in d. c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim*, ergo ſi ſufficit ad validitatem matrimonij, quod conſenſus vnius contrahentis innoteſcat alteri per interpretem, erit etiam ſufficiens, quod per eundem interpretem conſenſus vtriuſque innoteſcat Parocho. & teſtibus.

Poſſunt coniuges ſibi adinuicẽ exhibere conſenſum per interpretem.

5 Interpres non eſt teſtis, ſed declarator voluntatis contrahentium.

Secundo, quia ex eo, quod interpres ſit communi vtriuſq; contrahentis conſenſu electus ad exprimendum conſenſum ipſorum, & coram eiſdem deputantibus, & electoribus exprimat Parocho, & teſtibus eundem conſenſum, cui propterea credendum eſt, quia non eſt proprie teſtis, ſed declarator voluntatis contrahentium *Bartolus in l. 1 §. fin. nu. 2. ff. de verb obligat., & ibi Albetic. num 5. Alexander num 2. Iaſon. num. 7. Coarruias 4 decret. 2. part. c. 4 §. 1. n 3.* Tertio ratio deduci poteſt ex eo, quod cæteri contractus poſſunt per interpretem valide celebrari per textum *in l. 1. §. fin. ff. de verb. oblig* vbi ſic legitur *ſed verum puto, vt omnis ſermo contineat verborũ obligationem, ita vt alter alterius linguam intelligat, ſiue per ſe, ſiue per verum interpretem.* ergo etiam poterit per interpretem valide celebrari contractus matrimonialis ſeruatis in reliquis iuris ſolemnitatibus. Conſequentia tenet, quia nulla apparet ratio diuerſitatis, nec vlla eſt aſſignabilis lex ciuilis, ſeu canonica, quæ à generali regula excipiat matrimonium.

6 Soluuntur rationes ex aduerſo oppoſitæ.

Hinc facile erit reſpondere ad rationes Pontij ſuperius adductas; negandum quippe in primis eſt Parochum, & teſtes in ea hypotheſi non poſſe teſtificari de conſenſu præſtito, & de matrimonio celebrato, ipſi enim poſſunt plenam fidem facere, quod conſenſus fuerit exhibitus, & explicatus per interpretem coram ſe præſentibus eiſdem contrahentibus: nec verum eſt, quod dicto interpretis integra fides non ſit habenda prout, docet *Bartolus in d. l. 1. § fin. ff. de verb. oblig. Coaruuias Epith ad quartum decret. pars. 2. cap. 4. §. 1. num. 3. Marcus Antonius Cucus lib. 5. tit. 11. num. 34. Gutierez de matrimon. c. 69. num. 3.* quod euincitur ex ſuperius dictis, cum ſit de communi conſenſu contrahentium electus non vt teſtis, ſed ad declarandam communem voluntatem. Ad illud etiam, quod per eundem Pontium ſubditur ſecundo loco negandum eſt Parochum, & teſtes in ea hypotheſi fore tantum teſtes de auditu alieno. nam vere ſunt teſtes de auditu proprio, quia vox interpretis intelligitur, & cenſetur vox ipſorum contrahentium declarans eorundem conſenſum ijſdem præſentibus coram eodem Parocho, & teſtibus, & ſic vox interpretis æquiparatur ſcripturæ exhibitæ per contrahentes Parocho, & teſtibus, dum celebratur contractus, in qua continetur eorum conſenſus, ſicuti igitur in ea hypotheſi, in qua exhibetur prædicta ſcriptura Parochi, & teſtes non dicuntur teſtes de auditu alieno, ſed de proprio, ita &c.

Poteſt Parochus teſtificari de cõſenſu exhibito per interpretẽ præſẽtibus contrahentibus.

Vox interpretis præſumitur vox contrahentium.

---

## §. XXI.

### An matrimonium contractum per Procuratorem poſſit iterari per ipſos contrahentes, & quomodo.

*SVMMARIVM.*

*Refertur ſeries facti.* 1.

*Matrimonium per Procuratorem tunc ſit ſacramentum quando per eundem applicatur conſenſus contrahentium.* 2.

*Matrimonium contractum per Procuratorem poteſt inter contrahentes præſentes iterari ad cautelam, non ad neceſſitatem.* 3.

*Matrimonium non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam contractus.* 4.

*Dum iteratur probabilius noua gratia non producitur, ſi in prima celebratione fuerit producta.* 5.

*Si fuerit producta gratia in prima celebratione contractus non contrahunt coniuges nouam noxam ſi iterent cum conſcientia peccati lethali.* 6.

*Si matrimonium per Procuratorem initum fuerit inualidum contrahentes conſcij nullitatis peccant lethaliter iterantes in peccato lethali.*

Dis-

1 Status controuerſiæ in facto particulari exponitur.

DISQVISITIO XXI. Facta conuentione de matrimonio contrahendo inter Flauium, & Cæciliam, qui erant diuerſarum regionum Flauius ad perficiendum contractum in procuratorem elegit Antonium cum ſufficienti mandato, qui adimplens munera ſibi commiſſa contractum iniuit cum eadem Cæcilia ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus. Poſtquam deinde eadem Cæcilia traducta fuit ad domum Flauij dubitatum fuit, an iidem contrahentes poſſent licitè iterare conſenſum, & de nouo inter ſe perſonaliter contrahere.

2 Tunc fit ſacramentũ, quãdo per Procuratorem fit applicatio cõſenſuum.

Ex ſuperius dictis *ſub hoc eodẽ tit Contractus XV. de matrimon. I. pranot.* 8. *aſſert.* 4. matrimonium celebratum per Procuratorem tunc fit ſacramentum, quando per eundem fit applicatio conſenſuum coram Parocho, & teſtibus, prout etiam aſſerunt *Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. verſ. ad ſecundum reſpondetur Metina lib. 1 ſummæ c. 16. §. 13. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c.*35. Ex quo videtur idem matrimonium non poſſe iterari; quandoquidem cętera ſacramenta eadem materia manente repeti non poſſunt, vt videre eſt in ſacramento Euchariſtię, aliiſque omnibus, niſi noua conſtituatur materia.

3 Poteſt inter præſentes iterari ad cautelã, non ad neceſſitatem.

Reſpondeo tamen poſſe inter præſentes iterari ad cautelam, non tamen ad neceſſitatem *Sotus in 4 diſt. 27 q 1 art 3. verſ non prorſus Ludouicus Lopez 2 part. inſtruct. de matrimon cap.* 34. *Sanchez lib. 2. diſp.* 11. *num.* 31. *Gutierez de matrim. c.* 43 *num.* 22. *& cap.* 44 *nu* 1 *Rebellius de oblig iuſt part.* 2. *lib.* 2 *q.* 5. *num* 10 *Bonacina de matrimon. q.* 2. *punct.* 5. *num* 4. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract c.* 3. *num* 320. Ratio ex eo deducitur, quia matrimonium ad differentiam aliorum ſacramentorum eſt ſacramentum ſimul, & contractus, quinimmo ratio ſacramenti fundatur in ratione contractus; ſed cæteri contractus poſſunt abſolute iterari *Caietanus tom.* 1 *opuſcul. tract.* 12. *de contract matrimon q* 2. *Petrus de Ledeſma de matrim q* 42 *art* 1. *dub.* 7. *concl.* 1. *Sanchez d lib* 2. *diſp* 11 *num* 31. *& Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.* 3. *num.* 320. ergo non eſt, cur etiam non poſſit iterari matrimonium, qui eſt contractus, & naturam, & conditiones contractuum imitatur.

4 Cæteri cõtractus poſſunt abſolutè iterari

Hic oritur difficultas, an illa iteratione matrimonij, ſi fieret per coniuges præſentes, dum ante matrimonium contractum fuit per Procuratorem, noua gratia ſacramentalis producatur in eiſdem contrahentibus. Dictum fuit in præcedentibus, tunc effectum ſacramentalem produci in matrimonio celebrato per Procuratorem, quando per eundem Procuratorem fit applicatio conſenſuum coram Parocho, & teſtibus, vnde tenetur principalis contrahens, qui mandatum dedit ad contrahendum, pro eo tempore, pro quo veriſimilitèr creditur matrimonium per Procuratorem celebrandum, ſe conſtituere in gratia, ſi illam per peccatum amiſerit cæteroqui, recipiens ſacramentum in peccato nouum peccatum lethale contraheret. Suppoſito igitur, quod tunc in contrahentibus gratia ſacramentalis recipiatur, diſſidium eſt, an noua producatur, quando iteratur perſonaliter per ipſos contrahentes præſentes matrimonium? Probabilius exiſtimo, ſi antecedenter gratia fuerit producta, nouam tunc, quando perſonaliter iteratur, non produci. Ratio ex eo deducitur quia, nec tunc proprie iteratur ſacramentum, ſed vel tantum confirmatur, vel ſi primum fuerit inualidum, tunc de nouo conficitur, & tunc quidem producit gratiam, ſed non præcedentem ſupponit, vt ſupponitur in ratione dubitandi: cum igitur ſacramenta tunc tantum ex opere operato conferant gratiam, quando conficiuntur ex directo ſequitur, quod ſi tunc non conficiatur, nec conferat gratiam, vel ſi tunc primo conficitur antecedentem gratiam non præſupponat contra ſuppoſita. Quod ſi vrgeas, ergo tunc non iteratur matrimonium, ſtatim impugnaberis, quia ſolum dicitur iterari quatenus renouantur cõſenſus, & ſic ſi primum matrimonium fuerit inualidum, reualidatur, ſi vero fuerit validum, ſolum confirmatur in ratione contractus, & ex conſequenti etiam in ratione ſacramenti, quod tamen non habet quid diuerſum producere ab eo, quod iam produxit.

5 Dum iteratur probabilius noua gratia non producitur, ſi hæc ſit producta in prima celebratione.

Solum iteratur, quatenus renouantur conſenſus.

Hinc ſequitur, quod, quantumuis contrahentes in iteratione contractus, quando ſunt perſonaliter præſentes, habeant conſcientiam peccati lethalis non propterea nouam noxam lethalem contrahant non ſolum, quia non ſunt miniſtri conſecrati ad hoc munus, ſed etiam, quia tunc non ponunt obicem gratiæ ſacramentali recipiendæ vigore ſacramenti, quia cum fuerit antecedenter producta, & ſacramentum poſitum, nec ſacramentum de nouo ponitur, nec noua gratia confertur. Quod, ſi ſupponas; quod ex aliquo defectu ſubſtantiali matrimonium fuerit inualidum, quando contractum eſt per procuratorem; tunc cum diſtinctione procedendum eſt, vel etenim contrahentes, quando præſentialiter de nouo contrahunt, ſunt conſcij illius defectus ſubſtantialis, & tunc ſine dubio debent ſe in gratia conſtituere, cæteroqui contrahendo contraherent nouam noxam lethalem, quia reciperent ſacramentum cum obice, qui aduerſatur gratiæ ſacramentali, & tunc ſolum ſacramentum conficeretur, vel præſupponuntur illius defectus ſub-

6 Si gratia fuerit producta in prima celebratione contractus non contrahunt coniuges nouam noxam ſi iterent cũ conſcientia peccati lethalis.

7 Si matrimonium cõtractũ perProcuratorem tunc ex aliquo defectu fuerit inualidum cõtrahẽtes peccant lethaliter ſi cõſcij nullitatis cõtrahãt in peccato lethali.

ſtantialis penitus ignari, & tunc, quantumuis, quando de nouo contrahunt, haberent conſcientiam peccati læthalis, notiam noxam non contraherent, quia tunc non arbitrarentur recipere ſacramentum, ſed tantum ſupplere ſolemnitates, quæ fortè fuerint omiſſæ, & ad melius eſſe. Conſultius tamen eſſet, quod, ſicuti ad cautelam iterarent matrimonium, vt ſcilicet, ſi non fuerit validum, quando contractum eſt per procuratorem, tunc fiat validum; ita etiam ad cautelam ſe diſponant ad gratiam, vt ſcilicet, ſi illam tunc non receperint ex eo, quod forte ſacramentum tunc ſubſiſteret, eandem recipiunt, dum de nouo contrahunt.

---

## §. XXII.

### An benedictiones nuptiales poſſint impendi, quando matrimonium celebratur per Procuratorem, & an, ſi fuerint impenſæ, poſſint iterari, quando iteratur matrimonium inter ipſos contrahentes.

### *SVMMARIVM.*

*Exponitur, in quo conſiſtat diſquiſitio.* 1.
*Nuptiæ per Procuratorem initæ poſſunt licitè benedici, dum per ipſum contrahuntur.* 2.
*Ex neceſſitate non ſunt iterandæ huiuſmodi benedictiones, poſſunt tamen ad cautelam. num.* 3.
*Cur poſſint iterari quoad idem matrimonium benedictiones, non quoad diuerſa ſucceſſiuè.* 4.
*Iteratio benedictionum quoad idem matrimonium fieret præcisè ad cautelam.* 5.
*Probabilius poſſunt iterari benedictiones etiam non iterato matrimonio.* 6.

1 Exponitur, in quo conſiſtat diſquiſitio.

DISQVISITIO XXII. Conſtituto per Caium Procuratore ad contrahendum ſuo nomine matrimonium cum Cæcilia deuentum fuit ad matrimonium per eundem procuratorem iuxta mandatum ſibi commiſſum. Quæſitum fuit primò, an in actu celebrationis huiuſmodi contractus per procuratorem potuerint nuptiæ benedici, & an tunc Parochus aſſiſtens audito conſenſu per Procuratorem exhibito cum illo alterius coniugis iuxta formam Concilij Tridentini debuerit dicere. *Ego vos coniungo in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.* Secundò, an, ſi verè potuerint benedici, & fuerint benedictæ in iteratione ſint repetendæ, & an ſaltem poſſint reperi.

Reſpondeo primò, nuptias per procuratorem celebratas poſſe, & potuiſſe licitè benedici, quando fuerunt celebratæ. Ratio ex eo deducitur, quia ex vno capite Concilium Tridentinum non reprobat matrimonium per Procuratorem contrahendum, ex alio præcipit, quod Parochus audito contrahentium conſenſu immediatè ſubdat *Ego vos coniungo in Nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*, ergo non eſt, cur etiam benedictiones non poſſint impendi ſtatim expoſito conſenſu principalis contrahentis per procuratorem; ſi enim non obſtante, quod alter contrahens non ſit præſens, niſi per procuratorem, poteſt Parochus dicere *Ego vos coniungo*, cur non poterit eoſdem benedicere? Et ſi procurator poteſt in celebratione contractus dicere *Ego tecum contraho nomine Caij mei principalis*, cur non poterit Parochus in benedictione dicere *Ego vos benedico* referendo benedictionem ad principalem, cuius nomine procurator contrahit?

2 Poſſunt benedici, dū contrahuntur per Procuratorem

Dices huiuſmodi benedictiones debere cadere ſupra contrahentes, non ſupra alios ab ipſis, cum autem principalis contrahens non ſit præſens, non poteſt eaſdem recipere. Sed contra. Fateor benedictiones recipi quoad effectum in ipſos contrahentes, non in alios: nego autem, quod ex eo, quod principalis contrahens non ſit præſens non poſſit earumdem effectum recipere, cum non dependeat à loco, maximè cum ſit alius deputatus, qui nomine ipſius recipit, & ſicuti effectus ſacramentalis in eodem contrahente recipitur quando contractus initur per procuratorem, quamuis ipſe ſit abſens, ita non eſt, cum in eodem non debeat recipi effectus benedictionis nuptialis, quantumuis, dum illa impenditur, non ſit præſens.

Effectus benedictionis non pendet à loco.

Reſpondeo ſecundò, ex neceſſitate non interandas eſſe huiuſmodi benedictiones, poſſe tamen iterari ad cautelam. Ratio deducitur ex dictis in præcedenti diſquiſitione, quia ſcilicet in hac hypotheſi poteſt iterari matrimonium, ergo etiam poterunt iterari benedictiones nuptiales, quia permiſſo principali quoad iterationem, non eſt, cur non debeant permitti quoad eandem minus principalia, & acceſſoria; Neque dicas, non currere paritatem quoad iterationem matrimonij, & benedictionum, quandoquidem ſucceſſiuè poſſunt contrahi plura matrimonia, non enim quoad omnia poſſunt recipi nouæ benedictiones nuptiales, prout latè docuimus ſupra *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. 1. pran. 34. reſponſ. 2. ad primum dubium* per textum *in cap. vir de ſecundis nupt.* atque ita ſentiunt *Nauarrus in summ. cap. 22. num. 83. Henriquez lib. 11. de matri.*

3 Poſſunt iterari ad cautelam.

*matrimon. c. 16. n. 2. Alterius de cenſuris tom. 2. diſp. 11. c. 4. dub. 4. Hurtadus de matrim. diſp. 5. diffic. 23. n. 8.* contra enim impugnaberis, quià in primis eſt diuerſa ratio de duplici matrimonio in ordine ad duplicem benedictionem, ac de eodem matrimonio in ordine ad eandem duplicem benedictionem. Ratio diuerſitatis ex eo deſumitur, quià potiſſima ratio, vi cuius interdicuntur benedictiones ſecundis nuptijs, ea eſt, quià cum benedictiones huiuſmodi inductæ fuerint ad indicandam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, & quidem illius, vt vnius ſponſi cum vna ſponſa non poſſunt ordinari ad ſignificandam aliam vnionem diuerſam à prima, vt bene notarunt *D. Thomas in 4. diſt. 42. quæſt. 3. art. 2. Silueſter verb. nuptiæ q. 1.* ſicque in diuerſis nuptijs nequeunt repeti, quià non ſignificarent niſi diuerſam vnionem, hæc autem diuerſitas ſignificationis non oritur, quandò iterarentur benedictiones circa idem matrimonium, quià ſemper ſignificaretur vnio vnius cum eadem, & non poneret diſcontinuationem ab eadem, ſed ſemper firmiorem permanentiam cum ipſa.

4 Cur poſſint iterari quoad idẽ matrimonium benedictiones, non quoad diuerſa matrimonia.

Quod ſi dixeris, vigere aliam rationem prohibitionis quoad benedictiones in ſecundis nuptijs, quæ etiam militat in iteratione earundem, quoad primas; atque hæc eſt, quia huiuſmodi benedictiones vilipenderẽtur ſi poſſent iterari; atque hanc rationem aſſignat *Sanchez lib. 7. diſp. 82. num. 16.* Si, inquam, hoc dixeris, ſtatim impugnaberis, quia hæc non militant, quando iteratio eſt præciſe ad cautelam, ſecundum, quam rationem pluries etiam repetuntur ſacramenta.

5 Iteratio quoad idẽ matrimonium fieret præciſè ad cautelam.

Hic oritur difficultas, an ſi conſtituto matrimonio per Procuratorem contrahentes non intenderent iterare matrimonium, ſed præciſe benedictiones, poſſent hoc efficere, ſine aliqua culpa, quod idem eſt, ac inquirere, an poſſint iterari benedictiones nuptiales nõ iterato matrimonio; probabilius ſentio poſſe iterari non iterato matrimonio, tum quia pro eiſdem non militat ea ratio, quæ militat pro benedictionibus iteratis in ſecundis nuptijs, vt ſupra, tum quià iterarentur ſolum ad vberiorem cautelam, in quo caſu non militat illa ratio vilipendij, de qua ſupra.

6 Probabilius poſſũt iterari benedictiones non iterato matrimonio.

## §. XXIII.

### An ex ſuppoſitione qua matrimonium initum per Procuratorem, vel ex arbitrio, vel ex neceſſitate iteraretur, iterari deberet ſeruata forma Concilij.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ expoſitus.* 1.

*Si coniuges iterare intendant matrimoniũ ex arbitrio non tenentur iterare ſeruata forma Concilij, non prohibentur tamen eadem ſeruata iterare.* 2.

*Si iterare velint ex dubio inualiditatis non tenentur etiam ſeruare formam Concilij, ſi inualiditas, de qua dubitatur, fuerit occulta.* 3.

Disqvisitio XXIII. Contraxerat matrimonium per Procuratorem Fabius cum Liuia. Deindè vel ad melius eſſe, ſeù ad vberiorem cautelam, vel quia forte ſubeſſe poterat aliquod dubium de validitate matrimonij per Procuratorem initi, inuicem contrahentes ſtatuerunt illud inter ſe perſonaliter iterare. Quæſitum fuit, an ex quocunque capite hoc facerent, teneantur facere coram Parocho, & teſtibus, an verò ſufficiat, quod iterent inter ſe conſenſus.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

Reſpondeo primo, ſi iterare intendant ex arbitrio, vel ad vberiorem cautelam non tenentur iterare ſeruata forma Concilij; non tamen prohibentur eadem ſeruata iterare. *Sotus in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. verſ. non prorſus Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. cap. 34.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià matrimonium contractum per Procuratorem cum ſufficienti mandato coram Parocho, & teſtibus eſt ex omni parte, & vndequaque validum tàm de iure naturæ, & diuino, quam ex præſcripto Eccleſiæ, & eſt ex genere ſuo indiſſolubile, nec poteſt diſſolui, niſi per ingreſſum in Religionem ante conſummationem, ergò non eſt iterandum ſeruata ex neceſſitate forma Concilij. Conſequentia patet, quià ſicuti poteſt iterari, & non iterari, cum iteratio fiat ſolum ad abundantem cautelam, ita poteſt iterari præcisè quoad conſenſus, non autem quoad formam concilij, quæ iam adimpleta eſt. Neque dicas, quod ex eo, quod poſſit iterari, & non iterari, non ſequatur, quod ſi iteretur, poſſit iterari ſecundum partem, & non ſecundam aliam quià poni debent ea omnia, quæ ſunt de ſubſtantia actus; contrà enim impugnaberis,

2 Non tenentur iterare ſeruata forma concilij, poſſunt tamen

Ex eo, quod ſit libertas quoad totum etiam eſt quoad partem.

Digitized by Google

beris, quià ex eo quod ſit libertas quoad totum eſt etiam libertas quoad partes, & poteſt velle firmare conſenſum integris manentibus reliquis ſubſtantialibus in ſuo eſse. Deinde clarius innoteſcet ex ſequenti reſponſione.

3 *Si iterare velint ex dubio inualiditatis nō tenentur iterare ſeruata forma concilij.*

Reſpondeo ſecundò, ſi iterare velint ex dubio validitatis matrimonij initi per Procuratorem non tenentur etiam ſeruare formam Concilij, ſi inualiditas, de qua dubitatur, fuerit occulta. *Nauarrus in manual. cap. 22. num. 70., & cap. 16. num. 37., & lib. 4. conſil. tit. de ſponſalib. in prima edit. conſ. 35. num. 21. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 65. Franciſcus Molinus de rit. nupt. lib. 2. diſſ. 11. num. 160. Aloyſius Riccius in prax. for. Eccleſiaſt. deciſ. 246. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 32 n. 517. Fernandez in Medul. part. 4. c. 18. ſeſſ. 1. n. 18. Rebellus lib. 2. de oblig. iuſt. q. 9. nu. 5. Laiman lib. 5. Thelog. mor. tract. 10. part. 4. c. 14. nu. 4. Diana part. 2. reſol moral. tract. 1. miſcell. reſ. 5.*, & alij innumeri apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrim. contr. c. 2. n. 6.*, qui omnes docent, quod quandò matrimonium nulliter contractum eſt coram Parocho, & teſtibus ex impedimento occulto, non ſit neceſse in reualidatione eiuſdem adhibere formam Concilij, ſeù iterum adhibere Parochum, & teſtes, quod allegatis iuribus, & rationibus euincitur apud eundem *Boſſium loc. cit.*, quem tu conſule, ergò in fortioribus terminis ex neceſſitate non erit repetenda forma concilij; quando ſolum matrimonium initum per Procuratorem iteratur ex dubio inualiditatis occultæ.

Dixi, *non tenentur etiam ſeruare formam Concilij*: non enim negauerim congruum eſse adhibere, ſicuti in caſu etiam præcedentis reſponſionis, hocque in praxi obſeruari aſſerit *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 3. num. 320.*

---

## §. XXIV.

Quandonam producatur gratia ſacramentalis, quandò ſine præſentia Parochi, & teſtium iteratur matrimonium prius inualidum ex impedimento occulto.

### *SVMMARIVM.*

*Factum, & dubia circa ipſum examinanda.* 1.

*Quando iteratur matrimonium inualidum producitur gratia in contrahentibus, niſi obex obſiſtat.* 2.

*Tunc gratia ſacramentalis producitur, quando remoto impedimento renouatur conſenſus, vel reuocatur fictio.* 3.

*Altero contrahente fictè, altero verè, hic non conſequitur gratiam ex opere operato, quando conſenſum poſuit.* 4.

*Poteſt tamen aliquam gratiam conſequi ex opere operantis.* 5.

*Si ille, qui primo contraxit verè factus fuerit conſcius nullitatis contractus ex fictione alterius, tenetur tunc, quando alter renouat conſenſum, vel de nouo celebratur contractus, eſſe in gratia.* 6.

*Si vero non fuerit conſcius nullitatis, & dum renouantur conſenſus non ſit in gratia, non peccat, non tamen tunc conſequitur gratiam.* 7.

DISQVISITIO XXIV. Dictum fuit in præcedenti diſquitione, quod quandò matrimonium inualidum præcedens ex impedimento occulto reualidatur per nouum conſenſum vtriuſque contrahentis non ſit neceſse renouare formam Concilij, hoc eſt denuo adhibere præſentiam Parochi, & teſtium, quæ fuit adhibita, quando inualidè fuit contractum. His iam ſic ſuppoſitis Titius contraxit matrimonium fictè hoc eſt ſine animo ſe obligandi cum Theodorica coram Parocho, & teſtibus, quod certè defectu conſenſus erat inualidum. Poſtea intendens reuocare fictionem, quam aperuit Theodoricæ verum conſenſum, & realem poſuit, eidemque expreſſit, à qua recepit repromiſſionem, ſeù renouationem prioris conſenſus antecedenter eliciti. Hic iam quæſitum fuit, an in hac hypotheſi producatur in contrahentibus gratia ſacramentalis, & quandonam; & ex his, quæ dicentur in ſolutione præſentis quæſiti nonnulla alia dubia excitabuntur, quæ currenti calamo diſsoluentur.

1 *Facti ſeries*

*Nonnulla dubia circa factum.*

2 *In iteratione matrimonij inualidi producitur gratia, niſi adſit obex.*

Reſpondeo primo, vtique in ea hypotheſi producitur etiam in contrahentibus gratia ſacramentalis, niſi obex obſiſtat. Ita ſuſtinent quotquot ſuſtinent rationem ſacramenti inter fideles à ratione contractus eſse indiuiſam, quos ſuprà allegauimus. Ratio ex eo deducitur, quià illud matrimonium, quantumvis in ſua radice fuerit inualidum, vel ob impedimentum occultum, vel ob defectum veri conſenſus ex parte alterius contrahentis, ſit tamen abſolutè validum, quando, vel impedimentum remotum eſt per diſpenſationem, & nouus conſenſus elicitus, vel quando fictio reuocata eſt per nouum conſenſum verum, & realem illius, qui prius finxerat conſenſum, ergò etiam eſt ſacramentum ratione indiuiſibilitatis contractus à ſacramento, & è contrà, ergò non eſt, cur non debeat parere in contrahentibus gratiam ſacramentalem, vel moralitèr, ſi cauſæ non exiſtant

Phy-

Digitized by Google

Phyſicè, vel etiam Phyſicè, ſi cauſæ actu fuerint præſentes.

3 Tunc gratia ſacramẽtalis producitur, quando remoto impedimento renouatur conſenſus, vel quandò fictio reuocatur,

Reſpondeo ſecundò, tunc gratiam ſacramentalem producere, quandò remoto impedimento renouatur conſenſus, vel quando fictio reuocatur. Ita ſentire debent quotquot ſuſtinent reualidari matrimonium ſolum per mutuum conſenſum renouatum *Nauarrus in man. c.22.num.70. Andraas Vallenſis in ſumma decret. lib.4. tit 3. nu. 10. Ioannes Baptiſta Corradus reſpon. part.1. q.141. in addit. Ellinius part. 1. tract.10. c.3. nu.* 85. Ratio ex eo deducitur, quia tunc producitur gratia ſacrmentalis, quando actu eſt ſacramentum, ſed tunc tantum perficitur ſacramentum, quandò remoto impedimento nouus ponitur conſenſus, vel reuocatur fictio, ergò &c. Minor probatur, quià exiſtente impedimento matrimonium non ſubſiſtebat in ratione contractus, ergò nec in ratione ſacramenti, ergo tunc ſolum in ratione contractus ſubſiſtit, quandò &c. Neque dicas, quod tunc, quando renouatur conſenſus, vel remouetur fictio non ſint omnia ſubſtantialiter requiſita ad rationem contractus, quandòquidem deficit præſentia Parochi, & teſtium; contra enim impugnaberis, quià illa præſentia Parochi, & teſtium ſolum requiritur ex diſpoſitione iuris eccleſiaſtici, non de iure naturæ, vel diuino; ex eo autem, quod antecedentèr fuerit poſita iam adimpletus eſt finis intentus ab eodem iure eccleſiaſtico, qui fuit, ne contrahentes facile conuolare poſsent ad alia vota cum ſpretu prioris matrimonij, quod certè euenire non poteſt in præſenti hypotheſi, in qua, cum impedimentum, vel fictio fuerit occulta, eccleſia præſumit validum, eſse matrimonium, ſicque non permitteret contrahentes ad aliud tranſire; vndè merito Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum apud *Bellarminum ad d. c.1. ſeſſ.24. de reformat. matrimonij* ſic declarauit *Item quando matrimonium eſt nullum propter impedimentũ ſecretum ſatis eſt ſecretus conſenſus ſine noua forma, ſed ſi eſt publicum, eſt ſeruanda forma concilij*, quod idem alio in loco definiuit apud *Franciſcum Leonem part. 2. Theſauri c.24. num.* 81. his verbis *Si impedimentum ex vi, & metu præſupoſito occultum ſit non eſt opus iterum contrahere repetitis ſolemnitatibus alias ritè iuxta formam huius decreti adhibitis in primo contractu, ſi autem huiuſmodi impedimentum fuerit manifeſtum, matrimonium de nouo contrahendum eſt ſeruata forma Concilij in hoc decreto tradita iuxta reſponſionem Congregationis alias datam in caſu matrimonij contracti inter conſanguineos.*

Iam adimpletus eſt finis concilij Tridentini,

Dubium primum.

Hinc corrollariè nonnulla dubia ad præſens quæſitum pertinentia excitantur, & primo, an ſaltem, quandò matrimonium fuit nullum ex conſenſu fictio vnius ex contrahentibus, alter qui verum conſenſum poſuit, ſaltem ex bona fide conſequi potuerit gratiam ſacramentalem tunc, quando conſenſum illum appoſuit? Reſpondendum eſt abſolute negatiuè, licet potuerit conſequi aliquam gratiam ex opere operantis. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià tunc re vera non extitit ſacramentum, cum hoc conſiſtat in mutuo vtriuſque contrahentis conſenſu vero, reali, & legitimo, nec in vnius conſenſu præcisè poteſt ſubſiſtere, ergò non eſt, cur tunc poſſit ex opere operato, vt ſacramentum cauſare gratiam ſacramentalem, cum non poſſit eſse effectus ſine ſua cauſa; neque ſola fides contrahentis cum vero conſenſu reali, & ignorantis alterius fictionem poteſt prodeſse ad hunc effectum, quandoquidem gratia ſacramentalis eſt affixa ſacramentis veris, & realibus, non apprehenſis, nec ſolis affectibus contrahentium. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià contractus matrimonialis intentus ſecundum verum ordinem naturæ, & ſecundum diſpenſationem diuinam eſt ex genere ſuo bonum honeſtum, & ſecundum ſe matrimonium, ergò illud exercens, ſeu intendens cum vera intentione exercendi, quod à Deo inſtitutum eſt, & eidem Deo placendi in illo opere poterit aliquam gratiam ex opere operantis conſequi intuitu veræ fidei, & eleuationis mentis in Deum in illo opere ſecundum ſe honeſto, & ordinato ad manifeſtationem bonitatis diuinę. Confirmatur ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem titulo. Contractus XV. de matrimon. I. prænot.* 10. *aſſert.* 1. nempe gratiam in ſuſceptione ſacramentorum conſurgere ad proportionem diſpoſitionis in ſuſcipiente iuxta, quod definitum eſt *à Concil. Trident. ſeſſ.6. cap.* 7. prout etiam docent *Cacheranus tom.3. tract.8. c.4.* §.9. *num.*163. *Vaſquez diſp.*169.*c.*5. *Lugus diſp.9. ſect.5.n.*71. *Gouetus diſp.4. de baptiſm. art.2.nu.24. Maſtrius diſp. 2.q. 6.nu.*162., quod ſignum eſt diſpoſitionem ſuſcipientium ſecundum ſe conferre ad gratiam.

4 Altero contrahente ficte, altero verè, hic tunc non conſequitur gratiã, ex opere operato.

5 Poteſt tamen aliquã gratiam conſequi ex opere operantis.

Dubium ſecundum.

Secundum dubium eſt, an ſi coniux, qui verum, & realem conſenſum præſtitit in celebratione contractus, ad quem alter concurrit ſolum per conſenſum fictum, pro eo tempore, pro quo hic alter reuocat fictionem, non ſit in gratia, ſed habeat conſcientiam peccati læthalis, committat nouum peccatum læthale, & an conſequatur gratiam, & quando. Cum diſtinctione reſpondendum eſt, vel etenim ante reuocationem fictionis innocens factus fuit conſcius inualiditatis contractus ex fictione alterius, vel eiuſdem inualiditatis fuit penitus ignorans, cum fictor ſolum per conſenſum internum reuocet fictionem,

6 Si ille qui contraxit vere poſtea fuerit conſcius inualiditatis ex fictione alterius tenetur eſſe in gratia, dũ alter reuocat fictionem, alter peccat.

nem. Iuxtà primum ſenſum aſſero, quod ſi pro eo tempore ille, qui præſtitit in celebratione contractus verum conſenſum, hebeat conſcientiam peccati læthalis, illudque non remoueat per pænitentiam ſacramentalem, vel per verum actum contritionis, nouum peccatum læthale contrahat, & tunc non conſequatur gratiam ſacramentalem, niſi cum remoto obice ſe conſtituit in gratia. Iuxta ſecundum ſenſum aſſero, nouum peccatum læthale non committere; non tamen recipere gratiam ſacramentalem, niſi ablato obice ſe in gratia conſtituat. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ſcientèr reciperet ſacramentum in peccato læthali, ergo nouum peccatum læthale committeret. Conſequentia tenet, quia irrogaret ur iniuria ſacramento ex alibi ſparſim dictis. Antecedens probatur, quia optimè noſceret priorem contractum ex alterius fictione non ſubſiſtere, & tunc tantum perfici, quando remouetur fictio, ergo. & tunc tantum gratiam ſacramentalem produci, ergo ſi ſibi conſcius eſſet peccati læthalis, ſacramentum ſcienter in peccato læthali reciperet; Neque dicas, quod tunc ad renouandum, ſeu reualidandum contractum non requiratur nouus ipſius actus, ſeu conſenſus, cum iam legitimè illum poſuerit, ſed tantum, quod per alterum remoueatur fictio, ſiuè per actum internum, ſiue per externum, ergo non eſt cur ille tunc contrahat nouam noxam læthalem, cum ſinè nouo actu nouum peccatum non contrahatur; contra enim impugnaberis, quia nouum peccatum læthale in ſuſceptione ſacramentorum præcisè contrahitur ex eo, quod eadem ſacramenta recipiantur ſcienter exiſtente obice ad gratiam tunc recipiendam, nec adhoc requiritur nouus actus. Ex quibus omnibus habes, quod in ea hypotheſi, cum non producatur gratia ratione obicis tunc exiſtentis, quando perficitur matrimonium iuxta ea, quæ generaliter dicuntur de omnibus ſacramentis, reuiuiſcat poſtea, quando remouetur obex ſecundum maius. vel minus augmentum, ſecundum quod concurrit maior, vel minor diſpoſitio ad eundum remouendũ per ea, quæ diximus *ſupra loc. cit.* Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia tunc tantum in ſuſceptione ſacramentorum exiſtente in ſuſcipientibus peccato læthali nouum peccatum cõmittitur, quando quis ſciens tunc confici ſacramentum, illud recipit ſine diſpoſitione ad gratiam ſacramentalem, non enim ſine libertate poteſt peccatum læthale committi, adeoque nec ſine cognitione, ergo, cum tunc ignoret confici ſacramentum, peccatum nõ committit illud recipiendo: tunc tamen non recipit gratiam ſacramentalem propter obicem præexiſtentem, quæ poſtea iuxta naturam aliorum ſacramentorum conſurgit eodem obice ſublato.

7 Si vero nõ fuerit cõſcius nullitatis cõtractus, & renouet cõſenſũ, quando alter renouet, ſi ſit in peccato læthali, nouiter non peccat, nõ tamen conſequitur tunc gratiam.

---

# DISQVISITIONES II.

## A duodecima ad decimam ſeptimam prænotionem excluſiuè.

### §. I.

An ſponſo, qui poſt contractum matrimonium vas fæminæ penetrauit, credendum ſit, ſi aſſerat ſe non ſeminaſſe ad effectum, vt poſſit ingredi Religionem.

*SVMMARIVM.*

*Refertur facti series* 1.
*In foro externo ſponſo aſſerenti ſe non ſeminaſſe non eſt credendum.* 2.
*Intellige, quamuis dictum iuramento confirmet.* 3.
*In foro interno habet ius ingrediendi, ſi vere non ſeminare, ſed poteſt prohiberi ab ingreſſu.* 4.

DISQVISITIO I. Dictũ fuit in præcedentibus ad perfectã conſummationẽ, ratione cuius præcludatur aditus ad ingreſſum in Religionẽ, non ſufficere vaſis muliebris penetrationẽ, ſed vlterius requiri ſeminationem viri intra idem vas, prout etiam late docent *Vincentius c. fin. de ſponſal. ArchiDiaconus c. extraordinaria 35. q. 3., & c. vnico num. 3. de deſponſat. in pub. in 6. Innocentius c. atteſtationes in princip. de deſponſat. in pub. Ioannes Andreas reg. qua contra ius de reg. iur. in 6. Henricus c. fraternitati num. 10. de eo. qui cognouit conſang. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 11. ante §. primum Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. verſ. cauſa dirimendi Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 8.* His ſuppoſitis Caius contracto matrimonio per verba de præſenti cum Theodorica intra bimeſtre à iure ſtatutum ad deliberandum de ingreſſu in Religionem aſſentiente eadem Theodorica conatus eſt in copulam, & de facto vas fæmineum penetrauit, & poſtea ſub prætextu, quod non ſeminauerit, contendebat ingredi in Religionem. Hic orta fuit controuerſia, an eidem aſſerenti ſe non ſeminaſſe, maximè ſi iuramentum addiderit, credendum ſit ad eum eſſe-

1 Status controuerſiæ expoſitus.

effectum, vt mentem ſuam ingrediendi poſſet adimplere.

Sub hoc *eod. tit. Contractus XV. De matrimon.* 1. *Diſq.* 1. §. 18. *reſponſ.* 3. diximus, quod in contradictione, ſecundum quam maritus negat matrimonium conſummatum eſſe, & ſponſa affirmat, ſi hæc fuerit virgo, nullius dicto ſtandum ſit, ſed aſpectui, ſi vero fuerit corrupta, ſeu vidua, & fuerit in domum mariti traducta, probabilius præſumendum ſit pro conſummatione, ſecus vero ſi non fuerit traducta. Sed in ſuppoſitione, quod adhuc fuerit virgo, non obſtante, quod per aſpectum poſſit cognoſci virilis membri penetratio, non poteſt tamen euinci ſeminatio intra vas muliebre, vnde adhuc remanet ambigendi locus, an viro aſſerente, ſe non ſeminaſſe ſit credendum.

2 In foro externo ſponſo aſſerenti ſe non ſeminaſſe nõ eſt credendum.

Reſpondeo in foro externo abſolutè eidem credendum non eſſe, quantumuis dictum iuramento confirmet *ArchiDiaconus c. extraordinaria* 35. *q.* 3. *Petrus de Sanſon* quem refert, & ſequitur *Henricus c. fraternitati num.* 9. *de eo qui cognou. conſang.*, *& ibi Alexander de Neuo num.* 8. *Silueſter verb. matrimonium* 8. *q.* 15. *d.* 2. *Paludanus in* 4. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. *num.* 18. *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *c.* 11. *ante* §. 1. Ratio ex eo deducitur, quia poſita penetratione vaſis muliebris fortis, & vehemens eſt præſumptio ſeminationis intra idem vas, cum regulariter ea ſequi ſoleat, & hac ratione etiam docuimus ſupra, quod ex aſpectu, ſi fæmina fuerit virgo, dignoſci poſſit, an matrimonium fuerit conſummatum, quod non aliunde deduci poteſt, niſi quia cognita fractione clauſtri virginalis arguitur efficaciter præſumptiuè ſeminatio, ergo in foro externo, in quo vim magnam obtinent præſumptiones, conſtante de fractione clauſtri virginalis, non eſt credendum viro aſſerenti ſe non ſeminaſſe. Confirmatur, quia cum cauſa matrimonialis ſit maximè fauorabilis in dubio ſemper eſt pro eadem præſumendum, ergo cum præceſſerit verum matrimonium, & dependenter ab eodem ſubſecuta fuerit clauſtri virginalis fractio ſemper iura præſument pro vera conſummatione in fauorem eiuſdem matrimonij.

Ex fractione efficaciter præſumitur ſeminatio.

Cæteris paribus præferẽda eſt cauſa Religionis cauſæ matrimoniali, non ſic autẽ quando cætera paria non ſunt.

Dices, valere quidem abſolute loquendo, quod in dubio circa cauſam matrimonialem, vtpotè fauorabilem, ſit præſumendum pro eodem matrimonio iuxta vulgatiſſima iura alibi allegata, non autem in concurſu alterius cauſę equè, quinimmo magis priuilegiatæ ſcilicet Religionis, quam ingredi intendit maritus, quandoquidem cauſa Religionis præferenda eſt cauſæ matrimoniali. Sed contra, quia cæteris paribus præferenda certè eſt cauſa Religionis cauſæ matrimoniali, non autem quando cætera paria non ſunt, vt in pręſenti hypotheſi, in qua matrimonium iam ius acquiſiuit, & habet efficaciſſimas præſumptiones pro ſe, cum non ſolum ſit poſitum in eſſe, ſed vlterius habeat ex adminiculis validas probationes pro complemento, ſeu conſummatione, quas non habet cauſa Religionis, quę adhuc nullum ius acquiſiuit.

3 Intellige, quamvis dictum iuramento confirmet.

Dixi, *quantumuis dictũ iuramento confirmet*, quia in primis cum ipſe ſit teſtis in cauſa propria non habet in foro externo fidem pro ſe; tum quia iuramentum non eſt admittendum in defectum probationum, niſi præceſſerit aliqua ſaltem ſemiplena probatio per textum in *l. bona fidei C. de reb. cred. Bartolus in l. admonendi num.* 57. *in fin. ff. de iur. iuran.*, & potiſſimum iuramentum non eſt deferendum actori in cauſa magni ponderis *Iaſon. in d. l. admonendi in repet. num.* 260. *verſ. quintus caſus Menochius de arbitrar. Iud. lib.* 2. *cent.* 2. *caſ.* 190. præcipuè ſi alter habeat magis fundatam ſuam intentionem, vt in caſu noſtro, ſecundum quem, cum vxor paſſa fuerit fractionem clauſtri virginalis habet præſumptionem pro ſe de vera conſummatione.

4 In foro interno habet ius ingrediendi.

Dixi, *in foro externo*, ſecundum quem attenduntur præſumptiones, nam in foro interno animæ, ſecundum quem præciſe attenditur veritas; ius quidem haberet ad ingreſſum in Religionem, ſed ratione præſumptionis validè ſemper prohiberi poſſet ab ingreſſu.

---

## §. II.

### An ſponſus, qui non conſummauit, ſed tradidit ſponſam conſanguineo violandam, poſſit ingredi in Religionem.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur factum cum rationibus dubitandi.* 1.

*Matrimonium per illam copulam, cum conſanguineo, non intelligitur conſummatum. num.* 2.

*Ratione iniuria fæmina illata non poteſt ingredi Religionem, ſi aliundè non poſſit iniuriam illam reparare.* 3.

*Si ſponſus non obſtante illa iniuria ingrederetur, & profiteretur, teneret profeſſio. num.* 4.

1 Factum in ſuis terminis.

DISQVISITIO II. Contractis nuptijs inter Meuium, & Caiam, iiſque intra bimeſtre à iure ſtatutum ad deliberandum

dum de Religione non conſummatus, idem Meuius tradidit Laiam ſuo conſanguineo violandam; quantumuis renitentem Conſanguineus de facto violauit, quo præſtito Meuius contendebat Religionem ingredi. Hic duplex potiſſimum oritur difficultas. Prima eſt, an iuſtè potuerit in eandem Religionem ingredi. Secundò, an, ſi de facto ingreſſus fuerit, & in eadem profeſſus teneat profeſſio, & diſſoluatur vinculum coniugale.

**Articuli examinandi.**

**2 Matrimonium per illam copulam cum conſanguineo non intelligitur conſummatum.**

Difficultas non eſt, quod ex vi conſummationis non poſſit ingredi, quandoquidem certum eſt illud matrimonium per copulam habitam cum ſponſa à conſanguineo non eſſe conſummatum, quia ille non eſt actus coniugalis, ſeu inter coniuges, nec conſenſus mariti ad illam copulam efficit conſummationem, quia copula efficit nuptias conſummatas, non conſenſus. Stat igitur difficultas ſolum in eo, an ratione iniuriæ illatæ ſponſæ per illam traditionem ipſius conſanguineo violandæ prohibeatur maritus Religionem ingredi.

**Senſus Riccard. exponitur.**

Riccardus *in 4. diſt. 35. art. 2. qu. 2.* exiſtimat abſolutè non poſſe ingredi Religionem, ſi ſponſam tradiderit, vt ipſam renitentem violet, & mouetur *ex cap. diſcretionem de eo, qui cognou. conſang.* Sed hic textus intentum Riccardi non euincit, quandoquidem ſolum importat non poſſe fieri diuortium ob adulterium à viro permiſſum. Quamobrem

**3 Ratione iniuriæ illatæ fæminæ non poteſt ingredi, ſi aliundè nõ poſſit iniuriam illam reparare.**

Reſpondeo primò, ratione iniuriæ illatæ fæminæ non poſſe Meuium ingredi Religionem, ſi aliundè non poſſit iniuriam illam reparare; iuxta hunc ſenſum exiſtimo locutum fuiſſe *Riccardum loc. cit.*, & ſic expreſsè loquitur *Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 22. num. 9.*, nec exiſtimo ab hac reſponſione diſcordare *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 8. num. 8., & cap. 15. num. 3.*, dum aſſerit ſponſum ſponſam virginem abſque ſeminis immiſſione deflorantem arceri à Religionis ingreſſu ratione damni eidem illati; ſi enim per ſolam fractionem clauſtri virginalis impeditur ab ingreſſu in Religionem, quantumuis propriè non poſſit dici matrimonium conſummatum, non eſt, cur per formalem violationem factam, ne dum per conſenſum mariti, ſed etiam per voluntariam traditionem, & imperatam violentiam non debeat ab eodem impediri, cum maior inferatur iniuria, & damnum fæminæ per illam contumelioſam traditionem conſanguineo, quam per intentatam copulam per eundemmet coniugem. Ratio ex eo deducitur, quia per illam fæminæ oppreſſionem factam per conſanguineum de mandato coniugis eadem conſtituta eſt in deteriori ſtatu, ratione cuius non poterit æquè alteri nubere, & hoc per maximam iniuriam, & ſummam iniuſtitiam, ergo illam tenebitur reparare perſeuerando in matrimonio iam contracto, non ingrediendo Religionem, illudque diſſoluendo, quia ſecus damnum illud perſeueraret, nec licitum eſt perfectiorem ſtatum eligere, quando talis electio cederet in maximum præiudicium alterius, cui præiudicio ipſe cauſam dedit, & quidem iniurioſam. Dixi *ſi iniuriam illam non poſſet aliunde reparare*; nam, ſi eidem fæminæ violatæ poſſet conſulere per alias nuptias eiuſdem ſtatui congruas, vel quid erogando, ratione cuius poſſet æqualiter alteri nubere, non video, cur non poſſet Religionem ingredi.

**Conſtituta eſt fæmina in deteriori ſtatu.**

**4 Si ſponſus non obſtante illa iniuria ingrederetur, & profiteretur, teneret profeſſio.**

Reſpondeo ſecundò, ſi non obſtante illa iniuria ſponſus ingrederetur Religionem, & in eadem profiteretur, vtique teneret profeſſio, & matrimonij vinculum diſſolueretur. *Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 8. num. 8., & cap. 15. num. 3. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 22. num. 9. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia illa iniuria illata ſponſæ impedit quidem ingreſſum, & profeſſionem in Religionem, non tamen eandem profeſſionem dirimit, ergo, ſi ea non obſtante ſponſus in Religione profiteatur, tenebit profeſſio, & vinculum coniugale diſſoluet. Antecedens probatur, quia, ſicuti ex eo, quod ſponſæ v. gr. de futuro illata ſit per ſponſum aliqua iniuria, quantumuis notabilis, non propterea ratione eiuſdem ſequitur, quod matrimonium poſtea cum altera initum per verba de præſenti diſſoluatur, vt ex ſupra probatis latè patet, & eſt in confeſſo apud omnes, ita ex eo, quod per illam contumelioſam traditionem conſanguineo, vt coniux violetur, eidem notabilis ſit illata iniuria, non propterea ſequitur, quod profeſſio ſolemniter emiſſa in Religione non ſubſiſtat, præcipuè cum ratione iuris acquiſiti profeſſio ſolemnis in Religione æquiualeat matrimonio conſummato. Quod, ſi arguas, quod matrimonium ratum non diſſoluatur per conſummatum, & ſic etiam, quod matrimonium ratum cum illa iniuria non diſſoluatur per ſolemnem profeſſionem in Religione; ſi, inquam, ſic arguas, ſtatim impugnaberis, quia ex ſpeciali priuilegio Chriſti Domini conceſſũ eſt coniugatis ante conſummationem ingredi monaſterium, adeo vt ratione talis ingreſſus ſoluatur vinculum coniugale; non eſt autem conceſſum eiſdem, vt poſſint aliud matrimonium inire, illudque conſummare in præiudicium prioris; neque illa iniuria quid magis confert ad hunc effectum diſſolutionis profeſſionis, quia iniuria, qua iniuria, ſi non coniungatur cum conſummatione, non habet vim diſſoluendi, quod pleniſſimo iure, & cum vinculo indiſſolubilitatis coniunctum eſt.

## §. III.

**An, ſi ſponſa intra bimeſtre requiſita à viro ad conſummandum non annuat, nec tamen exprimat velle ingredi Religionem, eximatur à culpa ſponſus, ſi illam cogat ad conſummandum.**

*SVMMARIVM.*

*Difficultas expoſita in ſuis terminis.* 1.
*Sententia aſſerens non peccare lathaliter ſic conſummando.* 2.
*Grauiter peccat, quamuis fœmina animum non indicarit ingrediendi, ſed reſtiterit ſolum conſummationi.* 3.
*Non cogitur intra bimeſtre deliberare, quamuis interpellata.* 4.
*Sponſa de præſenti per vim oppreſſa poteſt deliberare de ingreſſu in Religionem manente ſponſo ligato vinculo coniugali.* 5.

1 Exponitur factum.

DISQVISITIO III. Contracto matrimonio per verba de præſenti inter Fabritium, & Claudiam, ſeruatiſque omnibus iuris ſolemnitatibus intra bimeſtre à iure ſtatutum ad deliberandum de ſtatu Religionis Fabritius Claudiam interpellauit ad conſummandum, cui illa reſtitit, nec tamen allegauit ſe velle ingredi Religionem, nec propoſitum illius pro tunc indicauit. Sciens Fabritius coniugem non poſſe recedere, niſi ex cauſa Religionis, quam illa non indicabat, coegit ad conſummationem. Quæſitum fuit, an ſic cogendo læthaliter peccarit.

2 Sententia aſſerens nō peccare, ſi ſe illa affirmauerit velle ingredi, ſiue de hoc nihil expreſſerit

Manuel *primo tomo ſumma ſecunda edit. cap. 239. num. 2.*, ſiue illa affirmauerit velle ingredi Religionem, ſiue nihil de hoc expreſſerit, ſtatuit non peccare lætthaliter ſic cogendo, quia non grauem infert iniuriam ſponſæ, cum adhuc poſſet ingredi Religionem. Sed merito eundem fere omnes impugnant, & præcipuè *Soto in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. verſ. quid autem inuis, Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 61. art. 1. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 22. num. 15.* quia aufert corporis integritatem cum ius non habeat, niſi poſt bimeſtre conſummandi, ſicque ius violatæ lædit; tùm quia reddit ius ſponſæ certum ad ingrediendum Religionem, quodammodo incertum, cum diſputent DD., an conſummato etiam per vim matrimonio ſponſa per vim oppreſſa poſſit ingredi Religionem, quod multi negant, & in contradictorio iudicio poſſet liti ſuccumbere, & per Iudicem cogi in ſæculo permanere, tùm quia grauiter punibilis eſt. Hæc omnia videntur maximam vim habere, quando ſponſa ſe declaraſset, antequam opprimeretur, velle Religionem ingredi, cum ſolummodo, vt innuebamus, in ordine ad illum ingreſſum, ſeù ad deliberationem de illo concedatur illud ſpacium bimeſtris, nec aliter, nec alio modo. Nihilominus

Rationes huius ſententiæ.

3 Grauiter Peccat, quamuis ſponſa non manifeſtarit animum ingrediendi, ſed præciſè reſtiterit conſummationi.

Reſpondeo etiam vim habere, quantumuis illum animum ingrediendi non manifeſtarit, ſed præciſè reſtiterit conſummationi *Petrus de Ledeſma de matrimon. d. qu. 61. art. 1. Sanchez loc. cit. num. 16. verſ. ſed melius* aduerſus *Sotum loc. cit.*, qui præciſe loquitur, quando ſponſa ſe declararit antecedenter velle Religionem ingredi. Probatur reſponſio, quia iura concedunt illum terminum ad deliberandum, & maximè in fauorem ſtatus perfectioris Religionis, nec cogunt deliberare, vſquequo compleatur ille terminus, ergo, quantumuis non exprimat ſuam deliberationem pendente adhuc illo termino non poterit licitè cogi ad conſummandum, quia terminus ille eſt inductus in fauorem vtriuſque. Confirmatur, quia intra illud bimeſtre non cogitur deliberare de ingreſſu in Religionem quotieſcunque à ſponſo interpellatur ad conſummandum, ſed poteſt velle in ſuo iure permanere ad deliberandum, quouſque perſeuerat terminus ſibi à iure conceſſus, ergo requiſita ad conſummandum, ſi renuat, non poterit compelli, & quantumuis tunc non præmeditata fuerit ingreſſum, quando fuit interpellata, Spiritus Sancti excitante gratia, poterit forte excitari ad illum perfectiorem ſtatum eligendum; vnde ſponſus per violentam quodamodo conſummationem non poteſt licitè ponere obicem ad gratiam excitantem Spiritus Sancti, ſi forte aduenerit. Confirmatur ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, quod, ſi ſcilicet ſponſa intra bimeſtre fuerit inuita, & nolens per ſponſum oppreſſa poſſit poſtea, quantumuis matrimonium fuerit conſummatum, deliberare de ingreſſu in Religionem manente ſponſo ligato vinculo coniugali in pœnam violentæ oppreſſionis, ergo, quia ſic opprimendo, ſeù conſummando graue delictum commiſit, cæteroqui incongrua, & indebita foret illa pœna; vnde quoad hoc non audiendi ſunt *Baldus*, & *Salicetus* apud *Antonium Gomez l. 80. Tauri num 39.*, nec *Coarruuias quarto decret. ſecunda part. cap. 7.* §. 4. *num* 11. aſſerentes non eſſe puniendū ſponſum cogentem, quando ſponſa non præmiditabatur ingreſſum in Religionem; non, inquam, audiendi ſunt, quia omninò gratis hoc dicunt, quandoquidem etiam læditur ius fœminæ, cum totum illud bimeſtre habeat ad deliberandum.

4 Non cogitur intra bimeſtre deliberare, quamuis interpellata.

5 Vi oppreſſa poteſt deliberare de ſtatu Religionis

## §. IV.

### An ſponſus, qui intra bimeſtre matrimonium non conſummauit, ſed copulam ſodomiticam habuit cum vxore poſſit ingredi Religionem.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ expoſitus.* 1.
*Poteſt fuiſſe cognita ſodomiticè, vel ſpontè, vel per vim.* 2.
*Si ſponſa conſentiens paſſa fuerit illum actum ſodomiticum, poteſt vtique maſculus tranſire ante conſummatum matrimonium ad Religionem,* 3.
*Si fuerit per vim ſic cognita probabilius non impeditur maritus ab ingreſſu, ſi ille actus fuerit occultus, ſecus, ſi notorius.* 4.

1 Status controuerſiæ.

DISQVISITIO IV. Durante bimeſtri, à quo contractum fuit matrimonium inter Flaminium, & Liuiam idem Flaminius non quidem idem matrimonium conſummauit, ſed copulam ſodomiticam cum eadem Cæcilia habuit, & quidem perfectam. Orta hic fuit controuerſia, an non obſtante tali copula potuerit ad Religionem tranſire.

2 Poteſt eſſe ſodomiticè cognita, vel conſentiens, vel inuita.

Conſiderandum eſt, an Liuia paſſa fuerit illam copulam per vim, & per iniuriam, an verò liberè, & conſentiens: ex hac etenim diuerſa conſideratione diuerſum ius oriri poteſt, diuerſaque ratio decidendi, quando etenim habita fuit per violentam oppreſsionem habita fuit cum ſumma iniuria patientis, quando vero per liberum conſenſum nullum ius patientis læditur, nullaque ingeritur iniuria, vt per ſe patet.

3 Si ſponſa fuerit conſentiens, poteſt ſpõſus tranſire ad Religionem.

Reſpondeo primò, ſi fæmina conſentiens paſſa fuerit illum actum, poteſt vtique maſculus, ſi cæteroqui matrimonium non conſummarit, tranſire ad Religionem. Ita ſuſtinent quotquot docent illam ſolam copulam conſummare matrimonium, & impedire ingreſſum in Religionem, quæ ad generandum ſufficit *Innocentius cap. atteſtationes in ims. de deſponſat. impub. Henricus cap. fraternitati num. 10. de eo, qui cogn. conſang. D. Antoninus tertia part. tit. 1. cap. 11. ante § 1. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. verſ cauſa dirimendi, Corduba in ſumma qu. 178. Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 8. num 8, & cap 15. num. 3 Corona confeſſorum vltim. part. materia de matrim cap. 8. num. 12. Vega lib. 4 ſumma caſ. 157. & lib. 6. cap. 17.* Ratio ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi, nec impedit ingreſſum conſummatio, nec iniuria vxori illata per illum concubitum ſodomiticum, ergo non eſt, cur maritus liberè non poſſit ad Religionem tranſire. Antecedens quoad primam partem patet, quia per illum actum ſodomiticum non effecti ſunt coniuges vna caro, vt per ſe eſt manifeſtum, ſicque non facta eſt conſummatio, de cuius ratione eſt, vt coniuges ita commiſceantur, vt fiant vna caro; quoad ſecundam item euincitur, quia conſentienti nulla fit iniuria; Neque dicas, quod conſenſerit non ſimpliciter, & abſolutè abſque vllo ordine, ſed ſub eo reſpectu, vt maritus magis alliceretur ad conſummandũ, & perſeuerandum in matrimonio, cum ipſum admiſerit, vt coniugem non aliter, nec alio modo, nec ſub alio titulo admiſiſſet; contra enim impugnaberis, quia, cum ille actus non ſit actus coniugalis, ſed omni iure, tàm diuino, quàm humano prohibitus, non potuit magis obligare maritum, ac fuerit ex vi contractus obligatus, & ſicuti ex eo, quod fæmina alios actus admiſerit puta tactus, oſcula, & ſimilia, quantumuis iſti inter coniuges poſſint eſſe liciti, non obligat maritum ad conſummandum, nec impedit ingreſſum in Religionem, ita ex eo, quod illum actum admiſerit, qui omnino illicitus eſt, non poteſt obligare ad perſeuerandum in matrimonio, nec impedire perfectioris ſtatus electionem per ingreſſum in eandem Religionem, quinimmò ille actus poteſt eſſe occaſio ingreſſus ad ſcilicet Deo ſatisfaciendum pro illo crimine. Confirmatur, quia ſi maritus copulam intentauerit per vaſis penetrationem, nec tamen intra illud ſeminauerit, ſed extra in extractione membri virilis non intelligitur conſummatum matrimonium ad effectum, vt idem maritus non poſſit ingredi Religionem, nec officit, quod vxor illum actum admiſerit ad effectum, vt matrimonium conſummaretur, & vir in eodem perſeueraret, ergò à fortiori non intelligitur conſummatum per actum ſodomiticum, in quo nulla potuit eſſe ſeminum commixtio, & ſeminis emiſſio, ſi quæ fuerit, in vaſe non naturali ad effectum conſummationis perinde eſſet, ac, ſi extra quodcumque vas facta fuerit, cum nullo modo potuerit ordinari ad generationem.

Nec impeditur ratione conſummationis, nec ratione iniuriæ.

Sponſus per illum actum non poteſt magis obligari.

4 Si fuerit per vim cognita non impeditur ratione iniuriæ maritus ab ingreſſu, ſi ſit occulta copula, ſecus ſi notoria.

*Reſpondeo* ſecundò. Si fæmina per violentiam, ſeù inuita paſſa fuerit illum actũ ſodomiticum à marito, probabilius etiam eſſe, quod ratione iniuriæ non impediatur maritus ab ingreſſu in *Religionem*. Ita quotquot ſuſtinent per copulam non conſummatam, ſeù ineptam ad generationem non impediri talem ingreſſum. *Ratio* ex eo deducitur, quia per illum actum ſodomiticum, quantumuis maritus ſit grauiter

ter punibilis non infert tamen iniuriam talem in genere naturæ, quæ inferat illud damnum, quod importat fractio clauſtri virginalis, quæ certè conſiderabilis eſt quoad alium maritum, ſi quem ducat, reſpectu cuius non ita conſiderabilis eſt ille actus ſodomiticus, maximè ſi ignoretur, cum quoad hunc mulier non cadat ſub poteſtate eiuſdem mariti, & huiuſmodi actus computatur inter tactus impudicos, qui præſumi debent exerciti à priori marito antequam Religionem fuerit ingreſſus; & maior illa culpa in actu ſodomitico ſolum conſideratur in genere moris, non autem in ordine naturæ. Quod ſi ſupponatur, quod actus ille ſodomiticus per priorem maritum exercitus innotuerit; tunc non incongruè ſentirem maximum eſse ius, ratione cuius maritus, qui illum actum exercuit, non poſset Religionem ingredi, potiſſimum, ſi illud damnum, quod ex illo actu reſultet, non poſset aliundè æquè reparari.

---

## §. V.

An ſponſa intra bimeſtre per vim à ſponſo oppreſsa poſſit ſemen, quod recepit, expellere.

### *SVMMARIVM.*

*Refertur ſeries facti. 1.*

*Sententia aſſerens poſſe incontinenti ſemen per violentiam receptum expelli. 2.*

*Quantum eſt ex genere ſuo, ſiuè fœmina fuerit à viro ſuo oppreſſa, ſiuè ab alio non peccat, ſi ſemen receptum conetur expellere. 3.*

*Peccare tamen poteſt ex peruerſa intentione, qua conatur expellere. 4.*

*In ſuppoſitione, quà ſemen receptum poſſet expelli, grauiter peccaret femina à ſuo coniuge oppreſſa, ſi illud eiceret, vel conaretur eicere. 5.*

*Poteſt tamen ſine peccato conari dum fit violentus congreſſus, extrahere membrum virile, quamuis præuideat ſemen proiciendum. 6.*

1 Caſus expoſitus.

DISQVISITIO V. Contractis nuptiis inter Meuium, & Caiam per verba de præſenti ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus pendente adhuc termino à iure præfinito ad deliberandum de ſtatu Religionis Meuius Caiam renitentem in conſummationi per vim oppreſſit, & matrimonium perfectè conſummauit. Caia Religionem præmeditabatur, & iuxtà ſuperius dicta non obſtante illa inuoluntaria conſummatione reſpectu ſui poteſt adhuc ingredi Religionem. Quæritur iam an ad effectum, vt minus grauata poſſit Religionem ingredi, poſſit, quantum eſt de ſe, ſemen virile expellere.

Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 8. verſ. de bonis autem Bannes 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 3. ad ſecundum, & ibi Aragonius eod. art. 7. §. in hac difficultate explicanda, & vbi etiam Salonius controuerſ. 2. §. ex his ſequitur, Manuel 1. tom. ſumma in ſecunda edit. c. 136. n. 15.* aſſerunt licere priuata auctoritate furem incontinenti in furto deprehenſum percutere eamque percuſſionem computari ſub titulo iuſtæ defenſionis, donec in loco tuto fuerit conſtitutus; ex quibus *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 22. num. 17. verſ. ſed ſi loquatur* ſeruata proportione deducit, quod fœmina vim paſſa poſſit incontinenti ſemen per violentiam receptum expellere, hæcque expulſio reputetur in ratione defenſæ, non tamen quandò ſemen iam habuit pacificam poſſeſſionem vteri fœminei, quià tunc intelligitur in loco tuto conſtitutum. Explicat tamen ſe Sanchez, hæc procedere ſolummodò, quandò fœmina vim patitur, vel paſſa eſt ab alio à proprio ſponſo. Quid autem ſentiendum ſit, quandò intra bimeſtre à iure ſtatutum ad deliberandum de ingreſſu in Religionem per vim opprimitur à proprio ſponſo non ita clarè exprimit, videtur tamen propendere in opinionem aſſerentem, non poſſe ſemen receptum expellere, quià non eſt tanta iniuria, quanta eſt, quandò ab alio extero opprimeretur. Quid igitur concludendum in hoc caſu determinato?

2 Sententia aſſerens poſſe incontinenti ſemen per violentiā receptum expelli.

Exponitur ſenſus Sanchez circa tmulum.

Reſpondeo primo, quantum eſt ex genere ſuo, ſiuè ſi fuerit oppreſſa à viro ſuo, ſiuè ab alio, non peccare fœminam, ſi ſemen receptum conatur expellere. *Bellochius de caſ. reſeru. part. 2. q. 4. n. 365. Diana part. 3. tract. 5. reſol. 15. Silueſter verb. debitum q. 6. Conradus part. 2. q. 315.* Ratio ex eo deducitur; quià poſt coitum fruſtra laborat fœmina, vel ſtatim mingedo, vel ſe erigendo, vt ſemen receptum emittat, ergò ex genere ſuo, ſeu ex illo effectu intentato grauitèr non peccat. Antecedens probatur, quià matrix fœminæ habet vim attractiuam, & retentiuam ſeminis, adeout eo recepto non ſit amplius in poteſtate fœminæ illud eicere, ergò &c. Confirmatur ex ijs, quæ docet *Sanchez d. lib. 2. de matrimonio d. diſp. 22. n. 17.* nempe poſtquam ſemen habet matricis poſſeſſionem, non poſſe ejici, quod quamuis ipſe aſſerat quoad eſſe morale quatenus non poſſit ſine peccato, ſeu licitè ejici, arbitror tamen, nec poſſe Phyſicè ejici propter vim illam retentiuam matricis, quæ receptum non dimittit.

3 Non peccat ex genere ſuo, ſi ſemen receptum per vim conetur expellere.

Dixi *quantum eſt ex genere ſuo*; non enim negauerim ex peruerſa intentione fœminæ conantis expellere, grauitèr peccare in ſuppoſitione, qua eidem licitum non eſſet, quantumuis poſſet expellere. Ratio

4 Peccare tamen poteſt ex peruerſa intentione, qua conatur expellere.

Ratio ex eo deducitur, quia quantum eſt ex affectu eiuſdem fœminæ intenderet obiectum ex genere ſuo malum, illudq; exequi, quantumuis ſecundum ſe, eſſet nō exequibile, ergo quantumuis non committatur peccatum ex obiecto ipſo non exequibili, committet tamen quantum eſt ex affectu ſic operantis, ſeu intendenti illum operationem.

5 In ſuppoſitione, qua poſſet expelli, fœmina per vim oppreſſa grauiter peccaret illud eijciendo.

Reſpondeo ſecundo, in ſuppoſitione, qua ſemen eſſet eicibile fœmina per vim oppreſſa à proprio coniuge grauiter peccaret illud eijciendo, vel conando ipſius expulſionem, quantumvis incontinenti hoc præſtaret. Non moueor ea ratione, qua mouetur *Sanchez loc. cit.*, quia ſcilicet eidem fœminæ leuior iniuria offeratur per illam violentam oppreſſionem à marito, ac ſi opprimeretur ab alio; Non moueor, inquam hac ratione, quia licet non ſit ita grauis iniuria, eſt tamen talis, vt lædat ius eiuſdem fœminæ in re graui & ſufficienter inductiua læthalis culpæ; ſi igitur incontinenti fœmina ab alio oppreſſa poteſt licite ſemen eijcere, poterit etiam vxor contra ius à viro oppreſſa. Moueor igitur ea ratione, quia eo ipſo, quo ſemen intra vas fœminæ receptum eſt non ſolum remotè ſed etiam proximè ordinatum eſt ad prolis generationem natura ipſa ſic diſponente, & iam ſuam ſedem occupat proportionatam, ergo illud eijciendo graue peccatum committitur cum fruſtretur ſuo fine, ad quem ordinatum eſt à natura. Atque ita ſentiunt, *Silueſter verb. dubium q. 7. Margarita confeſſorum ſexto precept. fol. 88. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 16. nu. 8. in princip.* Neque in hoc valet diſtinctio, quam adducit *Sanchez d. lib. 2. diſp. 22 n. 17. in fin.* quod ſcilicet fœmina per vim oppreſſa incontinenti poſſit ſemen expellere non autem ex interuallo poſtquam acquieſcerit pacificam poſſeſſionem matricis: non valet, inquam, quia matrix habet vim immediatè attractiuam ſeminis, vnde ſtatim, ac emiſſum eſt intra vas in eadem recipitur, nec poteſt amplius expelli, quia, vt bene notat *Sanchez lib. 9 diſp. 20. num. 2. & Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 16. n. 8.* matrix recepto ſemine ita clauditur, vt nec acus cuſpidem capiat.

Fruſtraretur ſemen fine ſuo.

6 Poteſt tamē conari ad extrahendum membrum virile.

Quod ſi dixeris, quod fœmina, dum actu opprimitur, poſſit omnem conatum adhibere, vt extrahat membrum virile, quamvis præuideat ſemen effundendum eſſe extra vas, & ſuo fine fruſtrandum; ſtatim impugnaberis, quia in hac hypotheſi ſemen ius non acquiſiuit, & ſolum impeditur, ne ius acquirat, quod vtique licitum eſt, & in hoc verificatur, quod turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes.

## §. VI.

### An coniux pendente bimeſtri ad deliberandum de Religione non intendens eandem Religionem peccet, ſi ſe impotentem reddat ad copulam.

*SVMMARIVM.*

*Status diſquiſitionis expoſitus.* 1.

*Coniux non intendens Religionem, & reddens ſe impotentem ad copulam coniugalem per media illicita peccat lethaliter.* 2.

*Etiam grauiter peccat ſe impotentem reddendo per media cæteroqui licita, quando eadem adhibet ſcienter ad hunc finem.* 3.

*Si abſque fraude, ſed in bona fide mediis honeſtis puta per ieiunia præcepta aliaq; ex deuotione reddatur impotens ad vſum coniugij non peccat* 4.

1 Refertur caſus in proprijs terminis.

DISQVISITIO VI. Inito matrimonio per verba de præſenti inter Meuium, & Gaiam adhuc pendebat terminus bimeſtris à iure ſtatuti ad deliberandum de ſtatu Religionis, quo pendente, nec intendente Meuio ingreſſum in eandem ipſa per media, ſiue licita, ſiue illicita impotentem ſe reddidit ad copulam coniugalem. Quæſitum fuit, an peccauit lethaliter.

2 Coniux nō intendens Religionē, & reddens ſe impotentē per media illicita peccat lethaliter.

Reſpondeo primo, coniux non intendens Religionem ſcienter ſe reddens impotentem ad copulam coniugalem per media illicita peccat læthaliter *Aſtenſis 2. pars. ſumma lib. 8. tit. 10. art. 1. q. 3. Riccardus in 4. diſt. 32. art. 1. q. 1. ad primum Roſella verb. debitum num. 2. Silueſter verb. debitum q. 1. verſ. prima eſt Alexander in ſuo Enchired. 2. part. tract. de ſexto præcept. ad fin. §. ſi vir modo illicito Capua pr. part. decis. lib. 2. cap. 83 num. 2. Bartolomæus de Ledeſma de matrimon. dub. 71. concl. 2.* quibus adhærere videtur *D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 1. ad tertium.* Ratio ex eo deducitur, quia, contracto matrimonio per verba de præſenti, quotieſcunque coniuges pendente termino ad deliberandum de ſtatu Religionis non intendunt Religionem, tenentur ex lege iuſtitiæ ſibi mutuo reddere debitum, & quidem ſub onere grauis peccati, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo reddentes ſe ſcienter impotentes per media illicita ad reddendum etiam grauiter peccant, quandoquidem alterum coniugem priuant iure ſuo, & compelleret permanere in coniugio abſque eo quod finem verum eiuſdem poſſet obtinere.

3 Reſpondeo ſecundo etiam grauiter peccare

Etiam ſi adhibeat media licita ſcienter ad hunc finẽ.

peccare ſe impotentem reddendo etiam per media cęteroqui licita, quando eadem adhibet ſcienter ad hunc finem *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. num. 8. D. Antoninus tertia part. tit. 1. cap. 20. §. 10. Riccardus in 4. diſt. 32. art. 1. q. 1. ad primam, Roſella verb. debitum num. 2. & ibi Ange num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia eodem iure, quo aliquid interdicitur, interdicitur etiam id, per quod peruenitur ad illud, ſed conſtante matrimonio, & elapſo termino à iure præfinito ad deliberandum de ſtatu Religionis prohibetur negatio debiti coniugalis. ergo, & omne id, per quod oriri poteſt eadem negatio debiti, & per conſequens omnia media, quæ poſsunt reddere impotentem coniugem ad reddendum idem debitum. Confirmatur, quia alter coniux contracto in valida forma matrimonio, & elapſo termino ad deliberandum plenum ius habet, vt ſibi reddatur debitum, ergo alter negando peccat contra ius eidem debitum; voluntariè autem in cauſa negat, qui voluntariè ſe reddit impotentem ad reddendum.

Dices hæc ad ſummum verificari, quãdo iam conſummato matrimonio alter coniugum ſe reddit impotentem, vel per macerationes nimias, & crebra ieiunia ad ſatisfaciendum alteri petenti, & exigenti, non autem, quando adhuc matrimonium conſummatum non eſt, quia adhuc alter coniux non acquiſiuit actualem poſſeſſionem in corpus ipſius, & hic adhuc, vel per ingreſſum in Religionem, vel per diſpenſationem poteſt recedere à coniugio. Sed contra, quia contracto matrimonio, licet adhuc non conſummato, vterque coniux ius acquiſiuit in corpus alterius, & ad acquirendam poſſeſſionem, niſi intercedente ingreſſu in Religionem, vel diſpenſatione Pontificis ex iuſta cauſa; vnde ſicuti ſine ingreſſu, & diſpenſatione negans elapſo termino actualem poſſeſſionem iniuſte negat, & peccat, ita qui, nec intendens ingreſſum, nec potens iuſtè exigere diſpenſationem, reddit ſe impotentem ad tradendam poſſeſſionem ſui corporis peccare grauiter dicendus eſt, quia liberè, & voluntariè negat in cauſa.

Negaret iniuſte poſſeſſionem.

Reſpondeo tertiò. Coniux, ſi ſe debilitet, & extenuet abſque fraude, & bona fide medijs honeſtis, vt ſeruans ieiunia Eccleſiæ, & alia moderata ex deuotione non peccat, quamuis reddatur minus potens ad vſum coniugij *D. Thomas in quarto diſt. 32. qu. vnica art 1. ad tertium, Riccardus in quarto diſt. 32. art. 1. q. 1. ad primum. Supplementum, Gabriellis ead. diſt. 32. qu. vnica art. 3. dub. 1. Alexander in ſuo Enchirid. ſecunda part. tract. de ſexto præcept. in fin. § ſecus, ſi per ieiunia.* Ratio ex eo deducitur, quia per hoc non redditur abſolutè impotens ad reddendum debitum, ſed ad ſummum

4
Non peccat, ſi abſque fraude per media licita puta per ieiunia ſe reddat impotentem.

minus potens, nec per hoc inducit impotentiam perpetuam, ſed tantum temporaneam, nemo autem tenetur cum ſpirituali iactura à ſpiritualibus operibus abſtinere, vt ſe potentiorem, & robuſtiorem conſeruet. Cauendum tamen eſt, ne abſtinentiæ, & vigiliæ conſiderata qualitate, & complexione perſonæ excedant limites prudentiæ, & ita extenuent, vt reddatur in ordine ad alterum coniugem magis venereos actus appetentem inhabilis ad moderatè redendum; quia tunc ab huiuſmodi vigilijs, & abſtinentijs teneretur abſtinere, ne per has operationes ceſſet à debito, quod omni iure clamante debet adimplere.

Cauendũ tamen eſt ab immoderata abſtinentia.

## §. VII.

### An, ſi coniux per media, ſiuè licita, ſiuè illicita reddatur impotens ad reddendum debitum poſſit per diſpenſationem diſſolui matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur facti ſeries.* 1.
*Poteſt matrimonio adhuc non conſummato Pontifex diſpenſare, vt diſſoluatur etiam non conſentiente coniuge, qui ſe impotentem reddidit.* 2.
*Si illa impotentia non ſit diu duratura probabilius non poteſt Pontifex diſpenſare.* num. 3.
*Vt Pontifex valeat diſpenſare in matrimonio rato non requiritur cauſa ſimilis ingreſſui in Religionem.* 4.

DISQVISITIO VII. Poſt contractas nuptias Theodorici cum Caiã per verba de præſenti ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus idem Theodoricus pendente adhuc bimeſtri præfinito ad deliberandum de ſtatu Religionis non intendens abſolute eandem eligere per media, ſiue licita, ſiue illicita non adhuc conſummato matrimonio ſe ſimpliciter impotentem reddidit ad idem matrimonium conſummandum, & ad reddendum debitum vxori petenti. Matrimonium illud ſubſiſtere indubitatum eſt, cum impotentia ſuperueniens illud non dirimat, vt infrà fusè videbimus. Quæſitum fuit, an ad petitionem alterius coniugis, nempe Caiæ ſtante illa impotentia Pontifex ſuper illo matrimonio poſſet diſpenſare.

1
Factum in ſuis terminis.

Reſpondeo, vtique in ea hypotheſi Pontificem potuiſse, & poſſe ſuper illo matrimonio diſpenſare etiam non conſentiente 2

con-

Poreſt Pō-tifex diſpenſare, vt diſſoluatur etiam non conſentiente coniuge, quæ ſe impotentem reddidit.

coniuge, qui ſe impotentem reddidit. Ratio ex eo deducitur, quia magis ordinatur matrimonium ad prolis generationem, quam ad mutuam coniugum concordiam, & beneuolentiam, cum illa ſit finis primarius, hæc non niſi ſecundarius, ſed ex ſuperius dictis ſtante aliqua inæqualitate inter coniuges, ex qua timeri poſſit affectuum diſſonantia inter coniuges, & mutuæ beneuolentiæ negatio poteſt per Pontificis diſpenſationem inter illos diſſolui coniugium *Socinus Senior conſ.28.nu. 8. lib 1. Decius conſ. 112. ad fin Felinus conſ. 26. num. 20. Celſus conſ. 105. num. 12. in fin. Nauarrus lib.4 conſil. tit.1. de ſponſal. in prima edit conſ. 49., & in ſecunda conſ.3. Menochius conſ 385. nu.4. vol.4., & de præſumpt. lib.2. præſumpt.10. num.39.*, ergo etiam ſtante illa impotentia alterius, præcipuè, ſi fuerit inducta per media illicita poterit Pontifex diſpenſare, ita vt alter coniux potens poſſit alteri nubere.

Ob ſterilitatem ſuperuenientem matrimonio rato poteſt ex Pontificis auctoritate matrimonium diſſolui.

Probatur vlterius reſponſio, quia ſterilitas ſuperueniens matrimonio iam rato, & non conſummato eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis *Alciatus reſponſ. 21. num.16. Menochius de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 10. num. 44.*, ſed hæc ſterilitas non poteſt in alio conſiſtere, quam in impotentia ſuperueniente ad conſummandum, & ad reddendum debitum, ergo &c. Atque hanc noſtram reſponſionem in his terminis ſuſtinent *Henriquez lib. 11. de matrim. cap.16. num.7. Sanchez de matrimon. lib.2. diſp.16. num.6.*

Hic immediatè ſuboritur difficultas, an, ſi impotentia illa, quam in ſe induxit alter ex coniugibus, non fuerit perpetua, ſed præciſe temporanea poſſit nihilominus Pontifex ſuper illo matrimonio diſpenſare.

3 Si impotētia non ſit diu duratura non poteſt Pontifex diſpenſare.

Crediderim abſolutè, vbi conſtaret impotentiam illam non diu duraturam, non poſſe Pontificem diſpenſare. Ratio ex eo deducitur, quia Pontifex non poteſt ex quacunque cauſa diſpenſare, ſed ſolummodo ex cauſa iuſta, & legitima, ſed impotentia temporanea, quæ non eſt diu duratura, non videtur cauſa ſufficiens, & legitima, ergo &c. Minor probatur, quia, ſi v. gr. coniux alter detineatur poſt contractum matrimonium aliquo morbo curabili, non eſt cauſa ſufficiens diſpenſandi ſuper illo matrimonio, qui tamen morbus inducit impotentiam temporaneam ad conſummandum, ergo &c. Confirmatur, quia impotentia temporanea ſuperueniens matrimonio non eſt ſufficiens ad diuortium, quandoquidem à iure triennium permittitur ad experiendum, an poſſint coniuges conſummare, ergo, nec erit ſufficiens, vt poſita diſpenſatione poſſit vinculum coniugale diſſolui.

Quod, ſi aduerſus reſponſionem aſſeratur ad diſſoluendum matrimonium ratum per diſpenſationem requiri cauſam ſimilem expreſſæ à iure *in cap. 2. de conuerſ. coniug.*, quæ eſt Religionis ingreſſus, prout etiam docet *Abbas in cap. ex parte 2. nu. 3. de conuerſ. coniug. & cap. ex publico in fin. eod. tit.*, ſtatim opponetur reſponſio *Barboſa ff ſolut. matrimon rub. part.2 nu.105.* aſſerentis incongruè, & ſine iuris fundamento cauſam ſimilem deſiderari, quandoquidem Chriſtus Dominus expreſsè in fauorem ſtatus perfectioris conceſſit matrimonium ratum diſſolui per ingreſsum in Religionem, & cum conceſserit etiam Pontifici poſse ex alijs cauſis diſpenſare has cauſas eiuſdem iudicio reliquit examinandas, quæ certè non videntur debere eſse ſimiles præcedenti, cæteroqui ſicut ipſe diſpoſuit in fauorem Religionis, ita diſpoſuiſset etiam de alijs cauſis.

4 Non requiritur cauſa ſimilis ingreſſui in Religionem.

## §. VIII.

### Quot peccata committat, qui matrimonium contrahit ob finem læthaliter malum.

*SVMMARIVM.*

*In quo conſiſtat ratio difficultatis propoſitæ; num. 1.*
*Duplex ſenſus, in quo poteſt eſſe ille finis prauus. 2.*
*Fines intenti à iure in ordine ad bona matrimonij. 3.*
*Si contrahens intenderet præciſe illū prauum finem ſecluſo quocunque alio fine matrimonij, tàm quoad executionem, quàm quoad obligationem inualidè contraheret. 4.*
*Si contrahens intenderet illum peruerſum finem, non tamen excluſis bonis à natura, ſeù à iure intentis non inualidè contrahit. 5.*
*Dummodo ille finis prauus non aduerſetur alicui bono matrimonij quoad vim obligandi. 6.*
*Contrahens matrimonium principaliter cum intentione finis praui, & ſecundum ſe peccaminoſi læthaliter triplex peccatum committit, & quodnam. 7.*

1 In quo cōſiſtat ratio difficultatis propoſitæ.

DISQVISITIO VIII. Contraxit Caius cum Theodorica matrimonium per verba de præſenti non ordinans idem matrimonium ad fines, ſiuè à natura, ſiuè à iure intentos, ſed ad alios fines moraliter, & læthaliter malos, puta ad occidendum, vel ad commodius adulterandum, vel ad quid ſimile. Hic duplex potiſſimum orta eſt difficultas. Prima, an illud matrimonium cum illa peruerſa intentione initum teneat. Secunda ex ſuppoſitione,

Digitized by Google

tione, quod in ſubſtantia teneat, an ſic contrahens cum illa peruerſa intentione peccet, & quotupliciter. Pro ſolutione

2 Quomodo poſſit intendi ille finis lætha liter prauus.

3 Fines intenti à natura, vel à iure.

Aduerte primò, an contrahens cum illa peruerſa intentione poſitiuè excluſerit fines à iure, ſeù à natura intentos, an verò illis non excluſis addiderit ſolummodo illum finem peruerſum, & peccaminoſum à ſe intentum. Porro fines à natura, ſeù à iure intentos dicuntur in ordine ad bona matrimonij, quæ ex ſuperius dictis ſunt in triplici differentia; alia etenim ſunt bona prolis, ſcilicet generatio eiuſdem, & honeſta educatio, alia bona fidei, vt ſcilicet coniuges ſibi fidem ſeruent reddendo ſcilicet ſibi ad inuicem debitum, alijſque omnibus denegando; alia ſacramenti, nempe indiſſolubilitas vinculi coniugalis, vnde, ſi intenderet contrahere non in perpetuum, ſed ad tempus peccaret contra finem ſacramenti, qui eſt vita indiuidua, & indiſſolubilis, ſi non intenderet generationem, eiuſque honeſtam educationem peccaret contra finem prolis; ſi tandem intenderet alteri coniugi negare coniugale debitum, illudque alijs concedere peccaret contra finem, & bonum fidei.

Finis prauus, vel principaliter intentus, vel ſecundarius.

Aduerte ſecundò, an intendens alium peruerſum finem puta homicidij, vel facilioris congreſſus fornicarij, ſeù adulterini illum intenderit tanquam finem principalem, & primarium, an vero ſolummodo tanquam acceſſorium, & ſecundarium. Primo modo res ſe habet, quando contrahens ex propria peruerſitate ita intenderet illum prauũ finem, vt eo ſecluſo non contraheret, eoque incluſo contrahat. Secundo modo res ſe habet, quando intenderet quidem alios fines à iure, ſeù à natura intentos, ratione quorum contrahit, ita tamen vt eiſdem finibus annectat illum etiam peruerſum, intuitu cuius etiam contrahat, licet minus principaliter. His ſuppoſitis.

4 Si contrahens intenderet præcisè illum primum finem excludendo abſolutè alios fines à natura intentos inualidè contraheret.

Reſpondeo primò, ſi contrahens intenderet præcisè illum peruerſum finem ſecluſo quocunque alio fine matrimonij, nempe bonis fidei, prolis, & ſacramenti, tàm quoad executionem, quàm quoad obligationem inualidè contraheret, & matrimonium eſſet nullum *D. Thomas in quarto diſt. 31. qu. 1. art. 5. in corpore, Riccardus in quarto diſt. 31. art. 2. qu. 2. Turrecremata poſt cap. ſicut non omnis §. his itaque art. 2. 22. qu. 2. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 48. art. 2. dub. 1.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi bona, ſeù fines, quoad ſua principia, ſeù quoad obligationem ſunt de eſſentiali conceptu matrimonij, ergo illis poſitiuè excluſis non poteſt matrimonium ſubſiſtere. Antecedens probatur *ex D. Thoma loc. cit.* vbi expreſsè ſic habet *Fides, & proles, ſecundum quod conſiderantur in ſuis principijs, vt pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide debitum ſeruandi fidem, ſine quibus matrimonium eſſe non poteſt, & ſic accipiendo fidem, & prolem ſunt eſſentialiſſima in matrimonio.*

Intellige, ſi excludat alios fines, tàm quoad executionem, quàm quoad vim obligandi.

Dixi, *tàm quoad executionem, quàm quoad obligationem*, nam, ſi contrahens intenderet quoad obligationem, ſeù quoad principium huiuſmodi bona, non tamen quoad executionem, ſi excipias bonum ſacramenti hoc eſt indiſſolubilitatem, tunc non negarem matrimonium ſubſiſtere *Adrianus 4. qu. 3. de matrimon. dub. 9. §. reſpondeo ad primum, Paludanus in 4. diſt. 30. qu. 2. art. 1. concl. 1. num. 4. D. Antoninus tertia part. tit. 1 cap. 19. ante §. 1. in fin. Tabiena verb. matrimonium 2. qu. 3. num. 4. Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. de matrim, cap. 42. §. porro ex prædictis.* Ratio ex eo deducitur, quia illa bona quoad executionem, ſeù quoad actuale exercitium non ſunt de eſſentia matrimonij, ſed tantum de conſequenti, & poteſt quis velle obligari ſine animo tamen exequendi obligationem, & tunc ratione obligationis aſſumptæ compelleretur illam exequi, ea proportionali ratione, qua quis iuraret cum intentione ſe obligandi, quamuis haberet animum poſteà obligationem violandi; hic etenim animus non tolleret obligationis valorem. Dixi, *ſi excipias bonum ſacramenti, nempe indiſſolubilitatem*, quia de ratione matrimonij eſt vinculum perpetuum, adeoque intendens diſſolubilitatem aduerſatur ſubſtantiæ matrimonij, & ſacramenti.

5 Si contrahens intenderet illũ peruerſum finem, non tamen excluſis bonis à natura, ſeù à iure intentis non inualide contrahit.

Reſpondeo ſecundò, ſi contrahens intenderet illum peruerſum finem à ſe elicitum non tamen excluſis finibus, ſeù bonis à naturà, ſeù à iure intentis in tali contractu non inualide contraheret, dummodo ille finis peruerſus directè non opponatur alicui bono eiuſdem matrimonij quoad principium, & obligationem *D. Auguſtinus lib. de bono coniugali cap. 5., & refertur in cap. ſolet 32. quæſt. 2. D. Thomas in quarto diſt. 30. qu. 1. art. 3. Abbas cap. tua de ſponſalib. num. 4. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 29. num. 8. verſ. & quidem certum eſt.* Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi ſunt omnia ſubſtantialiter requiſita ad valorem contractus matrimonialis; eſt etenim debitus conſenſus terminatus ad ſubſtantiam eiuſdem, & ad eius bona, nec tendentia ad alium finem, quantumuis prauũ poteſt demere de illorum valore, vt videre eſt in alijs omnibus contractibus, & etiam ſacramentis, quæ ex prauo fine adiuncto ſeruatis ſubſtantialibus nunquam irritantur, ſic quantumuis quis emat gladium ad finem occidendi non irritantur emptio, quantũuis inficiatur ex labe finis intenti, ſic quantumuis quis conſecret ad finem exercendi ſortilegia, validè

Tendentia ad alium finem non inualidat actum.

Ee con-

conſecrat; Nec obeſſe poteſt *D. Bonauentura in 4. diſt. 30. qu. 3. Angelus verb. matrimonium 2. num. 25.* dum aſſerunt eſſe inualidum matrimonium, ſi illud exerceatur, ſeù intendatur ſolummodo ad finem extorquendi copulam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia præcitati DD. loquuntur ſolum in hypotheſi, qua intendit extorquere ſolum copulam, & non habere vxorem, quod veriſſimum eſt, quandoquidem tunc deeſſet conſenſus requiſitus ad ſubſtantiam eiuſdem.

6 Dummodo ille finis prauus nõ aduerſetur alicui bono matrimonij quo ad vim obligandi.

Dixi, *dummodo ille finis peruerſus non aduerſetur alicui bono eiuſdem matrimonij quoad principium, & quoad obligationem,* quod dixerim propter illam difficultatem, quã excitant DD. circa bonum fidei, an ſcilicet eſſentialiter inuoluat quoad ſuum principium, & obligationem indiuiſibiliter duo, & ſcilicet onus reddendi alteri coniugij debitum, & negandi copiam ſui cuicunque alteri; Si enim vtrumque hoc inuoluitur, videtur non poſſe valide contrahere ex fine commodius adulterandi, cum hic finis aduerſetur directè illi bono fidei quoad illam partem, qua dicitur, quod cuicunque alteri debeat copiam ſui denegare. Sed de hoc fuſius agetur in ſequenti diſquiſitione,

7 Cõtrahens principalis ex fine malo committit triplex peccatum.

Reſpondeo tertiò. Contrahens matrimonium principaliter cum intentione finis praui, & ſecundum ſe peccaminoſi læthaliter triplex peccatum committit. De duplici peccato læthali affirmant *Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 48. art. 2. dub. 2. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 10. num. 244.* De triplici autem peccato affirmat *Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 29. num. 28.* Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quia ſic contrahens ex illo peruerſo fine principaliter intento primo contrahit noxam indignæ ſuſceptionis, & receptionis ſacramenti, quæ ex genere ſuo læthaliter peccaminoſa eſt, ſecundò ordinationis ſacramenti ad illum peruerſum finem, quæ duæ intentiones ex genere ſuo diſtinctæ ſunt, & ſeparabiles. Tertiò deſiderij illius peſſimi finis, quod certe læthale eſt, quia deſiderare rem læthaliter malam, malum eſt læthale, maximè, ſi illud deſiderium ſit efficax cum ordinatione ſcilicet mediorum ad finem.

Dixi, *principaliter cum intentione finis praui*, ſi etenim finem prauum intenderet ſolummodo ſecundario, & minus principaliter, tunc non ordinaret ſacramentum ad finem prauum, & per conſequens non contraheret noxam illius peruerſæ ordinationis, ſicque duplici dumtaxat labe inficeretur, altera indignæ receptionis, altera deſiderij rei ſecundum ſe læthaliter malæ.

---

## §. IX.

### An, ſi coniux quoad bonum fidei intenderet ſolummodo contrahere obligationem in principio reddendi alteri debitum, non tamen denegandi alijs vſum ſui corporis validè contraheret.

### SVMMARIVM.

*Status diſquiſitionis expoſitus.* 1.

*Bona matrimonij dupliciter conſiderata.* 2.

*Si contrahens in celebratione contractus excluſerit illam obligationem in radice, ſeù quoad ſuum principium, inualide contraxit, ſi vero excluſerit ſolummodo quoad executionem, non inualide contraxit, ſed peccauit.* 3.

*Quantumuis illa intentio contrahentis ſe non obligandi ad ſeruandum alteri coniugi fidem, ſeù non negandi alteri à coniuge copiam ſui fuerit tantum in mente reddit matrimonium illud irritum.* 4.

DISQVISITIO IX. Contraxit Caius cum Theodorica matrimonium per verba de præſenti eo animo ſe obligandi quidem ad fidem matrimonij, ſeù habito reſpectu ad bonum fidei, prout importat obligationem reddendi debitum alteri coniugi, non tamen alijs denegandi copiam ſui corporis. Ex dictis in præcedentibus bonum fidei duo indiuiſibiliter inuoluit, alterum reddendi coniugi debitum, alterum vſum ſui alijs denegandi. Hic iam orta eſt controuerſia, an matrimonium cum illo animo, ſeù intentione initum ſubſiſtat, an verò ſit omnino inualidum.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

Recole primò ea, quæ in præcedenti diſquiſitione ex mente D. Thomæ notata ſunt, ſcilicet bonum fidei, ſicuti & bonum prolis dupliciter poſſe conſiderari, vel ſcilicet ſecundum principium, & obligationem, vel ſecundum actum, & executionem. Secundò aduerte, an illa intentio contrahentis ſe non obligandi quoad ſecundam partem, quam inuoluit bonum fidei, ſcilicet non denegandi alijs copiam ſui, fuerit præciſe in mente concepta, an vero etiam exterius in celebratione contractus prolata. His ſic prænotatis

2 Bona matrimonij ſecundum duplicem conſiderationem.

3 Reſpondeo primò, ſi contrahens in celebratione contractus excluſerit illam obligationem in ſuo principio ſeruandi alteri coniugi fidem, ſeù non negandi alijs copiam ſui, vtique inualide contraxit; ſi

vero

Digitized by Google

Inualide contraxit, ſi excluſit obligationem in radice ſeruandi alteri fidem, ſecus, ſi tantum excluſit quoad executionem.

vero excluſerit ſolummodo quoad executionem, ſeù quoad actum, quatenus intenderit ſe obligare non tamen ſeruare obligationem, vtique valide contraxit, ſed grauiter peccauit in illa intentione violandi fidem promiſſam. Ita *Riccardus in 4. diſt. 31. art. 2. q. 2. Turrecremata poſt cap. ſicut non omnis §. his itaque art. 222. qu. 2.* aduerſus *Angelum verb. matrimonium 3. impediment. 3. num. 11.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia fides debita alteri coniugi in ſuo principio importat obligationem, ne coniux commiſceatur alteri à ſuo coniuge, non minus, ac reddat eidem alteri coniugi, quod ſuum eſt, ſeù eſt illi debitum, ſeù ſaltem intendat contrahere talem obligationem, ſed, ſi non intendat ſe obligare verſus alterum ad reddendum ipſi debitum non validè contrahit per ſuperius notata, ergo etiam, ſi non intendat ſe obligare ad ſeruandam eidem fidem, quæ conſiſtit in negatione ſe alijs commiſcendi. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia bonum fidei, tàm prout importat redditionem debiti alteri coniugi, tàm prout dicti negationem ſui alijs à coniuge quoad executionem non eſt de eſſentia contractus, cum ſint quid conſequens ad ipſum, ergo per intentionem illa munera non exequendi non inualidatur contractus. Quod autem grauiter per illam intentionem peccaret ex eo euincitur, quia illa intentio eſt de obiecto peccaminoſo, cum ſit de violanda fide alteri præſtita, & non ſeruando bono coniugij.

4 Illa intentio, quantumuis fuerit tantum in mente irritat contractum.

Reſpondeo ſecundò, quantumuis illa intentio contrahentis ſe non obligandi ad ſeruandam alteri coniugi fidem, ſeù non negandi alteri à coniuge copiam ſui fuerit tantum in mente, efficaciter tamen concepta reddit matrimonium illud irritum. Ita ſaltem implicitè ſentiunt *Paludanus in quarto diſt. 30. qu. 2. art. 1. concl. 1. nu. 4. D. Antoninus tertia part. tit. 1. cap. 19. ante §. primum in fin. Tabiena verbo matrimonium 2. quaſt. 3. num. 4., & expreſſo Sanchez lib 2. de matrmon. diſp. 79. num. 11.* contra *Antonium in cap. de infidelibus num. 9. de conſang. Roſellam verb. matrimonium 3. num. 11. Silueſtrum verb. matrimonium 4. qu. 6. Lancellotum inſtit. iuris Canon. lib. 2. tit. de ſponſalib. §. ſponſalia contracta ſub conditione verb. pura.* Ratio ex eo deducitur, quia illa intentio eſt contraria ſubſtantiæ matrimonij, cum ſit contraria bonis ipſius in actu primo, ſeù quoad obligationem, ſicque non importat conſenſum ſufficientem ad validitatem matrimonij, ergo defficiente ſubſtantiali conſenſu ad matrimonium non poteſt ſubſiſtere, cum deficiat forma ſubſtantialis. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, & in quæſtionibus de ſponſalibus, nempe, ſi quis contrahat ſine animo promittendi, ſeù ſe obligandi non tenere contractum, quamuis conſenſus exterius exprimatur, ergo etiam non tenebit contractus, cum intentione illa contraria ſubſtantiæ contractus matrimonialis, cum intentio illa deſtruat conſenſum legitimum, & requiſitum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ad validitatem matrimonij non ſolum requiratur conſenſus externus, ſed etiam ſigna externa, adeo vt, nec conſenſus ſine ſignis ſenſibilibus, nec ſigna ſenſibilia ſine conſenſu aliquid operantur, ergo nulla conditio, quæ non ſit expreſſa ſigno ſenſibili, ſed in mente pura retenta valida erit ad irritandum matrimonium; Non, inquam obeſſe poteſt, quia hæc inſtantia potius confirmat noſtram reſponſionem, nam, ſi non poteſt conſiſtere matrimonium ſine conſenſu, & ſignis ſenſibilibus, ergo deficiente conſenſu interno non poterit idem matrimonium ſubſiſtere defficiente forma ſubſtantiali. Quamobrem fateor ad validitatem matrimonij, vtrumque requiri; ſed ad deſtruendum alterutrum ſufficit, ſicque cum deficiat conſenſus legitimus internus, non eſt, cur deficere non debeat contractus.

---

## §. X.

### An conſummatio matrimonij ſit actus ex genere ſuo bonus, & meritorius, & quomodo.

*SVMMARIVM.*

*Motiua, ex quibus deducta fuit ratio dubitandi.* 1.

*Actus coniugalis, ſeù conſummatio matrimonij ſecundum ſe ſumpta nullam inuoluit noxam, nec læthalem, nec venialem. num.* 2.

*Soluuntur motiua, ex quibus deducta eſt ratio dubitandi.* 3.

*Actus coniugalis exercitus in gratia, & debitis circumſtantijs veſtitus eſt meritorius ex opere operantis.* 4.

1 Motiua, ex quibus deducta fuit ratio dubitandi.

DISQVISITIO X. Contendebant aliqui Hæretici apud *Bellarminum lib. vnico de matrim. à cap. 1. vſque ad 5.*, & nonnulli etiam Catholici, quos ſupreſſo nomine refert *D. Bonauentura in quarto diſt. 13. art. 2. qu. 1.*, & inter iſtos numeratur *Hugo cap. vir cum propria 33. qu 4.* actum coniugalem exerceri non poſſe ſine culpa læthali, vt volebant hæretici, vel ſine veniali ſaltem, vt catholici allegati. Mouebantur potiſſimum auctoritate *D. Auguſtini relata in d. cap. vir cum propria 33. qu. 4.*

vbi ſic legitur *Vir cum propria coniuge dormiens, niſi lotus aqua intrare Eccleſiam non debet, ſed neque lotus intrare ſtatim debet*, quod alijs auctoritatibus SS. PP., & Pontificum probant, vt videre eſt apud *Sanchez de matrimon lib. 9. diſp. 1. num. 1.* Alterius ex eo euincere conabantur, quia in huiuſmodi actibus eſt effrenis delectatio appetitus ſenſitiui, & & inordinata habitudo, per quam bona rationis poſtponuntur alijs bonis inferioribus. Cum igitur in ſuperioribus, dum actum fuit de matrimonio conſummato, dictum fuerit eandem conſummationem pertinere ad integritatem, & perfectionem coniugij, quæritur, an non ſolum nullam inuoluat maculam peccati, ſiue læthalis, ſiuè venialis, ſed etiam inuoluat potius perfectionem, & ſit bonum morale, & meritorium.

2 Conſummatio matrimonij ſecundum ſe ſumpta nõ eſt peccaminoſa.

Reſpondeo primò, actum coniugalem, ſeù conſummationem matrimonij ſecundum ſe ſumptam nullam inuoluere noxam, nec læthalem, nec venialem. *Eſt* veritas catholica ab omnibus fere recepta. Ratio ex eo deducitur primò, quia conſummatio, ſeù actus coniugalis ad exigentiam alterius coniugis eſt actus iuſtitiæ omnino debitus, ergo ſecundum ſe nullam inuoluit noxam, cum iuſtitia non obliget ad actus ſecundum ſe deprauatos, cuius ſignum eſt, quod, ſi alter petat inordinate, alter non teneatur reddere. Secundò, quia matrimonium ipſum non eſt ſecundum ſe quid malum, & ex genere ſuo ordinatur ad actus coniugales, ergo, nec huiuſmodi actus poſſunt eſſe ſecundum ſe quid malum. Antecedens eſt veritas catholica à nemine impugnata, cum ſit ſacramentum inſtitutum à Chriſto Domino, & in lege iuſtitiæ originalis, & naturæ lapſæ à Deo illud ordinante in officium naturæ, & poſtea in remedium concupiſcentiæ. Conſequentia probatur, quia res non poteſt eſſe bona, cuius vſus ex genere ſuo eſt malus, ergo, cum matrimonium in ſe ſit bonum non poteſt eius vſus ex genere ſuo malus eſſe. Tertiò, quia matrimonium eſt ordinatum ad ſignificandam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam aſſerente Apoſtolo. *Hoc Sacramentum magnum eſt Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, ſed non eſt ordinatum, niſi quatenus conſummatum eſt, quia ante conſummationem poteſt eſſe diſſolubile, vel per ingreſſum in Religionem, vel per diſpenſationem Romani Pontificis, vt ſupra probatum eſt; non congruum autem eſſet, quod Chriſtus Dominus ſub ea conſideratione, ſub qua inuolueret malitiam, ordinaret ad illam perfectam ſignificationem vnionis ipſius cum Eccleſia, ergo &c.

Eſt actus iuſtitiæ.

Modo ad ea, quæ ex aduerſo dicebantur reſpondendum eſt, & quidem ad primum deſumptum ex illo *cap. vir cum propria 33. qu. 4* dicendum eſt illum textum non aſſerere, quod actus coniugalis importet noxam aliquam, ſed ſolum inferre ob commotionem ſpirituum reddere quodamodo coniuges ineptos pro aliquo breui tempore ad ſpiritualia, & ſancta attentè pertractanda, qua ratione etiam D. Thomas. & alij docent pollutionem nocturnam, & copulam coniugalem habitam nocte præcedenti ex quadam decentia impedire ſacram ſinaxim dici immediate ſubſequentis, eo quia huiuſmodi actus ſpiritus commoueant, & perturbent Phantaſmata, quæ non ſinunt ſancta pertractari ea qua decet pietate, & attentione. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt effrenem illam delectationem, ſi quæ eſt, nullam inducere culpam, cum naturaliter proueniat ex illo actu coniugali, ad quem ordinatum eſt matrimonium, & illa effrenis delectatio indita quodamodo eſt naturæ in pœnam labis originalis.

3 Soluuntur motiua, ex quibus deducta eſt ratio dubitandi.

Reſpondeo ſecundò. Actum coniugalem, ſeù conſummationem matrimonij exercitam in gratia, & debitis circumſtantijs veſtitam eſſe meritoriam gratiæ non quidem, ſi ſecundum ſe ſumatur, ex opere operato, ſed ex opere operantis. Dixi, *ſi ſecundum ſe ſumatur*; nam, ſi ſumatur, prout importat conſenſum interpretatiuum ad perficiendum contractum in ſuo eſſe ſubſtantiali, tunc non denegarem conferre gratiam ex opere operato, quando primò exercetur, & per eandem reſultat matrimonium; hoc antiquitus ante Concilium Tridentinum contingebat, dum ſponſalia de futuro tranſibat per copulam in matrimonium de præſenti, quia tunc perficiebatur matrimonium, etiam in ratione ſacramenti Hoc etiam contingeret de præſenti, ſi coniuges per præcedentem tractatum inter ſe conueniſſent, vt prior copula inter ipſos coram Parocho, & teſtibus haberetur pro legitimo conſenſu ad matrimonium. *Bellarminus lib. vnico de matrimonio cap 5. Sanchez de matrimon lib. 9 diſp 1. num. 3.* Ratio reſponſionis ea eſſe poteſt, quia matrimonium ſecundum ſe non fit, quando primò conſummatur, ſed ſupponitur iam ſubſtantialiter initum, cum nuptias conſenſus faciat, non copula, quinimmo, & ipſa conſummatio in actu ſecundo non eſt de ſubſtantia ſacramenti, tanquam pars eſſentialis eiuſdem, ſed ad ſummum tanquam pars ad eſſe conſtitutum ſubſequens, & integralis; ſacramenta autem ex opere operato tunc ſolum conferunt gratiam, quando in ſuo eſſe ſubſtantiali primò perficiuntur, cum alia omnia ſacramenta ab Euchariſtia conſiſtant in actione tranſeunti, non permanenti.

4 Eſt meritorius ſecundum ſe ex opere operantis.

Matrimonium non fit, quando conſumatur, ſed quando ponuntur cõſenſus.

§. XI.

Digitized by Google

## §. XI.

An alter coniux teneatur habere actum coniugalem, quando præuidet in altero coniuge etiam non petente periculum incontinentiæ.

### *SVMMARIVM.*

*Status diſquiſitionis expoſitus.* 1.
*Si coniux præuidens periculum incontinentiæ alterius ſperet certo moraliter illi periculo per actum coniugalem conſulere tenetur illum actum adhibere.* 2.
*Nec ſolum lege charitatis obligatur, ſed etiam iuſtitia, licet minus ſtricto.* 3.
*Etiam probabilius tenetur adhibere in dubio, an illa exhibitio eſſet alteri profutura, nec ne.* 4.
*Si nulla ſit ſpes per oblationem actus coniugalis remouendi alterum ab incontinentia non eſt obligatio illum offerendi.* 5.

1 Refertur facti ſeries.

DISQVISITIO XI. Contractis nuptijs inter Meuium, & Caiam, eiſque iam forte conſummatis non petente Caia debitum à Meuio, hic præuidebat ſubeſſe periculum incontinentiæ in vxore. Hic quæſitum fuit, an meuius teneretur offerre debitum, ſiuè ſperaret fore vt coniugi copula coniugali conſuleret ad vitandam incontinentiam, ſeù ipſius periculum, ſiue eſset dubium, quod eidem poſſet conſulere per illum actum coniugalem.

2 Sperans certo moraliter conſulere tenetur actū coniugalē adhibere.

Reſpondeo primo, ſi certo moralitèr ſperet per illum actum coniugalem fore, vt conſulat incontinentiæ vxoris, ſeù eius periculo, teneri illum actum adhibere *D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 2. quæſtiuncul 1 ad 1. Præpoſitus c. rurſus num. 6, in init. Qui cleric. vel vouent. ſupplementum Gabriellis in 4. diſt. 31. q. vnica art. 2. poſt 4. concl. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 10. art. 1. q. 5. Turrecremata c. ſciatis 33. q. 4. art. 2. ad 1. Petrus de Soto lect. 14. de matrim. ad fin. Angles Floribus 1. part. de matrim. q. 6. de obligat. ſoluendi debitum art. 1. difficult. 4. concl 4.* Ratio ex eo deſumi poteſt primo, quià coniugi petenti debitum alter tenetur reddere, vt eſt in confeſso apud omnes, ſed vrgente periculo incontinentiæ in altero non petente alter, quantumvis metaphyſicè petat, moralitèr tamen loquendo intelligitur reddere illo periculo quodamodo interpellante, ergò tenetur abſolutè reddere. Accedit primò, quià ſpectat ad bonum fidei, quod potiſſimum adnumeratur inter bona matrimonij

Interpellante periculo videtur quodamodò reddere.

non ſolum reddere debitum petenti, ſed etiam auertere à quocunque alio illicito concubitu, & per conſequens, cum per matrimonium conſtituatur inter coniuges vna communis, & indiuidua viuendi ratio ad vtrumque coniugem ſpectet modis omnibus licitis eandem viuendi rationem indiuiduam non ſolum in ſe ipſo, ſed etiam in alio, quantum commode poteſt, conſeruare, quod vtique fit vitando in alio periculum incontinentiæ, ſeù incontinentiam ipſam per actus à natura inſtitutos ad eandem communem viuendi rationem, & concordiam perpetuam conſeruandam. Accedit ſecundò, quod vnuſquiſque tenetur opem ferre proximo periculo vitæ ſpiritualis expoſito, ſi commodè poteſt, ergò à fortiori tenebitur coniux erga alterum coniugem, inter quos ſtrictiſſima viuendi ratio, & arctum amoris vinculum vigere debet ſuppeditando media, quibus periculum illud vitæ ſpiritualis vitari poſſit.

Lex caritatis obligat ad ſubueniendum proximo in periculo.

Hic oritur difficultas, an in ea hypotheſi periculi incontinentiæ in altero coniuge teneatur alter præuidens illud, quantumvis non requiſitus ſubuenire per copulam coniugalem non ſolum ex lege charitatis, ſed etiam ex titulo iuſtitiæ. Sentio probabilius eſse teneri ex titulo iuſtitiæ licet non ita rigoroſo *Petrus de Soto lect. 14. de matrimon. ad fin. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 49. art. 5. dub 2. concl. 2.* Rationes adductæ primo, & ſecundò loco pro probatione reſponſionis videntur hoc expreſsè euincere; ſi etenim in ea hypotheſi periculi incontinentiæ alterius oblatio actus coniugalis facta per alterum eſt potius moralitèr loquendo redditio, quam petitio, vtique eſt debita titulo iuſtitiæ. Rurſus, cum indiuidua vitæ ratio ſeruanda inter coniuges ſit ex onere iuſtitiæ, cum proueniat ex contractu, & ad eandem pertineat vitare actus, qui parere poſſunt quodamodò diſsolutionem eiuſdem indiuiduæ vitæ, vtique ex iure iuſtitiæ ea præſtanda ſunt, quæ poſsunt officere illi rationi, & quodamodo præſtare diſsolutionem. Dixi *licet non ità rigoroſo*, quià debitum alteri non eſt ex rigoroſo titulo iuſtitiæ præſtandum creditori, quandò vel expreſsè vel tacitè non petitur, licet præuideatur ipſius neceſſitas, vnde creditore non petente debitor non ſatisfaciens debito contra rigoroſam iuſtitiam non peccaret.

3 Nec ſolum lege caritatis obligatur, ſed etiam iuſtitiæ licet minus ſtricto.

Rationes euincentes intentum

4 Etiam probabilius tenetur adhibere in dubio, an illa exhibitio eſſet profutura, nec ne.

Reſpondeo ſecundò. Si foret dubium, quod illa exhibitio actus coniugalis eſset profutura, nec ne ad vitandum in altero coniuge periculum illius incontinentiæ probabilius adhuc eſt teneri conigem illum actum coniugalem exhibere *Sanchez lib. 9. de matrimon. diſputat. 2. num. 6. in fin.* Ratio ex eo deducitur, primo, quià vbi

viget

Digitized by Google

viget onus iuſtitiæ eſt obligatio alteri, verſus quem viget tale onus, conſulendi, non ſolum quando eſt moraliter certa ſpes emendationis, ſed etiam quando eſt dubia, quia obligatus tenetur omni modo, quo poteſt eidem conſulere, ergo &c. Accedit, quod hæc oblatio actus coniugalis in hypotheſi illa periculi incontinentiæ multum prodeſſe poteſt ad effectum illud periculum vitandi, nullo autem modo obeſſe, quia actus ille coniugalis valde temperat de ardore libidinis, quæ prouocat ad illam incontinentiam, licet non extinguat penitus, ergo coniux, vbi cura debet eſſe de illo periculo vitando, debet ex onere illo vti remedio, quod proficuum poteſt arbitrari ad illum morbum exicialem in altero coniuge euertendum, quantum poteſt.

5 Non eſt obligatio offerendi actũ, vbi nulla eſt ſpes remouendi alterum ab incontinentia.

Reſpondeo tertio, ſi nulla fuerit ſpes per illam oblationem actus coniugalis euertendi in altero coniuge illud periculum incontinentæ probabilius non eſt obligatio illum offerendi *Palacios in 4. diſt. 32. diſp. 2. verſ. ſecundum eſt Angles Floribus pr. part. de matrim. q. 6. de oblig. ſoluendi debitum art. 1. deffic. 4. concl. 4. Petrus de Ledeſma q. 49. art. 5. dub. 2. concl. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia in tantum tenetur, in quantum ſtudere debet, vt euitet illud periculum incontinentiæ, ergo vbi nulla eſt ſpes euadendi tale periculum, illa obligatio non vrget. Confirmatur, quia vbi nulla eſt ſpes euadendi illud periculum incontinentiæ illa oblatio actus coniugalis non habet vim redditionis debiti, ſed tantum petitionis, ſed nullus ex coniugibus tenetur petere, ergo &c.

---

## §. XII.

### An in vtroque coniuge ad obligationem reddendi debitum requiratur petitio expreſſa, an vero ſufficiat tacita.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur caſus particularis in ſuis terminis.* 1.

*Alteri expreſſè petenti regulariter eſt reddendum debitum.* 2.

*Reſpectu fæmina ad obligandum virum non requiritur expreſſa, & formalis petitio, ſed ſufficit tacita, & interpretatiua.* 3.

*Regulariter loquendo vxor non tenetur reddere debitum viro, niſi expreſſe petenti.*

*Quandoque fæmina tenetur reddere viro etiam non expreſſè petenti, & quando.* 5.

1 In quo cõſiſtat ratio diſquiſitionis.

DISQVISITIO XII. Contractis nuptijs per verba de præſenti inter Theodoricum, & Cæciliam, & fortè etiam inter eoſdem conſummato matrimonio excitata carnis ſtimulis Cæcilia actum coniugalem peroptabat ad eoſdem ſtimulos componendos, ſed verecundia retracta expreſſè coitum à coniuge non expoſcebat, indicium tamen præferebat ſuæ cupiditatis. Quæritur iam, an in ea hypotheſi Theodoricus teneretur ad reddendum debitum. Hoc idem, qnod quæritur de fæmina expreſſè præ verecundia non expoſcente debitum, quæri poteſt de maſculo, ſi tali motiuo retrahatur à petendo

2 Alteri expreſſe petenti regulariter eſt reddendũ.

Vtrumque coniugem teneri alteri petenti, ſi ordinatè petat, reddere debitum, ſi excipias tempus illud bimeſtris à iure ſtatutum ad deliberandum de ſtatu Religionis, & niſi cauſa legitima excuſet, eſt indubitatum apud omnes, idque expreſſe ſtatuit *D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 2. quæſtiuncula prima*, hocque colligitur ex generali regula iuſtitiæ, ſecundum quam vnicuique reddendum, quod ſuum eſt; corpus autem viri teſtè *Apoſtolo 1. ad Corinth. 7.* in ordine ad actus coniugales eſt fæminæ, & è contra corpus fæminæ eſt viri, ergo &c. Difficultas igitur eſt ſolummodo, an ad obligandum alterum ad reddendum petenti requiratur petitio expreſſa, & formalis, an vero ſufficiat tacita virtualis, & interpretatiua.

3 Reſpectu fæminę ſufficit tacita, & interprętatiua petitio.

Reſpondeo primo. Reſpectu fæminæ ad obligandum virum ad reddendum debitum non eſt neceſſaria petitio expreſſa, & formalis, ſed ſufficit tacita, virtualis, & interpretatiua, quæ habeatur à ſignis indicantibus voluntatem petendi. *D. Thomas in 4. diſt. 32. qu. vnica art. 2. quæſtiuncula prima in corpore Riccardus ibid. art. 1. qu. 2. in corpore, & ad primum Maior in 4. diſt. 31. q. vnica concl. 2. D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 20. §. 7. Roſella verb. debitum num. 5. Nauarrus in ſumma c. 16. num. 26. Cucus inſtit. maior. lib. 5. tit. 12. num. 21.* Ratio deducitur ex conditione ſexus, qui maximè ſubditur verecundiæ, & præ rubore non petit expreſſe, quod anxiè appetit, & vbi quoquo modo conſtat de voluntate parum refert, quod verbis, vel ſignis indicetur per textum *in l. de quibus ff. de legib.*, & ſigna illa ſuppoſita conditione fæminea ſufficienter interpellant pro illo actu coniugali debito *Turrecremata c. ſciatis 33. qu. 4. art. 2 num. 4. Veguer. lib inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 10. Angles Floribus pr. part. de matrim. q. 9. de obligat. ſoluend. debitum art. 1. difficult. 4. concl. 4. Palatios in 4. diſt. 39. diſp. 2. verſ. neque onerofus Bartolomæus à Ledeſma dub. 32. de matrimon. § ſed iam, quod Matrimonium Ludouicus Lopez pr. part. inſtruct. c. 80. §. vt autem reliqui.*

Signa ſufficienter interpellant pro actu.

Reſ-

4 Vxor regulantèr non tenetur reddere, viro niſi expreſsè petenti.

Reſpondeo ſecundò regularitèr loquendo vxor non tenetur reddere debitum viro, niſi expreſsè petenti *Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art. 2. verſ. & vero duplex, Palacios ead. diſt. 32. diſp. 1. verſ. ſcito tamen Aſtenſis in ſumma part. 2. lib. 8. tit. 10. art. 1. q. 6. D Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 3. ad ſecundum, & ibi Paludanus q. 1. art. 1. nu. 4. Henricus c. inquiſitioni n. 14. de ſentent. excommunicat. Silueſter verb. debitum q. 8. & alij magis communiter*. Ratio ex eo deducitur, quià in maſculis ceſſat motiuum illud naturalis erubeſcentiæ in petendo debitum, quæ regularitèr indita eſt in fœminis, vndè non eſt efficax præſumptio validæ petitionis, quandò verbis expreſſa non eſt, ergò fæmina iuſtè poteſt, & rationabilitèr expectare verbalem petitionem maſculi ad reddendum debitum, cum poſſit ſemper dubitare de voluntate inefficaci petendi; Neque obeſse poteſt, ſi aſſeratur in ordine ad petionem, & redditionem debiti tàm maſculum, quam fęminam eſse pares, vndè ſi maſculus fæminæ tacitè petenti tenetur reddere, etiam fæmina maſculo tacitè, & interpretatiuè exigenti videtur teneri; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quamuis quoad ſubſtantiam ſint pares in iure, & onere petendi, & reddendi, non ſunt tamen pares quoad modum attenta conditione naturali vtriuſque, quæ diuerſa eſt, cum in fæmina ex genere ſuo ſecum trahat verecundiam, quam non atrahit in altero.

Non ſunt pares attenta conditione naturali vtriuſque.

Dixi, *regularitèr loquendo*, non enim negauerim, quod, ſi maſculus fuerit talis conditionis, vt vel ratione maioris dignitatis in fæmina, vel naturalis timoris, & verecundiæ in ipſo, vt non auderet expreſsè, & verbalitèr petere, teneretur fæmina ſignis ſaltem ſenſibilibus, & interpretatiuis exhibere actum coniugalem, & in hoc verificatur, quod tàm in petendo, quàm in reddendo coniuges ſint pares. Dixi, *ſignis ſaltem ſenſibilibus, & interpretatiuis*, quià cum etiam in eadem ſupponatur militare ratio naturalis verecundiæ in petendo, non videtur ipſa potius teneri ad expreſsè petendum, quam vir, vndè ſicuti ille ſolum tacitè, & interpretatiuè peteret, ità & illa non niſi tacitè, & interpretatiuè teneretur exhibere, & ſe offerre ad actum coniugalem.

5 Quandoq; fæmina tenetur reddere viro etiam non expreſsè petenti, & quandò.

De oneribus reddendi debitũ inter coniuges adinuicem, de cauſis excuſantibus à tali redditione, de peccatis contingentibus in vſu coniugali, & his ſimilibus agetur infra, dum de matrimonio V. quare in præſenti diutius non immoror.

# DISQVISITIONES III.

## A decima ſeptima ad trigeſimam prænotionem incluſiuè.

### §. I.

An matrimonium hodie celebratum ſine Parocho, & teſtibus ſubijciatur pœnis Clandeſtini.

*SVMMARIVM.*

*In quo conſiſtat ſeries difficultatis.* 1.
*Pœna alia propria, alia impropria, & quid vtraque.* 2.
*Lex quandoque reſpicit pro fine factum, quandoque iuris effectum.* 3.
*Quantum eſt ex fine iuris ſtatuentis pœnas contrahentes ſine præſentia Parochi, & teſtium non euitant huiuſmodi pœnas.* 4.
*Stante concil. Trident. illæ pœnæ locum non habent in contrahentibus ſine Parocho, & teſtibus.* 5.

1 In quo conſiſtat difficultas.

DISQVISITIO I. Celebratæ fuerunt nuptiæ inter Caium, & Seiam per verba de præſenti non tamen coram Parocho, & teſtibus, prout requiritur ex diſpoſitione *Concil. Trid. d. c. 1 ſeſſ. 24 de reform. matrimon.* ſub qua conſideratione nuptiæ illæ dicuntur clandeſtinæ, quæ tamen ob clandeſtinitatem ſic conceptam ſunt irritæ. Antiquitus matrimonio Clandeſtino iunctæ erant pœnæ, quarum alteræ erant impropriæ, & conſiſtebant potius in priuatione priuilegiorum, alteræ propriæ, quæ conſiſtebant in excommunicatione ſinodali, in punitione arbitraria, & in ſubiectione ad poſse exhæredari. Pœnæ impropriè, ſeù primi generis tales erant, vt proles ex nuptijs clandeſtinis concepta nullo modo haberetur pro legitima; in iure enim cautum erat, quod, ſi matrimonium publicè celebraretur, licet nulliter ex aliquo impedimento, dummodò tamen interceſserit bona fides alterius coniugis proles ex eodem ſuſcepta haberetur pro legitima, ſi autem tale matrimonium eſset clandeſtinum, proles illa nullo modo haberetur pro legitima. Cum autem nunc ex diſpoſitione Concil. Trident. matrimonium ſic contractum ſit abſolutè nullum quæritur, an ſubſit illis pœnis, quibus antea matrimonium clandeſtinum, quandò nullum non erat, ſubijciebatur.

2 Pœna alia propria, alia impropria, & quid vtraq;

Pro-

Pro ſolutione aduerte pœnas impoſitas alicui actui ſecundum diuerſum reſpectum, quem habere poſſunt ex fine legis, quandòque irritari, quando actus eſt nullus, quandoque etiam afficere operantem, & ſubſiſtere, quantumvis actus fuerit irritus; vel etenim lex reſpicit pro fine factum ipſum, ſeù animum facientis, vel reſpicit iuris effectum; Si primum reſpiciat, etiam ſi actus ſit nullus pœna afficit operantem, quià attentatur factum, & prauus animus operandi adeſt; ſi ſecundum; nullo modo pœna afficit operantem, cum actus ille iuris effectum ſortitus non ſit. Secundum has conſiderationes ſic definiunt *Gloſa in l. quid ergo 13. §. cum autem verb. cum ea ff. de his qui not. infam. Cardinalis clement.* 1. *oppoſ.* 8. *de conſang Felinus c. tua nos n.7. de iureiuran., & c. ex tenore nu. 9. verſ. caeterum ad multa de reſcriptis, Molina lib.2. de primog.c.16.num.*19. Difficultas igitur ſolummodò reſtringitur, an iura, quæ huiuſmodi pœnas aduerſus clandeſtinè contrahentes impoſuerunt reſpiciant factum ipſum, an verò iuris effectum?

3 Lex quandoque reſpicit pro fine factũ, quandoq; iuris effectum.

Reſpondeo, quantum eſt ex fine iuris de huiuſmodi pœnis diſponentis probabilius eſſe clandeſtinè contrahentes, hoc eſt ſine præſentia Parochi, & teſtium huiuſmodi pœnas non euitare, ſicque iura reſpicere factum ipſum, non effectum iuris *Molina lib.2. de primogen. c.16. n.18. & ſeqq. Vera Crux append. ad ſpeculum dub.11 concl. 6. Gutierez 2. pract. qq. q.4. num.7. verſ. quid tenendum, Corduba in ſumma qu. 52. ad fin. Sotus in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2. concl.2. in fin.* Deduci poteſt ex doctrina *Bartoli in l. non dubium n.20.C. de legibus*, vbi ait facta contra legem haberi pro infectis quantum ad vtilitatem facientis, ſecus quoad damnũ, atque ita cum eodem ſentiunt *Tiraquel de retract. lignag. §.26. gloſ.2. num.8. Corneus conſ. 243. lib. 3. Flaminius de reſignat. benef. lib.7 q.1. nu.23.*, ergò quantumvis contrahens matrimonium clandeſtinum contrahat contra legem diſponentem de inualiditate ipſius, contrahat inualide quoad vtilitatem, quoad damnum tamen, & quoad pœnas perindè erit, ac ſi validè contraxerit. Confirmatur primo *ex Cardin. clement. fin. q. 12. de electionib.* quem ſequitur *Bertachinus in repert. lit. P. verb pœna impoſita*, vbi aſſerunt pœnam impoſitam in caſu alicuius actus habere locum, ſi actus interueniat, licet de iure non tenuerit. Confirmatur ſecundò, quià denegari non poteſt, quin ſic contrahens grauitèr deliquerit, & modo grauius eſt ſic contrahere, quam antiquitus contrahere ſine denuntiationibus, & teſtibus, ergò &c. Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod iura interdicentia clandeſtinum, apertè conſiderent iuris effectum, vt colligitur *ex eodem Trident. c.2. ſeſſ. 24. de reform matrimon.* vbi aſſignans rationem prohibitionis habet. *Cum Sancta Sinodus grauia peccata perpenderit, quæ ex clandeſtinis coniugijs ortum habent, præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt*, vbi vides, quod conſiderat damna in matrimonio clandeſtina prouenientia, & ſic non factum ipſum, ſed effectum iuris; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià textum conſideranti patet Concilium præcisè loqui de matrimonio clandeſtino inito propter factum ipſum, quod attentans præſumitur velle continuare, vnde damnat factum, ne damna illa eueniant.

4 Quantum eſt ex fine iuris imponentis pœnas contrahentes ſine præſentia Parochi, & teſtium nõ euitant pœnas.

Concilum damnat factum, non damna inde obuenientia.

Reſpondeo ſecundò ſtante diſpoſitione *Concil Trident. d. cap.1. ſeſſ.24. de reformat. matrimon.* illæ pœnæ locum non habent quoad matrimonium initum ſine Parocho, & teſtibus. *Matiengo lib.5. recop. tit.1. l.1 gloſ.7. n.2. in fin. Gutierez de matrim. c.75. nu.14. Hurtadus de matrimon. diſp.5. diffic.17. num.55.* Ratio ex eo deducitur, quià Concilium Tridentinum præter nullitatem actus induxit nouam pœnam mitiorem arbitrio Epiſcopi irrogandam, ergò intelligitur antiquas pœnas correxiſſe, cum per nouam pœnam mitiorem à iure impoſitam intelligatur antiqua ablata *Antonius Gomez 3. var. c.1. num. 38. Boſſius pract. tit. de offic. corrupt. pecun. n. 10. Clarus lib. 5. recept. pract. crimin. §. fin. quæſt. 85. verſ. debet etiam Iudex.*

5 Stante Cõcilio Trid. illæ pœnæ locum non habent.

---

## §. II.

### Ad quid teneatur vir, qui poſt matrimonium clandeſtinum ſine Parocho, & teſtibus ſub illius prætextu virginem defloravit.

*S V M M A R I V M.*

*Factum expoſitum in ſuis terminis.* 1.
*Sententia aſſerens poſt matrimonium clandeſtinum deflorantem virginem ſub prætextu illius, nec teneri eam ducere, nec dotare.* 2.
*Sententia aſſerens teneri eam ducere, vel congruenter dotare, eiuſque rationes.* 3.
*Vir prætextu matrimonij clandeſtini, hoc eſt ſine præſentia Parochi, & teſtium deflorans virginem non tenetur eam ducere.* 4.
*Probabilius vir ſic deſflorans non tenetur ad erogandam dotem ſimplicitèr, ſed tantum ad quantum intereſt, quod non fuerit deflorata.* 5.

Dic-

Digitized by Google

1 Factum ex poſitum in ſuis terminis.

DISQVISITIO II. Non adhibita iuris ſolemnitate, ſeù forma Concilij Tridentini quoad Parochum, & teſtes inierunt matrimonium per verba de præſenti Titius, & Caia, & prætextu eiuſdem matrimonij Titius Caiam virginem deflorauit. Hic duplex potiſſimum ſuboritur difficultas. Prima eſt, an ratione illius deflorationis teneatur cum eadem matrimonium validum inire ſeruata forma Concilij, cæteriſque iuris ſolemnitatibus. Secunda, an dato, quod non teneatur illam ducere, ſeù cum eadem validè contrahere, teneatur ſaltem illam dotare, ſeù damna deflorationis compenſare.

2 Sententia Nauarri aſſerentis, nec teneri eam ducere, nec decenter dotare.

Nauarrus *in ſumma cap. 16. n. 16. Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 21. num. 6. Brixianus in repert. deciſ. Caualc. verb. matrimonium ſine denuntiat. num 2. verſ. & quando ſecuta eſſet defloratio* exiſtimant, nec teneri eam ducere, nec congruam dotem conſtituere, ſeù damna deflorationis reſarcire. Rationem ex eo deducunt primò, quia in hac hypotheſi non militat ratio textus *in cap. 1. de adulterij*, quandoquidem nec vi, nec metu, nec importunis precibus fuit allecta, ſeù compulſa fæmina ad illum coitum, ſed ſponte ſe dedit deflorandam ſciens matrimonium illud non ſubſiſtere, vnde fæmina ſic cognita comparatur fæminæ, quę abſque prætextu ſimilis matrimonij fuit volens, ac leuiter rogata ſtuprata, ſed deflorator fæminæ conſentientis, & leuiter rogatæ abſque promiſſione matrimonij, nec tenetur eam ducere, nec damna violationis reſarcire *Nauarrus, & Sanchez loc. cit.*, ergo &c. Confirmatur, quia illud matrimonium ſic clandeſtinè initum perinde eſt, ac, ſi non fuerit initum, nec obligat ciuiliter, nec naturaliter, ergo eiuſdem nulla habenda eſt ratio, nec defloratio ex eo, quod habita fuerit ratione eiuſdem, ſeù prætextu ipſius poteſt aliquam maiorem vim inferre, ac, ſi eſſet ſimplex ſine prætextu illius. Quod, ſi obijciatur, quod ratione illius deflorationis, quantumvis non inferatur iniuria fæminæ defloratæ, inferatur tamen parentibus, qui filiæ dotem augere tenerentur, vt poſſet decenter iuxta proprium ſtatum nubere, quod ex eo, quod ſit corrupta, debet magis creſcere; nam minoris ducuntur fæminæ virgines, quam corruptæ, maximè, ſi fuerint corruptæ coitu non coniugali; ſi, inquam, hoc obijciatur, ſtatim reſpondent, quod cum liceat fæminæ etiam inuitis parentibus nubere, nulla actio poſſit competere parentibus ad compenſationem damnorum prouenientium ex illis nuptijs. Deinde cum diſtinctione procedunt, vel etenim matrimonium illud clandeſtinum initum fuit cum conſenſu parentum, aut eiſdem diſſentientibus; ſi primum aſſeratur, ſtatim deducunt eiſdem nullam competere actionem, cum delictum illis ſit imputandum, non defloratori per textum *in cap. damnum de reg. iur. in 6.*, nec ſcienti, & permittenti ſit iniuria per textum *in cap. ſcienti, & conſentienti eod. tit. de reg. iur.* Si vero ſecundum aſſeratur; culpa non eſt imputanda viro, ſed fæminæ corruptæ, quæ cum habuerit parentes eoſdem certiores facere debuiſſet. Secundo rationem deducunt, quia fæmina eſt Domina ſui corporis vſque ad ſcindenda clauſtra virginitatis per textum *in cap. 1. verbo ſi ſe duxerit de adulter.*, ergo, ſi ipſa conſenſerit ſui deflorationi, vel ſpontè, vel leuiter rogata, nullum ius acquirit aduerſus defloratorem, nec parentes eius, cum nullum habeant dominium in corpus filiæ. Quod, ſi inſtes per illam deflorationem inferri iniuriam parentibus, quatenus cenſetur lædi honor, & dedecorari familia, ſtatim reſpondent illam læſionem in fama, & honore non ingerere aliquod ſpeciale peccatum, quod ſit contra iuſtitiam, quodque exigat compenſationem, quandoquidem, cum fæmina ſit domina ſui corporis, poteſt nuptiarum iacturam pati velle etiam renitente patre, & ſine iniuſtitia poteſt velle remanere innupta, vel cui velit etiam inferiori nubere.

Rationes pro eadem ſententia.

3 Sententia aſſerens teneri ducere, vel congruenter dotare, eiuſque rationes.

Ex aduerſo *Gutierez de matrimon. cap. 1. num. 33. Ioannes Venerus lib. 1. examin. cap. 37. num 10 Iacobus Cancerius in var. reſol. tom. 3. cap. 11. nu 47.* exiſtimant, vel teneri ducere, vel congruenter dotare, & quidem admittunt primò, quod in hac hypotheſi perinde eſt, ac, ſi matrimonium non fuerit contractum, nec præceſſerit tractatus, cum paria ſint non contrahere, & nulliter contrahere per textum *in l. 3. §. non quaſi ſ ff. de bon poſſ contr. tab l. 4. §. condemnatum ff. de reg iuris, cap. non praſtat de reg. iur. in 6.*, ſed negant poſtea defloratorem virginis etiam non prætextu matrimonij non teneri, vel eandem ducere, vel congruenter dotare, cum onus ducendi, vel dotandi expreſsè habeatur *in c. 1., & 2. de adulter.* Addunt ſecundò in ordine ad congruentem dotationem nō auferre Concilium Trident. ius parentibus competens propter deflorationem Virginis, quando clandeſtinè contrahitur *arg. textus in l. 2. §. ſi quis à Principe ff. ne quid in loco publ. l. nec auus C. de emancip. lib.* Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

Fæminæ etiam inuitis parentibus poteſt nubere.

4 Vir deflorans prætextu eiuſdem matrimonij non tenetur eā ducere.

Reſpondeo primo, maritum ſuppoſitum poſt Contractum matrimonium clandeſtinum ſine aſſiſtentia Parochi, & teſtium prætextu eiuſdem deflorantem vxorem non teneri poſtea eam ducere. *Gutierez tract. de iuram. confirm. c. 51. num. 21. in pract. qq. lib. 2. q. 4. num. 12., & de matrimon c. 11. num. 1. Sanchez lib. 1. de matrimon. diſp. 71. num. 6. Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nuptiarum comp. 19. num. 137.*



Digitized by Google

*Zippeus lib. 4. tit. de ſponſalib. num. 3. Nauarrus conſil. lib. 4. in pr. edit. Conſil. pr. nu. 4., & in 2. edit. conſ. 3. num. 4. de cland. deſponſat. Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contractu cap. 1, num.* 16. Ratio ex eo deducitur, quia ad eam educendam nec tenetur ratione contractus, nec ratione iniuriæ illatæ per deflorationem, ergo &c. Antecedens quoad primam partem ex eo euincitur, quia contractus ille in ſua radice eſt abſolutè inualidus, nec vllam poteſt gignere actionem, nec ciuilem, nec naturalem, nec parere obligationem; quod ſecundam etiam ſic euincitur, quia cum ipſa conſcia fuerit inualiditatis contractus debet ſibi imputare, quod permiſerit ſe cognoſci; Deinde illa iniuria ita comparatur, ac ſi ſine matrimonio, & independentèr ab illo fuerit ſcienter deflorata, in quo caſu non ius acquirit, vt à defloratore ducatur per ea, quæ alibi diximus, ſed ad ſummum, vt ab illo dotetur, quod tamen, an adhuc verum ſit, mox ſubdo.

Debet ſibi imputare, quod permiſerit deflorari.

5
Non tenetur ad integram dotē, ſed tantū ad quantū intereſt, quod non fuerit deflorata.

Reſpondeo ſecundo. probabilius eſſe maritum ſic deflorantem teneri nō ad erogandam dotem ſimplicitèr, ſed tantum ad quantum intereſt, quod fuerit deflorata, nempe ad augendam dotem, vt æquali poſſit nubere. Conſonat cum ijs, quæ alibi dicta ſunt, quandoquidem, ſi non eſſet corrupta, minori dote poſſet nubere; ex eo autem, quod fuerit corrupta, vel teneretur cum tali dote cum inæquali nubere, vel ſi vellet cum æquali teneretur maiorem dotem erogare, vt per illum dotis exceſſum quodamodo compenſaretur integritas amiſſa, ergo illum dotis exceſſum maritus deflorans teneretur effundere; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ſupra dicebantur, nempe fœminam ipſam conſenſiſſe illi deflorationi, cum ſciuerit contractum matrimonialem clandeſtinū non ſubſiſtere, adeoque nec paſſa ſit iniuriam, & ſic ratione iniuriæ non poſſe exigere illum exceſſum dotis; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quandoquidem probabilius, & æquitati conformius eſt defloratorem puellæ etiam leuiter rogatæ teneri in foro conſcientiæ ad reſtitutionem arbitrio boni, & prudentis viri faciendam parentibus ratione iniuriæ illis illatæ, & damni, quod patiuntur, cum teneantur ratione deflorationis augere dotem *Medina C. de reſtit. lib. 1. c. 14. Corduba lib. 1. queſtionarij q. 13. dub. 15. Gutierez qq. canon. c. 37. num. 24.*

## §. III.

**An ſigna, quibus olim poſt ſponſalia reſultabat matrimonium, modo exhibita coram Parocho, & teſtibus efficiant validum matrimonium ſaltem præſumptiuè.**

*SVMMARIVM.*

*Referuntur ſigna, quibus antiquitùs poſt ſponſalia reſultabat matrimonium.* 1.
*Conſiderabilia circa factum.* 2.
*Si ſponſalia contracta fuerint coram Parocho, & teſtibus, & coram ipſis facta traductio ſolemni ritu, ita vt innoteſcat animus contrahendi de præſenti, tenet matrimonium.* 3.
*Non eſt neceſſe, quod conſenſus manifeſtetur per verba, ſed etiam ſignis poteſt innoteſcere.* 4.
*Quantumvis ſponſalia non fuerint inita corā Parocho, & teſtibus, ſi tamen ijs præcedentibus facta fuerit traductio ſolemni ritu coram eiſdem, ita vt cognoſcatur animus contrahendi de facto, tenet matrimonium.* 5.

DISQVISITIO III. Antiquitùs ante editum Concil. Trident. contractis ſponſalibus inter certas, & determinatas perſonas per ſolemnem traductionem ſponſæ in domum ſponſi ſponſalia iſta habebantur pro matrimonio, ſeu interpretatiuè tranſibant in matrimonium, quod idem habebatur per alia ſimilia ſigna. Modo iam quæritur, an ſi poſt Concilium Tridentinum fuerint legitimè contracta ſponſalia, & poſtea fiat illa traductio ſolemni ritu coram Parocho, & teſtibus aduertentibus eandem traductionē fieri, vel alia ſigna adhiberi animo contrahendi matrimonium de præſenti per illam traductionem, ſeu ſigna, quæ antiquitus inferebant matrimonium inferatur valide matrimonium ipſum.

1
Referūtur ſigna, quibus antiquitus poſt ſponſalia reſultabat matrimonium.

Duo conſideranda ſunt circa præſens quæſitum. Primum, an poſt Concilium Tridentinum illa ſponſalia fuerint inita coram Parocho, & teſtibus, & poſtea etiam coram illis exhibita illa ſigna, an vero independenter à Parocho, & teſtibus ſponſalia fuerint inita, & poſteà ſolum illa ſigna coram illis exhibita, dummodo aliunde fuerint conſcij ſponſalium præcedentium.

2
Conſiderabilia circa factum.

Reſpondeo primò. Si ſponſalia contracta fuerint coram Parocho, & teſtibus, & coram eiſdem traductio cum ſolemni ritu, adeovt cognoſcere potuerint 3

tint

Si ſponſalia contracta fuerint coram Parocho, & teſtibus, & coram eiſdem facta traductio ſolemni ritu, ita vt innoteſcat animus contrahendi de preſenti, tenet matrimonium.

ſint factam eſſe animo contrahendi de præſenti tenet matrimonium *Gutierez de matrimon. c. 40. n. 14. ad fin. Spino in ſpecul. teſt. gloſ. 15. nu. 65. Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 40. n. n. in fine, Iulius Sannazarius de ſponſal. c. 3. art. 4. nu. 94. Henriquez lib. 11. c. 3. §. 7. lit. K. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. n. 58.* Ratio ex eo deducitur, quià Concilium Tridentinum non ſuſtulit actus, & probationes coniecturales, quibus matrimonium; contractum fuiſſe probetur *Monaldus conſ. 61. nu. 5., & conſ. 154. num. 7. lib. 2. Franciſcus Molinus de ritu nupt. compar. 12. nu. 27. Gutierez de matrimon. c. 63. nu. 28. verſ. 2. non procedit, Cancerius var. reſol. tom. 3. c. 11. Franciſcus Zippaus lib. 4. annal. ennarrat. tit. de parochijs n. 8. in fin.*, ſed ſolum præſcripſit tanquam formam aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, ſed antecedenter ad Concilium Trident. contractis ſponſalibus, factaque illa traductione ſolemni ritu habetur, & præſumitur pro ſufficienti conſenſu ad matrimonium de preſenti *Cauallos pract. qq. com. contra comm. q. 604. num. 25. Spino in ſpecul. teſtam. gloſ. 15. n. 65. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 1 n. 58.* ergò poſt idem Concilium Trident. ſi interueniat in illis actionibus, quę ſecundum ſe inferebant matrimonium, aſſiſtentia Parochi, & teſtiũ taliter vt ex illis poſſint cognoſcere animum contrahentium contrahendi de præſenti, non erit, cur matrimonium illud non debeat ſubſiſtere. Confirmatur primo, quià poſita aſſiſtentia Parochi, & teſtium, non eſt neceſſe quod conſenſus contrahentium exprimatur per verba de præſenti coram illis, ſed etiam poteſt ſufficienter manifeſtari ſignis, & nutibus per ea, quæ ſuprà latè docuimus, ergò ſuppoſita manifeſtatione conſenſus ad ſponſalia per verba expreſſa coram Parocho, & teſtibus, ſi ſucceſſiuè coram illis fiat traductio ſolemni ritu ſponſæ ad domum ſponſi ſufficienter habebitur matrimonium expreſſũ per illa ſigna, & quidem ſeruata etiam forma concilij; Neque dicas illam traductionem indiferentem eſſe ſecundum ſe, vel ad manifeſtandum matrimonium, ſeù conſenſum ad illud, vel ad quid aliud indicandum, adeoque ex illa non ſufficienter argui conſenſum ad matrimonium de præſenti; contrà enim impugnaberis, quià illa indiferentia ſufficientèr tollitur per precedentia ſponſalia, quibus ſtantibus ad hunc effectum illa traductio ſufficiens eſt, & determinata, ea proportionali ratione, qua alibi dicebamus, traditionem annuli eſſe ſecundum ſe ſignum ambiguum, vel ad ſignificandum conſenſum ad ſponſalia, vel ad quid aliud indicandum, ſi tamen coniungatur cum præcedenti tractatu ad ſponſalia, ad eadem determinari; Deinde ſecundum communem conſuetudinem vbique receptam illa traductio cum ſolemni ritu ſponſæ ad domum ſponſi habetur pro matrimonio.

4 Conſenſus non eſt neceſſe, quod innoteſcat per verba, ſed etiã ſignis poteſt manifeſtari.

Indiferentia tollitur per præcedẽtia ſponſalia.

Dices hodie vigore decreti Concilij Trident. *d. cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* ſublata eſſe matrimonia præſumpta, quæ olim ex conſenſu virtuali, & interpretatiuo inducebantur *Nauarrus in Manuel. c. 25. num. 144., & c. 22. num. 28. Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 1. num. 99. Maſcardus de probat. concl. 129. num. 7. Caualcanus in repertor. ſuo ad primam partem deciſ. verbo matrimonium ſine denuntiationibus Cucus lib. 5. inſtit. maior. lib. 11. nu. 105. Iulius Sannazarius lib. 1. de ſponſalib. c. 2. art. 5. nu. 19., & c. 3. art. 3. num. 84. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 33. num. 148. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. num. 36.* ergo per illam traductionem ſolemni ritu ſponſę ad domum ſponſi exiſtentibus Parocho, & teſtibus, & præcedentibus ſponſalibus coram eiſdem initis non infertur ſufficienter de præſenti matrimonium. Sed contra in primis neſcio, qua conſequentia hac in re procedat *Ioannes Angelus Boſſius* à quo deſumpta eſt hæc inſtantia, dum hic nempe *d. nu. 36.* abſolute ſentit cum prællegatis DD. per Concilium Tridentinum ſublata eſſe omnia matrimonia præſumpta fundata ſcilicet in virtuali voluntate, & interprætatiua, dum poſtea *num.* 58. abſolutè ſentit matrimonium contractum per ea ſigna, per quæ olim ex iuris interpretatione ſponſalia iam contracta tranſibant in matrimonium, fieri verum, & validum etiam poſt Concilium Tridentinum, ſi illa exhiberentur, ſeu fierent coram Parocho, & teſtibus; quamobrem, vt ſibi contrarius non videtur in hoc audiendus. Deinde aſſero, ea, quæ dicuntur in inſtantia, & allegatos DD. eſſe dumtaxat intelligenda, ſeu intelligendos, quando voluntas eſt merè virtualis, & interpretatiua nullo ſufficienti ſigno externo expreſſa, ſecus autem ſi talia ſunt ſigna ſenſibilia, quæ ex præcedentibus, & annexis, additis etiam ex communi conſuetudine talia ſigna acceptante pro legitimo conſenſu adminiculis, vt in hypotheſi noſtra, ſecundum quam, & præcedentia ſponſalia cum expreſſo ordine ad futurum matrimonium, & illa traductio acceptata ſecundum conſuetudinem pro conſenſu indicant ſufficienter talem conſentum.

Arguitur Boſſius in conſequentiæ.

Voluntas eſt ſufficiẽti ſigno externo expreſſa.

Reſpondeo ſecundo, probabilius etiam eſſe, quod quantumvis ſponſalia fuerint quidem inita, non tamen coram Parocho, & teſtibus, illud matrimonium teneat, ſi traductio illa ſolemni ritu facta fuerit coram Parocho, & teſtibus, ſi iſti aduertant eandem fieri animo contrahendi de præſenti, & nouerint ſponſalia legitime

5 Etiã ſi ſpõſalia non fuerint inita corã Parocho, & teſtibus tenet matrimoniũ, ſi alia facta fuerint corã eiſdem.

timè antecedenter præceſſiſſe. *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. §. 7. lit. K., & L. Spino in ſpecul. teſtam. gl. 15. num. 65. Cauallos pract. 199. comm. contra com. qu. 604. num. 25.*, à quibus diſſentiri non videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 1. num. 58. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia non ideo in caſu præcedentis reſponſionis matrimonium illud intelligitur validum, quia ſponſalia præcedenter fuerint inita coram Parocho, & teſtibus, ſed quia ex illa traductione ſolemni ritu coram illis præcedentibus etiam coram eiſdem ſponſalibus arguitur, nec inefficaciter conſenſus præſens contrahentium, & ſufficienter expreſſus ad matrimonium; non enim conſenſus ad ſponſalia ſecundum ſe eſt ſufficiens ad matrimonium; ſed ille conſenſus ſufficienter etiam ſenſibiliter habeturper illam traductionem factam coram Parocho, & teſtibus ſuppoſitis ſponſalibus notis eiſdem Parocho, & teſtibus, quamuis non initis in eorum præſentia, ſed manifeſtatis per alios, quandoquidem ipſa præciſa traductio eſt ſufficiens ſecundum ſe ad manifeſtandum conſenſum ſuppoſitis illis ſponſalibus, ergo &c.

---

## §. IV.

### An in dubio præſumi poſſit pro matrimonio clandeſtino.

#### SVMMARIVM.

*Exponuntur factum, & rationes dubitandi.* num. 1.

*Vbi non agitur de articulo probationis ad vitandam culpam non præſumitur pro matrimonio clandeſtino.* 2.

*In articulo probationis ad euitandam culpam potius erit præſumptio pro matrimonio clandeſtino, quam pro adulterio.* 3.

DISQVISITIO IV. In præcedentibus diximus cauſas matrimoniales eſſe maxime fauorabiles, ac proinde in dubijs ſemper eſſe pro eiſdem præſumendum. His ſuppoſitis Caius contraxit matrimonium cum Berta per verba de præſenti, ſed

1 Exponitur factum, & rationes dubitandi.

non ſeruata forma Concilij. Circa tale matrimonium clandeſtinè ſic initum, pleraque pullularunt dubia, puta, an interceſſerit legitimus conſenſus, an aliquod impedimentum occultum interuenerit, an in articulo probationis interuenerit culpa adulterij, vel ſimplicis fornicationis, & quid ſimile. Quæritur iam, an in huiuſmodi dubijs ſit præſumendum pro matrimonio clandeſtino.

2 Reſpondeo primò, vbi non agitur de articulo probationis ad vitandam culpam, in dubijs non præſumi pro matrimonio clandeſtino *Maſcardus de probat. concl. 1027. num. 10. Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comparat. 8. num. 50. & 55., & compar. 17. num. 21. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 1. num 55.* Ratio ex eo deducitur, quia de præſenti *poſt Concilium Tridentinum d. cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* huiuſmodi matrimonia ſunt abſolutè nulla, ergo nullam habere poſſunt pro ſe præſumptionem, cum præſumptio non poſſit fundari in ipſo contractu. Deindè licet ante Concilium Tridentinum loco citato valerent indiſtinctè matrimonia clandeſtina, etiam quoad forum exterius, dummodo legitimè poſſent probari, erant nihilominus valde odioſa per textum *in cap. aliter 30. qu. 1. Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 45. num. 1.*, quod probat *ex d. cap. 1. Concilij Trident. ſeſſ. 24.*, ergo, vt potè odioſa, tàm de iure antiquo, quàm hodierno nullam habere poſſunt præſumptionem pro ſe, vnde dicenti ſemper incumbet onus probandi, quod dicit, nec in ſolo matrimonio ſufficienter probabitur aſſertum.

Vbi non agitur de articulo probationis ad vitandam culpam nõ præſumitur pro matrimonio clandeſtino.

3 Reſpondeo ſecundò, in articulo probationis ad euitandam culpam potius erit præſumptio pro matrimonio clandeſtino, quam pro adulterio *Gloſ. in cap. penult. de fideiuſ. Felinus cap. 1. n. 18. de præſumpt. Menoch. lib. 5. de præſumpt. præſumpt. 2. n. 25. Molinus lib. 1. de ritu nupt. compar. 8. num. 53. & 55. Rota Romana deciſ. 209. num. 6. prima part. in nouiſ.* Hoc contingeret, ſi ageretur de adulterio aduerſus aliquem ad vitandam pœnam, quia tunc potius præſumeretur matrimonium clandeſtinum, quam adulterium. Ratio ex eo deducitur, quia iura, vbi agitur de vitanda culpa, ſemper præſumunt pro eo, quod minus culpabile eſt.

In articulo probationis ad euitandam culpam præſumptio eſt pro matrimonio clandeſtino.

---

## §. V.

### An contrahentes abſque Parocho in loco Concilij, ſi poſtea affectu maritali extra locum Concilij ſe cognouerint, validè præſumantur contrahere.

#### SVMMARIVM.

*Facti ſeries in ſuis terminis.* 1.

*Conſiderabilia circa factum.* 2.

*Si præciſè in loco concilij contracta fuerint ſponſalia, & extra locum concilij habita fuerint copula affectu maritali probabilius illa ſponſalia tranſeunt in matrimonium.* num. 3.

Si

Digitized by Google

*Si præuijs ſponſalibus in loco concilij ibidem fuerit celebratum matrimonium per verba de præſenti non ſeruata forma eiuſdem, & deinde habita fuerit copula affectu maritali extra illum locum probabilius matrimonium non ſit validum.* 4.

*Non habet in hoc locum axioma, quod vtile ſeparabile ab inutili non vitietur.* 5.

*Si nullis præcedentibus ſponſalibus in loco Concilij contractum fuerit matrimonium non ſeruata forma eiuſdem, & poſtea extra locum Concilij habita fuerit copula affectu maritali non ſit validum.* 6.

*Poteſt tamen nouum iniri nullo habito reſpectu ad primum.* 7.

1 Facti ſeries in ſuis terminis.

DISQVISITIO V. In loco, in quo promulgatum fuerat Concilium Tridentinum, contraxerunt adinuicem Caius, & Berta non ſeruata forma Concilij, ſeù non adhibito Parocho, & teſtibus, deindè proficiſcentes ad locum, vbi forma Concilij non obligabat, cum ibidem non fuerit publicatum, affectu maritali copulam habuerunt. Quæſitum fuit, an tunc eſſet perfectum matrimonium, & ſubſiſteret.

2 Conſiderabilia circa factum.

Pro ſolutione circa præſens factum tria ſunt conſideranda. Primum, an in loco, vbi publicatum fuit Concilium, præcisè contraxerint ſponſalia, & quidem in forma valida, & non matrimonium per verba de præſenti, & deinde proficiſcentes extra illum locum ad alium, vbi forma Concilij non vigebat, illam copulam affectu maritali habuerint. Secundum, an non ſolum ſponſalia in loco Concilij habuerint, ſed etiam matrimonium per verba de præſenti non ſeruata forma Concilij, & poſtea alibi profecti, vbi concilium non obligat, copulam habuerint, ſeù conſummauerint. Tertium, an præcisè in loco concilij ſine forma eiuſdem contraxerint matrimonium per verba de præſenti, & poſtea alio profecti copulam affectu maritali habuerint. Quibus poſitis

3 Si præcisè in loco concilij contracta fuerint ſponſalia de futuro, & extra locum concilij habita fuerit copula affectu maritali probabilius illa ſponſalia transeunt in matrimonium.

Reſpondeo primò. Si præcisè in loco Concilij contracta fuerint ſponſalia de futuro, & poſtea extra locum Concilij affectu maritali habita fuerit copula, probabilius illa ſponſalia transeunt in matrimonium. *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 1. num. 81.*, atque in hanc opinionem exiſtimo conſentire quotquot ſuſtinent ante Concilium Tridentinum ſponſalia per copulam inter perſonas habiles affectu maritali ſubſequentem tranſire in matrimonium per textum *in cap. is, qui fidem de ſponſalib. & cap. vnico §. 2. de deſponſ. impub. in 6. Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comparat. 10. num. 10., compar. 10. num. 28. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. allegat. 33. num. 148. & tom. 2. collect. lib. 4. cap. 30. num. 2. & tom. 3. lib. 4. tit. 2. cap. ſi infantes num. 7. Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 1. num. 6., & ſeqq. Maſcardus de probat. concl.* 1031. & 1033. *Coaruuias de ſponſalib. part. 1. cap. 4. §. 1. num. 1. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num.* 104. Ratio ex eo deducitur, quia vbi forma concilij publicata non eſt, nec recepta in ſuo robore manet ius antiquum, ſed ſecundum ius antiquum ſponſalia per copulam affectu maritali ſubſequentem tranſibant in matrimonium per textum *in d. cap. is qui fidem de ſponſalib. & c. vnico §. 2. de deſponſat. impub. in 6.*, nec incongrua ratione, quia iura ſemper præſumebant pro negatione peccati, ergo hoc idem ſentiendum eſt, vbi concilium publicatum non eſt; Nec obeſſe poteſt, quod in loco Concilij celebrata fuerint ſponſalia, adeoque quod ratione illorum non poſſit per copulam affectu maritali ſubſequentem firmari matrimonium; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia Concilium Tridentinum quoad ſponſalia nihil innouauit, ſed ea reliquit in ſuo iure, in quo erant antiquitus, & per conſequens ratione ipſorum non poteſt inualidari ſubſequens matrimonium initum per illam copulam affectu maritali habitam extra locum Concilij in ſuppoſitione, quod independenter à Concilio Tridentino ſuppoſitis præcedentibus ſponſalibus fieret matrimonium per illam copulam.

Antiquitus per copulam ſubſequentem ſponſalia tranſibant in matrimonium.

4 Contractis ſponſalibus, & matrimonio in loco cōcilij non ſeruata forma eiuſdē matrimonium non ſit validū, ſi extra illum locum conſummetur.

Reſpondeo ſecundò. Si præuijs ſponſalibus in loco, in quo viget forma Concilij initum fuerit matrimonium per verba de præſenti non ſeruata eadem forma, & poſteà extra locum Concilij habita fuerit copula inter ſic contrahentes affectu maritali probabilius matrimonium non ſit validum. Eſt contra *Ioannem Angelum Boſſium de matrimonij contract. cap. 1. num. 81. prope medium, & Zippaeum lib. 4. tit. de ſponſalibus, & matrimonio num. 16. in fin.* Ratio ex eo deduci poteſt, quod in ſubſequenti reſponſione aſſeremus, nempe matrimonium ſine præuijs ſponſalibus initum in loco Concilij ſine Parocho, & teſtibus non firmari, quantumuis poſtea extra locum Concilij inter tales præſumptos coniuges affectu maritali haberetur copula, ergo etiam, nec poterit firmari, quantumuis præceſſerint antecedenter ſponſalia, ſi matrimonium per verba de præſenti non ſeruata forma Concilij initum fuerit per verba de præſenti in loco concilij quantumuis copula affectu maritali habita fuerit extra illum locum. Conſequentia probatur, quia, quod præceſſerint illa ſponſalia, cum completa fuerint per illud matrimonium non poſſunt influere ad validitatem quoad illam copulam poſtea affectu maritali ſubſequentem, quandoquidem illa ſponſalia per illud matrimonium

nium clandeſtinè initum reſoluta ſunt.

Dices, vtile ab inutili ſeparabili non vitiari per vulgatiſſima iura, ergo ſeparato inutili matrimonio intermedio ſponſalia antecedenter legitimè inita in ſuo robore perſeuerabunt, adeoque non erit. cur per copulam illam affectu maritali ſubſequenter habitam non tranſeant in matrimonium, cum copula illa ad eadem ſponſalia referatur, non ad matrimonium illud clandeſtinum, & irritum *Brixianus in repert. deciſ. Caualcani verbo matrimonium, & idem Caualcanus part. 3. deciſ. 21. num. 44.* Sed contra illud axioma, quod *vtile per inutile non vitiatur* fallit, quando ipſum vtile tanquam incohatiuum reſoluitur in inutile tanquam in ſuum complementum, tunc etenim per inutile vitiatum vitiatur etiam vtile in eodem imbibitum quodamodo, atque hoc idem ſentire videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 1. nu. 81. in fin.* quamvis expreſſe aduerſetur noſtræ opinioni, dum limitando dicit, *modo intendant non vetus tantum factum firmare, ſed etiam fieri coniuges illius copulæ exercitio*; dum etenim ſentit, quod fiat matrimonium non renouatione actus iam electi, ſed nouo actu in virtute illius copulæ affectu coniugali, per quem intendant fieri coniuges, iam indicat non fieri contractum matrimonialem ex vi prioris actus, quod etiam verificatur, quantumvis nullis præuijs ſponſalibus contractum fuerit clandeſtinè matrimonium, & poſtea ſubſecuta copula affectu maritali extra locum concilij, tunc etenim etiam poteſt fieri validum matrimonium non relatiuè ad vetus clandeſtinum, ſed ad nouum actum exhibitum in illa copula affectu coniugali.

5 Non habet in hoc locū axioma, quod vtile ſeparabile ab inutili non vitietur, & qua.

Reſpondeo tertio, ſi nullis præcedentibus ſponſalibus in loco, in quo viget forma Concilij contractum fuerit matrimonium ſine Parocho, & teſtibus, & poſtea extra locum Concilij habita fuerit copula affectu coniugali matrimonium illud non ſubſiſtit *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. num. 14. & num. 81. Gutierez de matrim. c. 11. num. 1.* Ratio ex eo deducitur, quia illa copula ſubſequens affectu coniugali extra locum concilij eſt effectus, ſeu complementum quoad eſſe accidentale, & ſubſequens matrimonij antecedenter contracti, ſed ille contractus matrimonialis abſolutè eſt irritus irritante *Concil. Trident. d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.*, ergo nec per illum actum poteſt reddi validus, cum non ſubſiſtente principali, nec poſſit ſubſiſtere acceſſorium. Quod ſi ſupponas nullum haberi reſpectum ad illum contractum matrimonialem clandeſtinè initum, ſed ſolummodo intendi per illum actum copulæ exiſtentibus alijs adminiculis nouum matrimonium, adeovt conſenſus vtriuſque ad idem matrimonium ſufficientèr adinuicem innoteſcat; tunc non denegarem validum conſtitui matrimonium, ſed hoc non eſſet vetus matrimonium clandeſtine initum reddi validum per copulam ſubſequentem in alio loco, in quo non viget forma Concilij, ſed nouum iniri per conſenſum de nouo exhibitum per ſufficientia ſigna ſenſibilia, quod non eſt incongruum, cum ex matrimonio clandeſtino non reddantur inhabiles contrahentes, tam inter ſe, quam cum alijs validè contrahere adhibitis, quæ in hoc genere adhibenda ſunt iuxtà formam, & ritum loci, in quo celebrare intendunt.

6 Matrimoniū contractum ſine præuijs ſpōſalibus in loco concilij, & cōſummatum extra illum non fit validum, ſi initum fuerit nō ſeruata forma Concilij.

7 Poteſt tūc nouū iniri nullo habito reſpectu ad primum.

---

## §. VI.

### An ſi ſponſalia fierent coram Parocho, & teſtibus tranſirent propriè in matrimonium etiam poſt Concilium.

*SVMMARIVM.*

*Elucidatio facti in ſuis terminis.* 1
*Conſiderabile pro ſolutione dubij.* 2.
*Si tam ſponſalia, quam copula habita fuerint coram eodem Parocho, & teſtibus probabilius ſit matrimonium verum, ſi acceſſerint animo coniugali, præſumptum ſi acceſſerint animo fornicatio, & quomodo.* 3.
*Si ſponſalia habita fuerint coram vno Parocho, & certis teſtibus, & copula coram Parocho, & teſtibus diuerſis probabilius etiam tenet matrimonium, ſi copula dignoſcatur facta affectu maritali.* 4.

Disqvisitio VI. Intendentes contrahere matrimonium inter ſe Titius, & Caia primo coram Parocho, & teſtibus contraxerunt ſponſalia per verba de futuro, poſtea etiam coram eiſdem copulam habuerunt pro tempore pro quo habiles erant ad contrahendum matrimonium. Hic quæſitum fuit, an illa ſponſalia per illam copulam ſubſequentem habitam coram Parocho, & teſtibus, ſine alia expreſſione tranſierint in matrimonium.

1 Elucidatio facti in ſuis terminis.

Hoc vnum pro ſolutione aduertendum eſt, an tam ſponſalia, quam copula habita fuerint coram eodem Parocho, & teſtibus, an vero ſponſalia inita coram vno Parocho, & talibus teſtibus, copula vero coram alio Parocho, alijſque teſtibus. Quibus poſitis.

2 Conſiderabile pro ſolutione.

Reſpondeo primo, ſi tàm ſponſalia, quam copula ſubſequens habita fuerit coram eodem Parocho, eiſdemque teſtibus

Digitized by Google

Si tàm ſpõſal a, quàm copula habita fuerint coram eodem Parocho, & teſtibus fit verum matrimonium, ſi copula habita fuerit animo coniugali, præſumptum, ſi animo fornicariò.

bus probabilius eſt fieri matrimonium verum, ſi fuerit verè conſenſus inter eoſdem contrahentes, & acceſſerint animo coniugali; præſumptum verò, ſi acceſſerint animo fornicario, adeovt probatis ſponſalibus antecedenter initis, & ſubſecuta copula coram Parocho, & teſtibus Eccleſia præſumeret pro vero matrimonio *Gutierez de matrimon. c. 30, & 40. nu. 13. Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 40. num. 7. in princip. Franciſcus Zippæus lib. 4. tit. de ſponſalib. num 4. Bonacina de matrimon. q. 2. punct. 1. n. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. q. 2 punct. 1. n. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1 n. 43.* Euincitur ex eo, quod antecedenter ad Concilium Tridentinum illa ſponſalia legitimè inita ſubſequente copula affectu coniugali tranſibant in matrimonium verum, ſi verè ille affectus fuerit coniugalis, præſumptum, ſi ille eſſet fornicarius per ea, quæ ſupra probauimus, ergò etiam poſt Concilium Tridentinum, ſi illi actus fuerint exerciti coram Parocho, & teſtibus. Conſequentia probatur quià concilium Tridentinum nihil innouauit circam materiam, & formam ſacramenti matrimonij, nec modum ſingularem præſcripſit, quo huiuſmodi materia, & forma eſſet per contrahentes exhibenda, ſed ſolum decreuit eſſe exhibendam coram Parocho, & teſtibus, ergò ſi antecedenter illi actus ſecundum ſe externè exhibiti efficaciter inferebant pro matrimonio, ſiuè vero, ſi fuerint exerciti affectu coniugali, ſiuè præſumpto, ſi affectu fornicariò, modo ſi exhibeantur coram Parocho, & teſtibus erant efficaces ad inferendum idem matrimonium, ſiuè verum, ſiuè præſumptum, prout &c. Secundò ex eo poteſt euinci, quià ad valorem matrimonij non eſt neceſſe, quod mutuus conſenſus exhibeatur coram Parocho, & teſtibus verbis expreſſis, ſed ſufficiant nutus, & ſigna extrinſeca per ſuperius probata, ſed talis copula poſt ſponſalia eſt ſignum ſufficienter manifeſtatiuum conſenſus contrahentium ſuppoſitis ſponſalibus præcipuè initis coram Parocho, & teſtibus per textum *in c. is qui fidem de ſponſalib.*, ergo &c.

Sufficiunt ſigna, & nutus corã Parocho, & teſtibus.

Dices, illam copulam indifferentem eſſe, vt coniugatur, vel cum affectu maritali, vel cum affectu fornicario, ergò ſecundum ſe non poteſt efficacitèr inducere præſumptionem pro matrimonio. Rurſus Parochus, & teſtes aſſumuntur per diſpoſitionem Concilij Tridentini, vt poſſint teſtificari de conſenſu ad matrimonium coram ſe præſtito, ſed illi in ea hypotheſi poſſunt tantum teſtificari de copula coram ſe exercita, non de conſenſu, ergò &c. Sed contrà, quià quamuis illa copula ſecundum ſe ſumpta ſit indiferens, vt coniungatur, vel cum affectu coniugali, vel cum fornicario, prout tamen coniungitur cum præcedentibus ſponſalibus, & promiſſione de matrimonio futuro exhibita coram eodem Parocho, & teſtibus ex præſumptione iuris ſufficienter determinatur ad indicandum affectum coniugalem, ad quem contrahentes videntur ſe determinaſſe per illam promiſſionem; vnde ad id, quod ſubditur dicendum eſt, quod non ſolum poſſit teſtificari de illa copula coram ſe habita, ſed etiam de promiſſione ad matrimonium coram ſe facta, & exhibita, quod ſatis eſt ad inferendum humano modo conſenſum determinatum ad coniugium.

Tollitur indiferentia per præcedentia ſponſalia.

4 Etiã tenet, ſi ſpõſalia, & copula habita fuerint coram diuerſis Parocho, & teſtibus, ſi copula cognoſcatur facta affectu maritali.

Reſpondeo ſecundò, ſi ſponſalia inita fuerint coram alio Parocho, alijſque teſtibus, & copula coram alio Parocho, & teſtibus diuerſis probabilius eſt tenere matrimonium, ſi Parochus, & teſtes aſſiſtentes illi copulæ ex adminiculis intellexerint haberi affectu coniugali, & cum animo contrahendi de præſenti *Bonacina de matrimon. q. 2. punct. 1. num. 4.* aduerſus quem neſcio quo fundamento inſurgat *Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 1. nu. 44. in fin.* dum ipſe poſtea *eod. tit. nu.* 58. docet, quod etiam ſi ſponſalia non fuerint contracta coram eodem Parocho, eiſdemque teſtibus ex traductione ſolemni ritu ponæ in domum ſponſi coram alio Parocho, & teſtibus ſufficienter inferatur matrimonium. Certè in hoc caſu etiam hic poſterior Parochus, & teſtes poſſunt ſolum teſtificari de traductione, non autem de expreſſo conſenſu coram ſe exhibito, & illa traductio poteſt coniungi cum alijs finibus à fine matrimonij. Quod ſi dixerit Boſſius eccleſiam habere traductionem ſolemni ritu pro ſufficienti, & legitimo conſenſu etiam præſcindendo à ſponſalibus antecedenter initis coram Parocho, & teſtibus, ſiuè eiſdem, ſiuè diuerſis, non ſic autem habere copulam pro conſenſu, niſi præceſſerint ſponſalia coram eiſdem Parocho, & teſtibus inita; ſtatim impugnabitur; vndè etenim hanc diuerſitatem præſumptionis, ſeù iuris præſumendi colligit? Certè conſenſus præciſè præſtitus ad ſponſalia non eſt ſufficiens pro matrimonio, ergò requiritur nouus conſenſus ſenſibilis, dum contrahitur matrimonium; hic autem non habetur, niſi, vel per traductionem, vel per copulam ſubſequentem, ergò ſicuti illa traductio ſecundum ſe eſt ſufficiens ad indicandum conſenſum pro matrimonio, erit etiam ſufficiens copula. Quod ſi iterum repetas, quod ille conſenſus præſtitus ad ſponſalia coram eodem Parocho, & eiſdem teſtibus explicet, & determinet ſubſe-

Arguitur Boſſius in conſequentia,

Re'ciduntur rationes Boſij.

ſubſequentem, qui præſtatur per copulã ad matrimonium, cum ſecundum ſe eſſet indifferens; ſi, inquam, hoc repetas, ſtatim adhuc impugnaberis, quia ille conſenſus præſtitus antecedenter in ſponſalibus coram Parocho, & teſtibus ſe habet in ordine ad hunc effectum validitatis contractus matrimonialis ſubſequentis diſpoſitiuè tantum ad determinandum, non formaliter, & tanquam forma conſtituens contractum; hæc autem diſpoſitio ſufficit, vt quoquo modo innoteſcat Parocho, & teſtibus, non eſt autem neceſſe, quod coram eiſdem immediate exhibeatur per eoſdem contrahentes, coram quibus ſufficit, quod exhibeantur ſigna expreſſiua conſenſus ad actum vltimatum, quomodocunque deinde illa ſigna determinent ad talem ſpecialem expreſſionem. Quamobrem probatur ſic reſponſio. Illa copula cognita per ſigna externa, vt habita affectu coniugali eſt ſufficiens ad indicandum conſenſum de præſenti ad matrimonium ſuppoſitis ſponſalibus præcedentibus etiam non exhibitis coram eodem Parocho, & teſtibus, modo eiſdem ſufficienter innotuerint, ergo non eſt cur matrimonium ex illa copula cognita exterius, vt facta affectu coniugali non debeat præſumi pro vero matrimonio.

Copula habita affectu coniugali apparenti eſt ſufficiẽs ad manifeſtandũ conſenſũ.

## §. VII.

### An matrimonium per verba de præſenti inter impuberes per copulam ætate perfecta ſubſecutam tranſeat in verum abſque nouo conſenſu coram Parocho, & teſtibus.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur facti ſeries.* 1.

*Matrimonium per verba de præſenti initum inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem reſoluitur ſolum in ſponſalia.* 2.

*Per copulam ſubſequentem pro tempore pubertatis vtriuſque matrimonium contractum inter impuberes coram Parocho, & teſtibus non fit validum.* 3.

*Intellige niſi nouus accedat conſenſus, & præſtetur coram Parocho, & teſtibus Ibid.*

*Si apparebant puberes tempore contractus, quamvis re vera eſſet impuberes non eſt iterum adueniente pubertate ex neceſſitate coram Parocho, & teſtibus præſtandus conſenſus.* 4.

DISQVISITIO VII. Duo impuberes, vel vnus pubes, & alter impubes contraxerant matrimonium per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus. Poſtea adueniente tempore pubertatis reſpectu vtriuſq; ſi vterque erat impubes, vel pubertate impuberis, ſi vnus tantum erat talis, copulam habuerunt adinuicem affectu maritali, & conſummarunt. Hic excitata fuit controuerſia, an per illam copulam præciſè poſt acquiſitam pubertatem, abſque nouo conſenſu coram Parocho, & teſtibus intelligatur perfectum matrimonium, an vero vlterius requiratur etiam nouus conſenſus coram eiſdem. 1

1 Facti ſeries expoſita.

Nonnulla circa hoc quæſitum licet ſub diuerſis terminis attigimus *tom.* 5. *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. diſq.* 2. §. 4. *num.* 5. nempe contractis ſponſalibus inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem, ſi iſti acquiſita pubertate conati fuerint in copulam, intelligi ſufficienter ratificata eadem ſponſalia inita tempore impubertatis, ſiue per eoſdem impuberes, ſiue per eorum parentes: ex quibus videtur poſſe legitimè inferri etiam matrimonium per verba de præſenti per eoſdem impuberes initum coram Parocho, & teſtibus per copulam perfectam ſubſequentem poſt acquiſitam legitimam ætatem fieri verum, & legitimum nullo alio requiſito, quandoquidem intelliguntur omnia appoſita, quæ requiruntur, vel ex natura eiuſdem contractus, vel ex diſpoſitione iuris.

Illatio deducta et alibi dicta.

Sanchez *de matrimon. lib.* 1. *diſp.* 21. *num.* 2. aſſerit matrimonium illud initum per impuberes, vel inter puberem, & impuberem etiam per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus non habere, niſi vim ſponſalium, cum ratione ætatis deficientis non poſſit inter eoſdem conſiſtere verum matrimonium de præſenti: atque hoc idem declarauit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum apud *Garziam de beneficijs part.* 11. *cap.* 8. *num.* 23., & apud *Auguſtinum Barboſam in collectaneis Bullarij verb. matrimonium*, qui propterea videntur ſentire non ſufficere illam aſſiſtentiam Parochi, & teſtium præſtitam pro tempore impubertatis, licet tunc verba fuerint de præſenti, quia, cum reſoluantur tantum in ſponſalia conſtituunt tantum præſentes Parochum, & teſtes ſponſalibus, ſeù conſenſui de futuro, non vero de præſenti. 2

2 Matrimonium initũ inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem reſoluitur ſolum in ſponſalia.

Reſpondeo per illam copulam ſubſequentem completa legitima ætate ad contrahendum matrimonium non fieri validum matrimonium, niſi nouus ponatur conſenſus coram Parocho, & teſtibus *Gutierez de iuran. confirm. pr. partis cap.* 11. *num.* 3

3 Per copulã habitã tempore pubertatis matrimonium contractum inter impuberes corã Parocho, & teſtibus non fit validum.

Digitized by Google

*num. 18. & de matrimon. cap. 70. num. 2. Matienzo lib. 5. recopil. tit. 1. in rub. gloſ. 1 num. 57. Canallos pract. qq. com contra com. q 604. num. 22. Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 1. compar. 14. num. 43. Henriquez lib. 11. cap. 3. §. 7. lit. F. Barboſa lib. 3. collect. lib. 4. tit. 2. cap. ſi infantes num. 7. in fin. Ioannes Angelus Boſſias de matrim. contract. cap. 1. num. 45.* Ratio ex eo deducitur, quia conſenſus relatus ad ſponſalia, ſeù ad matrimonium de futuro coram Parocho, & teſtibus non eſt ſufficiens ad matrimonium conſtituendum, quandoquidem Parochus, & teſtes non poſſunt teſtificari de matrimonio, & de conſenſu de præſenti, ſed tantum de conſenſu de futuro, & de ſponſalibus, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, conſenſus præſtitus pro tempore impubertatis coram Parocho, & teſtibus non eſt conſenſus, niſi relatus ad ſponſalia, & ad matrimonium de futuro, non autem de præſenti, cum ſtante illegitima ætate non poſſit eſſe inter eoſdem matrimonium de præſenti, vnde Sacra Congregatio Concilij definiuit apud Garziam, & Barboſam reſolui tantum in ſponſalia, ergo per illum exhibitum coram Parocho, & teſtibus non poteſt validum conſtitui matrimonium; nec illa ſubſequens copula habita poſt legitimam ætatem poteſt in ratione matrimonij illa ſponſalia conualidare, quandoquidem ad cõualidationem ſponſalium in ratione matrimonij requiritur conſenſus ſenſibilis de præſenti non quomodocunque, ſed exhibitus coram Parocho, & teſtibus, quod non euenit in hac hypotheſi. Quod, ſi ſupponas, quod habita legitima ætate coram eodem Parocho, & teſtibus habita fuerit illa copula affectu coniugali, tunc idem dicendum erit, quod dictum fuit in præcedenti diſquiſitione.

4
Si re vera erant impuberes, quando cõtractũ eſt matrimoniũ coram Parocho, & teſtibus apparebãt tamen adulti, & puberes non requiritur, quod adueniente pubertate iterum præſtetur conſenſus coram eiſdem.

Hic alia ſuboritur difficultas, an, ſi ſcilicet, quando impuberes, vel alter eorum impubes altero exiſtente pubere præſtiterunt conſenſum per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus erant quidem tales ſecundum veritatem, ſed apparenter videbantur adulti, & puberes, adeout defectus ætatis eſſet occultus, an, inquam, in ea hypotheſi ſufficeret copula ſubſequens poſt completam ætatem ad reualidandum idem matrimonium, an vero requireretur renouatio conſenſus per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus. Hæc difficultas maximè pendet ab iis, quæ in ſubſequentibus dicentur quoad alia impedimenta occulta, an ſcilicet, quando remouentur, requiratur nouus contrahentium conſenſus coram Parocho, & teſtibus, an verò ſufficiat, quod præcisè renouetur inter eoſdem coniuges. Breuitèr nunc dico in hac hypotheſi non requiri, quod iterum præſtetur conſenſus coram Parocho, & teſtibus, ſed ſufficienter renouatur per illam copulam affectu coniugali *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. num. 7. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 37. num. 6.*, quandoquidem in hoc caſu non militat ratio finalis Concilij Tridentini prohibentis matrimonia iniri ſine præſentia Parochi, & teſtium, ſed de hoc infrà latius agetur.

---

## §. VIII.

### An forma Concilij ex neceſſitate ſit repetenda, quando matrimonium fuit nullum, vel ob defectum conſenſus, vel ob impedimentum occultum.

### SVMMARIVM.

*Refertur ſtatus diſquiſitionis.* 1.
*Quando impedimentum eſt notorium, & publicum eodem remoto repetendus eſt conſenſus coram Parocho, & teſtibus.* 2.
*Item quando vrgeret periculum, quod impedimentum occultum fieret publicum, & poſſet in iudicio probari.* 3.
*Quando impedimentum eſt occultum non eſt neceſſaria repetitio formæ concilij, ſed ſufficit ſola renouatio conſenſus inter ipſos contrahentes.* 4.
*Non ceſſat in hoc caſu præciſè finis legis, ſed caſus non comprehenditur in lege.* 5.
*Non eſt repetenda forma Concilij, niſi quando contractus fuit irritus, & ſecundum ſe, & ſecundum Eccleſiam.* 6.

DISQVISITIO VIII. Contraxerunt per verba de præſenti matrimoniũ Caius, & Liuia coram Parocho, & teſtibus, ſed matrimonium illud erat inualidum, vel quia alter eorum liberum conſenſum, & verum non præſtitit, vel quia inter eoſdem erat impedimentum affinitatis, vel conſanguinitatis occultum, vel quid ſimile. Hic excitata fuit controuerſia, an remoto metu, vel fictione in eo, qui non libere conſenſit, vel per diſpenſationem impedimento occulto ſatis eſſet, ſi contrahentes inter ſe renouarent conſenſus, an verò requireretur, quod de nouo huiuſmodi conſenſus exhiberentur coram Parocho, & teſtibus.

1
Refertur ſtatus diſquiſitionis.

Communis DD. ſententia eſt, quod, ſi matrimonium, quantumuis contractum coram Parocho, & teſtibus fuerit nullum ob impedimentum notorium, & publicum, non teneat, niſi remoto impedimento per diſpenſationem, vel per nouum conſenſum expreſſum, ſi prior fuerit patenter

2
Quãdo impedimentum eſt notorium repetendus eſt conſenſus coram Parocho, & teſtibus

ſenter fictus, renouetur vtriuſque contrahentis conſenſus coram Parocho, & teſtibus, quod etiam definiuit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum apud *Bellarminum ad cap. 1. eiuſdem Trident. ſeſs. 24. de reformat. matrim. in declarat. & in addit. num. 21.*, & ratio in eo fundatur, quia conſenſus præſtitus inter perſonas notoriè illegitimas coram Parocho, & teſtibus, non fuit verum matrimonium, nec in ſe, nec in facie Eccleſiæ, ergo ſublato impedimento non poteſt conualeſcere, niſi conſenſus renouetur repetita iterum forma Concilij.

3 Item quando vrgeret periculū, quod impedimentum occultum fieret publicum, & poſſet in iudicio probari.

Item ſatis communiter docent contracto matrimonio nullo coram Parocho, & teſtibus ob impedimentum occultum remoto impedimento renouandum eſſe conſenſum repetita forma Concilij in ea hypotheſi, qua vigeret periculum, quod impedimentum occultum fieret publicum, & poſſet in iudicio probari *Henriquez lib. 11. cap. 3. num. 6. lit. N. Sanchez de matrimon. lib 2. diſp. 37. num. 11. Franciſcus Zippeus de iure nouo lib. 4. tit. de ſponſalib nu. 17. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 2. num. 2.*, qui etiam teſtatur de communi. Ratio ex eo deducitur, quia, quando impedimentum planè probari poſſet in foro externo ea omnia inconuenientia æque obuenire poſſent, ſi illud clam ratificaretur, quæ olim ex matrimonio clandeſtino valido ſequebantur, nam probato impedimento poſſet alter coniux aliam vxorem ducere, cum qua in perpetuo adulterio viueret, quandoquidem Eccleſiæ non conſtaret de occulta illa reualidatione poſt remotum impedimentum. Quandonam autem illud impedimentum dicendum ſit plene probabile ad diſſoluendum matrimonium publicè contractum *Maſcardus de probat concl. 410. num. 19.* per textum *in cap. quoties de teſtibus, & atteſt.* aſſerit tunc ſufficienter dici ad hunc effectum probabile, quando probari poteſt per duos teſtes omni exceptione maiores, & *Gutierez de matrimon. cap. 44. num. 80.* ſentit ſufficere, ſi huiuſmodi duo teſtes ſint idonei. His ergo ſic ſuppoſitis procedit dumtaxat difficultas in titulo propoſita, quando impedimentum, quod fuit per diſpenſationem ſublatum, vel per liberum conſenſum, & verum, ſi conſiſtebat in fictione, vel in metu, eſt taliter occultum, vt nec ſit periculum, quod fiat publicum, nec poſſit probari. Pro qua

4 Non eſt neceſſaria repetitio formæ Concilij, ſed ſufficit renouatio conſenſus, quādo impedimentū fuit occultum.

Reſpondeo non eſſe neceſſariam repetitionem formæ Concilij in renouatione conſenſus, ſeù contractus matrimonialis, ſed ſufficere ſolam renouationem conſenſus inter ipſos contrahentes. *Additionator ad Nauarrum lib. 4. tit. de deſponſat. impub. conſ. 3. in fin. Andraas Vallenſis in ſumma decret. lib. 4. tit. 3. num. 10. Franciſcus Leo part ſecunda Theſauri cap. 24. num. 81. Aloiſius Riccius in praxi for. Eccleſ. deciſ. 246. Auguſtinus Barboſa de poteſtate Epiſcop. allegat. 32. num. 517 Laiman lib. 5. Theol. moral. tract. 10. part. 4. cap. 14. num. 4. Diana part. 2. reſol. mor. tract. 1. miſcel. reſol. 5., & part. 3. tract. 4. reſol. 292. Bellarminus ad cap. 1. Trident. ſeſſ. 24. de reform. matrimon. in declar. & addit. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 2. num. 16.*, qui quamuis dixerit contrariam ſententiam à ſe explicatam, & confirmatam probabiliſſimam eſſe, & in praxi tutiorem, addit tamen non eſſe recedendum à noſtra opinione. Ratio ex eo deducitur primò, quia licet illud matrimonium ratione illius impedimenti occulti ſecundum ſe fuerit inualidum, non eſt tamen inualidum in facie Eccleſiæ, ſed eſt tale, vt ſi contrahentes vellent recedere, & aliud matrimonium contrahere illud prohiberet, quouſque docerent de impedimenti exiſtentia, ergo non eſt, cur requiratur illius renouatio iterum fieri in faciem Eccleſiæ, hoc eſt coram Parocho, & teſtibus, quandoquidem iam ſatis conſtat Eccleſiæ de illius celebratione ex eo, quod in faciem Eccleſiæ iam fuerit celebratum. Confirmatur, quia intantum, quando impedimentum eſt notorium, vel tale, vt quamuis ſecundum ſe ſit occultum, poſſit tamen fieri publicum, vel plenè probabile, requiritur, vt renouetur forma Concilij ſeruata; inquantum, cum non ſit validum in facie Eccleſiæ, vel coram eadem poſſit probari inualidum, facile poſſent inſurgere ea omnia incommoda, de quibus ſupra, ſi iterum celebraretur non ſeruata forma Concilij, quandoquidem, cum conſtet de inualiditate contractus antecedenter celebrati, & ex alio capite renouatio facta eſſet clandeſtinè, poſſent contrahentes à contractu recedere, & nouas nuptias inire relictis primis, ſicque in perpetuo viuere adulterio, quod eſt id, quod intendit euertere Tridentinum in irritatione matrimonij initi ſine Parocho, & teſtibus; ſed quando impedimentum eſſet omnino occultum, adeo vt non adſit periculum, quod poſſit fieri publicum, nec in iudicio poſſit probari, ceſſant ea omnia incommoda, & peccatorum pericula, quandoquidem Eccleſia non permitteret contrahentes ad alias nuptias tranſire, ergo &c. Secundò ex eo deduci poteſt reſponſio, quod docet *Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 37. num 3.*, nempe in hac hypotheſi non ceſſare præciſe rationem finalem legis, ſed nec eandem legem ad hunc caſum ſe extendere, nec eum vnquam comprehendiſſe, quæ duo certe ſecundum ſe diuerſa ſunt, nam quando præciſè ceſſat finis legis, non eſt ſemper, & vniuerſaliter verum, quod ceſſet lex ipſa

In facie Eccleſiæ intelligitur validum.

quoad

Caſus hic non comprehenditur in lege concilij.

quoad vim obligatiuam, quando vero non ſe extendit, ſeù non comprehendit aliquem caſum, ſemper verum eſt, quod ille caſus non cadat ſub illa lege, ergo in hoc caſu non requiritur executio legis præſcribentis aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, vt pote ab eadem lege non præſcriptam. Antecedens probatur, quia lex Concilij comprehendit eos caſus præciſe, in quibus ex clandeſtinitate poſſunt relinqui matrimonia valida occulta, & iniri publica inualida, vt conſtat ex ipſis proemialibus legis eiuſdem Concilij irritantis, ſed caſus, de quo hic loquimur, non eſt huiuſmodi, quandoquidem non poteſt dici, quod contrahentes poſſint ab illo matrimonio reſilire tanquam occultè inito, & aliud ſolemniter celebrare, nam cum Eccleſiæ conſtat de celebratione prioris in faciem ipſius ſemper vetaret aliud contrahere, ergo &c.

Varia argumenta aduerſantia proponuntur.

Aduerſus hanc noſtram reſponſionem pleraque obijciuntur; & primò, quia licet in hoc ſpeciali caſu ceſſet ratio Concilij Tridentini irritantis, non propterea ceſſat lex ipſa, cum inducta fuerit in bonum publicum; ex fine autem particulari, ſeù in caſu particulari ceſſante non ceſſat lex inducta in bonum commune *Tiraquel in tract. ceſſante cauſa limit.* 37. vbi allegat Bartolum, & alios. Secundò, quia præſentia Parochi, & teſtium inducta eſt tanquam forma à Concilio Tridentino, adeò vt illa in contractu non adhibita contrahentes ſint inhabiles ad ſic contrahendum, & ipſe contractus omnino ſit irritus, & nullus: forma autem ſemper requiritur, quotieſcunque valide initur contractus, tunc autem valide fit contractus, quando remoto impedimento renouatur conſenſus; ergo tunc requiritur illa forma. Tertiò, quia illa præſentia Parochi, & teſtium adhibita in priori contractu inualido ob impedimentum occultum adhibita eſt ad legitimandum illum priorem conſenſum quantum eſt ex parte eiuſdem conſenſus, ſed ſolemnitas, ſeù forma adhibita ad vnum actum non poteſt alteri actui inſeruire, ergo &c. Quartò, quia in Bulla Cruciatæ conceditur commiſſario facultas ex priuilegio diſpenſandi ſuper impedimento occulto in matrimonio iam côtracto, vt poſſit iterum occultè celebrari ſine præſentia Parochi, & teſtium, ergo attenta diſpoſitione Concilij Tridentini id fieri non poteſt ſine eadem præſentia Parochi, & teſtium, cæteroqui non eſſet priuilegium illud conceſſum in Bulla Cruciatæ. Quintò, quia contrarium fuit expreſsè deciſum per *Rotam Romanam deciſ.* 265. relata à *Farinacio tom.* 2 *conſil crimin.*, quam de verbo ad verbum refert *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap.* 2. *num.* 10., *& ſeqq.*, ad quem vos remitto. Sed facili negotio his obiectis poſſemus occurrere.

5 Non ceſſat in hoc caſu præciſè finis legis, ſed caſus non comprehenditur in lege

Ad primum dicendum eſt in hoc ſpeciali caſu non præciſe ceſſare finem legis, ſed legem ipſam hunc caſum non comprehendere, vt patet ex ſecunda probatione reſponſionis; vnde inſtantia allata nihil penitus roboris habere poteſt; Neque iuuat aduerſus hanc reſponſionem, ſi aſſeratur eſſe merum adinuentum aſſerere non præciſe in hoc caſu ceſſare finem legis, ſed caſum hunc in illa non comprehendi; quandoquidem Concilium vniuerſaliter loquitur de omni matrimonio, & propterea etiam hunc caſum comprehendit, quod etiam ratione euincitur, nam motiuum Eccleſiæ illius legis conciliaris condendæ non fuit ſolum illis periculis, & malis mederi, de quibus dicitur in proemio eiuſdem Concilij, ſed etiam ex eo motiuo, & conſideratione, vt conſtaret idoneè de matrimonio valide contracto, & idcirco præſcripſit pro forma aſſiſtentiam Parochi, & teſtium; Non, inquam iuuat, quia lex præſcribens, ſeù præcipiens aliquod opus ad aliquem finem non comprehendit caſus, qui nequeunt cadere ſub illo fine; ſic vt exemplificat *Sanchez d. lib.* 2. *diſp.* 37. *num.* 2. *in fin.*, ſi ſuperior regularis præcipiat ſuis ſubditis, ne adeant locum determinatum, vbi operarij operantur, ne loquelis illos impediant, non intelligitur comprehendere caſum, quo ſubditi locum illum adirent pro tempore, pro quo operarij ibi non laborant; comprehenderet autem, ſi illuc ſe transferent pro tempore, quo artifices operantur, licet intenderent tacere, in quo tamen caſu ceſſaret finis legis. Hoc euenit in caſu noſtro, ſecundum quem, cum lex intendat vitare illa incommoda, & ſcandala, non comprehendit propterea illos caſus, ſecundum quos illa ſcandala, & incommoda obuenire non poſſunt.

6 Non eſt repetenda forma Côcilij, niſi quando contractus fuit irritus, & ſecundû ſe, & ſecundû Eccleſiam.

Ad ſecundum dicendum eſt Concilium vere præſcripſiſſe pro forma præſentiam Parochi, & teſtium, quæ propterea renouanda eſt, quotieſcunque contractus abſolutè irritus innouandus eſt, ſecus autem, quando eſt irritus ſecundum ſe, non autem ſecundum Eccleſiam, quia cum hæc forma ſit ab Eccleſia præſcripta, eouſque perſeuerat, quouſque ſecundum eandem Eccleſiam contractus ipſe ſubſiſtit, ac proinde quando innouatur contractus irritus ſecundum ſe adeſt eadem forma in contractu valido quoad Eccleſiam.

Ad tertium dicendum eſt, quod, quantumuis illa præſentia Parochi, & teſtium adhibita ſit ad legitimandum illum priorem conſenſum præſtitum pro illo actu ex impedimento occulto ſecundum ſe nullo, per accidens tamen trahatur etiam ad legitimandum poſteriorem conſenſum

Prior præſentia Parochi, & teſtium retrahitur ad legitimandum ſecundum conſenſum.

ſecundum ſe validum, quod non difficile eſt intellectu, quandòquidem Eccleſia illam formam præſcripſit pro legitimatione actus, vel talis, ſi ſecundum ſe ſubſiſtat, vel alterius ſubſiſtentis loco eiuſdem ſubſtituti, cum prædicta forma remaneat in ſuo vigore, & retineat ſemper ſuum effectum quoad eccleſiam, apud quam ille prior contractus perſeuerat in ſuo eſſe.

Ad ſedandos ſcrupulos, quandòque priuilegium cōcedit id, quod concedit ius commune.

Ad quartum dicendum eſt cum *Sanchez dict. lib. 2. diſp. 37. n. 15. verſ. ad vltimum Ioanne Angelo Boſſio de triplic. ſubtil. priuilegio ſect. 3. caſ. 2. §. 6. n. 204., & de matrimon. contract. c. 2. n. 19.*, quandòque per priuilegia concedi id, quod iure communi contenditur, & permittitur ad tollendos ſcrupulos, & pacandas conſcientias, maximè, quandò res, de qua agitur ſecundum ius commune dubia eſt.

Deciſiones Rotæ Romanæ non conſtituunt ius.

Ad vltimum dicendum eſſe Rotam Romanam in ſuis deciſionibus non facere ius, ſed conſtituere ſolum ſententias probabiles, & in controuerſijs quandoque ex aliqua circumſtantia amplecti ſententiam probabilem relicta probabiliori.

---

## §. IX.

### An ſit repetenda forma concilij, quandò matrimonium initum eſt cum impedimento occulto coram Parocho, & teſtibus, qui omnes, vel aliquis illorũ cognoſceret impedimentum.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſia expoſitus.* 1.

*Si tàm Parochus, quàm teſtes in celebratione contractus fuerint conſcij impedimenti in renouatione contractus probabilius eſt repetenda forma concilij.* 2.

*Si alter ipſorum tantum nouerit impedimentum probabilius non eſt ex neceſſitate repetenda forma Concilij.* 3.

1 Status controuerſiæ exponitur.

DISQVISITIO VIII. Aderat impedimentum occultum, vel affinitatis, vel conſanguinitatis, vel aliud ſimile dirimens inter Theodoricum, & Semproniam, quod tamen erat cognitum, vel Parocho, & teſtibus ſimul vel ſaltem alteri illorum. Stante hoc impedimento, licet occulto ſecundum ſe, noto tamen prællegatis, vel alteri eorum idem Theodoricus, & Sempronia per verba de præſenti contraxerunt matrimonium cum eiſdem. Remoto poſtea tali impedimento per diſpenſationem renouare intendebant contrahentes eundem contractum per nouum conſenſum. Hic quæſitum fuit, an renouare tenerentur repetita forma Concilij, an verò eadem omiſſa.

2 Si tam Parochus, quā teſtes fuerint conſcij impedimenti, dum celebraretur contractus in repetitione eiuſdem eſt reuouanda forma concilij.

Reſpondeo primo. Si tàm Parochus, quàm teſtes aſſiſtentes fuerint conſcij illius impedimenti occulti, quando coram ipſis per verba de præſenti celebrabatur matrimonium cum illo impedimento probabilius in renouatione contractus per nouum conſenſum eſſet repetenda forma Concilij *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 3. n. 7. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 47. art. 3. dub. vlt. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 37. n. 10. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 2. num. 4. Franciſcus Zippaus de iur. nouo lib. 4. tit. de ſponſalib. num. 7.* Ratio ex eo deducitur, quià per illos illud impedimentum plenè probabile eſt, quandòquidem ipſi cenſentur teſtes idonei, vel aliquis illorum ſaltem omni exceptione maior, ſed quandò impedimentum plenè probabile eſt per ſuperius allegatos DD. in renouatione contractus eſt repetenda forma Concilij, ergò &c. Alia ratione procedit *Sanchez loc. cit.*, quià ſcilicet, cum Parochus, & teſtes aſſumantur, vt ſit Teſtes eccleſiæ, valoris contractus non poſſunt in ea hypotheſi teſtificari de valore, ſed tantum de nullitate; Sed huic rationi ſecundum ſe ſumptæ, prout ſcilicet aſſumuntur tanquam teſtes ab eccleſia non facile acquieſcerem, quandòquidem non aſſumuntur niſi, vt ſint teſtes de contractu coram ſe inito, non autem de validitate, vel inualiditate contractus ex non exiſtentia, vel exiſtentia impedimenti, quandòquidem in ordine ad hæc impedimenta digno ſcenda præmittuntur denuntiationes, vel diligens inquiſitio, ſicque in ordine ad hæc impedimenta ipſi Parochus, & teſtes ſe habent præcisè, vt alij homines habentes notitiam huiuſmodi impedimentorum cum ſub ea ratione, ſub qua aſſiſtunt, habeant ſolummodo teſtificari de contractu inito; quod ſi deindè nouerint aliquod impedimentum, tenentur illud deponere, ſicuti cæteri non aſſiſtentes habentes ſimilem notitiam.

3 Si alter tantum ipſorũ nouerit impedimentũ probabilius non eſt ex neceſſitate repetenda forma concilij.

Reſpondeo ſecundò. Si alter ipſorum tantum nouerit impedimentum occultum, adeovt aliundè probari non poſſit in renouatione contractus remoto impedimento per diſpenſationem, vel alio modo non eſt ex neceſſitate repetenda forma Concilij. Eſt directè contra *Sanchez d. lib. 2. diſp. 37. n. 10. Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. c. 2. n. 4.* quorum rationes, nec efficaces ſunt, nec ſubſiſtunt; Ideo etenim exiſtimant repetendam eſſe in renouatione illius contractus formam Concilij, quià vno ex teſtibus, vel Parocho cognoſcente impedimentum dirimens,

quan-

*Rationes Sanchez, & Boſſij reijciuntur.*

quantumuis occultum deficiunt ſubſtantialia contractus, ille ſcilicet teſtis conſcius impedimenti, vel Parochus, cum non poſſit teſtificari de valore contractus, ſed tantum de nullitate; ſed hæc ratio ex ſupra probatis nullius penitus roboris eſt, quandòquidem non aſſumuntur, vt teſtificentur de validitate, vel inualiditate, ſed de matrimonio coram ſe contracto, quidquid deindè ſit de valore, vel negatione valoris, ergò &c. Ratio igitur noſtræ reſponſionis ex eo deducitur, quià ex ſuperius dictis, quandò matrimonium eſt nullum ob impedimentum occultum, reſpectu cuius non eſt periculum, quod fiat publicum, quodque plenè probabile non eſt, non eſt ex neceſſitate repetenda forma Concilij, prout probat *Nauarrus in manual. c. 22. n. 70., & c. 16. nu. 37., & lib. 4. conſil. tit. de ſponſal. in 1. adit. conſ. 35. n. 21., & in 2. edit. conſ. 14. in fin. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior tit. 11. nu. 65. Canallos tom. 1. contra comm. q. 604. nu. 28. Fernandez in medul part. 4. c. 18. ſeſſ. 1. num. 18. Rebellus lib. 2. de oblig. iuſt. q. 9. n. 5.*, ſed quandò, vel ſolus Parochus, vel alter ex teſtibus tantum conſcius eſt impedimenti occulti illud non eſt plenè probabile, quandòquidem, vt ait *Maſcardus de probat. concl. 1023. num. 4. ad 14.*, vt plenè probabile ſit, requiritur, vt probari poſſit duobus teſtibus omni exceptione maioribus, quod non militat in hac hypotheſi, ergò &c.

*Quandò vnus tantù eſt conſcius impedimenti impedimentum illud non eſt probabile.*

Sanchez *d. lib. 2. diſp. 37. n. 10. prope finem* aſſerit, quod ſi Parochus, & teſtes pro tempore celebrationis contractus fuerint ignorantes impedimenti occulti, licet poſtea nouerint talitèr, vt plenè illud probare non poſſint, non ſit in reuocatione eiuſdem contractus remoto impedimento exhibendus iterum conſenſus coram ipſis, & rationem adducit, quià quandò primò aſſiterunt matrimonio homines eccleſiæ, hoc eſt, vt ræpræſentantes eandem eccleſiam fuerunt teſtes valoris matrimonij, poſtquam autem adſtiterunt, & ræpræſentarunt eccleſiam habentur, vt alij homines, qui ſi nequeunt probare impedimentum non inducunt neceſſitatem in renouatione contractus repetendi formam Concilij, vt ſupra. Sed non video quam vim habere poſſit hoc diſcrimen, quod aſſignat Sanchez, quando Parochus, & teſtes ſunt ignorantes tempòre celebrationes contractus, & poſtea conſcij, ac quandò ſunt conſcij pro tempore celebrationis eiuſdem. Certè pro tempore, quo aſſiſtunt non repræſentant Eccleſiam, niſi, prout debent eſſe teſtes eidem in ordine ad contractum coram ſe initum; in ordine vero ad alia poſſunt eſſe ſolummodo teſtes, ſicuti cæteri, qui non aſſiſtunt, qui propterea ad normam eorum debent regulari. Deindè demus, quod conſcij facti fuerint impedimenti occulti poſt celebrationem contractus. Demus inſuper, quod ſuper celebratione eiuſdem orta fuerit controuerſia, poſtquam illi conſcij facti fuerint impedimenti, & poſteà peto, an poſſint teſtificari de valore matrimonij coram ſe initi non obſtante, quod poſtea nouerint impedimentum illud occultum? Reſpondet vtique Sanchez poſſe, quod ſecundum alium ſenſum non poſſunt deponere, niſi ſecundum hunc, quod contractus fuerit coram eiſdem initus, ſed hoc etiam poſſunt præſtare, quandò fuerint conſcij impedimenti occulti, quod plenè probare non poſſent pro tempore celebrationis contractus, quandòquidem poſſunt deponere de contractu coram ſe inito, ergò &c.

*Reijcitur quidam modus, & diſtinctio Sanchez.*

---

## §. X.

### An diſpenſatio impedimenti occulti dirimentis cum clauſula, vt renouetur contractus ſeruata forma Concilij obligat ad eandem formam.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ exponitur.* 1.
*Sententia aſſerens non obſtante illa clauſula poſſe renouari contractum ſine forma Concilij.* 2.
*Sententia negans poſſe renouari contractum, ſine repetione formæ concilij.* 3.
*Hæc ſecunda ſententia præfertur.* 4.
*Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.* 5.

1 Disqvisitio IX. Contraxerunt in faciem Eccleſiæ matrimonium, hoc eſt ſeruata forma Concilij Seius, & Meuia, inter quos aderat impedimentum occultum dirimens, vel conſanguinitatis, vel affinitatis, vel alterius ſimilis rationis. Cognito impedimento ſupplicarunt pro diſpenſatione ſuper illo impedimento occulto, & reſcriptum obtinuerunt in hanc formam, ſeu cum hac clauſula *Si ita eſt eum eis, vt inter ſe publicè, & ſeruata forma Concilij Tridentini contrahant, diſpenſes.* Hoc ſuppoſito controuertitur iam, an in hac hypotheſi in renouatione contractus teneantur abſolutè formam Concilij repetere, adeout, nec aliter, nec alio modo poſſint reualidare contractum antecedenter nulliter initum.

*Status controuerſiæ exponitur.*

2 In hac controuerſia duas inuenio opiniones ſibi extremè oppoſitas; alteram *Sanchez dict. lib. 2. diſp. 37. num. 9.* cui adhærere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrimo;*

Sententia aſſerēs poſſe renouari contractū non obſtante illa clauſula ſine repetitione formæ Concilij.

*trimonij contractu c.2. à num.25. ad 32.*, atque hæc aſſerit non obſtante illa clauſula appoſita in diſpenſatione poſſe renouari contractum per mutuum conſenſum non repetita forma Concilij; quod vt probet, ſupponit, quod quamuis virtute huius commiſſionis non poſſit commiſſarius diſpenſare, vt occulte contrahatur, ſeù renouetur matrimonium, poſſit tamen abſolutè diſpenſare ſuper impedimento illo occulto, qua poſita diſpenſatione, & per conſequens ceſſante illo impedimento poſſint contrahentes non quidem in vim diſpenſationis occultè contrahere, ſed in vim iuris ſibi competentis iuxta ſuperius dicta.

3 Sententia negans poſſe renouari contractū ſine repetitione formæ concilij, e uſque rationes.

Alteram *Gutierez c.47. de matrim. n.6., & ſeqq.*, quæ aſſerit poſita illa diſpenſatione cum illa clauſula non poſſe contractū renouari, niſi repetita forma concilij iuxta formam in diſpenſatione præſcriptam; atque ad hoc aſſerendum multis mouetur rationibus, & primo quià ablatiuus abſolutus importat conditionem *l. à teſtatore, & ibi notat. ff de condit., & demonſt. Iaſon in rub ff ſol matrim. in 2. lectura n.10. Rolandus à Valle conſ. 63. n.3. lib.4.*, & conditio importat formam *l qui hæredi, & l Mæuius ff de condit., & demonſt.*, ſed diſpenſatio concepta eſt per verbum abſolutè poſitum nempe per ablatiuum *ſeruata ſcilicet forma Concilij*, ergò diſpenſatio in tantum poteſt ſubſiſtere, in quantum forma, ſeù conditio ſeruetur in eadem diſpenſatione præſcripta, adeoque niſi exequatur forma Concilij non tenet, cum præſcribatur in eadem diſpenſatione. Secundò, quià diſpenſatio illa continet formam, quæ indiuidua eſt, & diuiſio formam corrumpit *Franciſcus Beccius conſ. 12. n.30.*, vbi alios plures allegat, ergò nec commiſſarius, nec partes poſſunt eam formam diuidere acceptando in parte diſpenſationis impedimenti, & reiciendo quoad partem, qua præcipitur obſeruantia formæ Concilij. Tertiò, quià totam auctoritatem, & ius, quod habet Commiſſarius, eſt dependentèr à voluntate committentis, adeovt nequeat excedere limites commiſſionis, ergò ipſe poteſt ſolummodo diſpenſare intra terminos ſibi in commiſſione præfinitos, nec aliter, nec alio modo, ergò neque ipſi contrahentes, qui quoad diſpenſationem debent dependere à commiſſario iuxtà terminos in commiſſione ipſi impoſitos. Quænam igitur ex his opinionibus extremè oppoſitis eſt eligenda.

4 Hæc ſecunda ſententia præfertur.

Reſpondeo, potiora eſſe iura Gutierez aſſerentis in data hypotheſi eſſe repetendam formam Concilij. Hanc reſponſionem latè comprobant rationes, & iura ſupra adducta pro eodem. Pro qua vlterius has adde rationes. Primo, quià diſpenſatio, cum ex genere ſuo diſcordet à iure communi, eſt ſtrictiſſime interpretanda per textum *in c. 1. §. ille vero de filijs presbit. in 6.*, nec incongrua ſanè ratione hoc indicitur, quandòquidem lex, quæ omnibus eſt æqua, ſi ius commune lædat, eſt odioſa, & valde reſtringenda per textum *in reg. quæ à iure de reg. iur. in 6.*, nec poteſt excedere terminos, ſecundum quos eſt concepta, ergò non debet habere locum, niſi adamuſim ea omnia, quæ in ipſa præcipiuntur, exequantur. Secundò, quià Princeps, ſeù Pontifex, apud quem reſidet ius, & poteſtas diſpenſandi poteſt ſolummodo velle diſpenſare, ſi hæc, vel illa exequantur, nec alitèr, nec alio modo, qua in hypotheſi, niſi pręcepta exequantur, non tenet diſpenſatio, ſed ex eo, quod illam clauſulam appoſuerit reſtrictiuam, *ſeruata forma Concilij* ſatis Pontifex mentem ſuam aperuit diſpenſandi ſub illa conditione, nec aliter, nec alio modo, ergò &c.

5 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

Ad rationem, quæ ex Sanchez ſuperius afferebatur, dicendum eſt poteſtatem commiſſarij ità reſtrictam eſſe, vt poſſit diſpenſare nō quomodocunque, ſed iuxtà terminos à delegante ſibi in commiſſione pręfinitos, nec aliter, nec alio modo; tota etenim ipſius auctoritas dependet à voluntate committentis, nec partes ipſæ, ad quas dirigitur diſpenſatio, poſſunt tales limites excedere; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod licet illa clauſula in diſpenſatione appoſita *ſeruata Concilij Tridentini forma* contineat formam, illam tamen continet, vt iam à iure ſtatutam *in d. c.1. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.*, cui verè per diſpenſationem Papa diſpenſans non intendit derogare; vndè mens Pontificis diſpenſantis ita eſt interpretanda, vt obliget, quatenus Concilium ipſum, quod talem formam præſcripſit, intendit obligare; Cum igitur ex prędictis concilium non comprehendat caſum, quo talis forma iam præmiſſa eſt, & ex impedimento occulto iterum eſt renouandus contractus, nec in tali hypotheſi intendunt obligare, hinc eſt, quod nec Pontifex præſumendus ſit velle ad talem formam repetendam obligare; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià cum Pontifex in diſpenſatione expreſsè appoſuerit illam clauſulam, & preceperit repetitionem formę concilij adiecisse pręſumendus eſt tanquam opus neceſſarium ad conſequendum effectum diſpenſationis, non præcisè reſpiciens id, quod ex diſpoſitione, & ad normam Concilij Tridentini pręſcriptum eſt, & exequi debet, cæteroqui fruſtatoria eſſet appoſita illa clauſula in diſpenſatione; vnde regularitèr appoſita in conceſſione priuilegij cenſentur appoſita tanquam opera adiuncta ad vali-

Appoſita in conceſſione priuilegij intelliguntur tanquam neceſſaria ad conſecutionem eiuſdem.

dum

dum illius conſecutionem; Hac ratione plurimi apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de Triplici Iubilæi priuilegio ſect. 4. caſ. 19. nu. 1.* aſſerunt, quod ad conſequendum Iubileum, vel aliquam plenariam indulgentiam, quandò per Pontificem iniungitur tanquam opus ſacramentalis confeſſio, hæc adhibenda ſit, quantumvis ex genere ſuo ad conſequendam indulgentiam, ſeù iubilæum ſit neceſsarius in ſuſcipiente ſtatus gratiæ, qui aliundè haberi poteſt.

---

## §. XI.

### An repetenda ſit forma concilij in renouatione matrimonij inualidi ex defectu, ſeù impedimento occulto, quandò contractum fuit cum mala fide contrahentium.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur factum in terminis particularibus.* num. 1.
*Sententia aſſerens in ea hypotheſi malæ fidei contrahentium in renouatione contractus repetendam eſſe formam concilij.* 2.
*Probabilius eſt in ſuppoſitione, quod impedimentum fuerit occultum, & non plenè probabile in renouatione contractus non eſſe repetendam formam concilij.* 3.
*Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.* 4.

1 Exponitur factum in ſuis terminis particularibus.

DISQVISITIO X. Exiſtebat impedimentum dirimens licet occultum inter Meuium, & Caiam, cuius erant ipſi conſcij. Non obſtante tali impedimento cognito per eoſdem contraxerunt ad inuicem matrimonium per verba de præſenti ſeruata forma Concilij, hoc eſt adhibito Parocho, & teſtibus. Tacti dolore cordis intrinſecus de illo attentato contra dictamen propriæ conſcientiæ diſpenſationem ſuper illo impedimento obtinuerunt à Pontifice. Quæſitum fuit, an in ea hypotheſi in renouatione contractus matrimonialis eſſet repetenda forma Concilij, an verò ea omiſsa, (ſicuti fieri poſse vidimus in præcedentibus, quando impedimentum eſt occultum, & non plenè probabile, & ipſi contrahentes illius in celebratione contractus fuerunt penitus inſcij) poſſint inter ſe de nouo valide contrahere.

2 Sententia aſſerens in ea hypotheſi malæ fidei contrahentium repetendã eſſe formã concilij.

Veracrux *append. ad ſpeculum dub. 10. concl. 6. in fin.* videtur expreſsè ſentire in ea hypotheſi malę fidei contrahentium adhibitæ in celebratione contractus prioris inualidi repetendam eſse formam Concilij in renouatione contractus poſt diſpenſationem obtentam ſuper illo impedimento occulto. Suam intentionem in eo fundat, quod arbitratur omiſſionem illius formæ concilij in renouatione contractus, quandò irritus fuit ex impedimento occulto, & non plenè probabili, prouenire ex indulgentia Eccleſiæ per quandam Epicheiam; æquum autem non eſt eccleſiam mala fide contrahentibus per indulgentiam ſubuenire. Nihilominus

3 Probabilius, ſi impedimentũ fuerit occultum, & non plenè probabile non repetendam eſſe formã Concilij.

Reſpondeo, in ea etiam hypotheſi malæ fidei contrahentium, ſuppoſito quod re vera impedimentum fuerit alijs occultum, & non plenè probabile, nullumque ad ſit periculum, quod tranſeat in publicum, ſuppoſitaque diſpenſatione ſuper eodem poſſunt ijdem contrahentes iterum validè inter ſe renouato mutuo conſenſu contrahere non repetita forma Concilij *Sanchez de matrimonio lib. 2. diſp. 37. nu. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. n. 24.* Ratio ex eo deducitur, quià hic etiam caſus malæ fidei in contrahentibus non comprehenditur in illa diſpoſitione Concilij Trident., ergò illius forma in ipſo non eſt ex neceſſitate repetenda. Antecedens probatur, quià Concilium Tridentinum eos dumtaxat caſus comprehendere voluit, quibus ex peruerſitate contrahentium matrimonium validum clandeſtinum omitti poterat, & aliud contrahi publicum, in quo perſeuerantes in perpetuo viuerent concubinatu, ſed quoad caſum matrimonij, de quo hic loquimur, quantumvis fuerit contractum mala fide non poteſt eſse periculum, quod prius matrimonium deſeratur, vt aliud contrahatur, quandòquidem cum illud fuerit contractum in facie eccleſiæ eadem non permitteret eoſdem ad alias nuptias migrare, cum ſemper præſumeret pro vero matrimonio, vt per ſe patet, ergò &c. Cofirmatur, quià quantumvis illud matrimonium initum cum illo impedimento dirimenti occulto, & cum mala fide contrahentium eſset ſecundum ſe irritum, non tamen eſset irritum coram eccleſia, cum apud eandem eſset contractum ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus, & eidem non conſtaret de impedimento, ergò cum ſubſiſtat coram eccleſia quoad ea, quæ requiruntur ex ipſius diſpoſitione, alio non indiget, & per conſequens, nec repetitione formæ ab eadem præſcriptæ. Confirmatur ſecundò ex ijs, quæ alibi diximus, quià ſi quis contrahat, vel ſponſalia de futuro, vel matrimonium per verba de præſenti in faciem eccleſię, cum ficta tamen promiſſione ſufficit ad reualidandum eundem contractum, quod per nouum actum internum verum, & realem reuocet fictionem, & ad hunc contractum ſufficit ſenſibilitas illa poſita in actu

Illud matrimonium primum, licet ſecundum ſe irritum, nõ eſſet irritũ coram eccleſia.

priori

Digitized by Google

priori ſicto, ergo etiam, ſi quis contrahat etiam per malam fidem, cum impedimento dirimenti occulto ſufficiet, quod remoto illo impedimento per diſpenſationem renouet illum conſenſum, & pro validitate eiuſdem contractus ſufficiens erit illa ſolemnitas iuris, quæ ſecundum Eccleſiam perſeuerat, quæ fuerat adhibita in actu antecedenter poſito quamuis ſecundum ſe inualido.

4 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

4 Ad rationem, quæ ex Veracruce in principio præſentis diſquiſitionis afferebantur facile erit reſpondere, ſi dicatur fundamentum noſtræ aſſertionis non inniti ſomniatæ illæ Epicheiæ, & tacitæ Pontificis diſpenſationi, ſed rigoroſæ interpretationi eiuſdem Concil. Tridentini non compræhendentis illum caſum, quod æque verificatur, ſiue contractus prior fuerit initus cum bona, ſiue cum mala fide.

---

## §. XII.

### An omiſſio repetitionis formæ Concilij extendatur ad quodcunque impedimentum occultum.

*SVMMARIVM.*

*Senſus difficultatis expoſitus in terminis particularibus.* 1.

*Quomodocunque impedimentum fuerit occultum, nec plene probabile in renouatione contractus non eſt repetenda forma Concilij.* 2.

*Matrimonium ſeruata forma concilij celebratum, ſed nulliter ob defectum occultum ſeruitutis in altero coniuge eo ſublato in renouatione contractus non eſt repetenda forma concilij.* 3.

*Nec ex defectu ætatis, quando completa ætate renouatur contractus.* 4.

*Nec quando fuit nullum ex defectu veri, & realis conſenſus.* 5.

*Nec quando fuit nullum ex impedimento conſanguinitatis occulto.* 6.

1 Senſus difficultatis in terminis particularibus.

1 DISQVISITIO XI. Impedimenta occulta poſſunt eſſe in multiplici genere, vt infrà latius videbimus, vel ſcilicet defectu veri, & realis conſenſus interni, vel conſenſus eliciti ex metu cadenti in conſtantem virum, vel conſanguinitatis ortæ ex copula licita, ſeù illicita, vel affinitatis ortæ ſimiliter ex talibus cauſis, vel conditionis ſeruilis, quatenus alter eſt liber, alter in rigore ſeruus, vel occulti ætatis defectus, vel aliorum ſimilium, quæ tamen ſint occulta, & non plene probabilia. In ordine ad hæc omnia quæritur, an, ſi matrimonium cum illis, vel altero illorum occulto fuerit celebratum ſeruata forma Concilij, quotieſcumque ſublato impedimento, quomodocunque valide tollatur, eſt renouandum, ſit repetenda forma Concilij.

2 Quomodocunque, ſeù qualecunque fuerit impedimentum, dummodo ſit occultum non exigit repetitionem formæ Concilij.

Reſpondeo in vniuerſum, quotieſcunque illud impedimentum fuerit occultum, nec plenè probabile, nec ſubſit periculum, quod tranſeat in publicum. qualecunque illud ſit, non eſſe ex neceſſitate in renouatione illius repetendam formam Concilij *Henriquez lib 11. de matrimon. contract. cap. 9. ad fin. in comment. lit. O., & cap. 12. num. 2. in comment. lit. I. Ludouicus Lopez ſecunda part. instruct. de matrim. cap. 40. §. porro iam vrgentior, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 47. art. 3. dub. vlt. Sanchez de matrimon. lib 2. diſp. 37. num. 4.* Ratio facilis deſumitur ex ſupradictis, nam quomodocunque res ſe habent, ſeù inualiditas contractus matrimonialis ex quocunque ex illis impedimentis proueniat, ſemper verificatur, quod caſus ille non compræhendatur ſub diſpoſitione Concilij Tridentini, quandoquidem nunquam poteſt contingere, quod illud matrimonium ex arbitrio contrahentium deſeratur, & nouum celebretur cum ſpretu prioris veri coniugis, nam cum Eccleſia habeat fundatam intentionem in illa celebratione coram ipſa ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus facta ſemper impediret quodcunque aliud matrimonium per ipſos ineundum; Item ſemper verificaretur, quod cum coram Eccleſia prius illud matrimonium ſubſiſtat, licet deficiat in ſe ipſo, dum tolleretur ille defectus per nouum conſenſum illa ſolemnitas adhibita coram Eccleſia, & ſecundum eandem perſeuerans traheretur ad illum nouum conſenſum, per quem reualidatur prior contractus.

Semper verificatur, quod coram Eccleſia ſubſiſtat.

3 In repetitione contractus inualidi ex impedimento occulto ſeruitutis non eſt repetenda forma Concilij.

Hinc in particulari deduces primò, quod, ſi matrimonium illud fuerit nullum ob occultum ſeruitutis impedimentum in altero coniuge eo ſublato non ſit repetenda in renouatione forma concilij ex neceſſitate, ſi quando nulliter fuit contractum illa fuerit adhibita *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. §. 7. lit. H. in gloſ. Palacios in quarto diſt. 30. diſp. 1. verſ. ſed quæritur forſan Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 37. num. 5. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 2. nu. 23.* 3

4 Nec eſt defectu ætatis, quando completa ætate renouatur contractus.

Deduces ſecundò, matrimonium publicè, & ſeruata forma Concilij celebratum nulliter ob defectum occultum ætatis completa iam ætate reualidari per mutuum contrahentium conſenſum non repetita etiam forma eadem Concilij *Henriquez d. lib. 11 cap. 3. §. 6. lit. F. & §. 7. lit. H. Sanchez loc. cit. num. 6. Boſſius item loc. cit. num. 22.* Neque obeſſe poteſt declaratio 4

Sacræ

Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trid. interp. apud *Bellarminum ad cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim. in declar.*, qua definitum eſt, quod, ſi impuberes contrahant publicè coram Parocho, & teſtibus matrimonium non teneat, & ſi poſtea facti puberes ſimul cohabitant, & copulam exerceant debent denuo ſeruare formam Concilij, & contrahere coram Parocho, & teſtibus, quia prius erant incapaces; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia Sacra Congregatio loquitur tantum in eo ſenſu, in quo defectus ille ætatis inter contrahentes erat notus, non autem quando penitus occultus, vt in caſu, ſecundum quem nos procedimus.

5 Deduces tertiò, quod, ſi matrimonium illud fuerit nullum ex defectu veri, & liberi conſenſus, quatenus alter eorum fictè conſenſerit, vel per metum cadentem in conſtantem virum, ſeruatis tamen omnibus iuris ſolemnitatibus non ſit neceſſe, quod repetatur forma Concilij, ſed ſufficiat, quod conſenſus fictus reuocetur, vel remota cauſa metus meticuloſus iterum libere conſentiat *Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 9. ad finem in comment. lit. O. Ludouicus Lopez ſecunda part. instruct. de matrimon. cap. 40. §. porrò Laiman lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 6. num. 1. Gutierez de matrimon. cap. 46. num. 10. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 2. num. 21.*

Nec quando fuit nullum ex defectu veri, & interni conſenſus.

6 Deduces quartò, quod, ſi matrimonium fuerit nullum ob impedimentum conſanguinitatis ortæ ex copula fornicaria occultum, quatenus maritus antecedenter fornicariè cognouerit ſororem propriæ coniugis, tunc obtenta diſpenſatione ſuper illo impedimento poſſit iterum cōtrahere renouando præciſe conſenſum, non autem ex neceſſitate repetendo formam concilij, cum in contractu præcedenter inito fuerit adhibita, & in eodem in facie Eccleſiæ perſeuerante, licet non quoad ſe perſeueret, quod in vniuerſum dicendum eſt de omnibus alijs impedimentis occultis.

Nec quando fuit nullum ex impedimento conſanguinitatis ex copula fornicaria occulto.

## §. XIII.

### An poſt matrimonium nulliter contractum ob impedimentum occultum eodem impedimento delato ad forum contentioſum, & minime probato, vel non cognito in renouatione contractus ſit renouanda forma Concilij.

*SVMMARIVM.*

*Caſus determinatus in ſuis terminis propoſitus*, 1.

*Etiam delato impedimento poſt contractum nulliter matrimonium ob impedimentum occultum ſeruata tamen forma Concilij delato eodem impedimento ad forum contentioſum, eoque non probato poteſt renouari contractus non repetita forma Concilij*. 2.

*Euincitur exemplo Epiſcopi abſoluentis à caſu occulto, etiam ſi fuerit deductus ad forum contentioſum, dummodo in illo non fuerit probatus*. 3.

*Intellige quamuis ille caſus fuerit ſemiplenè probatus, dummodo contigerit abſolutio* 4.

*Diſcrimen inter abſolui definitiue, & abſolui ab inſtantia, ſeu obſeruatione iudicij. num.* 5.

DISQVISITIO XII. Aderat impedimentum occultum ortum fortaſſe ex copula fornicaria inter Alexandrum, & Theodoricam, quo per eoſdem non attento per verba de præſenti ſeruato ſolemni Eccleſiæ ritu, & Concilij forma, contraxerunt inter ſe matrimoniū. Cum autem cognito impedimento agerent ad diſpenſationem à Sede Apoſtolica obtinendam impedimentum illud per tertiam quandam perſonam delatum fuit ad forum contentioſum, vbi vel ex defectu informationum, ſeu probationum, vel ratione alicuius falſæ informationis pronuntiatum fuit pro matrimonio publice, & ſolemniter contracto. Hoc interim diſpenſatio ſuper impedimento obtenta fuit. Hic orta eſt controuerſia, an in eo caſu matrimonium renouandum eſſet repetita forma Concilij, an præciſe renouato conſenſu inter contrahentes. 1

Caſus determinatus in ſuis terminis propoſitus.

2 Reſpondeo in ea etiam hypotheſi non eſſe ex neceſſitate repetendam formam Concilij, ſed obtenta diſpenſatione ſufficere, ſi contrahentes inter ſe renouent conſenſus *Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 9. §. 6. lit. S. Sanchez lib. 2. de matrimonio*

Non eſt repetenda forma Cōcilij, etiam ſi impedimentū fuerit delatū ad forum contentioſum, dummodo non fuerit probatum.

*diſp.37. num.12. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap.2. nu.33.* Rationem, & quidem non incongruè deducunt ex eo, quia, vel ex quo in iudicio illud impedimentum probatum non eſt, vel contra illud iudicatum manifeſtè ſequitur, quod non extrahatur ab eſſe occulto per illam deductionem ad forum contentioſum, ſed relinquatur in ſuo eſſe, quinimmo potius magis operiatur, cum ſententia declaratoria v. gr. delicti faciat delictum illud magis apparere, ſententia abſolutoria à delicto delictum ipſum quodamodo perimat; ſed quando delictum eſt præciſe occultum, ſeù impedimentum, nec cognitum, nec plene probabile per ſuperius dicta in renouatione contractus non eſt repetenda forma Concilij, ergo &c. Confirmari poteſt primò, quia ex ſuperius dictis, quando impedimentum plenè probabile non eſt, non eſt ex neceſſitate repetenda forma Concilij, ſed ex eo, quod deductum fuerit ad forum contentioſum, & non plenè probatum, vel de illius non exiſtentia quantumuis ex falſa probatione iudicatum ſequitur, quod non ſit plene probabile, vel ſaltem quòd appareat de non plena ipſius probabilitate, ergo &c.

Semper remanet in eſſe occulto.

3 Euincitur exemplo Epiſcopi abſoluentis à caſu occulto, ſi non fuerit probatus in foro cõtentioſo.

Ad hæc omnia confirmanda plurimum conferre poſſunt ea, quæ communiter tradunt DD. de facultate collata Epiſcopis diſpenſandi in delictis occultis non deductis ad forum contentioſum, ibi non obſtante, quod deductum fuerit delictum aliquod ad forum contentioſum Epiſcopus poteſt diſpenſare, ſi finito iudicio facta fuerit ſententia abſolutoria ſuper illo delicto *Graffius lib.1. deciſ. aurear. cap 13. nu. 42. Campanilis in diuerſ. iur. can. rub.7. c.5. num.8. & rub.11. cap.23 num 144. Sairus lib. 7. num.10. Marius Antoninus var. reſol. lib.3. reſol 16. verſ. non obſtat ſub num.21. Sigiſmundus Capuccinus tract. de elect. & poteſt. prælat. Regul part 2 dub.71. num.11. Vega in ſumma tom.2. cap.12. caſ.2. Gauantus in Manual. Epiſcop. verb. abſolutio num. 13.*, rationemque adducunt, quia delictum adhuc manet occultum, ſicut prius, nec poteſt dici deductum ad forum contentioſum cum effectu, ex quo probatum non fuit, ergo etiam ſeruata proportione impedimentum occultum, quantumuis delatum ad forum contentioſum remanebit, occultum, ſi finito iudicio pronuntietur ſuper ipſius non exiſtentia, vel ex defectu probationum, vel ratione falſæ informationis, ac proinde non erit, cur de eodem impedimento id non ſit iudicandum, quod iudicandum eſt de impedimento penitus occulto.

Neque hic audiendus eſt *Marius Alterius tom. 2. de cenſur. diſp. 8. de ſuſpen. cap.3. concl.4. verſ. poſtulabis aliquis*, qui loquens in terminis delicti occulti deducti ad forum contentioſum, ſuper quod lata eſt ſententia abſolutoria ſic procedit cum diſtinctione, vel reus in iudicium delatus fuit abſolutus à tali delicto propter defectum probationum, & ſic delictum aſſerit remanere in puris terminis occulti, ſicut prius, ſicque epiſcopus poteſt ſuper illo diſpenſare, vel quantumuis fuerit abſolutus delictum tamen fuit aliquo modo ſemiplenè probatum, & ſic non poteſt dici, quod remaneat occultum, cum ex ſemiplena probatione in foro exteriori oriatur ſaltem infamia imperfecta, & talis, vt res non remaneat occulta, ſicut anteà, & ſic Epiſcopus ſuper illo non videtur poſſe diſpenſare: Ex quibus rem ad caſum noſtrum applicantes videmur teneri dicere, quod, ſi in foro contentioſo fuerit pronuntiatum ſuper non exiſtentia impedimenti ob defectum probationum impedimentum illud remaneat omnino occultum, ſicque non repetita forma Concilij poſſit matrimonium reualidari; ſi vero fuerit ſemiplenè probatum, quantumuis interueniat ſententia abſolutoria ſuper illo non remanere occultum, ac proinde formam Concilij repetendam eſſe. Non, inquam, audiendus eſt, nam interueniente ſententia abſolutoria ſiue ſuper delicto, ſiue ſuper impedimento occulto, ſemper remanet occultum, quia ſententia facit de albo nigrum, & de nigro album. Peto etenim, vel ſententia abſolutoria eſt definitiua, vel tantum abſolutoria ab inſtantia, ſeù ab obſeruatione iudicij; ſi ſit definitiua, nulli dubium eſt, quod delictum æquè, ac impedimentum relinquat in ſuis terminis eſſe occulti; ſi abſolutoria ab inſtantia adhuc res manet occulta, ſicut prius, quandoquidem per illam ſententiam interlocutoriam iudicium terminatum eſt, ac ſublata infamia orta per deductionem ad forum contentioſum; hoc etenim ſolum diſcrimen cognoſci: *Couarruuias lib.1. var. reſolut. cap. 1. num* 8. inter abſolui definitiue, & abſolui ab inſtantia, ſeù ab obſeruatione iudicij, quod in primo caſu lis terminata eſt, nec poteſt amplius in iudicium deduci, in ſecundo poteſt iterum deduci, ſed ex nouis indicijs, nouiſque probationibus; per vtramque tamen ſententiam alio non ſuperueniente res reducitur ad priſtinum ſtatum *Sanchez lib.8. de matrimon diſp.34. num.57. Sigiſmundus Capuccinus part.2. de elect. & poteſt. Prælat. Reg. dub.7. num.10.*

4 Intellige quamuis ille caſus fuerit ſemiplene probatus dummodo contigerit abſolutio.

5 Diſcrimen inter abſolui definitiue, & abſolui ab inſtantia, ſeù obſeruatione iudicij.

§. XIV.

## §. XIV.

### An obtenta diſpenſatione ſuper impedimento occulto in vtroque foro in renouatione contractus ſit repetenda forma Concilij.

*SVMMARIVM.*

*In quo conſiſtat ratio diſquiſitionis.* 1.
*Sententia aſſerens repetendam eſſe formam Concilij, eiuſque rationes.* 2.
*Probabilius eſt, quod, ſi non ſit periculum, quod fiat publicum, non obſtante illa diſpenſatione pro vtroque foro, non ſit repetenda ex neceſſitate forma concilij.* 3.
*Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.* 4.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO XIII. Exiſtente impedimento dirimente, occulto tamen inter Sempronium, & Calidoniam per verba de præſenti eo non obſtante, ſeruatiſque omnibus iuris ſolemnitatibus contraxerunt matrimonium inter ſe, vel fortè conſcij impedimenti occulti inter ſe exiſtentis, vel forte etiam ignari. Cognito tali impedimento, ſi illud in celebratione contractus non cognouerint, vel tacti dolore cordis intrinſecus, ſi cognouerint, ad Sedem Apoſtolicam confugerunt, à qua pro vtroque foro diſpenſationem benignè impetrarunt. Orta hic fuit controuerſia, an ratione illius diſpenſationis in vtroque foro in renouatione contractus matrimonialis tenerentur formam Concilij repetere, & contrahere coram Parocho, & teſtibus.

2 Sententia aſſerens repetendam eſſe formã Concilij, & ipſius fundamenta.

Ratio dubitandi ex eo deſumitur, quia per talem impetrationem diſpenſationis in vtroque foro videtur quodammodo res de occulta facta publica, cum diſpenſatio ipſa in foro externo præſeferat notitiam impedimenti delati ad Tribunal, quod non obſeruat præciſe actiones pertinentes ad forum penitentialem, & conſcientiæ, ſed externas, & ad eſſe politicum pertinentes; vnde eo ipſo, quod eidem delata eſt notitia impedimenti, illud videtur quodamodo publicatum, ſicque indigere repetitione formæ Concilij in renouatione contractus matrimonialis. Hoc licet non expreſſis verbis iuxta ſenſum ſic explicatum ſentire videntur *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.2. num. 4 Zippaus de iure nouo lib.4. tit.de ſponſalib. num. 17. Rebellius de obligat. iuſtitia ſecunda part. lib. 2. quæſt. 9. num. 5.* Nihilominus

3 Probabilius eſt, quod non ſit repetenda, niſi ſit periculũ, quod impedimentũ fiat publicum.

Reſpondeo, quod ſi periculum non fuerit, quod innoteſcat, ſeu fiat publicum, & non ſit plenè probabile non obſtante illa diſpenſatione in vtroque foro non eſſe ex neceſſitate in renouatione contractus repetendam formam Concilij. Ab hac reſponſione ſecundum hos terminos concepta arbitror non diſſentiri DD. prællegatos. Ratio ex eo deſumi poteſt, quia non tollitur, quin illud impedimentum ſit omnino occultũ, & diſpenſatio quoad vtrumque forum eſt ampliatiua non reſtrictiua in fauorem contrahentium, ergo cum delictum, ſeu impedimentum ſit omnino occultum poterunt contrahentes illa diſpenſatione vti ſolummodo ſecundũ eam partem, ſecundum quam neceſſaria eſt, non ſecundum aliam, ſecundum quam non eſt neceſſaria, ſicque pro foro interno, pro quo matrimonium illud erat inualidum, non pro externo, ſecundum quod præſumebatur validum. Dixi, *& non ſit plene probabile* tunc etenim, diſpenſatio eſſet etiam adhibenda pro foro externo, adeoque tunc eſſet repetenda forma Concilij iuxta ſuperius notata Confirmatur, quia licet diſpenſatio ex genere ſuo, vtpote correctoria iuris communis ſit ſtrictiſſimè interpretanda, adeovt non poſſit extendi vltra terminos, ſub quibus concipitur, negari tamen non poteſt, quin ſit fauorabilis ijs, ad quos dirigitur, adeout poſſint eadem pro libertate vti, vel non vti, ergo poterunt, vti ſecundum eam partem, ſecundum quam neceſſaria eſt, & non vti ſecundum aliam partem, ſecundum quam non eſt neceſſaria; & ſi petierint facultatem, ſeu diſpenſationem quoadvtrumq; forum, hoc petierint ad vbertatem, & ad vberiorem cautelam, non ex neceſſitate.

4 Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.

Tota difficultas quoad præſens quæſitum reducitur ad id, quod afferebatur in ratione dubitandi; ex eo etenim, quod diſpenſatio poſita fuerit, quoad vtrumque forum, impedimentum de occulto videtur factum publicum in facie Eccleſiæ, cui illud repræſentatum eſt. Sed facile huic difficultati poſſum occurrere aſſerendo petitionem factam eſſe, vt mox innuebamus, ad vberiorem cautelam, nec repræſentatio facta Pontifici de illo impedimento illud reddit publicum quantum ad effectum, vt teneantur contrahentes iterum in facie Eccleſiæ contrahere, quandoquidem in loco, in quo illud matrimonium nullum contractum eſt impedimentum occultum adhuc remaneret occultum, & ſi contrahentes vellent aliud matrimonium contrahere, ab illa particulari Eccleſia prohiberentur, niſi docerent de tali impedimento.



Digitized by Google

## §. XV.

### An obtenta diſpenſatione ſuper impedimento occulto ſufficienter reualidetur matrimonium per copulam affectu maritali, & alia ſigna inducentia conſenſum.

**S V M M A R I V M.**

*Refertur facti ſeries.* 1.

*Impetrata diſpenſatione ſuper impedimento occulto ſufficienter reualidatur matrimonium per copulam affectu maritali habitam, & per alia ſigna inducentia conſenſum.*

*Soluuntur rationes oppoſita.* 3.

1 Refertur facti ſeries

DISQVISITIO XIV. Scienter, vel ignoranter contraxerunt matrimonium in faciem Eccleſiæ, ſeruatiſque iuris ſolemnitatibus Meuius, & Caia, inter quos aderat impedimentum occultum dirimens, quo cognito diſpenſationem ſuper illo impetrarunt à Rom. Pontif., nec poſtea vllo, nec inter ſe, nec in facie Eccleſiæ renouato expreſſo conſenſu ſe cognouerunt affectu maritali, vel diu, vt moris eſt inter coniuges, cohabitarunt. Hic orta fuit controuerſia, an per illam copulam affectu maritali ſubſecutam ad diſpenſationem, vel diutinam illam cohabitationem intelligatur ſufficienter conualidatum matrimonium.

2 Obtenta impetratione diſpenſationis ſuper impedimento occulto ſufficienter reualidatur matrimonium per copulam affectu maritali habitâ, aliaque ſigna inducentia conſenſum

Reſpondeo affirmatiuè: *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 2. §. 6. lit. S. Leſſius lib. 2. de iuſtit. c. 17. dub 11. num. 74. Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 14. num. 5. Barboſa tom. 2. collect. lib. 4. tit. 2. num. 7 Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract cap. 2. num. 32.* Ratio ex eo deſumi poteſt, quia iuxtà ſuperiùs dicta matrimonium in hac hypotheſi non eſt repetendum coram Parocho, & teſtibus, & ex alio capite conſenſus poteſt ſenſibiliter exhiberi non ſolum per verba, ſed etiam per ſigna ſenſibilia etiam per alibi probara, ſed ſignum ſufficiens conſenſus eſt illa copula ſubſequens ad matrimonium, & ad diſpenſationem affectu maritali, & diutina illa cohabitatio, ergò &c. Minor probatur, quià etiam ex ſuperius dictis antiquitus ante diſpoſitionem Concil. Trident. illa copula ſubſequens ad ſponſalia ſufficientèr indicabat conſenſum ad matrimonium per textum *in c. is qui fidem de ſponſalib.*, ergò non eſt, cur modo eundem etiam conſenſum ſufficienter non indicat; concilium etenim Tridentinum non immutauit ea, quæ antiquitus ſufficientia erant, ſed ſolummodò ad tollendam clandeſtinitatem addidit præſentiam Parochi, & teſtium, quæ ſufficienter in hac hypotheſi habetur. Hac eadem ratione euincitur, quod nedum per copulam ſubſequentem ad impetratam diſpenſationem reualidetur ſufficienter prius matrimonium nulliter initum ex impedimento illo occulto, ſed etiam per diutinam cohabitationem ſubſequentem, vel ſi prius mulier non fuerit traducta per ſolemnem traductionem eiuſdem in domum mariti *Coaruuias 2. part. c. 4 §. 2. n. 1. Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 1. n. 56.*

Copula ſubſequens eſt ſufficiens indicium conſenſus.

Etiam diutina cohabitatio.

3 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illa copula ſubſequens, diutina cohabitatio, & traductio mulieris in domum mariti ſolemni ritu poſſint coniungi cum alio fine, à matrimonio, quatenus copula habeatur affectu fornicario, cohabitatio etiam referatur ad finem explendæ libidinis, & traductio illa ad choræas ducendas, & ad actus fornicarios; Non inquam obeſſe poteſt, quià cum hæc omnia poſt contracta ſponſalia, ſeù matrimonium ſecundum communem conceptum habeantur pro legitimo conſenſu ad matrimonium ſemper inducunt præſumptionem pro eodem, adeo vt ſi alter eorum poſt exhibita illa ſigna vellet recedere eccleſia cogeret ad permanendum in matrimonio; vndè vel illis ſignis exhibitis concurreret ex parte vtriuſque verus, & realis conſenſus, & ſic eſset verum matrimonium, vel non concurreret, & ſic eſſet matrimonium præſumptum, quod etiam euenire poteſt in hypotheſi, qua vterque ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus, nulloque intercedente impedimento contraheret extrinſecus exhibito conſenſu, cum tamen alter illorum, vel vterque internè non conſentiret, tunc etenim licet ille contractus in foro animæ non ſubſiſteret, cum deficeret vera, & ſubſtantialis forma, in foro tamen externo contractus ſuſtineretur, cum in eodem foro omnia interuenirent ſubſtantialiter requiſita, & ſufficiens etiam præſumptio pro conſenſu etiam interno, ratione cuius vterque cogeretur in coniugio permanere, cæteroqui ſi ex defectu conſenſus interni, dum exterius eſset exhibitus, corrueret in vtroque foro contractus omnia humana comertia collaberentur, contractus omnes corruerent, cum contrahentes, qui palam exhibuerunt conſenſum, poſsent aſſerere clam non conſenſiſſe.

Poſt contractum matrimonium omnia illa ſigna ſecundum communem conceptum habentur pro legitimo conſenſu.

§. XVI.

### §. XVI.

An contrahentes mutuo conſenſu impetrata diſpenſatione ſuper impedimento occulto teneantur contrahere de nouo.

*SVMMARIVM.*

*Status difficultatis expoſitus.* 1.
*Etiam mutuo conſenſu impetrata diſpenſatione non firmatur matrimonium, niſi nouus vtriuſque conſenſus accedat.* 2.
*Suppoſito mutuo conſenſu ad impetrandã diſpenſationem non eſt liberum contrahentibus recedere ſine noua cauſa à perficiendo contractum.* 3.
*Poſt impetratam mutuo conſenſu diſpenſationem ſuper impedimento, ſi alter renuat per nouum conſenſum matrimonium perficere poteſt quidem compelli moderatè per iudicem ad complendum, non tamen ſtrictiſſima, & rigoroſa coercitione.* 4.

1 Status diffi cultatis expoſitus.

DISQVISITIO XV. Contracto matrimonio per verba de præſenti, ſeruatiſque omnibus iuris ſolemnitatibus cognouerunt Caius, & Berta coniuges adeſſe inter ſe impedimentum occultum dirimens, ſuper quod mutuo conſenſu decreuerunt diſpenſationem à Romano Pontifice impetrare. Diſpenſatione impetrata alter coniugum renuebat permanere in coniugio, ac contractum per nouum conſenſum firmare. Quæſitum hic fuit, an ille iuſtè poſſet à coniugio recedere, an verò poſſet compelli in eodem permanere.

2 Etiam poſita diſpenſatione ex vtriuſque conſenſu non reualidatur matrimonium, niſi per nouum vtriuſque conſenſum.

Reſpondeo primo, etiam poſita diſpenſatione ſuper illo impedimento, niſi accedente nouo vtriuſque contrahentis conſenſu matrimonium illud non firmari, nec reddi validum etiam, ſi alter contra omne ius renueret conſenſum ponere. Conſentiunt quotquot ſuſtinent remoto impedimento per diſpenſationem neceſſarium eſſe nouum conſenſum vtriuſque contrahentis. Ratio ex eo deducitur, quiá exiſtente illo impedimento dirimente contractus eſt ipſo iure irritus, & talis; ac ſi non fuerit initus ante diſpenſationem, ergò, vt reualidetur, exigit neceſſariò nouum vtriuſq; contrahentis conſenſum, quandòquidem contractus non poteſt ſubſiſtere ſine ſua forma ſubſtantiali, ſed hæc forma ſubſtantialis non eſt ex vi præcedentis contractus, quandòquidem ille nullus eſt, ergò &c. Neque dicas priori contractui nihil aliud deeſſe, niſi id, quod oritur ratione impedimenti, ſed illud ablatum ſupponitur per diſpenſationem, ergò non eſt, cur immediatè ſine alio contractus non debeat firmari ea proportionali ratione, qua ſupra dicebamus de eo, qui in faciem eccleſiæ contraxit ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus exhibito extrinſecus conſenſu ſine animo tamen ſe obligandi, qui ſufficienter intelligitur contractum præcedentem firmare ex eo, quod per nouum actum internum reuocet fictionem, ſeù animum illud ſe non obligandi; contrà enim impugnaberis, quiá ex eo, quod intercedat impedimentum dirimens vtriuſque contrahentis conſenſus redditur inanis, & irritus, cum vterque pro eo ſtatu fuerit incapax ad contrahendum, adeoque nouus vtriuſque requiritur conſenſus expreſsè appoſitus, nec currit paritas cum eo, qui ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus exhibitoque extrinſecus conſenſu fictè contraxit ſine animo ſe obligandi, quiá in eo caſu conſenſus alterius, qui verè contraxit cum animo ſe obligandi verè perſeuerat, vndè recedente ex parte alterius reuocatione fictionis per nouum actum internum non eſt, cur non poſſit, & non debeat reualidari. — Ex impedimento dirimente conſenſus præſtitus eſt inanis.

Dices primò ex textu *in l. ſi quis ex ſenatorio, & l. eos ff. de ritu nup.* matrimonium irritum ex impedimento dirimente conualeſcere, ſi remoto impedimento, vel per diſpenſationem, vel alio modo contrahentes in priori conſenſu perſeuerant, ergò non requiritur nouus vtriuſque contrahentis conſenſus. Sed contra allegati textus ſupponunt non permanentiam præcisè in eodem priori conſenſu, vt bene notant *Coruuuias 4 decret. 2. part. c 4. in init. n. 5. Sanchez de matrimonio, lib. 2. diſp. 35. n. 5.*, ſed nouam exhibitionem, vel eiuſdem, vel alterius conſenſus præſtitam, vel in ſequenti copula affectu coniugali, vel nouo alio ſigno ſenſibili ſcilicet diuturnæ cohabitationis, vel traductionis ſponſæ in domum ſponſi. — Non ſufficit permanentia, ſed requiritur noua exhibitio.

Dices ſecundò ex eo, quod ipſi coniuges conſenſerint ad impetrandam diſpenſationem ſuper illo impedimento occulto videntur ſufficientèr conſenſiſſe ad reualidationem prioris matrimonij, nam qui expreſsè vult media in ordine ad aliquem finem in eodem, quinimmò fortiori actu vult finem, quo intendit media, ergò non indigent nouo conſenſu. Sed contrà quiá conſenſus ad remouendum impedimentum non eſt conſenſus ad actum, ſicuti conſenſus ad ſponſalia non eſt conſenſus ad ad matrimonium; cæteroqui ſufficeret, quod conſanguinei v. gr. coram Parochò, & teſtibus exhiberent conſenſum ad impetrandam diſpenſationem conſanguinitatis, qua poſita immediatè ſine alio conſurgeret matrimonium, — Conſenſus ad reuocandum impedimentum nõ eſt conſenſus ad actum.

monium, quod non eſt dicendum.

3 Suppoſito mutuo conſenſu ad impetrandam diſpenſationem nō eſt liberū contrahentibus recedere ſine noua cauſa à perficiendo contractu.

Reſpondeo ſecundò, ſuppoſito mutuo conſenſu ad impetrandam diſpenſationem ſuper impedimento occulto non eſt liberum eiſdem contrahentibus recedere ſine noua cauſa à perficiendo contractu per nouum, & mutuum conſenſum. Conſentiunt ij omnes, qui ſuſtinent ſponſalia legitimè contracta non poſſe diſſolui, niſi ex legitima cauſa ſuperueniente, quæ antecedenter non fuerit cognita. Ratio deducitur primò ex ijs, quæ docuimus *tom.5.ſub tit.Contractus XIV. de ſponſalib.II. ſtranot. 7. num. 5.* nempe, ſi poſt contracta legitimè ſponſalia ex culpa alterius ſuperueniat impedimentum aliquod dirimens matrimonium impetrata diſpenſatione ſuper impedimento non poſſe innocentem recedere à matrimonio, ſi conſenſum præbuerit ad impetrandam diſpenſationem, & hoc quidem congrua ratione, quandoquidem annuendo impetrationi diſpenſationis videtur cedere iuri ſuo ex illo impedimento iam acquiſito, ergo, ſi ambo conſenſerint impetrationi diſpenſationis non poterunt poſtea alia cauſa non ſuperueniente à contractu recedere. Secundò, quia annuendo impetrationi diſpenſationis ſe tacitè obligant conditionate ad iterum validè contrahendum, ſi Pontifex annuerit eorum petitioni, ſeù ſuper illorum petitione diſpenſauerit, ergo purificata illa conditione conſenſus remanet abſolutus, adeoque id, quod tacitè promiſerunt, tenentur adimplere.

4 Impetrata mutuo conſenſu diſpenſatione, ſi alter renuat cōplere contractū poteſt quidē moderatè compelli, non rigoroſe ad complendum.

Reſpondeo tertiò. Altero eorum renuente poſt impetratam diſpenſationem complere per nouum conſenſum matrimonium poteſt quidem compelli moderatè per Iudicem ad complendum, non tamen ſtrictiſſima, & rigoroſa coercitione, ne tollatur libertas ad matrimonium requiſita. Conſentiunt quotquot aſſerunt poſt contracta legitimè ſponſalia poſſe compelli ſine cauſa reſilientem etiam per cenſuras, ità tamen, vt præuideantur profuturæ ſine læſione libertatis *Fortunatus c. 1. de pactis num.30. Couarruuias quarto decret. prima part. cap.4. num.5. Alexander Carrerius lib.1.de ſponſalib.cap.11. Marcus Antonius Cucus lib 5 inſtit. maior. tit.11. num.20. Menochius conſ.386.num.2. vol.4.* Ratio ex eo deducitur, quia per illum mutuum conſenſum poſt matrimonium nulliter contractum ob impedimentum illud dirimens de diſpenſatione impetranda à Romano Pontifice ſuper illo impedimento fit quodamodo noua, & tacita promiſſio de contrahendo matrimonio habita illa diſpenſatione, ſeù remoto illo impedimento per diſpenſationem, ſicque contrahuntur ſponſalia, ſed celebratis legitimè ſponſalibus, ſi alter recedere contendat ab eiſdem legitima cauſa non interueniente poteſt per Iudicem compelli, non tamen ſtrictiſſima coactione, ne adimatur libertas ad matrimonium requiſita per ea, quæ alibi fusè docuimus, & expreſſis verbis docent præallegati DD. per textum *in cap. requiſiuis de ſponſalib.* - Ibi - *Monenda eſt potius, quam cogenda,* & *cap. 2. eodem tit* Ibi *commonendi ſunt, & omnibus modis inducendi,* vbi per ly *omnibus modis* intelligendum eſt cum dictamine prudentis rationis, ita vt non ponatur coactio dirimens libertatem.

---

## §. XVII.

### An impetrata mutuo conſenſu diſpenſatione ſuper impedimento, eaque reiecta per vnum ex contrahentibus poſſit reiciens mutata voluntate illa vti.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur controuerſia in ſuis terminis.* 1.
*Sententia aſſerens non poſſe amplius vti illa diſpenſatione.* 2.
*Siuè ille, qui renuntiauit diſpenſationi, alteri nuntiauit, ſiuè non mortuo priori marito, vel mutata priori voluntate vigore talis diſpenſationis, eidem, quem primo recuſauerat, poteſt nubere alia diſpenſatione non requiſita.*
*Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.* 4

1 Exponitur controuerſia in ſuis terminis.

DISQVISITIO XVI. Extante impedimento dirimente inter Caium, & Theodoricam cognito, vel ante celebrationem contractus matrimonialis, vel poſt eandem mutuo conſenſu ſtatuerant à Romano Pontifice impetrare diſpenſationem ſuper illo impedimento, quod vtique peractum eſt, & beneficium diſpenſationis obtentum. Alter eorum poſt impetratam diſpenſationem eidem renuntiauit, & alteri nupſit, vel ſaltem poſt officium Iudicis, qui compellere ſategit ad nuptias promiſſas conſtans perſtitit in earum negatione. Poſt lapſum temporis, à quo alteri nupſit, vel primas nuptias etiam compellente Iudice recuſauit, vel mortuus eſt maritus, cui nupſerat, vel mutata voluntate nuptias, quas primo recuſauerat, acceptauit. Hic excitata fuit controuerſia, an vigore illius diſpenſationis primò impetratæ, & recuſatæ poſſit eidem primo marito, cum quo aderat illud impedimentum nubere alia diſpenſatione non impetrata.

Videtur prima fronte aſſerendum non 2
poſſe vti illa diſpenſatione, nec ſine noua

Sententia aſſerens nō poſſe amplius vti illa diſpenſatione.

illi nubere; primò à contrario ſenſu deducto, quia ſicuti, quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt per textum *in reg. quod ſemel 25. de reg. iur. in 6.* ità è conuerſo, quod ſemel diſplicuit, amplius placere non poteſt. Secundo, quia renuncians iuri ſuo amplius illud repetere non poteſt *c. prohibentur 2. q. 1. c. de his de accuſ. c. quam periculoſum 7. q. 1.* Tertio per non vſum amittitur priuilegium, quia ille non vſus importat tacitam renunciationem, ergò à fortiori tolletur per renuntiationem expreſſam. Nihilominus.

3 Poteſt poſt renuntiatio nem eadem diſpenſatione vti.

Reſpondeo, ſiue ille, qui renuntiauerat diſpenſationi, alteri nupſerit, ſiue non nupſerit, mortuo priori marito, vel mutata priori voluntate poteſt vigore talis diſpenſationis eidem, quem primo recuſauerat, nubere alia diſpenſatione non requiſita. Ita in ſimilibus terminis docet *Gloſa fin. in c. literas de procurat. in 6.* de procuratore per abſentem cōſtituto, qui, quantumuis mandatum recuſauerit, poteſt mutata voluntate idem acceptare, antequam recuſatio acceptetur à conſtituente. *Ioannes Andreas in d. c. literas de procurat in 6., & ibid. Ancharanus ad fin.* de Iudice delegato, & arbitro, qui quantumuis delegationem repudiarint poſſunt antequam repudiatio à delegantibus acceptatur mutato conſilio reaſſumere, & alij in ſimilibus terminis; & in his terminis *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 32. num. 2.* Ratio in vniuerſum ea eſſe poteſt, quia priuilegium diſpenſationis pendet non ſolum à voluntate eius, in cuius fauorem conceditur, ſed etiam à voluntate concedentis, ergo quandiu voluntas concedentis manet, perſeuerat adhuc priuilegium, quo retractata voluntate poterit ille, qui renuntiauit, gaudere. Confirmatur, quia per illam diſpenſationem ſublatum eſt impedimentum, & contrahentes ex inhabilibus ad contrahendum inter ſe facti ſunt habiles, ſed hæc habilitas per diſpenſationem inducta per renunſiationem priuilegij nō ſublata eſt in actu primo, quandiu concedens, ſeu diſpenſans renunciationem non acceptauit, quandoquidem perſeuerante voluntate diſpenſantis aliud non deeſt ad actum ſecundum, niſi voluntas eius, in quem lata eſt diſpenſatio, quæ ex interuallo poteſt poni, ergo &c. Neque dicas, huiuſmodi diſpenſationis priuilegium eſſe adæquate in fauorem contrahentium, & non conceſſum ſtatui, ſed perſonæ; vnuſquiſque autem poteſt renuntiare ijs, quæ in ſui fauorem præcisè inducta ſunt, nec concedens de tali renuntiatione poteſt eſſe rationabiliter inuitus, cum in conceſſione non ſui, ſed alterius reſpexit fauorem; vnde actualis acceptatio renuntiationis, & non repugnantia ad acceptationem ſibi in ordine

Vis diſpenſationis pēdet etiam à voluntate concedētis

ad hunc effectum videtur æquiualere; Contra enim impugnaberis, quia ex eo, quod diſpenſans non præſumatur rationabiliter inuitus de tali renuntiatione non præſumitur acceptaſſe talem renuntiationem, cum eiuſdem fuerit penitus ignorans. Vnde indiferentia, quam importat ly *non eſſe rationabiliter inuitum* non dicit poſitiuum actum acceptationis quoad eandem renuntiationem, quod requiritur, vt eadem renuntiatio extinguat diſpenſationem etiam in actu primo.

Non ſufficit, quod diſpenſans non ſit inuitus ad renūtiationē.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam illud iuriſticum axioma, *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*, intelligendum eſſe quoad ſuum poſitiuum, cum tunc omnia interueniant, tam ex parte concedentis, quam ex parte acceptantis, conceſſio ſcilicet ex parte illius, & quidem libera, & acceptatio iſtius per liberum etiam propriæ voluntatis conſenſum, non autem quoad eius contrarium, nempe quoad diſplicentiam, quandoquidem licet interueniat reprobatio ex parte eius, cui fit conceſſio, non interuenit tamen acceptatio repudiationis ex parte cōcedentis. Idem fere reſpondeas ad ſecundam. Ad tertiam dic priuilegium, quod in ſui exercitio exigit tractum temporis ſucceſſiuum per non vſum abrogari, maximè ſi ille non vſus ſit ad tantum tempus, quod inferat legitimam præſcriptionem, non ſic autem priuilegium, quod in vnico actu conſiſtit, nempe in acceptatione, & reſpicit ablationem incapacitatis in determinata perſona, quod poteſt ſuſpendi etiam ad longum tempus, dummodo virtualiter perſeueret voluntas in concedente.

4 Soluūtur rationes contrariæ ſententiæ.

---

## §. XVIII.

### Quiſnam debeat acceptare renuntiationem diſpenſationis, vt diſpenſatus non poſſit amplius ea vti.

*SVMMARIVM.*

*Refertur caſus in terminis particularibus.* 1.
*Sententia aſſerens non ſufficere acceptationem renuntiationis factam à commiſſario.* 2.
*Facta renuntiatione coram commiſſario, ab eoq; acceptata, non poſſunt amplius contrahentes eadem diſpenſatione vti.* 3.
*Geſta coram delegato intelliguntur geſta coram delegante.* 4.
*Soluuntur rationes ſententia oppoſita.* 5.

DIS-

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO XVIII. Intercedente impedimento dirimente iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis inter Caium, & Theodoricam à Romano Pontifice impetrata fuit ſuper illo diſpenſatio pro executione directa ad Epiſcopum Diœceſanum illius loci, in quo contrahere intendebant, vel forte contraxerunt, licet nulliter ijdem Caius, & Theodorica, atque in literis diſpenſationis, ſeù commiſſionis ad diſpenſandum appoſita erat clauſula. *Si ita eſt cum eis, vt inter ſe publicè, & ſeruata forma Concilij Tridentini contrahant, diſpenſas*. Diſpenſatione Theodorica renuntiauit coram commiſſario, à quo acceptata fuit renuntiatio; poſtea mutato conſilio annuere intendebat nuptijs cum eodem Caio. Quæſitum fuit, an non obſtante renuntiatione diſpenſationis facta coram Epiſcopo commiſſario, & ab eodem acceptata poſſet ex vi illius diſpenſationis contrahere, an vero teneretur aliam diſpenſationem obtinere.

Ratio dubitandi ex eo deſumitur, quod dictum fuit in præcedenti diſquiſitione, nempe liberum eſſe eis, in quorum fauorem conceſſa eſt diſpenſatio eadem vti, quoſque renuntiatio fuerit à concedente acceptata. Modo igitur ſolum difficultas eſt, an ad hunc effectum, vt diſpenſatus non poſſit amplius vti diſpenſatione ſufficiat, quod renuntiatio eiuſdem facta ſit coram delegato, & ab ipſo acceptata, an vero requiratur, quod fuerit acceptata à Superiore delegante. Circa quam *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 32. nu.* 4. ſentit

2 Sententia aſſerēs non ſufficere acceptationē renūtiationis factam à commiſſario.

abſolutè non ſufficere acceptationem renuntiationis factam à commiſſario, ſeu Delegato, ſed fieri debere à delegante, quod multis rationibus comprobat, quia inprimis diſpenſatio totam vim habet à voluntate ſuperioris concedentis eandē diſpenſationem, & quoad executionem alteri committentis, ſecundo, quia commiſſario commiſit nudum miniſterium inquirendi veritatem narratorum in ſupplici libello, & exequendi mandatum non vero recipiendi renunciationem. Tertio, quia ſicuti renuntiatio beneficij facienda eſt ei ad quem ſpectat collatio, ita renuntiatio priuilegij facienda eſt ei, ad quem ſpectat priuilegium conferre. Nihilominus.

3 Facta renūtiatione, & acceptata à commiſſario non poſſunt renunciantes diſpenſatione amplius vti.

Reſpondeo facta renuntiatione coram commiſſario, & ab eodem acceptata non poſſe amplius eoſdem cōtrahentes huiuſmodi diſpenſatione vti. Ita ſentire videtur licet in diuerſis terminis *Gloſa clem. vnica verb. conferatur de rerum permutat, & ibi Immola nu. 9. Nauarrus c. accepta oppoſ. 7. num. 30. de reſtit. ſpol.* Ratio ex eo deducitur primo, quia in hac hypotheſi non eſt commiſſum commiſſario nudum miniſterium diſpenſandi, ſed etiam cognitio cauſæ ſuper illa diſpenſatione, qua habita poteſt iuxta caſus contingentiam diſpenſare, & non diſpenſare, ergo tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ poterit renuntiationem diſpenſationis validè quoad effectum, vt diſpenſati ea amplius vti non poſſint, acceptare. Conſequentia probatur, quia ſicuti circa facti contingentiam ex aliqua circumſtantia non expreſſa poteſt non diſpenſare, ita non concurrente alterius conſenſu, quin potius poſitiuo diſſenſu poterit diſpenſationem remittere, ſeù acceptato diſſenſu, ſeu renuntiatione decretum interponere, quo ſtatuat diſpenſationis nullam habendam eſſe rationem. Secundo, quia geſta in hac cauſa coram delegato intelliguntur acta coram delegante, quandoquidem ille repræſentat

4 Geſta corā delegato intelliguntur geſta coram delegante.

perſonam iſtius, ergo poſita renuntiatione facta coram delegato, & ab eodem acceptata non poterit diſpenſatus amplius vti diſpenſatione; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur delegatum non poſſe excedere limites delegationis, adeoque quidquid vltrà illam egerit eſſe inualidum, & inane; delegatio autem ſe extendit ſolummodo ad diſpenſandum, ſi vera fuerint narrata in petitione, ſeu in ſupplici libello, non autem ad acceptandam renuntiationem diſpenſationis; Non, inquam obeſſe poteſt, quia delegatio in hac hypotheſi non eſt nudum miniſterium, ſed cum virtute cognoſcendi ſuper merita cauſæ, vnde ſi quid ſubſequenter ad petitionem obuenerit, quod in eadem non fuerit expreſſum poteſt pronuntiare pro negatione diſpenſationis, cum igitur alterius contrahentis diſſenſus ſubſequentèr acceſſerit, vtique delegatus poterit eundem diſſenſum acceptare, & decernere diſpenſationem ipſam non habere locum, & ex vi delegationis acceptare eundem diſſenſum pro renuntiatione. Tertio, quia quamuis collatio beneficij ſpectet ad Pontificem renuntiatio tamen eiuſdem poteſt fieri Epiſcopo, qui vtique poteſt acceptare *Gloſa in d. clement. vnica verb. coalciatur de rerum permut. Nauarrus d. c. accepta oppoſ. 7. num. 30. de reſtit. ſpoliat.*, ergo etiam renuntiatio diſpenſationis poteſt fieri coram Epiſcopo, maximè ſi hic fuerit delegatus ad diſpenſandum.

5 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

Hinc ad rationes, quæ ex aduerſo afferebātur facile erit reſpondere, & primo ad primam dicere poſſumus, quod quantumuis tota vis diſpenſationis procedat à voluntate Pontificis concedentis, talis tamen voluntas per delegationem intelligatur communicata commiſſario, vnde acta coram commiſſario intelliguntur acta coram Pontifice committente; ad ſecundam iam patet ex ſuperius dictis commiſſario in ea hypotheſi, nō committi nudum miniſterium, ſed diſpenſandi ius

cum

Digitized by Google

cum cognitione cauſæ, qui propterea ſicuti interueniente aliqua circunſtantia poteſt non diſpenſare, ità accedente alterius diſſenſu poteſt acceptare renuntiationem, & decernere diſpenſationem non habere locum, nec hoc eſt excedere limites delegationis, vt ſupra dixi; Ad tertiam iam patet ex mente Gloſæ, & Nauarri, quid ſit reſpondendum.

---

## §. XIX.

### An impetrata diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea, ſi alia ad contrahendum cum alia fuerit obtenta hæc ſecunda teneat, & contracto cum hac matrimonio prior penitus diſſoluatur.

#### SVMMARIVM.

*Elucidatur factum in ſuis terminis.* 1.
*Impetratio ſecundæ diſpenſationis non facta mentione primæ ſubreptitia eſt.* 2.
*Procedit ſiuè primò contractum ſit matrimonium, ſed nulliter, ſiuè quando præcisè præceſſit tractatus cum mutuo conſenſu de contrahendo.* 3.
*Intellige quamuis in ſecunda diſpenſatione appoſita fuerit derogatio generalis.* 4.
*Limita quando alter, cum quo contractum fuit nulliter matrimonium, & conſenſu ipſius ſuper illo impetrata diſpenſatio ceſſerit iuri ſuo.* 5.
*Limita etiam quando prima diſpenſatio commiſſa eſt ordinario, & ipſe adiudicauit eidem non eſſe locum.* 6.
*Secundum matrimonium initum ex vi ſecundæ diſpenſationis non facta mentione primæ non ſubſiſtit, niſi alter, cum quo primò contractum fuerit, & in ordine ad ipſum impetrata prima diſpenſatio, ceſſerit iuri ſuo.* 7.
*Diſſoluto ſecundo matrimonio inito ex vi ſecundæ diſpenſationis poteſt coniux, qui ſecundò contraxerat, nubere primæ ex vi prioris diſpenſationis.* 8.
*Stante ſententia aſſerente ſecundam diſpenſationem non eſſe ſubreptitiam diſſoluto ſecundo matrimonio non poteſt ſecundus nubere primæ ex vi prioris diſpenſationis.* 9.

1 Elucidatur factum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XVIII. Statuerant inter ſe contrahere matrimonium, vel fortè de facto contraxerunt Caius, & Meuia, inter quos aderat impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis in gradu prohibito ad contrahendum. Cognito impedimento à Romano Pontifice impetrata fuit ſuper illo diſpenſatio, qua non obſtante Caius iterum ad Romanum Pontificem confugit, nouamque non facta tamen mentione de priori, aſſecutus eſt diſpenſationem, vt poſſet contrahere cum Calidonia conſanguinea item eiuſdem in gradu prohibito, & fortè cum eadem contraxit. Hic multiplex articulus examinandus excitatus eſt. Primus, an illa ſecunda diſpenſatio non facta mentione primæ valida ſit, an tanquam obreptitia, vel ſubreptitia reicienda. Secundus, an ſi ſecundum illud matrimonium initum fuerit, validum ſit. Tertius an ſi illud matrimonium initum per ſecundam diſpenſationem diſſolutum fuerit per obitum Calidoniæ poſſit Caius ex vi prioris diſpenſationis iterum nubere Meuiæ.

Reſpondeo primo, probabilius eſſe impetrationem ſecundæ diſpenſationis non facta mentione primæ ſubreptitiam eſſe, & per conſequens inualidam *Gloſa in c. 2. de filijs præsbiteror. poſt caſus poſitionem not. 1., & ibi Ioannes Monachus in initio, Decius conſ 695. viſa donat. n. 32., & conſ. 541 nu. 22. verſ quarto cogitandum vol. 3. Pariſius conſ. 74. n. 56. vol 4. Rebuffus in concord. in forma mandati Apoſtolici ſuper verb. diſpenſationum, & in praxi beneficiorum tit. de diſpenſat. ſuper defectu natalium n. 59.*, qui omnes in vniuerſum vno ore fatentur in poſteriori diſpenſatione, vt ſubreptitia non ſit, neceſſario faciendam eſſe mentionem prioris, quod adeo verum exiſtimant *Coaruuias lib. 1. var c. 20. n. 8. Menochius de arbitrarijs lib. 2 cent. 3. caſ. 201. n. 39. Molina lib 2. de primogeneis c. 4. n. 51.*, vt idem ſentiant, quantumvis in poſteriori diſpenſatione dicatur non obſtante priori, niſi illius quoque fiat mentio. Eſt expreſſe hæc reſponſio contra *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 22. n. 13. Gutierez de matrimon. c. 123. n. 120.* Ratio ex eo deducitur primo, quià ſecunda diſpenſatio eſt in præiudicium prioris coniugis, in cuius etiam fauorem lata eſt prima diſpenſatio, cum per hanc, vt infrà dicetur, & conſentit etiam Sanchez derogetur priori, ergò vtpotè in detrimentum alterius non eſt valida vtpotè obreptitia, ſeù ſubreptitia. Antecedens probatur, tum quià ex vi prioris diſpenſationis mutuo conſenſu impetratæ alter ius aliquale acquiſiuit ad nuptias, cui iuri derogatur per ſubſequentem diſpenſationem; tùm quià, vt infra videbimus, per illam ſubſequentem diſpenſationem tacitè Pontifex acceptat renuntiationem prioris, ita, vt ſi velint poſtea contrahere inter ſe, noua indigeant diſpenſatione, ergò &c. Conſequentia item tenet, quià impetratio nouæ gratiæ in præiudicium alterius non facta mentione de læſione eiuſdem iuris eſt cum vitio obreptionis, & ſubreptionis nemine

2 Impetratio ſecundæ diſpenſationis non facta mentione primæ ſubreptitia eſt.

Secunda diſpenſatio eſt in præiudicium prioris vxoris.

Ii zelu-

reluctante; Neque dicas, non obſtante priori diſpenſatione non poſſe ſtrictiſſima coactione compelli, qui recedit, ad contrahendum, quinimmo ſi alteri nubat, valere nuptias, adeoque non inferri alteri præiuditium per nouam diſpenſationem ad contrahendum cum altero conſanguineo; ſi enim poſt diſpenſationem obtentam nubendo alteri extraneo valide nubit, non obſtante reluctantia alterius, intuitu cuius obtenta fuerat diſpenſatio, ita etiam impetrando aliam diſpenſationem ad nubendum alteri conſanguineo validè impetrare præſumendus eſt non obſtante reluctantia alterius, qui poſſit obijcere priorem diſpenſationem; contra enim impugnaberis, quia quantumvis non poſſit ſtrictiſſima coactione compelli ad contrahendum cum eo, intuitu cuius fuerat impetrata diſpenſatio, non tollitur tamen, quin priori, cui promiſerat, vel cum quo fortè contraxerat, & intuitu cuius mutuo conſenſu impetrata fuerat diſpenſatio, iniuriam aliquam inferat lædendo quodamodo ius, quod ex illa promiſſione cum diſpenſatione acquiſierat; Nec ea, quæ ſubduntur, aliquam vim inferunt, nam licet contrahendo matrimonium cum altero contra promiſſionem, & impetrationem diſpenſationis valide contrahat, quia illa promiſſio, & diſpenſatio non inducunt impedimentum dirimens, & fortius vinculum ſuperueniens ſoluit minus ſtrictum, impetrando tamen aliam diſpenſationem non facta mentione prioris legitimè obtentæ in præiudicium alterius inualidè impetrat, cum non ſit præſumendum, quod Pontifex fuerit de facili conceſſurus, ſit præiudicium alterius cognouiſſet, vnde ſi dependenter ab illa contraxiſſet cum altero conſanguineo inualide contraxiſſet, cum adhuc ſubeſſet impedimentum dirimens, cum per illam diſpenſationem inualidam non fuiſſet ſublatum.

**Proponitur quædã inſtantia, & diſſoluitur.**

Ratio ſecundo deduci poteſt ex iʃs; quæ dicũtur *in c. 2. de filijs præsbit.* vbi deciditur diſpenſationẽ à Sede Apoſtolica impetratam vt illegitimus obtineat plura beneſitia, ſubreptitiam eſſe, ſi prius ad vnum diſpenſatum ſe cũ ſit, nec in poſteriori mentio prioris facta fuerit, ex quibus vniuerſaliter deducunt DD. in poſteriori diſpenſatione, vt ſubreptitia non ſit, neceſſariam eſſe mentionem prioris *Iacobus de Puteo deciſ. 246. num. 2., & 4. lib. 1. Rebuffus in praxi benef. tit. de diſpenſationibus num. 24., & ſeqq. Coarruuias lib. 1. var. c. 20. num. 7. in fin. Meres de maioratu in pr. edit. pr. p. q. 7. nu. vnico col 2. Gutierez qq. canon. lib. 2. c. 15. num. 91.*

**Explicatur textus in c. 2. de filijs presbit.**

Dices primo. illum textum *in c. 2. de filijs præsbyterorum* procedere dumtaxat de diſpenſatione ad plura beneficia ſimul retinenda, quod ſpeciale eſt ob odioſam beneficiorum pluralitatem, vt in *c. ſi motu proprio de præbend. in 6.*, cæterum non extendendum eſſe ad alias diſpenſationes, in quibus non militat eadem ratio. Sed contrà hęc inſtantia directè aduerſatur textui, quandoquidem ſupponitur, quod in ſecunda diſpenſatione eidem conceſſum fuerit plura beneficia habere, vnde nullitas diſpenſationis non prouenit præciſe ex illa benefitiorum pluralitate, ſed ex non facta mentione prioris diſpenſationis; Neque vlterius vrgeas, in eo textu non dici faciendam eſſe prioris diſpenſationis mentionem, ſed ſolum prioris defectus. eò quia in illo per præcedentem diſpenſationem non fuerit plene abrogatum, ſed tantum quoad vnum beneficium obtinendum, quod colligitur ex verbis eiuſdem textus ibi - *Diſpenſationem aliam tacito de prædicto defectu poſtmodum obtinens*; contra enim impugnaberis, quia ex eo, quod in priori diſpenſatione ſublatum fuerit impedimentum natalium videtur diſpenſatus habilitatus ad beneficia obtinenda; vnde ſi ſecunda diſpenſatio dicitur ſubreptitia, eſt, quia prior præceſſit, & de illa mentio facta non eſt.

**Oppoſitio ad allegatum textũ, eiuſq; diſſolutio.**

Dices ſecundo, illa poſterior diſpenſatio nullam habet connexionem cũ priori, ſed in diſparatis, & non connexis conceſſo vno priuilegio non eſt neceſſe prioris priuilegij mentionem facere *Abbas c. penult. num 13. de præſcript* ergo &c. Sed contra, quia licet poſterior diſpenſatio non habeat connexionem cum priori quoad entitatem, & obiectum, habet tamen connexionem quoad illationem, quatenus ea dem eſt noxia in præiudicium alterius, qui obtinuit illam diſpenſationem conſentiente eo, qui modo per ſecundam diſpenſationem a prima recedit, ſicque ratione illius præiudicij in poſteriori facienda eſt mentio prioris, quandoquidem nunquam præſumitur Princeps in conceſſione priuilegiorum velle iuri alterius præiudicare nulla habita cognitione, nec facta mentione de illo præiudicio.

**Poſterior diſpenſatio habet connexionem cum prima quoad vim illatiuam.**

3 Amplia reſponſionem primo, vt procedat. ſiue quando primo contractum eſt matrimonium nulliter ob impedimentum dirimens, & poſtea ſuper eodem impetrata diſpenſatio, & ſucceſſiue alia impetrata ad nubendum cum altero conſanguineo, ſiue quando primo habitus fuit ſolummodo tractatus de contrahendo, & obtenta diſpenſatio ſuper impedimento, & poſtea noua diſpenſatio impetrata de contrahendo cum altero impedito; ſemper enim hæc ſecunda diſpenſatio non facta mentione de prima vtpote noxia primo, cum quo fuerat contractum matrimonium licet nulliter, vel intuitu cuius prima diſpenſatio fuerat impetrata

**Procedit aſſertio, ſiue quando primo contractum eſt matrimonium, ſed nulliter, ſiue quando præciſe præceſſit tractatus.**

præ-

præſumitur obreptionis, vel ſubreptionis vitio laborare cum ſit contra fidem alteri datam vel obligatam.

4 Intellige quantùvis, in ſecunda diſpenſatione poſita fuerit derogatio generalis.

Amplia ſecundo, vt procedat quantumvis in ſecunda diſpenſatione appoſitæ fuerint omnes clauſulæ derogatoriæ generaliter, quando quidem requiritur expreſſa, & indiuidua mentio prioris diſpenſationis obtentæ ad contrahendum cum altero; cum per gratiam alicui conceſſam non præſumi debeat præiuditium iuris alterius, niſi de eo expreſſe fuerit actum *Coàruuias lib. 1. var. c. 20. num. 7. in fin. Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 3. caſ. 201. n. 39. Henriquez lib. 7. de indulgentijs c. 17. num. 5. Nauarrus lib. 4. conſil. tit. de conſang. in pr. edit. conſ. 5. in fin., & in 2. edit. conſ. 8 nu. 6. Coàruuias 4. decret. 2. part. c. 8. num. 5. verſ. octauo*.

5 Intellige niſi alter poſt impetratam diſpenſationẽ ceſſerit iuri ſuo.

Limita primo, vt non procedat, quando alter cum quo primo licet nulliter contraxerat, & mutuo conſenſu impetrata fuerat prima diſpenſatio, vel cui promiſerat cum impetratione talis diſpenſationis, liberè receſſerit à iure ſuo, & vinculum promiſſionis abſolutè altero etiam annuente ſoluerit; tunc etenim non negarem poſteriorem diſpenſationẽ ſine mentione prioris ſubſiſtere, quandoquidem tunc nulli præiudicium inferretur, & ſubſiſteret, quod aſſerit *Abbas in c. penult. nu. 13. de præſumpt.* nempè in non connexis, ſeu diſparatis in conceſſione vnius priuilegij non eſſe ex neceſſitate faciendam mentionem alterius, nec incongrua ſane ratione hoc decernitur, quandoquidem veriſimile omnino eſt, quod ſi Pontifex præcedentem conceſſionem cognouiſſet adhuc ſecundam liberè impertitus fuiſſet cum nulli præiudicium ingereret; atque iuxta hunc ſenſum exiſtimo procedere *Sanchez d. lib. 8. diſp 22. nu. 13., & Gutierez de matrimonio c. 123. nu. 20.*

6 Itẽ niſi ſit prima diſpenſatio commiſſa ordinario, & ipſe iudicarit eidem non eſſe locum.

Limita ſecundò, vt non procedat, quando prima diſpenſatio per Romanum Pontificem commiſſa eſſet ordinario loci cum clauſula *ſi ita eſt*, & ipſe ordinarius cognita cauſa declararet diſpenſationem inter eoſdem non poſſe habere locum, tunc etenim ipſa diſpenſatio prima perinde ſe haberet, ac ſi non fuiſſet conceſſa, adeoque de illa nulla eſſet habenda ratio, & per conſequens, nec facienda mentio in impetratione ſecundæ diſpenſationis, cum non conceſſio, & conceſſio nulla in effectu nullo ſibi ad inuicem æquiualeant.

7 Reſpondeo ſecundò, matrimonium initum ex vi ſecundæ diſpenſationis, in qua nulla mentio facta eſt primæ non ſubſiſtit, niſi ille; in cuius fauorem expedita fuerat prima diſpenſatio annuente, & conſentiente altero expreſsè promiſſioni, & diſpenſationi renuntiauerit. Conſentiunt omnes, qui aſſerunt poſteriorem diſpenſationem ſine mentione prioris vt pote obreptitiam, vel ſubreptitiam inualidam eſſe *Ioannes Monachus in d. cap 1. in princip. de filijs præsbit. Iacobus de Puteo deciſ. 246. num. 2. & 4. lib. 1. Molina lib. 2. de primogen. cap. 4. num. 51. Meres de Maiorat. in prima edit. prima part. qu. 7. nu. vnicò col. 2. Gutierez qq. canon. lib. 2. cap. 15. n. 91.* Ratio ex eo deducitur, quia matrimonium contractum cum impedimento dirimente eſt ipſo iure abſolute irritum, ſed tale eſſet matrimonium illud initum cum illa diſpenſatione, ergo &c. Minor probatur, quia per illam diſpenſationem vt pote omnino inualidam non intelligitur ſublatum illud impedimentum dirimens, quod præexiſtebat, quandoquidem non diſpenſatio, & diſpenſatio nulla quoad effectum tollendi impedimentum paria ſunt.

Secundum matrimoniũ ex vi ſecundæ diſpenſationis non tenet, niſi primus ceſſerit iuri ſuo.

Dixi; *niſi ille, in cuius fauorem expedita fuerat, annuente etiam altero, & conſentiente prior diſpenſatio, expreſsè promiſſioni, & diſpenſationi renuntiauerit*, quia tunc, cum iuxta prædicta diſpenſatio illa, quantumuis non facta fuerit mentio prioris, verè ſubſiſtat, per conſequens impedimentum illud dirimit, ſicque non eſt, quod, ſi interuenerit legitimus contrahentium conſenſus, & ſeruatæ fuerint omnes iuris ſolemnitates contractus ille matrimonialis non debeat ſubſiſtere.

Dices directè aduerſus reſponſionem, reluctantia alterius, in cuius fauorem impetrata fuit prior diſpenſatio, non eſt ſufficiens ad dirimendum ſubſequens matrimonium, ſi cum alio non impedito fuerit contractum, ergo, neque erit ſufficiens ad inualidandum contractum alium matrimonialem initum cum impedito, reſpectu cuius fuerit impetrata poſterior diſpenſatio, quantumuis nulla facta mentione prioris; ſi enim non irritat contractum ſubſequentem cum non impedito, nec videtur poſſe irritare diſpenſationem ad contrahendum cum impedito, vel contractum dirimere initum cum tali diſpenſatione. Sed contra; diſpar omnino eſt ratio de caſu antecedentis, & conſequentiæ; quia in primo caſu nullum eſt impedimentum dirimens ſecundum contractum, nam præcedens promiſſio facta alteri impedit quidem, non dirimit, vt videre etiam eſt in eo, qui prius in valida forma contraxerat ſponſalia cum determinata perſona, & poſtea contraxit de facto matrimonium cum alia, per quod ſoluuntur illa priora ſponſalia per ea, quæ diximus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. prænot. 6. num. 8.*, in ſecundo autem caſu interuenit impedimentum abſolutè dirimens, cum ſublatum non intelligatur per illam diſpenſationem vt pote inualidam.

In hac hypotheſi remanet adhuc impedimentum dirimens quoad ſecundam.

8 Stante noſtra ſententia diſſoluto ſecundo matrimonio ex vi ſecundæ diſpenſationis poteſt ſine noua diſpenſatione contrahi cum prima ex vi prioris.

Reſpondeo tertiò. Iuxtà noſtra principia in præcedentibus duabus reſponſionibus expoſita diſſoluto illo matrimonio inito ex vi ſecundæ diſpenſationis nulla facta mentione prioris poſsent primi, reſpectu quorum expedita fuerat prima diſpenſatio vi eiuſdem contrahere alia diſpenſatione non impetrata; Iuxtà verò ſententiam contrariam aſserentem, & poſteriorem diſpenſationem validam eſſe, & matrimonium vigore eiuſdem contractum cum ſecunda conſanguinea ſubſiſtens probabilius eſt diſsoluto eodem matrimonio per mortem conſanguineæ, cum qua vi ſecundæ diſpenſationis contraxerat, non poſse cum priori ſuperſtitem ex vi prioris diſpenſationis validè contrahere, niſi nouã impetret diſpenſationem. Prima pars eſt communis quoad eos omnes, qui ſuſtinent poſteriorem diſpenſationem impetratam ſine mentione prioris irritam eſſe. Secunda pars eſt *Innocentij in c. penult. nu. 5. de praeſcript., & ibi Hoſtienſis n. 11. in fin. Ioannis Andreæ nu. 15. Abbatis n. 18., & ſeqq. Bellam. n. 5. Sanchez lib 8. de matrimon. diſp. 22. n. 19. Gutierez de matrimon. c. 123.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià iuxtà ſuperius allegata, & probata poſterior diſpenſatio omninò irrita eſt, & inualida vt potè obreptitia, vel ſubreptitia, ergò ex vi eiuſdem non poteſt tolli quin illi, qui primam impetrarunt, eadem libere vti poſſint. Conſequentia probatur, quià, cum poſterior non valeat, minimè derogare poteſt priori *arg. l. ſi iure 18. ff de legat. 3. Baldus in c. penult. de praeſcrips. n. 22.*

Non intelligitur acceptata renuntiatio prioris diſpenſationis, cum de illa nulla facta fuerit mentio.

Confirmatur, quià eo vſque diſpenſati poſſunt vti diſpenſatione, quovſque renuntiatio eiuſdem non fuerit acceptata à concedente, per ea, quæ latè probata ſunt ſuperius, ſed ex vi illius ſecundæ diſpenſationis nulla habita mentione prioris non intelligitur, nec explicitè, nec implicitè Pontifex acceptare renuntiationem prioris, non explicitè, quià de illa priori notitiam non habet, cum eiuſdem non facta fuerit mentio: non implicitè, quià prior diſpenſatio non habet oppoſitionem cum poſteriori, cum hæc ſit inualida, ergò &c.

9 Stante ſententia contraria diſſoluto ſecundo matrimonio non poteſt coniux ex vi prioris diſpenſationis nubere primæ.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià in ſuppoſitione, quod poſterior diſpenſatio ſit in ſua radice valida, & ſubſiſtens non ſolum quantum ad effectum renuntiantis, ſed etiam quoad mentem præſumptam Pontificis concedentis prior intelligitur ſublata; non enim præſumendum eſt Pontificem voluiſſe concedere duplicem diſpenſationem, vt vtraque ſtaret, & ad libitum poſſet impetrans vna, vel altera vti. Deindè ex genere ſuo vtraque non poteſt ſimul exequi, ergò ad poſitionem poſterioris prior ex mente concedentis deſinere præſumenda eſt, nec Pontifex ſecundam conceſſiſset, ſi ſciuiſset primam conceſſiſse, & ſi ſecundam concedere voluiſset primam abrogaſset.

Dices ex ijs, quæ ſuperius diximus *ex Gloſa in c. litteras de Procurat. in 6.* ſi quis obtenta diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea, eademque diſpenſatione rejecta alteri non conſanguineæ nupſerit poteſt hac decedente, & per conſequens diſſoluto matrimonio vti illa diſpenſatione, & iterum nubere cum eadem, reſpectu cuius impetrata fuerat illa diſpenſatio, ergò etiam impetrata diſpenſatione nubendi cum vna, & eadem reiecta aliam diſpenſationem obtinuerit nubendi cum altera, cum qua de facto contraxit, poterit diſſoluto per mortem matrimonio cum iſta vti priori diſpenſatione ad nubendum cum illa in ordine ad quam prima diſpenſatio fuerat impetrata. Sed contra, neganda eſt abſolutè conſequentia. Ratio negationis in eo conſiſtit, quod in caſu antecedentis, quantumvis per contrahentem alteri nubentem fuerit illa diſpenſatio reiecta, ſeù renuntiata non fuit tamen acceptata, nec implicitè, nec explicitè à Superiore, qui conceſſerat illam diſpenſationem, quæ proptera licet non ſit in actu exercito applicata, eſt tamen applicabilis; in caſu autem conſequentiæ, quantumvis prior diſpenſatio non ſit expreſsè quoad renuntiationem acceptata, eſt tamen acceptata implicitè, & tacite, quæ propterea non eſt amplius applicabilis; quod autem intelligatur tacitè acceptata renuntiatio, euincitur ex ijs, quæ dicta ſunt in probatione præſentis reſponſionis.

Inſtantia aduerſans, eiuſque diſſolutio.

## §. XX.

### An impetrata diſpenſatione ſuper voto, eaque per dipenſatarium renuntiata poſſit idem renuntians eadem vti.

*SVMMARIVM.*

*Refertur ſtatus diſquiſitionis.* 1.
*Sententia Sanchez cum diſtinctione procedentis explicatur.* 2.
*Poſita præcisè renuntiatione ſine nouo voto poteſt adhuc renuntians gaudere diſpenſatione, donec renuntiatio accepietur à Pontifice.* 3.
*Si renuntiatio importet nouum votum renuntians non poteſt amplius gaudere diſpenſatione.* 4.
*Si diſpenſatio fuerit commiſſa à Pontifice ordinario,*

*dinario, quantumvis ante executionem commiſſionis vouens renunciauerit diſpenſationi poteſt mutata volnutate eadem diſpenſatione vti. 5.*

1 Refertur ſeries diſquiſitionis.

DISQVISITIO XIX. Alligatus erat Antonius voto caſtitatis; ſeù voto ſacram Religionem ingrediendi; Aliqua cauſa motus à Romano Pontifice ſuper illo voto diſpenſationem impetrauit, eidemque poſtea, vel per actum expreſſum, vel per implicitum, & tacitum renuntiauit. Quæſitum fuit, an non obſtante tali renuntiatione, cum adhuc à Pontifice non ſit acceptata, poſſit diſpenſationis priuilegio vti.

2 Sententia Sanchez cum diſtinctione procedentis explicatur.

Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 32. num 3.* cum diſtinctione in hac materia procedit; vel etenim diſpenſatio perfectè ſuper illo voto per Romanum Pontificem conceſſa eſt directè per ſe ipſum non facta alteri commiſſione de diſpenſando; vel perfectè conceſſa non eſt, ſed facta tantum commiſſione alteri, puta Ordinario, vt diſpenſet. Iuxta primum membrum diſtinctionis aſſerit, quod facta ſemel renuntiatione illius diſpenſationis etiam per actum merè internum non poſſit amplius liberè ea vti; rationemque adducit, quià per illum nouum actum internum ſuppoſita extinctione illius vinculi per illam perfectam diſpenſationem, iterum diſpenſatus nouo voto ſe obligat, cum hoc dependeat præcisè ab ipſius voluntate, nec diſpenſatio cadit ſuper hoc nouum votum, ſed tantum ſupra præcedens, in ordine ad quod fuit impetrata illa diſpenſatio. Iuxtà ſecundum membrum diſtinctionis aſſerit, quovſque completa non fuerit diſpenſatio, & renuntiatio eiuſdem non fuerit à Superiore acceptata, poſſe non obſtante renuntiatione tali diſpenſatione pro libertate vti, quià quomodocunque multiplicetur id votum, ſeù renouetur, antequam per perfectam diſpenſationem ablatum ſit, non inducitur noua obligatio, ſed ad ſummum firmatur prima, in ordine ad quam propterea ſemper viget facultas diſpenſandi à Pontifice commiſſa ordinario. Hinc aſſignat diſcrimen, quod intercedit inter diſpenſationem in cæteris impedimentis, & inter diſpenſationem à voto ſitum in eo, quod cætera impedimenta non poteſt ſibi imponere is, cum quo fuit diſpenſatum, niſi accedat ſuperioris auctoritas, votum autem per ſolum propriæ voluntatis actum poteſt ſibi imponere diſpenſatus, vt ex dictis innoteſcit, adeoque &c. Hæc ille.

Eiuſdem rationes afferuntur.

3 Poſita præcisè renuntiatione ſine nouo voto poteſt adhuc gaudere diſpenſatione, antequã à Pontifice acceptetur renuntiatio.

Reſpondeo primo. Conceſſa etiam perfectè diſpenſatione per Romanum Pontificem, poſitaque præcisè renuntiatione eiuſdem diſpenſationis poteſt qui vouerat adhuc gaudere diſpenſatione antequam illa à Pontifice acceptetur. Conſentire debent omnes, qui dicunt per renuntiationem diſpenſationis in quocunque genere impedimenti non priuari diſpenſatum iure vtendi diſpenſatione, quovſque renuntiatio fuerit acceptata ab eo, qui diſpenſationem conceſſit. Ratio ex eo deducitur primo, quià renuntiatio priuilegij, qua præcisè renuntiatio eſt, cõſtituit præcisè rem in priſtino ſtatu, in quo erat independenter à diſpenſatione, cum ſolum renuat eandem, ſed re permanente in eodem ſtatu non impeditur quis vti diſpenſatione, quantumvis eidem renuntiauerit ante acceptationem renuntiationis factam à Superiore concedente, ergò &c. Neque dicas, hanc renuntiationem aliud nõ importare, niſi nouum actum quo ſe iterum obligat ad idem votum, ſeu nouum votum ſimile primo conſtituit, diſpenſatio autem cadit ſupra primum votum, non ſupra ſecundum, quantumvis elicitum dependenter à primo; contrà enim impugnaberis, quià renuntiatio, qua talis eſt, non conſtituit nouum votum diſtinctum à primo, ſed ſolum ſecundum ſe refertur ad primum, quod obſeruare intendit renuntians diſpenſationi, adeoque cum diſpenſatio referatur ad dictum votum, & hæc vigeat, quovſque renuntiatio eiuſdem fuerit à Superiore acceptata, non eſt, cur ſemper non poſſit diſpenſatus mutata voluntate eadem vti. Secundò, quià etiam vt concedit idem *Sanchez d. lib. 8 diſp. 32. n. 2 prope medium* vis priuilegij, & diſpenſationis pendet à voluntate ſuperioris concedentis, & acceptatione eius, cui conceditur *Lonzez de matrimon Regis Angliæ dub 22. nu. 28.*, ergò ſicuti, quandò renuntiatio diſpenſationis non eſt acceptata à concedente poteſt diſpenſatus eadem diſpenſatione vti, ita quando idem diſpenſatus non acceptauit, & præcisè perſtitit in voluntate perſeuerandi in voto, cum nihil noui induxerit, mutata voluntate poterit velle gaudere diſpenſatione, cum ius diſpenſationis ſublatum non intelligatur, niſi facta renuntiatione à diſpenſatario, & eadem acceptata à diſpenſante, potiſſimum ſi nouum vinculum non fuerit adiectum. Confirmatur primo, quia ſi diſpenſatio voti fuerit cõmiſſa ordinario à Romano Pontifice per eundem *Sanchez loc. cit.* quouſque commiſſio fuerit per ordinarium completa, quantumvis qui vouit repudiauerit diſpenſationem, poteſt nihilominus eadem gaudere, & vti mutata voluntate priuilegio eiuſdem, non niſi quia cum votum illud ſublatum non ſit, niſi poſt executionem commiſſionis per illam repudiationem præcedentem non inducitur noua obligatio, ſed dumtaxat prior firmatur, vnde ſuperueniente poſtea executione

Renuntiatio, qua renuntiatio non ponit nouum votum, ſed refertur ad primum

ne

Digitized by Google

ne commiſſionis tota obligatio demitur, ſe hæc eodem ratio militat, quantumvis diſpenſatio ſuper voto fuerit completè conceſſa à Romano Pontifice, quandoquidem iuxta mentem eiuſdem Sanchez diſpenſatio ad plenum ſuum effectum non ſolum dependet à voluntate concedentis, ſed etiam ab acceptatione diſpenſati, vnde quouſque non fuerit acceptata ab eodem diſpenſato non intelligitur extinxiſſe priorem obligationem, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quia illa diſpenſatio quantumvis perfectè conceſſa per Pontificem eſt priuilegium; priuilegium autem non extinguitur, niſi ſuum conſecutum fuerit plenè effectum, vel renuntiatio ſecuta fuerit completa tum ex parte renuntiantis, tunc ex parte renuntiatarij. Confirmatur tertio, quia conceſſo per Romanum Pontificem iubilæo cum priuilegio commutationis votorũ, & abſolutionis ab omnibus reſeruatis, quantumvis quis renuntiauerit iubilæo, & vigore eiuſdem diſpenſationi in votis, ſeu commutationi eorumdem poteſt tamen intra tempus à iure præfinitum mutata voluntate velle conſequi Iubilæum, & diſpenſationem, & commutationem in votis non obſtante, quod eadẽ vota firmauerit per renuntiationem, ergo etiam &c. Quod ſi dicatur hæc verificari, quia conceſſio Iubilæi quoad votorum diſpenſationem, ſeu commutationem non perficiatur, niſi quando per commiſſarium fit executio eiuſdem conceſſionis; ſtatim erit impugnatio; quia etiam in noſtra hypotheſi diſpenſatio non conſequitur ſuum effectuum auferendo vinculum, niſi quando eſt acceptata à diſpenſato.

Variæ rationes reſponſionis.

4 S' renuntiatio importat nouum votũ, tunc renuntians non poteſt amplius gaudere diſpenſatione priori.

Dixi, *poſitaque præciſe renuntiatione*; nam ſi ſupponamus; quod diſpenſatus acceptata diſpenſatione iterum voto ſe adſtrixerit; tunc non eſſet præciſè renuntiatio diſpenſationis, ſed eſt noua obligatio actu diſtincta à prima, ſupra quam propterea illa diſpenſatio non poteſt cadere, cum ſit limitata ad primam, & cum diſpenſatio ex genere ſuo ſit correctoria iuris eſt ſtrictè interprætanda, adeo vt non extendatur vltra terminos, ſub quibus eſt concepta, & ad quos eſt directa.

5 Si diſpenſatio fuerit commiſſa, ſed nundũ executa poteſt renuntians velle adhuc illa gaudere, & petere executionem.

Reſpondeo ſecundo. Si diſpenſatio non fuerit perfectè conceſſa ſuper voto à Romano Pontifice, ſed commiſſa Ordinario, quantumvis ante executionem commiſſionis vouens ſæpe renuntiauerit diſpenſationi, poteſt tamen adhuc mutata voluntate eadem diſpenſatione vti, niſi renuntiatio fuerit acceptata à commiſſario. Conſentit *Sanchez d. lib. 3. diſp. 32. num. 3.* Ratio facile deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt ſupra, quia dato etiam, quod per renuntiationem renouaretur propoſitum permanendi in voto non induceretur tamen noua obligatio, cum prior non fuerit extincta, ſed tantum eadem firmaretur, ſed in ordine ad eandem obligationem renuntiatio non ſubſiſtit, niſi fuerit acceptata à concedente ergo &c.

---

## §. XXI.

### An matrimonium conditionale initum ab habilibus coram Parocho, & teſtibus ſub conditione honeſta, & poſſibili perficiatur per copulam affectu maritali ſine nouo conſenſu coram eiſdem Parocho, & teſtibus.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ, & articuli circa ipſum examinandi.* 1.

*Illud matrimonium initum ſub conditione de futuro quantumuis per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus probabilius non eſt proprie matrimonium.* 2.

*Purificata conditione matrimonium illud exigeſſet de nouo aſſiſtentiam Parochi, & teſtium.* 3.

*Sufficit tamen, quod purificetur conditio coram eiſdem.* 4.

*Si contractum fuerit matrimonium conditionale coram Parocho, & teſtibus, & pendente conditione contrahentes ſe cognouerint affectu maritali, non tamen coram eiſdem non ſit purum, & validum.* 5.

*Si pendente conditione coram eiſdem Parocho, & teſtibus ſe carnaliter cognouerint affectu maritali probabilius ſit purum, & validum.* 6.

DISQVISITIO XX. Contraxerunt adinuicem per verba de præſenti matrimonium Octauius, & Caia ſeruata forma Concilij hoc eſt præſentibus Parocho, & teſtibus adiecta tamen conditione *ſi Patri, vel conſanguineis vtriuſque placuerit.* Non adhuc innoteſcente de conſenſu, vel approbatione Patris, vel conſanguineorũ vtriuſque affectu maritali ſe adinuicem carnaliter cognouerunt. Hic orta fuit primo controuerſia, an illud matrimonium quantumvis initum per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus, propter illam conditionem honeſtam, & de poſſibili ſit verum matrimonium; ſecundo ex ſuppoſitione, quod ſit matrimonium quantumvis dependeat à conditionis euentu an exigat purificata conditione, vt iterum corã Parocho, & teſtibus exhibeatur conſenſus.

1 Status cõtrouerſiæ, & articuli circa ipſũ examinãdi

Tertio

Tertio in eadem etiam ſuppoſitione validitatis, an per illam copulam affectu maritali ſubſequentem ſufficienter matrimonium illud de conditionali tranſeat in purum. Quarto ex ſuppoſitione, quod, quando celebratum fuit ſub illa conditione non fuerit verum matrimonium fiat tale per copulam illam ſubſequentem, & antunc requiratur, quod vel illa copula carnalis affectu maritali fiat coram Parocho, & teſtibus, vel ſaltem nouus mutuus conſenſus exhibeatur coram illis.

2 Probabilius pendente conditione, quamuis fuerit initum per verba de præſenti non eſt proprie matrimonium.

Reſpondeo primo probabilius eſſe matrimonium illud initum ſub illa conditione de futuro, quantumvis per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus non eſſe propriè matrimonium. Ratio ex eo deducitur, quià quantumvis ille contractus concipiatur per verba de pręſenti, & fiat ſeruata forma, quæ adhibetur in contractu matrimoniali de pręſenti, ratione tamen conditionis appoſitæ reſoluitur in tempus futurum, quando ſcilicet eadem conditio purificabitur, ergò de præſenti non eſt propriè, & verè matrimonium. Antecedens ſecundum ſe patet, quià contrahentes pro tunc, quando ſic contrahunt, non acquirunt ius mutuo in corpora ad inuicem, ergò tunc tantum erit matrimoninm, quando erit conditio non antecedenter, quando illa non adeſt. Confirmatur primò ex textu *in c. ſuper eo de condit. appoſit.*, vbi Pontifex dicit conſenſum à viro fœminæ per verba de præſenti ſub conditione, *Si Pater conſenſerit* præſtitum, & expreſſum non eſſe pro pręſenti habendum. Confirmatur ſecundò *ex textu in c. per tuas eod. tit. de condit. appoſitis*, vbi etiam Pontifex talem contractum matrimonij per verba de præſenti celebratum per huiuſmodi conditionem appellat ſponſalia. Atque hanc ſententiam expreſsè ſuſtinet *D. Thomas in 4. diſt. 29. q. vnica art. 3. Sotus ibid. q. 2. art. 1. concl. 3. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 12. num. 3. Comitolus lib. 1. reſponſ. moral q. 113. num. 6. Nauarrus lib. 1. conſ. tit. de ſponſal. conſ. 14. Baſilius Pontius de matrimon. lib. 3. cap. 13. Diana part. 3. tract. 4. reſol.* 291. aduerſus *Sanchez de matrim. lib. 5 diſp. 8 nu* 5. Neque aduerſus hanc noſtram reſponſionem maiorem vim facit, quod, præterquamquod huiuſmodi matrimonium celebratum fuerit per verba de præſenti, adhibita etiam fuerit forma concilij, quæ ex neceſſitate ſolum adhibetur pro matrimonio de præſenti; Non, inquam, maiorem vim facit, quià huiuſmodi præſentia ſolum vim facit matrimonio, ſeù illud conualidat, quando ſunt omnia requiſita ad ipſius valorem de præſenti; quando etenim non ſunt requiſita nihil præſtat quoad validitatem; vt videre etiam eſt, ſi coram Parocho, & teſtibus per impuberes contraheretur matrimonium per verba de præſenti; illud etenim ad ſummum reſolueretur in ſponſalia. Cæterum *Concilium Tridentinum in d. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimonij* videtur expreſsè requirere mutuum conſenſum abſolutum de præſenti, quod indicant illa verba *viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellectu*, & etiam colligitur ex fine ab eodem Concilio intento, dum præſcripſit tanquam neceſſariam ad valorem matrimonij aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, qui fuit vt poſſet teſtificari de matrimonio perfectè, & tunc completo, vt ſi ſponſi vellent ad alias nuptias tranſire, interdicantur; quandò autem primæ nuptiæ ſunt tantum ſub conditione ante conditionis adimplementum non poſſunt interdici, ne validè alias nuptias ineant, nam ſi ineant etiam coram eccleſia tenerent.

Ille conſenſus reſoluitur in ſponſalia, & in conſenſum de futuro.

Concilium Trid. requirit mutuũ conſenſum de pręſenti

3 Purificata conditione repetenda eſt forma concilij.

Reſpondeo ſecundò. In ſuppoſitione, qua illud eſset verum matrimonium etiam ſi fuerit contractum ſeruata forma Concilij purificata conditione indigeret noua aſſiſtentia Parochi, & teſtium. In hanc reſponſionem propendent contrà *Paludanum in 4. diſt. 29. q. 2. art. 5. ad fin. nu. 37. Canoniſtas magis communiter in c. de illis, & c. ſuper eo de condit. appoſ. Franciſcum Molinum de rit. nupt. lib. 1 comparat. 26. n. 18. in fin. Bonacinam q. 2. punct. 10. n. 20. Sanchez de matrimon. lib. 5. diſp. 8 n. 5. Hurtadum diſp. 7. diff. 3. n. 10. Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. c. 2. nu. 34. & c. 10. n. 70.* propendent, inquam, *Viualdus in candelabro aureo prima part. tit. de matrimon. n. 59. Matienzo in rub. tit. 1. gloſ. 1. n. 63. lib. 5. noua recopil. Perez lib. 5. ordinam. tit. 1. lib. 1. ad fin. § 8. Surdus conſ. 364. lib. 3. Riccius in praxi for. Eccleſ deciſ. 248. num. 3. Spino in ſpecul. teſtamenti gloſ. 15. num. 66.* Ratio ex eo deducitur, quià ille contractus ſic initus pendente adhuc conditione imperfectus eſt, & diſſolubilis per reuocationem conſenſus ante implementum conditionis, ergò aſſiſtentia Parochi, & teſtium præſtita in celebratione contractus conditionalis non eſt ſufficiens ad intentum Tridentini. Conſequentia probatur, quià ideo Concilium Tridentinum requirit huiuſmodi aſſiſtentiam, ne contrahentes ex libertate poſſint recedere, & ratione conſenſus coram eiſdem præſtiti poſsint compelli ad permanendum in coniugio, ſed poſita præcisè eorundem præſentia poſſunt validè ad alias nuptias tranſire, nec ita poſſunt compelli ad permanendum in primis, vt ſi ſecundas contrahant, iſtæ non teneant, nec poſſint irritæ declarari, dummodo hoc fiat pendente adhuc conditione, ergò &c. Confirmatur, quià aſſiſtentia Parochi, & teſtium eſt complementum actus perfecti ex diſpoſitione

Pendente adhuc conditione contractus diſſolubilis eſt

ſitione

ſitione iuris requiſiti, ergo debet ſupponere actum ex parte contrahentium completum; non eſt autem actus completus, quando pendente conditione eſt per contrahentes reuocabilis, ergo tunc iterum requiritur præſentia, quando conſtituitur actus in eſſe completo, & irreuocabili.

Aſſiſtentia Parochi, & teſtium eſt vltimũ cõplementum contractus.

Confirmatur ſecundò, quia, ſi Parochus, & teſtes aſſiſterent ſponſalibus iuratis, & poſtea inter ſe contraherent matrimonium per verba de præſenti ſine eorum aſſiſtentia, matrimonium illud non ſubſiſteret, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo, ſi duo contraherent coram parocho, & teſtibus per verba de præſenti adiecta tamen conditione de futuro honeſta, & poſſibili, hac purificata ponenda eſt iterum eadem præſentia, nec ſufficiet præcedens poſita in celebratione contractus conditionalis. Conſequentia probatur, quia intantum in caſu præcedentium ſponſalium iuramento confirmatorum non ſufficit præſentia in eorum celebratione appoſita, in quantum ille actus non eſt completus, & contrahentes poſſunt valide ab eo recedere; ſed hoc idem contingere poteſt in caſu illius matrimonij conditionalis, à quo pendente conditione contrahentes poſſunt valide recedere, ergo &c.

Dices ita ſe habent ſponſalia conditionalia ad conditionem honeſtam, & poſſibilem de futuro, ſicuti matrimonium conditionale ad ſuam conditionem, ſed ſponſalia conditionalia aduenіente conditione fiunt immediatè pura, & abſoluta alio conſenſu non interueniente, ergo etiam matrimonium conditionale, nec ad hoc poteſt vlterius ex neceſſitate requiri talis præſentia, cum iam antecedenter fuerit poſita.

Diſpar ratio de ſpõſalibus cõditionalibus eueniente conditione, ac de matrimonio cõditionali purificata eadem eõditione.

Sed contra, quantumuis ſponſalia conditionalia purificata conditione tranſirent in pura, & abſoluta ſine nouo conſenſu ſuppoſita præciſe continuatione præcedentis conſenſus poſiti in celebratione contractus, non propterea matrimonium conditionale poſita purificatione conditionis tranſit immediate in abſolutum, & purum ſine noua Parochi, & teſtium præſentia. Ratio diuerſitatis in eo conſiſtit, quod ad validitatem ſponſalium ſufficit, quod interueniat conſenſus ſenſibiliter expoſitus inter ipſos contrahentes, vel actu, vel virtute in actu ſcilicet præcedenti virtualiter perſeuerante; ad validitatem vero matrimonij requiritur, vt ita conſtet Eccleſiæ de tali conſenſu, vt virtute illius contractus appareat plenè completus, ita vt non poſſit per eoſdem contrahentes amplius reſcindi.

Hic immediate ſuboritur difficultas, an ſuppoſito, quod requiratur poſita purificatione conditionis de nouo aſſiſtentia Parochi, & teſtium, vt hactenus probauimus, ſufficiat, quod ijdem interſint, quando adimpletur conditio, an vero vlterius requiratur, quod tunc contrahentes coram eiſdem nouum conſenſum exhibeant. 4

Sufficit tamen, quod purificetur conditio coram eiſdem.

Reſpondeo probabilius eſſe ſufficere, ſi interſint adimplemento conditionis, nec requiri tunc nouam conſenſus exhibitionem, niſi conſtet de reuocatione prioris. In hanc reſponſionem propendent quotquot ſuſtinent, quod licet non requiratur nouus conſenſus coram eiſdem, ſit tamen neceſſaria coram ipſis purificatio conditionis *Petrus de Ledeſma de matrim. qu.47. art.5. dub. 7. concl. 3. Rebellius de obligat. iuſt. part.2. lib.2. qu.10. ſect.6. num.44. Paulus Laiman lib.5. tract. 10. part. 2. cap.7. num.3. Bonacina qu. 2. de matrimon. punct. 10. num.22. Egidius Coninchus diſp.29. num.15. Hurtadus diſp.7. diff.7. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg.32. num.156. Diana part.3. tract.4 reſol.291.* Ratio ex eo deducitur, quia ipſi contrahentes coram Parocho, & teſtibus tranſtulerunt ſuum conſenſum abſolutum in illam conditionem, adeout voluerint ea purificata conſentum eſſe purum, abſolutum, & irreuocabilem, ergo eueniente eadem conditione coram iiſdem Parocho, & teſtibus non reuocato conſenſu erit verum, & abſolutum matrimonium etiam attento iure nouo Concilij Tridentini, quandoquidem conſenſus vere, & proprie innoteſcit coram eodem Parocho, & teſtibus. Antecedens patet, quia intantum ille conſenſus eſt conditionalis, in quantum adhuc pendet conditio, ergo, cum tranſtulerint ſuum conſenſum in conditionem, vt illa purificata purificetur, intelliguntur voluiſſe ſuum conſenſum eſſe abſolutum, quando purificabitur conditio, in quam illum tranſtulerunt.

Conſenſus translatus eſt in illam conditionem.

Conſequentia probatur, quia non eſt de neceſſitate contractus matrimonialis, quod conſenſus formaliter exhibeatur per ipſos contrahentes, quando actu perficitur contractus, ſed ſufficit, quod exhibeatur in aliquo actu, ſeu obiecto, in quo fuerit conſenſus relatus, vt videre eſt, quando contrahitur per Procuratorem, in quem contrahentes ſuum tranſtulerunt conſenſum. Confirmatur primò, quia celebratis legitimè ſponſalibus coram Parocho, & teſtibus, & coram eiſdem habita copula carnali affectu coniugali præſumitur pro vero matrimonio etiam ſecundum ius nouum Concilij Tridentini, vt ſupra probauimus, ergo etiam celebrato matrimonio conditionali coram Parocho, & teſtibus, & coram eiſdem purificata conditione habebitur illud matrimonium pro vero, & valido etiam ſecundum legem eiuſdem Tridentini. Conſequentia probatur, quia non minus adimplementum illius conditionis

Digitized by Google

ditionis, in quam contrahentes retulerunt ſuum conſenſum expreſſum purificat illum conſenſum, & reddit abſolutum, quam copula affectu coniugali transferat conſenſum illum de futuro in ſponſalibus præcedentibus ad conſenſum de præſenti. Confirmatur ſecundò, quia *à Tridentino d cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon.* exigitur præſentia Parochi, & teſtium, vt illis conſtet vere, & ſubſtantialiter matrimoniũ fuiſse contractũ, & de illo corã Eccleſia poſſint teſtificari; ſed ſuppoſita præſentia eorundem matrimonio conditionali, & purificationi conditionis verè illis conſtet matrimonium fuiſſe celebratum, & de illo poſſunt teſtificari coram Eccleſia, quandoquidem teſtificantes de viſu, & auditu de conditione appoſita, & ſimul de purificatione illius coram ſe ſufficienter deponunt de conſenſu abſoluto, & de præſenti ad matrimonium, ergo &c. Adde, quod non ſolum in ea hypotheſi ſufficiat, quod implementum conditionis euenerit coram eiſdem Parocho, & teſtibus, ſed etiam, ſi euenerit eiſdem non præſentibus, & contrahentes ipſi corã illis teſtentur de purificatione illius conditionis, quia, dum ipſi aſserunt conditionem eſse purificatam, aſserunt etiam conſenſum proprium factum eſſe abſolutum, & purum; Quid autem amplius requiritur ad validitatem matrimonij iuxta intentum Concilij, niſi quod conſenſus contrahentium abſolutus manifeſtetur Parocho, & teſtibus

Varijs rationibus probatur reſponſio.

5
Si contractũ fuerit matrimonium conditionale coram Parocho, & teſtibus, & pendente cõditione contrahentes ſe cognouerint affectu maritali non tamen coram eiſdẽ non ſit purum, & validum.

Reſpondeo tertio. Si matrimonium conditionale contractum fuerit coram Parocho, & teſtibus, & ante complementum conditionis contrahentes ſe carnaliter cognouerint etiam affectu maritali, non tamen coram eiſdem Parocho, & teſtibus illud matrimonium attento iure nouo Concilij Trid. non fit purum, & validum *Iulius Sanna Zarius de Ripa deſponſ. c. 3. art 3. num. 28, & ſeqq; Gutierez de matrimon. c. 81. num. 9.* Iuxtà noſtra principia expoſita in reſponſione prima huius diſquiſitionis, ſecundum quæ aſſeruimus illud matrimonium conditionale non eſſe niſi ſponſalia, reſponſio hæc vix aliquid habet difficultatis; cæterum in omni ſententia ſuum robur habet, & quidem nõ inefficax, quandoquidem Parochus, & teſtes in ea hypotheſi non poſſent deponere de conſenſu perfecto, & completo contractus, cum coram eiſdem non fuerit purificata conditio, nec poſita illa copula affectu coniugali, ſed ſolummodo de illo conſenſu conditionato, qui reuocabilis eſt, nec complet ſecundum ſe contractum indiſſolubiliter.

Maior difficultas eſt, an pendente adhuc conditione ſi contrahentes primo conditionaliter contraxerant coram Parocho, & teſtibus, & coram eiſdem ſe carnaliter cognouerint affectu coniugali, intelligantur perfectum, & completum matrimonium contraxiſſe iuxta formam præſcriptam à Concil. Trid. Prima fronte videtur dicendum, non fieri proprie, & abſolutè matrimonium etiam per illam copulam poſt contractum conditionalem affectu coniugali, quandoquidem conſenſus contrahentium refertur ad conditionem, quæ adhuc completa, & purificata non eſt, vnde ſaltem præſumptiuè non videtur illa copula eſſe poſſe ante conditionis euentum ex affectu coniugali. Nihilominus valde probabile eſt fieri purum, perfectum, & completum. *Nauarrus conſ. 1. de condit. appoſitis in pr. edit. Camillus Borellus tom 3. deciſ. tit. 1. num. 535. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. num. 156. Naldus verb. matrimonium num. 11. Bellarmin. ad d c. 1. Trident. ſeſſ. 24. de reform. matrim. in obſeruat. verb. inter quos matrimonium, & in addit. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia per illam copulam affectu coniugali contrahentes videntur receſſiſſe à conditione, & quaſi nouo conſenſu pure, & abſolute contraxiſſe per textum *in c. tuas de condit. appoſitis*; ille etenim affectus coniugalis dicit conſenſum purum de præſenti; vnde Sacra Congregatio Concilij declarauit matrimonium contractum ſub conditione appoſita per maſculum, *ſi id ſaluo honore meo fieri poteſt, & ſi fratribus meis placuerit* fieri purum, & abſolutum, ſi adhuc pendente cõditione ſubſecuta fuerit inter eoſdem copula affectu maritali.

6
Si pendente cõditione coram eiſdem Parocho, & teſtibus ſe carnaliter cognouerint affectu coniugali probabilius fit purum, & validum.

---

## §. XXII.

### An, ſi alter ficte, ſeu per metum contraxerit ignorante altero fictionem, ſeu coactionem ſufficiat, quod internè reuocet fictionem, & libere per nouum actum contrahat, an vero quid aliud requiratur.

*SVMMARIVM.*

*Factum in ſuis terminis, & rationes examinanda.* 1.

*Probabilius eſt ſufficere, ſi ille qui fixit, reuocet fictionem, vel libere conſentiat, ſi conſenſit coacte.* 2.

*Innocens factus poſtea conſcius fictionis alterius conſultius ageret, ſi renouaret conſenſum, dum ille reuocat fictionem, ſatis tamen eſſet, ſi priorem conſenſum non reuocaret.* 3.

*In ſententia aſſerente requiri, quod innocens etiam renouet conſenſum nō ſatis eſſet, quod renouaret, ſed ulterius etiam requireretur, quod certioraretur de inualiditate prioris contractus.* 4.

1 Factum in ſuis terminis, & rationes examinandæ.

DISQVISITIO XXI. Contraxerunt inter ſe matrimonium per verba de præſenti, ſeruatiſque omnibus iuris ſolemnitatibus Caius, & Sempronia, ſed Caius fictè, & coactè, ſeù conſenſu quidem exterius exhibito, ſed ſine animo promittendi, ſeu ſe obligandi, vel per metum cadentem in conſtantem virum extorto, dum Sempronia vere, & cum animo ſe obligandi, & libera voluntate conſenſum exhibuit. Certum eſt matrimonium illud ex defectu conſenſus veri, & realis ex parte Caij irritum eſſe, & nullius roboris. Hic orta fuit controuerſia, an ad reualidandum illud matrimonium ſatis ſit, quod Caius per actum internum reuocet fictionem alio coniugie non monito de fictione, vel de illo metu, an vero requiratur, quod alter etiam cognita illa inualiditate iterum conſentiat per nouum actum, & an tandem requiratur, quod vterque de nouo contrahat coram Parocho, & teſtibus. Non requiri repetitionem aſſiſtentiæ Parochi, & teſtium clariſſimè liquet ex dictis in præcedentibus, vbi diximus, quod quando impedimentum eſt occultum quamvis notum ipſis contrahentibus, nec adſit periculum, vt detegatur, non ſit neceſſaria repetitio formæ Concilij.

2 Probabilius eſt ſufficere, ſi ille, qui finxit, reuocet per actum internum fictionem, vel liberè conſentiat, ſi conſenſum præſtitit meticulosè.

Reſpondeo primo, probabilius eſſe ſufficere, ſi ille, qui finxit conſenſum reuocet præciſè fictionem per actum internū, vel liberè poſteà conſentiat, ſi conſenſum præſtitit per metum cadentem in conſtantem virum *D. Thomas in addit. q. 47. art 4. ad ſecundum, Coarruuias 2. part. c. 4. num 7. Nauarrus in manuali c 22 n. 51. Paulus Laiman. lib. 5. tract 10 part. 1. c. 6 n 1 Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 17. dub. 11. n. 12. Bonacina de matrimon. q 2 punct. 5 n 1. Fillincius part 1 tract. 10. c. 3. num. 84. Diana part. 3. tract. 4 reſol. 292. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract. c. 2. n. 38.* contrà *Pelinum in c. ex parte Decani de reſcript n. 11. ampliat. 4. Palacium in 4 diſt. 27. diſp. 1. Bartolomaeum à Ledeſma de matrimon. dub. 19. Baſilium Pontium lib. 4. c. 24. n. 3., & ſeqq.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, nempe in hac hypotheſi nihil deficere ad validitatem contractus, niſi conſenſus internus iſtius, qui ſimulatè conſenſit; alter etenim omninò liberè, & verè conſenſit, & forma Concilij fuit adhibita, ergò addito verò conſenſu illius, qui ſimulauit non poteſt non ſubſiſtere contractus, & fieri validus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur conſenſum eſſe de forma contractus, formam verò ex genere ſuo eſſe indiuiſibilium, quæ propterea debet ex parte vtriuſque ſimul poni, non ex interuallo; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſi verificaretur inſtantia regulariter omnes contractus matrimoniales non ſubſiſterent, quandòquidem cum conſenſus exprimatur per verba, & verba non niſi ſucceſſiuè proferantur primò ſcilicet ab vno, ſucceſſiuè ab altero, nunquam poneretur ſufficiens forma cum æquè primo ab vtroque non poneretur; Sufficit ergò, quod ſimul moralitèr ponatur in eo ſenſu, quod moralitèr perſeuerante conſenſu illius, qui verè contraxit, ſuperaddatur conſenſus verus iſtius, qui prius ſimulatè contraxerat, tunc etenim fit conflatum, quod indiuiſibiliter conſtituit matrimonium, & tunc, cum ſit ſacramentum, cauſat gratiam ſacramentalem; vndè communitèr in hoc conueniunt DD. ad valorem matrimonij non exigi, vt conſenſus amborum contrahentium ſint ſimul tempore, ſed ſatis eſſe ſi ſint ſimul moralitèr, ſicut in alijs contractibus per textum *in l. 1. §. 1. ff. de verbor. oblig Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 17. dub 11. num. 12.*, quinimmò poſſunt dici huiuſmodi conſenſus eſſe ſimul tempore in eo ſenſu, quo perſeuerante conſenſu alterius, qui verè contraxerat, quiſque intelligitur ſemper conſentire, cum ſemper habeat alterum pro vero coniuge. accedit poſtea conſenſus alterius, qui cum illo conſtituit vnum conflatum aptum ad perficiendum matrimonium.

Non requiritur, quod ſimul Phyſicè ponantur conſenſus, ſed ſufficit moraliter, & quomodò

3 Innocens conſcius fictionis alterius conſultius ageret renouando conſenſum dum alter reuocat fictionem, ſatis tamen eſſet, ſi priorem conſenſum non reuocaret.

Hic alia ſuboritur difficultas, an ſi alter innocens, qui verum in celebratione contractus poſuit conſenſum factus fuerit conſcius ſimulationis alterius ad reualidandum contractum, quando alter per verum actum internum reuocat fictionem teneatur renouare conſenſum per nouum actum. Reſpondeo conſultius eſſet, ſi renouaret, ſufficiens tamen eſſe ſi non reuocet conſenſum in rigore loquendo. Ratio eſt, quià perſeuerat adhuc ipſius conſenſus, & poteſt agere, vt alter reuocet fictionem, nec ſcientia nullitatis demit proprium conſenſum, cum ipſe quantum eſt ex ſe, perſiſtat in decretis.

4 In ſuppoſitione, quod requireretur, quod innocens renouet conſenſum deberet certiorari de inualiditate prioris.

Reſpondeo ſecundò. In ſuppoſitione contrariæ ſententiæ aſſerentis requiri, quod vterque in renouatione contractus renouet conſenſum, non ſufficit, quod quomodocunque exigatur innocentis, qui verè conſenſit, nouus conſenſus, ſed vlterius requiritur, quod certioretur de inualiditate prioris contractus. Propendet in hanc reſponſionem *Baſilius Pontius d lib. 4. c. 25. n. 2.*; & conſonat cum ijs, quæ nos alibi docuimus, & præcipuè *tom. 5. ſub tit. contractus XIV. de ſponſalib. 1. pranot. 3. num. 25.* prout etiam in ſimilibus terminis de ſponſalibus docent *Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 2, nu. 82., & ſeqq.*

*ſeqq. Sanchez de matrimon. lib. 1. de ſponſ. diſp. 16. num. 7. Roſella verb. matrimonium 4. num 5. Nauarrus in ſumma cap. 12. nu. 71.* Ratio ex eo deducitur, quia nihil tàm eſt contrarium conſenſui, quàm error per textum *in l. ſi per errorem ff. de iuriſd. omn. Iud.* ſed in ea hypotheſi deceptus conſentiret per errorem, ergo &c. Confirmatur, quia poteſt eſſe præſumptio, quod in tantum deceptus ratificet, in quantum ſibi ſuadeat ex illo matrimonio teneri, quatenus reputet validum, cæteroqui non ratificaturus, ergo &c. Vide quæ late docuimus *d. tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1 prænot. 3. num. 25.*

---

## §. XXIII.

An, ſi vterque ficte conſenſerit requiratur ad reualidandum contractum nouus vtriuſque contrahentis conſenſus expreſſus coram Parocho, & teſtibus.

### *SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ, & articuli examinandi.* 1.

*Sententia aſſerens requiri nouum vtriuſque contrahentis conſenſum expreſſum indefinitè.* 2.

*Sententia aſſerens requiri, quando vterque eſt conſcius fictionis alterius, ſecus quando ignorans.* 3.

*Non requiritur vtriuſque contrahentis nouus conſenſus expreſſus, ſed ſufficit internus, ſiue vterque ſciuerit fictionem alterius, ſiue ignorauerit.* 4.

1 Status controuerſiæ, & articuli examinandi.

DISQVISITIO XXII. In faciem Eccleſiæ hoc eſt ſeruata forma Concilij contraxerunt matrimonium per verba de præſenti Titius, & Caia, ſed animo ſimulato, non cum vera intentione contrahendi, ſed ſe adinuicem decipiendi, qua ratione defectu conſenſus interni, qui eſt forma ſubſtantialis contractus, matrimonium non ſubſiſtere certo certius eſt. Oritur iam hic controuerſia, an ad reualidandum talem contractum requiratur nouus vtriuſque contrahentis conſenſus externus, & expreſſus, an vero ſufficiat internus, & implicitus; item ad huiuſmodi reualidationem requiratur, quod conſenſus vtriuſque exhibeatur coram Parocho, & teſtibus. Pro clariori intelligentia, & ſolutione.

Conſidera, an reſpectu vtriuſque fictio, ſeù ſimulatio fuerit nota, adeo vt vterque cognoſcat fictionem alterius, an vero vterque cognoſcat fictionem propriam, non tamen illam alterius, an tandem vnus, & propriam, & illam alterius, non ſic alter illam iſtius. Sanchez *lib. 2. diſp. 32. num. 11.* exiſtimat requiri nouum vtriuſque contrahentis conſenſum expreſſum, quia cum vtriuſque conſenſus fuerit omninò nullus perinde eſt, ac ſi matrimonium penitus non eſſet contractum, ſicuti quando conſenſus cedit ſupra materiam illegitimam.

2 Sententia aſſerens requiri nouũ vtriuſque cõſenſum expreſſum

Leſſius vero *d. lib. 2. de iuſtitia cap. 17. dub. 11. num. 12.* procedit cum diſtinctione, vel etenim vterque eſt conſcius non ſolum propriæ, ſed etiam ſimulationis alterius, vel in ordine ad fictionem alterius eſt penitus ignorans; ſi ſit conſcius, abſolutè aſſerit neceſſarium eſſe nouum vtriuſque contrahentis conſenſum expreſſum propter rationem, quam mox adduximus ex Sanchez, & vlterius, quia neuter poteſt præſumere alterum reuocaſſe fictionem, vt ſic conſenſus ipſius accedens perficiat contractum, adeoque nouus expreſſus ex parte vtriuſque requiritur; ſi vero ſit ignorans, ſentit per ſolum actum internum vtriuſque reualidari contractum, rationemque diuerſitatis aſſignat, quia quando vterque ignorat conſenſum alterius fuiſſe fictum poteſt vterque valide adijcere ſuum conſenſum, quia poteſt præſumere conſenſum alterius perſeuerare, ſecus autem quando vterque nouit conſenſum ex fictione eſſe inualidum, quia non poteſt eſſe præſumptio de morali perſeuerantia, ſed potius de inſubſiſtentia. Nihilominus

3 Sententia aſſerens requiri nouũ vtriuſque cõtrahentis conſenſũ expreſſum, quando vterq; eſt cõſcius fictionis alterius, ſecus quando vnus fictionis alterius eſt inſcius, vel vterque.

Reſpondeo, in data hypotheſi fictionis reſpectu vtriuſque matrimonium conualidari per vtriuſque nouum internum conſenſum verum, & realem, ſiue vterque ſciuerit fictionem alterius, ſiue ignorauerit. *Silueſter verb. matrimonium qu. 11. dict. 4. Riccardus in quarto diſt. 29. art. 2. qu. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 7. ad medium, Turrecremata 31. qu. 2. in ſumma nu. 10.* & nos in ſimilibus terminis docuimus *tom. 5 ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. prænot. 5. num. 3.* licet præciſe ibi loqueremur de ſponſalibus; vnde ad ibi dicta pro probatione præſentis reſponſionis vos remitto, quæque neceſſario ſunt videnda cum efficaciter euincant intentum præſens; Neque enim hic vacat ea repetere, quæ ibi ex profeſſo fuerunt agitata.

4 Sufficit internus nouus cõſenſus, ſiue vterque, ſiue alter, ſiue ignorauerit fictionem alterius.

Solum hic aliquid remanet dicendum contra diſtinctionem Leſſij, licet etiam ibidem fuerit expreſsè, & ex profeſſo confutata. Sic igitur aduerſus eundem procedo. Siue fictio reſpectu vtriuſque fuerit cognita, ſiue ignorata negari non poteſt, quin contractus ſecundum rei veritatem ſit inualidus; ſi igitur cum ignorantia fictionis per nouum conſenſum vtriuſque internum reualidatur, cur non

Reijcitur expreſſe ſecunda ſententia.

 poterit

poterit cum ſcientia reualidari? Si reſpondeat Leſſius, quod, quando eſt ignorantia, eſt præſumptio moralis perſeuerantiæ conſenſus veri in altero, non ſic quando eſt ſcientia, ſtatim impugnabitur, quia, vel loquimur de perſeuerantia morali illius extrinſecæ ſenſibilitatis poſitæ per actum fictum, & ſic non eſt dubium, quod illa adhuc vigeat, cum non conſtet de reuocatione per actum externum, vel quatenus altera nupſerit, vel quatenus poſuerit aliquem actum, qui ſit incompatibilis cum illa ſenſibilitate; ſi vero de conſenſu interno poſito in celebratione contractus, & tunc certe non poteſt præſumere de illius perſeuerantia morali, cum actus ille tunc non fuerit poſitus poteſt tamen præſumere de noua illius actus poſitione ex eo, quod alter præſtat actus, qui ſunt proprij coniugum, qui, ſi coniungantur cum illa extrinſeca ſenſibilitate inducunt valde vehementem præſumptionem de conſenſu interno, per quem reuocata fuerit illa fictio. Recole etiam, quæ in hoc caſu dicta ſunt *d. tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. loc cit.*

**Inſtantia aduerſus propoſita, & diſſoluta.**

Dices, ſi contrahatur matrimonium ficte ex parte vtriuſque contrahentis, & fictio innoteſcat Parocho, & teſtibus matrimonium ipſum nequit conualeſcere, niſi nouus conſenſus exhibeatur coram eodem parocho, & teſtibus, ergo, ſi contrahatur ficte, & fictio innoteſcat ex parte vtriuſque contrahentis, reſpectu vtriuſque ad reualidandum contractum requiritur nouus conſenſus expreſſus. Sed contra neganda eſt abſolute conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod ex diſpoſitione Concilij Tridentini requiritur præſentia Parochi, & teſtium, vt poſſint de illius validitate coram Eccleſia teſtificari, non poſſent autem teſtificari ſic, cum in celebratione contractus illis expreſse conſtaret de fictione reſpectu vtriuſque, vnde certe requiritur, quod coram illis iterum contrahatur matrimonium per verum, & expreſſum conſenſum, vt poſſent valide fungi illo munere teſtium; ad validitatem autem matrimonij quantum pertinet ad ipſos contrahentes ſufficit poſita ſenſibilitate moraliter perſeuerante, quod accedat conſenſus internus ſaltem præſumptiue, quod haberi poteſt ex actibus coniugum, ſi illi fiant inter ipſos.

## §. XXIV.

### An quando matrimonium eſt aliter nullum, quam ob defectum conſenſus interni ſublato impedimento requiratur nouus vtriuſque contrahentis conſenſus expreſſus.

*S V M M A R I V M.*

*Explicatur factum in ſuis terminis.* 1.
*Si impedimentum vtrique innotuerit impetrata diſpenſatione ex parte vtriuſque renouandus eſt expreſſus conſenſus.* 2.
*Si alter tantum ex contrahentibus fuerit conſcius impedimenti dirimentis neceſſe eſt vt vterque de nouo conſentiat.* 3.
*Ignarus in data hypotheſi debet certiorari de impedimento, reticita tamen cauſa, ſi inde damna timeantur, & ſcandala.* 4.

1 **Explicatur factum in ſuis terminis.** DISQVISITIO XXIII. Ignari impedimenti dirimentis occulti exiſtentis inter ipſos contraxerunt matrimonium per verba de præſenti Titius, & Caia ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus, hoc eſt adhibita præſentia Parochi, & teſtium, forte etiam præmiſſis conſuetis denuntiationibus. Poſtea impedimentum, vel alteri eorum innotuit, vel forte etiam vtrique, ſuper quo propterea à Romano Pontifice impetrata fuit diſpenſatio. Quæſitum hic fuit an ad reualidandum contractum ſuppoſita diſpenſatione ſuper illo impedimento requiratur nouus vtriuſque contrahentis expreſſus, quod eſt id, quod alij proponunt ſub diuerſis terminis, an ſcilicet quando conſenſus expreſſus in celebratione contractus cadit ſupra materiam, & perſonas inhabiles poſita habilitate earundem ſit expreſse renouandus, nam quando matrimonium eſt ſolummodo nullum ob defectum conſenſus interni tunc conſenſus ille fictus, & externus dicitur cadere ſupra perſonas habiles, de quo propterea id dicendum eſt, quod fuit ſupra probatum.

2 **Conſtante vtriq; de impedimento vterq; debet eliceře nouũ conſenſum externum.** Reſpondeo primo. Si impedimentum vtrique innotueſcit impetrata diſpenſatione vtique ex parte vtriuſque renouandus eſt expreſſus conſenſus *Coarruuias 2. part. c. 4. num 5. Gutierez de matrimon. c. 47. nu. 3. Marcus Antonius Cucus Inſtit. maior. lib. 5. tit. 11. num. 104. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 2. num 71.* Hæc autem expreſſio noui conſenſus non debet ex neceſſitate eſſe per verba, ſed poteſt etiam haberi per factum puta per copulam carnalem

nalem affectu coniugali, vel per cohabitationem maritalem *Gloſa c. non debet verſ. de catero de conſanguin. Loazes de matrimonio dub. 12 num 14. Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2. verſ. ſed eſt præterea Palacios in 4 diſt. 30. diſp. 1. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 9 in fin.*

Ratio ex eo deducitur, quia cum nouerint ratione illius impedimenti dirimentis ſe nunquam fuiſſe veros coniuges, & conſenſum illum præcedentem, vtpote cadentem ſupra materiam inhabilem fuiſſe omnino irritum; & nullius penitus roboris, vtique debent ponere formam ſubſtantialem, quæ antecedentèr non fuerat poſita, & cum illa forma debeat eſſe ſenſibilis, vtique vel per verba vel per factum debet eiſdem contrahentibus innoteſcere, cum propoſitum in mente retentum nihil operetur.

Debet fieri ſenſibilis forma, & materia.

*D*ices primo ſenſibilitatem illam ad valorem contractus iam antecedenter poſitam eſſe in prima celebratione contractus, quæ cum non fuerit retractata adhuc moraliter viget, & perſeuerat. *S*ed contra, quia cum illa ſenſibilitas cadat ſupra materiam inhabilem, & optimè nouerint contrahentes conſenſum quoad omnia irritum eſſe, non poſſunt in illa ſenſibilitate fundari, vnde ſicuti tenentur renouare conſenſum, ſupra quem cadit illa ſenſibilitas, ita tenentur quoque eandem ſenſibilitatem repetere.

Nõ ſufficit ſenſibilitas primi actus inualidi, & quare.

*D*ices ſecundo, quando contractus eſt nullus ob defectum conſenſus interni, quamtumvis defectus ille ab vtroque contrahente cognoſcatur non eſt neceſſaria noua ſenſibilitas in repetitione contractus, ſed ſufficit, quod vterque de nouo interne conſentiat per ea, quæ ſupra probauimus, ergo etiam quando contractus eſt nullus ob aliud impedimentum dirimens cognitum ab vtroque contrahente non erit neceſſarius nouus conſenſus externus, ſed ſufficiat internus, cum ſuppoſita nullitate contractus parum referat; quod ſit nullus, vel ex vno, vel ex alio capite. *S*ed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia quando contractus eſt nullus ob defectum preciſè conſenſus interni adeſt materia habilis nempe ipſi contrahentes, in quibus moraliter perſeuerare poteſt illa ſenſibilitas tanquam in ſubiecto apto, quando vero eſt nullus ob aliud impedimentum dirimens non adeſt materia habilis, in qua poſſit illa ſenſibilitas fundari, & moraliter perſeuerare, cum ipſi contrahentes ſint inhabiles ad contrahendum, & ad aptam ſenſibilitatem eliciendam, adeoq; &c.

Non currit paritas de defectu cõſenſus interni præciſè.

3 Reſpondeo ſecundo. *S*i alter tantum ex contrahentibus fuerit conſcius impedimenti dirimentis probabilius non ſolum requiritur, vt vterque de nouo conſentiat, ac ſi antea non conſenſiſſet, ſed vlterius, vt ignarus impedimenti fiat conſcius illius, licet ei cauſa non detegatur, vbi rationabilis non fuerit timor ſcandali, & infamiæ *Silueſter verb. matrimonium 8. q 2. dict. 6. Coaruuias 2. part. c. 4. num. 5. Gennenſis in praxi Neapolitana c. 20. num. 7. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior tit. 12. nu. 82. Gutierez de matrimon. c. 47. nu. 3. Leſſius de iuſt. lib 2. c. 17. num. 76. Baſilius Pontius lib. 4. c. 25. Auguſtinus Barboſa tom. 2. collect. lib. 4. tit. 14. c. 8. nu. 7.* Vlterius conſentiunt *Sanchez lib. 2. diſp. 35. num. 3., & diſp. 36. nu. 4., & Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 2. num. 74.*

Si alter tantum ex cõtrahẽtibus fuerit conſcius impedimenti dirimẽtis neceſſe eſt, vt vterque de nouo conſentiat.

Ratio primæ partis, quod ſcilicet requiratur, quod vterque de nouo conſentiat ex eo deducitur, quia prior conſenſus ex parte vtriuſque, vtpote cadens ſupra materiam inhabilem eſt omnino inualidus, & ad effectum matrimonij inhabilis, ergo ex parte vtriuſqe ſublata inhabilitate eſt renouandus: neque dicas conſenſum alterius contrahentis ignari impedimenti moraliter adhuc perſeuerare, cum non fuerit retractatus, adeoque renouato conſenſu ex parte illius, qui nouit tale impedimentum, contractum poſſe ſubſiſtere ex parte etiam alterius in virtute prioris actus non retractati: contra enim impugnaberis, quia vt bene aſſerit *Ioannes Angelus Boſſius d. c. 2. num. 74.* ignarus impedimenti in virtute prioris conſenſus intendit ſolummodo perſeuerare in priori contractu, illumque approbare, qui cum in ſe ſit inualidus non poteſt per eundem actum, cum quo inualide initus eſt, reualidari; Neque vrgeas, priorem contractum non eſſe inualidum ratione prioris conſenſus, ſed dumtaxat ratione materiæ inhabilis, circa quam verſatus fuit, ergo facta materia habili per diſpenſationem non erit, cur non poſſit immediate perſeuerante eodem actu reualidari; contra adhuc impugnaberis, quia ratione materiæ inhabilis prior etiam conſenſus redditur omnino inualidus, vnde ſicuti requiritur, quod materia per diſpenſationem renouetur, ſeù reddatur habilis, ita etiã requiritur, quod reddatur conſenſus validus, qui erat inualidus, ſicque nouus conſenſus ponatur per quem reualidetur; atque ita ſentit *Coaruuias 4 decret. 2. part. c 4. num 5. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 12. num. 2. in comment. lit. I.*

Ignarus intendit ſolummodo perſeuerare in priori actu, qui omninò inualidus eſt.

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet ignarus debeat fieri conſcius impedimenti reticita tamen cauſa ex eo deducitur primo, quia, vt alibi docuit Sanchez, ad hoc, vt diſpenſatio ſuum ſortiatur effectũ nõ ſolum dependet à voluntate diſpenſantis, ſed etiam à voluntate diſpenſati, nempe ab acceptatione eiuſdem diſpenſationis, ſine qua impedimentum adhuc rema- 4

4 Ignarus in data hypotheſi debet certiorari de impedimento reticita tamẽ cauſa, ſi inde ſcãdala timeantur.

net

net in ſuo robore, ſed altero ex contrahentibus in ignorantia perſeuerantia non poteſt reſpectu ipſius eſſe acceptatio diſpenſationis, quia acceptatio eſt actus voluntatis, qui ferri non poteſt in incognitum, ergo perſeuerante ignorantia in eodem diſpenſatio non poteſt ſuum effectum ſortiri, ſicque ſemper remanebit materia inhabilis. Secundo, quia non cognita per alterum contrahentem nullitate contractus præcedentis conſenſus, quem de nouo præſtaret, eſſet ex errore circa ſubſtantiam, ergo eſſet penitus nullus, cum errans ex ſupra allegatis iuribus non intelligatur conſentire, ergo &c.

Dixi, *ubi rationabilis non fuerit timor ſcandali, & infamia*, eodem enim exiſtente non improbabilitèr crederem poſſe coniugem cóſcium impedimenti eodem alteri ignaro non expreſſo ſub proprijs terminis poſſe exigere conſenſum nouum alterius per hæc verba. *Me ne ita diligis, vt ſi non eſſet inter nos matrimonium de nouo contraheres, & ex nunc vis me in coniugem, ac ſi non fuiſſet validum inter nos matrimonium prius contractum?* quia tunc ignarus de nouo contrahendo remota quacunque exceptione videretur firmare contractum,

Quomodo debeat certiorari de impedimẽto, vbi timẽtur ſcãdala,

Neque obeſſe poteſt primò, ſi aſſeratur in diſpenſationibus regulariter ex ſtilo curiæ apponi clauſulas *Altero impedimentum ignorante prius de nullitate certificato*, vel ſimiles, quæ videntur continere conditionem, & formam, qua propterea non obſeruata non teneat contractus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt bene notat *Sanchez lib. 8. de matrimonio diſp. 34. nu. 61.* Illa, & ſimiles clauſulæ non apponuntur per modum conditionis, & formæ, ſed dumtaxat per modum admonitionis, & inſtructionis ad conſultius, & cautius eſſe, non ad ſimpliciter eſſe; vnde vrgenti graui neceſſitate non videtur mens Pontificis velle obligare ad expreſſè aperiendum illud impedimentum alteri ignoranti *Bonacina de matrimon quæſt. 2. punct. 5. num. 7. Reginaldus lib. 3. num 220. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 2. num. 77.*

Clauſulæ certiorationis non apponũtur per modũ conditionis, ſed admonitionis.

Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi aſſeratur, quod defectus conſenſus quoad validitatem matrimonij nulla humana poteſtate poſſit ſuppleri, nec reddi validum, vbi non eſt conſenſus ſufficiens; cum igitur ex prædictis ignorans impedimentum proprie non conſentiat, hinc eſt, quod ſemper conſenſus deficiat, quouſque factus fuerit conſcius, adeoque quod nunquam contractus ſubſiſtat. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis non aſſeruimus in reſponſione ita eſſe certum, quod requiratur notificatio impedimenti alteri ignoranti, vt omnino improbabilis ſit contraria ſententia, nec vrgenti graui neceſſitate valeat ſuſtineri, vnde diximus *probabilius*, quod ſtat cum probabilitate alterius ſententiæ, ſicque cautius procederetur, & conſultius monendo, ſi fieri poſſet ſine ſcandalo, & infamia, non tamen ſine dictamine rationis, ſi monitio omitteretur, quando huiuſmodi ſcandala, & infamia rationabiliter timerentur. Deindè ille conſenſus procederet ex cognitione æquiualente ſcientiæ nullitatis, cum coniux per illa verba, quibus extraxit ab altero ignaro illum nouum conſenſum, implicitè impedimentum inſinuauerit. Quod, ſi ſupponas adhuc periculum ſcandalorum, & infamiæ ſubeſſe in illa inſinuatione implicita, qua conſcius diceret *Me ne ita diligis, vt ſi non eſſet inter nos matrimonium de nouo contraheres?* tunc aliqui aſſerunt, inter quos *Ioannes Angelus Boſſius d. c. 2. num. 78., Sanchez d. lib. 2. diſp. 36. num.* 8. ſufficere, quod conſcius impedimenti reticita omnino nullitate contractus, ſeù non manifeſtato, nec expreſsè, nec implicitè impedimento inducat alterum ad habendum ex tunc ipſum pro coniuge, & ad hoc mouentur ſuppoſita illa neceſſitate ad remouendum periculum ſcandalorum, & infamiæ, & ſuppoſita etiam probabili ſententia aſſerente ſufficere nouum conſenſum etiam non detecto impedimento, quod, an verum ſit, tu cogita.

Illa admonitio eſt ad cautius eſſe.

---

## §. XXV.

### Quomodo ſe gerere debeat coniux conſcius nullitatis matrimonij occultæ, dum ſibi aperiendo cognoſcit grauia damna imminere.

*SVMMARIVM.*

*Factum expoſitum cum rationibus dubitandi.* 1.

*Quomodo poſſit ſibi conſulere coniux conſcius impedimenti, quod non poſſit probare in iudicio, & recedendo timet grauia damna.* 2.

*Facta per coniugem propallatione impedimenti, eoque in iudicio non probato, ſi per cenſuras compellatur permanere in coniugio, & alteri petenti reddere, non poteſt adhuc licitè reddere.* 3.

*Excommunicatus per Eccleſiam eo, quod non reddat, cum ob impedimentum non poſſit reddere, non eſt coram Deo excommunicatus.* 4.

*Etiam ſi metuat mortem negando debitum, debet potius mori, quam ſedari.* 5.

*Varia*

*Varia remedia, quibus in ea hypotheſi poteſt ſibi conſulere.* 6.

DISQVISITIO XXIV. Contraxerunt in faciem Eccleſiæ per verba de præſenti Titius, & Caia, inter quos tamen aderat impedimentum dirimens affinitatis occultæ. Proceſſu temporis cognouit Caia impedimentum illud dirimens, & forte poſtquam ex illo matrimonio prolem ſuſceperat. Timens ex propallatione impedimenti ſibi grauia damna imminere, præcipue cum impedimentum illud non poſſet in iudicio probare, vel dato etiam, quod non obſtante timore propallauerit, nec tamen in iudicio probare potuerit, anxia erat, quid agere deberet in redditione debiti ad petitionem Titij, præcipuè, ſi per excōmunicationem compelleretur permanere in coniugio.

1 *Factum expoſitum cum rationibus, & articulis examinandis.*

Hic multiplex orta eſt difficultas prima, quid agere debeat circa propallationem? an inquirere diſpenſationem ſuper illo impedimento? an obtenta diſpenſatione poſſit perſiſtere in coniugio reddendo debitum non facto conſcio altero de impedimento? an interim, ac attenditur diſpenſatio poſſit abſtinere à redditione debiti, & quomodo? Secunda, an facta propallatione impedimenti, eoque in iudicio non probato, ſi compellitur per cenſuras Eccleſiaſticas ad permanendum in coniugio, poſſit reddere debitum ad effugiendas cenſuras, an vero adhuc teneatur à redditione eiuſdem debiti abſtinere. Tertia, an quando timet grauia damna puta mortem à marito negando debitum poſſit nihilominus illud negare, & quomodo poſſit in ea hypotheſi ſibi conſulere.

2 *Quomodo poſſit ſibi conſulere coniux cō. ſcia impedimenti, quod non poteſt probare in iudicio, & recedendo timet grauia damna.*

Reſpondeo primò, ſi per propalationē impedimenti non poſſit ſibi Caia conſulere, cum illud probare non poſſit in iudicio, & recedendo ſibi grauia damna imminere ſentiat, poteſt occultè ſuper illo impedimento impetrare diſpenſationem, qua impetrata poteſt procedere iuxta dicta in præcedenti diſquiſitione in reſponſione ſecunda per totum ſecundum omnes caſus ibi expoſitos; interim abſolutè tenetur abſtinere à redditione debiti. Quoad primam partem nihil addendum remanet: Quoad ſecundam *D. Thomas in 4. diſt. 27. qu. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. in fine, & diſt. 38. in fin. verbis, D. Bonauentura ead. diſt. 38. in expoſitione litteræ Magiſtri in fin. Paludanus in quarto diſt 35 qu 1. art. 2. num. 15. D. Antoninus tertia parte tit. 1. cap 19. ante* § 1. *Abulenſis cap. 19. Matthæi 72. VeraCrux tertia pars. ſpecul. art. 18. concl. 1. Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 45. art. 4 dub. 2. Gloſ. cap. literas verbo tolerare de reſtitut. ſpoliat. & cap. inquiſitioni verb. humiliter de ſent. excom. Turrecremata cap. cuius rei 29. quæſt. 2. & cap. ſi virgo 34. qu. 2. Couarruuias 4. decret. ſecunda part. cap. 7* §. 2 *num. 7.*

Probatur iam eadem ſecunda pars, quia illa redditio debiti ſtante cognitione impedimenti dirimentis reſpectu reddentis eſſet ſimpliciter fornicaria; eſſet enim copula cum non ſuo; ſed copula fornicaria, qua talis eſt, ſemper eſt illicita, cum ſit ab intrinſeco mala, vt eſt in confeſſo apud omnes rectè ſentientes, ergo ſtante illo impedimento perfectè cognito per alterum coniugem eidem non erit licitum reddere, ſed tenetur ſimpliciter abſtinere: Nec obſtat, quod non reddendo eidem grauia damna immineant, vel mortis, vel alterius ſimilis rationis; Non obſtat, inquam, quia cum fornicatio ſit ab intrinſeco mala nulla ratione, nec periculi, nec damni poteſt cohoneſtari, & in hoc debet potius mori, quam fœdari, cum bona ſpiritualia animæ ſint præferenda cuicunque corporis vtilitati, & debemus potius Deum timere, qui poteſt, & corpus, & animam perdere in gehenam, quam homines, qui poſſunt dumtaxat corpus perdere.

3 *Nō probato impedimēto ſi cō. pellatur per cenſuras reddere, non poteſt licitè reddere.*

Reſpondeo ſecundò, facta per coniugem conſcium propallatione impedimenti, eoque in iudicio non probato, ſi per cenſuras compellatur permanere in coniugio, & alteri petenti reddere, non poteſt adhuc licitè reddere *D Thomas in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. in fin Durandus item in 4. diſt. 38 in init. in expoſitione literæ Medina C. de reſtit. q. 19. in fin. in ſolut. ad ſecundam rationem. Victoria in ſumma de matrimon. nu. 204. Corduba lib. 1. quæſtionarij q. 11. ad fin* §. *penult. Roſella verb. impedimentum impedim. 1. num. 8. Angelus verb. debitum num. 18. Silueſter verb. matrimonium 2. qu. 15. Tabiena verb. matrimonium 4. quæſt. 11. num. 12. Nauarrus in ſumma c 16. nu. 39.* Hanc reſponſionem euincit ratio adducta pro probatione præcedentis reſponſionis. Neque aduerſus eam rationem poteſt obſiſtere, quod interueniente Eccleſię præcepto procedentis per excommunicationem minus malum videatur reddere debitum, quam Eccleſiæ non obtemperare, præcipuè cum ex tali negatione debiti grauiora damna poſſet obuenire nempe, vxoricidium, & ſimilia; ex duobus autem malis minus eſt eligendum per textum *in cap. duo mala diſt. 13.* Non, inquam, poteſt obſiſtere, quia illud effatum quod *ex duobus malis minus ſit eligendum* intelligendum tantum eſt, vel de duobus malis pœnæ, vel ſi de duobus malis culpæ de ijs dumtaxat, quæ ſunt mala, quia prohibita, non autem de ijs, quæ prohibita ſunt, quia mala; quæ etenim pendent tantum à iure poſitiuo, ſeu ſunt mala, quia prohibita grauis cauſa, ſeu graue incommodum, quod contingeret in illorum executione, excuſat ab obſeruatia; quæ vero

*Quod minus malum ſit eligēdū intelligitur de duobus malis pœnæ, vel de duobus malis ex iure poſitiuo procedentibus*

ro ſunt talia ab intrinſeco nulla vnquam ratione poſſunt cohoneſtari, nec poſſunt eſſe licita.

Neque vlterius poteſt obſiſtere, ſi dicatur, quod licet vxor in ea hypotheſi non poſſit abſolutè fornicari, poſſit tamen ad vitanda maiora damna permittere fornicationem alterius coniugis, ſicque non petere, quia hoc eſſet poſitiuè velle fornicationem, bene tamen alteri petenti reddere, quod eſt tantum permittere. *Magiſter in 4. diſt.38. in fin. Hugo de S. Victore de Sacramentis part.12. c.9. Hoſtienſis in ſumma tit. de coniug. ſeruorum num.*8. Non, inquam, poteſt obſiſtere, quia illa permiſſio etiam ſecundum ſe eſt peccaminoſa ab intrinſeco, adeoque nunquam poteſt eſſe licita, & ſine noxa læthali niſi quodamodo fuerit coacta, quatenus illum actum omnibus viribus non poſſit effugere, & licet permiſſio in alio fornicationis, quando eſt ad maius malum vitandum, poſſit eſſe ſine peccato, vt videre eſt in meretricij permiſſione ad vitandos inceſtus, & adulteria, nunquam tam licitum eſt permittere ſine reſiſtentia in ſe ipſo. Dixi *ſine reſiſtentia*, nam ſi fæmina quantum poſſet totis viribus reſiſteret, nec tamen poſſet oppugnantem, & aggredientem ſuperare, & tunc vim pateretur, tunc certe nulla labe peccati afficeretur. Quantum autem teneatur reſiſtere ad effugiendã noxam peccati, alibi videbimus.

Permiſſio poſitiua eſt ab intrinſeco peccaminoſa,

Ratio noſtræ reſponſionis ex pluribus textibus iuris canonici poteſt euinci, & primo *ex c. inquiſitioni de ſent. excommun.* Secundo ex *c. literas de reſtit. ſpol.* & ex alijs iuribus, quæ paſſim allegant *DD.* Sed hic dubitabis, quomodo ſi deberet gerere, qui ſic fuit ab Eccleſia excommunicatus. Hæc dubitationis deciſio pendet ab ea, an in tali hypotheſi ille verè ſit excommunicatus. Qui ſuſtinent, quod quotieſcunq; excommunicatio eſt iuſta ex parte Iudicis excommunicatis quatenus legitimè procedit ſecundum allegata, & probata, & pro crimine, aduerſus quod comminari poteſt excommunicatio, licet ſit iniuſta ex parte rei, quatenus eſt innocens, ſuſtinent etiam illum fore etiam excommunicatum, tam in foro externo, quam interno, hocque ſecundum præſentes terminos videtur indicare textus *in d. c. literas de reſtitutione ſpol.* Nihilominus in terminis præſentibus ſentiendum eſt huiuſmodi excommunicationem coram Deo non ligare *Gloſ. eod. c. literas verb. tolerare de reſtit. ſpoliat. Victoria in ſumma de matrimon. num.* 264., non enim æquum eſt, vt quis ex actione, quam tenetur omni iure exequi, contrahat pœnam grauiſſimam, cuiuſmodi eſt illa excommunicationis. Ex quibus inferas, quod coram Deo ſe gerere poſſit, ac ſi non eſſet excommunicatus.

4 Excõmunicatus per Eccleſiam, eo quod nõ reddat cum ob impedimentũ non poſſit ſed ſere nõ eſt coram Deo excõmunicatus

Quod ſi in foro externo non poſſit communicare cum alijs, præcipuè in ſacris debet hoc humilitèr ſufferre; cum omnia damna pænæ debeat potius ſubire, quam indignationem diuinam committendo actionem ab intrinſeco malam, quæ nullo prætextu poteſt exequi.

Reſpondeo tertio, etiam ſi timeat mortem negando debitum in dicta hypotheſi debet potius mortem ſubire, quam ſe permittere carnaliter cognoſci. Conueniunt omnes *DD.* allegati pro prima, & ſecunda reſponſione, & hoc facile ex eo deducitur, quia pluris facienda eſt mors ſpiritualis animæ, quam temporalis corporis, ergo ſponſa ad euitandam mortem corporis non poterit fornicationem admittere, per quam contingeret mors animæ ſpiritualis.

5 Etiã ſi metuat mortẽ negando debitũ debet potius mori, quã permitti cognoſci.

Hic diſputant DD. circa remedia, quibus licitè vti poteſt coniux conſcius impedimenti, quod vel detegere nequit ſine infamiæ, aut vitæ periculo, & quamvis detegeret probare non poſſit dum compellitur ab Eccleſia per excommunicationem ad reddendum debitum. Aliqui aſſerunt poſſe ſibi conſulere fugiendo in locum, vbi ceſſat ſcandalum *D. Thomas in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. in fine Ludouicus Lopez 2 part. inſtructorij de matrimon. c. 59. ad fin.* Alij dicunt, ſi nondum matrimonium fuerit conſummatum poſſe petere diſpenſationem ſuper illo matrimonio, vel ingredi Religionem, quin immo aliqui ſuppreſſo nomine apud *Petrum de Ledeſma de matrim. q. 45. art. 4. dub. 2. ad ſecundum* ſentiunt teneri ingredi. Alij dicunt poſſe ibi conſulere petendo diuortium, ſi cauſæ ſufficienter concurrant *Corduba lib. 1. quæſtionarij q. 11. art. 2. ad fin. dict. 3.* Alij alia proponunt remedia, in quibus non vacat immorari. Hoc vnum certum eſt, ea omnia poſſe peragere, quæ ſecum non trahunt aliquam noxam.

6 Varia remedia quibus poteſt ſibi conſulere.

## §. XXVI.

### An, coniux conſcius impedimenti occulti & compulſus per Eccleſiaſticas cenſuras ad permanendum in coniugio teneatur impetrare diſpenſationem, eaque impetrata de nouo conſentire.

*SVMMARIVM.*

*Referetur ſtatus quæſtionis, & ratio dubitandi.* 1.

*Sententia aſſerens teneri diſpenſationem impetrare,*

Digitized by Google

*petrare, & de nouo conſentire.* 2.
*Non tenetur, nec impetrare diſpenſationem, nec de nouo conſentire, niſi ipſe ſua culpa impedimentum illud induxerit.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 4.

DISQVISITIO XXV. Contracto iam matrimonio in faciem Eccleſiæ per verba de præſenti inter Caium, & Meuiam alter eorum conſcius factus eſt impedimenti dirimentis inter ipſos intercedentis, quod, cum nõ poſſet propallare ſine famæ, vel vitæ diſcrimine, vel fortè ſi propallaret, non poſſet in iudicio probare, cum reſiſteret redditioni debiti compulſus fuit per cenſuras ad permanendum in coniugio, & ad reddendum debitum, quod tamen adhuc iuxta dicta in præcedenti diſquiſitione negauit. Conſtitutus in hoc diſcrimine anceps erat, quid ageret. Si annueret petitioni debiti, ſe reum culpæ læthalis fornicationis conſtituebat. Si non annueret, in conſpectu Eccleſiæ obnoxius iacebat vinculo excommunicationis, & ſcandalo, cum magna iactura bonorum ſpiritualium, quia quantumvis coram Deo illa excommunicatio ipſum non afficeret; afficiebat tamen coram Eccleſia, cuius communioni in foro externo non poterat gaudere, cum excommunicatio etiam quantumuis iniuſta ſit timenda. Quæſitum hic fuit, an cum aliud commodè non ſupereſſet remedium, ad euitanda illa damna, quæ ex vtraque parte poterant obuenire, teneretur impetrare diſpenſationem, eaque obtenta de nouo conſentire.

1 Refertur ſtatus quæſtionis, & ratio dubitandi.

Videtur prima fronte dicendum, vtique teneri ad illam diſpenſationem impetrandã, & iterum cõſentiendũ, quia ad euitanda ingentia ſcandala, quæ inde orirentur, tenetur voluntatẽ ſuã ſubijcere cõtractui, quem antecedenter iniuit, nam licet illa excommunicatio coram Deo ipſum non afficiat, afficit tamen coram Eccleſia, cui conſtat de excommunicatione, & perſeuerantia in eadem, non tamen de cauſa legitima ab eadem excuſante, vnde perſeuerando præſeferret contumaciam, & ſpretum Eccleſiæ, quod certe ſcandalum in detrimentum eiuſdem Eccleſiæ præferret; vnuſquiſque autem proximorum ſcandala vitare tenetur aſſerente Chriſto Domino *Vœ illi, per quem ſcandalum venit.* Nihilominus.

2 Sententia aſſerens teneri diſpenſationem impetrare, & de nouo conſentire.

Reſpondeo, non teneri, nec impetrare diſpenſationem, nec de nouo conſentire, niſi ipſe ſua culpa impedimentum illud induxerit *Paludanus in quarto diſtinct. 36. qu. 2. art 6. num. 45.*, qui tamen ſibi parum conſtans videtur, dum antecedenter *art. 5. num 33. & ſeq* videtur contrarium expreſsè aſſeruiſſe, *Sanchez de matrim. lib. 2. diſp.* ... quia per Eccleſiaſticam cenſuram non poteſt quis inuitus compelli ad contrahendum matrimonium, ad quod nullo iure tenetur, ergo nec contracto matrimonio inualido ex interuentu impedimenti dirimentis poterit conſcius talis impedimenti, quando illud, vel probare non poteſt, vel probando periculum vitæ ſubiret, cogi per cenſuras, ſeu ad euitandas cenſuras impetrare diſpenſationem, vt validè nubat, quandoquidem illud matrimonium vtpote inualidum perinde eſſet, ac ſi non eſſet initum, & per conſequens remanet liber ad contrahendum poſtea, vel non contrahendum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in caſu conſequentiæ Eccleſia ius habeat compellendi, cum eidem conſtet de matrimonio inito, non autem de inualiditate eiuſdem; in primo autem caſu de matrimonio non inito nullum penitus ius habet ad compellendum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis ius habeat ad compellendum, cum non conſtet eidem de nullitate, innocens tamen conſcius impedimenti non habet onus in hoc adimplendi præceptum eiuſdem Eccleſiæ, cum matrimonia debeant cum plena libertate, & ſpontanea omnino deliberatione iniri, & in hoc poteſt eſſe iuſta pugna ex vtraq; parte, cum Eccleſia procedat in foro externo, & ex falſa præſumptione, quantumuis innitatur allegatis, & probatis, & conſcius impedimenti tantum in foro interno, & ex veritate cognita ſibi, & Deo.

3 Non tenetur impetrare diſpenſationem, nec de nouo cõſentire, niſi ipſe impedimentũ ſua culpa in...

Nõ poteſt quis per cenſuras cõpelli ad contrahendum matrimoniũ, ad quod nullo iure tenetur.

Poteſt in hoc eſſe pugna ex vtraque parte iuſta

Ratio ex ijs etiam poteſt deduci ſecundò, quæ ſupra dicta ſunt, quia quantumuis celebratis legitimè ſponſalibus poſſit Eccleſia per cenſuras compellere ad contrahendum matrimonium per verba de præſenti, debet tamen procedere cum dictamine prudentis rationis, & non per ſtrictiſſimam coactionem, adeo vt, ſi cognoſcat, ſe nõ profuturum per cenſuras etiam ab eiſdem debeat abſtinere, non alia ratione, niſi quia cum matrimonia debeant eſſe omnino libera, infelices timeri poſſent exitus, ſi fierent per coactionem, ergo iura exigunt omnimodam libertatem in contractu valido matrimonij; & ſi quando iam eſt ius incohatum per ſponſalia legitimè contracta non poſſunt ſponſi ſtrictiſſima coactione compelli, à fortiori, nec poterunt compelli quando ex matrimonio nullo non ſunt ſub aliqua obligatione.

Exemplo conuincitur.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur dicendũ eſt enim non teneri innocentem vitare occaſionem ſcandalorum cum maxima ſuæ libertatis læſione; & potius illud eſſet ſcandalum paſſiuum, quam actiuum, cui debet præualere ius libertatis, maxime in rebus tanti momenti, cuiuſmodi eſt contractus ma-

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

trimonialis, qui imponit iugum, & ſeruitutem perpetuam, & indiſſolubilem.

## §. XXVII.

### An conſcius impedimenti non potens illud in iudicio probare, & compellatur ab Eccleſia per cenſuras in illo permanere, vel ſi illud ſit indiſpenſabile, teneatur Religionem ingredi, ſi non fuerit conſummatum.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur caſus in ſuis terminis.* 1.
*Sententia aſſerens teneri ingredi Religionem, num.* 2.
*Abſolutè non tenetur ingredi.* 3.
*Si maritus conſcius impedimenti non ſolum contraxerit, ſed etiam conſummauerit, non tenetur ad impetrandam diſpenſationem, nec ad conſentiendum de nouo, tenetur tamen ad damna, quæ inde mulieri contigerunt.* 4.
*Si vxor fuerit conſcia impedimenti, & contraxerit, & conſummauerit non tenetur ad aliquam compenſationem, nec ad ingreſſum in Religionem.* 5.
*Intellige tamen, niſi in deceptione vxoris marito aliquod damnum obuenerit, & quomodo.* 6.

1 Proponitur caſus in ſuis terminis.

DISQVISITIO XXVII. Iuxta terminos præcedentium diſquiſitionum Titius poſt contractum matrimonium cum Caia per verba de præſenti cognouit intereſſe impedimentum occultum dirimens, & forte etiam indiſpenſabile. Allegans illud impedimentum non poteſt illud in iudicio probare, vnde à Iudice Eccleſiaſtico compellitur in coniugio permanere. Cum non poſſit ſubterfugere, vel cenſuram Eccleſiaſticam, vel permanentiam in concubinatu, cum matrimonium illud ſit nullum, niſi vel per diſpenſationem ſuper illo matrimonio præſumpto, quod tamen difficile ſupponitur, cum impedimentum illud ſit indiſpenſabile, aut ſi diſpenſabile, timere poſſit periculum vitæ, vel infamiæ, vel niſi per ingreſſum in Religionem quæſitum fuit, an ad euitanda illa damna teneatur in Religionem ingredi?

2 Sententia aſſerens ante conſummationem teneri ingredi Religionem.

Nonnulli ſupreſſo nomine apud *Petrum de Ledeſma de matrimon. qu. 45. art. 4. dub. 2. ad ſecundum* expreſſe aſſeruerunt in data hypotheſi teneri conſcium impedimenti ante conſummationem matrimonij ingredi Religionem ea fortè moti ratione, qua mouebantur auctores in præcedenti diſquiſitione aſſerentes impetrandam eſſe ex neceſſitate diſpenſationem, & de nouo conſentiendum in ordine ſcilicet ad euitanda ſcandala, quæ ex perſeuerantia in excommunicatione prouenirent, cum talis perſeuerantia potiſſimum redundet in ſpretum Eccleſiæ excommunicantis. Nihilominus

3 Non tenetur abſolute ingredi.

Reſpondeo, abſolute non teneri Religionem ingredi *Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 45. art. 4. dub. 2. ad ſecundum, Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 39. nu. 14.* Ratio ex eo deducitur, quia, vel ille, qui conſcius ſupponitur impedimenti, conſcius erat in celebratione contractus, vel ſubſequenter ad contractum in facie Eccleſiæ celebratum; ſi primum; quantumuis ſit reus culpæ grauis non ſolum verſus alterum, quem decepit, ſed etiam contra reuerentiam debitam ſacramento; non propterea compelli poſſe videtur ad onus ita graue, cuiuſmodi eſt onus Religionis, niſi ſponte illam eligat; nam ſicuti ex dictis in præcedenti diſquiſitione non poteſt compelli ad onus matrimoniale, ita nec videtur inuitus compelli poſſe ad onus Religionis, præcipuè cum magis conforme videatur illi promiſſioni fictæ matrimonij, quod illam adimpleat, quam quod Religionem profiteatur, cum ad illam, nec verè, nec fictè ſe obligauerit. (Rationes euincentes reſponſionem.) Confirmatur, quia non minus requiritur plena libertas ad validam profeſſionem in Religione, quam ad validum matrimonium contrahendum, ergo ſicuti ratione periculi ademptæ libertatis non poteſt ſtrictiſſime compelli ad matrimonium, nec videtur compelli poſſe ad Religionem; Si ſecundum aſſeratur, eædem rationes libertatis ademptæ, & grauis oneris non imponendi inuito in fortioribus terminis militant, quæ militant, quando contraxit conſcius impedimenti, & nullitatis.

4 Si maritus conſcius impedimenti conſummauerit tenetur ad damna, quæ mulieri contigerunt.

5 Si vxor fuerit conſcia, & conſummauerit non tenetur ad talia damna, nec ad ingreſſum.

Quid autem dicendum ſit, quando conſcius impedimenti non ſolum contraxit, ſed etiam conſummauit, an tunc poſſit compelli ad diſpenſationem obtinendam, & de nouo contrahendum, & an tunc ſi velit poſſit ingredi monaſterium. Si conſcius impedimenti erat maritus, hicque non ſolum contraxerit, ſed etiam conſummauerit non tenetur quidem ad impetrandam diſpenſationem, nec ad conſentiendum de nouo, tenetur tamen ad damna, quæ indè mulieri contigerunt; ſi verò conſcia impedimenti erat vxor, hæcque non ſolum contraxerit, ſed etiam conſummauerit, nec tenetur ad aliquam compenſationem, nec ad ingreſſum in Religionem. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ille nec potuit habere animum ſe obligandi ad ma-

tri-

Digitized by Google

trimonium, nec poterat ſe obligare, vndè voluit præcisè copulam extorquere, cum adeſſet impedimentum dirimens, quod optimè nouiſse præſumitur, ergò nec tenetur diſpenſationem impetrare, nec de nouo contrahere, cum ad hoc non ſe obligauerit, nec habuerit animum ſe obligandi; Neque obeſse poſſunt ea, quæ alibi docuimus, nempe fictè contrahentem matrimonium contrahere in foro externo vinculum coniugale iuxta mentem *D. Thomæ in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2 quæſtiuncula 4. ad primum, Ioannes Vallerus in ſuis differentijs verb. matrimonium dif. 4. Couaruuias de ſponſalib part. 2. c 2 n. 2., & ſeq.* quinimmò etiam in foro conſcientiæ teneri ex iuſtitia matrimonium adimplere, & nouo conſenſu vero illud ratificare *Nauarrus in manuali c. 22. nu. 76. Silueſter verb. matrimonium 4. q. 8. Gutierez de matrimon. c. 9. num. 5. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. Riccius in praxi fori Eccl. deciſ. 243. num. 2. in fin. Leſſius de iuſt. lib 2. c. 18. dub. 8. nu. 60. Baſilius Pontius lib. 2. c. 5. n. 5., & ſeqq. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 2. num. 57.* Non, inquam, obeſse poſsunt, quandòquidem ea procedunt quoad contractum initum inter perſonas habiles ad contrahendum cum ſolo defectu conſenſus interni reſpectu alterius ex contrahentibus; ea autem, quæ hic dicuntur procedunt quoad contractum initum inter perſonas inhabiles ad contrahendum, adeoque in primo caſu tenetur ad perficiendum contractum auferendo obicem, quem ipſe ex propriæ voluntatis arbitrio poſuit, non ſic in ſecundo, in quo irritatio non dependet præcisè ex ipſius arbitrio, ſed ex natura ſua ob inhabilitatem contrahentium. Ratio autem, propter quam teneatur ad compenſationem damnorum, quæ inde prouenerunt, ex eo deducitur, quià ipſe fuit cauſa iniuſta eorundem damnorum, cum ſciens contractum non poſse ſubſiſtere voluerit nihilominus contrahere, & conſummare, alterum quodamodo decipiendo. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià intercedente illo impedimento, nec matrimonium tenet, nec obligat, nec conſummando damnum aliquod infert marito, ſed potius ſibi, ergo nec obligatur ad contrahendum, nec ad aliquod damnum compenſandum; vndè ipſa, ſi poſtea velit, poterit ad Religionem tranſire, quod etiam verificatur de marito facta illa compenſatione, ſi ipſe conſcius impedimenti nihilominus contraxerit, & conſummauerit; Neque obeſſe poſſunt ea quę alibi commendauimus, quod ſcilicet, cum ipſa vxor alterum deceperit ratione deceptionis ipſa videatur alteri obligata remanere, non alter, ſibi adeoque, quod nequeat contra ipſius voluntatem ad Religionem migrare; Non, inquam, obeſse poſsunt, quia in hac hypotheſi ratione impedimenti dirimentis vterque eximitur ab obligatione, nec deceptio illa poteſt officere, cum non ſupponatur alteri grauiter noxia. Quod ſi ſupponas, quod ex deceptione pręſtita per vxorem damnum aliquod marito prouenerit, quatenus ex illis nuptijs inualidis impeditus fuerit ad validè contrahendum cum alijs cum maiori ſui vtilitate, tunc non incongruè ſentirem, vxorem conſcium impedimenti, & decipientem teneri ad compenſationem, niſi aliundè excuſetur, vel ratione inopię, vel aliqua alia ratione, ſed hoc vix poteſt contingere, cum etenim maritus ex illis nuptijs inualidis nullum paſsus ſit detrimentum, ſemper poterit ęquè nubere, quod non contingeret in fæmina poſtquam fuit deflorata.

*Contractus initus fuit inter perſonas inhabiles.*

6 *Intellige tamen niſi ex deceptione vxoris aliquod damnum marito obuenerit.*

---

## §. XXVIII.

### An, ſi fæmina impedimenti conſcia nullo modo poſſit ſubterfugere, poſſit cohabitare cum animo non reddendi debitum, & reſiſtendi quantum poſſit.

*S V M M A R I V M.*

*Controuerſia excitata in terminis particularibus.* 1.

*Sententia aſſerens conſcium impedimenti poſſe cohabitare tanquam fratrem, vel ſororem, dummodo non ſit periculum congreſſus.* 2.

*Si non adſit periculum interni conſenſus ad concubitum poteſt vxor ad vitandum periculum necis cohabitare cum marito putatiuo.* 3.

*Mulier non peccat, ſi violenter à viro opprimatur, ſi non conſentiat, ſed reſiſtat quantum poteſt.* 4.

*Sententia aſſerens in ea hypotheſi neceſſariam eſſe reſiſtentiam cum clamore ad euitandum peccatum.* 5.

*Probabilior ſententia aſſerens non eſſe neceſſarium clamorem.* 6.

Disquisitio XXVII. Contracto matrimonio inualido ex impedimento occultò dirimente pro tunc incognito à contrahentibus, quidem in faciem Eccleſiæ ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus vxor proceſſu temporis cognouit illud impedimentum, ratione cuius intendebat ab illo matrimonio recedere, nec amplius reddere debitum, vt omni iure 1

1 *Controuerſia excitata in terminis particularibus.*

tenebatur. Quæſitum fuit, an poſſit cohabitare cum tali animo, & ſi non conſentiat vſui coniugali, nec vllo modo corpore cooperetur, ſed vt coacta tacens, & immota patiatur, & permittat, ſit tuta in conſcientia ſuppoſito, quod alio modo non poſſit ſubterfugere.

2 Sententia, aſſerens conſciũ impedimenti poſſe cohabitare tanquam fratrem, vel ſororem, dummodo non ſit periculum cõgreſſus.

Iuxtà textum *in c. laudabilem de frigidis, & malef* nonnulli aſſerunt in ea hypotheſi poſſe licitè coniugem impedimenti conſcium habitare cum altero, tanquam ſi eſſet frater, & ſoror, dummodo non ſit congreſſus periculum, quinimmò *Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 5. ad tertium Nauarrus in ſumma c. 16. num 1., & 13. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 6. num. 8. Ludouicus Lopez pr. part. inſtruct. c. 37.* aſſerunt, poſſe cohabitare, quando aliter ſubterfugere non poteſt, mulierem conſciam impedimenti, dummodo non conſentiat congreſſui, & membris cooperetur, & quantumvis ſequatur tunc copula, nullum inde ſequi ex parte eiuſdem peccatum. Pro claritate.

Cõcubitus cum impedimento dirimenti nõ poteſt eſſe niſi fornicarius.

Aduerte, quando interuenit inter coniuges, qui contraxerunt in faciem Eccleſiæ, impedimentum dirimens concubitum inter eoſdem non poſſe eſſe, niſi fornicarium; actus autem fornicarius eſt ab intrinſeco malus, & iure diuino prohibitus aſſerente Apoſtolo ad Epheſios 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Chriſti*, vnde mortem potius debet coniux conſcia impedimenti, ſeu nullitatis contractus pati, quam cooperari fornicationi, ſeu eidem aſſentiri. Quamuis autem fornicatio ſit ab intrinſeco mala, quando quis eidem aſſentitur, non videtur tamen malũ ab intrinſeco eandẽ pati nõ cõſentiendo, & merè paſſiuè ſe habendo, quia dum quis non vult conſentire, & facit, quod poteſt, non videtur teneri mori. Difficultas igitur ad hæc capita reducitur; primò, an quando ſine infamia, ſeù vitæ periculo non poteſt ſubterfugere, niſi cohabitet, poſſit cohabitare, dum efficacitèr intendit non conſentire copulæ carnali; an vero etiam in hac hypotheſi teneatur potius mori, quã dehoneſtari. Secũdo, an quando non poteſt ſubterfugere cohabitationem, nec concubitum, poſſit licitè, dum fecit, quod potuit, eandẽ pati, & concubitũ merè paſſiuè ſe habendo, nec cooperando, nec conſentiendo.

Pati inuito fornicationẽ non eſt ab intrinſeco malum.

3 Si nõ adſit periculum interni conſenſus ad concubitũ poteſt vxor exiſtente periculo necis, vel infamiæ cohabitare cũ marito putatiuo.

Reſpondeo primo, ſi non adſit periculum interni conſenſus ad concubitum, poſſe vxorem exiſtente illo periculo necis, infamiæ &c. licitè cohabitare cum marito putatiuo *Tannerus in prima ſecunda D. Thoma diſp. 2. q. 1. dub. 4. num. 56. Alphonſus Curiel in prima ſecunda D. Thoma q. 6. art. 5. Diana part. 3. tractatu 6. reſol. 31.* Ratio ex eo deducitur, quia illa cohabitatio, vbi ceſſat periculum conſenſus ad actum fornicariũ, nõ eſt ab intrinſeco mala, ergo vbi vrget grauis neceſſitas, vel periculum vitæ, vel honoris poteſt eſſe honeſta, & licita. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſe exponere periculo conſentiendi ſit ſecundum ſe actio mala moralitèr, & prohibita præcepto naturali negatiuo, quod obligat ſemper, & ad ſemper. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia cohabitare non eſt intrinſecè malum, cum multis remedijs poſſit à periculis deportari, præcipuè vbi vrget conſtans voluntas non conſentiendi, nec poteſt dici, quod vxor ſpontè ſe exponat periculo conſentiendi, ſed quod poſita in tali periculo non poſſit ſe ab illo extrahere ſine vitæ periculo, & honoris iactura, vnde bene ſibi ſufficienter conſulit ſe muniendo conſtanti voluntate non conſentiendi, & ad diuina ſubſidia recurrendo.

Reſpondeo ſecundo, fæminam non peccare, quę violenter à viro cognoſcitur, ſi voluntatem habeat non conſentiendi, & impediat quantum eſt ex ſe talem violentum effectum *Sotus de iuſt. lib. 5. q. 1. art. 5. Nauarrus in ſumma c. 16. num. 1. Rodriquez in ſumma tom 1. c. 290. nu. 1. Molfeſius in ſumma tom. pr. tract. 8. c. 2. num. 38. Diana part. 3. tract. 6. reſol. 31. verſ. notandum eſt tamen.* Ratio ex eo deducitur, quia licet ſit ab intrinſeco malũ cooperari fornicationi, & potius mors debeat ſuſtineri, non eſt tamẽ ab intrinſeco malũ fornicationẽ pati, dummodo voluntas non aſſentiatur eidem, ſed potius ſit repugnans, cum peccatum non poſſit eſſe, vbi non eſt voluntarium, ergo vbi eſt conſtans voluntas non aſſentiendi, & ſufficiens reſiſtentia ad eandem vitandam non poterit eſſe peccatum. 4 Fęmina nõ peccat ſi violenter à viro cognoſcatur ſi non conſentiat, ſed reſiſtat quantum poteſt.

Hic oritur difficultas, an ad effectum vitandi peccatum neceſſaria ſit reſiſtentia cũ clamore, conatu, & corporis reſiſtentia. Affirmatiuè reſpondent *Tannerus in p. ſecunda D. Thoma diſp. 2. q. 1. Fillintius tom. 2. tract. 21. c. 2. num. 67. Azorius tom. 2. lib. 1. c. 9. q. 3. Siluius in ſecundam ſecundæ q. 154. art. 2. Bonacina de legibus diſp. 2. q. 8. punct. 2. nu. 2.* Nihilominus exiſtimo, quod ſi fæmina non timeat periculum conſentiendi, & ex vociferatione, alijſque externis conatibus adſit periculũ mortis, infamiæ, & detrimẽti in bonis ſuis poſſit licitè ab eis abſtinere. Ratio ex eo deducitur, quia reſiſtere violentæ oppreſſioni non eſt à iure naturæ quoad omnem conatum vſque ad vitæ diſcrimen præceptum, dummodo abſit periculum conſentiendi, ſed tantum à iure poſitiuo; ius autem poſitiuum non obligat cum tanto diſcrimine. Accedit, quod illa oppreſſio in iſto caſu non habet rationem actionis liberę reſpectu fæminę oppreſſę. Ita *Alphonſus Curiel in p. 2. D. Thoma q. 6. art. 5. Diana d. part.* 5 Sententia aſſerens in ea hypotheſi ad vitandũ peccatum neceſſariam eſſe reſiſtẽtiam cum clamore, 6 Probabilior ſententia nõ eſſe neceſſariũ clamorem.

Digitized by Google

*part. 3. tract. 6. reſp. 31. verſ. verum hæc ſententia in fin.*

## §. XXIX.

### An Epiſcopus poſſit in impedimento illo occulto diſpenſare ad euitanda prænarrata damna in coniuge conſcio.

*SVMMARIVM.*

*Status diſquiſitionis expoſitus.* 1.
*Ratio ſuadens non poſſe in ea hypotheſi diſpenſare.* 2.
*In ea hypotheſi quando iam matrimonium contractum eſt, poteſt Epiſcopus diſpenſare.* 3.
*Satisfit rationi oppoſita.* 4.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

DISQVISITIO XXIX. Iuxta terminos præcedentium diſquiſitionum contracto matrimonio inter Meuium, & Caiam, ſed inualido ex impedimento dirimente occulto Caia illud impedimentum cognouit, cumque illud propallare non poſſet ſine ingenti famæ, vel vitæ periculo, vel illud probare non poſſet in iudicio, & cæteroqui ſine grauiſſimis incommodis non poſſet fieri ſeparatio, nec facilis pro diſpenſatione ad Romanum Pontificem pateret acceſſus inopia, vel alia iuſta cauſa impediente quæſitum fuit, an tunc poſſet Epiſcopus ſuper illo impedimento valide diſpenſare.

2 Ratio ſuadens non poſſe in ea hypotheſi diſpenſare.

Prima fronte videtur aſſerendum non poſſe, quandoquidem eſt poteſtas ordinaria ſolius Romani Pontificis in impedimentis dirimentibus diſpenſare; nam omnia impedimenta dirimentia inducta ſunt ſolummodo, vel auctoritate Pontificum, vel conciliorum decretis, in quibus propterea tanquam in legibus ſuperioris Epiſcopus nullum ius, nullamque habet auctoritatem *ArchiDiaconus c. licet cano de electi. in 6. Abbas c. cum dilecti num. 10. de elect. Felinus c. at ſi clerici § fin. de iudicijs num. 5. Gutierez lib. 1. qq canon. c. 5. num. 10*, & in his terminis *Sotus lib. 1. de iuſt. q. 7. art. 3 verſ. ve vero ſciſcitaris, & in 4. diſt. 37. q. vnico art. 2. Corduba lib. 1. quæſtionarij q. 91. verſ. hæc igitur ſecunda opinio VeraCrux tertia part. ſpeculi art. 18. in fin.* Nihilominus.

3 Poteſt in ea hypotheſi Epiſcopus diſpenſare in impedimento occulto

Reſpondeo in ea, & ſimili hypotheſi, quando iam matrimonium contractum eſt, poſſe Epiſcopum ſuper impedimento occulto diſpenſare *Silueſter verb. diſpenſatio qu. 9. §. 15. Tabiena ibi quæſt. 14. in fin. Armilla verb. diſpenſare num. 20. Antonius Cucus lib. 2. inſtit. maior. tit 16. num. 310. Bartolomeus à Ledeſma de matrimon. dub. 50. ad fin. Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. cap. vlt. ad finem §. porro hic etiam illa quæſtio, Sotus ſibi contrarius in quarto diſt. 41. qu. vnica art. 3. in fin.* cuius placet verba referre, quæ ſunt huiuſmodi *Si contra iuſtitiam publicæ honeſtatis aliqui contrahant, & expeditiſſimus non ſit ad Papam acceſſus nullum eſſet periculum, quamuis Epiſcopus diſpenſaret.*

Argumentum à paritate rationis ab abſolutione in caſibus occultis.

Probatur primò reſponſio, quia Epiſcopus in caſibus Romano Pontifici reſeruatis, ſi ſint occulti, nec facilis pateat aditus ad Romanum Pontificem, poteſt abſoluere vigore *Concilij Trid. cap. 6. ſeſſ. 24. Nauarrus in manual. cap. 25. num. 73. Sotus de tegendo ſecreto memb. 2. Zecchius de caſib. reſeruatis caſ. vlt. verſ. pene occultum, Leſſius de iuſt. & iur. lib. 11. cap. 11. num. 73. Sairus lib. 2. Theſauri cap. 12. num. 19. Fagundez de præceptis Eccleſiæ præcept. 2. lib. 8. cap. 8. num. 28. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuilegio ſect. 1. caſ. 10. §. 3. num. 32.* ergo non erit, cur etiam non poſſit in impedimento occulto quoad matrimonium iam contractum diſpenſare. Conſequentia deducitur ex eo, quod eadem militat ratio, nam æque eſt reſeruata Pontifici abſolutio in allegatis caſibus papalibus, ac diſpenſatio ſuper illo impedimento occulto, quia, ſi quando caſus illi ſunt occulti, vel difficilis patet aditus ad Pontificem inopia, vel alia cauſa impediente poteſt Epiſcopus ab illis caſibus abſoluere, non erit, cur etiam, quando impedimentum illud eſt occultum, nec poteſt eſſe acceſſus ad Pontificem non poſſit Epiſcopus ſuper illo diſpenſare.

Aliud argumentũ à paritate rationis.

Probatur ſecundò, quia Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper impedimento affinitatis ortæ ex copula inceſtuoſa cum conſanguinea vxoris, quamuis ipſa copula, ex qua orta eſt affinitas ſit publica non tamen publica in ratione inceſtus, vel in ratione impedimenti; hoc eſt publicè non ſciatur eſſe matrimonij impedimentum *Nauarrus lib. 5. conſil. tit. de Cleric. non ordinat. miniſtr. in vtraque edit. conſ. 2. num. vnico, & in man. cap. 27. num. 255. verſ. 12. dico Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 34. num. 56. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 39. num. 26. & ſeqq. Zerula ſecunda part. praxis Epiſcop. verb. irregularitas qu. 1. Floronus de caſibus reſeruatis prima part. cap. 4. § 21. num. 2.* ergo à fortiori poterit diſpenſare interuenientibus allegatis conditionibus, quando impedimentum eſt ſimpliciter occultum, non ſolum formaliter in ratione impedimenti, ſed etiam materialiter in ratione talis actionis &c.

Ratio fundamentalis horum omnium, quæ dicuntur in hac reſponſione, & in probationibus eiuſdem conſiſtit in eo, quod

Ratio fundamentalis reſponſionis.

quod veriſimile non eſt, quod Pontifex, qui ſuas leges ordinat ad ſalutem, & vtilitatem populi Chriſtiani, non in eiuſdem perniciem, voluerit, quod in allegatis caſibus neceſſitatis, cum ad ipſum aditus non pateret, impediti, qui iam contraxerunt, deſtituti omni remedio reperiantur, cum non poſſint ſeparari ſine magno ſcandalo, infamia, & ſine præiudicio prolis, ſicque æquum, & probabiliſſimum eſt, quod tacitè poteſtatem illam in huiuſmodi caſibus Epiſcopis conferat, eorumque annuat diſpenſationibus.

4 Satisfit rationi oppoſitæ.

Ex quibus omnibus patet, quid ſit reſpondendum ad ea, quæ ex aduerſo in principio huius diſquiſitionis afferebantur. Licet etenim hæc poteſtas diſpenſandi ſuper impedimentis dirimentibus ſit ordinaria Romano Pontifici; ex benigna tamen ipſius voluntatis interpretatione in caſibus occultis, & tantæ neceſſitatis æquiſſimè intelligitur communicata Epiſcopis, ne ſubditi deſtituti remaneant omni remedio, & ſicuti communicata intelligitur quoad abſolutionem à caſibus Romano Pontifici reſeruatis, quando iſti ſunt occulti, nec facilis patet aditus ad eundem, ita non eſt, cur etiam non intelligatur communicata in ordine ad diſpenſationem in impedimentis dirimentibus occultis, quando, & vrget neceſſitas, nec patet aditus ad ipſum Pontificem.

## §. XXX.

### An, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare ſuper impedimento occulto, requiratur bona fides in vtroque contrahente.

*SVMMARIVM.*

*Refertur facti ſeries.* 1.
*Sententia aſſerens non obſtante mala fide poſſe Epiſcopum diſpenſare.* 2.
*Probabilius extante mala fide in vtroque non poteſt Epiſcopus diſpenſare.* 3.
*Sententia aſſerens, nec poſſe diſpenſare, quando alter tantum mala fide contraxit.* 4.
*Si innocens, qui ſolum ſubſequenter cognouit impedimentum, petat diſpenſationem altero mere paſſiuè ſe habente probabilius poteſt Epiſcopus diſpenſare.* 5.
*Secus, ſi reus peteret diſpenſationem.* 6.

1 Refertur facti ſeries

DISQVISITIO XXX. Contraxerunt matrimonium adinuicem per verba de præſenti, ſeruatiſque iuris ſolemnitatibus Meuius, & Caia, inter quos aderat impedimentum occultum dirimens, quod tamen ipſi, vel ſaltem alter ipſorum non ignorabant. Cum inde ſequi non poſſet ſeparatio ſine magno ſcandalo, nec facilis pateret aditus ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione ſuper illo impedimento quæſitum fuit, an non obſtante mala fide, qua, vel vterque, vel alter ipſorum contraxit, poſſit Epiſcopus ſuper illo diſpenſare.

Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio cap.* 3. *num.* 2. *in coment. lit. K. & lit. O.* expreſsè docet non obſtante mala fide poſſe Epiſcopum exiſtentibus illis conditionibus, & qualitatibus validè diſpenſare, nec aliam rationem adducit, niſi quia auctores, qui concedunt talem facultatem Epiſcopis diſpenſandi ſtantibus prænarratis conditionibus, nullam faciunt mentionem bonæ fidei. Nihilominus

2 Sententia aſſerens nō obſtante mala fide poſſe Epiſcopū diſpēſare.

Reſpondeo extante mala fide in vtroque contrahente probabilius eſſe Epiſcopum ſuper illo impedimento occulto non poſſe diſpenſare *Bartolomaeus à Ledeſma de matrimon. dub.* 50. *ad finem, Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. cap. vltim. ad fin. §. porro hic etiam illa quæſtio, Sanchez de matrimon. lib.*2. *diſp.*40. *num.*4. *verſ. ſed dicendum eſt, Bonacina de matrimon. q.*3 *punct.* 15. *num.*4., qui etiam teſtatur de communi. Videtur expreſſe colligi *ex Tridentino ſeſſ.*24. *de matrimon. cap.* 5. vbi ſic expreſsè legitur *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequenda careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit,* rationemque immediatè ſubdit. *Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ begnignitatem facile experiatur, cuius ſalubria præcepta temere contempſit.* Ratio autem huius reſponſionis in eo potiſſimum fundatur, quia facultas, quæ ex præcedentibus dicitur competere Epiſcopis, quando impedimentum eſt occultum, & grauia illa damna imminent, nec facilis eſt acceſſus ad Romanum Pontificem, competit ex benigna interpretatione voluntatis Romani Pontificis, qui nō eſt præſumendus velle in tam graui neceſſitate coniuges carere opportuno remedio, & ſubiacere illis damnis, ſed hæc voluntas non poteſt præſumi in Romano Pontifice, quando contraxerunt mala fide ſcientes ſe non poſſe validè contrahere, quandoquidem hoc eſſet eorum iniquitati fauere, & peruerſæ contrahentium audaciæ, ergo &c.

3 Extante mala fide in vtroque probabilius nō poteſt diſpēſare.

Ratio fundamentalis reſponſionis.

Hic venit etiam quæſtio, an ea, quæ dicta ſunt in hac reſponſione intelligenda ſimpliciter ſint, quando vterque mala fide contraxit, an vero etiam, quando tantum alter illorum conſcius impedimenti contraxit altero penitus ignorante. Videtur abſolutè dicendum procedere

cedere etiam, quando alter tantum eorum contrahentium mala fide contraxit, prout colligi videtur ex eodem *Concil. Trident. loc. cit.* vbi loquitur in ſingulari *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit*; terminus autem ſingularis ad alterum tantum extenditur. Nihilominus hac in re cum diſtinctione procederem; vel etenim innocens peteret diſpenſationem, qui bona fide contraxit, & ſolum ſubſequenter cognouit impedimentum altero mere paſſiuè ſe habente, vel peteret diſpenſationem conſcius impedimenti antecedenter innocente mere paſſiuè ſe habente; ſi primum; non incongruè ſentirem, poſſe Epiſcopum diſpenſare; non enim æquum videtur, vt ex alterius culpa innocens priuetur iure ſuo, & non ſentiat Eccleſiæ benignitatem, qui in eandem Eccleſiam nõ peccauit; quod ſi deinde ex tali indulgentia ſequatur etiam vtilitas delinquentis, hoc non videtur officere, quia æquum non eſt, vt ex eo, quod delinquens ſit commodum relaturus, innocens iure ſuo deſtituatur, & ne alius liberetur à pæna ipſe conſequatur pænam, quam non meretur. Si ſecundum; arbitrarer non poſſe Epiſcopum diſpenſare, quia beneficium diſpenſationis cadit principaliter ſupra reũ, qui mala fide contraxit, licet indirectè, & concomitanter afficiat etiam innocentem; æquum autem non videtur, vt quis ex propria iniquitate Eccleſię ſentiat benignitatem, & quidem principalitèr. *Dixi, innocente mere paſſiuè ſe habente*, quatenus ſcilicet ipſe ſollicitus non ſit de reualidatione contractus, nec ex ſeparatione eidem damnum aliquod contingeret: ſi etenim, & ipſe anxius eſſet de reualidatione, cum ex ſeparatione damna plurima infamia, alijſque imminerent, non improbabile foret exiſtentibus illis conditionibus, & circumſtantijs, de quibus ſupra conſequi poſſet reus ex beneficio alterius innocentis concomitanter etiam vtilitatem; cum enim verſemur in coniunctis, beneficium vnius refunditur etiam in alterum, & ex begnigna Eccleſiæ interpretatione præſumendum potius eſt, quod eadem Eccleſia ratione inocẽtis beneficia reo velit impendere, quam ratione rei velit innocentem punire.

4 Sententia aſſerẽs, nec poſſe diſpẽſare, quãdo alter tantũ mala fide contraxit.

5 Si innocẽs, qui non cognouit impedimentũ niſi poſt cõtractum petat diſpenſationem, probabilius poteſt Epiſcopus diſpenſare.

6 Secus ſi reus petãt diſpenſationem.

## §. XXXI.

### An ſuper impedimento occulto, quoad matrimonium iam contractum poſſit Epiſcopus diſpenſare etiam, quoad diuites.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur factum in ſuis terminis.* 1.

*Vrgente periculo incontinentiæ poteſt etiam diſpenſare quoad diuites.* 2.

*Sententia aſſerens non poſſe Epiſcopum diſpenſare, quando facilis patet aditus ad Legatum.* 3.

*Probabilius tamen eſt poſſe Epiſcopum in ea hypotheſi diſpenſare non obſtante aditu ad Legatum.* 4.

DISQVISITIO XXXI. Initis nuptijs inter Meuium, & Caiam bona fide ſaltem ex parte alterius, inter quos tamen aderat impedimentum dirimens occultum, cognitoque tali impedimento, cum facilis non adeſſet aditus ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione ob magnam diſtantiam, & immineret periculum incontinentię, nec interim ſeparari poſſent ſine ſcandalo, & infamia exquirebant ab Epiſcopo diſpenſationem ſuper illo impedimento, aduerſus quos exceptio facta eſt, quod cum eſſet diuites ad Romanum Pontificem eſſet ex neceſſitate recurrendum, nec poſset in ea hypotheſi Epiſcopus diſpenſare. Quæſitum hic fuit, an non obſtante prępotentia coniugum quoad diuitias propter allegatam cauſam, vel ſimiles poſset Epiſcopus diſpenſare.

1 Exponitur factum in ſuis terminis.

Reſpondeo abſolutè affirmatiue *Silueſter verb. diſpenſatio q. 9. num* 15. *Armilla verb. diſpenſare num.* 20. *Tabiena verbo diſpenſatio q.* 14. *in fin. Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 3 *num.* 2. *Nauarrus in ſumma c.* 22. *num.* 8. *Antonius Cucus lib.* 2. *inſtit maior. tit.* 6. *num.* 310. *Vinaldus candelabro pr. part. de matrimon. num.* 248. *Antonius Gomez in Bulla cruciata clauſul.* 10. *num.* 58. *Spino ſpecul. teſtamentorum gloſ* 15. *num* 86 Ratio ex eo deducitur, quia inter cauſas, ob quas Epiſcopus poteſt diſpenſare in caſibus Papalibus, & impedimentis Pontifici reſeruatis non ſolum computetur inopia, & impotentia contrahentium, ſed quicunque difficilis acceſſus ad Romanum Pontificem, qui eſſe non poſſit ſine periculo infamiæ; incontinentiæ, damnorum ſiue propriorum, ſiue ſuæ familię *Vgolinus de cenſur. tab.* 1. *c.* 4. *§.* 5. *num.* 15., *& de cenſuris Papæ reſeruatis part.* 3. *c.* 2. *§.* 4. *num.* 2. *Auguſtinus Barboſa tom.* 4. *collect. in* 2. *part. decret.*

2 Vrgente periculo incontinẽtiæ poteſt etiã Epiſcopus diſpenſare quoad diuites.

Cauſa diſpẽſationis non ſolum eſt inopia, ſed etiam difficilis acceſſus ad Pontificẽ,

Digitized by Google

*decret.* 17. *q* 4. *c. ſi quis ſuadente num.* 89. ergo ſicuti poteſt diſpenſare intercedentibus illis conditionibus ratione inopiæ, & paupertatis, poterit etiam diſpenſare intercedente illo periculo incontinentiæ, infamiæ, & damnorum &c. Confirmari poteſt, ex eo, quia ſicuti veriſimile non eſt, quod Pontifex in caſu inopiæ, & paupertatis voluerit ſibi reſeruatum remanere impedimentum occultum poſt contractum matrimonium intercedentibus illis conditionibus, ita nec veriſimile, nec æquum eſt, quod voluerit ſibi obſtrictam eſſe ſolutionem impedimenti occulti in præiudicium animarum, quando adeſt periculum incontinentiæ; ſcandalorum, infamiæ &c.

Hic ſuboritur immediate difficultas, an in ea hypotheſi, qua ratione talis periculi incontinentiæ, ſcandalorum, infamiæ &c. coniuges quantumvis diuites nõ poſſunt adire Pontificem pro diſpenſatione, facilis tamen adſit acceſſus ad Legatum eiuſdem Pontificis teneantur ipſum adire, an vero eo omiſſo poſſint diſpenſationem impetrare à proprio Epiſcopo: Negant in ſimilibus terminis de facultate abſoluendi à caſibus, & cenſuris Pontificis reſeruatis poſſe Epiſcopum in ea hypotheſi diſpenſare *Nauarrus in manuali c.* 27. *nu* 89. *Alterius lib.*5. *diſp.*22. *q.*2. *dub.*3. *Sanchez lib* 2. *ſumma c.*13. *n.*11. *Bonacina de cenſuris diſp.*1. *q.*3 *punct.*2. *n.*4. *verſ. rurſus Coninchus de cenſuris diſp.*14. *dub.* 16. *n.*241. *Filliutius tom.*1. *tract* 7. *c.*10. *n.*289. hocque probant potiſſimũ *ex c. quamuis de ſent. excõmuni*, rationẽque ex eo deducunt, quia in tantum Epiſcopis in ea hypotheſi conceditur facultas abſoluendi, & diſpenſandi, in quantum adeſt neceſſitas, & vrget graue periculum, non cenſetur autem adeſſe talis neceſſitas, ſeu periculum illud, quando adiri poteſt, qui habet priuilegium abſolutè abſoluendi, & diſpenſandi.

3 Sententia aſſerens nõ poſſe Epiſcopum diſpenſare, quando facilis eſt aditus ad Legatum Pontificis.

Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo etiam in ea hypotheſi Epiſcopum poſſe diſpenſare ſuper illo impedimento occulto *Auila de cenſuris diſp.*1. *dub.*6. *concl.*3. *verſ. quarto nota Laiman. lib.*1. *tract* 5. *part.*2. *c.* 6. *nu.*6. *Duardus in bullam cænæ lib* 3. §.2. *q* 8. *n.*56., & in noſtris terminis ſpecialiter *Henriquez lib.*6. *ſumma c.* 10. *num.* 1. *lit. D. in textu, & gloſ.* Ratio ex eo deduci poteſt, quia ſtante illa neceſſitate ceſſat reſeruatio quoad Pontificem, ergo ius diſpenſandi deuoluitur ad Epiſcopum tanquam ad Paſtorem ordinarinm, & proprium, ſiquidem ſublata reſeruatione ratione neceſſitatis ius reſidet in proprio paſtore.

4 Probabilius tamen eſt poſſe Epiſcopũ, & in hypotheſi diſpẽſare.

Accedit, quod ſublata reſeruatione reſpectu principalis intelligitur quodamodo ſublata quoad acceſſorium habentem ius ab eodem principali; Neque dicas cum *Sanchez lib.* 2. *de matrim. diſp.* 40. *num.* 8. *verſ. ſed fateor, nec non poſſe* reſeruationem non ceſſare abſolutè, ſed ratione vrgentis neceſſitatis, ſed quando adeſt potens diſpenſare, ad quem confugi poteſt, ceſſat illa vrgens neceſſitas, ergo &c.; contra enim impugnaberis, quia ceſſante reſeruatione quoad principalem nulla eſt neceſſitas recurſus ad acceſſorium, ſeu delegatum, quia eo ipſo facultas deuoluitur ad ordinarium;

Ceſſante diſpenſatione quoad principalẽ facultas deuoluitur ad ordinarium.

nec valet repeti, quod tunc ceſſet neceſſitas, cum per recurſum ad eundem legatum prouideri poſſit commodè illi periculo, illique egeſtati; non valet, inquam, quia, quantumvis poſſit per talem recurſum illi periculo ſubueniri nullum tamen ius obligat ad illum, quod etiam paritate poteſt euinci, quandoquidem in articulo mortis cuicunque ſimplici ſacerdoti conceſſa eſt facultas abſoluendi à quibuſcunque caſibus, & cenſuris etiam Romano Pontifici, vel Epiſcopo reſeruatis, quæ facultas non intelligitur ſublata, quantumvis commodè haberi poſſit copia ſuperioris, vel proprij Sacerdotis, cui de iure ordinario competit abſolutio, prout latè docent *Nauarrus conſ.* 23. *incipien. an poſſit de pænit., & remiſ. in* 2. *edit. Aloyſius Riccius in collect. part.*4. *collect.* 822. *Ioannes Vallerus de diff. inter vtrumq; for. verb. excommunicatio diff.*23. *num.*1. *Homobonus vol. reſponſ. moral. part.*4 *ſuper cenſuras reſponſ* 83 *Diana part.* 1. *tract. de abſol. ab hæreſi reſol.* 5. *Philibertus Marchinus part.* 3. *c.* 3. *num.* 11. *Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *alleg.*25. *nu.*56., quam etiam opinionem valde probabilem exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius in diſcept. moral. diſcept.* 2. *dub.* 7. *num.* 58. quamvis tutiorem exiſtimet contrariam, ergo etiam &c.

---

## §. XXXII.

An in ea hypotheſi, in qua poteſt Epiſcopus ſuper illo impedimento occulto diſpenſare, poſſit etiam eius Vicarius Generalis.

*SVMMARIVM.*

*Status diſquiſitionis exponitur.* 1.

*Articuli examinandi circa titulum.* 2.

*Vicarius Generalis ex vi proprij muneris poteſt in illo impedimento occulto diſpenſare.* 3.

*Suppoſito, quod facultas diſpenſandi in impedimentis occultis non veniat in generali commiſſione Vicariatus, poteſt nihilominus abſente Epiſcopo Vicarius diſpenſare.* 4.

Dis-

1 Status diſquiſitionis exponitur.

DISQVISITIO XXXII. Perſiſto in terminis præcedentis diſquiſitionis, ſecundum quos ſupponitur matrimonium contractum in faciém Eccleſiæ cum impedimento occulto dirimente, & quod non pateat aditus pro illius diſpenſatione ad Romanum Pontificem ſine periculo interim incontinentiæ, ſcandalorum, infamiæ, & grauium damnorum; ratione quorum omnium in ea hypotheſi concedimus facultatem Epiſcopo diſpenſandi ſuper illo impedimento. Hic iam quærimus, an Vicarius Generalis eiuſdem Epiſcopi eadem auctoritate, qua poteſt ipſe Epiſcopus ſuper illo impedimento dirimente, poſſit & ipſe diſpenſare.

2 Articuli examinandi circa titulum.

Sub hoc quæſito plures veniunt articuli examinandi; primò, an hæc facultas, ſi vicario competat, competat eidem ex generali commiſſione, an vero exigat ſpecialem deputationem quoad hunc effectum. Secundò, an competat ex vi propria, & natura vicariatus. Tertiò ex ſuppoſitione, quod competat ſolummodo ex vi ſpecialis commiſſionis, an abſente Epiſcopo, eique expreſsè non facta tali commiſſione poſſit ex vi præſumptæ ſpecialis commiſſionis.

3 Vicarius generalis ex vi proprij muneris poteſt in illo impedimento occulto diſpenſare

Reſpondeo primò. Etiam Vicarius Generalis ex vi proprij muneris nempe Vicariatus Generalis poteſt ſuper illo impedimento occulto, in quo poteſt Epiſcopus, diſpenſare. *Ioannes Angelus Boſſius in diſceptat. moralib diſcept.1. dub.8. num.47. Bonacina de cenſuris bulla cena diſp.1, qu.22. punct.2. num.24. Duardus qu.9. num.13. lib.3. in bulla cana §.2.* Ratio ex eo deducitur, quia Vicarius Generalis eſt proprie ordinarius in tota Diæceſi, & habet eandem iuriſdictionem ordinariam, quam habet Epiſcopus, & conſtituit cum eodem vnum Tribunal per ea, quæ ſupra latè docuimus, quod potiſſimum intelligitur quoad ea, quæ Epiſcopo competunt per facultatem ordinariam, non delegatam, ſed facultas, quæ Epiſcopo conceditur diſpenſandi quoad impedimenta occulta dirimentia, eſt facultas ordinaria, quandoquidem ex Concilio Tridentino eſt annexa muneri, & iuriſdictioni Epiſcopali, ergo Vicarius generalis ex vi proprij muneris, ratione cuius acquirit omnem poteſtatem in ijs, quæ ſpectant ad iuriſdictionem Epiſcopalem poterit diſpenſare. Accedit, quod, quando iura aliquid concedunt Epiſcopo priuatiuè quoad ipſius Vicarium hoc ſpecialiter exprimunt, vt videre eſt *in Concil. Trident ſeſſ. 24. cap 6.* ergo, vbi non eſt expreſſa excluſio, præſumendum eſt pro poteſtate in eodem Vicario propter generalem regulam, quod exceptio firmat regulam in contrariũ in caſibus non exceptis per textum *in cap. Dominus 32. qu. 7. & cap. 2. de coniug lepros.* & late docet *Ioannes Angelus Boſſius de tripl Iubilei priuil. sect. 1. caſ. 10. §. 1. num. 8. Menochius de arbitrar. lib. 1. qu. 30. num. 4.* Ex quibus poteris deducere, quod Vicarius generalis ex vi generalis commiſſionis, ſeù quod idem eſt ex vi ſuæ electionis poſſit in hoc genere diſpenſare. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in generali commiſſione vicariatus non veniat poteſtas diſpenſandi, niſi committatur ſpecialiter *Gloſa cap. qua de cauſa verbo quidquid 2. qu. 5 Cardinalis cap. denique 4. diſt. Calderinus de offic. Vicarij conſ. 3. in fin. Bertachinus tract. de Epiſcop. lib. 4 part. 7. nu. 17. Rebuffus in praxi beneſ. in forma Vicariatus num. 44. Sbrozius lib. 2. de Vicario Epiſcopi qu. 35. num. 3.*, qui omnes eam aducunt rationem, quia diſpenſatio vim habet reſtitutionis in integrum; reſtitutio autem in integro non venit in generali mandato *l. illud ff. de minorib.*

Instantia opposita, eiusq; diſſolutio.

Non, inquam, obeſſe poteſt; quia, ſi in reſeruatis venit poteſtas abſoluendi, quando hæc deuoluitur ad Epiſcopum, cur etiam in eiſdem non poteſt venire facultas diſpenſandi. Etiam per abſolutionem à reſeruatis fit reſtitutio in integrum. Deinde etiam ex vi proprij muneris, & commiſſionis generalis poteſt Vicarius Generalis diſpenſare in denuntiationibus matrimonij, vt obſeruat communis praxis, ergo etiam poterit diſpenſare in impedimento occulto. Deinde ad ſummum dici poteſt, quod in generali commiſione vicariatus non veniat facultas diſpenſandi in ijs, quando nudum miniſterium committitur perſonæ Epiſcopi, ſecus quando ex priuilegio perpetuo dignitati conceſſo, tunc etenim non dicitur nudum miniſterium, ſed poteſtas ordinaria.

Explicatur textus *in cap cum in generali de offic. Vicarij, & in c. 2. de panis, & remiſ. in 6.*

Neque vlterius obeſſe poteſt textus *in cap. cum in generali de officio Vicarij, & in cap. 2. de panis & remiſ. in 6.*, vbi videtur innui in generali commiſſione vicariatus non venire, quæ ſpeciali iure competunt Epiſcopis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quandoquidem in primo textu ſolum dicitur, quod nequeat Vicarius generalis conferre ſine ſpeciali delegatione beneficia, quod munus cum ſit grauis momenti eſt ſpeciali iure reſeruatum Epiſcopo; cæterum ex hoc non valet inferri *Vicarius Generalis abſque ſpeciali delegatione non poteſt conferre beneficia, ergo neque poteſt abſque eadem delegatione diſpenſare ſuper impedimentis occultis*, cum à diuerſis efficax non fiat illatio, & cum hic agatur de facultate reſpiciente forum pænitentiæ, & bonum animæ, quæ eſt fauorabilis, vtique eſt extendenda. In ſecundo textu ſolum dicitur, quod habens facultatem eligendi ſibi confeſſorẽ, vt ab eo poſſit à caſibus abſolui, non poſſit ab eodem abſolui à caſibus, quos veriſimiliter Epiſcopus non eſſet

conceſſurus; hic autem agitur de generali commiſſione officij, per quam Vicarius conſtituitur Iudex ordinarius, & facit vnum Tribunal cum Epiſcopo, & ſic eſt fortior ratio præſumendi, quod habeat plenam poteſtatem in ijs omnibus, in quibus habet Epiſcopus, niſi aliqua, vel ab eodem, vel à iure ipſi Epiſcopo fuerint ſpecialiter reſeruata.

4 Suppoſito, quod facultas diſpenſandi non veniat in generali cōmiſſione Vicariatus poteſt nihilominus abſente Epiſcopo Vicarius diſpenſare.

Reſpondeo ſecundò, data pro nunc ſententia, quod facultas diſpenſandi ſuper impedimentis occultis matrimonij iam contracti non veniat in generali commiſſione Vicariatus Generalis, ſed exigat ſpecialem delegationem abſente nihilominus Epiſcopo, ad quem facilis non pateat aditus, poteſt Vicarius Generalis non ſolum ex vi Vicariatus, ſed etiam ex præſumpta voluntate Epiſcopi ſuper illo impedimento diſpenſare. *Ioannes Angelus Boſſius in diſcept. moral. diſcept prima dub. 8. num. 44.*, qui etiam teſtatur de communi; rationemque ex eo adducit, quia quantumvis generaliter ex vi commiſſionis generalis Vicariatus non comprehendatur facultas diſpenſandi ſuper impedimentis occultis matrimonij iam contracti, in hoc tamen ſpeciali caſu in generali commiſſione officij cenſetur Epiſcopus conceſſiſſe hanc facultatem, licet alias eaſdem non fuiſſet conceſſurus; nec incongruè certe hoc ſtatuit, quandoquidem ſicuti Pontifex in illo periculo vrgenti incontinentiæ, infamiæ, damnorum, & ſcandaloſum, quando facilis ad ipſum haberi nequit acceſsus, begnignè indulget, vt Epiſcopus poſſit ſuper illis impedimentis, quando ſunt occulta, diſpenſare, ita & Epiſcopus, quando eſt abſens, & facilis ad ipſum non datur acceſſus, præſumendus eſt vrgentibus illis periculis indulgere, vt ipſius Vicarius Generalis poſſit ſuper illis impedimentis diſpenſare, cum hic cum illo conſtituat vnum tribunal, & habeat poteſtatem ordinariam, cæteroqui non bene foret conſultum indemnitati periclitantium.

## §. XXXIII.

### An facultas illa ſic diſpenſandi ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis, ſeù delegabilis alteri à Vicario Generali.

*SVMMARIVM.*

*Duplex ſenſus, ſecundum quem poteſt examinari difficultas.* 1.

*Sententia aſſerens talem poteſtatem non eſſe delegabilem.* 2.

*Poteſt Epiſcopus in caſu particulari delegare hoc munus certæ perſonæ.* 3.

*Poteſt Epiſcopus etiam generaliter illam facultatem diſpenſandi delegare.* 4.

1 Duplex ſenſus, ſecundum quem poteſt examinari difficultas.

DISQVISITIO XXXIII. In ſuppoſitione, quod Epiſcopis competat facultas diſpenſandi ſuper impedimentis occultis dirimentibus quoad matrimonia iam contracta vrgentibus illis neceſſitatibus, & periculo incontinentiæ, ſcandalorum &c. oritur iam difficultas, an hanc facultatem ſibi à iure competentem poſſit alteri à Vicario generali pro ſua libertate per delegationem communicare. Hæc difficultas iuxta duplicem ſenſum poteſt examinari; primò, an in caſu ſpeciali poſſit alicui determinatæ perſonæ hoc munus diſpenſandi committere. Secundò, an poſſit eligere aliquam determinatam perſonam, quæ ex generali commiſſione poſſit in omnibus caſibus occurrentibus, in quibus attentis illis circumſtantijs ipſe poteſt diſpenſare, hanc facultatem ex delegatione exercere.

2 Sententia aſſerens talem poteſtatem non eſſe delegabilem.

Videtur in vtroque ſenſu abſolutè negandum, quandoquidem iuriſdictio voluntaria commiſſa ex principis priuilegio delegari non poteſt *Baldus in l. 3. num. 6. C. quando prouoc. non eſt neceſſe, Felinus cap. quod ſedem de offic. ordin*, hocque ex eo facile colligi poteſt, quod poteſtas hæc diſpenſandi eſt ordinaria Romani Pontificis, vnde videtur ſolummodo competere in illis grauibus circumſtantijs Epiſcopo ex delegatione annuente ſcilicet, & indulgente ad occurrendum illis neceſſitatibus eodem Romano Pontifice, ſicque videtur eidem dumtaxat committi nudum miniſterium, quod alteri non poteſt delegari per textum *in cap. vltimo §. fin. de offic. delegati*. Nihilominus

3 Poteſt Epiſcopus in caſu particulari delegare hoc munus certæ perſonæ.

Reſpondeo primò, poſſe Epiſcopum in caſu particulari delegare hoc munus certæ determinatæ perſonæ *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. num. 2. Coarruuias 3. variar. cap. 20. num. 6. in initio, Sanchez de matrimon. lib 2. diſp. 40. num. 14. Gloſ. cap fin. verb. caſibus de offic. ordinar. Felinus cap. fin. num. 8. de offic. deleg. Nauarrus in ſumma c, 27. num. 45.* Ratio ex eo deducitur primò, quia, vt infrà videbimus, hæc poteſtas in Epiſcopo diſpenſandi in allegatis caſibus eſt ordinaria, ergo eandem poteſt alteri per delegationem communicare. Secundò, quia dato etiam, quod intelligeretur delegata, non eſt delegata ad caſum tantum particularem, ſed ad omnes caſus, qui in tali genere ſecundum illas circumſtantias poſſunt accidere, ſed delegatus in generali poteſt quoad caſus in particulari, ſubdelegare, vt latè porobant DD. apud *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 31. num 2. & 3.* ergo &c.

Reſ-

4 Poteſt Epiſcopus etiã generaliter illam facultatem diſpenſandi delegare.

Reſpondeo ſecundo, poſſe Epiſcopum etiam generaliter illam facultatem diſpenſandi delegare. Ita in terminis licet diuerſis, valde tamen conferentibus ad præſentem ſtatum *Suarez de cenſuris diſp. 41. ſect. 2. num. 8. Sanchez lib. 2. ſumma c. 21. num. 25. Aloiſius Riccius in praxi for. Eccleſ. deciſ. 518. num. 2. Fillutius tom. 1. tract. 20. c. 10. num. 270. Duardus in bullam cœnæ lib. 3. §. 2. q. 11. num. 34. Gauantus in manual. Epiſcopum verbo abſolutio num. 10. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 1. c. 10. §. 8. num. 185.* & in ſpecie in his terminis *Nauarrus lib. 5. conſil. in pr. edit. tit. de ſent. excommunicat. conſ. 15. nu. 3., in 2. vero tit. de priuileg. conſ. 11. num. 4. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 40. num. 17. verſ. ſed dicendum eſt.* Ratio ex eo deducitur, quia habens iuriſdictionem ex priuilegio Principis, & multo magis à iure competentem non perſonæ, ſed perpetuo dignitati, & officio poteſt illam generaliter delegare, illamque per alium exercere per textum *in c. vlt. de officio ordin.*, quia iuriſdictio ex principis, vel iuris priuilegio competens non perſonæ, ſed dignitati, & officio in perpetuum eſt perpetua, & ordinaria *Suarez de cenſuris diſp. 41. ſect. 2. num. 8. Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 40. nu. 14. Antonius Fernadez in medul. part. 4. c. 9. num. 1. Marius Alterius tom. 1. de cenſur. lib. 4. diſp. 3. c. 2. Bartolus in l. ambitioſa nu 34. ff. de decret. ab ord fact.* ſed iuriſdictio ordinaria reſpectu illam habentis, quando aliquod ius non obſtat, eſt generaliter delegabilis, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo &c.

Iuriſdictio competens perſonæ ratione officij, & dignitati eſt perpetua, & ordinaria.

Confirmari poteſt ex eo, quia in ea hypotheſi non eſt electa induſtria perſonæ ad diſpenſandum, ſecus nec in caſu particulari poſſet Epiſcopus illam facultatem diſpenſandi delegare, quinimmo, cum hæc facultas nõ certo Epiſcopo exiſtenti concedatur, ſed omnibus pro tempore futuris non videtur induſtriæ perſonæ demandata *Iaſon in l. more num. 65. ff. de iuriſd. omn. Iud. Menochius lib. 1. de arbit. q. 64. num. 17.* Cum igitur, nec ex diſpoſitione iuris, nec ex qualitate muneris illa facultas reſtringatur ad perſonam determinatam Epiſcopi, & illa reſpectu eiuſdem ſit ordinaria, non video, cur illam ſiue in vniuerſum, ſiue in caſibus particularibus non poſſit per communicationem alteri delegare. Confirmari poteſt vlterius ex eo, quia vbi iura uolunt Epiſcopos non poſſe exercere aliquam poteſtatem per alios, illud expreſſe indicant, vt videre eſt in ſimilibus ſupra allegatis. Cum igitur quoad hanc facultatem in Epiſcopis inexiſtentem nihil ſpecialitèr determinent, nec reſtringant, non eſt, cur Epiſcopi non poſſint ad alias perſonas per delegationem extendere.

Iura non reſtringunt expreſſe Epiſcopo, hac facultatem delegandi.

---

## §. XXXIV.

### An Epiſcopus poſſit diſpenſare ſuper impedimentis matrimonij in omnibus caſibus, in quibus impediti excuſantur ab adeundo perſonaliter pro diſpenſatione Romanum Pontificem.

*SVMMARIVM.*

*Ratio dubitandi, & fundamentum dubitationis.* 1.
*Sententia aſſerens poſſe Epiſcopum libere diſpenſare.* 2.
*Contraria ſententia negans, eiuſq; fundamenta.* 3.
*Præfertur ſecunda ſententia.* 4.
*Satisfit rationibus contrariæ ſententiæ.* 5.
*Diuerſa ratio de facultate abſoluendi, & diſpenſandi.* 6.

DISQVISITIO XXXIII. Communiter docent DD. Irretitum excommunicatione, ſeù caſu Summo Pontifici reſeruato, qui ob legitimum impedimentum perſonaliter adire nequit Romanum Pontificem pro abſolutione, quantumvis adire poſſit per Procuratorem, vel per epiſtolam, non teneri per eoſdem adire, ſed poſse à proprio Epiſcopo abſolui vigore facultatis generalis eidem Epiſcopo conceſſæ in ordine ad impeditos legitimè *Nauarrus in manual. c. 27. n. 90. Vgolinus de caſibus Bullæ part. 3. c. 2. § 4 num. 1. verſ. item locum, & de cenſuris tab. 1. c. 4. §. 5. n 13. in fin. Auguſtinus Barboſa tom. 4 collect. in decret. part. 2. cauſa 17. q. 4. c. ſi quis ſuadente n. 90. Henriquez lib. 6. c. 9. n. 7. lit. O in textu, & gloſ. Sanchez lib. 2. ſummæ c. 13. n. 14. Alterius de cenſuris lib. 5. diſp. 22. c. 2. quæſit. 2. verſ. poſtulabit aliquis Coninchus de cenſur. diſp. 14. dub. 16. n. 241.* Suppoſita iam hac ſententia quoad abſolutionem ab excommunicatione, alijſque caſibus Romano Pontifici reſeruatis quæritur, an hoc idem ſentiendum ſit quoad diſpenſationem ſuper impedimentis dirimentibus eidem Pontifici reſeruatis, adeovt quotieſcunq; irretitus tali impedimento excuſatur ab adeundo Romam perſonaliter, non teneatur adire, vel per Procuratorem, vel per Epiſtolam, ſed poſſit immediatè per Epiſcopum proprium diſpenſari.

1 Ratio dubitandi, & fundamentum dubitationis.

Non procedit hæc difficultas in caſu, quo ſi adiret, vel per Procuratorem, vel per epiſtolam pro tempore pendente ad diſpenſationem ſuper impedimento immineret periculum incontinentiæ, infa-

miæ, ſcandalorum &c. nam in hac hypotheſi certum eſt iuxta prædicta, quod Epiſcopus poſſet liberè diſpenſare. Procedit igitur præcisè in caſu, quo illo periculo non imminente, nec impediente inopia ſolum ratione ſtatus, vel modicæ ſanitatis, vel alterius ſimilis impedimenti impeditus non poſset perſonaliter adire Romanum Pontificem.

2 *Sententia aſſerens poſſe Epiſcopum libere diſpenſare.*

Videtur prima fronte aſſerendum etiam in hac hypotheſi poſſe libere Epiſcopum diſpenſare; non enim minus videtur reſeruatum Pontifici poſſe diſpenſare ſuper impedimentis matrimonij, ac poſſe abſoluere ſuper cenſuris, & caſibus papalibus; ſi igitur Epiſcopus, quando quis eſt alligatus, vel excommunicatione, vel caſu papali poteſt ex alia quacunque cauſa puta ſexus, infirmitatis, ſenectutis &c. abſoluere, non obſtante, quod his cauſis præpeditus poſſit per Procuratorem, vel epiſtolam ad Pontificem recurrere pro abſolutione; cur etiam ex eiſdem cauſis non poterit ſuper impedimentis diſpenſare, quando non potens per ſe adire Pontificem pro diſpenſatione ſuper eiſdem poteſt eundem adire, vel per Procuratorem, vel per epiſtolam? Accedit, quod quando non poteſt adiri Pontifex pro diſpenſatione, poteſt tamen adiri ipſius legatus à latere, poteſt Epiſcopus ſuper illo impedimento diſpenſare *Henriquez lib. 6. ſumma c. 10. n. 1. lit. D. in textu, & gloſ. Auila de cenſuris part. 2. c. 7. diſp. 1. dub. 66. concl. 3. verſ. quarto nota, Paulus Laiman lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 6. n. 6. Duardus in bullam canæ lib. 3. in §. 2. q. 8. n. 56.*, & nos ſupra commendauimus, ergò quando adiri non poteſt Pontifex pro diſpenſatione perſonaliter, adiri tamen poteſt per Procuratorem, vel per epiſtolam, poterit hoc non obſtante irretitus impedimento per Epiſcopum proprium diſpenſari.

*Et ipſius fundamenta.*

3 *Sententia aſſerens nõ poſſe diſpenſare.*

Ex aduerſo militat communis praxis contraria; ſecundum quam, vbi non adeſt periculum incontinentiæ, ſcandalorum &c., nec inopia impedit, fit per epiſtolam recurſus ad ſedem Apoſtolicam, & quidem congruæ rationi hæc praxis videtur inniti, quandòquidem ex genere ſuo materia diſpenſationum eſt papalis, cum impedimenta ipſa fuerint inducta per ius Pontificium, vel per conciliorum ſtatuta, quæ propterea tantum remittitur Epiſcopo, quandò cum nullo modo poſſit adiri Pontifex, vehemens vrget neceſſitas diſpenſandi ad euitandam incontinentiam, aliaque grauia pericula, quia tunc ex quadam æquitate Pontifex hanc facultatem diſpenſandi videtur begnignè, & præſumptiuè remittere ordinarijs; non eſt autem vehemens neceſſitas, nec præſumptio voluntatis Pontificis remittendi, quando ille commodè adiri poteſt per epiſtolam, & procuratorem; Nec in hoc currere videtur paritas de facultate abſoluendi à reſeruatis, ac de facultate diſpenſandi in impedimentis, quandòquidem de iure communi naturali facultas abſoluendi à quibuſcunque caſibus reſidet apud ordinarios reſpectu ſuorum ſubditorum, & reſeruatio eſt illis odioſa, & correctoria iuris communis, quæ propterea ſublata per impedimentum quodlibet legitimum adeundi perſonaliter reſeruantem ius abſoluendi pleno iure reuertitur ad eundem ordinarium, cum iura ſolum exigant, quod ordinarius non poſſit abſoluere, quando Pontifex reſeruans poteſt adiri, nec obligant vt adeatur per epiſtolas, quando adiri non poteſt per perſonam. Facultas autem diſpenſandi in impedimentis matrimonij ex genere ſuo non reſidet penes ordinarios, ſed ſolummodo per quandam Epicheiam, & ex benigna Pontificiæ mentis interpretatione eiſdem conceditur, quando præciſa vrget neceſſitas, cui occurri non poteſt per eundem Pontificem, qui nullo modo adiri poteſt, vltra quam neceſſitatem ius diſpenſandi adhuc pleno iure remanet in eodem Pontifice; & propterea in primo caſu abſolutionis, quià Epiſcopus, ſeù ordinarius recuperat, quod ſuum eſt, & recuperatio ipſi eſt fauorabilis, ceſſante quomodocunque reſeruatione, cum adimpleri nequeat id, quod ius præcipit, plenè, & cum omni ampliatione recuperat, ſicque poteſt abſolutè impendere beneficium abſolutionis; in ſecundo autem caſu diſpenſationis, quià ſolummodo per quandam Epicheiam acquirit, quod ſuum non eſt, ſed pleno iure reſidet penes Pontificem, non acquirit niſi reſtrictiuè, cum priuilegia ſtrictè ex vulgatis iuribus ſint interpretanda, adeoque non vltra intentionem indulgentis; non eſt autem præſumendum, quod Pontifex indulgeat in iure diſpenſandi reſpectu ordinariorum, quando ipſe commodè adiri poteſt, vel per Procuratorem, vel per epiſtolam, præcipuè, cum ex communi praxi huiuſmodi diſpenſationes per epiſtolas obtineantur. Quid igitur concludendum?

*Huius ſententiæ fundamenta.*

4 *Præfertur hæc ſecunda ſententia.*

Reſpondeo, probabilius eſſe in ea hypotheſi Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ſed diſpenſationem obtinendam eſſe à Romano Pontifice per Epiſtolam. Ita expreſse ſentire videtur *Sanchez lib. 8. de matrimonio diſp. 9. n. 23.* dum aſserit *ſi vomens iuſtam cauſam ſecum diſpenſandi habeat, nec poſſit adire nec mittere Romam &c. poteſt Epiſcopus diſpenſare*, ergò è contrario ſenſu, quamuis non poſſit adire, poſſit tamen mittere Romam Epiſcopus non poterit diſpenſare. Rationes adductæ pro ſecunda ſententia maximè efficaces ſunt ad hanc noſtram reſponſionem confirman-

Digitized by Google

mandam quandòquidem non eſt præſumendum, quod Pontifex in ijs, quæ pertinent ad ipſius ordinariam poteſtatem ex genere ſuo, hanc poteſtatem voluerit communicare ordinarijs extra caſus omnimodæ neceſſitatis, & regula præſumptiua negationis talis communicationis colligitur ex communi praxi, de qua ſuprà. Confirmatur, quià communicatio auctoritatis, vt potè priuilegium eſt ſtrictè interpretanda, niſi aliter conſtet de voluntate communicantis per textum *in c.1. §. ille vero de filijs presbit. in 6. reg. quæ à iure de regul. iur in 6.*, ergò, cum concedatur in caſu præcisè neceſſitatis, intelligenda eſt de omnimoda neceſſitate, adeoque ceſſare debet, quandò poteſt commodè ſubueniri per recurſum per epiſtolam, ſeù per Procuratorem, quià tunc ceſſat talis neceſſitas.

*Aliæ nonnullæ rationes præter prædictas.*

5 *Satisfit rationibus contrariæ ſententiæ.*

Ad rationem primam, quę ex aduerſo afferebatur pro prima ſententia iam patet ex dictis in ſecunda ſententia quid ſit reſpondendum; diuerſa etenim eſt ratio de facultate abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis, ac de facultate diſpenſandi in impedimentis dirimentibus, quandòquidem illa eſt ordinaria reſpectu Epiſcopi, & per reſeruationem ſolummodò impedita, & poſtea ablata reſeruatione reſtituta, hæc autem ſolummodò commiſſa in caſu neceſſitatis, quo propterea ceſſante integra, & plene remanet penes Pontificem committentem ex præſumpta ipſius voluntate, qui in tantum intelligitur committere, in quantum vrget præciſa neceſſitas, nec alitèr, nec alio modo.

6 *Diuerſa ratio de facultate abſoluendi, & diſpenſandi.*

Ad ſecundam in primis dicendum eſt non currere paritatem de diſpenſatione ſuper impedimentis per Epiſcopum, quando haberi poteſt recurſus ad nuntium, quamuis hic ſit legatus à latere, ac de diſpenſatione per eundem Epiſcopum, quando Pontifex adiri non poteſt perſonaliter, adiri tamen poteſt per Procuratorem, vel per epiſtolam; quandòquidem nuntius, ſeù Legatus à latere non habet ex vi proprij muneris, niſi poteſtatem in tota Prouincia, ad quam eſt legatus, ſeù nuntius, quam habet Epiſcopus in ſua Diæceſi in ordine ad huiuſmodi diſpenſationes *Specul. tit. de diſpenſatione §. conſequenter aliqua in initio, Abbas c. fin. n. 5. de tranſact., & c. dilecto n. 5. de prabend. Rebuffus prax. beneficior. tit. de vnionib n. 24. Mandoſius reg. 17. Cancellariæ q. 7. n. 5. Couaruuias 4. decret. 3. part. c. 6. §. 10. nu. 11.* Cum igitur Epiſcopus habeat quoad huiuſmodi diſpenſationes eandem poteſtatem, quam habet nuntius in tota prouincia ſuæ legationis, non eſt, cur ipſe non poſſit diſpenſare abſque recurſu ad eundem nuntium. Hæc autem non militant, quando poteſt adiri Pontifex per epiſtolam, quandòquidem tunc ceſſat poteſtas in Epiſcopo per ſuperius probata.

*Nuntius non habet, niſi illam facultatem in prouincia, quam habet Epiſcopus in Diæceſi.*

Quod ſi ſupponas, nuntium ex ſpeciali priuilegio Pontificis habere poteſtatem diſpenſandi ſuper huiuſmodi impedimentis tunc *Sanchez d. lib. 8. de matrimon. diſp. 9. num 25. in fine*, ſentit Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ſi ille commodè poſſit adiri, ſed eundem adeundum eſſe; hæc Sanchez reſponſio magis confirmat reſponſionem noſtram; Sed quomodo conueniat cum ſuperius dictis, vbi aſſeruimus, non eſſe ex neceſſitate ad ipſum recurrendum, ſed poſſe in ea hypotheſi Epiſcopum diſpenſare? Hoc opus, hic labor. Dicere tamen poſſemus, ibi dicta procedere tantum, quando nuntius haberet tantum poteſtatem proprio muneri competentem, non autem, quando ſpeciali gauderet priuilegio ipſi per Pontificem ſpecialiter communicato. Sed quidquid ſit de hac Sanchezij reſponſione in ea etiam hypotheſi ſentio, adhuc Epiſcopum diſpenſare abſque neceſſitate ad eundem nuntium recurrendi. Ratio ex eo deſumitur, quià poteſtas Epiſcopi ad diſpenſandum, vel non diſpenſandum attenditur in ordine ad Pontificem habentem poteſtatem ordinariam, prout ad eundem poteſt haberi, vel non haberi acceſſus, non in ordine ad alios ſpeciali priuilegio gaudentes; non enim præſumendum eſt, quod Pontifex talia priuilegia concedendo voluerit derogare iuri ordinarij, quod ipſi competit, quando ipſe Pontifex non poteſt adiri, vnde bene notat *Nauarrus lib 5. conſil. de priuileg. conſ. 11. in 2. edit.*, quod nimis durum eſſet Epiſcopis, ſi in huiuſmodi caſibus proprios ſubditos ad alios Diæceſis, vel extra Diæceſim mittere tenerentur, tanquam qui ipſis maiorem habeant poteſtatem diſpenſandi.

*Epiſcopus poteſt etiã diſpenſare, quantumvis facilis eſſet aditus ad nuntiũ habentem in hoc ſpecialem facultatem.*

## §. XXXV.

### An Epiſcopus interueniente aliqua graui cauſa poſſit diſpenſare in impedimentis occultis etiam ante contractum matrimonij.

*SVMMARIVM.*

*Non videtur currere paritas, quando matrimonium iam contractum eſt, ac quando contrahendum.* 1.

*Caſus in particulari in quibus poteſt eſſe controuerſia.* 2.

*Modus, quo poteſt occurri ſcandalis in matrimonio contrahendo per ſuſpenſionem illius.* 3.

Ex-

Digitized by Google

*Extante prænarrata cauſa, vel ſimili, nec via euadendi alitèr ſuppetat, poteſt Epiſcopus diſpenſare.* 4.

1 Non videtur currere eadem paritas, quando matrimonium iam contractum eſt, ac quando eſt contrahendum.

DISQVISITIO XXXIV. Non videtur eadem adeſſe neceſſitas diſpenſandi ante contractum matrimonium, quæ quandoque adeſt eodem iam contracto, ſiquidem, quando iam contractum eſt, ſeparatio vt plurimum eſſet cauſa infamiæ, ſcandalorum, & grauium damnorum, cohabitatio autem ſeù permanentia in eodem coniugio eſſet motiuum incontinentiæ, periculum fornicariæ coniunctionis, propter quæ pericula, & damna ſupra diximus Epiſcopum, quando commodè adire nequit Pontifex, poſſe ſuper huiuſmodi impedimentis occultis diſpenſare; Hæc autem pericula, damna, infamia, & incontinentia non videntur poſſe vrgere, quando matrimonium adhuc contractum non eſt. His tamen non obſtantibus contingere poteſt caſus, ſecundum quem huiuſmodi, vel ſimilia damna, pericula &c. poſſunt contingere, vt ſi v. gr. contracta fuerint legitimè ſponſalia, & pro aliqua die determinata præmiſſis publicè omnibus, quæ ſunt neceſſaria, & etiam conſueta ex more regionis, ex qualitate perſonarum eſset matrimonium contrahendum, & ſponſa manè ante contractum expiatura propia peccata accederet ad confeſsarium, & inde dignoſceretur impedimentum occultum, quod ſi detegeretur, vel ratione eiuſdem non perficeretur contractus pro illa die inferret ſuſpicionem grauis alicuius criminis, ſcandala, & huiuſmodi. In hoc autem, & ſimilibus caſibus quæritur iam, an Epiſcopus ante matrimonium contractum poſſit ſuper illo impedimento diſpenſare.

2 Caſus in particulari, in quibus poteſt eſſe controuerſia.

Vix videtur in hac hypotheſi poſſe eſſe neceſſitatem diſpenſandi reſpectu Epiſcopi, quandòquidem occurrere poteſt medium, quo vitari poſſint ſcandala, ſuſpiciones criminum, & nihilominus ſuſpendi matrimonium, vſquequo à Sede Apoſtolica ſuper illo matrimonij impedimento obtineatur diſpenſatio. Hoc contingeret, ſi confeſſarius cognito illo impedimento proponeret pænitenti votum caſtitatis ad tempus, quo elicito edoceret pænitentem, vt aſſereret, ſe voto caſtitatis irretitum eſse, & confeſsarium ſibi iniunxiſſe, vt ante contractum à Romano Pontifice impetraret ſuper illo voto diſpenſationem; atque ob hanc, & ſimiles cauſas communiter DD. docent ante contractum matrimonium non poſſe ſuper impedimento occulto Epiſcopum diſpenſare, cum occaſio ſcandalorum poſſit ſimilibus ſubterfugijs euitari, & inter cæteros hoc expreſsè docet *Gutierez de matrimon. c.49. n.* 11. Nihilominus

3 Modus, quo poteſt occurri ſcandalis.

4 Extante prænarrata, vel ſimili cauſa, nec via euadendi aliter ſuppetat poteſt Epiſcopus diſpenſare.

Reſpondeo, extante hac vel ſimili cauſa ſecundum has, vel ſimiles circunſtantias, nec via euadendi alitèr ſuppetat, poſſe Epiſcopum adhuc diſpenſare ante matrimonium contractum. Ita expreſsè ſentit *Sanchez lib.2. de matrimon. diſp.40. num.7.*, qui quamuis aſserat ſe in hanc opinionem nullo authoris fretum patrocinio inclinare, nihilominus antecedentèr ad ipſum hoc idem docuerant *Valentia tom. 4. diſp.10. q.5. p.5. Henriquez lib.11. de matrim. c.15. Emanuel Sà de imped. non diriment. n.11.*, & poſtea docuit *Bonacina de matrimon. q.3. punct. 5. n. 6.*

Ratio ex eo deſumi poteſt primo, quià huiuſmodi impedimentum, ob quod non poſſent contrahentes contrahere eſt iuris humani, nempe lege Pontificis, ſeù Conciliorum ſtatuto inductum, ſed in lege humana vrgente grauiſſima neceſſitate, quæ alitèr ſubterfugi non poſſit, niſi cum graui ſcandalo, infamia &c. poteſt Epiſcopus diſpenſare *Lignado c. at ſi clerici §. de adulterijs de iudicijs, Romanus ſing. 486. Specul. tit. de diſpenſationibus §. nunc de Epiſcoporum n.3. in fin. Rebuffus prax. benefic. tit. de diſpenſat. ad plura benef. n.31. Lambertinus de iure patron. lib. 2. part. 1. q.7. art.19. n. 2. Marcus Antonius Cucus lib. 2. inſtit. maior. tit.7. n.3334. Gutierez qq. canon. lib. 1. c.23. n 18. Gratianus reg. 433. n.8.* Minor probatur, quià non eſt præſumendum, quod Pontifex velit in tali neceſſitate laqueum obſtringere, vt nequeat relaxari, niſi cum magnis ſcandalis, & infamia.

In lege humana vrgente grauiſſima cauſa poteſt Epiſcopus diſpenſare.

Ratio ex eo deduci poteſt ſecundò, quià in data hypotheſi eadem ratio diſpenſandi ſuper impedimento illo occulto militat ante contractum, ac poſt contractum matrimonium, quandòquidem quod matrimonium contractum non ſit, vel quod nulliter contractum paria ſunt, & tota ratio, quando nulliter contractum eſt, propter quam poſſit per Epiſcopum diſpenſari, eſt quià, vel non patet facilis aditus ad Pontificem ſine grauibus damnis, & interim vrget periculum infamiæ, ſcandalorum &c. Sed hæc eadem ratio militat in hypotheſi, de qua loquimur, quandòquidem ex reſilientia à contractu, quando etiam omnia ſtabilita ſunt rationabilitèr poſſet præſumi, de aliquo graui crimine, cum impedimentum non poſſet propallari ſine infamia, & re vera ſupponatur tale, ergo &c.

Reſpondetur rationi ſuadenti contrarium.

Dixi, *ſi via euadendi aliter non ſuppetat*; nam, quantumvis medium illud, ſupra aſſignatum de aſſertione voti emiſſi videntur commodum ſubterfugium, donec à Romano Pontifice obtineri poſſit diſpenſatio, nihilominus, quià quandoque ex circunſtantia perſonæ, alijſque adminiculis, (præcipuè cum antecedenter de illo

illo voto nullum verbum fecerit, & contraxerit ſponſalia cum promiſſione pro tali die, & omnia diſpoſita pro matrimonio, & ipſa ſciente, & non contradicente) poteſt præſumi de fictione quoad illud votum, & de vera exiſtentia alicuius enormis criminis publicati ſub illa aſſertione voti, ideo per illam viam non videtur ſufficienter ſubterfugi infamia, adeoq; non eſt, cur non poſſit Epiſcopus in ea hypotheſi diſpenſare.

---

## §. XXXVI.

### An ſoluto vrgente neceſſitate per Epiſcopum vinculo impedimenti ceſſante eadem neceſſitate recurrendum ſit ad Romanum Pontificem.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur ratio difficultatis:* 1.
*Ratio ſuadens ceſſante neceſſitate recurrendum eſſe ad Romanum Pontificem.* 2.
*Poſita diſpenſatione per Epiſcopum ob vrgentem neceſſitatem eadem neceſſitate ceſſante non eſt recurrendum ad Romanum Pontificem:* 3.
*Cur abſolutus in caſu neceſſitatis per inferiorem ab excommunicatione teneatur ceſſante neceſſitate ſe præſentare Superiori, diſpenſatus vero ab inferiori non teneatur ceſſante neceſſitate Superiori ſe præſentare:* 4.

1 **Exponitur ratio difficultatis.**

DISQVISITIO XXXV. In caſibus præcedentium diſquiſitionum, ſecundum quos exiſtente vel periculo incontinentiæ, vel infamiæ, vel aliorum damnorum dictum eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare, vel etiam actu diſpenſaſſe, inquirendum remanet, an, ſi poſt talem diſpenſationem factam per Epiſcopum ceſſet illud periculum, vel incontinentiæ, vel infamię, vel ſcandalorum, teneantur coniuges, ſi commodè poſſint, confugere ad Romanum Pontificem pro confirmatione diſpenſationis, vel pro noua diſpenſatione.

2 **Ratio ſuadens ceſſante neceſſitate recurrendũ eſſe ad Romanum Pontificem.**

Ratio dubitandi ex eo deſumitur, quod ſi Epiſcopus vrgente aliqua graui neceſſitate, ratione cuius ad Romanum Pontificem non pateat facilis acceſſus abſoluerit à cenſuris eidem Pontifici reſeruatis, ſi poſtea neceſſitas illa ceſſat, tenetur ille, qui abſolutus eſt, ſe coram eodem Pontifice pręſentare, vel abſolutionem per litteras impetrare. *Silueſter verb. abſolutio* 1. *num.* 8. *Nauarrus c.* 26. *num.* 26., *& c.* 27. *num.* 113. *Vgolinus de cenſuris Papæ reſeruatis part.* 3. *c.* 2. §. 1. *nu.* 1. *Auila de cenſuris part.* 2. *c.* 7. *diſ.* 3. *dub.* 4. *Sairus lib.* 2. *Theſauri c.* 30. *num* 27. *Vaſquez de pænit. q.* 91. *art.* 3. *dub.* 8. *num* 6., *& q.* 93. *art.* 1. *dub.* 6. *num.* 14. *Suarez de pænit. diſp.* 30. *ſect.* 3. *num.* 6., *& de cenſuris diſp.* 22. *ſect.* 1. *num* 61. *Coninchus de cenſ. diſp.* 14. *dub.* 16. *num* 235., quod etiam verum eſt, quantumvis inferior abſoluens in illo caſu neceſſitatis onus non iniunxerit pænitenti ſe præſentandi *Sanchez lib.* 3. *ſumma c.* 13. *num.* 30. *Duardus in bullam cænæ lib.* 2. *in* §. 2. *q.* 10. *num.* 17. *Ioannes Angelus Boſſius in diſceptat. moralib. diſcept. pr. num.* 142. quinimmo nonnulli, inter quos Henriquez apud *Ioannem Angelum Boſſium dict. diſcept. pr. num.* 162. extendunt etiam quoad abſolutionem à caſibus Pontifici reſeruatis extra mortis articulum, adeo vt, ſi Epiſcopus, dum irretitus tali caſu non poſſet Pontificem adire, eum abſoluerit, teneatur ceſſante illo impedimento, qui fuit abſolutus ſe præſentare coram Pontifice ad recipiendam abſolutionem directam, quandoquidem exiſtimant huiuſmodi *DD.* Epiſcopi abſolutionem impertitam pro tempore impedimenti non eſſe niſi indirectam; Ex quibus omnibus recta cõſequentia videtur etiam deduci, quod vrgente neceſſitate diſpenſatus ab Epiſcopo ſuper impedimento occulto ceſſante neceſſitate teneatur ſe coram Pontifice ſaltem per Epiſtolam præſentare, vt accipiat diſpenſationem directam, & abſolutam. Nihilominus.

3 **Poſita diſpenſatione per Epiſcopum ob vrgentem neceſſitatem, eadẽ neceſſitate ceſsãte non eſt recurrendũ ad Romanũ Pontificem**

Reſpondeo, poſita diſpenſatione per Epiſcopum in caſibus, in quibus vrgente neceſſitate poteſt diſpenſare ceſſante neceſſitate ſic diſpenſatus non indiget noua diſpenſatione, nec confirmatione prioris à Romano Pontifice. Ita ſentire exiſtimo quotquot ſuſtinent poſita abſolutione à caſibus reſeruatis non habentibus annexam aliquam cenſuram poſita ab inferiori vrgente aliqua neceſſitate non eſſe neceſſarium, vt abſolutus ceſſante illa neceſſitate ſe præſentet coram legitimo ſuperiore *Graffiis lib.* 1. *deciſ. aur. c.* 13. *num.* 68. *Nauarrus c.* 26. *num.* 26. *Zambranus in deciſ. pro mortis articulo c.* 4. *dub.* 4. *num.* 21. *Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *alleg.* 25. *num.* 80. *Suarez de Pænit. diſp.* 30. *ſect.* 3. *num.* 6. *Vaſquez de pænit. q.* 92. *art.* 2. *dub.* 6. *num.* 14. *Duardus lib.* 3. *in bullam cænæ* §. 2. *q.* 3. *num.* 13. Fateor totum hoc in proprijs terminis me non inueniſſe, ſed continetur in doctrina generali, ſecundum quam communiter ſtatuunt ablato ſemel per diſpenſationem legitimè impedimento illud amplius non reuiuiſcere, ſicut ſemel abſoluto peccato ratione neceſſitatis, cui erat annexa reſeruatio, illud amplius non reuiuiſcit, nec etiam reſeruatio, quæ in eodem radicatur.

Ratio ex eo deduci poteſt primo, quia

poſita

Digitized by Google

poſita illa diſpenſatione per Epiſcopum vrgente neceſſitate validè contrahitur matrimonium, & poteſt licitè conſummari, ergo ſic diſpenſatus ceſſante illa neceſſitate non indiget vlteriori diſpenſatione, adeoque pro eadem non debet ſe coram Pontifice ex neceſſitate præſentare. Antecedens patet, quia ſecus fruſtratoria, & inefficax eſſet illa Epiſcopi diſpenſatio. Conſequentia probatur, quia illud matrimonium ſic contractum, & conſummatum eſt omni iure humano indiſſolubile, quia iam repræſentat illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam; quod autem indiſſolubiliter contractum eſt, nec poteſt amplius diſſolui, non indiget diſpenſatione, vt ſubſiſtat.

Matrimoniũ ſic conſummatũ eſt omni lege indiſſolubile.

Secundò, quia poſita aliqua diſpenſatione ex cauſa ceſſante adhuc cauſa diſpenſationis non ceſſat diſpenſatio *Pontius de matrimon. lib. 8. cap. 20. num. 4. Salas de Legibus diſp. 20. ſect. 5. num. 64. & ſeq. Granado in part. 2. controuerſ. 7. tract. 3. part. 2. diſp. 17. ſect. 4. num. 36. Gutierez can. qq. lib. 2. cap. 15. num. 30. & de matrimon. cap. 126. num. 2. Emanuel Sà verb. Gratia nu. 6. Diana part. 1. tract. 10. reſol. 41.*, quia per illam diſpenſationem vere relaxata eſt illa obligatio, ſeù ablata inhabilitas, quam habebant contrahentes ad contrahendum inter ſe, ergo etiam poſita diſpenſatione per Epiſcopum vrgente neceſſitate non ceſſabit quoad ſuum effectum illa diſpenſatio, quantumuis poſtea ceſſet illa neceſſitas, quandoquidem per illam diſpenſationem illa inhabilitas ſimpliciter ſublata eſt, & contractus inſolubiliter initus.

Per diſpenſationem inhabilitas ſimpliciter ſublata

Tertiò, quia vrgente caſu neceſſitatis, ratione cuius irretitus culpa Romano Pontifici reſeruata non poſſit eundem adire, ſi abſoluatur à proprio Epiſcopo, non tenetur ceſſante neceſſitate ſe ſiſtere Romano Pontifici pro noua abſolutione, ſi eidem culpæ non fuerit annexa excommunicatio, vt præter allegatos DD. in reſponſione docent *Sanchez de cenſuris cap. 13. num. 24. Coninchus diſp. 8. dub. 2. n. 16. verſ. nota ſecundo, Alterius tom. 1. de cenſuris lib. 1. diſp. 6. cap. 7. Laiman. lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 6. nu. 4. Bonacina de cenſuris diſp. 1. q. 3 punct. 3. nu. 19. Ioannes Angelus Boſſius in diſcept. moral. diſcept. 1. num. 161.* non alia ratione, niſi quia peccatum iam ablatum eſt, ergo etiam &c. quia per illam diſpenſationem ſublatum intelligitur impedimentum.

Paritate etiam cum ſitur.

Circa rationem dubitandi in principio propoſitam diſputant hic DD. in inquirendo rationem, cur in caſu neceſsitatis, ſeù impedimenti, ſi quis fuerit ab inferiori abſolutus ab excommunicatione, teneatur ceſſante neceſsitate, ſeù impedimento ſe præſentare coram legitimo ſuperiore, ſi vero in eodem caſu abſoluatur à caſu reſeruato ſuperiori eximatur ab onere ſe præſentandi coram eodem ſuperiore: Rationes varias aſſignat talis diuerſitatis ex mente diuerſorum DD. *Ioannes Angelus Boſſius in diſcept. moralib. diſcept. 1. num. 160. & 161.*, quem tu conſule. Nobis hæc vna ſufficiat, quæ maximè tendit ad rem præſentem, nempe ad aſſignandum accommodum diſcrimen inter abſolutionem à cenſura factam ab inferiori in caſu neceſſitatis, & impedimenti, & diſpenſationem ſuper impedimento matrimonij factam ab eodem inferiori, quando aditus non patebat ad ſuperiorem, cui de iure competebat diſpenſatio; Excommunicatio igitur eſt pæna Eccleſiaſtica pertinens ad forum exterius, quam propterea poteſt Eccleſia in ſtatu grauis neceſsitatis eodem perſeuerante remittere per abſolutionem Epiſcopi, & nolle remittere ceſſante illa neceſſitate, niſi reus ſe ſiſtat coram legitimo ſuperiore, ab eoque cum abſolutione recipiat ſalutarem pænam; Peccatum autem non eſt pæna, ſed priuatio coram Deo, cuius propterea remiſſio fit purè in foro interiori, & pænitentiæ, & coram Deo, qua propterea ſemel poſita, cum abſolutus ſit coram Deo iuſtificatus non eſt, cur ſine noua culpa eadem debeat iterum infici, ratione cuius indigeat noua abſolutione, ſicque Eccleſia ratione talis diuerſitatis conſueuit cenſuras pro tempore neceſſitatis remittere ſtante ordinarij abſolutione, & non remittere ceſſante tali neceſſitate; non autem conſueuit remittere peccata reſeruata pro tempore neceſſitatis, & non remittere eadem ceſſante. In particulari autem quoad diſpenſationem factam ab Epiſcopo ſuper impedimento matrimonij pro tempore neceſſitatis ſpecialis eſt ratio, quod tranſacta neceſſitate non reuiuiſcat in diſpenſato obligatio ſe iterum præſentandi pro eadem diſpenſatione coram Pontifice, & fundatur in indiſſolubilitate contractus, dum etenim diſpenſatio per Epiſcopum inducta ſatis eſt, vt validè contrahatur matrimonium, ſatis eſt, vt non poſſit diſſolui, cum legitimè contractum, & conſummatum nulla humana poteſtate poſſit diſſolui, ſicque non indiget vlteriori approbatione, ſeù diſpenſatione.

4

Cur abſolutus in caſu neceſſitatis ab excõmunicatione per inferiorem teneatur ceſſante neceſſitate ſe præſentare ſuperiori; diſpenſatus vero in caſu neceſſitatis ab inferiori nõ teneatur ceſſante neceſſitate ſe ſuperiori præſentare.

§. XXXVII.

Digitized by Google

## §. XXXVII.

An contracto matrimonio per vtrumque contrahentem bona fide, ſi alteri coniugi ſuperueniat dubium de valore eiuſdem poſſit iſte petere, & reddere debitum altero permanente in bona fide.

*Factum expoſitum in terminis particularibus.* 1.
*Dubium duplex alterum practicum, alterum ſpeculatiuum, & quid vtrumq;* 2.
*Rurſus aliud ſuſpenſiuum, aliud mere opinatiuum.* 3.
*Contracto matrimonio bona fide per vtrumq; ſi alteri ſuperuenerit dubium ſpeculatiuum non impeditur petere, & reddere debitum.* 4.
*Intellige ſi dubitans in ordine ad petendum adhiberit congruam diligentiam.* 5.
*Si poſt contractum bona fide matrimonium vtriq; ſuperueniat dubium neuter conſcius dubij alterius ante adhibitam diligentiam tenetur reddere.* 6.
*Si reſpectu vtriuſq; vel alterius ſuperuenerit dubium practicum eodem perſeuerante neuter poteſt vti coniugio.* 7.
*Si dubium fuerit opinatiuum, & contrahentes inclinauerint in partem, quod matrimoniū ſubſiſtat, poſſunt licitè petere.* 8.

1 *Factum ex poſitū in terminis particularibus.*

DISQVISITIO XXXVII. Contraxerunt matrimonium Seius, & Caia per verba de præſenti, ſeruatiſque omnibus iuris ſolemnitatibus, eodem forte etiam iam conſummato ſuperuenit Caiæ dubium de ipſius validitate. Quæſitum fuit, an ſtante illo dubio, & perſeuerante poſſet licitè eadem Caia petere, & reddere debitum coniugale.

2 *Dubiū duplex alterum practicum, alterum ſpeculatiuum.*

Vt clarius hac in re procedamus recolenda ſunt, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractib. vt ſic prænot. 2. num. 13.* nempe dubium duplex quodamodo eſſe, alterum practicum, alterum ſpeculatiuum. Dubium ſpeculatiuum explicat *Caietanus opuſc. 17. reſponſ. reſponſ. 13. dub. 7 & in primam ſecundæ D. Thomæ q. 57. art. 5. ad tertium*, per hoc ſit actus intellectus inter duo extrema poſitus anceps, cui parti inclinet, nec potius tendens in vnam, quam in alteram partem, prout tamen verſatur circa obiectum in communi. Practicum vero eſt ſimilis actus anceps, in quam partem tendit, verſetur tamen circa obiectum in particulari, vt qualificatum talibus, vel talibus circumſtantijs; quid idem innuiſſe videtur *Nauarrus cap. ſi quis autem de pænitentia diſt. 7. num 61. & in ſumma prælud. 9. num. 9.* vbi dicit dubium ſpeculatiuum in generali, dubium practicum in particulari. Porro dubium adhuc duplex eſſe poteſt alterum merè ſuſpenſiuum, alterum opinatiuum; primum eſt, quod ita pro vtraque parte inclinat, vt intellectus nulli parti poſitiuè adhæreat. Secundum eſt, quando intellectus ex aliquibus rationibus pro vna parte militantibus eidem probabiliter cohæret. His pro notitia ſuppoſitis

3 *Aliud ſuſpenſiuum, aliud merè opinatiuum.*

Reſpondeo primò, ſi matrimonium fuerit ex parte vtriuſque bona fide initum, & alteri tantum poſtea ſuperuenerit dubium ſpeculatiuum poteſt licitè debitum petere, & reddere *Medina C. de reſtitut. qu 17. §. aliter tamen videtur, Sotus in 4. diſt. 27. qu. 1 art. 3. verſ. immo verò, & lib. 4 de iuſtit. q. 5 art. vlt. ad finem verſ dum vero coniugatus, VeraCrux prima pars ſpeculi art 42. concl. 3., & 3. part. art. 18. concl 5. Henriquez lib 11 de matrimon. cap. 6. num. 5. Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. in ſecunda edit. c. 297. §. ſed ſi inquiras, & ſecunda part. de matrim cap. 39.* Intellige tamen, ſi dubitans, in ordine ad petendum, adhibuerit congruam diligentiam. Ratio ex eo deducitur primò, quia ex vna parte, cum contraxerit cum bona fide iam conſtitutus eſt in legitima poſſeſſione, qua non eſt priuandus propter dubietatem ſuperuenientem, eo quia melior eſt conditio poſſidentis, nec illud dubium ſuperueniens pugnat cum bona fide præcedenti, vnde iure merito dici poteſt perſeuerantem in poſſeſſione, quam acquiſiuit bona fide accedente dubietate, quamuis non habeat bonam fidem ſpeculatiuè, habere bonam fidem practicè, propter fundamentum iuris, quod poſſeſſor in dubio ſit in poſſeſſione manutenendus. Propter hanc eandem rationem dixerunt etiam *Thomas Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 6 num. 18. Ioannes Sancius in ſelectis diſp 43. num. 44. Franciſcus Bardi de conſcientia diſcept. 6. cap 11 part. 7. §. 11. num. 6. Franciſcus de Lugo de conſcient. part. prima qu. 31. num 180.*, quod etiam dubitans ante contractum matrimonium poſſit valide contrahere, eo quia libertas, & quodammodo poſſeſſio ſtat pro dubitante, quod tamen non ita certum aſſererem; ſicuti arbitrantur huiuſmodi DD. quandoquidem tunc poſſeſſio matrimonij non inciperet cum bona fide.

4 *Contracto matrimonio bona fide, ſi alteri ſuperueniat dubiū ſpeculatiuum poteſt hic licitè debitum petere, & reddere.*

*Conſtitutus eſt in legitima poſſeſſione.*

Ratio poteſt eſſe ſecundò, quia in hac hypotheſi dubitans eſt conſtitutus inter duo oppoſita, quorum alterum tenetur eligere, & vtrumque præfert ſpeciem mali, nam ſi decernat debitum non præſtare facit contra matrimonij fidem, quod eſſet iniuſtitia, ſi alter eſſet verus coniux, præſtando autem debitum exponitur periculo fornicandi, ſi non eſſet verus con-

iux; occurrentibus autem duobus præceptis, ſeù malis minus eſt eligendum per textum *in cap. duo mala 13. Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 9.* maius autem videtur malum denegare debitum, quod eſt contra iuſtitiam, quam reddere ſtante tali dubio, cum hoc poſſit cohoneſtari per bonam fidem præcedentem.

5 Dixi, *intellige tamen, ſi dubitans, in ordine ad petendum, adhibuerit prauiam congruam diligentiam*; nam quantumuis poſſidens, ſeù qui incipit poſſidere bona fide poſſit in poſſeſſione permanere, tenetur inquirere ſuper dubio, & interim abſtinere ab vſu *Medina C de reſtit. qu. 10. col. 6. verſ. dico ſecundo, Coaruuias reg. peccatum tertia parte in init. num. 4. VeraCrux tertia part. ſpecul art. 13. in fin. Bannes in ſecundâ ſecundæ D. Thomæ qu. 62. art. 6. dub. 5 concl. 4., & 5. Salonius ibid. art 6. controu. 4 in ratione 4. concl*, non enim æquum eſt, vt quaſi cæcus aquieſcat, & deſinat inquirere veritatem, ſi poſſit eam adinuenire; qua poſita diligenti inquiſitione, & non conſtante de aliquo impedimento non video, cur non poſſit permanere in coniugio, illoque vti tam reddendo, quam petendo. Neque obeſſe poteſt textus *in c. dominus de ſecundis nuptijs, & c. inquiſitioni de ſent. excommun.*, vbi dicitur dubitans de matrimonij valore bona fide initi non poſſe petere, teneri tamen reddere; Non, inquam, obeſſe poteſt, nam allegati textus procedunt, quando non eſt adhibita congrua, & conueniens diligentia, & quamuis hæc explicatio ibi non adhibeatur, ratio tamen ſuadet adhibendam eſſe, ne bonæ fidei poſſeſſor cogatur, ob dubium inuincibile rei ſuę vſu in perpetuum carere.

*Intellige ſi dubitans in ordine ad petendum adhibuerit congruam diligentiã.*

6 Reſpondeo ſecundo, ſi matrimonium fuerit ex parte vtriuſque bona fide initum, & reſpectu vtriuſque ſuperuenerit dubium, ante adhibitam congruam diligentiam neuter conſcius dubij etiam in altero exiſtentis tenetur reddere, ſecus autem poſt adhibitam congruam diligentiam. *Sanchez lib. 3. de matrimon disp 41. num 55., & 56.* Ratio primæ partis deducitur ex ſuperius dictis, quia quantumuis per contractum bona fide vterque ex contrahentibus acquiſierit poſſeſſionem in corpus alterius ſuperueniente tamen dubietate de valore eiuſdem non poteſt alter eorum vti corpore alterius per coniugalem copulam, nec poſſeſſio in dubio confert ius vtendi re poſſeſſa ante debitum examen, an res illa ſit ſua, vel aliena. Ratio ſecundæ partis eſt, quia poſt adhibitam congruam diligentiam, & præſtitum debitum examen ſuper dubio æquum non eſt, vt quis priuetur vſu iuris ſui, quod bona fide acquiſiuit, quando ex illo examine, & diligentia nil aduerſum reſultat, quinimo penes ſuperfluum foret tale examen & talis diligentia ſi poſt eandem, non poſſet poſſidens, vti re poſſeſſa.

*Si vtriq; ſuperuenerit dubiũ ante adhibitã congruã diligentiã neuter cõſcius dubij alterius tenetur reddere.*

Reſpondeo tertio ſi vterque bona fide contraxerit, & deinde, vel reſpectu vtriuſque, vel reſpectu alterius ſuperuenerit dubium practicum eodem dubio perſeuerante neuter poteſt vti coniugio. Expreſſe ſic docet *Sanchez de matrimon. lib. 2. disp. 41. num. 6.* Ratio ex eo deſumitur, quia dubium practicum non compatitur cum bona fide *Silueſter verb. dubium q. 2. §. 4. Nauarrus c. ſi quis autem de pænit. diſt. 7. nu. 42. Corduba lib. 2. quæſtionarij q. 3. prop 3.* vnde qui practicè dubitat, ſe exponit periculo peccati; amans autem periculum peribit in illo iuxta verba *Eccleſiaſtici 3.*, vnde cum dicitur *in c. iuuenis de ſponſalib., & c. ad audientiam. & c. penult. de homicid., & c. ſi quis autem de pænit. diſt. 7.*, quod in dubijs amplectendum eſt id, quod eſt tutius, id debet intelligi de dubio practico, prout notauit *Nauarrus in d. c. ſi quis autem*. 7

*Si reſpectu vtriuſq; vel alterius ſuperuenerit dubiũ practicum neuter perſeuerante eodem dubio poteſt vti coniugio.*

Reſpondeo quarto, ſi dubium fuerit totum opinatiuum, & contrahentes inclinauerint in partem, quod matrimonium ſubſiſtat, poſſunt valide, & licite petere debitum *D. Antoninus ſecunda part. tit. 3. c 10 §. 10. col 7. verſ. pro cuius enodatione Angelus verb. opinio num. 2., & ibi Silueſter q. 1. in fin. Gutierez qq canon lib 1. c. 31 num. 41. Nauarrus c. conſideres in princip. de pænit. diſt. 5 num. 38.* Ratio ex eo deducitur, quia cum ſic contrahentes habeant rationes valde probabiles, & inclinantes ad valorem matrimonij operantur iuxta dictamen rectæ rationis agentes ad normam illarum, præcipuè in cauſis matrimonialibus, poſtquam fuerint legitimè initæ, cum iſtæ ſint maximè fauorabiles, & in dubijs ſit pro eiſdem præſumendum. 8

*Si dubium fuerit opinatiuum, & contrahentes inclinauerint in partem, quod matrimonium ſubſiſtat poſſunt licite petere.*

---

## §. XXXVIII.

### An in dubio impedimenti dirimentis Epiſcopus poſſit ſuper illo legitimè diſpenſare.

*SVMMARIVM.*

*Dubium expoſitum, & conſiderationes circa ipſum.* 1.

*Si dubium ortum fuerit, & fuerit mere ſpeculatiuum poſt adhibitam diligentiam poteſt contrahi matrimonium etiam ſine auctoritate Epiſcopi diſpenſantis.* 2.

*Si dubium illud eſſet practicum, & præſumptio potius vrgeret pro impedimento probabilius Epiſcopus non poſſet diſpenſare.* 3.

Ipſo

*Inito matrimonio bona fide, & ſuperueniente in altero dubio ſpeculatiuo poteſt poſt diligentiam permanere in coniugio ſine recurſu ad Epiſcopum, ſecus ſuperueniente dubio practico.* 4.

1 Dubium expoſitũ, & conſiderationes circa ipsũ.

DISQVISITIO XXXVIII. Exorto dubio ſuper matrimonio Octauij, & Demetriæ, an eidem ſubeſſet impedimentum dirimens, cumque præſtito congruo examine de illo clarius non conſtaret, dubitatum fuit, an contrahentes ſaltem in ea hypotheſi tenerentur confugere ad Epiſcopum, & an Epiſcopus poſſet tunc diſpenſare ſuper illo impedimento.

Controuerſia poteſt excitari, vel quando dubium exortum eſt ante celebrationem matrimonij, ſeu quando illud celebrari intenditur, vel quando iam bona fide celebratum eſt, & poſtea illud dubium ſubſequitur.

2 Si dubium fuerit ortũ ante matrimoniũ, & merè ſpeculatiuum poſt dil gẽtiã cõgruã poteſt iniri matrimonium.

Reſpondeo primo, ſi dubium exortum fuerit ante contractum matrimonium, & fuerit mere ſpeculatiuum poſt adhibitam congruam diligentiam poſſunt contrahentes valide, & licite contrahere etiam ſine auctoritate Epiſcopi diſpenſantis. In hanc exiſtimo conſentire *Ioannem Santium in ſelectis diſp. 43. num. 44. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 6. num. 18. Franciſcum Bardi de conſcientia diſcept. 6. c. 11. §. 7. §. 11. nu. 6. Franciſcum de Lugo de conſcient. part. pr. q. 31. num* 180. *Dianam part. 10. tract. 15. reſol. 7.*, qui omnes aſſerunt in dubio poſſe liberè contrahere; non contraherent autem liberè, ſi indigerent Epiſcopi diſpenſatione. Ratio ex eo deducitur, quia adhibita debita, & congrua diligentia in hoc dubio præſumptio ſtat pro libertate ad contrahendum, cum vnuſquiſque habilis reputetur, niſi expresſè conſtet de contrario.

Poteſt Epiſcopus ad vberiorem declarare non eſſe opus diſpẽſatione.

Non negauerim tamen, quod in ea hypotheſi, ſi ad vberiorem cautelam recurſus haberetur ad Epiſcopum, poſſet hic gratia tollendi ſcandali declarare non eſſe opus diſpenſatione, & ſic tutiori animo, & pacatiori conſcientia poſſent contrahentes inire matrimonium, quia talis declaratio multum confert ad deponendum dubium; non tamen in rigore dici poſſet tunc diſpenſare, nam ſi ſubſequenter innoteſceret de impedimento, adhuc contrahentes indigerent Pontificis diſpenſatione.

3 Si dubium eſſet practicum, & potius vrgeret pro impedimento probabilius nõ poſſet Epiſcopus diſpenſare.

Reſpondeo ſecundo, ſi dubium illud eſſet practicum, & præſumptio potius vrgeret pro impedimento, tunc probabilius Epiſcopus non poſſet diſpenſare ſuper illo impedimento dubio. Hanc etiam ſuſtinet idem *Sanchez d. lib. 8. diſp. 6. num.* 18. Ratio eſt, quia contrahentes cum illo dubio practico, & vehementiori præſumptione pro impedimento non poſſunt legitimè contrahere per ſuperius probata, ergo nec Epiſcopus ſtante illo dubio practico cum præſumptione pro impedimento dirimente poterit valide diſpenſare. Conſequentia tenet, quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare circa impedimenta dirimentia, ratione quorum matrimonium non poteſt contrahi, niſi extet vrgentiſſima neceſſitas, ergo ſi ſtante illo impedimento contrahentes nõ poſſunt contrahere, nec Epiſcopus poterit ſuper illo valide diſpenſare.

4 Inito matrimonio bona fide, & ſuperueniente dubio mere ſpeculatiuo poſſunt poſt diligẽtiam permanere in coniugio ſecus ſi dubium practicum ſuperuenerit.

Reſpondeo tertio, ſi matrimonium fuerit initum bona fide, poſtea ſuperuenerit dubium ſpeculatiuum impedimenti dirimentis poſt præſtitam debitam diligentiam poteſt dubitans permanere in coniugio, nec tenetur ad Epiſcopum recurrere pro diſpenſatione, poteſt tamen ad vberiorem cautelam exigere ab eodem Epiſcopo declarationem, quod matrimonium illud non exigat, ſeu indigeat diſpenſatione, ſi vero ſuperuenit dubium practicum, & præſumptiones vrgeant pro impedimento, non poteſt Epiſcopus ſuper illo diſpenſare, ſed recurrendum eſt pro diſpenſatione ad Romanũ Pontificem. Conſonat cum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, nec vlteriori indiget probationes, cum eædem militant rationes.

---

## §. XXXIX.

### An Parochus notorius fornicator validè aſſiſtat matrimonio.

*SVMMARIVM*

*Factum expoſitum, & conſiderationes circa ipſum.* 1.
*Si non fuerit in iuditio condemnatus, nec confeſſus valide aſſiſteret matrimonio.* 2.
*Per notorietatem extraiudicialem non priuatur beneficio.* 3.
*Non valet argumentum à publico Clerici percuſſore, & quare.* 4.

1 Factum expoſitum, & conſiderationes circa ipſum.

DISQVISITIO XXXIX. Ad aſſiſtendum matrimonio requiritur ex ſuperius dictis, vel Parochus, vel alius ſacerdos ab ipſo, vel ab ordinario deputatus. Hoc ſuppoſito ſi Parochus fuerit publicus fornicator videtur carere iure Parochię, ex quo deſumitur motiuum dubitandi, an ſi matrimonijs aſſiſtat, valide aſſiſtat.

Vt clarius hoc in re procedamus, aduertendum eſt, an ille Parochus de illo crimine fuerit in iudicio condemnatus, vel confeſſus, an vero nullo inchoato, nec perfecto iudicio tantum coram populo notorius, quantumvis nulla tragiuerſatione

 poſſit

Digitized by Google

poſſit cælari. Qua ſuppoſita animaduerſione.

2 Si non fuerit in iudicio condemnatus, nec confeſſus validè aſſiſtit.

Reſpondeo, ſi non fuerit in iudicio condemnatus, nec confeſſus validè aſſiſtere matrimonio *Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. n. 91., & de Parochis c. 21. n. 54 Baſilius Pontius lib. 5. c. 17. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 4. n. 95.* Expreſsè colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij per illa verba *Valet matrimonium contractum coram notorio fornicatore non tamen in iudicio condemnato, vel confeſſo*, hancque declarationem referunt *Bellarminus ad d. cap. 1. Tridentini ſeſſ. 24. de reform. matrimon. Rebellius poſt lib. 4. in append. n. 36.*, & vlterius euincitur per illas omnes rationes, quibus ſuperius probatum eſt Parochum, quantumvis excommunicatum publicè denuntiatum, ſuſpenſum, & irregularem poſſe validè aſſiſtere.

3 Per notorietatem extraiudicialem nō priuatur beneficio.

Ratio fundamentalis horum omnium ea eſt, quià per notorietatem illius criminis præcisè fornicator non priuatur ipſo iure beneficio, quamvis ex diſpoſitione iuris ſit puniendus priuatione, ergò adhuc gaudet poſſeſſione illius, eſtque verus Parochus, qui propterea poteſt valide aſſiſtere.

Dices, quantumvis excommunicatus non ſit ipſo iure vitandus, niſi fuerit publicè denuntiatus, ſi tamen ſit notoriè talis eſt abſolutè vitandus ipſo iure, vt videre eſt in notorio clerici percuſſore, ergò etiam quantumvis Parochus fornicarius non ſit ipſo iure priuatus beneficio, ſed priuandus, ſi tamen ſit notoriè talis, erit ipſo iure priuatus. Ratio autem, tàm aſſumpti, quam conſequentiæ ex eo deducitur, quià intantum requiritur denuntiatio, ſeù declaratio in iudicio, in quantum per illam denuntiationem, ſeù declarationem delictum ſit notum, cui poſtea annectitur illa pæna, ergò cum iam intelligatur illud delictum publicum, & notorium non erit, cur non intelligatur illa pæna iuris immediatè, & ipſo iure ſubſequi. Sed contra, quià pænalia etiam ex paritate rationis non ſunt extendenda. Licet igitur ex notorietate percuſſionis clerici ex diſpoſitione iuris ſit eidem annexa pæna, vt percuſſor ſit ipſo iure vitandus abſque alia declaratione, non propterea ex hoc poteſt inferri, quod ex notorietate aliorum delictorum pænæ iuris immediate ſequantur, cum ſolummodo ex diſpoſitione eiuſdem iuris afficiant delinquentem, quando eſt declaratus, & per ſententiam ſubiectus eiſdem pænis.

4 Non valet argumentū à publico clerici percuſſore, & quare.

Dices ſecundo, ex eo præcisè, quod fuerit in iudicio condemnatus, vel confeſſus notorius Parochus fornicator intelligitur priuatus beneficio, nec poteſt amplius validè aſſiſtere, quantumvis non fuerit ſecuta ſententia priuationis, vt colligi videtur ex allegata Sacræ Congregationis declaratione Ibi *non tamen in iudicio condemnato, ſeù confeſſo*, vbi expreſsè euincitur, quod ſi fuerit confeſſus, vel in iudicio condemnatus non poſſit validè aſſiſtere, & tamen ibi non dicitur priuatus beneficio, quod non alia ratione inductum exiſtimo, niſi quià poſita confeſſione, vel condemnatione delinquentis immediate ſubſequatur pæna priuationis; notorietas autem delicti æquiualet confeſſioni, & condemnationi, cui proinde eadem priuatio debet etiam ſubſequi. Sed contrà dicendum eſt, quod ideo Sacra Congregatio dixerit non poſſe Parochum publicum, & notorium fornicatorem condemnatum in iudicio, vel confeſſum aſſiſtere validè matrimonio, quià ſupponit condemnationem iuxta pænas iuris, ſecundum quas eſt priuatio, quod ſi ſubdatur illa particula ſub diſiuncto, *vel, ſeu confeſſo* non ſupponitur confeſſio ſimplex, ſed cum additamento pænæ debitæ crimini confeſſo, qua ratione eidem non æquivalet ſimplex notorietas, maxime cum hæc poſſit facili tragiuerſatione cælari, & hæc ſecundum ſe ex diſpoſitione iuris non trahat ſecum priuationem beneficij ipſo iure, quantumvis ex delicto illa poſtea poſſit, & debeat ſequi priuatio.

Supponitur condemnatio iuxta pænas iuris.

---

## §. XL.

### An Parochus Diaconus non promotus intra annum ad ſacerdotium, ſi poſteà eodem elapſo aſſiſtat matrimonio, valide aſſiſtat.

*SVMMARIVM.*

*Status diſquiſitionis expoſitus.* 1.
*Quamvis non fuerit promotus poſt annum aſſiſtentia valida eſt, & matrimonium ſubſiſtit.* 2.
*In controuerſia opinionum, an ille ſit legitimus miniſter tenet matrimonium coram illo initum.* 3.

Disqvisitio XL. In iure ſtatutum eſt, quod ſi Parochus non promoueatur intra annum à die accepti beneficij ad ordinem Præsbiteratus ſit ipſo iure priuatus beneficio. Hoc ſuppoſito Parochus elapſo termino anni à lege ſtatuti, & non promotus ad Sacerdotium adſtitit matrimonio. Quæſitum fuit, an illa aſſiſtentia fuerit valida, & matrimonium illud ſubſiſteret. 1 Status diſquiſitionis expoſitus.

Reſ-

2 *Quamvis non fuerit promotus poſt annū aſſiſtentia valida eſt, & matrimonium subſiſtit.*

Respondeo, & aſſiſtentiam validam eſſe, & matrimonium ſubſtere *Gutierez de matrim. c. 62. n. 17. Sanchez lib. 3. diſp. 22. n. 62. Fillintius tom. 1. tract. 10. c. 6. nu. 207. Henriquez lib. 11. cap. 3. §. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 4. num. 99.* Expreſsè colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij ſub die 12. Martij 1593., quam refert *Auguſtinus Barboſa in collect. bullarij verbo matrimonium*. Rationem communiter deducunt DD., quia quantumvis ſic non promotus ſit ipſo iure priuatus titulo, non intelligitur tamen priuatus poſſeſſione, & interim præſumitur habere iuſtam cauſam retinendi *c. licet Episcopus de prabend. in 6.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, hunc non habere titulum coloratum cum errore communi, quandoquidem cum vulgatiſſima ſit lex, quod Parochus, ſi non fuerit ſacerdos debeat promoueri intra annum ad ſacerdotium ſub pæna amiſſionis beneficij, ſupponitur eſſe notoria priuatio beneficij; cum notorietate autem priuationis non poteſt compati error communis; Non, inquam obeſſe poteſt, quia cum non conſtet de actuali priuatione per declarationem, & cum ſic non promotus perſeueret in officio videtur ex iure ſibi competente perſeuerare, & præſumptio ſtat pro eodem, quæ fundat ſufficienter titulum coloratum cum errore communi. Deinde priuatio tituli, quantumuis ſit ipſo iure non importat tamen ſecundum ſe priuationem, ſeù ſpoliationem poſſeſſionis ipſo iure, vnde priuatus poteſt in eadem perſeuerare, donec actu per ſententiam deponatur, & eadem ſpolietur.

*Nō eſt priuatus poſſeſſione.*

Confirmatur paritate matrimonij contracti coram Presbitero, qui ſe Parochum reputabat ex vicinitatis cauſa, quod Sacra Congregatio Concilij validum declarauit apud *Bellarminum ad d. cap. 1. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon. in declarationibus*, ergo etiam erit validum matrimonium, quod quis contraxit coram Parocho Diacono, qui ante, ſeù intra annum non promotus eſt ad ſacerdotium, & poſtea eidem matrimonio adſtitit.

*Paritate conuincitur.*

3 *In controuerſia opinionum, an ille ſit legitimus tenet matrimonium coram illo initum.*

Hic ſuboritur difficultas, an, ſi in hypotheſi reſponſionis oriatur diuerſitas opinionum, an ille Parochus, qui intra annum promotus non eſt ad Sacerdotium ſit legitimus miniſter, ſeù legitimè aſſiſtat matrimonio, teneat matrimonium coram illo contractum, ſi ſit probabilis opinio aſſerentium illud tenere. Sentiendum eſt affirmatiuè. Ita in ſimilibus terminis *Henriquez lib. 5. de panit. cap. 14. num. 4.*, & in ſpecie *Sanchez lib. 3. diſp. 22. num. 65.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte ille habet titulum à legitimo Superiore, & ex alia illa probabilis opinio, quid magis conſtituit, quam errorem communem, & defectum iuriſdictionis, ſi verè adeſſet tunc ſuppleret ius humanum fundatum in illa probabili opinione.

---

## §. XLI.

An Parochus poſſit coniungere matrimonio eum, qui prius confeſſus eſt impedimentum, & poſteà illud negauit.

### SVMMARIVM.

*Proponitur caſus, idemque exponitur.* 1.
*Sententia aſſerens debere eos coniungere.* 2.
*Probabilius non poteſt eos coniungere.* 3.

DISQVISITIO XLI. Caius viuente propria vxore cognouit concubinam cum promiſſione matrimonii; cumque mortua vxore iuxta promiſſionem contrahere intenderet ſecundas nuptias cum eadem concubina promiſſaria Parocho interroganti confeſſus eſt promiſſionem matrimonij vna cum adulterio interueniſſe, cumque Parochus aſſereret adeſſe impedimentum dirimens per textum *in cap. ſignificaſti de eo, qui duxit vxorem*, ratione cuius non poteſt cum illa contrahere confeſſionem reuocauit negans fidem matrimonij datam. Hic orta fuit controuerſia, an in ea hypotheſi confeſſionis præcedentis, & ſubſequentis retractationis poſſet Parochus eundem Caium cum concubina coniungere.

1 *Proponitur caſus, idemque exponitur.*

Phyliarchus *de offic. ſacerd. tom. 1 part. 2. lib. 4. cap. 22. § confeſſores etiam* abſolutè aſſerit Parochum eos debere coniungere, quia Eccleſia non iudicat de occultis, & pro probatione aſſerit, quod ſacra Pænitentiaria ſub hoc caſu conſulta reſponderit eos eſſe coniungendos. Nihilominus

2 *Sententia aſſerens debere eos cōiungere.*

Reſpondeo probabilius eſſe Parochum non poſſe eos coniungere *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 5. num. 6.* Ratio ex eo deducitur primo, quia vbi eſt probabilis coniectura de impedimento dirimente res eſt deferenda ad ordinarium, vt de illo cognoſcat per textum *in cap. fin. de clandeſt. deſp.* vbi ſic legitur *Cum autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam contractus interdicatur expreſſè donec quid fieri debeat ſuper eo manifeſtis conſtiterit documentis*, vbi per ly *conſtiterit* importatur iudicialis poteſtas per textum *in cap. exhibita de iudicijs*, *Maſcardus de probation. concl. 75. num. 20.*, iudicialis autem poteſtas non reſidet in Parocho, ſicque res deferenda eſt ad ordinarium, ergo à fortiori ad eundem res deferenda eſt, quando impe-

3 *Probabilius non poteſt eos cōiungere.*

*Requiritur iudicialis poteſtas.*

Digitized by Google

impedimentum conſtat ex confeſſione partis, quantumuis poſtea hic eandem confeſſionem retractet, quia retractanti non eſt credendum per textum *in cap. suas de probat. & l. generaliter 13. C. de non num. pecun.* præcipuè cum negatio, ſeù retractatio poſt confeſſionem cedit in fauorem denegantis, ſeù retractantis. Secundo ex eo deduci poteſt, quia nulla certior, & melior eſt probatio contra confitentem, quam ea, quæ procedit ex proprio ore eiuſdem, donec conſtet de contrario per textum *in d. l. generaliter de non numerat. pecun. Menochius de præſumpt. lib. 3. præſump. 130. num. 10.*

Dices, contrarium conſtare ex retractatione eiuſdem, qui prius confeſſus fuerat, nec fortior probatio requiritur ad inducendam credulitatem pro retractatione, ac requiratur pro aſſertione, quandoquidem ex vulgatis iuribus per eas cauſas, per quas quid ſtringitur etiam diſſoluitur. Sed contra, quia potius creditur dicenti contra ſe, quam pro ſe, quia nemo poteſt eſſe teſtis in ſui fauorem, ſicuti nec iudex, cum amor proprius inducat præſumptionem vehementem, & efficacem falſitatis, & mendacij in ijs, quæ ſunt in fauorem confitentis, non autem, quæ ſunt in ipſius odium, cum nemo contra ſe ipſum falſa, & noxia ſupponatur aſſerere; vnde ad illud, quod ſubditur, quod ſcilicet ex eiſdem cauſis, quibus nexus ponitur diſſoluatur, dicendum eſt verificari, quando pro nexu, & diſſolutione eædem militant rationes, ſecus quãdo fortiores præſumptiones pro nexu, quæ non militant pro ſolutione eiuſdem.

Potius creditur dicenti contra ſe, quam pro ſe.

Dices ſecundo, cum tam confeſſio impedimenti, quam retractatio eiuſdem confeſſionis ab eodem dependeat ſaltem res conſtituitur, ſeu veritas occulta, ſicque cum Eccleſia non iudicet de occultis non poteſt matrimonium illud ineundum impedire, & per conſequens tenebitur Parochus illos coniugere. Sed contra, quia ad impediendum matrimonium non requiritur notorietas impedimenti, ſed ſufficit, vt quoquo modo innoteſcat Eccleſiæ etiam per vnum dumtaxat teſtem, cum agatur de peccato vitando, & cum idem contra ſe ipſum etiam in iudicio admittatur, ſeu acceptetur ipſius dictũ tanquam probatiuum, non eſt, cur illud non tribuat Eccleſiæ ſufficiens fundamentum impediendi, donec aliter de veritate conſtet. Deinde illa contrarietas aſſertionum ab eodem circa idem ad ſummum inducit dubium, quod habet potius præſumptiones pro exiſtentia impedimenti, quam pro negatione eiuſdem, cum eiuſdem contra ſe ipſum admittatur dictum; in dublo autem impedimenti maximè quando apparet probabilis coniectura exiſtentiæ eiuſdem, ſuſpendendum eſt matrimonium, donec plenè per ordinarium cognoſcatur ſuper illo impedimento, vt euincitur ex alleg. textu *in d. c. fin. de clandeſt. deſponſ.* cum hoc regulare ſit in quocunque dubio rationabili contingenti in hac materia, maximè cum cognitio ordinetur ad peccatum vitandum.

Ad impediendũ nõ requiritur notorietas impedimẽti.

---

## §. XLII.

### Quomodo ſe gerere debeat Parochus, qui nouit inter contrahentes adeſſe impedimentum, qui illud negant, & petunt aſſiſtentiam.

*SVMMARIVM.*

*Dubium expoſitum, & articuli circa ipſum examinandi.* 1.

*Parocho opponente impedimentum, & contrahentibus illud negantibus deferenda res eſt ad ordinarium.* 2.

*Parochus in ea hypotheſi debet denegare aſſiſtentiam, & rem deferre ad Epiſcopum, ſiue petatur matrimonium publicè, ſiue priuatim.* 3.

*Si contrahere volens fateatur votum, ſed aſſeraſe illud fictè emiſiſſe non debet Parochus aſſiſtere, ſed rem ad ordinarium deferre.* 4.

*Si impedimentum ſit ex illis, quæ inferunt infamiam quomodo ſe gerere debeat Parochus in ordine ad publicè petentem.* 5.

DISQVISITIO XLII. Nouit Parochus extra confeſſionem adeſſe impedimentum dirimens inter Caium, & Calidoniam, qui inter ſe contrahere contendebant matrimonium. Iiſdem petentibus illius aſſiſtentiam oppoſuit illud impedimentũ, puta voti perpetui caſtitatis emiſſi ab altero ipſorum, quod ille negauit, vel forte confeſſus eſt, ſed aſſeruit, ſe eo non teneri, quia fictè vouit, & non cum animo ſe obligandi. Hic orta fuit controuerſia, an Parochus, cum aliunde non poſſit impedimentum illud probare, ſtante illa negatione, vel confeſſione de voto fictè emiſſo, poſſit, & teneatur illi matrimonio aſſiſtere. 1

1 Dubium in ſuis terminis.

Vt clarius in hoc titulo procedamus, plures ſunt efformandi articuli, & ſpecialiter examinandi. Primus erit, quid dicendum ſit, ſi Parochus opponat impedimentum, & contrahentes expreſſè negent, & hoc ſiue contrahentes petant occulte, ſiue palam, & publicè. Secundo, quid ſi fateantur votum, ſed aſſerant ſe illud fictè emiſiſſe, & ſine animo ſe obligandi, & hoc

Articuli circa ipsũ examinãdi

etiam

Digitized by Google

etiam ſiue petant occultè, ſiue etiam palam. Tertius, ſi impedimentum ſit ex illis, quę inferunt infamiam, quid agere debeat Parochus, ſi illo irretitus ad ſui oppoſitionem illud fateatur occulte, & nihilominus matrimonium publicè petat.

2 Parocho opponente impedimẽtum, & contrahẽtibus illud negãtibus deferẽda res eſt ad ordinarium.

Reſpondeo primo, Parocho opponente impedimentum, ſi illud probare non poſſit, & contrahentibus illud negantibus, denegandam eſſe illi matrimonio aſſiſtentiam, & rem ad Epiſcopum deferendam *Henriquez lib. 1 de ſacramentis c. vlt. num. 6. Maiolus lib. 3 de irregularitate c. 25. nu. 13. §. affinitas in fin. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 15. num. 11.* aduerſus *Veracrucem append. ad ſpecul. art. 15. primæ partis Vegam lib. 3. ſumma caſ.* 364. Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus ex *c. fin. de clandeſt. deſponſat.* nempe apparente probabili coniectura impedimenti interdicendum eſſe matrimonium, donec quid fieri debeat ſuper eo, conſtiterit Epiſcopo, cuius eſt iudicialiter cognoſcere per textum *in c 1. de conſanguin.*, ſed, cum Parocho conſtat de impedimento, eſt pluſquam probabilis coniectura de eodem, ergo non poterit aſſiſtere, ſed tenebitur rem ad ordinarium deferre. Confirmatur, quia conſtante alicui de impedimento dirimente inter contrahere volentes tenetur illud deferre, etiam ſi in iudicio illud plene non poſſit probare per ea, quæ ſupra diximus, & interim tenetur Parochus matrimonium interdicere, donec per ordinarium cognoſcatur, ergo à fortiori, dum conſtat Parocho de tali impedimento, tenebitur non aſſiſtere, ſed rem ad ordinarium deferre; cum etenim ipſe non ſit Iudex, poterit vtique apud eundem Ordinarium eſſe teſtis, cum præcipuè eidem ex proprio officio incumbat onus inueſtigandi ſuper impedimenta, ſi quæ exiſtant. Neq; obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum illud impedimentum ſupponatur conſiſtere in voto, quod à ſola voluntate vouentis dependet, plenè probetur non exiſtere per iuramentum, & aſſertionem negatiuã eiuſdem vouentis, prout benè probant *Coarruuias 2. variar. c. 10. nu. 1. Maſcardus de probat. concl 45. num 48. Grazianus reg. 279. num 1. per c. ſignificaſti 1. de homicid. Felinus c. ſi verò de iure iurand. nu. 8. verſ. declara Seraphinus de priuileg. iuram. priuileg. 210. num. 16* ſicque Parochum eodem vouente denegante votum debere credere, eiuſque matrimonio aſſiſtere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumvis votum à ſola vouentis voluntate dependeat, manifeſtatum tamen ſupponitur per verba, dum dicitur conſtare Parocho, ſicque, cum aliunde conſtet, non eſt præciſe ſtandum negationi eiuſdem vouenti, prout probat *Felinus in d. c. ſi verò de iure iur. num. 3. Maſcardus loc. cit. num. 32.*

In controuerſia exiſtentiæ, vel nõ exiſtentiæ impedimenti iudiciũ ſpectat ad ordinarium.

3 Parochus in ea hypotheſi debet denegare aſſiſtentiã, ſiue petatur publicè ſiuè priuatim.

Hæc quæ dicta ſunt, æquè verificantur, ſiue ille, qui irretitus impedimento ſupponitur, petat matrimonium publicè, ſiue priuatè, quia Parochus negando publicè, non infamet, nec priuet ipſum iure ſuo, cũ ius non habeat petendo, pręcipuè cum illud impedimentum non ſit ex illis, quæ inferant infamiam: debet tam in hypotheſi illa cum dictamine rationis procedere, vt prius ſecreto moneat impeditum, qui ſi nolit deſiſtere, debet ſibi imputare, quod Parochus deferat ad ordinarium, ſecus quicunque conſcius impedimenti deberet nõ manifeſtare, quod eſt ridiculum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, quod Parochus peccatori occulto petenti publicè Euchariſtiam teneatur illi non denegare, vt docet *D. Thomas 3 part. q. 80. art. 3.* Secundo, quod ordinarius laboranti impedimento occulto puta irregularitate petenti publicè ordines non debeat denegare per textum *in c. ex tenore de temp. ordin. in fin., & ibi Gloſa fin D. Antoninus 3. part. tit. 14. c. 16. §. 11.*, ergo etiam Parochus ob impedimentum occultum alicui petenti publicè matrimonium non poterit eidem denegare aſſiſtentiam; Nõ, inquam, obeſſe poteſt, quia illa peccata occulta, vel irregularitas nõ irritant ſuſceptionem Euchariſtię, & ſacrorum ordinum, adeo que Eccleſia illã ſuſceptionẽ in foro externo nõ interdicit, præcipuè cũ nõ iudicet de occultis; illud autem votũ ſi ſit ſolemne occultum abſolutè irritat matrimonium, propter quod propterea Eccleſia ius habet interdicendi, potiſſimum cum adhoc ſufficiat vnius teſtis depoſitio ad eoq; &c.

4 Si cõtrahere volens matrimonium fateatur votum, aſſerat tamẽ ſe fictè vouiſſe Parochus debet non aſſiſtere, & rẽ deferre ad ordinariũ.

Reſpondeo ſecundo. Si contrahere volens matrimonium interrogatus à Parocho de impedimento illud fateatur, aſſerat tamèn ſe fictè vouiſſe, & ſine animo ſe obligandi Parochus debet eidem denegare matrimonium, & rem ad ordinarium deferre, ſiue ille petat priuatim coram duobus, vel tribus teſtibus, ſiue petat publicè *Hoſtienſis in c. veniens qui Cler. vel vouent. ſuper verb. ſuis, & ibi Ioannes Andreas num. 2. Ancharanus num. 1. in fin. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 15. num. 9.* Ratio ex eo deducitur primo, quia ſtante emiſſione voti vehementiſſima ſtat pręſumptio de animo etiam ſe obligandi, quia ex genere ſuo obligatio conſequitur ad promiſſionem, niſi expreſſè apponatur negatio contraria *Sotus lib. 8. de iuſtit. q. 1. art. 4. ad quartum verſ. ex ſecundo autem*, ergo, vbi conſtat de actione, & dubium eſt de intentione ſe obligandi præſumptio eſt de obligatione, quandoquidem qualitas, quæ ex genere ſuo ineſt, ſemper ineſſe præſumitur *Menochius de præſumpt. lib. 1. quæſt. 14. nu. 3.* &

Stat præſũptio pro vero, & reali voto.

Digitized by Google

& probato facto præſumuntur interueniſſe ea omnia, quæ ad factum requiruntur *Panormitanus c. de his quæ vi num. 9. per c. in præſentia de probat.* Neque obeſſe poteſt, quod vouens poſita confeſſione voti expreſſe denegat intentionem ſe obligandi ſe habuiſſe; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia poſita expreſſa confeſſione voti non ſtatur in foro externo negationi vouentis aſſerentis intentionem non habuiſſe ſe obligandi, ſecus nulla vnquam daretur obligatio, nullus contractus valeret, cum poſſent partes, quæ ex contractu diſpendium aliquod, vel incommodum pati poſſent ſemper recedere aſſerentes ſe animum contrahendi, vel ſe obligandi non habuiſſe; quamobrem merito iura id ipſum in corde præſumunt, quod ore dictum fuit *l. Labeo §. idem Tubero ff. de ſupel. leg.*, & à verbis contractus non eſt recedendum *l. fideiuſſores Magiſtratum §. pro Aurelio ff. de fideiuſ. l. non aliter ff. de legat. 3. c. per ſuas de probat. l. generaliter C. de non numer. pecun.* Secundo id ipſum ex eo poteſt euinci, quod in foro iudiciali creditur homini contra ſe nõ autem pro ſe *D. Thomas quodlib. 1. art. 12. l. omnibus 9. C. de teſtibus*, vbi ſic legitur *Omnibus dicendi in re propria teſtimonij facultatem iura ſub mouerunt*, ergo &c.

Stante confeſſione in foro externo non ſtatur negationi.

Dices ex eo, quod idem fateatur votum emiſiſſe præſumendum eſt, quod etiam verum enuntiet denegando intentionem ſe obligandi quandoquidem ſi mentiri vellet facilius vtrumque negaret arg. eorum, quæ docet *Baldus in c. audiſtis nu. 32. de præſcript. Ripa c. cum Eccleſiæ Sutrina de cauſ. poſſeſſ. num. 30. Maſcardus de probat. concl. 1201 num. 55. & ſeqq.* ergo &c. Sed contra, quia in primis ſupponitur, quod fateatur votum ad interrogationem Parochi, & per conſequens cum præſumptione, quod ille antecedenter votum nouerit, vnde præſumitur concedere id, quod ſibi ſuadet poſſe probari, negat autem id, quod in ſe eſt, nec ſine ſe poteſt probari, ſecundum quam conſiderationem eidem, prout negat intentionem, non eſt credendum *Ripa in d. cap. cum Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſeſ. num 21. Gloſa cap. 1. verſ. ſi confeſſus 16. qu. 8.* Deindè videndum eſt, an concedat actum, & neget intentionem ſimul, an ex interuallo, ſi etenim hoc præſtat ex interuallo, quatenus facta confeſſione voti libere poſteà neget ſe intentionem habuiſſe ſe obligandi, & tunc præſumendum eſt, quod neget ad ſubterfugiendum impedimentum, nec ei credendum eſt. Tandem videndum eſt, an concedat, & neget reſpectiue vt ſupra, quando intendit contrahere matrimonium, an vero pro tempore, quo illud non intendit; ſi pro tempore, quo intendit matrimonium inire dubium ingerit non modicum, quod eiuſdem negationi poſſit ſubeſſe falſitas, ratione cuius Parochus, antequam aſſiſtat, rem debet deferre ad ordinarium, vt cognoſcat, & iudicet.

Inſtantia propoſita, eiuſque ſolutio.

5 Reſpondeo tertiò. *S*i impedimentum ſit ex illis, quæ ſecundum ſe inferunt infamiam, & illo irretitus petat publice matrimonium Parochus debet prius monere ſic impeditum ſecretè, vt ab illo matrimonio deſiſtat, quod, ſi ille non audierit debet per pios, & timoratos viros illum monere, quod, ſi adhuc non reſipiſcat, poteſt, & tenetur ad ordinarium deferre, & interim non aſſiſtere. Concordat cum ijs, quæ docuimus *tom. 5. ſub tit. de ſponſal. 2. prænot. 18. nu. 2.*, & conſentiunt *Armilla verb. inquiſitio num. 8. Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. in ſecunda edit. num. 357. & ſeqq. Sotus de ſecret. memb. 2. qu. 6. paulo ante ſolut. ad tertium*. Vide, quæ latè docuimus loco cit., non enim vacat hic ea repetere, & in iam examinatis immorari.

Si impedimentũ ſit ex illis, quæ inferunt infamiam, quo modo ſe gerere debeat Parochus in ordine ad publicè petentem.

---

### §. XLIII.

Quomodo ſe gerere debeat Parochus, qui nouit impedimentum, & diſpenſationem ſuper illo tantum pro foro interno.

#### *SVMMARIVM.*

*Refertur facti ſeries, & ratio dubitandi.* 1.
*Sententia aſſerens non poſſe illos coniungere.* 2.
*Sententia Sanchez poſſe illos coniungere, ſi ipſe ſolus norit impedimentum, & diſpenſationem pro foro interno, ſecus ſi alter opponat impedimentum.* 3.
*Hæc ſecunda ſententia præfertur.* 4.

1 DISQVISITIO XLIII. Aderat impedimentum inter Caium, & Sempronam ortum ex crimine occulto puta ex coniunctione carnali cum conſanguinea alterius ex illis, vel ex voto perpetuo caſtitatis &c., quod impedimentum, vtique optimè nouerat Parochus vtriuſque. Vt tuta conſcientia complere poſſent contractum à Sacra Pænitentiaria diſpenſationem obtinuerunt pro foro interno animæ, qua poſita diſpenſatione contrahere intendebant matrimonium; Et etiam Parochus nouit talem diſpenſationem. Quæſitum fuit, an Parochus ex vi illius diſpenſationis pro foro interno animæ poſſet illos coniungere.

Refertur facti ſeries, & ratio dubitandi.

Videtur abſolutè aſſerendum, Parochum non poſſe eos coniungere, quod præcipuè colligi poteſt ex textu *in cap. fin.*

*de*

ſententia aſſerens non poſſe illos coniungere,

*de clandeſtina deſponſ.* vbi dicitur, quod *ipſi Presbiteri inueſtigent, vtrum aliquod impedimentum obſiſtat*; ex quibus verbis deducitur, quod, ſi Parochus, qui propriè venit nomine Presbiteri in allegato textu, tenetur inueſtigare, ſi nouerit impedimentum, teneatur illud ordinario denuntiare, & ordinarius impedire, ne contrahatur, atque hæc videtur expreſſa mens *Hoſtienſis in d. cap. fin. in verb. inueſtigent de clandeſt. deſponſ. & ibidem Ioannis Andreæ num. 9. Ancharani num.* 10. Secundò, quia, ſi quis à Parocho nouerit illud impedimentum tenetur illud denuntiare, & ſi denuntiet illud Parochus, non poteſt admittere illam diſpenſationem pro foro interno, nec illos coniungere, donec impetrant etiam diſpenſationem pro foro externo, vt optimè notant *Nauarrus lib. 5. conſil. in prima edit. tit. de priuil. conſ. 5., in ſecunda vero edit. lib. 2. tit. de iudicijs conſ. 4. Manuel in bulla Cruciata* §. 13. *num. 6. Vega lib. 6. ſumma caſ.* 143. *ad finem*, ergo, ſi ipſe Parochus nouerit tale impedimentum, non poterit admittere diſpenſationem impetratam præcisè pro foro interno, eoſque coniungere, ſed tenebitur dimittere pro diſpenſatione etiam pro foro externo.

3 ſententia Sanchez aſſerentis poſſe coniungere, ſi ipſe ſolus norit impedimentũ, & diſpenſationem, ſecus, ſi alter opponat de impedimento.

Sanchez *d. lib. 3. diſp. 15. num 14. & 15.* hac in re diſtinguit, vel etenim ſolus Parochus nouit diſpenſationem illam in foro interno, & impedimentum illud nullo alio denuntiante, vel ita ille nouit, vt alius etiam denuntiet impedimentum. Iuxta primum ſenſum exiſtimat, Parochum poſſe diſſimulare, eoſque coniungere. Iuxta ſecundum ſenſum abſolute negat, poſſe illos coniungere, niſi impetrata etiam pro foro externo diſpenſatione. Rationem primæ partis ex eo adducit, quia Parochus, & Ordinarius non tenentur inueſtigare ſuper impedimento, niſi ſub ea ratione, ne impediti contrahendo delinquant; non delinquerent autem cum contraherent per diſpenſationem in foro interno. Rationem ſecundæ partis ex eo deducit, quia, ex quo impedimentum in foro externo denuntiatum eſt Parocho debet in eodem foro procedere, & denuntiare Ordinario, qui etiam iudicialiter agens, & procedens debet impedire, donec conſtet de diſpenſatione etiam pro foro externo, cum diſpenſatio pro foro interno non extendatur ad externum *argt. l. in agris ff. de acquir. rer. dom. l. non omnis ff. ſi cert. pet.* Quid iam concludendum?

4 Hæc ſecunda ſententia præfertur.

Reſpondeo, Sanchez in hoc rectè procedere, ipſiuſque ſententiam in vniuerſum amplectendam eſſe. Rationes, quas ipſe adducit hoc efficaciter euincunt. Nihilominus ad efficaciorem comprobationem quoad primam partem hæc addo, quia, ſi alter à Parocho norit impedimentum, & ſimul diſpenſationem in foro interno non tenetur denuntiare, quia finis denuntiationis eſt ad cuſtanda peccata, quæ certe ratio ceſſat in hac hypotheſi diſpenſationis pro foro interno, ergo etiam Parochus conſcius ſimul impedimenti, & diſpenſationis pro foro interno non tenebitur denuntiare, ſed poterit immediatè aſſiſtere, cum optime norit nullum inde poſſe ſequi peccatum, cum diſpenſatio in foro interno faciat illud matrimonium validum, & licitum coram Deo. Quoad ſecundam partem hæc addo, quia vbi interuenit denuntiator alius à Parocho iam incohatum eſt iudicium in foro externo, quod conſtat ex Iudice, actore, & Reo per textum *in cap. forum de verbor. ſignificat.*, vbi autem iudicium in foro externo inceptum eſt partes Iudicis ſunt in eodem foro externo cauſam perficere, & inueſtigare vſque ad complementum cauſæ; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi matrimonium contractum fuerit cum illa diſpenſatione pro foro interno interueniente poſtea denuntiatore non poſſit Epiſcopus ſic coniunctos ſeparare, quia matrimonium illud coram Deo validum eſt, & ſi fuerit conſummatum omni poteſtate humana indiſſolubile, ergo neque poterit impedire, ne contrahatur, ſi eidem conſtet de diſpenſatione pro foro interno iam impetrata; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis non currit paritas de matrimonio iam contracto, & conſummato, ac de contrahendo, & conſummando, quia facilius impeditur, ne vinculum contrahatur, quam quod contractum diſſoluatur, & plura impediunt contrahendum, quæ non dirimunt contractum. Deinde falſum eſt Epiſcopum non poſſe eos ſeparare; poteſt enim declarare matrimonium illud eſſe inualidum in foro externo, & quamuis coram Deo illud ſint omnino indiſſolubile quoad forum tamen externum Eccleſiæ poteſt Epiſcopus efficere, vt habeatur pro inualido, quatenus non conſentiat ſic coniunctos ſocialem, & coniugalem vitam agere, niſi impetrata etiam pro foro externo diſpenſatione.

Altero opponente iam incipit iudicium in foro externo.

Poteſt declarare in foro externo non ſubſiſtere.

Ad hanc ſecundam partem confirmandam plurimum confert antiquiſſimus curiæ ſtilus, ſecundum quem teſtatur *Ludouicus Gomez reg. de non iudicando iuxta formam ſupplicationis qu.* 14. §. *breuiter* in literis diſpenſationis pro foro interno apponitur clauſula, ne diſpenſatio fiat coram teſtibus, eaque facta literæ immediate dilacerentur, quod non alia ratione fieri aſſerit *Sanchez d. lib. 3 diſp 15. num. 17. verſ. ad ſecundum*, niſi vt denotetur illam diſpenſationem non prodeſſe quoad forum externum, adeoque in eodem foro externo conſtante de impedimento poſſe

Stilus curiæ exigit, vt diſpenſatio non fiat coram teſtibus.



Digitized by Google

Epiſcopum procedere ad diſſolutionem, ſi fuerit contractum, vel ad impediendum, ſi fuerit contrahendum nulla habita ratione diſpenſationis iam impetratæ quoad forum merè internum.

## §. XLIV.

Quômodo debeat ſibi conſulere, qui impetrauit diſpenſationem ſuper impedimento pro foro interno, & contraxit, & poſtea ab Eccleſia ſeparatur cognito iudicialiter impedimento.

### SVMMARIVM

*Proponuntur ſtatus controuerſia, & articuli examinandi.* 1.

*Tenentur in foro externo ſeparati manere, quamuis coram Deo ſint verè coniuges.* 2.

*Si quandoque facta ſeparatione in foro externo carnaliter ſe cognoſcant ſine ſcandalo probabilius eſt non peccare.* 3.

*Facta ſeparatione in foro externo per Eccleſiam nequeunt huiuſmodi coniuges aliud coniugium inire.* 4.

*Si facilis non ſit recurſus ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione in foro externo probabilius poteſt tunc Epiſcopus diſpenſare.* 5.

1 Proponitur factum cum ſuis articulis. DISQVISITIO XLIV. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis Caius contrahere intendens cum Sempronia, inter quos aderat impedimentum occultum dirimens à Sacra pænitentiaria diſpenſationem ſuper illo impedimento pro foro interno impetrauit. Deinde factis denuntiationibus, nulloq; opponente impedimentum illud in faciem Eccleſiæ contraxit matrimonium. Succeſſiuè eo contracto, & fortè etiam conſummato coram Epiſcopo delatum eſt impedimentum, qui cognita cauſa, nullaque habita ratione diſpenſationis pro foro interno adiudicauit eſſe ſeparandos, prout de facto ſeparauit, donec pro foro externo fuerit diſpenſatio impetrata. Hic multiplex orta fuit ratio dubitandi; primo, an teneantur ſub onere peccati læthalis ſeparati viuere obtemperantes mandatis Eccleſiæ ſeparantis. Secundò, an, ſi quandoq; adhuc non impetrata pro foro externo diſpenſatione commiſceantur peccent læthaliter. Tertiò, an, ſi pro foro externo nequeant impetrationem obtinere poſſint alijs nubere. Quartò, an, ſi nequeant adire Pontificem ratione impotentiæ, vel paupertatis pro diſpenſatione poſſit in ea hypotheſi Epiſcopus diſpenſare, & an tunc teneatur.

Reſpondeo primò, teneri ſub onere peccati læthalis quoad forum externum ſeparatos manere, quamuis in foro interno, & coram Deo ſint verè coniuges. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo *Nauarrum lib. 5. conſil. in prima edit. tit. de priuileg. conſ. 5., & in ſecunda lib. 2. tit. de iudic. conſ. 4. Manuellem in bulla Cruciata §. 13. num. 6. verſ. ſeguiſſe lo terzero, Vegam lib. 6. ſumma caſ. 143. ad finem, Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 15. num.* 15., dum aſſerunt aliquo opponente impedimentum teneri non admittere diſpenſationem pro foro interno, & iuſte impedire contrahendum, & ſeparare contractum. Quibus poſitis ſic argumentor. Eccleſia in ea ſuppoſitione iuſtè ſeparat huiuſmodi coniuges, cum in foro externo non ſint tales, quoadusque obtineatur diſpenſatio pro foro etiam externo, ergo in foro externo tenentur ſic coniuncti, & Eccleſiæ præſcripto ſeparati tales ſe exhibere, quales Eccleſia eſſe præſcripſerit. Conſequentia probatur. Quia ſuperiori habenti legitimam auctoritatem præcipiendi, & præcipienti iuſta eſt ſub onere peccati læthalis obtemperandum in eo genere, in quo iuſtè, & legitimè præcipit; cæteroqui fruſtratorium eſſet ipſius ius ad præcipiendum, niſi eidem correſponderet onus in ſubdito ad obtemperandum, ius enim in ſuperiore, & ſubiectio in ſubdito ſibi ſunt correlatiua, ergo &c. Dixi *in foro externo*, quia præceptum Eccleſiæ ſupra illud præcisè cadit; Neque dicas, quod quando conſtat de rei veritate, in vtroque foro ſecundum eandem procedendum ſit, non ſecundum præſumptionem *Caietanus in ſumma verb. perfidia, Sotus lib. 4. de iuſtitia q. 5 art. 3. verſ quarto arguitur, Couaruuias c. cum eſſes nu 7. de teſtam Antonius c. 1. de pactis nu. 4. Ledeſma 2. part qu. 28. art. 1. dub.* 12., cum igitur ſupponatur diſpenſationem pro foro interno interueniſſe, de eaque conſtare Epiſcopo dicendũ erit, vel abſolutè præceptũ Eccleſiæ obligare quoad vtrumque forum, vel quoad neutrum, quod probabilius eſt, cum veritas ſit, quod in foro interno ſtante diſpenſatione illud matrimoniũ teneat; Contra enim impugnaberis, quia rei veritas eſt, quod diſpenſatio ſit tantum conceſſa pro foro interno, non pro externo, & per conſequens nõ eſt vtroque foro eodem modo procedendũ, & ſic cum ſit limitata, non eſt vltra terminos extendenda *l. in agris ff. de acq. rer. domin. l. non omnis ff ſi cert. pet.* Accedit, quod, cum Eccleſia cõceſſerit reſtrictiuè diſpenſationẽ pro foro interno videtur expreſsè voluiſſe, quod in foro externo, ſi ad idem res fuerit deuoluta, nullã vim penitus haberet, perinde, ac ſi illa nõ fuiſſet conceſſa.

2 Teneantur quoad forum externum ſeparati manere.

Superiori præcipienti obtemperandum eſt.

Reſpon-

3 Reſpondeo ſecundò. Si quandoque facta ſeparatione in foro externo ex præſcripto Eccleſiæ, ad quam iuridice delatum eſt impedimentum, illi carnaliter ſe cognoſcant ſine ſcandalo, probabilius eſt non peccare læthalitèr. Ratio ex eo deducitur, quia ille actus coram Deo non eſt de obiecto illicito, cum ſit inter veros, & reales coniuges, ergo ſi fuerit ſine ſcandalo non erit læthalitèr peccaminoſus; Neque dicas, quod quamvis non ſit de obiecto ſecundum ſe illicito, eſt tamen de obiecto prohibito ab habente legitimam poteſtatem prohibendi, & quidem cum legitima, & rationabili ratione: adeoque eſſe peccaminoſam: contra enim impugnaberis, quià prohibitio eſt ſolummodo pro foro externo, ſecundum quod declarat matrimonium inualidum, per hoc tamen non efficit, quod ſit etiam inualidum in foro interno animæ, cum Pontifex non poſſit efficere, vt matrimonium ſemel validum in foro interno, & coram Deo, in eodem, & coram ipſo fiat inualidum, ſed ſolum efficit, vt non admittatur in foro externo ad effectum conſentiendi, vt ſimul vitam vxoriam agant. Neque vlterius vrgeas, hæc aduerſari cum ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione, nempe coniuges teneri eccleſiæ præcipienti ſeparationem, quando præcisè impetrata fuit diſpenſatio pro foro interno, obtemperare etiam ſub pæna peccati læthalis, ergò, ſi ſe adinuicem commiſceant, non erunt immunes à tali culpa: contra adhuc impugnaberis, quià tenentur obtemperare dumtaxat in eo genere, in quo præcipitur, & in quo poteſt eccleſia præcipere: Præcipitur autem ſolum quoad forum externum, ſecundum quod in ea hypotheſi ſolum eccleſia poteſt præcipere, adeoque ſolum quoad illud debent coniuges obtemperare, ſe abſtinendo ab ijs, quæ foris apparent, ſecundum quę iudicat eccleſia ſolum, non autem ab ijs, quæ clam fiunt, ſecundum quę eccleſia non iudicat. Hoc totum poteſt exemplis confirmari; primo in excommunicato, qui ſi fuerit in foro interno abſolutus, quantumvis teneatur in externo abſtinere à communione fidelium, & ſacrorum, poteſt tamen coram Deo, ea munera exercere, quæ ſunt communia cum alijs non excommunicatis. Secundò in eo, qui inualide contraxit matrimonium cum prima, & poſtea valide cum ſecunda, hic etenim ſi per cenſuras compellatur ad primam redire non obſtantibus cenſuris non poteſt cum eadem actus coniugales exercere, vt ſupra per iura, & rationes latè commendauimus, ſed patienter debet tolerare cenſuras, & hoc non alia ratione, niſi quià iudicium eccleſiæ in foro externo non obligat ad ea, quæ in foro interno ſunt vetita, & per conſequens è contrario prohibendo, cum prohibeat tantum quoad forum externum non vetat, nec vetare poteſt ea, quę coram Deo ſunt licita, & per conſequens, ſi ea exerceat ſine ſcandalo, & non cum externo ſpretu, & contumelia prohibentis non peccat.

Si quandò que facta ſeparatione in foro externo carnaliter ſe cognoſcant ſine ſcandalo probabilius eſt nō peccare.

Eccleſia non vetat, quæ corā Deo ſunt licita.

Reſpondeo tertio, poſita tali prohibitione, ſeù ſeparatione per eccleſiam prohibentem, & ſeparantem in foro externo etiam, ſi obtineri nequeat diſpenſatio in foro externo, nequeunt huiuſmodi coniuges cum alijs coniugium inire. Ratio ex eo deducitur primo, quià huiuſmodi matrimonium coram Deo abſolute obligat, cum ſit validum, & omnino indiſſolubile per quamcunque humanam poteſtatem, cum præſupponatur conſummatum; & indiſſolubilitas prouenit ex mutuo conſenſu inter perſonas habiles poſita conſummatione tanquam complemento ad ſignificandam illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, ergò non obſtante illa ſeparatione per eccleſiam, in foro externo non poterunt coniuges alijs nubere, ſiquidem inter ipſos coram Deo remanet illud vinculum indiſſolubile. Secundò, quià ſi eccleſia per cenſuras compellat quempiam habitare cum prima, cum qua inualidè contraxerat, & ſecundam deſerere, cum qua valide, non poteſt primam habere pro vera coniuge, nec actus coniugales cum ipſa exercere, vt ſupra probauimus, niſi, quià in foro interno illud primum matrimonium eſt inualidum, ergò è conuerſo, cum illud matrimonium, de quo agimus, ſit in foro interno, & coram Deo validum, non poterit valide diſſolui, nec alius contractus repugnans eidem iniri. 4

4 Facta ſeparatione in foro externo per Eccleſiam nequeunt huiuſmodi coniuges aliud coniugium inire.

Reſpondeo quartò. Si in ea hypotheſi non ſit facilis recurſus ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione in foro externo, vel ob inopiam eorundem coniugum, vel ob aliam cauſam probabilius *E*piſcopus poteſt in ea hypotheſi diſpenſare etiam pro foro externo. Ratio eſt, quià Epiſcopus quoad matrimonium iam contractum non ſolum poteſt diſpenſare, quando imminet periculum incontinentiæ, infamiæ, &c. ſed etiam quando non adeſt poteſtas adeundi Romanum *P*ontificem ex inopia, vel alio impedimento legitimo: Neque obeſse poteſt, ſi aſſeratur, quod *E*piſcopus non poteſt abſoluere, nec diſpenſare in caſibus Romano Pontifici reſeruatis, quando vel ſunt notorij, vel deducti ad forum contentioſum *Nicolaus Garzias part. 7. de beneficijs c. 11. nu 5. Gutierez lib. 1. qq. canon. c. 3. ad fin. Manuel in ſumma part. 1 c. 168. n. 16.*, hic autem impedimentum illud ſupponitur ad forum 5

5 Si non pateat aditus, vel ex inopia, vel ex alia cauſa pro diſpenſatione in foro externo probabilius poteſt Epiſcopus diſpenſare



Digitized by Google

contentioſum deductum ex eo, quod fuerit denuntiatum, cum interueniat Iudex, actor, & Reus *c. forum de verb. ſignific.* quinimmo in hoc officium Iudicis ſuccedit in locum partis, ſeu delatoris *Bartolus in l. inter omnes §. recte num 1. ff. de furtis per le properandum §., & ſi quidem C. de iudicijs, & l. ſi ob cauſam C. de euiction.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non ſolum Epiſcopus poteſt abſoluere, & diſpenſare in caſibus Papæ reſeruatis, quando non ſunt notorij, ſed etiam quando adeſt impotentia, ſeu impedimentum adeundi Romanum Pontificem, quia non eſt veriſimile, quod tunc voluerit Pontifex irretitum remanere tali vinculo illum, qui non poteſt ipſum adire.

---

## §. XLV.

### An, ſi Epiſcopus ex cauſa diſpenſet ſuper impedimento occulto, ſi poſteà illud detegatur, & fiat publicum, indigeat noua diſpenſatione.

### SVMMARIVM.

*Status controuerſiæ in ſuis terminis.* 1.
*Ratio ſuadens tunc neceſſariam eſſe nouam diſpenſationem.* 2.
*Non eſt neceſſaria in data hypotheſi noua diſpenſatio.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 4.

1 Status controuerſiæ in ſuis terminis.

DISQVISITIO XLV. Laborabant impedimento occulto Titius, & Caia, cum quo contraxerunt ad inuicem matrimonium in facie Eccleſiæ. Cognito poſtea impedimento, cum periculum eſſet incontinentiæ, infamiæ, & damnorum, ſi ad Romanum Pontificem recurrerẽt pro diſpenſatione, incontinentiæ quidem, ſi interim cohabitarent, infamiæ, & damnorum, ſi interim ſepararentur, diſpenſationem obtinuerunt ab ordinario? Succeſſiuè impedimentum illud detectum fuit, & factum notorium, adeo, vt omnibus

2 Ratio ſuadens tunc neceſſariã eſſe nouã diſpenſationem.

innoteſceret. Quæſitum fuit, an tunc vigore illius diſpenſationis adhuc matrimonium illud ſubſiſteret, an vero noua indigeret diſpenſatione.

Videtur abſolutè dicendum tunc noua indigere diſpenſatione, tum quia illa diſpenſatio præcedens per Epiſcopum, cum fiat per impedimento occulto videtur eſſe præciſe pro foro conſcientiæ ad ſedandum contrahentium animum præcipuè cum Concilium *Tridens. c. 6. ſeſſ. 24. de reformat.* facultatem concedat Epiſcopis diſpenſandi, & abſoluendi ſuper caſibus papalibus occultis, & non deductis ad forum contentioſum ſolum pro foro conſcientiæ. Ibi *liceat Epiſcopus in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſdam caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolica reſeruatis delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diaceſi ſua per ſe ipſos aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientia gratis abſoluere.* Obtenta autem ſemel diſpenſatione ſuper impedimento in foro præciſe conſcientiæ, eodemque poſtea facto notorio requiritur noua diſpenſatio pro foro externo *Ludouicus Gomez reg. de non iudicando iuxta formam ſupplicationis q. 14. §. breuitèr Sanchez lib. 3. diſp. 15. num. 17. verſ. ad ſecundum, & nos ſuprà commendauimus*; tum quia illa Epiſcopi diſpenſatio videtur dumtaxat prouiſionalis pro ſtatu ſcilicet, quo impedimentum remanet occultum, & ex ſeparatione conſequeretur infamia, damnum, & ſcandalum; quando autem delictum deductum eſt in notorietatem nulla infamia, nullumque ſcandalum oriri poteſt ex ſeparatione, adeoq; &c. Nihilominus.

Reſpondeo tamen ea hypotheſi non indigere noua diſpenſatione. Ita licet in diuerſis terminis diſpenſationis ſuper irregularitate, & ſuſpenſione occulta poſitæ per ordinarium *Toletus in ſumma lib. 1. c. 89. num. 5. Garzias de benefic. part. 7. c. 11. num. 51. Henriquez lib. 14. ſumma c. 21. §. 1. lit. E. in text., & comment. Campanilis in diuerſ. iuris canon. rub. 11. c. 23. num. 144. Ioannes Angelus Boſſius de triplici Iubil. priuileg. ſect. 1. c. 10 §. 3. num 44.*, qui tamen ob paritatem rationis trahi poſſunt ad ſanum ſenſum reſponſionis noſtræ, quæ ſic euincitur, quia illa diſpenſatio facta per Epiſcopum eſt abſoluta, nec præciſè reſtricta ad forum conſcientiæ, cum Epiſcopus non intelligatur ſic reſtrinxiſſe; Neque dicas, reſtringi ex natura ſua, ſeu ex præſumpta mente Pontificis concedentis facultatem Epiſcopis diſpenſandi, cum præſumatur præciſè concedere, quando eſt impedimentum occultum, & imminent illa damna; contra enim impugnaberis, quia quantumvis ſolum Pontifex intelligatur concedere, tunc tamen non concedit ſimpliciter pro foro conſcientiæ, ſed abſolutè, cum talem reſtrictionem non ponat, & quod lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus; Neque vlterius vrgeas, quod hæc reſtrictio poſita ſit per Concilium Tridentinum loc. cit. in illis verbis *in foro conſcientia*; contra enim adhuc impugnaberis, quia illa particula non eſt appoſita in priori parte decreti, vbi eſt conceſſa facultas Epiſcopis diſpenſandi ſuper irregularitate occulta, ſed in poſteriori, vbi conceditur facultas abſoluendi à pec-

Margin notes (right column):

3 Non eſt neceſſaria in data hypotheſi noua diſpenſatio.

Diſpenſatio Epiſcopi in eo caſu eſt pro vtroq; foro

à peccatis, & cenſuris occultis, ſicque illa clauſula reſtrictiua non eſt referenda ad priorem partem eiuſdem decreti *Sanchez lib. 2. ſummæ c. 11. num. 12. Barboſa de poteſt. Epiſcopi part. 2. alleg. 39. num. 7. Duardus in bull. lib. 3. § 2. q. 11. num. 31. Fagundez præcept. 2. lib. 8. c. 8. num. 13. Fillincius tom. 1. tom. 1. tract. 20. c. 10. num. 27.* Confirmatur, quia, ſi Epiſcopus ſtante impedimento adeundi Romanum Pontificem pro diſpenſatione, diſpenſat, valida eſt diſpenſatio, tam pro foro interno, quam externo, nec vlteriori indiget diſpenſatione, quantumvis impedimentum illud ſit notum, quia ſemel ablato pleno iure impedimento, non eſt, cur detur reuiuiſcentia, ad differentiam cenſurarum, quæ ſemper intelliguntur abſolutè cum onere ſe præſentandi ſuperiori, cum cauſa ceſſarit.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebãtur iam patet quid ſit reſpondendũ; nõ etenim diſpenſatio illa per Epiſcopũ eſt præciſe pro foro interno, ſed abſolute pro vtroque foro; vnde ad id, quod ſubditur ex Concil. Trid. iam habes etiam reſponſionem ex præcedentibus; Nec vlterius poteſt dici, quod illa Epiſcopi diſpenſatio ſit prouiſionalis cum poſita ſit ſine vlla limitatione, & ſine tempore, & facultas in Epiſcopo pro eo tempore, & caſu ſit abſoluta, non limitata; effectuſq; ejuſdem diſpenſationis non exigit tractum temporis ſucceſſiuum, ſed ſit in inſtanti.

---

## §. XLVI.

### An Ordinarius, qui ſolus nouit impedimentum, teneatur aſſiſtere, vel licentiam dare aſſiſtendi matrimonio cum illo ineundo.

*SVMMARIVM.*


*Explicatio caſus in ſuis terminis.* 1

*Sententia aſſerens Epiſcopum publicè petenti debere aſſiſtere.* 2.

*Sententia aſſerens teneri impedire, non vt Iudex, ſed vt teſtis deferendo rem ad ſuperiorem.* 3.

*Sententia aſſerens vbi agitur de peccato vitando poſſe etiam, vt Iudicem impedire.* 4.

*Præfertur hæc tertia ſententia.* 5.

*Secunda ſententia tuta eſt, non tamen neceſſaria.* 6.

*Soluuntur rationes primæ ſententiæ.* 7.


1 Explicatio caſus in ſuis terminis.

DISQVISITIO XLVI. Contrahere intendebant matrimonium inter ſe Sempronius, & Caia, inter quos aderat impedimentum occultũ dirimens, quod ſolum Epiſcopus nouerat, & non alius, ità tamẽ, vt nulla via illud poſſet probare. Requiſitus ad aſſiſtendum, vel ad concedendam licentiam alteri, vt aſſiſteret, anceps erat, an poſſet aſſiſtere, vel facultatẽ aſſiſtendi concedere, an verò teneretur impedire matrimonium, donec diſpenſatio fuerit impetrata.

2 Sententia aſſerens publicè petẽti Epiſcopum non poſſe negare.

Sanchez *lib. 3. de matrimon. diſp. 15. nu. 12. verſ. ad quartum, Gutierez de matrimon. c. 60. num. 5.* ſentiunt Epiſcopum in ea hypotheſi, ſi matrimonium publicè petatur non poſſe denegare matrimonium, ſed teneri, vel aſſiſtere, vel facultatem aſſiſtendi concedere ob eam rationem, quod ipſe non poteſt eſſe ſimul Iudex, & teſtis; ſicque, cum ſimpliciter ſit Iudex, debet iudicare ſecundum allegata, & probata, & cum impedimentum probari non poſſit, vt ſupponitur, non debet quemquem iure ſuo ex iure naturæ ſibi cõpetente priuare.

3 Sententia aſſerens teneri impedire deferendo rem ad ſuperiorem.

Coninchus *diſp. 27. num. 66. Hurtadus de matrimon. dub. 5. diffic. 21. num. 77.* docent teneri impedire, non quidem propria ſua auctoritate, vt Iudex, ſed quodamodo, vt teſtis deferendo impedimentũ ad nuntium, & coram eo exercendo officium, vt teſtis, prout in ſimilibus docent nonnulli de Iudice, qui ſcientèr nouit aliquem innocentem de crimine eidem impicto, qui per allegata, & probata reſultat reus; hi etenim aſſerunt Iudicem debere à iudicio aduerſus illum deſiſtere, & rem deferre ad ſuperiorem, apud quem inſeruiat, vt teſtis.

4 Sententia aſſerẽs vbi agitur de peccato impediendo poſſe etiã, vt Iudicẽ impedire.

Ioannes *Angelus Boſſius de matrimonij cõtractu c. 7. num. 206 in med.* aſſerit, quod vbi agitur de peccato vitãdo, ſeu impediẽdo, ſicuti idẽ poteſt eſſe accuſator, & teſtis, ita poſſit eſſe, & Iudex, & teſtis, cum tunc iudicium in nullius præiudicium cedat, ſed totum ſit fauorabile etiam ijs contra quos fertur, quandoquidem eiſdem expedit à tam grauibus peccatis impediri, non eſt inconueniens, quin idem vtrumque munus poſſit exercere Iudicis ſcilicet, & teſtis. Quid igitur concludendum.

Reſpondeo tutioribus iuribus inniti opinionem Boſſij, tutam tamen eſſe cautelam Coninchi, & Hurtadi, quamuis non neceſſariam. Ratio efficax pro ſententia Boſij præter ab ipſo adductam ea eſſe poteſt, quia proprium munus eſt Epiſcopi impedire peccata, quæ ipſi per teſtes deferuntur, ſed etiam ea, quæ priuatim ipſe norit, quandoquidem ipſe eſt cuſtos animarum, quæ ipſius curę ſunt commiſſę;

5 Præfertur hæc tertia ſententia.

Neque obeſſe poteſt textus *in c. ex tenore de tempor. ordinand.* vbi ſic legitur *Veruntamen, quia peccatum occultum eſt, ſi promoueri volueris, eum non debes aliqua ratione repellere*, ergo etiam, cum ſit occultum peccatum, quod poteſt ex illo impedimento conſurgere, nec aliqua ratione

pro-

probari poſſit, non poterit Epiſcopus contrahere volentes a contractu repellere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt optimè adnotauit *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. verſ. neque hic obſtat*, ille textus non procedit de aliquo impedito ad ſacros ordines ſuſcipiendos, neque de irregulari occulto, ſed de crimino ſo, quem Epiſcopus nouit commiſiſſe aliquod peccatum occultum, quod, ſi fuiſſet notorium, eſſet deponendus; cum igitur illud ſit occultum, delinquens ex illo non ſit irregularis, & propterea non eſt expellendus ſic delinquens ab ordine vlteriori ſuſcipiendo, vnde merito dicitur in eodem textu, quod ſic delinquens ſit ſuadendus, vt non recipiat vlteriorem ordinem, ſed contentus ſit eo, ad quem iam promotus eſt, quod non infert neceſſitatem.

6 Secunda ſententia tuta eſt, nõ tamen neceſſaria.

Dixi, *tutam tamen eſſe cautelam Coninchi, & Hurtadi, quamvis non neceſſariam*, quia ſi ex vno capite Epiſcopus hoc præſtaret, cum iuris fundamento hoc faceret, quia quantumvis ſit Iudex poteſt in hoc caſu illo munere non fungi, & velle præcisè habere rationem teſtis, qui certè eſſet omni exceptione maior, & non repellendus; ex alio ipſe non tenetur ſe ſubdere alterius iudicio in cauſa, in qua ipſe eſt Iudex, & licet regularitèr, vt talis non poſſit procedere, niſi ſecundum allegata, & probata; in ijs tamen, in quibus attenditur præiudicium animæ propter peccata inde imminentia, poteſt ex officio procedere, cum officium iudicis inquirentis, & cognoſcentis malum imminens ſuccedat loco partis, quamuis non loco partis principalitèr offenſæ *Bartolus in l. inter omnes §. rectè n. 1. ff. de furtis per textum in l. properandum, §. & ſi quidem C. de iudicijs, & l. ſi ob cauſam C. de euict.*

7 Soluuntur rationes primæ ſententiæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo pro Sanchez, & Gutierez afferebantur, dicendum eſt in ijs, in quibus Iudex procedit ex officio, queque reſpiciunt peccata vitanda, non repugnare eundem eſſe ſimul Iudicem, & quoquomodo teſtem non quidem ad lædendum, ſed ad impediendam læſionem animæ, ſicuti in ordine ad eadem idem admittitur, vt accuſator, & teſtis, licet in alijs ſub vtraque illa conſideratione non admittatur, cum totum illud iudicium ſit fauorabile etiam ijs, contra quos fertur. Quod ſi aliqua aduerſus hic dicta viderimus admiſiſſe, ea intelligenda ſunt, vt recitatiue admiſſa, non aſſertiuè, vel ad ſatisfaciendum aliorum doctrinis obiectis aduerſantium, non proprijs.

## §. XLVII.

### An denegandum ſit matrimonium publicè petenti ob ſolum impedimentum peccati mortalis noti Parocho.

*SVMMARIVM*

*Refertur facti ſeries.* 1.
*Illud matrimonium, ſi contraheretur, ſubſiſteret.* 2.
*Publicè petenti ob ſolum peccatum lathale notum Parocho, non eſt negandum matrimonium.* 3.
*Cur irregularis, & impeditus ſit arcendus à ſuſceptione ſacrorum ordinum, & à matrimonio, non ſic affectus peccato lathali à ſuſceptione ſacramentorum.* 4.

1 Refertur facti ſeries.

DISQVISITIO XLVI. Læthale peccatum commiſerat notum Parocho, & forte etiam in eo habitualitèr perſeuerauerat Caius, à quo nondum reſipuerat, nec fuerat abſolutus; in hoc perſeuerans contrahere intendens matrimonium, cum Theodorica publicè petebat aſſiſtentiam eiuſdem Parochi. Quęſitum hic fuit, an Parochus poſſet in ea hypotheſi denegare aſſiſtentiam, an vero teneretur aſſiſtere.

2 Illud matrimonium ſubſiſteret.

Quamuis, ſi aſſiſteret, matrimonium illud ſubſiſteret, non videtur tamen licitè aſſiſtere, quia hoc eſt cooperari illicitæ ſuſceptioni ſacramenti, & ſuo modo miniſtrare ſacramentum indigno ſcientèr, quod quodamodo redolet ſacrilegam fœditatem. Nihilominus

3 Ob ſolum peccatum læthale notum Parocho publicè petenti non eſt negandum matrimonium.

Reſpondeo non eſſe ſic deliquenti, (dummodo delictum non ſit ex illis, quæ inducunt aliquod impedimentum dirimens) & publicè petenti denegandum matrimonium, quantumvis illud delictum ſit notum Parocho, & probabile per duos, vel tres teſtes *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contractu c. 7. n. 107.* Clarè euincitur *ex d. cap. ex tenore de tempor. ordinan.* per verba ſupra enuntiata. *Veruntamen quia peccatum occultum eſt, ſi promoueri voluerit, cum non debet aliqua ratione repellere*, vbi per ly *peccatum* non intelleximus aliquod, quod ſecum trahat irregularitatem; ſi ergo hoc verificatur reſpectu ſuſcipientis ordines ſacros indignè, ſeu cum peccato læthali, non video, cur etiam verificari non poſſit etiam reſpectu contrahentis matrimonium, ſeu publicè illud petentis. Ratio reſponſionis, & textus allegati eſt, quia quantumvis ex ipſa ſumma dignitate, & excellentia ſacramento-

rum

Digitized by Google

rum requiratur diſpoſitio in ſuſcipiente, adeovt ſine eadem graui nota ſacrilegij afficiatur, Chriſtus tamen Dominus à ſuſceptione eorundem indignos non repellit, ſed tantum ſub interminatione æternæ pœnæ afficit indignè ſuſcipientes iuxta illud. *Qui manducat indignè iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*, quinimmò ipſe Chriſtus Dominus ſe ipſum manducandum tradidit Iudæ proditori non obſtante, quod nouerit ſacrilegium nequiſſimum proditionis iam in mente eiuſdem conſummatum.

Si autem hic inquiras, cur ſit repellendus à matrimonio contrahendo, vel ab ordinibus ſuſcipiendis, qui impedimento, vel irregularitate occulta irretitur, non verò à ſacramentorum ſuſceptione repellatur, qui affectus eſt delicto, ſeù peccato lęthali occulto. In ordine ad matrimonium contrahendum facilis eſt ratio diſparitatis, quià ſcilicet illud impedimentum, cum ſupponatur dirimens, reddit inhabilem perſonam non ſolum ad licitè, ſed etiam ad validè contrahendum, quam non reddit inhabilem ad valide ſuſcipienda ſacramenta peccatum lęthale occultum præcipuè, licet reddat inhabilem ad licitè eadem ſumenda. In ordine verò ad irregularitatem occultam aliam rationem diſparitatis aſſignat *Ioannes Angelus Boſſius*, quam etiam extendit ad contrahentem matrimonium cum impedimento occulto *d. c. 7. de matrimon. contract. n.* 207. nam in ſuſceptione ſacramenti cum obice peccati lęthalis vnum tantum peccatum lęthale ſacrilegij committitur, quod iam ſupponitur in mente per plenam deliberationem illud ſumendi in eodem peccato lęthali conſummatum; cum ſperatur poſtea delinquens breui emendandus; in ſuſceptione vero ſacrorum ordinum, cum irregularitate occulta, vel contractu matrimonij cum impedimento plura, & longe plura peccata præuidentur committenda, nempe toties, quoties promotus cum irregularitate actus ordinum ſuſceptorum exercebit, vel actus coniugales habebit, quæ propterea fortiùs obligant ad impediendum. Hæc ille.

4 Cur ſit repellendus à matrimonio contrahendo, & ab ordinibus, qui impedimẽto, vel irregularitate afficitur, nõ verò à ſacramentorum ſuſceptione affectus peccato lęthali.

Ratio reſponſionis vlterius ex eo deducitur, quià Parochus aſſiſtens matrimonio exiſtentis in peccato lęthali in nullo communicat cum eodem in tali peccato, nam ipſe non eſt propriè miniſter ſacramenti matrimonij *Poſſeuinus de offic. curati c. 5. nu. 33. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 15. n. 2.*, & Parocho ad ſummum prohibetur adminiſtrare ſacramenta incapaci, ergò aſſiſtendo, & validè aſſiſtit, nec vllam contrahit labem peccati.

Non negauerim tamen, quod ex vi proprij muneris teneatur Parochus, ſi commodè poſſit monere irretitum tali noxa lęthali, ſi nondum reſipuerit, vt per pœnitentiam ſacramentalem peccatum, quo irretitur, expiet, vel ſaltem conteratur ad effectum ſacramentalis gratiæ conſequendæ; ad Parochum etenim, cui commiſſa eſt cura animarum, ſpectat animas dirigere ad effugienda peccata, quantum commodè poteſt. Quod ſi ſecreto ſic monendo nullum effectum conſequatur reſipiſcentiæ, tunc poterit aſſiſtere, quià non poteſt peccatum cum delinquentis infamia detegere, vt aliud peccatum euitet.

Monendus tamen eſt ſecreto per Parochum, ne contrahat, niſi ab illo peccato ſe expiet.

---

## §. XLVIII.

### An Parochus poſſit impedire matrimonium ignorantibus, donec diſcant rudimenta fidei, & orationem ſaltem dominicam.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur ſtatus diſquiſitionis.* 1.
*Congruum eſt, vt ad breue tempus impediat, non tamen protrahat ad longum, vel abſolutè.* 2.
*Quanam debeat rudis antecedenter diſcere.* 3.
*Quare non poſſit ad longum tempus protrahere.* 4.
*Quibus pœnis poſſint compelli Parochi ad docendos pueros doctrinam Chriſtianam, & rudimenta fidei.* 5.

DISQVISITIO XLVIII. Rudis adeo mineruæ erat Caius, ſeù melius adeo inconſideratæ conditionis, vt aſſecutus ætatem quatuordecim annorum fidei rudimenta neſciret, nec didicerit orationem dominicam, nec ſalutationem Angelicam. Contrahere intendebat matrimonium cum Caia. Quæſitum fuit, an Parochus poſſet impedire matrimonium, vſquequo fidei rudimenta diſceret, & memoriæ mandaret orationem dominicam, & ſalutationem Angelicam ſaltem.

1 Proponitur ſtatus diſquiſitionis.

Reſpondeo poſſe, & congruum eſſe, vt ad breue tempus impediat regularitèr loquendo, non poteſt tamen abſolutè, nec ad longum tempus *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 15. n. 19. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. nu. 173. Bartolomæus Ledeſma de matrimon. dub. 11. Vega lib. 3. ſumma c. 211. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 15. n. 4.* Ratio eſt, quià ex vna parte detinendo contrahere volentes ad aliquod modicum tempus ne contrahant, & hoc modo quodam ſuaui, & abſque violentia propriè non priuat eoſdem iure ſuo, quod habent ad contrahendum, ex alio maximè conſulit bono ſpiri-

2 Congruũ eſt, vt ad breue tempus impediat ad eũ effectum, non tamen ad longum tempus protrahat, vel abſolute impediat.

ſpirituali eorundem contrahentium, qui, ſicuti per tantum temporis neglexerunt rudimenta fidei ediſcere, ita vlterius protraherent neglectum, niſi ſuaui illa, & non violenta diſpoſitione, ſeu impedimento mouerentur ad illa diſcenda, quæ ſcire ex præcepto tenentur, ergo, cum Parochus teneatur conſulere commodo ſpirituali animarum propriæ curæ commiſſarum, dummodo hoc præſtat ſine læſione iurium earundem congruè ſuas vices, ſuaque munera adimplebit, ſi pro illo tempore modo illo ſuaui impediat, ne contrahatur, donec &c. Huic noſtræ doctrinæ cõſentit *D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 65. art. 3. ad tertiũ* dicens licere priuato detinere aliquem ad aliquod modicum temporis, ne malum aliquod perpetret, non autem ſimpliciter, & ad longum tempus.

3 Quænam debeat antecedenter diſcere,

Hic diſputant DD. ad quænam ediſcenda poſſit modo illo ſuaui Parochus diſponere contrahere volentes, ne contrahant ante illa. Communior ſenſus eſt, quod poſſint compellere, vt ſaltem, ediſcant ante contractum Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, ſimbolum fidei, & præcepta Decalogi, & Eccleſiæ; alij vlterius etiam addunt ſeptem peccata capitalia, ſed Sanchez, hanc neceſſitatem quoad peccata capitalia non agnoſcit, quin immoradibus aſſerit potius nocere ea edocere, cum ex conſcientia erronea illa cognitio potius deſeruiret ad peccata emittenda, quam ad declinanda.

Dixi *regulariter loquendo*, ſi etenim contrahere volens ſit ſenio confectus, & adeo rudis mineruę, vt incapax ſit ad eadem ediſcenda, tunc non renuerem concedere poſſe, & teneri Parochum eiuſdem matrimonio aſſiſtere, quia non eſt priuandus iure ſuo ob cauſam, quæ ex genere ſuo non eſt impeditiua contractus, quamque non poteſt contrahens, vel abſolute, vel non niſi poſt multum temporis aſſequi.

Dixi *non tamen abſolute, nec ad longum tempus*. Ratio ex eo deducitur, quia non eſt in poteſtate Parochi inducere impedimenta quoad matrimonia contrahenda ad longum tempus, quæ non fuerunt à iure inducta, vnde merito hanc limitationem admittunt *Campanilis in diverſ. iur. canon. rub. 11. c. 14. num. 7. Auguſtin. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 32. num. 173. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 15. num. 19. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 15. num. 5.*, Neque hæc ratio militat, quando modo quodam ſuaui diſponit, vt ad breue tempus differatur contractus matrimonij, donec huiuſmodi rudimenta ediſcantur, quia hoc non eſt onus inducere, ſed per media licita mouere ad congrua ſtatui eorundem contrahentiũ.

4 Quare non poſſit ad longũ tempus protrahere.

Hic diſputant DD. in vniuerſum, an Parochus poſſit compelli cenſuris ad docendos ſubditos doctrinam Chriſtianam, & pueri ad eandem ediſcendã. Sanchez *d. lib. 3. diſp. 15. num. 19.* videtur aſſerere poſſe vtroſq; compelli, illos ad docendum, iſtos ad diſcendum, & aſſerit ſic Salmanticæ ſententia publica metropolitani fuiſſe deciſum. Nihilominus communius ſuſtinent, poſſe quidem Parochum cenſuris compelli ad docendum, prout definitum reperitur *in Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 24. de reformat.*, & ita etiam declarauit *Pius V. in ſua Conſtit.*, *quæ incipit ex debito Paſtoralis officij die 6. Octobris* 1572., non tamen per eaſdem cogi pueros ad diſcendum ſtando in iure communi, quia hoc nullo iure ſtatutum eſt, & onus cogendi pueros ad diſcendam doctrinam Chriſtianam potius ſpectat ad Parentes, quam ad Parochos, qui quamuis teneantur docere pueros, ſi ſe præſentent, non tamen tenentur compellere, vt ſe præſentent, licet ex vi proprij muneris teneantur parentes hortari verbis, vt filios præſentẽt inſtruendos. An vero Parochus teneatur ſub lethali pueros inſtruere communius ſuſtinent ſub tali onere teneri *Poſſeuinus de offic. Parochi c. 4. nu. 2. Auguſtin. Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 76. num. 39. Emanuel Sà verb. Parochus nu. 5. Azorius inſtit. moral. pars 1. lib. 5. c. 6. q. 5. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 15. num. 9.* Colligitur *ex Concil. Trident. d. ſeſſ. 24. c. 4. de reformat.*, vbi aduerſus Parochos tale munus negligentes iniungit pænam cenſurarum, per quam videtur grauiter præcipere eiſdem Parochus talem inſtructionem.

5 Quomodo teneantur Parochi docere pueros rudiméta fidei, & quo onere poſſint compelli.

---

## §. XLIX.

An teneatur Parochus, & quo onere librum tenere, in quo omnia ſcribat matrimonia ſuorum ſubditorum cum die, menſe, anno, & loco.

### SVMMARIVM.

*Exponitur ſtatus dubitationis.* 1.
*Tenetur Parochus habere librum, in quo deſcribat contractum coram ſe initum, nomina contrahentium, diei, menſis, anni, loci, & teſtium, illumq; apud ſe cuſtodire,* 2.
*Ad hoc onus tenetur ſub peccato lethali.* 3.
*Verum Parochus poſſit aliquid exigere pro fide danda matrimonij coram ſe initi ſtandum eſt conſuetudini locorum.* 4.
*Forma ſcribendi matrimonia in tali libro.* 5.



Digitized by Google

1 Exponitur ſeries facti

DISQVISITIO XLIX. Cum Parochus ex ſuperius dictis iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini in celebratione matrimonij adhibeatur, non tanquam miniſter proprius ipſius, nec vt exercens proprie iuriſdictionem, ſed præciſe, vt teſtis auctoritatiuus, vt non ſolum authorizet contractum, ſed vt etiam poſſit iuridicè coram Eccleſia teſtificari de eodem iam inito, quæritur, an teneatur actum, cui aſtitit in publicam ſcripturam reducere, & in libro adhoc munus deputato ſcribere addito die, menſe, anno, & loco, & teſtibus, in quibus, & coram quibus actus fuit celebratus, & ſub quo onere.

2 Tenetur Parochus habere librum, & quid deinde in eo notare.

Reſpondeo primo, teneri Parochum habere librum, & in eo deſcribere contractum coram ſe initum cum ſcriptione nominum contrahentium, diei, menſis, anni, loci, & teſtium, illumque apud ſe cuſtodire, non quia ſcriptura illa ſit de ſubſtantia contractus, ſed ad plenam probationem eiuſdem contractus, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium *Nauarrus in manuali c. 62. num. 79. verſic. quinto Fuſius de viſitatione lib. 2. c. 3. num. 26. Cauallos com contra com. q. 604. num. 138. Rebellus de oblig iuſt. p. 2. lib. 2. q. 7. num. 6. Coninchus diſp. 27. num. 74.* Expreſſè colligitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. matrimon. c. 1. vbi ſic legitur *Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & teſtium nomina, diemq; & locum contracti matrimonij deſcribat, quem diligentèr apud ſe cuſtodiat*, vbi nota in primis illam particulam, *habeat*, quæ vt pote coniunctiui modi temporis præſentis æquiualet imperatiuo, & ſic eſt præceptiua, & importat præceptum, & quidem congruè hoc ſtatutum eſt, vt facile probari poſſit matrimonium initum *Gutierez de matrimon. c. 60. num. 9. Stephanus Graſianus diſcept. for tom. 2. c. 468. nu. 4. Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. num. 174. Poſſeuinus de offic. curat. c. 12. num. 44. Reginaldus lib. 31. num. 242. verſ. vltra.* Ex quibus omnibus deducitur, quod quando alius ſacerdos de licentia Parochi, ſeu ordinarij aſſiſtit matrimonio teneatur eundem Parochum admonere matrimonium coram ſe contractum eſſe ſub tali die, menſe, anno, loco, præſentibus talibus, vel talibus teſtibus.

Decretum Concilij Tridentini quoad hoc

3 Ad hoc onus tenetur Parochus ſub onere peccati lethalis.

Reſpondeo ſecundo, Parochum teneri ſub peccato læthali dictum librum tenere, & in eodem contrahentes, & teſtes iuxta formam à Concilio præſcriptam deſcribere *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 7. num. 4. Manuel. pr. tom ſumma in 2. edit. c. 217. in fin. Bartolomeus à Ledeſma dub. 21. de matrim. § annotare Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 15. num. 22. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contractu c. 15. num 11.* Ratio ex eo deducitur, quia Concilij Tridentini diſpoſitio eſt præceptiua, & finem reſpicit ſecundum ſe grauē ad euitandas ſcilicet lites, quæ poſſunt conſurgere circa exiſtentiam, & nón exiſtentiam celebrationis matrimonij, ergo omiſſio eorum, quæ in tali diſpoſitione præcipiuntur, erit peccaminoſa læthalitèr.

Eadem ratione, qua tenetur, & ſub eodem onere librum tenere, & deſcribere nomina contrahentium, & teſtium cum tempore, & loco initi matrimonij tenetur etiam cautè, & prudenter eundem librū cuſtodire, ne, dum facile ad aliorum manus peruenit, facile etiam dilaceretur, aut foliatur in magnum detrimentum eiuſdem Parochi, & contrahentium, qua etiam ratione tenentur Notarij, & Tabelliones Protocolla inſtrumentorum conſeruare, ne inde damnum aliquod oriatur eidē, alijſque, ad quos negocia in eiſdem conſenta pertinent.

Alia etiam ratione tenentur Parochi librum tenere coniugatorum, & cautè cuſtodire, vt poſſint fidem facere, ſecundum quod continget, de matrimonijs contractis, & debet ex libro facere, ne erret, & errando poſſit ſubire pænas falſi, vt eueniſſe refert de quodam Parocho *Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 76. nu. 128.* in Regno Neapolitano, qui fidem fecerat de ſolemnizatione matrimonij, cum tamen ex libro non conſtaret de tali ſolemnizatione, vnde condemnatus fuit in pęnam falſi per ſuſpenſionem per quinquennium.

Ratio, ob quam tenetur habere librū, & ea ſcribere.

4 Vtrū Parochus poſſit aliquid exigere pro danda in ſcriptis fide matrimonij corā ſe initi ſtandum eſt cōſuetudini.

Vtrum autem Parochus poſſit aliquid accipere pro mercede in ordine ad fidem, quam extrahere continget ex libro ad petitionem partium, diſputant DD. Ego regularitèr iuxta conſuetudinem rem definirem, vel etenim in tali foro fides dari conſueuit data mercede, & tunc talem conſuetudinem non reprobarem; non etenim ex genere ſuo, vel aliqua iuris communis diſpoſitione vetitum eſt pro tali fide aliquid exigere, cum non detur pro re ſpirituali, ſed pro munere merè temporali; vel conſueuit dari gratis, & tunc conſuetudo ſeruanda eſt, nec poterit aliquid tunc Parochus exigere, niſi ſponte offeratur ab exigente talem fidem.

5 Forma ſcribenda matrimonia in tali libro,

Quæ non vero forma ſeruanda ſit in ſcribendis matrimonijs in tali libro, exiſtimo arbitrariam eſſe, dummodo deſcribantur contrahentes, & conſenſus ipſorum, denuntiationes factæ, ſolemnitas ſeruata, dies, menſis, annus, locus, & teſtes, qui interuenerunt. Ad directionem tamen Parochorum hæc apponitur à Ioanne Angelo Boſſio de matrimonij contractu c. 15. num. 13. Videlicet. *Die 4. Nouembris 1684. Caius de Libanis, & Titia de Caſtracano factis inter miſſarum ſolemnia tribus diebus feſtiuis, nempe 14. Octobris, 18. & 23. eiuſdem menſis, & anni denuntiationibus,*



Digitized by Google

*bus, & nullo impedimento allato, ſeu detecto, ſeruatiſque alijs ſeruandis coniuncti fuerunt in matrimonium à me D.D. Parocho Eccleſia Parochialis D.N. loci &c. vel à R.D. NN. Sacerdote de mei, vel ordinarij licentia in eadem Parochiali, vel in domo, de licentia*, ſi in tali loco ex præſcripto Epiſcopi prohibeantur domi matrimonia celebrari, *Epiſcopi, & inter miſſarum ſolemnia in eadem Eccleſia Parochiali benedictionem matrimonialem*, ſi fuerit danda, *receperunt, præſentibus NN., & NN. teſtibus idoneis ad hoc ſpecialiter vocatis*.

---

## §. L.

### An celebrato matrimonio clandeſtinè ſponſalia præcedentia retineant ſuam vim.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur ratio diſquiſitionis.* 1.
*Fundamentum dubitandi deſumptum ex Concil. Trid.* 2.
*Non obſtante matrimonio clandeſtinè celebrato præcedentia ſponſalia vim ſuam retinent, & obligant ad contrahendum validè.* 3.
*Satisfit rationi dubitandi deſumpta ex Conc. Trid.* 4.

1 Proponitur ratio diſquiſitionis.

DISQVISITIO L. Inierant inter ſe ſponſalia Manfredus cum Suſanna, vterque habilis, & ſeruatis omnibus, quæ in hoc genere ſeruanda ſunt, & eorum parentibus conſentientibus. Cedente tempore matrimonij contrahendi per verba de præſenti iuxta conuenta in celebratione eorundem ſponſalium illud contraxerunt, ſed non ſeruata forma Concilij Tridentini, hoc eſt non adhibitis Parocho, & teſtibus, quod certe matrimonium ex prædictis inualidum eſt. Hic quæſitum fuit, an ſponſalia antecedentèr legitimè inita vim amiſerint, an vero in ſuo robore permaneant, adeout adhuc obligent eoſdem ad validè contrahendum?

2 Fundamentum dubitandi deſũptam ex Concilio.

Concilium Tridentinum, prout antea afferebamus, non ſolum directè annullat matrimonium celebratum ſine Parocho, & teſtibus, ſed etiam indirectè, quatenus eoſdem contrahentes reddit inhabiles ad contrahendum; ex quibus inferri videtur, quod, ſi ſunt inhabiles ad contrahendum, non poſſint poſtea contrahere, adeoque ſponſalia præcedentia reddantur inualida. Accedit, quod, cum illa præcedentia ſponſalia referantur ad futurum matrimonium pro illo tempore celebrandum, & illud pro eo tempore fuerit initum inualidè tamen; eadem ſponſalia videantur in eodem contractu matrimoniali inualido reſoluta. Nihilominus

3 Sponſalia illa præcedentia vim ſuam retinent.

Reſpondeo, præcedentia illa ſponſalia vim ſuam retinere, & non obſtante illo matrimonio inualido ob clandeſtinitatem obligare eoſdem contrahentes ad contrahendum iterum validè ſeruata forma Concilij Tridentini, alijſque à iure requiſitis *Brixianus in repert. deciſionum Caualcani verb. matrimonium ſine denuntiat. Caualcanus part. 3. deciſ. 21. num. 44. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 1. num. 15.* Ratio ex eo deducitur, quia Tridentinum annullat quidem contractum matrimonialem ſine præſentia Parochi, & teſtium initum, & in ordine ad illum contractum, prout taliter, fit reddit contrahentes inhabiles, non tamen alios contractus præcedentes validè initos irritat, nec abſolutè ipſos inhabilitat, ſed tantum limitat ad ipſum ſic initum, ergo non eſt, cur præcedentia ſponſalia legitime inita debeat reſoluere, & irritare. Confirmatur primò ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij, prout refert *Bellarminus ad cap. primum dicti Concilij ſeſſ. 24. de reformatione in declarat.* vbi definitur matrimonium inter puberem, & impuberem, vel inter impuberes abſque Parocho contractum reſolui in ſponſalia, ergo, ſi tenet in ratione ſponſalium non obſtante clandeſtinitate non eſt clandeſtinitas matrimonij ex genere ſuo irritatoria ſponſalium, cum compatiatur cum illis, adeoque ſecundum ſe non irritabit præcedentia legitimè inita. Confirmatur ſecundò, quia contracto matrimonio inualido per perſonas habiles ſecundum ſe præciſa illa inhabilitate inducta per Concilium non eſt aliquod ius irritans, ſi poſtea ijdem contrahentes iterum contrahant inter ſe remota illa clandeſtinitate, & ſeruata forma Concilij, vt omnes fatentur, ergo eodem celebrato inualidè ratione illius clandeſtinitatis ex vi præcedentium ſponſalium validè initorum non erit, cur ijdem contrahentes non teneantur iterum validè contrahere, præcipuè cum clandeſtinè contrahentes non intenderint renuntiare iuribus ſponſalium præcedentium, ſed potius ea reducere ad actum perfectum.

Ratio reſponſionis.

4 Satisfit rationi dubitandi deſũpt æ ex Cõcil. Trid.

Ex quibus habes, quid reſpondeas ad ea, quæ in principio afferebantur; ad primum etenim dic illam inhabilitatem, quæ per concilium inducitur aduerſus clandeſtinè contrahentes non eſſe abſolutam, ſed limitatam ad illum actum clandeſtinum, non in ordine ad alios; cum finis eiuſdem concilij inhabilitantis fuerit euitandi ſcandala, quæ ex clandeſtino poſſent timeri, ne ſcilicet, cum non appareat in facie Eccleſiæ de tali contractu, illegitima inean-

Digitized by Google

ſneantur deſertis legitimis; quæ vtique eſſe non poſſunt, quando contractus poſtea celebratur in facie Eccleſiæ ſeruata forma ab eadem præſcripta. Ad ſecundum dic, ſponſalia quidem referri ad matrimonium per verba de præſenti tanquam ad ſuum finem principaliter intentum, ſed non ad idem quomodocunque, ſed validè contrahendum, vnde, ſi inualide fuerit contractum ius adhuc vrgebit ratione eorundem, vt valide iterum contrahatur.

---

## DISQVISITIONES IV.

### Ad reliquas omnes de Matrimonio 1. prænotiones.

#### §. I.

Quid requiratur, vt teſtimonium teſtium non videntium vim faciat, & ſufficienter probet matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Facti ſeries, & articuli examinandi.* 1.
*Sufficit præſentia Parochi, & teſtium, qua percipiant conſenſum ex auditu, licet non videant contrahentes.* 2.
*Vt Parochus, & teſtes poſſint valide teſtificari in hac hypotheſi notam habere debent regulariter loquendo vocem contrahentium.* num. 3.
*Excipitur caſus, quo prius Parochus, & teſtes vidiſſent contrahentes in tali loco, & certo ſcirent nullum alium ibi adeſſe.* 4.
*Idem clarius explicatur.* 5.

1 Facti ſeries, & articuli examinandi.

DISQVISITIO I. Contigit caſus, quo exiſtentibus Parocho, & teſtibus duobus, vel tribus in quodam cubiculo, in quo paries intermediabat Caius, & Berta nubiles exiſtentes intrà eundem parietem ita vt videri non poſſent ab eodem Parocho, & teſtibus elata voce inter ſe dixerint *Berta accipio te in meam coniugem*, & ipſa claris item verbis ſubdiderit *Caie, & ego accipio te in meum maritum*; quæ verba potuerunt commode audiri, vel etiam audita fuerunt ab eodem Parocho, & teſtibus. Hic multiplex articulus examinandus occurrit, primus, an illa præſentia Parochi, & teſtium intra illum parietem fuerit ſufficiens ad validitatem matrimonij iuxta formam concilij. Secundus, cum Parochus, & teſtes non viderint contrahentes ex ſuppoſitione, quod cæteroqui ſit ſufficiens illa præſentia, an requiratur, & ſufficiat, quod notam habeant vocem contrahentium ad valide ferendum teſtimonium de illo contractu. Tertius, an ſufficiat, quod viderint eoſdem contrahentes antecedenter intra illum parietem, & poſtea eorum voces audierint, an vero vlterius requiratur, quod certo nouerint nullum alium præter ipſos ibi adeſſe;

2 Sufficit præſentia, qua præcipiant conſenſum ex auditu, licet non videāt cōtrahentes.

Reſpondeo primò, talem præſentiam, quantum eſt de ſe, ſi conſenſus contrahentium proprij, & determinati percipi poſſint, vel percipiantur per aliquem ſenſum ſufficientem eſſe ad validitatem matrimonij. Ita ſentire videntur, quotquot ſuſtinent non eſſe neceſſe, vt Parochus, & teſtes videant quid agatur, ſed ſufficiſt, quod aliquo ſenſu id percipiant; atque ita ſentiunt *Henriquez lib. 11. de matrim cap. 3. §. 1. Sanchez lib. 3. diſp. 39. nu. 3. Guterez de matrimon. cap. 69. num. 4 in fin. Fernandez in medulla par. 3. cap. 18. §. 1. num. 9. Baſilius Pontius lib 5. cap 21 num. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract cap. 3. num. 24. & num. 35.* & alij, quos retulimus, & ſecuti fuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. 1. prænot. 31. aſſert. tertia verſ. hic alia ſuboritur difficultas*, vbi late probauimus reſponſionem, & obiectis aduerſantium ſatisfecimus, ad quæ propterea vos remitto. Solum aliqua difficultas videtur in eo conſiſtere, quod intermedium parietis videatur obſtare morali præſentiæ, ſicuti in multorum ſententia obſtant morali aſſiſtentiæ ſacri parietes Eccleſiæ, & ianuæ clauſæ reſpectu forinſecùs exiſtentium, quamuis audiant vocem celebrantis, quinimmo aliqui docent, quod non habeat moralem præſentiam requiſitam, & ſufficientem ad auditionem ſacri, qui aſſiſteret è feneſtra domus, quæ ſit è regione alterius *Filliutius tom. 1 tract. 5. c. 7. num. 209. Diana part. 4. tract. 4. reſol. 154.* & plerique etiam, quinimmo communius docent non eſſe ſufficientem præſentiam ad validam conſecrationem illam, quæ eſt inter ſacerdotem, & hoſtiam, quæ eſt poſt parietem reconditum, ergo &c. Sed facile poſſum his non obſtantibus aſſertum noſtrum euincere, quandoquidem ad matrimonium ea præſentia ſufficit, qua poſſint Parochus, & teſtes de illa actione, ſeù conſenſu ſenſibiliter præſtito teſtificari; hæc etenim eſt formalis ratio, ob quam concilium requirit huiuſmodi præſentiam; ſed poſſunt teſtificari, dummodo talem conſenſum ſenſibiliter exhibitum per aliquem ſenſum perceperint, licet non per viſum, & intermedium illius parietis non poteſt obſtare perceptioni per ſenſum auditus, vt ſupponitur, ergo &c. Neque exempla adducta de auditione ſa-

Eluduntur nonnulla exempla, & fortius roboratur reſponſio.



Digitized by Google

cri extra parietem, & de conſecratione hoſtiæ poſt parietem reconditæ aliquid euincunt, quandoquidem dato etiam, quod veritati innitantur, non eſt par ratio, quia ad conſecrationem requiritur demonſtratio, quæ eſſe non poteſt, dum hoſtia eſt poſt parietem recondita, & ad auditionem ſacri requiritur, vt audiens ſit moraliter in loco ſecundum communem exiſtimationem, in quo fit illud ſacrum; Ad validitatem autem matrimonij ſolum illa præſentia requiritur, qua Parochus, & teſtes poſſint teſtificari, quod aliquo ſenſu perceperint illum conſenſum exhibitum ſenſibiliter, & extrinſecè, ad quod non eſt neceſſe, quod ſint, vel extra, vel intra parietem.

3 Debent habere notã vocẽ cõtrahentiũ regulariter loquendo.

Reſpondeo ſecundo. Vt Parochus, & teſtes poſſint validè teſtificari in hac hypotheſi notam habere debent regulariter loquendo vocem contrahentium *Maſcardus de probat. verb. cacitas concl. 278. num. 7. Farinacius de teſtibus concl. 61. num. 14., & q. 69. num. 164. Barboſa tom. 1. collect. lib. 2. tit. 20. c. 33. num. 3. Menochius de arbitrarijs caſ. 475. num. 16., & 22.* Ratio ex eo deducitur, quia, ſi voces contrahentium notas non habuerint, cum ex alio capite ipſos non viderint; non poſſunt iuſtè aſſerere conſenſum per tales determinatos fuiſſe præſtitum, ergo nec teſtificari de tali determinato matrimonio. Confirmatur, quia ſicuti ad validitatem matrimonij requiritur determinatus contrahentium conſenſus, nec ſufficit vagus, ita ad teſtificandum de tali determinato conſenſu requiritur, vt determinate appareat de conſenſu ipſorum met. determinatorũ contrahentium; non apparet autem teſtibus de tali conſenſu talium perſonarum, quando, nec per viſum, nec per cognitionem vocum ipſorum cognoſcuntur.

4 Excipitur caſus, quo prius vidiſſent cõtrahentes eſſe in tali loco, & certo ſcirent alium non adeſſe.

Dixi *regulariter loquendo*, nam ſi Parochus, & teſtes prius viderint eoſdem contrahentes exiſtentes in tali determinato loco, & certo ſcirent nullum alium tunc adeſſe, audirent tamen vocem promittentis, & repromittentis, tunc certe validè, & efficaciter teſtificarentur de tali conſenſu exhibito per illas voces, quandoquidem nullius alterius potuit eſſe ille conſenſus *Farinacius de teſtibus q. 69. num. 194. ex Romano in l. 21. §. idem Labeo num. 8. verſ. aut contrahentes ff. de aq. pluu. arcend.*

5 Idẽ clarius explicatur

Reſpondeo tertio, non ſufficere, quod eoſdem contrahentes viderint Parochus, & teſtes intra idem cubiculum, & eorum voces audierint, niſi certo nouerint nullum alium ibi adeſſe, vel vocem eorum perfecte, vt diſtinctam ab illa aliorum notam habuerint. *Farinacius loc. cit. ex eod. Romano.* Ratio facilis ex eo deducitur, quia in exiſtentia plurium in eodem loco non poſſunt potius de vno, quam de alio teſtificari, niſi ex certis conditionibus vnum ab alio rationabiliter diſcernant; conditiones autem ſunt potiſſimum perfecta vocis cognitio; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod poſſunt quoad vocem falli; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia etiam viſus falli poteſt per textum *in c. quomodo 31. q. 1., & l. 1. ff. de ventre inſpic.*, & tamen nullus eſt, qui dubitet, quin validè, & efficaciter probent, qui teſtificantur de viſu.

---

## §. II.

### An, ſi quoad præſentiam Paroci, & teſtium aliqua omittantur, quæ vel ſinodali concilio, vel ex concilio, vel ex conſuetudine præſcripta ſunt, irritetur matrimonium.

### SVMMARIVM.

*Referuntur aliqua ex huiuſmodi conſuetudinibus, & ſtatutis.* 1.

*Siue à ſinodo, ſiuè à conſuetudine interdictum ſit Parocho non aſſiſtere ſine illis conditionibus, & teſtibus rogatis, tenet tamen matrimonium coram eodem celebratum illis non ſeruatis.* 2.

*Soluuntur nonnullæ rationes oppoſitæ.* 2.

DISQVISITIO II. Vſus iam obtinuit in aliqua regione, vel in ſinodo decretum eſt, vt Parochus non aſſiſtat matrimonijs ſuorum ſubditorum, non niſi in Eccleſia, & pro certis horis, & non niſi indutus ſuperpelliceo, & ſtola. Rurſus, quod nullo modo interueniant teſtes, niſi fuerint cogniti, & ſpecialitèr rogati à contrahentibus, nec alitèr, nec alio modo. Vrgente hoc decreto, vel conſuetudine Parochus aſtitit matrimonio Caij, & Suſannæ domi, hora extra præſcriptam, & ſacris non adhibitis indumentis; rurſus adhibiti fuerunt teſtes, nec cogniti, nec rogati. Quæſitum fuit, an matrimonium illud ſic initum teneret, an vero irritum eſſet. 1 Referũtur aliquæ ex his conſuetudinibus, & ſtatutis.

Hæc difficultas potiſſimum habet locum, quando per ſinodum, ita prohibetur, ſine illis conditionibus aſſiſtere, vt tollatur, ſeu ſuſpendatur iuriſdictio Parochi, vt ad celebrandum matrimonium non ſit legitimus Parochus, matrimoniumque coram eo contractum ſit nullum; tunc etenim non videtur aſſiſtere, vt Parochus, adeoque inualide. Nihilominus. Quomodo ſinodus poſſit interdicere, & ſub quo onere &c.

Reſpon-

Digitized by Google

2 Siue à ſinodo, ſiue à conſuetudine interdictũ fuerit Parocho aſſiſtere ſine cõditionibus, & teſtibus rogatis tenet tamen matrimonium corã eodẽ celebratũ illis nõ ſeruatis.

Reſpondeo, quod ſiue à iure in ſinodo, ſiue à conſuetudine interdictum ſit Parocho aſſiſtere matrimonijs, ſine illis conditionibus, & teſtibus, niſi ſint rogati, & cogniti, nihilominus ſubſiſtat matrimonium coram illis celebratum. Ita quoad primam partem quando interdicitur à iure in ſinodo, vel ab Epiſcopo *Coaruuias 2. parte de ſponſal. c. 6. in init. num. 6. Sannazarius de ſponſalib., & matrimon. c. 3. art. 4. num. 69. Franciſcus Molinus lib. 2. de ritu nupt. diſſ. 11. num. 134. Auguſtinus Barboſa tom 2. collect. lib. 4. tit. 2 c. 13 num. 5., & tit. 16. c. 1. num. 4. Aloiſius Riccius in praxi fori Eccleſ. deciſ. 243. num. 1.* Quoad ſecundam partem quando interdicitur, quoad conſuetudinem *Sanchez lib. 7. diſp. 4. Baſilius Pontius lib. 6. c. 4., 5., 6., & 7 Barboſa tom. 2. collectan in decret. lib. 4 tit. 1 c. 1. num. 2, & ſeqq; & tit. 11. c. 3 num. 2. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 3. num. 11.* Prima pars expreſsè definita eſt *apud Salzedo ad c. 73. pract. Diez verſ. primum dubium, & apud Rebellium pars. 2. poſt lib. 4. ſect. 3. num. 43.* à Sacra Congregatione Concilij in hæc verba. *An prohibitione facta ab ordinario* (idem intellige de ſinodo) *ne Parochus in matrimonium coniungat aliquos ita tollatur, ſeu ſuſpendatur iuriſdictio Parochi, vt ad celebrandum matrimonium non ſit legitimus Parochus, matrimoniumque coram eo contractum nullum ſit. Reſpondit ſacra Congregatio valere.* Quod ſi hæc valent, quando abſolute interdictum eſt, non video, cur valere non debeat quando abſolute interdictum non eſt, ſed ſolummodo neglectis certis conditionibus? Hoc idem eadem ſacra Congregatio definiuit apud *Bellarminum ad c. 1. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* in hæc verba. *Quando contrahitur ſecundum formam Concilij, & omittuntur ea, quæ præcipiunt ſinodalia, vel conſuetudo immemorabilis matrimonium tenet.* Item apud *Barboſam in collect. Bullarij verb. matrimonium* in cauſa Ruſſiæ 18. Nouembris, & 21. Decembris 1628. in hæc verba *Matrimonia inualidare non poteſt Epiſcopus per ſua decreta ſinodalia, quæ clandeſtina ſine Parocho, & teſtibus contracta eſſet, ſi ibi publicatum non eſſet Concilium Tridentinum, ita vt matrimonia poſt huiuſmodi decretorum publicationem aliter contracta, ſi nullum aliud obſtet impedimentum legitimum, valida, & firma ſint, ideoque coniuges, qui valide inter ſe contraxerunt matrimonia, illiſque poſtea per Epiſcopum tanquam contra formam ſui decreti nullis declaratis ſeparati fuerunt, ac inſimul habitare deſierunt omnino cogendi ſunt, vt in dictis matrimonijs contractis permaneant, atque vnà ſimul tanquam veri coniuges cohabitent &c.* Ratio reſponſionis noſtræ, atque harum omnium declarationum ea eſt, quia non poteſt Epiſcopus, nec etiam in ſinodo inducere aliquod impedimentum perpetuum dirimens matrimonium; induceret autem, ſi ex omiſſione conditionum, ſeu ſolemnitatum ab ipſo appoſitarum matrimonium initum irritaretur,

Variæ ſacræ Cõgregationis declarationes.

Secunda pars, nempe quoad conſuetudinem ex eo euincitur, quod ſtante *Concilio Tridentino d. c. 1. ſeſſ. 24. de matrim. reformat.* ſunt ſolummodo ſeruandæ conſuetudines laudabiles accidentales, quod nos non infitiamur, non autem illæ, quæ inducuntur tanquam ſubſtantiales, ita vt ſi non ſeruentur, irritetur matrimonium, quandoquidem impedimenta dirimentia perpetua non poſſunt induci, niſi auctoritate Romani Pontificis.

Impedimẽta dirimentia nõ poſſunt induci, niſi auctoritate Pontificis.

3 Soluuntur nonnullæ rationes oppoſitæ.

Ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, quod quantumvis interdicerentur matrimonia non obſeruatis illis conditionibus, ſeu ſolemnitatibus per ſinodum ea adiecta clauſula, vt ſine illis ſuſpendatur iuriſdictio Parochi, & ad celebrandum matrimonium non ſit legitimus Parochus) nihilominus coram ipſo celebrata abſolute tenerent, quandoquidem adhuc verè eſſet Parochus, & actus ille aſſiſtentiæ non eſt actus iuriſdictionis, ſed meræ auctoritatiuæ poteſtatis; vnde merito diximus in præcedentibus, quod etiam excommunicatus, & ſuſpenſus valide aſſiſtat.

---

## §. III.

An prohibito facta non Parocho, ſed eius Vicario ad nutum Epiſcopi amouibili irritet matrimonium, ſi coram illo ineatur.

### SVMMARIVM.

*Refertur ratio, & ſeries quæſiti.* 1.
*Rationes euincentes matrimonium ſic contractum coram illo Vicario non ſubſiſtere* 2.
*Vtique validum eſt illud matrimonium ſic contractum.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 4.

1 Refertur ratio, & ſeries quæſiti

DISQVISITIO III. Ex cauſis ſibi notis abſolutè interdixit Epiſcopus cuidam Vicario Parochi, qui Vicarius erat ad nutum eiuſdem Epiſcopi amouibilis, ne aſſiſteret determinato matrimonio, cui nihilominus ille adſtitit. Quæſitum fuit, an matrimonium coram illo initum ſubſiſteret, an vero eſſent abſolutè inualidum.

Non eſt dubium, quod, ſi Vicarius ille fuiſſet abſolutè amotus ab ordinario non validè aſſiſteret, quandoquidem tunc nec officio aſſiſteret, nec ex delegatione. Tota diffi-

Digitized by Google

Rationes euincentes matrimonium ſic contractũ coram illo Vicario nõ ſubſiſtere.

difficultas eſt, an, ſi non ſit amotus ab officio, ſed dumtaxat interdictus quoad munus aſſiſtendi tali matrimonio validè aſſiſtat, & quidem pro parte negatiua ratio potiſſimum militare videtur, quod, cum ille ſit nudè aſſumptus, habet ſolummodò facultatem dependenter à voluntate aſſumentis, qui ſicuti poterat aſſumere, & non aſſumere, ità poterat aſſumere quoad aliqua munera, & non quoad omnia, & per conſequens etiam quoad aliqua ſuſpendere facultatem, vel quoad illa abſolutè tollere; in qua hypotheſi in ordine ad illud munus perindè eſſet, ac ſi non eſſet aſſumptus; ſicuti igitur non tenet matrimonium contractum coram eo, qui nec Parochus eſt, nec licentiam habet à Parocho, vel ab ordinario, ita nec tenere dicendum eſt contractum coram Vicario à nutu Ordinarij amouibili, cui per eundem ordinarium ſublata eſt facultas aſſiſtendi. Nihilominus

3 Vtique validum eſt illud matrimonium.

Reſpondeo, illud matrimonium initum coram eo vicario à nutu *Epiſcopi* amouibili contra illã prohibitionem validum eſſe *Rota Romana in nouiſſimis tom. 1. deciſ. 429. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 2. n 3. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 3. n. 8.* Hocque expreſsè definiuit, & declarauit Sacra Congregatio Concilij apud *Salzedo ad d. cap. 73. practica, Diaz verſ. primum dubium, & apud Rebellium part. 2. poſt lib. 4. ſect. 3. n. 43.* per illa verba. *Quod ſi hæc prohibitio facta ſit non ipſi Rectori principali, ſed eius Vicario, qui ad nutum ordinarij amoueri poteſt, an matrimonium, in quo contra Ordinarij prohibitionem Vicarius ipſe interuenit validum ſit, reſpondit Congregatio validum eſſe matrimonium.* Confirmari poteſt ex eo, quod habetur *in cap. 1. de matrimon. contract. contra Eccleſia interdictum*, vbi decernitur, quod contrahentes ſcienter coram vicario ſic interdicto ſint in pœnam ad tempus ſeparandi, niſi ſit periculum incontinentiæ, & cum hic dicatur, quod ſolummodo ſint in pœnam ſeparandi ad tempus, vtiquè ſequitur, quod illud matrimonium teneat, ſecus eſſent in perpetuum ſeparandi, & cum rurſus dicatur, ſi non ſit periculum incontinentię, vtique magis firmatur validitas eiuſdem contractus, cęteroqui potius per illam non ſeparationem inijceretur tale periculum, quam tolleretur, prout notat *Gloſa in c. tua fraternitas verb. poteris irritare de ſponſa duor. Couarruuias 2. part. de ſponſal. c. 6. n. 6. Baſilius Pontius de matrim. lib. 7. cap. 7. n. 7. Auguſtinus Barboſa tom. 2. collect. tit. 16. c. 1. nu. 4.*, & ratio ea eſſe poteſt, quià illa prohibitio non eſt abſolutè remotio ab illo munere quoad auctoritatem aſſiſtendi, ſed dumtaxat lex pœnalis, & ſuſpenſiua quoad illam actum, quæ reddit quidem illum illicitum, non tamen inualidum.

Declarationes ſacræ Congregationis quoad hanc rem.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ

Ad ea, quæ ex aduerſo dicebantur, dicendum eſt, ipſa ad ſummum procedere, quando ille, cui vices curati demandantur ſpecialiter eligitur ad certa munera, ſecus autem, quando eidem demandata eſt vniuerſitas munerum, qui licet poſſit amoueri ad nutum *Epiſcopi*, prout tamen adhuc permanet in officio ſibi demandato computatur, vt Parochus; vnde ſicuti ſi interdiceretur Parocho, ne aſſiſteret tali matrimonio, valide adhuc aſſiſteret, ita ſi tali vicario interdiceretur aſſiſtentia, eadem tamen validè poneretur. Deindè illud interdictum non eſt remotio ab officio, ſed ſolummodò impedimentum quoad executionem; & per hoc ſaluari poſſunt ea, quæ dicebamus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. I. pranot. 25. aſſert. 1. verſ. ſtante hac declaratione*, quandòquidem illa procedunt, quandò abſolutè collata eſt facultas quoad aliqua munera tantum, & non quoad alia, & præcipuè non quoad hoc munus aſſiſtendi, qua ratione non eſt, vt viceparochus inſtitutus, ſed ad certa munera conductus; hic autem ſupponitur ad omnia ex illo munere electus, vnde per illam prohibitionem non ſupponitur ab officio amotus, ſed dumtaxat prohibitus ſub pœna ab illa aſſiſtentia.

---

## §. IV.

### An licentia aſſiſtendi certis nuptijs expiret morte concedentis.

*SVMMARIVM*

*Status controuerſiæ expoſitus.* 1.

*Sententia aſſerens non ſubſiſtere illud matrimonium celebratum coram delegato poſt mortem delegantis.* 2.

*Et licentia non expirat, nec illud matrimonium redditur inualidum.* 3.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO IV. Concellerat Caius Parochus Federico ſacerdoti facultatem aſſiſtendi nuptiis Camillæ, & Suſannæ celebrandis intrà limites propriæ Parœciæ. Antequam nuptiæ illæ celebrarentur Caius è viuis deceſſit. Poſtea Federicus poſt aliquod temporis ex vi illius facultatis ſibi in vitâ eiuſdem Caij conceſſæ adſtitit talibus nuptijs. Quæſitum fuit, an valida & efficax fuerit illa aſſiſtentia ex vi illius facultatis, vt illud matrimonium intelligatur validum?

2 Sententia negans ſubſiſtere.

Negant abſolutè validum eſſe *Auguſtinus Barboſa de Parochis c. 21. n. 24.*, & alij; aſſerunt enim illam licentiam conceſſam aſſiſtendi illas nuptijs æquiparari mandato;

Digitized by Google

toi mandatum autem re adhuc integra permanente expirat morte mandantis, *Rota Romana in vicentina matrimonij* 11. *Martij* 1624. *coram Dunozeuo arg l. mandatum C. mandati, & c. gratum, & c. legatum de offic. delegat.*, qua etiam ratione communiter aſſerunt DD. iuriſdictionem delegatam re adhuc integra permanente expirare morte delegantis. Nihilominus

3 Reſpondeo, per mortem concedentis non expirare *Franciſcus Molinus lib. 2. de ritu nupt. diſſ.* 11. *n.* 106 *Auguſtinus Barboſa ſibi ipſi contrarius de poteſt Epiſcop. alleg.* 33. *num.* 132. *Garzias de benefic. art.* 6. *c.* 2. *n.* 300. *Baſilius Pontius lib.* 8. *cap.* 19. *n.* 2. *Salas de legib. diſp.* 20. *ſect.* 17. *Ægidius Coninchus diſp.* 8 *dub.* 10. *n.* 72. Ratio ex eo deducitur, quià talis facultas habet rationem gratiæ abſolute factæ, nec continet delegationem iuriſdictionis contentioſæ, & fori externi, nec eſt gratia facienda, cum non committatur alteri, vt concedat, ſed ſimplicitèr facta, cum independentèr à quocunque alio ſit conceſſa, ſed gratia abſolutè facta, non facienda, nec continens delegationem iuriſdictionis contentioſæ non expirat morte concedentis, vt colligitur *ex c. ſicui nulla de præbendis in* 6. *c. ſi ſuper gratia de officio deleg. eodem libro*, & multis exemplis in ſimilibus gratijs abſolutè factis euincitur, & primo in indulgentijs à Papa conceſſis *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi privilegio ſect* 1. *caſ.* 18. *num.* 6., vbi plures pro ſe allegat. Secundo in approbatione ad ſacras confeſſiones audiendas *Molinus lib.* 2. *de ritu nuptiar. diſ.* 11. *n.* 108. Tertio in facultate conceſſa ab Epiſcopo ſuſcipiendi ordines à quocunque Epiſcopo *Sanchez de matrimon. lib* 8. *diſp.* 28. *n* 83., *& Molinus loc. cit. n.* 110. Quartò in facultate conceſſa alicui celebrandi miſſam in domo ſua priuata *Rota in noviſ. deciſ.* 86. *de reſtit.*, & in alijs ſimilibus. Ratio autem, cur gratia abſolutè facta non expiret morte concedentis ex eo habetur, quod gratia abſolutè facta eſt quædam moralis largitio, & donatio; donatio autem non expirat morte donantis.

Illa licentia non expirat, & matrimonium illud validum eſt.

Gratia abſolutè facta non expirat morte concedentis.

Neque obeſſe poteſt textus *in d. l. mandatum C. mandati, & in c. gratum, & in c. mandatum de officio delegati*, quandòquidem diuerſa eſt ratio de mandato, & de delegatione iuriſdictionis contentioſæ, cum mandatum ſit præcisè in fauorem mandantis, & delegatio iuriſdictionis contentioſæ non ſit gratia ſimpliciter, adeoque nec donatio moralis, & propterea quoad vtramque militant iura præallegata, quæ non militant quod gratiam ſimplicitèr, & abſolutè factam. Dixi in probatione reſponſionis, *quod ſit gratia facta non facienda*, ſi etenim eſſet gratia facienda vtique morte concedentis expiraret, vt plures DD. docent ex textu *in d c. ſi cui nulla de præbendis in* 6., & ratio eſt, quià tunc habet rationem commiſſionis, & mandati, quod iuxta textum *in d. l. mandatum C. mandati* expirat. *Gloſa in d. c. ſi tibi nulla not primo verb. moriatur, & ibi ArchiDiaconus ad fin. verb. ſecus facienda, Anchæranus c. ſi ſuper gratia num.* 1. *de offic. deleg. in* 6. *Baldus in l. fin. in prim. lect. n.* 3. *verſ. ſed pone princeps, ff. de conſtit. Princip. Roſella verb. gratia in initio, & ibi Silueſter q.* 2. *Nauarrus in ſumma c.* 27. *nu.* 253. *verſ. nono, & lib.* 1. *conſil. in* 2 *edit. tit. de officio deleg. conſ.* 2. *n.* 1., *& in prima edit. lib.* 5. *tit. de priuileg. conſ.* 2. *n.* 1.

Diuerſa ratio de mandato, & de licentia quoad iuriſdictionẽ voluntariã

Dices, facultas, quam habet vicarius generalis aſſiſtendi matrimonijs ſubditorum Epiſcopi, cuius eſt vicarius, expirat morte eiuſdem Epiſcopi per ea, quæ nos docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim.* 1. *prænot.* 30. *in princip.* ex DD., & rationibus ibi allegatis, & adductis, ergò etiam facultas cuicunque ſacerdoti conceſſa aſſiſtendi matrimonio ceſſat ceſſante vita concedentis. Sed contra, neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quià poteſtas Vicarij generalis, quantumvis ſit vna cum auctoritate, & poteſtate Epiſcopi, eſt tamen acceſſoria ad ipſam, & poteſtas aſſiſtendi matrimonijs eſt acceſſoria ad auctoritatem in alijs omnibus etiam iuriſdictionis contentioſæ; ſicuti igitur ceſſante auctoritate principali in Epiſcopo ceſſat etiam acceſſoria in vicario, ita ceſſante auctoritate in alijs omnibus, & præcipuè iuriſdictionis contentioſæ ceſſare debet, & facultas aſſiſtendi, cum cæteris auctoritatibus, quæ ceſſant, adijciatur; quæ non militant in hypotheſi noſtræ reſponſionis, vbi gratia aſſiſtendi de per ſe ſtat, vnde non eſt, cur deſinat ad deſitionem concedentis, cum habeat rationem moralis donationis, vt ſupra.

Cur non expiret poteſtas delegati per mortem delegantis, cum expiret auctoritas Vicarij generalis per mortẽ Epiſcopi.

Dices ſecundò, facultatem conceſſam ad aſſiſtendum determinato matrimonio videri gratiam faciendam, non factam, cum cedat potius in fauorem contrahentium, quam ipſius electi ad aſſiſtendum, eo modo, quo commiſſiones factæ ad diſpenſandum ſuper impedimento matrimonij reputantur pro gratijs faciendis, non pro factis, cum cedant potius in fauorem contrahentium, ſuper quos cadere debet diſpenſatio, quam ipſius electi ad diſpenſandum; gratiæ autem faciendæ ex præallegatis expirant morte concedentis. Sed contra, quià ad diſtinguendum inter gratiam factam, & faciendam, attendendum eſt, non cui fiat reſcriptum, ſed ad quem terminet ipſa gratia, quæ ſi exequenda eſt per ipſum electum per reſcriptum, & nondum executa, vtique eſt gratia facienda, & proinde expirat morte

Eſt gratia facta in fauorem electi non facienda in fauorem contrahentium.

con-

concedentis; cum igitur in commiſſionibus ad diſpenſandum gratia diſpenſationis referatur ad perſonam, quæ indiget diſpenſatione, & hæc nondum per commiſſarium ſit collata, vtique eſt facienda, & expiret; in facultate autem ad aſſiſtendum gratia refertur ad ipſum, cui commiſſa eſt talis facultas, cum per ipſam conſtituatur teſtis auctoritatiuus, nec contrahentes indigent, vt ille potius, quam alter aſſiſtat, adeoque fauor iam completus eſt in ipſo delegato, eo modo quo intelligitur completa gratia facta alicui per deputationem audiendi confeſſiones.

Quomodò cognoſci poſſit, an gratia ſit facta, an facienda.

Pro complemento monent hic aliqui ad dignoſcendum, an gratia expiret morte concedentis, quandò eſt commiſſa alicui, vt conferatur, adeo vt pendeat ab executione commiſſarij, attendi debere, an commiſſarius ſit executor neceſſarius, quatenus munus exercere teneatur, vel ex præcepto, vel aliqua neceſſitate compellente, an verò ſit executor voluntarius, quatenus executio pendeat ab ipſius arbitrio; iuxtà primum ſenſum communitèr aſſerunt gratiam non expirare morte concedentis, quià tunc habetur pro completa, cum executor complere teneatur; Iuxta ſecundum non item, quià gratia completa non eſt. Quod ſi dicas, quod hac ratione facultas aſſiſtendi matrimonij expiraret morte concedentis; cum commiſſarius poſſit liberè aſſiſtere, & non aſſiſtere; ſtatim impugnaberis, quià hæc gratia non conſideratur in ordine ad contrahentes, ſed ad ipſum commiſſarium cuius eſt fauor, reſpectu cuius propterea eſt completa.

CON-

Digitized by Google

# CONTRACTVS XV.

## De Matrimonio II. ideſt de impedimentis eiuſdem.

QVamuis ius ad contrahendum matrimonium ab ipſa naturà per quandam propenſionem inditum videatur, non eſt tamen omnibus commune; plerique etenim, vel ipſo iure naturæ refragante, vel lege diuina prohibente, vel iure poſitiuo humano reſiſtente, vel propriæ voluntatis arbitrio legem priuatam ſibi conſtituente per votum ab hoc contractu retrahuntur, vt niſi intercedente diſpenſatione, per quam vinculum impedimenti diſſoluatur copulari ad inuicem poſſe videantur. Quamobrem ne quid deſit, quod ad præſentis inſtituti notitiam pertinere poſſit, placet ſub hoc titulo ea omnia, & ſingula, quæ impares, & inhabiles conſtituunt ad contrahendum, examinare. Impedimenta hæc ſunt, quæ quia ſunt in diuerſo genere diuerſas etiam dubitandi rationes exhibent; alia etenim ſunt impedimenta ſimpliciter impedientia, quæ ſcilicet impediunt contrahendum, non dirimunt contractum, alia impedientia ſimul, & dirimentia, quæ, & contrahendum impediunt, & contractum dirimunt. Sermonem primo inſtituemus de primis, ſucceſſiue de ſecundis, vſque ad ſacietatem. Hoc vnum moneo diſceptationes has nedum vtiles, ſed neceſſarias omnino eſſe ad hanc materiam, quibus propterea ſedulo incumbendum.

PRÆNOTIO I.

Quot, & quænam ſint impedimenta ſimpliciter impedientia.

*SVMMARIVM*

*Impedimenta ſimpliciter impedientia ſunt in duplici differentia ſubalterna, alia ex crimine, alia ſine crimine*. 1.

*Enumerantur impedimenta ſine crimine*. 2.

*Enumerantur impedimenta ex crimine*. 3.

*Explicantur impedimenta ſine crimine, prout diſtinguuntur à dirimentibus*. 4.

*Explicantur procedentia ex crimine prout ab eiſdem diſtinguuntur*. 5.

COmmuniùs DD. ſingillatim dumtaxat agunt hic de duobus impedimentis, non quia duo tantum ſint, ſed quia de alijs dixerunt ex occaſione ſub alijs titulis, dum de impedimentis dirimentibus; ſic de impedimento cathechiſmi differunt ſub titulo cognationis ſpiritualis, de voto ſimplici, dum de ſolemni, de ſponſalibus, dum de impedimento ligaminis, de crimine impediente, dum de crimine dirimente, vbi poſtea eadem ab inuicem ſecernunt explicantes, quę ſunt propria præciſe impedientium, & quę ſunt propria dirimentium. Nihilominus maioris claritatis gratia placet omnia, & ſingula impedientia ſimpliciter etiam quoad doctrinam ſecernere, & ex profeſſo in particulari, vt diſtincta à dirimentibus examinare.

1 Impedimẽta alia ex crimine, alia ſine crimine. Aduerto igitur, hæc quaſi in duplici eſſe differentia ſubalterna, quatenus quælibet ſub ſe cõtinet alias inferiores differentias, ſeu ſpecies; alia etenim quodamodo conſurgunt ſine crimine, alia ex crimine proficiſcuntur. Prima continent ſub ſe quinque ſpecies, quæ ſub his carminibus continentur.

2 Enumerantur impedimenta ſine crimine.

*Eccleſia vetitum, nec non tempus feriatum,*
*Atque cathechiſmus, ſponſalia, iungito votum*
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri*

Secunda continent ſeptem ſpecies, quæ ſequentibus caminibus exprimuntur.

3 Enumerantur impedimenta ex crimine.

*Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,*
*Suſceptus propriæ ſobolis, mors præsbiteralis*
*Vel ſi pæniteat ſolemniter, aut monialem*
*Accipiat, prohibent hæc coniugium ſociandum*

Singulas ſpecies vtriuſque differentiæ ſubalternæ nunc explico. Prima ſpecies eorum, quæ non procedunt à crimine eſt Eccleſiæ vetitum, quę poteſt confundi cũ ſequenti ſpecie, nempe cum tempore feriato, quatenus etiam prohibitio celebrandi matrimonia pro illo tempore prouenit ex Eccleſiæ præſcripto; nihilominus ad ſeruandam diſtinctionem à DD. communitèr approbatam ſentiendum, eſt per ly *Eccleſia vetitũ* venire nõ præcisè matrimonium clandeſtinum, quod contingat celebrari ſine Parocho, & teſtibus, nam hoc iuxta ſuperius dicta non ſolum eſt illicitũ, ſi contrahatur, ſed abſolutè etiam inualidum, at venire, vel matrimonium ſine præuijs denuntiationibus ab Eccleſia præſcriptis, quarum omiſſio non inualidat quidem matrimonium, inficit tamen labe contrahentes, & contractum reddit illicitum, vel matrimonium, quod auctoritate hominis ius ad hoc habentis ad tempus interdicatur ob legitimam cauſam. Secunda ſpecies eſt tempus feriatum quatenus pro determinato aliquo tempore anni ex Eccleſiæ præſcripto interdicuntur matrimonia celebrari, quæ nihilominus ſi celebrentur, tenent, contrahentes tamen afficiuntur graui noxa; Quænam vero circa matrimonia prohibeantur pro tali tempore dictum fuit ſupra, & latius infra dicetur. Hoc autem tempus feriatum incipit à feria quarta cinerum vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè, & à primo die Aduentus Domini vſque ad diem Epiphaniæ. Tertia eſt Catechiſmus, quæ tunc contrahitur, quando quis tenet puerum non in baptiſmo, ſed in catechiſmo, hoc eſt in inſtructione fidei, quæ fit ante ianuam Eccleſiæ, per quam ſuſceptionem tenens contrahit cognationem ſpiritualem imperfectam, impedientem quidem, non dirimentem matrimonium. Quarta eſt ſpecies ſponſalium, quatenus ſponſalia antecedenter legitimè inita impediunt matrimonium cum alia perſona ineundum. Quinta eſt votum, quod intellige de ſimplici caſtitatis, Religionis, & ſacrorum ordinũ, quod quidem impedit, non dirimit.

Quid ſaltẽ inadequatè d ueniẽ tanquã includens ab incluſo.

4 Explicãtur impedimẽta ſine crimine, prout cõtradiſtinguũtur a dirimentibus.

Quandonã incipiat, & definat tẽpus feriatũ

Quod veniat nomine cathechiſmi.

Species ſecundæ differentiæ ſubalternæ ſcilicet impedimentorũ, quæ conſurgunt ex crimine hæ ſunt. Prima inceſtus, quæ conſurgit ex eo, quod maritus fornicatus fuerit cum affine propria, ſeu conſanguinea vxoris in gradu prohibito, ex qua fornicatione oritur, quod maritus præmortua vxore impediatur ratione talis criminis ad contrahendum cũ quacunq; alia, de qua ſpecie infra occurret ſermo ex profeſſo. Secunda raptus ſponſatæ, qui ſecundum ſe duplex quodamodo infert impedimentum, alterum cum rapta, quouſque permanet ſub poteſtate raptoris, quod ex diſpoſitione Concilij Tridentini eſt dirimens, alterum cum alia quacunque à rapta, quod eſt præcisè impediens, de qua etiam ſpecie ſecundum vtramque

5 Explicãtur procedẽtia ex crimine prout diſtinguũtur à dirimentibus.

con-

Digitized by Google

conſiderationem erit ſermo infra. Tertia eſt vxoricidium, quæ conſurgit ex eo, quod quis propriam vxorem occiderit, ex qua occiſione prouenit, quod occiſor non poſſit cum alia quacunque nubere. Quarta eſt ſuſceptio proprij filij, vel in baptiſmo, vel in confirmatione eo animo, vt contrahat cognationem ſpiritualem cũ propria vxore, ne debitum reddat; tunc etenim ſi præmoriatur vxor, non poterit cum alia contrahere. Quinta ſpecies eſt presbitericidium, modo homicida fuerit de crimine conuictus in iudicio. Sexta eſt publica pænitentia, ratione cuius pænitens impeditur à matrimonio contrahendo. Septima eſt contractus matrimonij cum moniali ſcienter, dummodo fuerit profeſſa. His ſic in genere cognitis ad ſingula in particulari examinanda deſcendimus.

## PRÆNOTIO II.

Explicantur in particulari ea, quæ pertinent ad impedimenta non prouenientia ex delicto, & præcipue ad Eccleſiæ vetitum.

### SVMMARIVM.

*Iudex laicus non poteſt interdicere matrimonia ad tempus etiam ex cauſa.* 1.

*Epiſcopus poteſt ob legitimam cauſam matrimonia ſubditorum ad tempus interdicere.* 2.

*Etiam Parochus non ſolum poteſt, ſed etiam debet quandoq; prohibere.* 3.

*Enumerantur cauſæ, ob quas ad tempus poteſt interdici matrimonium.* 4.

**Quomodo diſtinguatur tempus feriatũ ab Eccleſiæ vetito.**

QVoniam in præcedenti prænotione diſtinguentes *E*ccleſiæ vetitum à tẽpore feriato tanquã includẽs ab incluſo, vel tanquam ſpeciem omnino ſeparatam à ſpecie, diximus nomine Eccleſiæ vetiti venire prohibitionem ab homine ex iuſta, & legitima cauſa, ne contrahatur matrimonium, immediatè ſuboritur difficultas, quiſnam ſit hic homo, qui poſſit legitimè interdicere matrimonia ad tempus; & quænam ſint iuſtæ cauſæ interdicendi.

**Alius à Romano Pontifice non poteſt inducere impedimentũ perpetuũ.**

Dixi *ad tempus*, quandoquidem interdicere matrimonia ad quodcunque tempus inter certas perſonas, ſeu inducere impedimentum perpetuum matrimonij de præſenti ſolius eſt Romani Pontificis, vel Concilij *E*cumenici de ipſius Pontificis auctoritate, & licet attento iure diuino, & naturali videatur Epiſcopus poſſe in ſuo Diœceſi, quidquid poteſt Pontifex in vniuerſali *E*ccleſia, hoc tamen intelligitur, ſub conditione, niſi Pontifex aliquid ſibi reſeruauerit; de facto autem ſibi reſeruaſſe poteſtatem conſtituendi impedimenta perpetua aſſerunt *Victoria relect. de matrim. pr. part. ſecunda part. ad fin, Antonius c. ina fraternitas num. 5. de ſponſ. duor. & c. penult. in fin. de deſponſ. impub. Coaruuias 4 decret. 2 part. c. 6. §. 10. num. 16. Paludanus in 4. diſt. 34. q. 1. art. 1. num. 10. Tabiena verb. impedimentum impediment. 13. num. vnico ad fin* ſicque ex generali *E*ccleſiæ conſuetudine expreſſe euincitur. Difficultas igitur eſt ſolummodo, an ad tempus poſſit non ſolum interdicere Iudex Eccleſiaſticus, an vero etiam Laicus, & ex ſuppoſitione, quod ſolus Eccleſiaſticus, an ſolum Epiſcopus, qui exercet iudicialem poteſtatem, an vero etiam Parochus.

**1 Iudex laicus non poteſt interdicere matrimonia ad tempus etiam ex cauſa.**

Aſſertio I. Iudex laicus non poteſt ad tempus interdicere matrimonia etiam ex cauſa. Ita exiſtimo ſentire quotquot ſuſtinent Principes ſæculares fideles non poſſe inducere impedimenta matrimonij *Gloſa fin. c. ſi ingenuus 29 q. 2. Antonius c. 1. de ſponſalibus num 12., & c. 2. de deſponſat. impub. num. 2. Hoſtienſis in ſumma tit. de ſecundis nupt. in fin. Abbas rep. c. Eccleſia de conſtit. num 19. Alexander de Neuo c. 1. de ſponſal. num, 21., & 22. Francus c. ſtatutum de hæret. in 6. Turrecremata c. 1. 30. q. 3. art. 6. in ſolut. ad primum num. 17. Coaruuias 4. decret. 2. part c. 6. §. 10. num 16.* Ex Theologis *D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 2. art. 2. ad quartum. & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 7. ad fin. Paludanus q. 2. art. 2. concl. 7. nu. 25. & alij.*

Non diſputo in præſenti, an hæc negatio poteſtatis in Iudicibus, ſeu Principibus laicis proueniat ex genere ſuo ex defectu iuris in eiſdem exiſtentis, an vero ex reſeruatione ſibi facta per Romanum Pontificem ex eo, quod iam contractus matrimonialis limites naturæ excedat, & ad eſſe ſupernaturale ſacramẽti ſit eleuatus. Quocunque etenim ex capite procedat ſemper verificatur, quod Princeps, ſeu Iudex laicus non poſſit interdicere.

Probatur primo ex varijs iuribus, quibus dicitur cauſas matrimonij ad ſolius Eccleſiæ forum pertinere, & primo *ex c. tuam de ordin. cognit.* Secundo *ex c. multorum 35. q. 3.* Tertio *ex c. accedentibus de exceſ. prælat.* Quarto *ex c. Euphemium 2. q. 3* vbi dicitur, quod *matrimonia hodie reguntur iure poli, non iure fori*; Neque dicas huiuſmodi iura procedere ſolummodo quoad impedimenta perpetua, & dirimentia, non autem quoad ſimpliciter impedientia, & temporanea, ſeu ad tempus quandoquidem maximè expedire videtur Reipublicæ tranquillitati, vt quandoque matrimonia aliqua ſuſpendantur, & poteſtas

 Regia

Regia nata eſt ad ſeruandam eiuſdem Reipublicæ tranquillitatem; Contra enim impugnaberis, quia cui interdictum eſt cognoſcere, vel agere circa validitatem, ſeù inualiditatem matrimonij, intelligitur etiam interdictum agere quoad ipſius executionem, vel negationem executionis, & fruſtra eſſet ſublata poteſtas ad ſe ingerendum in cognitione, & impedimentis matrimonij, ſi illius executionem poſſet propria auctoritate ſuſpendere, nam ſic ſuſpendendo attingeret quodamodo ſubſtantiam matrimonij.

*Nõ poteſt ſe ingerere in cauſis matrimonialibus,*

Probatur ſecundò ratione, quia cum hodie contractus matrimonij naturæ limites excedat, ſitque eleuatus ad eſſe ſacramenti, vel factus eſt materia purè Eccleſiaſtica, vel ſaltem valde conſentaneũ fuit, vt Pontifex hanc materiam ſibi, & foro Eccleſiaſtico reſeruaret; De facto autem reſeruaſſe colligitur ex textibus in præcedenti probatione allegatis.

2 *Epiſcopus ex cauſa poteſt ad tempus interdicere,*

Aſſertio II. Epiſcopus poteſt ob legitimam cauſam matrimonia ſubditorum ad tempus interdicere *Gofredus in ſumma tit. de matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ n.1. Angelus verb matrimonium 3. impediment, 1. n. vnico*, & quotquot ſuſtinent ſolius eſſe Iudicis Eccleſiaſtici de cauſis matrimonialibus cognoſcere: Hocque expreſsè colligitur ex *c. 1. de conſang. in fin.*

Ratio ex eo deducitur, quia Epiſcopus non ſolum habet populos ſibi commiſſos per ſacramentorum adminiſtrationem ad æternam ſalutem dirigere, ſed etiam per iudicialem poteſtatem regere, & in ijs, quæ ſibi Romanus Pontifex non reſeruauit ordinariam regularitèr exercet iuriſdictionem, cum in hoc locum habeat, quod communitèr circunfertur, Epiſcopum ſcilicèt poſse in ſua Diœceſi, quidquid Pontifex poteſt in tota Eccleſia; ſed ad perfectum regimen propriæ Eccleſiæ ſpectat quandoque interdicere ad tempus aliquod matrimonium, cum ſcilicet ſubeſt ratio dubitandi de exiſtentia alicuius impedimenti, quoadvſque ſcilicet examinetur, an verè adſit, vel non, hocque etiam cadit in vtilitatem eorundem contrahentium, nec hoc eſt Romano Pontifici reſeruatum, ergò &c.

3 *Etiam parochus nõ ſolum poteſt, ſed etiam debet quandoq; prohibere.*

Aſſertio III. Non ſolum Epiſcopus poteſt ex iuſta cauſa matrimonium interdicere ad tempus, ſed etiam Parochus, quinimmò quandoquidem hic debet prohibere *Paludanus in 4. diſt. 24. q. 1. art. 1. n. 10. concl. 4. D. Antoninus in ſumma 3. part. tit 1. c. 16. in princip. Caietanus in ſumma verb. matrimonium cap. 1. §. ſecundum vero caput Petrus de Sotis lect. 14. de matrimon. §. huic proximum eſt, Philiarchus de offic. Sacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 4.*

Expreſsè colligitur *ex c. fin. de clandeſt. deſponſ.*, vbi dicitur, quod *contractus interdicatur*, & quidem ibi agitur de Parocho, & de ipſius officio, quinimmò etiam ibi additur *Sanè ſi Parochialis ſacerdos prohibere contempſerit*, ergò ibi ſupponitur Parochum poſſe interdicere. Confirmatur *ex Concil. Tridens. d. c. 1. ſeſſ. 24 de reformat. matrimonij*, vbi præcipitur Parocho, quod premiſſis denuntiationibus, nulloque emergente impedimento procedat ad matrimonium in facie Eccleſiæ, ergò emergente impedimento, vel dubio de eodem impedimento poterit Parochus interdicere, quovſque ſuper illo impedimento per eum, ad quem ſpectat cognoſcere, cognoſcatur. Dixi per *eum ad quem ſpectat cognoſcere cognoſcatur* nam certè talis cognitio non ſpectat ad eundem Parochum, ſed ad Epiſcopum, quod præcipuè colligitur ex *c. 1. de conſang.* vbi ſic legitur. *Non ſunt cauſæ matrimoniales tractandæ per quoslibet, ſed per Iudices, qui poteſtatem habeant*; Parochus autem non eſt Iudex, ſed ſolus Epiſcopus, quod etiam colligitur *ex cap. fin. in fin. principij de clandeſt. deſponſat.*, vbi ſic legitur. *Cum autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam contractus interdicatur expreſsè, donec quid fieri debeat ſuper eo manifeſtis conſtiterit documentis*; vbi ly *conſtiterit*, importat iudicialem poteſtatem per textum *in c. exhibita de iudicijs*, quæ in ſolo Epiſcopo reſidet, non in Parocho, ergò &c. Munus igitur erit ſolummodò Parochi in ea hypotheſi ſuſpendere matrimonium, donec re delata ad Epiſcopum iudicialitèr cognoſcatur ſuper illo impedimento.

*Varijs Iuribus enunciatur.*

*Dices* interdicere etiam ad tempus eſt actus iuriſdictionis, ergò non poterit exerceri per Parochum *Innocentius in c. fin. in fin. de clandeſtina deſponſ.*, vbi alios plures refert. Sed contra reſpondet in primis *Cardinalis in d. c. fin. de clandeſt deſponſ. n. 2.* Parochum interdicere ſolummodò extraiudicialitèr, quod non eſt propriè actus iuriſdictionis. *Deindè* ſtante moderno iure Concil. Trident. non exercet actum iuriſdictionis, quià præcisè ſubtrahit propriam aſſiſtentiam, quæ non eſt actus iuriſdictionis, ſed merè auctoritatiuæ præſentiæ. Deindè ſic interdicendo ipſe non pertractat iudicialiter cauſas matrimoniales, quod ipſi interdictum eſt per *d. c. 1. de conſanguin.*, ſed ſuſpendendo afficit, quod iudicialitèr pertractentur ab habente poteſtatem iudicialitèr pertractandi.

*Interdicit ſolùmodò extraiudicialitèr.*

Aſſertio IV. Potiſſimæ cauſe ſuſpendendi ad tempus matrimonia ſunt impedimentum oppoſitum, periculum rixarum, alicuius principalis feſti ſolemnitas, & veneratio, & aliæ, quas enumerat *Antonius Cucus libro 5. Inſtit. maior. tit. 12. nu. 13.* Spectat etenim ad munus Epiſcopi, & Paro-

4 *Enumerantur cauſæ, ob quas poteſt ad tempus interdici matrimonium*

Parochi conſulere ſaluti, & trãquilitati ſubditorum, & Eccleſiæ ſplendori; ſicque vbi occurrere poteſt periculum impedimenti, cognoſcere debent adamuſſim ſuper eodem, ne contrahentes noxis illaqueentur, & vbi rixæ imminent, debent quantum poſſunt, ſedare ne ſcandala inde proueniant, & vbi ſolemnitas exigit animorum in Dei cultum conuerſionem conſulere debent, ne in profanis voluptatibus, quæ comitari ſolent nuptias, diſtrahantur, licet hoc ſit potius de conſilio ob maiorem feſti venerationem, quam de præcepto.

---

## PRÆNOTIO III.

Explicantur in particulari ea, quæ pertinent ad tempus feriatum.

### SVMMARIVM.

*Sponſalia de futuro pro tempore feriato non prohibentur.* 1.

*Benedictiones ſolemnes nuptiarum temporibus feriatis ſunt vetita.* 2.

*Quid veniat nomine benedictionum ſolemnium*, 3.

*Grauitèr peccant, & Parochus, & contrahentes in huiuſmodi benedictionibus temporibus vetitis.* 4.

*Pœna contra contrahentes recipientes huiuſmodi benedictiones temporibus vetitis.* 5.

*Matrimonia ſine ſolemnitate attento rigore iuris non interdicuntur tempore feriato, bene tamen ex conſuetudine.* 6.

*Denuntiationes præuia ad matrimonium non prohibentur pro tempore feriato.* 7.

*Solemnis traductio ſponſæ in domum ſponſi tempore feriarum eſt iure Eccleſiaſtico prohibita.* 8.

*Non vetatur traductio non ſolemnis.* 9.

*Quid propriè veniat nomine ſolemnis traductionis.* 10.

*Solemnis traductio non poteſt fieri pro tempore feriato quamuis benedictiones ſint receptæ ante tale tempus.* 11.

*An ſolemnis traductio pro tali tempore inferat noxam lethalem remiſſiuè.* 12.

*Conſummatio matrimonij in tempore feriato non eſt iure Eccleſiaſtico interdicta.* 13.

*Pro tempore generalis interdicti in aliquo loco non prohibentur matrimonia celebrari.* 14.

*Matrimonia pro tempore interdicti non prohibentur in Eccleſia celebrari.* 15.

*Etiam tempore ceſſationis à diuinis poſſunt matrimonia licitè celebrari.* 16.

*De iure antiquo tempore interdicti non poterant recipi benedictiones, de iure tamen nouo poſſunt recipi ſeruatis certis conditionibus.* 17.

*Non tamen poſſunt benedici ſpecialiter interdicti, & in Eccleſia ſpecialitèr interdicta*, num. 18.

*Pro quatuor principalioribus ſolemnitatibus, pro quibus ſuſpenditur interdictum, poſſunt ſolemnitèr in Eccleſia recipi benedictiones*, num. 19.

*Matrimonium contractum per excommunicatum excommunicatione maiori non eſt inualidum, grauiter tamen peccat ſic contrahens.* 20.

*Contrahens in excommunicatione maiori non duplex, ſed vnum tantum peccatum lethale contrahit.* 21.

*Qui contrahit matrimonium in excommunicatione minori etiam vnum tantum peccatum contrahit.* 22.

*Contrahens ſcienter matrimonium cum excommunicato excommunicatione maiori, lethalitèr non peccat, ſi non fuerit publicè denuntiatus, benè tamen ſi denuntiatus.* num. 23.

*Si vterque fuerit excommunicatus non tamen vitandus peccat lethalitèr, qui præuenit, non qui præuenitur.* 24.

*Si vterque fuerit excommunicatus vitandus, vterque lethaliter peccat, grauius tamen qui præuenit.* 25.

*Si alter fuerit vitandus, alter non, tunc ſi non vitandus inducit vitandum grauius peccat, & inducendo, & participando, inductus vero vitandus grauiter peccat participando, non inducendo.* 26.

*Si vitandus inducat non vitandum grauius peccat, & inducendo, & participando, non vitandus verò præuentus peccat ſolum participando.* 27.

*Si excommunicatus excommunicatione minori contrahat cum non excommunicato grauiter peccat.* 28.

*Si non excommunicatus contrahat cum excommunicato excommunicatione minori non denuntiato, nec ipſe peccat præueniendo, nec excommunicatus præuentus contrahendo.* 29.

*Si vterque ſit excommunicatus excommunicatione minori præueniens peccat, & inducendo, & contrahendo, præuentus nullo modo.* 30.

*Si vterque ſit denuntiatus, præueniens grauitèr peccat, & inducendo, & contrahendo, præuentus verò ſolum contrahendo.* 31.

*Quid dicendum ſit, quando alter eſt denuntiatus, alter non.* Ibid.

NON hic diſputamus in inquirendo, quænam ſint tempora feriarum tam attento iure antiquo, quam nouo Concilij Tridentini, & quandonam huius tempora incipiant, & deſinant, quandoquidem fuſe de ijs egimus in præcedentibus, nec vacat eadem hic repetere. Hic igitur ſolummodo erit ſermo, quænam pro his temporibus prohibeantur, an ſponſalia

Rationes dubitandi circa titulum.

Digitized by Google

ſalia de futuro, an denuntiationes matrimonio præuiæ, an celebratio matrimonij per verba de præſenti, an benedictiones, an traductio ſponſę in domum ſponſi, an conſummatio matrimonij, tam reſpectu petentis, quam reſpectu reddentis. Rurſus, an matrimonium pro aliquo alio tempore ab enuntiatis intelligatur prohibitum ratione alicuius circumſtantiæ adiectæ putà ratione interdicti, & ceſſationis à diuinis, vel ratione excommunicationis afficientis, vel vtrumque, vel alterum ex contrahentibus.

1 Sponſalia de futuro pro tẽpore feriato non prohibẽtur

Aſſertio I. Sponſalia de futuro pro tempore feriato non prohibentur. Ita communiter, & præſertim *Silueſter verb. matrimonium 7. q. 2. dict. 5. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 7. nu. 7.*, qui expreſſe teſtantur de communi.

Non difficilis eſt probatio huius aſſertionis, quandoquidem eam poſitiuè euincit communis praxis, & conſuetudo Eccleſiæ Prælatis ſcientibus, & non contradicentibus, & iura negatiuè comprobant, quandoquidem iura interdicentia nuptias pro tali tempore nullo modo loquuntur de ſponſalibus, quæ propterea, cum ſint maximè odioſa, non ſunt extendenda, præcipuè cum non militet eadem ratio de ſponſalibus, quæ militat de nuptijs, non etenim ſponſalia animos ita à ſpiritualibus auocant, & ad carnalia trahunt, ſicuti nuptię.

2 Benedictiones ſolemnes nuptiarum tẽporibus feriatis ſunt vetitæ.

Aſſertio II. Benedictiones ſolemnes nuptiarum temporibus feriatis omnino ſunt vetitæ, adeout grauitèr peccent Sacerdos, & contrahentes, ſi ille pro tali tempore benediceret, iſti benedicerentur *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 4. num. 20. D. Antoninus 3. part. tit. pr. c. 17. paulo poſt principium Ioannes de Friburgo ſumma confeſſorum lib. 4. tit. 17. q. 1. Silueſter verb. matrimonium 7. q. 2. dicto primo Caietanus in ſumma verb. nuptiarum peccata Nauarrus in ſumma c. 22. num. 71. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 50 art. vnico.*

Expreſſè colligitur *ex c. capellanus de ferijs, & c. non oportet 1., & 2. & non licet c. nec vxorem 33. q. 4., & ex Trident. c. 10 ſeſſ. 24 de matrimon.*; vbi ſolemnitates nuptiarum certis temporibus interdicuntur: ex communi autem praxi, & conſuetudine potiſſimum receptum eſt, quod nomine ſolemnitatum huiuſmodi veniant potiſſimum benedictiones nuptiales.

3 Quid veniat nomine benedictionum ſolemnium.

Nomine autem ſolemnium benedictionum nuptialium nõ veniunt orationes, & ceremoniæ, quæ alicubi adhiberi ſolent in ſecundis nuptijs, prout ſupra diximus ſub hoc *eod. tit. Contractus XV. de matrimonio l. pranes 38 dub. 6, in ſecunda reſponſione* prout etiam ſentit *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 9. num. 74*, quandoquidem, nec hæ ſunt proprie benedictiones nuptiales, nec ſolemniter fieri intelliguntur.

Quod autem grauitèr peccet Parochus ſolemnitèr benedicens, & contrahentes recipientes benedictiones pro temporibus feriatis ex eo arguitur, quod Concilium Tridentinum *d. c. 10. ſeſſ.* 24. de matrimonio grauibus verbis præcipit ſeruari hanc Eccleſiæ prohibitionem, & Eccleſia conſueuit hoc præceptum recipere tanquam de re graui, ergo tranſgreſſores talis præcepti culpæ grauis rei conſtituuntur. Confirmari poteſt ex eo, quod Parochi benedicentes pro tali tempore ſubduntur grauibus pænis ex communi praxi, & conſuetudine Eccleſiæ, quæ tamen, cum non ſint in iure expreſſè appoſitæ, remittuntur arbitrio ordinariorum argumẽto eorum, quæ docent *Menochius lib. 1. de arbitrar. proem. num. 3., & ſeqq.*, & in his terminis *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 4. num. 19. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 17. ad fin. Roſella verb. impedimentum impedim. 17. in fin. Gaeta repet. c. ad limina 30. q. 1. § 4. nu. 550.* Rurſus ipſi cõtrahentes in pænam ſunt ad tempus ſeparandi per textum *in c. non oportet 33. q. 4. Abbas c. capellanus num. 4. in fin. de ferijs Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 30. art. vnico q. 2. D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 5.* Quodnam autem, & quantum debeat eſſe tale tempus, pro quo ſunt ſeparandi, aliqui remittunt arbitrio Iudicis Eccleſiaſtici, alij pro toto tempore, pro quo durat tempus feriatum *Abbas c. capellanus 4. in fin. de ferijs Roſella verb. impedimentum imped. 17. Silueſter verb. matrimonium 7. q. 2. dict. 6*, quod tamen intelligendum eſt, niſi adeſſet periculum incontinentiæ *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 4. D. Antoninus 3 part. tit. 1. c. 17. ad fin.*, & tunc eiſdem eſſet imponenda alia pæna arbitraria *Turrecremata c. non oportet in fin. 33. q. 4*

4 Grauiter peccant tã Parochus, quam contrahentes recipiẽtes benedictiones ſolemnes pro his tẽporibus.

5 Pæna contra contrahentes recipientes huiuſmodi benedictiones temporibus veritis.

6 Matrimonia attento rigore iuris non interdicũtur tempore feriato ſi ſint ſine ſolemnitate bene tamẽ ex recepta conſuetudine.

Aſſertio III. Probabilius eſt attento rigore iuris non interdici matrimonia ſecundum ſe pro tempore feriato, ſi deſint ſolemnitates, attenta tamen conſuetudine ferè vbique vigente interdici. Sic conciliare exiſtimo opiniones extremè oppoſitas *D. Thoma in 4. diſt. 32 q. vnica art. 5 quæſtiuncula quarta ad primum Riccardi in 4. diſt. 32. art. 5. q. 1. Aſtenſis in ſumma ſecunda part. lib. 8. tit. 30. art. vnico q. 1. Paludani in 4. diſt. 32. q. 1. art. 4. num. 18.* aſſerentium matrimonia pro his temporibus interdici, & *Gloſa in c. vir cum propria §. hinc etiam in fin. 33. q. 4, & in c Capellanus verb. quocunque de ferijs Gofredi in ſumma tit. de matrimon. contract. contra interd. Eccleſiæ num. 1. Alberici in ſuo dictionario lit. I. verb. impedimentum 17. in initio Henrici in c. fin. num. 3. de frigid, & maleſic. D. Bonauentura in 4. diſt. 32. art. 4. q. 1. D. Antonini tertia part. tit.*

1. c. 17.

1. c.17. *paulo poſt principium*, *& aliorum plurimorum*, quos refert, & ſequitur *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 7. num. 12.* aſſerentium matrimonia pro illo tempore non interdici. Sed primi intelligendi ſunt, quando matrimonium, vel celebratur intercedentibus omnibus ſolemnitatibus, vt in ſpecie ſentire videntur *D. Thomas*, *& Riccardus loc. cit.*, vel attenta conſuetudine, ſecundum quam fere vbique eſt receptum, quod pro tali tempore matrimonia non celebrentur.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia non eſt aſſignabile aliquod ius determinatum, quod pro illis temporibus prohibeat matrimonia nudè ſumpta, non enim aſſignari poteſt textus *in c. nec vxorem 33. q. 4.* vbi expreſſè dicitur, *nec vxorem ducere*, quandoquidem, vt bene explicat *Silueſter verb. matrimonium 7. d. 5.* illa verba idem ſonant, ac traducere, quod vtique vetitum eſt pro illis temporibus feriatis, vt infra conſtabit, quod etiam colligi videtur *ex Concil. Prouinciali Mediolanenſi V. tit. quæ ad matrimonium c. ne quis*, vbi imponitur pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto aduerſus eos, qui temporibus prohibitis ſponſam domum traducunt, aut nuptialia conuiuia celebrant, aut alia huius generis efficiunt, quæ omnia reſpiciunt ſolemnitates regulariter comitantes matrimonia, non matrimonia ipſa nude ſumpta; nec item aſſignari poteſt textus *in c. non oportet 33. q. 4.* vbi dicitur *non oportet à ſeptuageſima &c. nuptias celebrare, quod ſi factum fuerit, ſeparentur*, quandoquidem, hic vel ſimiles textus, ſi efferantur, explicari poſſunt de celebratione nuptiarum ſecundum ſolemnitates regularitèr eaſdem comitantes, non de ipſis nuptijs ſecundum ſe, prout explicant *Gofredus in ſumma tit. de matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ num. 2. Albericus in ſuo dictionario lit. I. verbo impedimentum 17 in initio, Henricus c. fin. num. 3. de frigid., & maleſic. Turrecremata c. non oportet il pr. art. 1. num. 1., & c. nec vxorem num. vnico 33. q. 4. Maiolus lib. 3. de irregularitate c. 25. num. 17. §. feria.*

Explicatur varij textus, vt non aduerſantes aſſerto.

Confirmari poteſt ex eo, quia matrimonium poſt lapſum ordinatum eſt etiam in remedium concupiſcentiæ, & ad frenandos ſtimulos carnis, vt eſt in confeſſo apud omnes; æquum autem non eſt, vt per Eccleſiam pro tanto tempore remedium illud ſuſpendatur, quando iure naturæ inductum eſt, cum potiſſimum pro illo tempore poſſint vrgere ſtimuli carnis, & peccata plurima luxuriæ prouenire. Confirmari poteſt ſecundo ex eo, quod quoad matrimonium nudè ſumptum non militat ratio finalis iuris prohibentis, quandoquidem, quando non interueniunt conſuetæ ſolemnitates, non eſt illa retractio à ſpiritualibus, & conuerſio ad temporalia, quam iure vetare intendunt, & ſicuti per illa tempora ideo non vitiatur contractus ſponſalium, quia non ita reuocat animum à ſpiritualibus, ita nec vitiari debet cõtractus matrimonialis nude ſumptus, cum nec etiam ita hic auocet à ſpiritualibus, & licet matrimonium importet ſupra ſponſalia ius ad copulam, hæc tamen non prohibetur pro talibus temporibus, vt videbimus infra, dum de conſummatione matrimonij.

Talis prohibitio aduerſaretur fini inſtitutionis matrimonij.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia vbi conſuetudo viget, vt matrimonium his feriarum temporibus non celebretur, hæc habet vim legis obligantis per textum *in c. fin. de conſuet.*, ergo erit obſeruanda; Neque dicas, quod ad hoc, vt conſuetudo habeat vim legis obligantis debeat eſſe inducta, & recepta cum animo obligandi ſub læthali, quod non poteſt hic intelligi; contra enim impugnaberis, quia ex quo illa conſuetudo in talibus locis recepta eſt, intelligitur recepta relatiuè ad præceptum Eccleſiaſticum non celebrandi nuptias pro tali tempore, ſicque ſub onere præcepti Eccleſiaſtici, quod ſicuti alibi obligat ſub lethali ad non recipiendas benedictiones ſolemnes, & ad non traducendam ſponſam ſolemnitèr in domum ſponſi, ita in loco talis conſuetudinis obligat abſolutè ad non celebrandas tales nuptias.

Conſuetudo eſt recepta relatiuè ad præceptum Eccleſiaſticũ non celebrandi nuptias pro tali tempore.

Aſſertio IV. Denuntiationes præuiæ ad matrimonium, quæ potiſſimum fiunt ex diſpoſitione Concilij Tridentini non prohibentur fieri pro tali tempore feriato *Phyliarcus de officio Sacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 4. Caualcanus in ſuis deciſ. 2. part. deciſ. 12. de contract. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 7. nu 8., & alij magis communiter*.

7 Denuntiationes præuiæ ad matrimonium non prohibentur pro tempore feriato.

Deducitur iiſdem ferè rationibus, quibus præcedens aſſertio quoad primam partem, quia nullus textus canonicus vetat pro tali tempore feriato huiuſmodi denuntiationes, cum non ſit aſſignabilis, & ex alio capite non militat ratio finalis iuris prohibentis huiuſmodi denuntiationes, quæ militat in iure prohibente ſolemnes nuptias, prout appellant ſolemnes benedictiones, & ſolemnem traductionem fœminæ in domum ſponſi, cum non ſit illa auocatio à ſpiritualibus, & conuerſio ad carnalia, & profana.

Aſſertio V. ſolemnis traductio ſponſæ in domum ſponſi tempore feriarum eſt iure Eccleſiaſtico prohibita *Gofredus in ſumma tit. de matrimonio contracto contra interd. Eccl. num 2. Hoſtienſis c. Capellanus num. 2. in fin. de ferijs Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 30. art. vnico q. 1. Nauarrus in ſumma c. 22. num. 71. Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art 4. num. 17., & alij magis communiter* Colligitur ex textu *in c. nec vxorem 33. q. 4.* vbi dicitur, *nec vxorem ducere*, quod

8 Solemnis traductio ſponſæ in domum ſponſi tempore feriarum eſt iure Eccleſiaſtico prohibita.

ſupra

Digitized by Google

ſupra explicuimus, intelligi, *ac uxorem traducere*, & ratio prohibitionis id etiam ſuadet, quandòquidem tali traductione ſolemni animus ad carnales, & venereas voluptates trahitur cum maxima ad ſpiritualia diſtractione.

9 Excluditur traductio non ſolemnis à iure prohibente.

Dixi, *ſolemnis traductio*, propter nonnullos, qui exiſtimant, quamcunque traductionem ſponſæ pro tempore feriarum eſſe vetitam, inter quos *Silueſter verb. matrimonium 7. q. 2. poſt quintum dictum dub. 2. Veracrux prima part. ſpeculi art. 14 concl. 4. Marcus Antonius Cucus lib. 5 inſtit. maior. tit. 12. num. 9.*, qui mouentur potiſſimum *ex d. textu c. ne uxorem 33 q. 4.*, qui loquitur abſolutè de quacunque traductione, & indefinitè ſine vlla prorſus limitatione. Sed attento fine legis prohibentis certius eſt venire dumtaxat in iure prohibente traductionem ſolemnem, cum hæc ſolum inferat auocationem animi ad illas carnales, & venereas voluptates cum populi admiratione, & ſcandalo, & ita prohibitio fere vbique recipi conſueuit.

Duo dubia excitata.

Hic duplex oritur difficultas; prima, quid propriè, & in rigore veniat nomine ſolemnis traductionis, & quid in illa vetetur. Secunda, an ſi antecedenter ad tempora feriata fuerint per ſponſos receptæ ſolemnes benedictiones, poſſit ſponſus in tempore feriato ſolemniter ſponſam traducere.

10 Quid propriè veniat nomine ſolemnis traductionis.

Ad primam. Reſpondeo, nomine ſolemnis traductionis venire eandem, vt comitatam conuiuijs, alijſque vanæ lætitiæ ſignis, quandòquidem hæc ſunt, quæ nimium mentis euagationem inferunt non conuenientem huiuſmodi temporibus, & in ordine ad conuiuia expreſsè habetur *in d. c. ne uxorem*, vbi ſic dicitur. *Nec conuiuia facere*, ex quorum ratione, & paritate videntur alia omnia lætitiæ ſigna prohiberi, quæ inferunt talem mentis euagationem.

11 Solemnis traductio non poteſt fieri pro tempore feriato, quamuis benedictiones ſint receptæ ante tempus feriatum.

Ad ſecundam aſſero, nec poſſe fieri huiuſmodi ſolemnes traductiones pro tempore feriato, quantumvis benedictiones fuerint receptæ ante tempus feriatum. *Caietanus in ſumma verbo nuptiarum peccata, Vega 2. tomo ſumma c. 34. caſ. 179. Petrus de Ledeſma de matrimonio q. 50. art. vnico col. penult.* Ratio ex eo deducitur, quià pro his temporibus non prohibentur ſolummodò benedictiones ſolemnes nuptiarum, & traductiones copulatiuè, ſed disiunctiuè, & ſolæ traductiones inferunt illam mentis euagationem, ſi fiant cum conſueta ſolemnitate.

12 An ſolemnis traductio pro tali tempore inferat noxam læthalem remiſſiuè.

An verò talis ſolemnis traductio pro illis temporibus feriatis inferat noxam læthalem, an verò dumtaxat venialem diſputant DD. Sanchez *d. lib. 7. diſp. 7 nu. 18.* exiſtimat ſolas benedictiones nuptiales vetitas eſſe pro his temporibus ſub peccato læthali, & in ordine ad traductiones nullam culpam videtur agnoſcere, cum huiuſmodi lætitiæ ſigna per conſuetudinem non reprobentur videntibus Eccleſiæ prælatis, & conniuentibus. D. Thomas *in 4. diſt. 32. q. vnica art. 5. quæſtiuncula 4. in corpore, Nauarrus in ſumma c. 22. n. 71. Caietanus in ſumma verb. nuptiarum peccata* exiſtimant huiuſmodi traductiones ſecundum ſe inferre noxam læthalem, non minus, ac benedictiones ſolemnes cum eodem iure æquè prohibeantur, & inferant illam animorum diſſipationem, quinimmò benedictiones ſecundum ſe non prohibentur pro illis temporibus, cum ſint quid ſpirituale, ſed ſolummodò ratione illorum, quæ ad tales benedictiones veniunt in conſequentiam, quæ ſunt illa lætitiæ ſigna inferentia euagationem, & per conſequens in fortioribus terminis vetatur illæ traductiones, quæ nihil continent ſpiritualitatis, ſed ſolummodò profanas voluptates *arg. eorum, quæ habentur in auth. multo magis C. de Epiſcop., & Cler.*

13 Conſummatio matrimonij pro tali tempore non eſt interdicta.

Aſſertio VI. Conſummatio matrimonij in tempore feriato non eſt iure eccleſiaſtico interdicta *D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 5 quæſtiuncula 4 ad ſecundam, Turrecremata c. non oportet 33. q. 4. art. 1. n. 1. ad tertium, Nauarrus c. 22. n. 71. Bellarminus lib. 1. de matrim. c. 31 ad finem §. in altero, Petrus de Ledeſma de matrim. q. 58. art. vnico col. penult.* Intellige, ſiuè reſpectu petentis, ſiuè reddentis debitum.

Ratio ex eo deducitur primo, quià inter coniuges pro illis temporibus non eſt prohibita copula coniugalis, ergo neque inter coniuges, qui primo contraxerunt per verba de præſenti, nec adhuc conſummarunt erit vetita prima conſummatio; ſi enim ſanctitati temporum non congrueret illa prima conſummatio, nec congrueret etiam copula coniugalis inter coniuges, qui iam conſummauerant; nec ex eo, quod ſit prima infert maiorem deformitatem. Confirmatur, quià ſi pro illis temporibus actum fornicarium committeret non contraheret maiorem deformitatem ſubſtantialem ſupra illam, quam inuoluit fornicatio ſecundum ſe, quantumvis illa eſſet prima, ergò etiam prima conſummatio reſpectu coniugum pro illis temporibus feriatis non importat aliquam fœditatem, ratione cuius debeat prohiberi, cum pro illis actus coniugales inter coniuges non interdicantur. Confirmari poteſt ſecundò, quià non eſt aſſignabilis textus interdicens huiuſmodi conſummationem; textus enim allegati in præcedentibus, & alij, ſi poſſent allegari, loquuntur ſolum de benedictionibus ſolemnibus, & de ſolemni traductione.

Actus coniugales tempore feriato nō interdicuntur.

Dices primo, traductionem ideò vetari, vt vitetur copula carnalis non enim alia ratione illa videtur prohiberi, ergò ſi vetan-

Digitized by Google

vetantur media, quæ conducere poſſunt ad copulam tanquam ad finem, à fortiori intelligitur vetitus ipſe finis. Sed contra, quià gratis omninò dicitur, quod traductio ex illo fine prohibeatur, nam verus, & germanus finis intentus ab Eccleſia in illa prohibitione eſt ad vitanda vana, & voluptuoſa lætitiæ ſigna, quæ regulariter comitantur illam traductionem, quæ ſigna non videntur congruere cum ſanctitate illorum temporum, pro quibus Eccleſia vacat ſpiritualibus officijs, & maximè in Dei cultum dirigitur.

*Finis prohibitionis non eſt vitatio copulæ.*

Dices ſecundo *ex d. c. non oportet. 2. 33. q. 4.* decernitur, ſeparados eſſe celebrantes nuptias pro his temporibus; ex quo textu manifeſtè infertur vetitam eſſe conſummationem pro illis temporibus, nam ſi hæc non eſſet vetita, non eſſet ſeparandi, ſed alia pæna eiſdem ingerenda. Sed contra illa ſeparatio non decernitur in pænam conſummationis, ſed in pænam ſolemnis benedictionis, vel traductionis, quæ vtique maximè conueniens fuit, nam ſicuti deliquerunt circa matrimonium ſuſcipientes benedictiones ſolemnes pro illis temporibus, ita congruum fuit, vt in eodem genere punirentur per ſeparationem. Cæterum ſi immineret periculum incontinentiæ iuxta ſuperius dicta non eſſent ſeparandi, ſed alia pæna arbitraria irroganda.

14

*Pro tempore generalis interdicti in aliquo loco non vetantur matrimonia celebrari.*

Aſſertio VII. Pro tempore generalis interdicti in aliquo loco non eſt prohibitum matrimonia celebrari *Innocentius c. non eſt in fin. de ſponſalib. Calderinus de interdicto memb. 6. §. viſo de effectu interdicti, Roſella verb. interdictum 2. n. 7. Paludanus in 4. diſt 18 q 8. art. 2 principali concl. 4 n. 27. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 16. nu. 2. in comment. lit. S Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtructorij de interdict. c. 21. tit. de extrema vnctione, & matrimonio, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 50. art. vnico dubio 3. poſt quartam concluſionem.* Dixi *pro tempore generalis interdicti*, quandòquidem interdictum, vel poteſt eſſe vniuerſale in aliqua ciuitate, vel oppido, vel ſpeciale ſeù perſonale quoad certas, & determinatas perſonas, quæ ſpecialiter intendunt contrahere matrimonium, & hæc aſſertio modo attenditur ſecundum quod reſpicit interdictum locale, ſeù generale, nam de ſpeciali immedi te poſtea ſubdam.

Probatur iam aſſertio, quià pro tempore interdicti eorum ſolummodo ſacramentorum intelligitur vetita participatio, quæ ex ordinis miniſterio dependent, vt docet *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contractu cap. 9. num. 77.*, qui præter allegatos DD. alios allegat recentiores *Auilam de cenſuris part. 5. diſp. 4. ſect. 1. dubio 6. Marium Alterium de cenſuris tom. 2. diſp. 4. c. 7. Coninckium de ſacramentis diſp. 17. dub. 24. n. 48. Dianam part. 3. tract. 4. reſol. 257. Laiman. lib. 1. Theologiæ moralis tract 5 part. 4. c. 2. n. 1. verſ. de matrimonio, Hurtadum de cenſuris tract. de interdicto diffic. 8. n. 29*, nec certè incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem alia omnia, quæ non dependent ab ordinum exercitio pro illo tempore libere exercentur, ſed ſacramentum matrimonij ab aliquo ordinis exercitio non dependet, quandòquidem miniſtri huius ſacramenti per ſuperius dicta ſunt ipſi contrahentes, nec Parochus aſſiſtens aliquod ordinis miniſterium circa huiuſmodi matrimonium præſtat, ſed ſolum auctoritatiuam præſentiam, ergò &c.

*Matrimonium non dependet ab aliquo exercitio ordinis.*

Probatur ſecundò, quià matrimonium ex ſua primæua inſtitutione intentum eſt tanquam medium naturale in officium naturæ, & tanquam remedium concupiſcentiæ ex ſecundaria, & ſubordinata intentione, & ſolum per accidens à Christo Domino in lege gratiæ eſt eleuatum ad eſſe ſacramenti, ſicque quamuis ratio ſacramenti ſit dignior, attento tamen ordine, ad quem inſtitutum eſt matrimonium, eſt quid conſequens, & acceſſorium ad eſſe contractus naturalis, & à contrahentibus, & à natura, in cuius officium aſſumptum eſt, principaliter intenti; ea autem, quæ ſunt principaliter intenta in officium naturæ, & in remedium concupiſcentiæ tanquam media ex ſui primaria inſtitutione naturalia non vitantur pro tempore interdicti.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod pro tempore interdicti vetita ſit participatio quorumcunque ſacramentorum exceptis illis, quæ habentur *in cap. alma mater de ſententia excommunic. in 6.*, quæ ſunt Baptiſmus, confirmatio, Pænitentia, & Euchariſtia, nec in hac exceptione vllo modo comprehenditur matrimonium, quod vtique Eccleſia comprehendiſſet, ſi intendiſſet pro illo tempore poſſe celebrari, prout latè docent *Vgolinus de cenſuris tab. 5. c. 10. § 1. nu. 1., & latius c 7. §. 3. nu. 1. Sairus de cenſuris lib 5. c. 7. num. 43., & ſeqq. Suarez de cenſuris diſp. 33 ſect. 1. n. 51 Bonacina de cenſuris diſp. 5. punct. 2 §. 3. n 8. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. num. 200.*, qui omnes ferè ex hoc principio docent matrimonia pro tempore interdicti generalis non poſſe licitè celebrari; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià ea tantum ſacramenta prohibentur pro tempore interdicti, quorum vſus conſiſtit in exercitio ordinum; quod ſi illa quatuor tantum excipiantur *in d. c. alma de ſent. excommunicationis in 6.* hoc eſt, quià illa ex vno capite ſupponuntur eſſe aliqua ratione neceſſaria, ex alio debuerunt ſpecialitèr excipi, quià in poteſtate ordi-

*Inſtantia propoſita, & diſſoluta.*

nis quoad exercitium conſiſtunt; matrimonium autem ex genere ſuo non exigit aliquam poteſtatem, & exercitium ordinis, adeoque non indiget exceptione, cum per ſe, & ex ſui natura excipiatur, vt bene notat *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 8 num. 8.*

Varia dubia excitata circa matrimonia pro tempore interdicti generalis.

Hic multiplex oritur ratio dubitandi. Prima, an ſaltem pro tempore interdicti generalis vetentur huiuſmodi matrimonia celebrari in Eccleſia. Secunda, an pro tempore, quo præcipitur ceſſatio à diuinis, intelligatur matrimonium interdici. Tertia, an pro tali tempore interdicti intelligantur prohibitæ ſolemnes benedictiones nuptiales, tam de iure antiquo, quàm de iure nouo. Quarta, an huiuſmodi benedictiones ſolemnes nuptiales intelligantur prohibitæ in ſolemnioribus feſtiuitatibus.

15 Matrimonia pro tempore interdicti non prohibentur in Eccleſia celebrari.

Ad primam aſſerendum exiſtimo, poſſe huiuſmodi matrimonia in Eccleſia celebrari, quantumvis illa eſſet ſpecialitèr interdicta, licet magis congruum foret, ſi extra illum celebraretur *Nauarrus in ſumma c. 29. num. 149. Couarruuias in c. alma mater 2. part. §. 2. n. 7. verſ. hæc vero ſacramenta, Henriquez lib. 13. de excommunicatione c. 45. nu. 3. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 9. nu. 78.*, qui tamen procedit potius remiſſiuè ad mentem *Sanchez lib. 7. diſp. 8. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià ea ſacramenta, quæ tempore interdicti non prohibentur miniſtrari, non prohibentur etiam in Eccleſia miniſtrari, cum nullibi reperiatur expreſſa prohibitio, & ex eo, quod non prohibeantur fieri ab omni ſunt interdicto exempta; atque ita docent *Calderinus de interdicto memb. 2. colum. 7. verſ. ſed numquid in Eccleſia, Ancharanus c. ſi ciuitas n. penult. de ſentent. excommunicationis in 6.*

16 Etiam tempore ceſſationis à diuinis poſſunt licitè matrimonia celebrari.

Ad ſecundam aſſero etiam tempore ceſſationis, à diuinis poſſe licitè matrimonia celebrari *Innocentius c. non eſt in fin. de ſponſalibus, & ibi Hoſtienſis in fin. Ioannes Andreas nu. 5. Couarruuias c. alma mater 2 part. §. 4. n. 7. verſ. vtcunque tamen, Ludouicus Lopez 2. part. inſtructorij de interdicto c. 21. ad finem.* Videtur ſufficienter euinci *ex d. c. capellanus de ferijs*, vbi aſſeritur matrimonia poſſe quocunque tempore celebrari, & ex eo, quod omnia ſacramenta pro tempore interdicti permiſſa intelliguntur etiam permiſſa tempore ceſſationis à diuinis *Nauarrus in ſumma c. 27. nu. 178. Manuel primo tomo ſumma in 2. edit. c. 177. n. 2.*

17 De iure antiquo tempore interdicti non poterunt recipi benedictiones, de iure nouo poſſunt recipi ſeruatis certis conditionibus.

Ad tertiam dico, ſolemnes benedictiones de iure antiquo non potuiſſe recipi, modo tamen poſſe recipi ſeruatis conditionibus, quæ præſcribuntur *in cap. alma mater de ſent. excommun. in 6.*, Ratio primæ partis, quam communius ſuſtinent ſcribentes, & præcipue *Calderinus de interdict. memb. 6. §. viſo de effectu interdicti. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 7. tit. 16. art. 3. quæſt. 6. Paludanus in 4. diſt. 26. q. 2. art. 2. n. 12. D. Antoninus 3. part. tit 26. c 4 in princip. col. 5.* ex eo deducitur, quià ſolemnis bene dictio eſt actus poteſtatis ordinis, & non neceſſaria. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià textus *in d. c alma mater* ſeruatis illis conditionibus conceſſit omnia diuina officia tempore interdicti poſſe celebrari; huiuſmodi autem conditiones ſunt, vt fiant ſubmiſſa voce, ianuis clauſis; excommunicatis, & interdictis excluſis;

18 Enumerantur conditiones ad hoc requiſitæ.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſponſi pro eo tempore interdicuntur diuinis intereſſe, adeoque non poſſe etiam ſeruata illa moderatione, ſeù illis conditionibus recipere benedictiones; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià imprimis dicere poſſumus aſſertum procedere de laicis, qui ratione alicuius priuilegij aſſiſtere poſſunt diuinis pro tempore interdicti, prout limitando ſentit *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 8. n. 11.* Deinde non ita rigoroſum præceptum aduerſus laicos de non aſſiſtendo diuinis pro tempore interdicti exiſtimo, vt ſi ſeruetur prædicta moderatio, ſeù conditiones appoſitæ non intelligatur ex benigna eccleſiæ interpretatione diſpenſatum in caſu illo, in quo pro illo tempore permittitur matrimonium; atque juxtà hunc ſenſum intelligendos exiſtimo *Auilam de cenſuris part. 5. diſp 4 ſect. 1. dub 6. Suarez de cenſuris diſp. 34. ſect 41. n. 21.* Hæc tamen intelligo cum limitatione, ne ſcilicet procedant quoad ſpecialitèr interdictos, & in Eccleſia etiam ſpecialiter interdicta, vt notat *Sanchez loc. cit n. 12.* nam textus *in d c. alma mater* loquitur de interdicto generali, vt patet ex contextu verborum in principio eiuſdem capituli, ad quæ conceſſio poſtea, quæ additur in verſ. adijcimus, refertur per textum *in l. 2 ff. de iuris, & facti ignorant, & l. 2. C. de imponenda lucratiuorum deſcriptione lib. 10.* Deinde, quod laici præcipuè ex cauſa poſſint aſſiſtere diuinis pro tempore interdicti ex eo deducitur, quod dicitur *in d. c. alma mater de ſentent. excommunicationis in 6.*, vbi inter cæteras conditiones dicitur, quod excludantur excommunicati, & ſpecialitèr interdicti; ex qua conditione duo deduco: primum quod ſi non fuerint excommunicati non ſint excludendi, ſed poſſint admitti. Secundum, quod ſpecialitèr interdicti ſint excludendi, per quod confirmatur id, quod mox dicebamus, conceſſionem ſcilicet illam, vt nuptiæ poſſint in eccleſia benedici tempore interdicti ſeruatis illis conditionibus de quibus *in d c. alma mater* non extendi ad ſpecialitèr interdictos.

18 Nó tamen poſſunt benedici ſpecialiter interdicti, & in Eccleſia ſpecialiter interdicta.

Ad quartam dicendum eſt pro quatuor prin-

Digitized by Google

19

**Pro quatuor ſolemnioribus feſtiuitatibus, pro quibus ſuſpenditur interdictū poſſunt recipi ſolemnes benedictiones.**

principalioribus ſolemnitatibus, pro quibus ſuſpenditur interdictum, poſſe ſolemniter in eccleſia recipi benedictiones, quidquid ex aduerſo dixerit *Paludanus in 4 diſt.26. q.2. art.2.n.12.*, ea motus ratione, quod pro illis temporibus ſolum intelligitur ſuſpenſum interdictum in ordine ad euchariſtiam miniſtrandam, ſi tamen excipias ſolemnitatem natiuitatis, & reſurrectionis Chriſti Domini, pro qua non prohibentur nuptiæ ſolemnitèr benedici ratione interdicti, ſed quià ex alio capite nempe ratione temporis feriati benedictiones huiuſmodi nuptiales, & ſolemnes ab eccleſia interdicantur. *Calderinus tract. de interdicto memb. 5. §. viſo de effectu interdicti, Sotus in 4 diſt.22. q 3. art.1.col.8. verſ. hoc autem, Vgolinus de cenſuris tab. 5. de interd. c. 8. §. 10. n. 12. Couarruuias c. alma mater ſecunda part. §.5 n.6. verſ. undecimo.* Ratio ex eo deducitur, quià pro illis diebus ſolemnioribus interdictum ſuſpenditur quoad officia diuina celebranda, nec ad ſolam Euchariſtiam ſuſpenſio interdicti reſtringitur, vt ſibi proprio marte confingit Paludanus loc. cit. Huiuſmodi autem dies ſolemniores, pro quibus ſuſpenditur interdictum in ordine ad officia diuina celebranda ſunt dies Natalis Domini, Pentecoſtes, Paſchatis & aſſumptionis Deiparæ Virginis, quibus Eugenius IV. addidit feſtum corporis Chriſti Domini, cum tota ipſius octaua.

**Illatio ex prædictis deducta.**

Ex huc vſque dictis in tota hac aſſertione deducitur, quod etiam ſpecialiter interdicti poſſint pro tempore, quo ſunt interdicti matrimonium contrahere, non tamen ſolemniter benedictiones in eccleſia recipere. Ratio illationis quoad primam partem ex eo deducitur, quià in illo ſpeciali interdicto non comprehenditur matrimonium, quià quantumvis hoc ſit ſacramentum, eſt tamen principaliter contractus naturalis in officium naturæ, & in remedium concupiſcentiæ ordinatus, qui proptereà congruum non eſt, vt cadat ſub prohibitione, ne ſubſint periculo incontinentiæ *Paludanus in 4. diſt.26. q.2. art. 2. n. 12. Toletus lib. 1. ſumma c. 20. nu 9.* Ratio quoad ſecundam partem colligitur ex mox dictis, quià ſpecialitèr interdicti excluduntur expreſſè à diuinis officijs *in d. c. alma mater de ſententia excommunicationis in 6.*

20

**Matrimonium contractum per excommunicatū excommunicatione maiori tenet, peccat tamen ſic contrahens**

Aſſertio VIII. Matrimonium contractum per ligatum excommunicatione maiori non eſt inualidum; peccat tamen grauiter, qui allegatus excommunicatione matrimonium contrahit. Ita quoad primam partem DD. communitèr, & iuris periti *Gloſa in c. fin. in verb. ſacramentis de ſentent. excommun. in 6., & in c. ſignificaſti in notabili, quod infert poſt caſus poſitionem de eo qui duxit in matrimonium, Cardinal clement 1. in princip. n. 6. q. 13. de priuileg. Alexander conſ. 56. n. 5. vol 4. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 7. tit. 16. art. 3. qu. 6.* Ex Theologis *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 1. ad quintum, Caietanus in ſecunda ſecunda D. Thoma q. 54 art. 7. dub. 3. D. Antoninus 3. part. tit. 24. cap. 76. verſ. 14. Toletus lib. 7. ſumma n. 1. contra Martinum de magiſtris apud Caietanum in ſecunda ſecunda D. Thoma q. 154. art. 7. paulo poſt principium dub. 3.* Quoad ſecundam partem tractant omnes DD. præallegati, & alij innumeri, & præcipuè *Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 9 n. 28.*

**Excommunicatio nō connumerator inter impedimēta dirimentia.**

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia excommunicatio ſecundum ſe ſumpta nō connumeratur inter impedimenta matrimonium dirimentia, & nullum eſt ius irritans matrimonium initum per excommunicatum, quod ſit aſſignabile. Dixi *ſecundum ſe ſumpta*, nam ſi coniungatur cum aliquo crimine, quod ſecundum ſe inuoluat impedimentum dirimens, tunc certe dirimit non ratione ſui, ſed ratione criminis adiecti, quod contingeret in caſu, quo homicidio annexa eſſet ex diſpoſitione iuris pœna excommunicationis, & alter ex coniugibus durante primo matrimonio adulterium cum alia fœmina, vel viro committeret, & cum eodem, vel eadem conueniret de morte alterius coniugis ad effectum, vt adulter cum adultera poſtea matrimonium contraheret, vt infra latius videbimus; ergo præſcindendo ab hoc vlteriori impedimento ſecundum ſe dirimente, & conſiderata præcisè natura excommunicationis non redditur matrimonium inualidum.

**Priuat participatione paſſiua ſacramentorum.**

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia excommunicatio priuat ſecundum ſe participatione paſſiua ſacramentorum & vtique ſub læthali, cum reſpiciat materiam grauiſſimam, ergo contrahens cum excommunicatione matrimonium grauiter, & enormiter peccat; atq; ita præter allegatos *DD.* ſentiunt *Paludanus in 4. diſt. 26. quæſt 2 art. 2 concl. 2 num 9. Tabiena verb. excommunicatio 1. quæſt. 13. num. 17. Nauarrus in ſumma c. 22. num. 81. Vinaldus in candelab. ſacrament. pars pr. de matrimonio num. 109.*

**Duplex dubium excitatum**

Hic duplex oritur difficultas: Prima, an innodatus excommunicatione duplex contrahat peccatum læthale. Secunda, an excommunicatus excōmunicatione minori adhuc peccatum læthale contrahat contrahendo matrimonium antequam ab illa abſoluatur, & an duplex.

Pontius *lib 6. c 10.* exiſtimat quoad primum difficultatem duplicem contrahere noxam læthalem, alteram, qua recipit ſacramentum, alteram, qua conficit, ſeu adminiſtrat, cum ipſi contrahentes ſint miniſtri in ſacramento matrimonij. Sanchez

chez *d. lib.7. diſp.9 num.4.* ſub diuerſa tamen conſideratione duplex etiam exiſtimat contrahi peccatum læthale, alterum, quo recipitur ſacramentum cum obice ad gratiam, & ſine diſpoſitione ad eandẽ; alterum, quo ſciens excommunicationẽ, & per conſequens impedimentum ad licite contrahendum, nihilominus ex propriæ voluntatis libertate vult contrahere. Nihilominus in vtroque caſu, ſeu aduerſus vtramque ſententiam à duplici noxa ſic contrahentem eximerem, & vni dumtaxat ſubijcerem. Prima pars, quæ eſt

21 *Henriquez lib.11. c.2. §.7. lit.D. in textu, & comment. Ludouici Lopez ſecunda part. inſtructorij de ſacrament. in gen. c. 59. concl. 2. Suarez tom. 3. in tertia part. diſp. 16. ſect. 2. Coninch diſp. 24. dub. 3. num. 34. Bonacina de matrimonio quæſt. 2. punct. 4. num. 6. Filliutij pars pr. tract.10. c.1. n.20.* facile ex eo euincitur, quia quantumuis contrahentes ipſi ſint miniſtri matrimonij, qua ſacramentum eſt, non ſunt tamen ad id ſpeciali conſecratione deputati, ſed ſunt ex quadam neceſſitate ad id muneris aſſumpti, quia ſcilicet, cum matrimonium conſiſtat in eſſe contractus, qui non poteſt eſſe ſine contrahentium conſenſu, exigit, vt ipſi contrahentes applicent ad inuicem materiam, & formam conſiſtentem in mutua promiſſione, & repromiſſione; miniſtri autem, qui ex neceſſitate concurrunt, & non ſunt ſpeciali conſecratione ad id muneris deputati non peccant læthaliter exercentes illud miniſterium, vel in excommunicatione, vel in peccato læthali, vt videre eſt in laico miniſtrante in caſu neceſſitatis ſacramentum baptiſmatis; Neque dicas, quod quantumvis ſint miniſtri non ex ſpeciali conſecratione ad id muneris deputati; in illo tamen exercitio ſint inſtrumenta Chriſti Domini, tanquã cauſæ principalis moralis; inſtrumenta autem debent eſſe conformia ſuæ cauſæ principali, quæ eſt in ſubſtantia prima ſanctitas; contra enim impugnaberis, quia talis conformitas ex neceſſitate ſolum requiritur, quando eſt miniſter ex ſpeciali conſecratione, non quando eſt talis ſolum ex quadam neceſſitate ſine tali ſpeciali deputatione. ergo contrahens, vel in peccato læthali, vel in excommunicatione, quatenus eſt miniſter, qui conficit, non contrahit diuerſam noxam læthalem ab ea, quam contrahit recipiendo cum obice ſacramentum.

**Contrahẽs in excommunicatione non duplex peccatũ læthale contrahit, ſed vnum ſolum.**

**Contrahentes nõ ſunt ſpeciali cõſecratione deputati.**

Secunda pars, quæ eſt contra Sanchez ſupra allegatum, ſic euincitur; exiſtens in peccato læthali, & conſcius eiuſdem recipiens ſacramentum non contrahit duplex peccatum læthale; alterum, quo ſciens tale peccatum nihilominus vult recipere ſacramentum, alterum quo actu recipit, quandoquidem, & determinatio recipiendi, & actualis receptio in vnum actum cõſummatum, & completum adunantur; cæteroqui duo peccata læthalia etiam contraheret, qui actionem aliquam peccaminoſam decerneret exercere, & poſteà actu exerceret, ergo neque alligatus excommunicatione, eiuſdemq; ſibi conſcius duplicem noxam læthalem contrahet, alteram, qua decerneret contrahere matrimonium, alteram qua actu contraheret, quandoquidem propoſitum illud efficax contrahendi, & actualis contractus in vnũ actum completum adunantur. Confirmatur, quia tota malitia, quæ conſurgit in ſuſceptione ſacramenti per excommunicatum conſiſtit in eo, quod ſacramentum ſuſcipiat cum obice, ſed tam propoſitum quantumvis efficax ſuſcipiendi, quam actualis ſuſceptio tendunt ad vnum, & eundem effectum prohibitum, & ſunt duæ actiones ad inuicem ordinatę ad eundem quatenus vna eſt tendentia, altera complementum actus, ergo &c.

**Propoſitũ recipiendi, & actualis receptio nõ inducit duplex peccatum.**

In ordine ad ſecundam difficultatem 22
propoſitam *Sanchez loc. cit. num. 5.* exiſtimat etiam alligatum excommunicatione minori duplicem contrahere noxam læthalem contrahendo matrimonium, eiſdemq; ferè rationibus innititur in probatione huius aſſerti, quibus innitebatur in probatione præcedentis. Nihilominus ſentiendum exiſtimo vnam ad ſummum noxam læthalem contrahere. Ratio in fortioribus terminis ex mox dictis deducitur quantum ad effectum, vt duplex noxa læthalis non contrahatur; ſi etenim, hęc non contrahitur, quando eſt excommunicatio maior, multo minus cõtrahi debet, quando eſt tantum excommunicatio minor. Quod autem noxa contrahatur deducitur ex principali effectu eiuſdem excommunicationis minoris, qui eſt priuare participatione paſſiua ſacramentorum, vt colligitur *ex c. fin. verſ. peccat autem de cleric. excomm miniſt.* atque ita ſentiunt *Paludanus in 4. diſt 26. q 2. art. 2 concl. 3. num. 10. Caietanus in ſumma verb matrimonium c 1. in fin Nauarrus c.22 num.81.* Dixi, *vnam ad ſummum noxam læthalem contrahere,* quia non ita certum eſt recipientem ſacramenta in excommunicatione minori contrahere peccatum læthale, nec excommunicationem minorem priuare eiſdem ſacramentis ſub eo onere; ſed quia hęc eſt materia pertinens ad alium locum, ideo in præſenti abſtineo.

**Qui contrahit in excõmunicatione minori vnum tantum peccatum contrahit.**

Aſſertio IX. Contrahens ſcienter matrimonium cum alligato excommunicatione maiori læthaliter non peccat, ſi non fuerit publicè denuntiatus, ſed toleratus, bene tamen, ſi non toleratus, ſeu publicè denuntiatus. Quoad ſecundam partem conſentiunt omnes fere quos viderim, & præcipuè *D. Thomas in 4. diſt.39. q. vnica art 1.*

23 **Contrahẽs ſcienter cũ excommunicato non denuntiato non peccat læthalitèr, bene tamẽ contrahens cum publicè denunciato.**

ad

*ad quintum, Toletus in ſumma lib. 7. c. 7. nu. 1.* Quoad primam *Vinaldus in candelab ſacrament. pr. part. de matrimon. num. 80. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 9. num. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 9. num. 103. Antonius Riccinllus tract. de iure perſonarum extra gremium Eccleſiæ exiſtentium lib. 4. c. 38. num. 19. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 268.*

Ratio primæ partis deducitur ex *extrauaganti Martini V. ad euitanda*, per quam conceditur omnibus fidelibus, vt in nullo teneantur huiuſmodi excommunicatos, ſi non fuerint nominatim denuntiati, euitare quinimmo, nec in ſacramentorum receptione ad euitanda multa ſcandala, multaque pericula, ergo nullum erit peccatum, ſi quis liber ab excommunicatione ſcienter contrahat matrimonium cũ excommunicato, qui tamẽ nõ fuerit nominatim denuntiatus, ſed toleratus. Conſequentia probatur, quia cum lex non prohibeat talem communicationem, quin potius permittat, non eſt, cur ex illa conſurgere debeat aliqua noxa.

Dices primo, noxam conſurgere ex ipſo iure naturali, ſecundum quod vnuſquiſque obligatur ad non cooperandum peccato alterius; cooperarentur autem peccato alterius contrahentes excommunicati, quandoquidem licet per talem extrauagantem *ad euitanda* permittatur fidelibus communicare cum excommunicatis non denuntiatis, non tamen permittitur eiſdem excommunicatis communicare præcipuè in diuinis cum fidelibus, cum per talem extrauagantem nullus fauor ingeratur eiſdem excommunicatis, ergo &c. Sed contra peto, vel excommunicatus præuenitur à nõ excommunicato ad contrahendum matrimonium, vel excommunicatus præuenit non excommunicatum; ſi primum dicatur; excommunicatus miniſtrando quodamodo ſacramentũ matrimonij non peccat, ſicut nec miniſtrando alia ſacramenta, quandoquidem cum iura permittant non excommunicato communicare etiam in diuinis cum excommunicato non denuntiato, videntur etiam eidem excommunicato præuento concedere poſſe non excommunicato ſacramenta miniſtrare, cæteroqui inutilitèr concederetur eiſdem nõ excommunicatis poſſe in diuinis communicare cum excommunicatis non denuntiatis, ſi noxam contraherent præueniendo eoſdem excõmunicatos, & iſti non poſſent præuenti miniſtrare, ſibi etenim ſunt correlatiua recipere, & adminiſtrare, & ſi non excommunicati licitè poſſunt petere ab excommunicatis toleratis, & iſti licitè poſſunt adminiſtrare *Sairus lib. 2. Theſauri c. 12. nu. 10. Suarez de cenſuris diſp. 11. ſect. 4. aſſert. 2. Pilliutius tom. 1. tract. 12. c. 3. num. 70. Coninchus de ſacrament. diſp. 14 dub. 5. Laiman. lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 4. nu. 6.*, Neque enim excommunicatis toleratis alio iure prohibetur ſacramenta miniſtrare petentibus, & exigentibus, quam ſolo Eccleſiaſtico, quod ceſſare videtur, dum concedit non excommunicatis poſſe petere; vnde cum dicatur *in d. extrauaganti Martini V. ad euitanda*, quod per tale decretum nullus inferatur fauor ipſis excommunicatis; hoc directè, & ex primaria intentione intelligendum eſt, quatenus excommunicatus non poſſit ex ſe licite non præuentus adminiſtrare; non autem indirectè, & in conſequentiam ex neceſſitate ſcilicet præuentionis; Si dicatur ſecundum; ipſe non excommunicatus præuentus non cooperatur malitiæ alterius excõmunicati præuenientis, cum iam ex ſe paratus ſit malitiam illam conſummare, ſed tantum vtitur malitia alterius parati, vt ſuæ conſulat vtilitati, quod vtique licitum eſt.

Excommunicato præuento videtur iura cõcedere poſſe cõmunicare cũ nõ excommunicato.

Dices ſecundo, contrahere matrimonium cum excommunicato non denuntiato nõ eſt ab eodẽ recipere ſacramentũ, ſed participare adminiſtrando, quod illicitum videtur, ſicuti illicitum eſt inducere excommunicatum, vt cum inducente aſſiſtat ſacro, & miniſtret Euchariſtiam, ergo &c. Sed contra, quia contrahens cum excommunicato matrimonium verè ab eodem recipit ſacramentum, licet cum ipſo etiam adminiſtret, quod vtique permittitur per d. extrauag. *ad euitanda*; nec valet id, quod ſubditur de inducente excommunicatum ad aſſiſtendum ſecum ſacris, & ad miniſtrandam Euchariſtiam, quia hoc non eſt conſulere propriæ vtilitati indirectè alium inducendo, ſed directè influere in talem aſſiſtentiam, & adminiſtrationem, ſine proprio commodo.

Excõmunicatis non toleratis nõ permittitur communicatio.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia reſpectu excommunicati non tolerati, ſed nominatim denuntiati, nec directè, nec indirectè eſt conceſſia communicatio, nec quoad diuina, nec quoad temporalia; vbi neceſſitas non excuſat; atque in hoc omnes conſentiunt.

Hic immediatè ſuboritur difficultas, an contrahens matrimonium cum excommunicato non tolerato, ſed vitando, vnam contrahat dumtaxat noxam læthalem, an vero duplicem. Baſilius *Pontius lib. 6. c. 10. num. 3.* indefinitè loquens, & de excommunicato denuntiato, & non denuntiato cum diſtinctione procedit, & ſub aliqua conſideratione alterum præuenientem excommunicatum ad ſecum contrahendum non ſolum eximit à duplici culpa læthali, ſed etiam à quacunque. Hoc igitur pacto procedit; vel etenim non excommunicatus petit ab excommunicato, vt ſecum contrahat, dum excommunicatus à cenſura, qua innodatus eſt, non poteſt

abſolui,

Opiniones Pontij, & Sanchez referuntur.

abſolui, vel ob defectum abſoluentis, vel ob incapacitatem ſubiecti, vel ob referuationem eiuſdem excommunicationis, & ſic exiſtimat, ſic petentem non eximi à culpa læthali, quia petit actum, qui non poteſt fieri bene, ſed neceſſario male; vel petit ab excommunicato, qui de facili poteſt à cenſura abſolui, & ſic arbitratur petentem eximi à quacunque culpa, quia petit ab illo actum, qui poteſt benefieri, & ſine peccato, & ſi male fiat, eſſe ex culpa male operantis, cui non tenetur petens aduerſari. Sanchez circa hanc difficultatem diuerſo modo diſtinguit *eod. lib. 7. diſp. 9. n. 9.*, vel etenim non excommunicatus præuenit excommunicatum, eumque inducit ad contrahendum, & ſic dicit, duplicem noxam læthalem contrahere; alteram, qua cum excõmunicato vitando communicat in diuinis contra prohibitionem Eccleſiæ; alteram verò ſcandali, eo quod inducat excommunicatum ad peccatum læthale; vel non excommunicatus præuenitur, nec inducit ad contractum, & tunc aſſerit, vnam dumtaxat noxam læthalem contrahere. Sed non

Et ſimul reijciuntur

libenter annuerem aſſerto Baſilij Pontij quoad excommunicatum non toleratum, ſeù nominatim denuntiatum, quandòquidem, ex quo eſt talis, nullo modo licet cum eodem in diuinis communicare, nec eundem prouocare ad communicandum, nec eximit prouocantem à culpa conſideratio, quod excommunicatus potuerit facile ab excommunicatione per abſolutionem liberari, quandòquidem quovſque perſeuerat excommunicatio, ſemper eſt prohibita communicatio in diuinis, nec ſufficit potentia ad liberationem, ſed requiritur actualis liberatio. Nec etiam libenter acquieſcerem Sanchez, quià in primis, vt bene notat *Vaſquez apud Meratium tom. 3. in D. Thomam diſp. 27 ſect. 4 n. 8.*, ſuadens alteri, vt committat ſecum peccatum, quod ex ſui natura non niſi à duobus poteſt committi, non committit peccatum diſtinctum ab eo, ad quod inuitat. Deinde non video, quomodo illa propoſitio facta excommunicato vitando matrimonij contrahendi ſit peccaminoſa læthalitèr reſpectu proponentis, & diſtincta à peccato, quod per ſe inuoluit ipſa actualis communicatio in diuinis per illud matrimonium contractum, quandòquidem excommunicatus ipſe debuerat ſibi præcauere, & alter potuit ſolummodò intendere contractum ſecundum ſe.

24 Si vterque fuerit excommunicatus non tamen vitandus peccat læthalitèr, qui alterum præuenit, non qui præuenitur

Aſſertio X. Si vterque fuerit excommunicatus, non tamen nominatim denuntiatus, nec vitandus peccat læthalitèr, qui alterum præuenit, non qui præuenitur; ſi vterque fuerit vitandus, vterque læthaliter peccat, quamvis grauius, qui præuenit, & inducit; ſi alter fuerit excommunicatus vitandus, alter vero non, tunc ſi non vitandus inducit vitandum ad contrahendum grauius peccat, & inducendo, & participando contra propriam, & alterius cenſuram, inductus vero non toleratus grauiter peccat participando, non inducendo; ſi verò vitandus præueniat, & inducat, grauius peccat contra vtramque rationem, non vitandus tamen præuentus peccat participando ſolummodò. Ita in vniuerſum *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 9. n. 11. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 9. n. 105., & ſeqq.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià *in d. extrauaganti Martini V. ad euitanda*, licet non prohibeatur fidelibus communicatio cum excommunicatis non nominatim denuntiatis, prohibetur tamen eiſdem excommunicatis, quantumvis non denuntiatis directa, & non requiſita communicatio, ergò excommunicatus non vitandus, qui alterum excommunicatum non vitandum præuenit, peccat grauiſsimè, quià contra propriam excommunicationem communicat. Rurſus excommunicatus præuentus, qui non eſt vitandus, non delinquit contra propriam cenſuram, nec contra alienam, non contra propriam, quià ipſe præuentus ſupponitur, & ex quo ſit toleratus alter ius habet ex vi præcisè excommunicationis illius præueniendi, vt patet ex ſupra dictis, & per conſequens ipſe quoque communicandi, quià fruſtratorium eſſet ius alterius petendi, ſi ipſe non poſſet requiſitus dare; non contra alienam, quià, cum alius non ſit vitandus, non priuat ipſum iure petendi, & per conſequens, nec poteſtate communicandi, maximè ſi ſit præuentus, ergò nullo modo peccat ſic contrahendo.

25 Si vterque fuerit excommunicatus vitandus vterq; læthalitèr peccet, grauius tamen qui præuenit,

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià ſtante etiam decreto *d. extrauagantis ad euitanda* excommunicati denuntiati nominatim, & vitandi nullo modo, ſiuè præuenientes fuerint, ſiuè præuenti poſſunt communicare, & præcipuè in diuinis, ergò, qui præuenit grauitèr peccat non ſolum contra propriam cenſuram, & contra illam alterius, ſed etiam ratione inductionis alterius ad peccandum, ſeù ad communicandum in diuinis. Virum autem, qui ſic præuenit, dum eſt vitandus, reſpectu alterius etiam vitandi triplici noxa læthali afficiatur, altera participationis ſacramenti cum altero excommunicato vitando, altera receptionis ſacramenti, altera inductionis ad communicandum tenetur affirmare Sanchez, qui vnum peccatum diſtinctum agnoſcit in inductione, & diuerſum in participatione, & receptione; ego tamen nonniſi maiorem

rem grauitatem agnoſco, & quidem in ordine ad inductionem iam patet ex dictis, quia quando ſuaſio, ſeù inductio eſt ad peccatum, quod nonniſi inter duos poteſt conſummari, non eſt peccatum diſtinctum ab eo, ad quod inuitat, quæ etiam ratio videtur militare quoad participationem, & receptionem, quæ ordinantur ad vnum, & eundem actum, & ſicuti, ſi coniugatus fornicationem committeret, cum coniugata, non committeret, niſi grauius peccatum, ac ſi fornicaretur cum non coniugata, ſi præſcindas ab iniuſtitia, quæ committitur aduerſus maritum coniugatæ, ità ſi excommunicatus vitandus communicaret in diuinis, cum altero excommunicato vitando, non niſi grauius peccatum committeret, ac ſi communicaret cum non excommunicato ſimplicitèr, vel cum excommunicato non vitando. Rurſus excommunicatus vitandus præuentus non ſolum peccat aduerſus propriam excommunicationem participando, & recipiendo, ſed etiam aduerſus alienam, quandòquidem omnia iura, & ipſi prohibent communicare cum alijs, & alijs communicare cum ipſo; nec obſtat, quod fuerit præuentus, quandòquidem, quandò & ipſe, & alter, à quo preuenitur, eſt vitandus nullum ius aſſiſtit, vt poſſit præuentus communicare, ſicuti aſſiſtit, quandò non eſt vitandus.

26 Si non vitandus inducat vitandum, peccat, & inducendo, & participando.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quià reſpectu excommunicati vitandi non ſolum ipſi eſt interdicta communicatio in diuinis cum alijs, ſiuè excommunicatis, ſiuè non excommunicatis, ſed etiam alijs communicatio cum ipſo, ergò, ſi alter excommunicatus non vitandus ipſum inducat ad communionem cum ipſe non ſolum ratione propriæ excommunicationis non poſſit præuenire, nec directè poſſit cum alijs communicare, peccabit, & præueniendo, & communicando non ſolum contra propriam, ſed etiam contra alienam cenſuram, quę, cum ſit ſpecialiter denuntiata, vetat & ipſi, & alteri communicationem cum ipſo; ex quo deducitur, quod etiam ipſe excommunicatus vitandus, quantumuis præuentus à non vitando grauiter peccet, cum contra prohibitionem communicet. Hac eadem ratione ſeruata proportione euincitur, quod grauius peccat excommunicatus vitandus, ſi præueniat, & inducat toleratum, & non vitandum non ſolum ratione participationis actiuæ, & paſſiuæ, ſed etiam ratione inductionis, & præuentionis, grauiter tamen etiam delinquat, & toleratus præuentus ex eo, quod participet cum vitando, & nominatim denuntiato.

27 Si vitandus inducat nō vitandum grauius peccat, & inducendo & participando.

Pro complemento eorum, quæ pertinent ad prohibitionem matrimonij contrahendi ratione excommunicationis hic venit inquirendum, an, & quomodo poſsit contrahi matrimonium per affectos excommunicatione minori dumtaxat, & quidem ſub vario reſpectu hæc inquiſitio poteſt examinari; vel enim affectus excommunicatione minori contrahit, cum non excommunicato, vel alter non excommunicatus ſcientèr, cum ipſo contrahit; vel excommunicatus excommunicatione minori contrahit cum alio affecto ſimili cenſura. Rurſus ſecundum hos omnes reſpectus conſiderari poteſt, an ſic excommunicati ſint nominatim denuntiati, nec ne; Si excommunicatus excommunicatione minori contrahat cum non excommunicato grauitèr peccat *Paludanus in 4. diſt. 26. q 2. art. 2. concl. 3. num 10 Caietanus in ſummà verb. matrimonium c. 1 in fine, Armillà eod verb n 67. Nauarrus in ſumma c. 22. n. 81.* Ratio ex eo deducitur, quià excommunicatio minor priuat receptione paſsiua ſacramentorum, & quidem ſub graui, vt expreſsè habetur *ex cap. fin. verſ. peccat autem de cleric excommun. c. miniſt.* Si non excommunicatus contrahat cum excommunicato excommunicatione minori nondum denuntiato, nec ipſe peccat præueniendo, nec excommunicatus præuentus contrahendo *Viualdus in candelab. ſacramentorum prima part de matrimon n 80 Sanchez de matrimon lib 7. diſp. 9. n, 10. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract c. 9. n. 104* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quià ex quo non eſt denuntiatus, alter poteſt cum ipſo communicare, & ſi hoc verificatur, quandò ille eſt affectus excommunicatione maiori, non tamen vitandus, ſed toleratus, non video, cur verificari non debeat, quando eſt affectus ſolummodo excommunicatione minori, & ſi quando excommunicatus excommunicatione maiori, non tamen denuntiatus, præuenitur ab altero, non peccat communicando, quià indirectè eſt eidem conceſſa poteſtas communicandi, dum alter ius habet petendi, & licitè, quid eſt, cur affectus ſolummodò minori cenſura præuentus non poſſit communicare? Si excommunicatus excommunicatione minori preueniat non excommunicatum, idem dicendum eſt, quod dictum fuit de excommunicato ſimili cenſura contrahente cum non excommunicato. Si verò vterque ſit excommunicatus excommunicatione minori præueniens, & inducens peccat grauitèr, & ratione receptionis contra propriam cenſuram, quæ priuat ex genere ſuo perceptione paſsiua ſacramentorum, & ratione inductionis, præuentus verò nulla ratione peccat, nec contra propriam cenſuram, cum requiſitus poſsit aſsentiri, nec contra illam alterius, cum alter habeat

28 Si ex communicatus excommunicatione minori contrahat, cū nō excommunicato grauiter peccat.

29 Si non excommunicatus contrahat, cū excommunicato excommunicatione minori tolerato, nec peccat prę ueniendo, nec præuentus cōtrahendo.

30 Si vterque ſit excommunicatus excommunicatione minori prę ueniens peccat, & præueniendo, & contrahendo, præuentus nullo modo.

31 Si vterque ſit denuntiatus præueniēs grauiter peccat, & inducendo, & contrahendo, præuentus vero ſolum contrahendo.

habeat ius præueniendi. Quod ſi ſupponas, vel vtrumque, vel alterum ipſorum eſſe denuntiatum nominatim; tunc, ſi vterque ſit talis, prȩueniens grauiter peccat, & inducendo, & recipiendo ſacramentum contra propriam excommunicationem, & præuentus etiam ratione præcisè receptionis; ſi verò alter tantum ipſorum ſit denuntiatus, ſi denuntiatus inducat alterum non denuntiatum, tunc ipſe peccat recipiendo, non inducendo, cum inductus non peccet; ſi verò non denuntiatus inducat denuntiatum, tunc ipſe grauitèr peccat inducendo, & ipſe quodamodo recipiendo. Hæc quoad excommunicatos excommunicatione minori denuntiatos dixi ſecundum communem doctrinam: Cæterum vix modo video conſuetudinem denuntiationis quoad huiuſmodi affectos excommunicatione minori.

---

## PRÆNOTIO IV.

### Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad Cathechiſmum, votum, & ſponſalia.

### *SVMMARIVM.*

*Concilium Trident. abſtulit impedimentum proueniens ex cathechiſmo.* 1.
*Antiquitus ad contrahendum hoc impedimentum requirebatur tota actio incipiens à pabulo panis vſque ad confirmationem per criſma.* 2.
*Impedimentum catechiſmi extendebatur ad eas, omnes perſonas ad quas extendebatur baptiſmus.* 3.
*De impedimento ſponſalium remiſſiue.* 4.
*De impedimento voti remiſſiuè.* 5.

1 Concil. Trident. abſtulit impedimentū ex catechiſmo.

VIX ſtante iure moderno *Concilij Tridentini c. 2. ſeſſ.* 24. aliquid remanet inquirendum circa impedimentum catechiſmi, cum in communiori *DD.* ſententia per idem Concilium fuerit ſublatum, prout latè docent *Veracrux in prima parte ſpeculi art.22. in fin Onandus in 4 diſt. 42. diſp. vnica propoſit. 8. Henriquez lib.2. de Baptiſmo c.15.n.4. Petrus de Ledeſma de matrimon. q.56. art.3. §. in huius expoſitionem*, & hanc modo eſse communem teſtatur *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 10. num 12. in fine*; & hoc clarè colligitur ex verbis eiuſdem Trident. loc. cit. *Per Baptiſmum, vel confirmationem, & iure antiquo circa hoc correcto ſic concludatur. Omnibus inter alias perſonas huius cognationis ſpiritualis impedimentis omnino ſublatis*, vbi reſtricta cognatione ſpirituali inter certas, & determinatas perſonas in baptiſmo, & confirmatione, quæ de iure antiquo ad longè plures perſonas extendebatur, expreſsè ſtatuit nullam aliam cognationem ſpiritualem eſse attendendam. ſed intelligendam ſublatam; Neque exiſtimandam eſt Concilium ſolummodo in eo decreto ſuſtuliſse cognationem ſpiritualem, prout extendebatur vltra perſonas in eodem concilio explicata in baptiſmo, & confirmatione, de cathechiſmo autem, cum de eo nullam mentionem fecerit, arbitrandum eſt eum reliquiſse in ſuo primæuo iure, vel ad ſummum reſtrixiſse ſolum ad eas perſonas, ad quas reſtrixit cognationem ſpiritualem quoad baptiſmum, & confirmationem. Non, inquam, exiſtimandam, quia concilium in eo decreto loquitur generatim de omni cognatione ſpirituali, quæ ex iure antiquo inducta fuerat, & cum in proemio dixerit, ſe velle multitudinem prohibitionum reſtringere, ex qua incommoda oriebantur, intelligendum eſt, reſtrixiſſe, quod perſonas determinatas in baptiſmate, & confirmatione, in reliquis abſolutè ſuſtuliſſe.

2 Antiquitus ad contrahendum hoc impedimentum requirebatur tota actio incipiens à pabulo panis vſq; ad confirmationē per criſma.

Ex quibus ceſſat ratio dubitandi, & inquirendi, an adhoc, vt conſurgat impedimentum cognationis ſpiritualis in catechiſmo requiratur, quod tenens puerum teneat in toto catechiſmo, circa quod *Gloſa in cap. contracto de cognat. ſpirituali in fin.* ſuſtinebat debere in toto tenere quinimmo, nec ſufficere præciſe tenere, ſed etiam requiri, quod tenens gerat perſonam infantis reſpondens ad fidei interrogata *VeraCrux pr. parte ſpeculi art.22. dub. 4. concl.2. Palacios in 4. diſt.42. diſp. vnica*, nec præcisè ex exorciſmo, hæc cognatio ſpiritualis oriebatur non obſtante textu *in c. pro venit 30. q. 1.* vbi dicitur, *à primo pabulo ſacri ſalis, vſque ad confirmationem per criſma nullus Chriſtianus ſuam commatrem in coniugium recipere debet*; quandoquidem, hic textus loquitur copulatiuè requirens totam illam actionem incipientem à pabulo ſalis vſq; ad confirmationem per criſma prout bene notat *D. Thomas in diſt. 42. q.1. art.2. in corpore, Henriquez lib. 2 de baptiſmo c.15. nu. 4. in comm. lit. M.*

3 Extendebatur ad eas perſonas, ad quas baptiſmus.

Ceſſat item ratio inquirendi ad quaſnam perſonas extendatur illa cognatio ſpiritualis oriens ex catechiſmo, quæ antiquitus extendebatur teſtibus *Nauarro in ſumma c 22. nu. 72. Maiolo lib. 3. de irregularit. c.25. num.14. § Cathechiſmus* ad eos gradus, ad quos extendebatur cognatio ſpiritualis ex baptiſmo, cum catechiſmus eſſet quoddam initium baptiſmi.

Ceſſat item ratio dubitandi, & inquirendi, an cognatio ſpiritualis contrahatur, quando catechiſmus baptiſmum prȩcedit, an vero etiam quando ſubſequitur, an vero requiratur, quod coexiſtat baptiſmo,

circa

Digitized by Google

circa quæ DD. in varias abiere ſententias, de quibus in præſenti non eſt curandum, cum hæc cognatio intelligatur ſublata.

4 *De impedimento ſpõſalium remiſſiuè.* Quoad impedimentũ ſponſalium, quod ſcilicet non ſit dirimens, ſed tantum impediens, vix etiam remanet ambigendi locus, quandoquidem de eo fusè egimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. prænot. 6. num.* 8., 9., *&* 10., vbi vidimus priora ſponſalia impedire matrimonium contrahendum non dirimere contractum, quantumvis illa fuerint iurata, & prætextu eorundem fæmina fuerit deflorata.

5 *De impedimento voti remiſſiuè.* Quoad impedimentum voti, quod intelligendum eſt de voto ſimplici, vel caſtitatis, vel Religionis, vel ordinis, non de ſolemni etiam vix aliquid remanet peragendum cum de eo fuse egerimus *eodem tom 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. prænot.* 4., *&* 5. vbi vidimus votum ſimplex caſtitatis Religionis, & ordinis impedire matrimonium non diſſoluere contractum ad differentiam voti ſolemnis, & actualis ſuſceptionis ſacrorum ordinum, ad quæ vos remitto, ne recitata repetam.

---

## PRÆNOTIO V.

Expediuntur ea omnia, quæ pertinent ad impedimentum criminis prout impedit, non dirimit matrimonium.

### *SVMMARIVM.*

*Proponuntur dubia circa impedimentum inceſtus.* 1.

*Inceſtus prout eſt præciſè impediens impedit matrimonium cum quacunque.* 2.

*Inceſtus ſi fuerit occultus probabilius non parit impedimentum.* 3.

*Non tam maritus inceſtuoſè cognoſcens conſanguineam propriæ vxoris contrahit hoc impedimentum, ſed etiam vxor, quæ inceſtuoſè commiſcetur cum conſanguineis viri.* 4.

*Non tam maritus, & vxor ſe inceſtuoſè commiſcentes cum conſanguineis alterius contrahebant hoc impedimentum, ſed etiam iidem conſanguinei ſe commiſcentes reſpectiuè cum marito, & vxore.* 5.

*Maritus concumbens inceſtuoſè cum conſanguinea vxoris ignorans eam ſibi eſſe affinem non contrahit hoc impedimentum.* 6.

*Hoc impedimentum antiquitus cõtrahebatur per commixtionem cum conſanguinea vxoris vſq; ad quartum gradum, modo reſtringitur ad ſecundum.* 7.

*Non oritur hoc impedimentum ex copula fornicaria cum cognata legali, vel ſpirituali.* 8.

*Inceſtus commiſſus per maritum cum conſanguineis proprijs non inducit, hoc impedimentum.* 9.

*Inceſtus cum conſanguineis vxoris eadem iam mortuo non inducit hoc impedimentum.* 10.

*Fornicatio cum conſanguinea ſponſa de futuro non inducit impedimentum.* 11.

*Si ſequatur fornicatio cum conſanguinea ſponſa de præſenti oritur hoc impedimentum.* 12.

*Vt huiuſmodi inceſtus inducat impedimentum debet eſſe conſummatus per copulam perfectam.* 13.

*Impedimentum raptus contrahitur, ſiue rapta fuerit ſponſa de præſenti, ſiuè de futuro.* 14.

*Etiam contrahitur, quantumuis ſponſa rapta conſenſerit raptui adeo, vt nec eadem ſponſa poſſit poſtea alteri nubere.* 15.

*Ad contrahendum hoc impedimentum requiritur traductio alienæ ſponſæ de vno in alterum locum.* 16.

*Probabilius non contrahitur hoc impedimentum ſi fæmina alienum ſponſum per vim abduxerit.* 17.

*Diſcrimen inter vxoricidium prout dirimit matrimonium, & prout præciſè impedit* 18.

*Non contrahitur per necem vxoris deprehenſæ in adulterio* 19.

*Maritus non contrahit hoc impedimentum ſi occidat vxorem deprahenſam in adulterio auctoritate Iudicis.* 20.

*Vxor virum interficiens non contrahit hoc impedimentum.* 21.

*Diſcrimen inter ſuſceptionem prolis prout dirimit, & prout præciſè impedit.* 22.

*Ad contrahendum hoc impedimentum requiritur quod fiat animo inſidiandi matrimonio cum proprio coniuge.* 23.

*Oritur hoc impedimentum, ſiue tenens ſit vxor, quæ ſuſcipiat in baptiſmate puerum communem, ſiue filium mariti, ſiue fuerit maritus, qui teneat puerum item communem, vel proprium vxoris.* 24.

*Contrahitur non ſolum per ſuſceptionem, ſed etiam per collationem baptiſmatis* 25.

*Contrahitur etiam per ſuſceptionem in confirmatione.* 26.

*Ex ſuſceptione in catechiſmo modo non oritur.* 27.

*Non ſufficit ad contrahendum impedimentum ex presbitericidio, quod fuerit commiſſum, ſed etiam requiritur, quod fuerit probatum in iudicio.* 28.

*Per necem illatã Diacono, quantumvis fuerit Parochus non contrahitur hoc impedimentum.* 29.

*Per necem illatam à marito presbitero deprehenſo in adulterio cum propria vxore non contrahitur.* 30.

*Impedimentum publicæ pænitentiæ non eſt perpetuum, ſed durat præciſè pro tempore, pro quo durat eadem publica pænitentia.* 31.

*Per contractum matrimonialem cum ſanctimoniali non contrahitur hoc impedimentũ,*



Digitized by Google

*niſi illa fuerit profeſſa*. 32.

*Excuſat ab hoc impedimento ignorantia, quod illa fuerit profeſſa*. 33.

*Enormiter viuens in concubinatu cum ſanctimoniali non contrahit hoc impedimentum, grauiter tamen, & etiam pœna capitis eſt mulctandus*. 34.

IAM ex ſuperius dictis poteſt, quænam ſint hæc crimina, quæ impediunt matrimonium, nõ dirimunt, in quibus etiam non diù immorandum eſt, cum contraria conſuetudine in ordine ad effectum huius impedimenti intelligantur ſublata *Coninchus de ſacramentis diſp. 30. dub. 3. num. 25. Sotus in 4. diſt. 27. q. vnica art. 2. prope fin. Veracrux pr. part. ſpeculi art. 27. concl. 2. Sanchez de matrimon. tom. 2. lib. 7. diſp. 17. num 8. Nauarrus in ſumma c. 22. num. 75. Baſilius Pontius de matrimon. lib. 6. c. 14. num. 4. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 259.*, Ad pleniorem tamen notitiam ſingulorum horum criminum, prout impediebant matrimonium placet quæſtiones aliquot circa ſingula inſtituere.

1 Proponuntur dubia circa impedimentum inceſtus.

Incipientes igitur à primo crimine, quod eſt, *inceſtus* inquiremus primo, quomodo hoc poſſit connumerari inter impedimenta ſimpliciter impedientia, cum inceſtus importet conſanguinitatem, & affinitatem, quæ ſecundum ſe dirimunt, non ſimpliciter impediunt; Secundo, an ex inceſtu oriretur hoc impedimentum, quantumvis fuerit occultus. Tertio, an hoc impedimentum conſurgeret, ſiue maritus inceſtum committeret cũ conſanguineis vxoris, ſiue vxor eundem committeret cum conſanguineis mariti. Quarto, an hoc impedimentum conſurgeret non ſolum reſpectu mariti inceſtum committentis, ſed etiam reſpectu conſanguineorum, cum quibus inceſtus commiſſus eſt. Quinto, an etiam conſurgeret, quantumvis maritus committens inceſtum ignoraret perſonam, cum qua concumbit ſibi eſſe affinem. Sexto vſque ad quem gradum extendatur hic inceſtus cum conſanguineis coniugis, vt conſurgat hoc impedimentum. Septimo, an extendatur ad copulam habitam cum perſona cognata cognatione legali, vel ſpirituali. Octauo, an ad copulam habitam cum conſanguineis proprijs. Nono, an contraheretur hoc impedimentum, ſi inceſtus eſſet commiſſus cum conſanguineis vxoris eadem iam mortua Decimo, an hoc impedimentum extenderetur ex copula cum conſanguinea ſponſæ de futuro, & in quonam gradu.

2 Inceſtus prout eſt impediens impedit contractũ cum quacunq;

Reſpondeo ad primum connumerari inter impedimenta ſimpliciter impedientia, quia non reſpicit matrimonium inter conſanguineos cum ea, cum qua fuit cõmiſſus inceſtus, ſed cum quacunque alia perſona etiam nõ conſanguinea, ſeu affine ineundum, ad differentiam inceſtus, prout eſt impedimentum dirimens, quod præcisè reſpicit perſonas coniunctas, cum quibus dirimitur matrimonium. Colligitur *ex c. pr., & c. tranſmiſſa de eo, qui cognouit conſang.* vbi inceſtuoſo interdicitur matrimonium quodcunque, vbi, cum nihil addatur, quod ipſum irritari denotet, vtique intelligendum eſt de impedimento, quod reſpicit matrimonium, quod ineundum eſt cum alijs quibuſcunque à conſanguineis, & affinibus in gradibus vetitis, non cum eiſdem, nam cum ipſis abſolutè irritat. Ratio autem, propter quam inductum eſt hoc impedimentum impediens ex inceſtu cum conſanguineis propriæ coniugis, ex eo deducitur, quia cum maritus inceſtuoſus deliquerit contra matrimonium iam initum contra propriam vxorem conſtituendo ſe ex propria culpa cum illa affinem, ratione cuius affinitatis impeditur ab vſu coniugij, tam in petendo, quam in reddendo, vtique in eodem genere matrimonij æquè fuit puniendus, ita vt aliud non poſſet licitè contrahere. *Caietanus in ſecunda ſecundæ q. 154. art 9. col. 2. §. ad ſecundam obiectionem D. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnica art. 5. in ſolut. ad argumenta, & ibi Riccardus art. 4 q 2. ad primum, Turrecremata c. quadam cum fratre 32. q. 7. n. 2. ad tertium.*

Ratio huiuſmodi impedimenti.

3 Si fuerit occultus probabilius nõ pariat impedimentum.

Ad ſecundum probabilius ſentio, quod ſi inceſtus fuerit occultus non pariat impedimentum *Abbas c. literas nu 2. verſ., & ex hoc de præſumpt. Angelus verb. inceſtus num. 4. Silueſter verb. luxuria q. 4. dict. 2. Sotus in 4. diſt 37. q vnica art. 1. col. 3. verſ. circa hos, Ludouicus Lopez pr. part. inſtruct. c. 296. verſ. nunc ſupereſt ad textum* aduerſus *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp 15. nu. 13. Bonacinam de matrimonio q. 3 punct 14. nu. 10., & alios*. Ratio ex eo deducitur, quia hoc impedimentum inductum eſt præcisè ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici, & in pœnam delicti nõ conſurgens ex natura ſua; in ijs autem, quæ reſpiciunt forum externum, pœnæ non intelliguntur affixæ delictis omnino occultis, niſi hoc exprimatur; nullibi autem eſt aſſignabilis textus, qui indicet pœnas huiuſmodi incurri ob delictum omnino occultum. Neque dicas, fruſtratoriam penitus fore impoſitionem talis pœnæ, ſi reſpiceret præcisè inceſtum manifeſtum, quandoquidem, vt notat *Sanchez loc. cit.*, inceſtus eſt ex illis delictis, quæ non palam, ſed clam, & occultè exercentur; contra enim impugnaberis, quia quantumvis actus huiuſmodi occultè fiãt, poſſunt tamen, vel ex partium confeſſione, vel alia ratione fieri manifeſti, & probari, quod ſatis eſt ad præſens inſtitutum, vt videre eſt in alijs ſimilibus; Neque vrgeas, ex inceſtu omnino occulto oritur impe-

Rationes aduerſæ earumque ſolutio.

Digitized by Google

impedimentum, ratione cuius inceſtuoſus non poteſt petere debitum à propria coniuge, ergo etiam ex eodem quantumuis occulto orietur impedimentum, ratione cuius non poſſit licitè mortua eadem coniuge contrahere cum alia; cõtra enim adhuc impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio, quia quantumuis inceſtus commiſſus cum conſanguinea propriæ vxoris importet delictum, ex eadem tamen conſurgit affinitas cum propria vxore, quæ affinitas inducit impedimentum præciſa etiam quacunque lege Eccleſiaſtica, cum ſit iuris naturalis, prout docet *Ioannes Andreas in c. 1. num. 3. de conuerſ. infid., & ibi Antonius num. 2. oppoſ. vnica Cardinalis in princip. nu. 1. oppoſ. 1.*; ex inceſtu autem cum conſanguinea propriæ vxoris non conſurgit impedimentum ad contrahendum cũ alia quacunque mortua vxore, niſi de iure Eccleſiaſtico adeoq; &c.

4 **Non tàm maritus inceſtuoſus, quàm vxor inceſtuoſa contrahit hoc impedimentum.**

Ad tertiam dico, non tantum maritum inceſtuoſe cognoſcentem conſanguineam proprię vxoris contrahere hoc impedimẽtum, ſed etiam vxorem, quæ inceſtuosè commiſcetur, cum conſanguineis viri *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 16. §. 4 VeraCruce prima part. ſpeculi art. 23. concl. 2. Toletus lib. 7. ſumma c. 15. n. 2. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 46. §. circa quintum impedimentum, Palacios in 4. diſt. 34. diſp. 2. col. 9. verſ. quod ſi obieceris*. Non ſolum euincitur ex paritate rationis de marito inceſtuosè cognoſcente conſanguineam propriæ vxoris, ſed etiam ex poſitiuis iuribus *ex c. ſi quis viduam 32. q. 7., & c. ſi quis cum matre 34. q. 7.*, vbi eſt ſermo de fœmina, quæ inceſtum committit cum conſanguineis viri. Neque dicas, pœnas impoſitas aduerſus virum committentem delictum non extendi ad fœminam idem perpatrantem, vt videre eſt in pœnis illatis contra raptorem fœminæ, quæ ſecundum communiorem ſententiam non extenduntur ad fœminam raptricem viri; contra enim impugnaberis, quià iura merito non ſtatuerunt pœnas raptus aduerſus raptricem maſculi, quià hoc caſus rariſſimus eſt, vt vix contingens, nec currit paritas de viro rapiente fęminam, cum hic caſus crebro, & regularitèr eueniat; & in ordine ad inceſtum ea, currit paritas quoad delictum, & ſimilis frequentia quoad caſum in vtroque coniuge, adeoque &c. prætérquam quod iura allegata etiam expreſsè loquuntur de fœmina inceſtuoſa.

5 **Etiam conſanguinei vxoris, & mariti ſe illis commiſcentes contrahebant hoc impedimentum.**

Ad quartam dico, non ſolum maritum, & vxorem reſpectiuè inceſtum committentes cum conſanguineis alterius contrahere hoc impedimentum, ſed etiam eoſdem conſanguineos, qui inceſtum cum eodem marito, & coniuge reſpectiuè contraxerunt. Expreſsè colligitur *ex c. 1. de eo, qui cognou. conſanguin., & c. ſi quis cum Nouerca 32. q. 7.*, nec incongrua ratione, quandòquidem, & iſti concurrerunt ad iniuriam matrimonio irrogandam.

6 **Concumbens cum conſanguinea vxoris ignorans eſſe talem non contrahit hoc impedimẽtum.**

Ad quintam ignorante marito concumbente inceſtuosè cum conſanguinea propriæ vxoris eam eſſe ſibi affinem non contrahitur hoc impedimentum *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 15. n. 9. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 14. n.*; tum ratione, tum iure euincitur; ratione quidem, quià hoc impedimentum non conſurgit ex natura ſua, ſed præcisè ex lege eccleſiaſtica in pœnam delicti; non poteſt autem eſſe pœna, vbi non eſt delictum in eo genere conſummatum ob quod impoſita eſt talis pęna; delictum autem in eo genere non eſt, vbi non eſt voluntarium, adeoque cum cognitione præcedenti; iure etiam per textum *in c. 1. de eo, qui cogno. conſang.*, vbi expreſſis, & prægnantibus verbis requiritur, quod ſcienter fuerit admiſſus, ſeù commiſſus inceſtus ad hoc impedimentum contrahendum.

7 **Reſtringitur hoc impedimentum ad inceſtum, cum conſanguinea vxoris in ſecundo gradu.**

Ad ſextam attento iure antiquo ſecundum communiorem ſententiam contrahebatur hoc impedimento ex inceſtu, cum conſanguinea vxoris vſque ad quartum gradum; modo tamen attento iure nouiſſimo *Concil. Trident. c. 4 ſeſſ 24. de matrimonio* reſtringitur ſolum ad ſecundum gradum ſecundum eandem communiorem ſententiam; atq; ita quoad primam partem docuerunt *Aſtenſis 2. parte ſummæ lib. 8. tit. 20. art. 1. in initio, Gutierez lib. 1. qq. canon. cap 23. num 5. Toletus lib. 7. ſummæ cap. 15. num. 2.*; Quoad ſecundum, *Ouandus in 4. diſt. 41. diſp. vnica prop. 7. Viualdus in candelab. ſacrament. 1. part. vbi de matrimonio n.* 269. Communis ratio meo videri ea erat, & eſt, quià hoc impedimentum deſumendum eſt ſecundum normam affinitatis, quæ conſurgit ex illa copula inceſtuoſa; affinitas autem de iure antiquo contrahebatur ex cognitione carnali conſanguineæ ad quartum, gradum in ordine ad effectum impediendi matrimonium, modo autem affinitas ex copula fornicaria quoad effectum impediendi per idem Concil. Trident. reſtringitur ad ſecundum gradum, ergò &c.

**Fundamentum aſſerti.**

Sed ſecundum veritatem abſolute exiſtimo quoad effectum impediendi matrimonium poſt mortem vxoris, cum alia quacunque à conſanguineis, ſiuè de iure antiquo, ſiue de iure nouo inceſtum non extendi vltra primum gradum. Ratio ex eo deducitur, quià hoc impedimentum eſt mere pœnale in pœnam ſcilicet delicti ex ſolo iure Eccleſiaſtico inductum, ergò non eſt extendendum vltra, quod iura ipſa eccleſiaſtica extendunt; iura autem, præcisè loquuntur de inceſtu

commiſſo, cum conſanguinea vxoris in primo gradu, vt colligitur *ex c. 1. de eo, qui cognou. conſanguin.* Ibi: *ſi quis cum filiaſtra ſua ſcienter fornicatus fuerit, nec filiaſtra, nec ille vllo vnquam tempore alijs ſe poterunt matrimonio copulare*; hoc idem habetur *in c. transmiſſa eod. tit., & c. ſi quis cum Nouerca 32. q. 7.*, & hoc idem fatetur *Sanchez ingenuè d. lib. 7. diſp. 15. nu. 4., & lib. 9. diſp. 27. n. 12.*, quamuis noſtræ ſententiæ aduerſetur ſentiens extendi vſque ad quartum gradum de iure veteri, & ad ſecundum de iure nouiſſimo Trident.; Neque ratio ex aduerſo adducta aliquid euincit, quandòquidem in ordine ad matrimonium cum alia à conſanguineis, & affinibus contrahendum poſt mortem vxoris, non attenditur affinitas, cum in ordine ad aliam perſonam à conſanguineis, cum qua contrahere intendit, nulla ſit, ſed præcisè delictum, cui ius canonicum adiecit impedimentum, delictum autem ex eiuſdem iuris diſpoſitione reſtringitur ad primum gradum; vnde ſolum verificatur, quod ratione illius inceſtus de iure antiquo non ſolum impediatur, ſed etiam dirimatur matrimonium contrahendum cum alia conſanguinea eiuſdem fœminæ, cum qua commiſſus fuit inceſtus, vſque ad quartum gradum, & de iure nouo vſque ad ſecundum tantum; cæterum in ordine ad alias à conſanguineis ſtandum eſt diſpenſationi iuris.

*Soluitur ratio oppoſita.*

8 *Non oritur ex copula fornicaria, cum cognata legali, vel ſpirituali.*

Ad ſeptimam probabilius eſt, non oriri hoc impedimentum inceſtus ex copula fornicaria cum cognata legali, vel ſpirituali *Paludanus in 4. diſt. 34 q 1. art. 2. n. 13. concl. 2. Caietanus 2. 2 q 154. art. 9. col. 2. §. ad ſecundam obiectionem, Nauarrus lib. 4. conſil. in 2. edit. tit. de cognat. ſpiritual conſ. 8. n. 8.* Ratio ex eo poteſt deſumi, quià hoc impedimentum eſt pœnale, adeoque eſt reſtringendum ad inceſtum ſolummodò ſecundum ſuam propriam, & rigoroſam ſignificationem; fornicatio autem cum cognata legali, ſeù ſpirituali non eſt propriè, & rigoroſè inceſtus.

9 *Inceſtus commiſſus per maritũ cum conſanguineis proprijs non inducit hoc impedimentũ*

Ad octauam dicendum eſt, inceſtum commiſſum per maritum cum conſanguineis proprijs non inducere hoc impedimentum *Sanchez de matrimon. lib 7. diſp. 15. n. 16. Petrus de Ledeſma q. 58. art. 4. Perez §. inceſtus fol. 241. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 14. n. 10. D. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnica art. 5. in ſolut. ad argumenta.* Ratio ex eo deducitur, quià iura inducentia hoc impedimentum loquuntur de inceſtu cum affinibus, ſeù conſanguineis vxoris, non cum conſanguineis proprijs, & cum ſint pœnalia non ſunt extendenda vltra expreſſa; nec valet, quod ille inceſtus cum conſanguineis proprijs ſit in ratione culpæ grauior, quandòquidem pœnalia non extenduntur etiam ad grauiora, vt videre eſt in iure reſeruante actum ſodomiticum, quod ſecundum ſe non extenditur ad actum beſtialitatis. Deinde non militat eadem ratio de inceſtu cum conſanguineis proprijs, ac cum conſanguineis vxoris in ordine ad hoc impedimentum inducendum, quandòquidem non ita offendit matrimonium, cum ex illo non pullulet affinitas cum propria vxore. Si quæ iura afferantur aduerſus hoc noſtrum aſſertum vide ſolutionem apud *Sanchez loc. cit. n. 17.*

Ad nonam ſentiendum eſt, inceſtum commiſſum cum conſanguineis coniugis eadem iam mortua non inducere matrimonij impedimentum *Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 1. paulo poſt primam concl. Corduba in ſuo quæſtionario lib. 1. q. 12. art. 1. verſ. notetur etiam Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 2 n. 1. Viualdus in candelab ſacrament. 2. part. vbi de matrimon. n. 96., & alij* quidquid ex aduerſo dixerit *Sanchez d. lib. 7. diſp. 15. n. 12.* ea motus ratione, quod non inueniat cauſam huius limitationis, & vlterius ex textu *in c. tranſmiſſa de eo, qui cogn conſang.* Sed maiorem ego facilè inuenio in eo, quod hoc impedimentum inductum eſt, quià læditur potiſſimum matrimonium cum prima vxore, ratione cuius committens talem inceſtum redditur impeditus ad petendum, & reddendum debitum propriæ vxori; hæc autem ratio ceſſat eadem vxore iam mortua. Secundo, quia defuncta vxore non ita ipſius fidem, ſeù fidem eidem datam violat committendo inceſtum cum ipſius conſanguinea, ſicuti violaret committendo eundem ipſa viuente. Ad id, quod opponitur ex textu *in c. traſmiſſa de eo, qui cognou. conſang.* dicendum eſt, non procedere de inceſtu vxore iam mortua, vel tantum de inceſtu prout impedit matrimonium cum alijs conſanguineis ineundam, reſpectu cuius ex iura naturali non ex mera lege Eccleſiaſtica conſurgit impedimentum.

10 *Inceſtus commiſſus cum conſanguineis vxoris eadem iam mortua nõ inducit hoc impedimentum.*

Ad decimam dicendum eſt fornicationem cum conſanguinea ſponſæ de futuro non inducere propriè hoc impedimentum *Angelus verb. inceſtus nu. 5. Veracrux prima parte ſpeculi art. 23. poſt ſecundam concluſionem.* Ratio ex eo deducitur, quià talis fornicatio cum conſanguineis ſponſæ de futuro non eſt propriè, & in rigore inceſtus, ergò per illam propriè non contrahitur impedimentum, quandòquidem illud impedimentum, vtpote pœnale ex ſolo iure Eccleſiaſtico inductum non eſt extendendum vltra delictum ſecundum propriam formam, & in rigore acceptum. Antecedens probatur, tum quià ſponſus de futuro non habet ius perfectum in corpus ſuæ ſponſæ, tum quià ſi alter à ſponſo fornicetur cum ſponſa de futuro per

11 *Fornicatio cum conſanguinea ſponſæ de futuro non parit impedimentum.*

Digitized by Google

per alibi dicta propriè non committit adulterium.

Dices primo ex contractis legitimè ſponſalibus conſurgit vinculum publicæ honeſtatis, adeoque etiam quaſi quoddam vinculum affinitatis, ergò ſi per ſponſum cognoſcatur fornicariè conſanguinea ſponſæ contrahetur impedimentum, ratione cuius non poterit poſtea ſponſus matrimonium contrahere cum alia. Verum tamen eſt, quod ad contrahendum hoc impedimentum requiratur, quod conſanguinea ſponſæ, quæ fuit carnalitèr cognita debet eſſe in primo gradu conſanguinitatis cum eadem ſponſa, nam hoc impedimentum eſt quodamodò ex publica honeſtate, quæ continetur intra primum gradum. Sed contra, quia quantumvis ex ſponſalibus oriatur publica honeſtas, quæ impedit matrimonium cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu, ex publica tamen honeſtate læſa non oritur impedimentum cum quacunque alia perſona à conſanguineis in primo gradu, ſicuti oritur ex affinitate læſa per inceſtum cum iura ſolum loquantur de eodem inceſtu, qui propriè non eſt talis; quandò conſtantibus præcisè ſponſalibus cognoſcitur carnalitèr conſanguinea ſponſę, & cum huiuſmodi iura ſint pœnalia, & odioſa non ſunt extendenda vltra delictum rigoroſè ſumptum.

Inſtantia propoſita eaque diſſoluta.

Dices ſecundo euinci huiuſmodi impedimentum ex textu *in c. 2. de eo qui cognou. conſang.*, vbi ſic legitur. *Si matrem ſponſæ ſuæ cognouit ſi ſponſa nunquam carnaliter adhæſit poteris ex diſpenſatione cum alia matrimonium contrahere*, vbi vides primo ſermonem eſſe de ſponſa de futuro, ſi etenim eſſet ſponſa per verba de præſenti non poſſet ex diſpenſatione cum alia contrahere matrimonium, vides ſecundo ex copula cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu conſurgere impedimentum contrahendi cum quacunque alia, ex quo indiget diſpenſatione; diſpenſatio etenim cadit ſuper impedimentum, quod ſupponitur adeſſe ergo &c. Sed contra, quia, ſi diceremus textũ illum procedere de ſponſa de præſenti, cum qua adhuc conſummatum non eſt matrimonium, nihil diceremus, quod proprietati eiuſdem textus poſſet obſiſtere, quinimmo aliquid affereré, quod eidem eſſet maximè conforme; Neque obſtat, ſi dicatur, quod ſic non poſſet ex diſpenſatione cũ alia contrahere, quod obſtat eidem textui; non obſtat, inquam, quia ſtante etiam matrimonio contracto per verba de præſenti, non tamen conſummato poteſt Pontifex ex iuſta cauſa ſuper illo diſpenſare, vt late ſupra vidimus; cauſa autẽ diſpenſationis in data hypotheſi poſſet eſſe fornicatio commiſſa cum matre; item poteſt dici, quod mortua vxore poſſit ex diſpenſatione cum alia contrahere, non autem ipſa viuente. Deinde dum dicitur in eodem textu, *ſi ſponſa nunquam carnaliter adhæſit* firmatur magis, quod mox dicebamus, nempe intelligi de matrimonio iam contracto per verba de præſenti, quod ſi fuerit conſummatum eſt quacunque poteſtate humana indiſpenſabile; ſi vero non conſummatum vtique diſpenſabile per Pontificis auctoritatem; non enim poteſt intelligi de ſponſalibus nudè ſumptis per verba de futuro, quandoquidem etiam per diſpenſationem poſſet contrahere cum alia, quantumvis ſponſus carnaliter ſponſæ adhæſiſſet, vt per ſe patet, cum ſponſalia per copulam non tranſeant in matrimonium, niſi de hoc actum fuerit, & ſuper ſponſalibus poteſt diſpenſari, ſicque incongruè facta fuiſſet illa exceptio, *ſi ſponſa nunquam carnaliter adhæſit* quandoquidem poſita etiam tali adhæſione poſſet ex diſpenſatione cum alia contrahere.

Textus in c. 2. de eo, qui cogn. conſang. intelligendus eſt de matrimonio rato, non de ſpõſalibus.

12 Si ſequatur fornicatio cum conſanguinea ſponſę de præſenti oritur hoc impedimentum.

Ex quibus elucet ex matrimonio dumtaxat rato per verba de præſenti, ſi ſequatur fornicatio cum conſanguinea ſponſæ oriri hoc impedimentum contrahendi cũ alia quacunque; quod expreſſè colligitur *ex d. textu in c. 2. de eo, qui cognou. conſanguin.*, Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ante conſummationem non eſt proprie affinitas cum conſanguineis ſponſæ, quandoquidem affinitas cum conſanguineis ſponſæ conſurgit ex vnitate carnis cum eadem ſponſa; ante conſummationem autem ſponſus, & ſponſa non facti ſunt in carne vna, vt per ſe patet, & ſic non committitur proprie inceſtus inducens hoc impedimentum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia tota, & adæquata ratio, ob quam ex diſpoſitione iuris ex inceſtu cum conſanguineis vxoris inductum fuit impedimentum contrahendi cum alijs, eſt quia delictum commiſſum eſt aduerſus primũ matrimonium, cum inceſtuoſus non poſſet petere debitum ab vxore, ſed hæc eadem ratio militat, quando maritus ante conſummatum matrimonium fornicariè cognouit conſanguineam vxoris, vt colligitur *ex c. 1., & c. tranſmiſſa de eo, qui cogn. conſang.*, prout etiam latè docent, *Paludanus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. n 26. Sotus item in 4. diſt. 37. q vnica art. 2. Coaruuias 4. decret. 2 part. c. 7. §. 2 n 6. Gutierez lib 1. qq canon. c. 23. n. 15. Petrus de Ledeſma de matrimon. q 55. art. 6. dub. 4 Viualdus in candelab. ſacram prima part. vbi de matrimon. nu. 207.* Accedit, quod potiſſima ratio, ob quam inducitur tale impedimentum eſt affinitas, quam contrahit cognoſcens carnalitèr conſanguineam vxoris tum eadem vxore; ratione cuius ab ipſa non poteſt debitum petere; hæc autem conſurgit, quantumvis cum eadem vxore adhuc matrimonium

nium non fuerit conſummatum, vt per ſe patet.

13 **Inceſtus debet eſſe conſummatus per copulam perfectam.**

Aduerte hic tamen, quod ſi inceſtus cum conſanguinea ſponſæ non fuerit conſummatus per copulam perfectam non oriatur hoc impedimentum, cum propriè non oriatur affinitas cum propria vxore, quæ ſolum conſurgit ex eo, quod ipſe ſponſus, & conſanguinea ſponſæ facti ſunt vna caro, quæ ſolum habetur per ſeminum commixtionem. Deinde hoc impedimentum cum ſit inductum in pænam, debet eſſe ex delicto perfecto; & conſummato, vt docet *Lancellotus inſtit. iur. can. lib. 2. tit. de triplici cognat. §. ſi quis autem verſ. commiſcuit.*

Proſequentes iam ſecundum impedimentum proueniens à crimine, nempe raptum ſponſatæ non inquiremus, quomodo hoc impedimentum conſtituatur, prout eſt diſtinctum ab impedimento dirimente raptus, quod eſt inductum per Concilium Tridentinum; patet enim crimen raptus, prout eſt dirimens reſpicere matrimonium cum eadem rapta, prout eſt ſub poteſtate raptoris, & quovſque non fuerit in loco tuto conſtituta; raptus autem, prout eſt impediens reſpicit ſponſam iam alteri deſponſatam, vel per verba de præſenti, vel de futuro, vt infra videbimus, & impedit non ſolum matrimonium cum ipſa, ſed cum quacunque alia. Item non inquiremus pęnas aduerſus raptores, quandòquidem de hoc fusè egimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1. D. 3 § 15. n. 6., & 7. & § 16. n. 2. 3., & 4. vſque ad 9 & § 17. n. 3.* Item non inquiremus, in quo propriè conſiſtat crimen raptus, & an exigat, vt fæmina fuerit abducta ad finem contrahendi matrimonij, an verò ſufficiat, quod fuerit rapta ad effectum præcisè explendæ libidinis, cum de hoc egerimus *eod. tom. 5. ſub tit. Contract. 14. de ſponſalib. 1. Pranot. 10. n. 4., & ſub eod. tit. diſq. 3. §. 10. n. 4.*

**Articuli examinandi circa crimen raptus prout inducit ſolū impedimētum impediens.**

Omittentes igitur ea, quæ pertinent ad impedimentum dirimens inductum per Concilium Tridentinum, & ſermonem reſtringentes ad ea, quæ de iure antiquo pertinent ad eundem raptum, prout inducit ſolum impedimentum impediens, inquiremus primo, an hoc impedimentum contrahatur, ſiuè fæmina rapta fuerit ſponſa de præſenti, ſiuè de futuro. Secundo, an inducatur hoc impedimentum, quantumvis aliena ſponſa rapta conſenſerit raptui. Tertio, an requiratur, quod ſponſa fuerit de loco ad locum traducta, & ſecuta fuerit copula. Quarto, an hoc impedimentum conſurgat, ſiuè maſculus alienam ſponſam rapuerit, ſiuè fæmina alienum ſponſum.

14 Ad primam reſpondeo impedimentum hoc contrahi, ſiue ſponſa, quæ fuit rapta, fuerit ſponſa de præſenti, ſiuè de futuro *Gloſa in c. ſtatutum 27. q. 10. verb. rapuerit, & ibi Vgo, Archidiaconus, & Turrecremata nu. vnico, Nauarrus in ſumma c. 22. nu. 74. Veracrux prima part. ſpeculi art. 25 Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 14. nu. 13., qui tamen citat pro hac opinione Sanchez qui contrarius eſt prout expreſſè apparet ex dict. lib. 7. diſp. 12. nu. 45.* Hoc idem nos ipſi docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1. Diſq. 3. §. 10. n. 5.* Expreſsè colligitur *ex textu in c. ſtatutum 27. q. 2.*, vbi ſic legitur, *Statutum eſt à ſacro conuentu, vt ſi quis ſponſam alterius rapuerit ſine ſpe coniugij maneat*; nomine autem ſponſæ ſecundum propriam, & rigoroſam ſignificationem venit ſolummodò, & potiſſimum ſponſa de futuro, cum ſponſa de præſenti dicatur potius vxor, hoc autem æquè intelligitur, ſiuè illa ſponſa rapta fuerit virgo, ſiue corrupta, & ſi fuerit ſponſa de præſenti, ſiue matrimonium fuerit tantum ratum, ſiuè conſummatum *Palacios in 4. diſt. 34. diſp. 2. verſ. autem raptus, VeraCrux prima part ſpeculi art. 15. concl. 2.*

**Impedimētum raptus contrahitur, ſiuè ſponſa, quę fuit rapta fuerit talis de præſenti, ſiuè de futuro.**

15 **Etiam ſpōſa conſentiens raptui contrahit hoc impedimentū**

Ad ſecundam dico hoc impedimentum contrahi, quantumvis aliena ſponſa conſenſerit raptui adeo, vt nec eadem ſponſa poſſit poſtea alteri nubere, *Veracrux prima part. ſpeculi art. 15. concl. 2. Palacios in 4 loc. mox cit., & nos ipſi docuimus d. diſp. 3 §. 10. n. 9.*, & colligitur *ex eod. textu in c. ſtatutum 27. q. 2.*, vbi eidem ſponſæ permittitur alteri nubere, ſi inuita & non conſentiens fuerit traducta, ergo ſi conſentiens fuerit traducta non poterit amplius alteri nubere; Non negatur tamen, quod ſi ſponſus non obſtante, quod ſponſa conſentiens fuerit traducta voluerit eidem nubere poſſit cum eodem, quinimmò teneatur nubere, quià vt diximus loc. cit. delictum ipſius non poteſt alteri innocenti officere.

16 **Ad contrahendum hoc impedimentum requiritur traductio ſponſæ de vno in alterum locum**

Ad tertiam exiſtimo ad contrahendum hoc impedimentum requiri traductionem ſponſæ de vno in alium locum. Hoc expreſsè colligitur ex ijs, quæ nos docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1. diſq. 3. §. 18. nu. 3.* per DD. ibi allegatos, & videtur etiam expreſsè euinci ex c. lex illa 36. q. 1. Vtrum autem requiratur vltra abductionem, quod inter raptorem, & raptam ſecuta fuerit copula affirmat *Sanchez d. lib. 7. diſp. 12. n. 46.*, eo quià cum cauſæ matrimoniales ſint fauorabiles impedimenta eorundem ſunt reſtringenda ad delicta conſummata. Sed non ita facile acquieſcerem, quandòquidem raptus videtur conſummatus ex eo, quod fæmina de loco ad locum fuerit abducta ad finem explendæ libidinis, quamvis actu non fuerit expleta, ea proportionali ratione qua raptus ad finem contrahendi matrimonium cum rapta

Intelli-

intelligitur in ratione raptus conſummatus, quantumvis matrimonium non fuerit initum.

17 *Probabilius non cõtrahitur hoc impedimentum, ſi fæmina alienum ſponſum abduxerit.*

Ad quartam probabilius exiſtimo hoc impedimentum non contrahi per raptum quo fæmina alienum ſponſum per vim abduxerit; tum quià iura præcisè loquuntur de abductione fæminæ; tum quià iura reſpiciunt ea, quæ regularitèr eueniunt; tum quià non tanta infamia obuenit ſponſo, nec parentibus eius per raptum, & abductionem ipſius, quanta obuenit ſponſæ, & eius parentibus per raptum ipſius.

*Dubia excitata circa crimen vxoricidij.*

Vlterius procedentes quoad tertium impedimentum ex crimine, quod eſt nex vxoris, ſeù vxoricidium, plura circa ipſum inquiremus, & primo quomodo differat hoc impedimentum vxoricidij, prout eſt præcisè impediens ab vxoricidio, prout infert impedimentum dirimens. Secundò, an contrahatur hoc impedimentum præcisè impediens per necem vxoris deprehenſæ in adulterio propria auctoritate mariti. Tertiò, an etiam ſi maritus vxorem occidat deprehenſam in adulterio auctoritate Iudicis. Quarto, an etiam, ſi vxor maritum occidat.

18 *Diſcrimen inter vxoricidium, prout dirimit matrimonium, & præcisè prout impedit.*

Ad primam reſpondeo, in hoc differre impedimentum vxoricidij, prout eſt præcisè impediens ab vxoricidio dirimente, quod dirimens eſt commiſſum præcedente adulterio cum promiſſione matrimonij, vel eodem contracto, quinimmò ſufficit, quod interueniat machinatio mortis alterius coniugis cum eodem adulterio, textus eſt punctualis *in c. ſuper hoc de eo, qui duxit in matrimon.*, & idem habetur *in c. 1.*, *& c. ſignificaſti eod. tit.*, *& c. 1. de conuerſ. infid.*, *& c. ſi quis viuente* 31. *q.* 1. atque de hoc ſermo erit vberimus, dum de impedimentis dirimentibus ſuo loco: purè autem impediens eſt præcisè commiſsum, vel non præcedente adulterio, vel ſi præcedente nulla facta machinatione mortis, ſed caſu, vel merè fortuito, vel ſi excogitato, nulla facta promiſſione futuri matrimonij cum adultera.

19 *Non contrahitur per necem vxoris deprehenſæ in adulterio.*

Ad ſecundam, probabilius eſſe, non contrahi hoc impedimentum per necem vxoris deprehenſæ actu in adulterio, *Paludanus in 4. diſt. 34. q. 1. art. 2. n. 13.*, *Caiet. repet. c. ad limina 30. q. 1.* § 4. *n. 295.* *Emanuel Sà verbo matrimonium, vbi de impedimentis non dirimentibus n 6.* *Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 14. n. 16.* aduerſus *Sanchez d. lib. 7. diſp. 14 nu. 2.*, qui alios plures pro ſe refert, & præcipuè *D. Thomam in 4. diſt. 37. q. 2. art. 2. in corpore*, qui tamen hoc non aſserit. Probant aliqui, inter quos Caſtillo, quorum opinionem probabilem exiſtimat *Leſſius lib. 2. c. 9. dub. 5. n. 16.* ex eo, quod maritus poſſit tuta conſcientia interficere vxorem deprehenſam in adulterio, cum *in l. merito, ff. de adulteris, & in l. Gracchius eodem titulo*, maritus in ea hypotheſi inſtituatur miniſter iuſtitiæ, eique detur facultas eam occidendi, non ſecus ac poſt cauſæ cognitionem, & ſententiam latam datur carnifici; ſi igitur hoc inculpatè, & impunè præſtat, non eſt cur contrahere debeat impedimentum, quod eſt quodamodò pæna delicti. Sed non libentèr acquieſcerem huic probationi, quandòquidem certum eſt in foro conſcientiæ huiuſmodi poteſtatem non competere marito, prout colligitur ex textu *in c. inter hæc* 33. *q.* 2. per quem correcta eſt lex ciuilis permittens talem poteſtatem marito; Hoc idem innuit *D. Auguſtinus lib. 2. de adulterinis coniug. c.* 15., vbi ſic habet *Poſtremo quæro abs te, an marito Chriſtiano liceat, vel ſecundum veterem Dei legem, vel Romanas adulteram occidere. Si quod verius dicitur non licet homini Chriſtiano adulteram coniugem occidere, ſed tantum dimittere. Quis dicat sibi fac, quod non licet, vt ſibi liceat; cum enim vtrumq; ſecundum legem Chriſti illicitum ſit, ſiue adulteram occidere, ſiuè illa viuente alteram ducere ab vtroque abſtinendum eſt.*

*Ratio germana præſentis aſserti.*

Quamobrem ad aliam rationem confugio, quæ poteſt eſse hæc, quià lex canonica eſt correctoria præcisè legum ciuilium quo ad culpam, dum decernit occidentem vxorem in adulterio deprehenſam non eximi ab eadem culpa, non autem quoad pænas, cum vt correctoria ſit ſtrictiſſimè interpretanda, præcipuè cum finis correctionis præcisè ſit in ordine ad euitanda peccata, & ad ſalutem animæ, ne in æternum pereat, dum delinquens in delicto occideretur, & vigeat legitima cauſa excuſans ab incurſu huiuſmodi pęnarum, ergò &c. Accedit primo, quod ad incurſum pænarum requiritur, quod delictum ſit cum plena deliberatione commiſſum, quod vtique non ſupponitur eſse, dum actu mulier delinquens deprehenditur in adulterio; ſupponitur enim, quod iniuria illata marito, & ex improuiſo cognita non modicum minuat de libertate, & lædat iudicij rationiſque vſum. Accedit ſecundo, quod occiſio vxoris deprehenſæ actu in adulterio, vel alterius cum eadem cubantis eximit ab alijs pænis iuris, vt videre eſt in marito clericum occidentem deprehenſum in adulterio cum propria vxore, qui vtique eximitur ab excommunicatione Romano Pontifici reſeruata *in c. ſi quis ſuadente*, vt expreſsè colligitur *ex c. 3. de ſententia excommunicationis*, & nos latè docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II Diſq. 1.* §. 3. *à nu. 2. ad fin.* extendentes etiam ad ſponſum Clericum enormiter percutientem inuentum cum propria ſponſa fornicantem,

tem, & hoc non alia ratione, niſi quià non ſupponitur plena deliberatio, ergò etiam &c.

20 Maritus non contrahit hoc impedimentum, ſi occidat vxorem deprehenſam in adulterio auctoritate Iudicis.

Ad tertiam ſentio, maritum non contrahere hoc impedimentum, ſi mulierem deprehenſam in adulterio occidat auctoritate Iudicis, *Veracrux prima part ſpeculi art. 24 concl. 2. Leſſius lib 2. c. 9. dub. 5. nu. 18. Sanchez de matrimon lib 7. diſp. 14. num. 4.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi impedimentum inductum eſt in pœnam criminis; nullum autem eſt crimen, vbi fœmina adultera occiditur in pœnam adulterij auctoritate Iudicis, nam ſicuti hæc iuſtè occidi poteſt per carnificem tanquam per miniſtrum iuſtitiæ, ità occidi poteſt per maritum quaſi per hoc deputatum à iure, ſeù à Iudice ex eo, quod eidem tradita ſit mulier adultera occidenda; atque hoc eſt, quod innuitur *in cap. quicunque 33. q. 2.*, vbi dicitur maritum non poſſe occidere vxorem deprehenſam in adulterio *abſque lege, & abſque certa probatione*, ergò interueniente lege, ſeù auctoritate Iudicis poterit ſine culpa occidi.

21 Vxor virũ interficiens non contrahit hoc impedimentũ

Ad quartam probabilius eſt, quod vxor virum interficiens non contrahat hoc impedimentum, *Silueſter verb matrimonium 7. q. 6. dict. 1. Armilla verb matrimonium num. 58. Veracrux prima part ſpeculi art. 24. concl. 3 Toletus lib. 7 ſummæ cap. 15. num. 3.* hancque probabiliorem exiſtimat, *Sanchez loco cit. n. 6.* Ratio ex eo deducitur, quod iura inducentia hoc impedimentum loquuntur ſolum de vxoricidio, quæ propterea cum ſint pœnalia non ſunt extendenda, præcipuè cum in viricidio non militet ratio condendi legem inducendi hoc impedimentum; rariſſimum enim eſt, nec in mulieribus, quæ ex genere ſuo timidæ ſunt, detur procliuitas ad hoc delictum; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod viricidium grauius delictum ſit, quàm vxoricidium: tum quià vir eſt caput mulieris, tum quià à muliere debetur maior reuerentia viro; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià ex maiori grauitate delicti non arguitur hoc impedimentum

Ex maiori grauitate delicti non arguitur hæc pœna.

ſic, vt aſſerit *D. Thomas in 4. diſt. 37. q. 2. art. 2. ad ſecundum*, grauius delictum eſt matricidium, quam vxoricidium, & tamen ex matricidio non contingit hoc impedimentum, quod conſurgit ex vxoricidio: rationem huius diuerſitatis aſſignat idem *D. Thomas loc cit.*, quià ideò iura induxerunt hoc impedimentum in vxoricidio, non in matricidio, quamuis hoc ſit delictum enormius, quià filius maxima erga matrem afficitur reuerentia, nec in eodem præſumi poteſt procliuitas ad ipſius necem, quæ præſumi poteſt in ordine ad vxorem, cui non debet tantam reuerentiam; cum igitur, & vxor maxima teneatur reuerentia erga maritum, nec in eadem ſit illa procliuitas ad ipſius mariti necem, quæ eſt in marito ad necem ipſius vxoris, ideo &c.

Dubia circa ſuſceptionem propriæ prolis.

Vlterius procedentes quoad quartum impedimentum, quod eſt ſuſceptio propriæ prolis, vel filij alterius coniugis in baptiſmo, & confirmatione, inquiremus primo, quomodo differat impedimentum, quod inducitur per talem ſuſceptionem, & eſt ſimpliciter impediens à cognatione ſpirituali, quæ inducit impedimentum dirimens. Secundò, an ad contrahendum hoc impedimentum impediens requiratur, vt talis ſuſceptio fiat eo animo peruerſo verſus alterum coniugem, vt contrahat cognationem cum ipſo, ne debitum reddat. Tertio, an hoc impedimentum æquè afficiat vtrumque, ſiuè ſi vir ſuſcipiat, ſiuè ſi fœmina. Quarto, an hoc impedimentum contrahatur non ſolum per ſuſceptionem, ſed etiam per baptiſmum, quem alter ipſorum coniugum conferat eo animo impediendi vſum matrimonij. Quintò, an etiam contrahatur hoc impedimentum, ſi alter coniux fiat patrinus filij in confirmatione. Sexto, quid dicendum ſit, ſi alter ex coniugibus ſuſceperit proprium filium tantum in catechiſmo.

22 Diſcrimen inter ſuſceptionẽ prolis, prout dirimit, & prout præcisè impedit.

Ad primam reſpondeo in hoc deferre, quod ſuſceptio prolis dirimit matrimonium contrahendum præcisè inter perſonas expreſſas *in Concil Trident. c. 2. ſeſſ 24. de matrimon.* ſuſceptio autem, prout eſt impedimentum ſimpliciter impediens afficit ſuſcipientem in ordine ad contrahendum cum alia quacunq; poſt obitum propriæ vxoris; hoc colligitur ex textu *in c. de eo 30. q. 1.*, vbi ſic legitur. *De eo, qui filium ſuum baptizauit, & vxor eius eum de fonte ſuſcepit hac cauſa, vt coniugij diſſidium fieret, de talibus ſic reſpondendum eſt, Si coniuges legitimi vnus, aut ambo ex induſtria fecerunt, vt filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi præuaricator coniugij ſuper vixerit ſine ſpe coniugij maneat.*

23 Requiritur animus inſidiandi proprio coniugi.

Ad ſecundam, dico ad contrahendum hoc impedimentum requiri, quod fiat eo animo inſidiandi matrimonio cum proprio coniuge: eſt communis DD. ſenſus, & expreſsè colligitur ex ſuprà allegato textu *in c. de eo 30 q. 1.* Ibi *hac cauſa, vt coniugij diſſidium fieret*, quod repetitur in illis verbis, *ſi vnus, aut ambo ex induſtria fecerunt*, & cum hoc impedimentum ſit inductum in pœnam, non eſt extendendum vltrà ea, ad quæ iura extenduntur, vnde requirit omnes qualitates, quæ ex eodem iure requiruntur.

24 Verificatur ſiuè fuerit vxor, ſiuè maritus, qui teneã

Ad tertiam aſſero hoc impedimentum oriri, ſiuè tenens ſit vxor, quæ ſuſcipiat in baptiſmate puerum communem, ſeù filium mariti, ſiuè fuerit maritus, qui teneat puerum item communem, vel

alterius

alterius coniugis nempe vxoris. Expreſsè colligitur ex eodem textu *in d. c. de eo*, vbi fit mentio de marito, qui filium ſuum baptizauit, & de vxore, quæ eum de fonte ſuſcepit; æquè autem contrahitur hoc impedimentum, ſiuè per collationem baptiſmatis, ſiuè per ſuſceptionem à fonte in eodem in baptiſmate. Fortius euincitur ex ſubſequentibus verbis. *Si coniuges legitimi vnus, aut ambo ex induſtria fecerunt, vt filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi præuaricator coniugij ſuper vixerit ſine ſpe coniugij maneat*, vbi vides, textum indefinitè de vtroque loqui, & vtrumque expreſsè comprehendere. Dixi, *ſi vxor teneat in baptiſmate puerum communem, aut filium mariti*; ſi etenim puer, qui ſuſcipitur, non fuerit communis ſibi, & mariti, nec mariti, ſed ſolummodò proprius ipſius vxoris ſuſcipientis tunc probabilius eſt, non conſurgere hoc impedimentum prout docet *Sanchez lib. 7. diſp. 6. n* 8., cum tunc non conſurgeret cognatio ſpiritualis cum altero coniuge, & impedimentum impediens conſurgat ſolummodò per ordinem ad cognationem ſpiritualem, quę contrahitur ex illa ſuſceptione, cum altero coniuge; ſi igitur nulla cognatio ſpiritualis cum altero coniuge conſurgit, nec videtur conſurgere impedimentum impediens. Accedit, quod ex ſuperius dictis hoc impedimentum non conſurgit niſi fiat ſuſceptio cum animo inſidiandi matrimonio, & ne ſuſcipiens teneatur reddere debitum petenti; ſed hæc ratio non militat, quandò ſuſcipiens non ſuſcipit puerum communem, nec filium alterius coniugis, ſed tantum proprium, cum tunc non conſurgat cognatio ſpiritualis cum proprio coniuge, ergò &c. Quod autem per ſuſceptionem proprij filij, qui non ſit communis cum marito, nec filius eiuſdem mariti ex alio matrimonio vxor non contrahat cognationem ſpiritualem cum eodem marito euincitur *ex eodem concil. Trident. d. c. 2. ſeſſ. 24.*, vbi ſolummodò hæc cognatio contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, inter ſuſceptores, & baptizatum inter baptizantem, & patrem, & matrem naturalem baptizandi, & inter ſuſceptores, & patrem & matrem baptizati; ex quorum omnium inductione reſultat matrem ſuſcipientem proprium filium, qui non ſit filius mariti non contrahere cognationem ſpiritualem, cum eodem marito.

25 Contrahitur non ſolum per ſuſceptionem, ſed etiam per collationē baptiſmatis.

Ad quartam aſſero hoc impedimentum non ſolum contrahi per ſuſceptionem proprij filij in baptiſmo, ſed etiam per collationem eiuſdem baptiſmi factam per patrem, vel matrem eidem puero *Bellarminus lib. 1 de matrimonio c.* 18 §. *ſunt præterea*, *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 6. n.* 8., quià eadem eſt ratio, idemque ius de ſuſcipiente, ac de baptizante cum per vtrumque contrahatur cognatio ſpiritualis, & colligitur *ex d. c. de eo*. Ibi, *qui filium ſuum baptizauit*, vnde quæ dicta ſunt de ſuſcipiente ſunt proportionaliter intelligenda de baptizante.

26 Contrahitur etiam per ſuſceptionem in confirmatione.

Ad quintam aſſero hoc impedimentum contrahi, ſi alter coniux teneat filium communem, ſeù filium alterius coniugis in confirmatione, *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 17. §. 4. Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. 1. §. ſecundum vero caput, Henriquez lib. 12. de matrimonio c 2. n 1. in fin. Maiolus lib. 3. de irregul. c. 25. n. 16. §. crimina impedientia, Vgolinus de matrimon. c. 20. n. 3., & alij magis communiter*. Ratio ex eo deducitur, quià militat eadem ratio de confirmatione, quæ militat de baptiſmo, cum ex vtroque conſurgat cognatio ſpiritualis.

27 Ex ſuſceptione in catechiſmo modo non oritur.

Ad ſextam dico modo ex ſuſceptione pueri in catechiſmo non conſurgere hoc impedimentum impediens. Ratio ex eo deducitur, quià modo ſtante Concilio Tridentino ex ſuſceptione pueri in catechiſmo non conſurgit cognatio ſpiritualis, ergò &c.

Dubia circa præsbitericidium.

Vlterius procedentes quoad quintum impedimentum criminis, quod eſt præſbitericidium, ſeù occiſio presbiteri inquiremus primo, an quodcunque presbiteri homicidium inducat tale impedimentum, an verò requiratur, quod homicidium huiuſmodi probetur in iudicio, & reus conuincatur. Secundo, an huiuſmodi impedimentum contrahatur, quantumvis homicidium non fuerit commiſſum in perſona ſacerdotis, ſed in perſona Diaconi, & an ſaltem ſi Diaconus ille fuerit Parochus. Tertiò, an contrahatur ſi præsbiter ociſus fuerit inuentus in adulterio cum propria vxore, & in ipſo actu adulterij occiſus.

28 Non ſufficit præsbitericidiū, ſed vlterius requiritur, quod præsbitericida fuerit in iudicio conuictus.

Ad primam reſpondeo non ſufficere ad incurrendum hoc impedimentum, quod præsbitericidium fuerit à marito commiſſum; ſed vlterius requiritur, quod homicida, ſeù præsbitericida fuerit in iudicio contentioſo conuictus de illo, *Hoſtienſis in c. 2. de pænit., & remiſ. v. vnico ſuper verb. conuictus, Sotus in 4. diſtinct. 37. q. vnica art. 1. col. penult. verſ. circa hos autem, Palacios in 4. diſtinct. 34. diſp. 2. in fin. Toletus lib. 7. ſumma c. 15. num. 6.* Expreſsè colligitur ex d. c. 2. de pænit., & remiſ., Ibi ſic legitur. *Qui præsbiterum occiderit conuictus vſque ad vltimum vitæ ſuæ tempus militia cingulo careat, & abſque ſpe coniugij maneat*, vbi ponderando illud verbum *conuictus* patet, quod non ſufficiat, quod fuerit confeſsus in foro pænitentiali, in quo non dicitur propriè conuictus cum non habeat aduerſus ſe teſtes, nec accuſatorem, ſed ipſe contra ſe ipſum ſit accu-



Digitized by Google

ſator, & teſtis; item nec ſufficit, quod aduerſus eundem fuerit lis conteſtata, quià per litis conteſtationem propriè non dicitur conuictus in iudicio contentioſo. Rationē huius deciſionis aliqui deducunt ex eo, quod cum munus ſacerdotis ſit intereſſe ſacramento matrimonij æquum videtur, quod ſi quis eiuſdem fuerit interfector hoc ſacramento priuetur; ſed an hæc ratio ſubſiſtat tu cogita. Solum hic remanet dubitandum, an hoc impedimentum æquè contrahatur à maſculo, ſi fuerit ſacerdotis interfector, ſiuè à fæmina, ſi eadem ipſum interfecerit? Negatiuè quoad fæminam reſpondendum exiſtimo, quià textus expreſſè loquitur de maſculo cum dicat *vſque ad vltimum vitæ ſuæ tempus militiæ cingulo careat*, quæ ſolum maſculo poteſt competere, & cum hic textus ſit pænalis non eſt extendendus vltrà verborum proprietatem.

29 Per necem illatam Diacono, quantumvis fuerit Parochus non oritur hoc impedimentum

Ad ſecundam etiam dicendum exiſtimo per necem illatam Diacono, quantumvis fuerit Parochus non contrahi hoc impedimentum. Ratio ex eo deducitur, quià textus loquitur tantum de occiſione præsbiteri, & in odioſis nomine præsbiteri non venit Diaconus; Neque obſtat, quod ideo fuerit inductum hoc impedimentum, vt ſupra referebatur, quià mors intentata eſt contra ſacerdotem, cuius munus eſt intereſſe ſacramento matrimonij; hæc autem ratio militat etiam contra Parochum Diaconum, qui ex officio debet intereſſe; Non obſtat, inquam, quià quantumvis etiam Parochus Diaconus poſſit aſſiſtere, regulare tamen eſt, quod Parochus ſit ſacerdos, & ſacerdotes tantum ex deputatione aſſiſtant; leges autem præcipuè pænales reſpiciunt id, quod regulare eſt, & vt plurimum euenit, non id quod raro, & per accidens.

30 Per necem factã à marito preſbiteri deprehenſi in adulterio, cum propria vxore non contrahitur.

Ad tertiam exiſtimo non conſurgere hoc impedimentum ex occiſione facta per maritum præsbiteri deprehenſi in adulterio cum propria vxore. Conſonat cum his, quæ ſuprà dicebamus, quià cum hoc impedimentum ſit inductum in pænam delicti exigit delictum cum plena deliberatione conſummatum; non ſupponitur autem plena deliberatio, quando vrgente in præſentiarum maxima iniuria ex ſubita ira fit vltio, & propter hanc eandem cauſam excuſauimus ſupra maritum ab excommunicatione Romano Pontifici reſeruata, qui clericum in fragranti deprehenſum in adulterio cum propria vxore enormiter vulnerauit, vel fortè interfecit.

Dubia circa publicã pænitentiã

Vlterius procedentes ad ſecundum impedimentum, quod eſt publica pænitentia, quæ ideo connumeratur inter crimina non quià crimen ſit, quin potius leuamen à crimine, ſed quià procedit à crimine, & ratione criminis inducit luctum, qui non compatitur cum delicijs nuptiarum, procedentes, inquam, ad iſtud impedimentum inquiremus primo, an hoc impedimentum ſit perpetuum, an ad tempus, & quodnam; ſecundò, an ex publica pænitentia ſolummodò impoſita, an verò etiam volunraria.

Ad primam reſpondeo hoc impedimentum non eſſe perpetuum, ſed ad tempus, & durare præcisè pro tempore, pro quo durat eadem ſolemnis pænitentia, *Paludanus in 4. diſt. 34. q. 1. art. 2. num. 12. Durandus in 4. diſt. 37. q. 2. art. 2. n. 6. Viguerius lib. inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 8. in fin.* Quod autem hæc publica pænitentia inducat impedimentum colligitur *ex c. de his, & c. fin. 33. q. 2.* Quod autem non ſit perpetum, ſed ad tempus colligitur ex fine iuris inducentis hoc impedimentum, quod fuit ne pro tempore ſolemnis luctus pro crimine inducantur ſigna voluptuoſæ lætitiæ, quæ conſurgit ex nuptijs, ergò ceſſante tempore luctus per ceſſationem ſolemnis, & publicæ pænitentiæ non eſt, cur ceſſare non debeat prohibitio matrimonij. 31 Non eſt perpetuũ, ſed durat pro tempore pænitentiæ.

Ad ſecundam abſolutè exiſtimo hoc impedimentum non induci, quandò publica pænitentia eſt voluntaria, quandò quidem ſicut pænitens pro libertate ab eadem poteſt deſiſtere, ità pro libertate poteſt contrahere.

Vltimo procedentes ad ſeptimum impedimentum criminis, quod eſt matrimonium cum ſanctimoniali inquiremus primo, an ad inducendum hoc impedimentum requiratur, quod ſanctimonialis fuerit profeſſa, an ſufficiat, quod fuerit nouitia. Secundò, an contrahatur hoc impedimentum, ſiuè contrahens cum eadem fuerit ſciens, ſiue ignorans. Tertio, an contrahatur hoc impedimentum ſolummodò per matrimonium cum eadem contractum, an verò etiam per concubinatum ſub prætextu matrimonij. Dubia quoad matrimonium cum ſanctimoniali.

Ad primum reſpondeo non ſufficere, quod fuerit monaſterium ingreſſa, ſed vlterius requiri, quod fuerit profeſſa. Ratio ex eo deducitur, quià ratio finalis, ob quam inductum eſt hoc impedimentum, vt notat *Sanchez d. lib. 7. diſp. 6. n. 11.* eſt quià æquum non eſt, vt matrimonio gaudeat, qui in matrimonium Chriſti delinquit ipſius ſponſam contra fidem ipſi datam copulando ſibi, ſed propriè non violat matrimonium Chriſto cum ſanctimoniali, qui ducit eandem nondum profeſſam, ſiquidem per ſolum profeſſionem conſtituitur matrimonium indiſſolubile Chriſti cum eadem profitente, quandòquidem ingreſſus comparatur ad profeſſionem, ſicuti ſponſalia ad matrimonium corporale, ergò ducendo ſanctimonialem 32 Non inducitur hoc impedimentum per contractũ matrimonialem, cũ ingreſſa in monaſterium, niſi etiam fuerit profeſſa.

Digitized by Google

lem nondum profeſſam non contrahit hoc impedimentum. Confirmatur, quià quouſque fæmina ingreſſa monaſterium non emiſit profeſſionem libera eſt ad profitendum, vel non profitendum ad nubendum, vel non nubendum, ergò nubendo eam tali perſona, nec ipſa peccat, nec alter, qui cum ipſa nubit, ſicque non eſt, cur contrahat huiuſmodi impedimentum cum hoc inductum ſit in pœnam delicti.

33 *Excuſat ab hoc impedimento ignorãtia, quod illa fuerit profeſſa,*

Ad ſecundum dico, quod ſi quis ignorans contraxerit matrimonium cum ſanctimoniali profeſſa non contrahat hoc impedimentum, *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 6. num* 11. *Bonacina de matrimonio q.* 3. *punct.* 14. *n.* 19., qui dum ſtatuunt contrahentem ſcientèr matrimonium cum ſanctimoniali contrahere hoc impedimentum videntur à tali impedimento contrahendo excludere eum, qui contrahit ignorantèr. Ratio ex eo deſumitur, quod hoc impedimentum contrahitur in pœnam delicti; delictum autem non eſt, vbi non eſt voluntarium; & voluntarium non eſt, vbi non eſt cognitio.

34 *Viuens in concubinatu cum ſanctimoniali non contrahit hoc impedimentum.*

Ad tertium aſſero, quod quamuis grauiſſimè, enormitèr, & ſacrilege peccet, qui in concubinatu viuit cum ſanctimoniali profeſſa, & capitalitèr puniendus non propter eà contrahat hoc impedimentum. Ratio ex eo deducitur, quià iura inducentia hoc impedimentum præcisè loquuntur de eo, qui ducit in matrimonium ſanctimonialem, non de eo, qui ſine matrimonio concubitum habet cum eadem, quæ iura cum ſint pœnalia non ſunt extendenda vltra caſum de quo diſponunt.

Atque hæc de impedimentis præcisè impedientibus dicta ſint ſatis. Hoc vnum pro complemento accipe, quod hodie ſi quis affectus aliquo ex præallegatis criminibus matrimonium contraxerit non peccarit, quià huiuſmodi impedimenta contraria, & præſcripta conſuetudine ſunt abolita, quæ propterea etiam non indigent diſpenſatione.

---

## PRÆNOTIO VI.

### Præambula quædam in communi ad impedimenta dirimentia.

*SVMMARIVM.*

*Enumerantur, & explicantur impedimenta dirimentia matrimonium.* 1.

*Aliqua ex his impedimentis ſunt de iure naturæ aliqua de iure diuino, aliqua de iure Eccleſiæ.* 2.

*Cur inducta fuerint impedimenta quoad matrimonium non quoad alia ſacramenta.* 3.

*Regularitèr per ſe, & ſine cauſa non poteſt Pontifex in ijs, quæ iuris naturalis ſunt diſpenſare.* 4.

DE poteſtate Pontificis, & Epiſcoporum ſtatuendi impedimenta matrimonium dirimentia, ſicuti de modo eadẽ inducendi, vel per legem generalem, vel per ſpecialem prohibitionem factam certis, & determinatis perſonis. Rurſus de poteſtate principum ſecularium in ordine ad eãdem impedimenta inducenda, & de conſuetudine, vide apud *Sanchez lib.* 7. *de matrimonio a diſput. prima vſque ad quintam incluſiuè*; non enim vacat in ijs, quæ modicæ vtilitatis ſunt, & alibi inſinuata, quæque reſpiciunt ea, quæ non ſunt de facto, ſed de poſſibili, immorari. Nonnulla dumtaxat ſub hoc titulo attingemus, quæ reſpiciunt quæſtiones de facto, & ſũt vtiliora, quæ vt breuius expendam per ſpecialia quæſita propono.

Quæras primo, quot ſint, & quænam impedimenta dirimentia matrimonium de iure moderno, & veteri. *Dubium primum.*

Reſpondeo impedimenta de iure antiquo dirimentia matrimonium redacta eſſe ad duodecim, quibus Concilium Tridentinum duo addidit, quæ omnia his carminibus continentur:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,*
*Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,*
*Si ſponſam rapias, ſi clandeſtinus inibis.*

quorum vltima duo, nempè raptus, & matrimonium clandeſtinum inducta ſunt per idem concilium, cum antecedentèr ad illud non dirimerent, de quibus plura in antecedentibus fuerunt agitata, & nonnulla fortè infra agitabuntur. Conueniẽtiam autem huiuſmodi impedimentorũ, ſeu numeri eorundem aſſignat rectè *D. Thomas in* 4. *diſt.* 34. *qu.* 1. *art.* 1 *in corpore* ſitam in eo, quod matrimonium impediri poteſt vel ratione contractus, vel ratione contrahentium; ſi primo modo res ſumatur cum contractus debeat eſſe omnino liber, & voluntarius habet potiſſimum duo oppoſita, quæ poſſunt ipſum irritare; nempe errorem, qui opponitur libero, & ecce primum impedimentum, quod eſt *error*, & violentiam quæ opponitur voluntario, & ecce ſecundum impedimentum, quod eſt *vis*; & ad hoc etiam reuocari poteſt primum impedimentum nouiſſimè inductum per Concil. Tridentinum nempè *raptus*; ſi ſecundo modo ſumatur nempè ex parte contrahentium, & tunc, vel impediri poteſt ſimpliciter, vel reſpectu alicuius determinatæ perſonæ; ſi ſimplicitèr, & hoc adhuc duplicitèr primo quatenus

*1 Enumerantur, & explicantur impedimẽta dirimentia matrimonium.*

 tenus

Digitized by Google

tenus nullo modo poſſit exerceri actus coniugalis, & ecce tertium impedimentum de iure veteri, nempe *impotentia*. Secundo quatenus non poſſit licitè exerceri, vel liberè, & ſic conſurgit triplex aliud impedimentum, primum prout opponitur liberè, & ecce *conditio ſeruitutis*, ſecundum & tertium, prout opponitur licitè contractui ratione præcedentis obligationis, & ecce impedimentum *ordinis*, *& voti ſolemnis*: ſi impediatur reſpectu alicuius determinatæ perſonæ, vel poteſt eſſe ratione obligationis ad alteram perſonam cum qua initum eſt prius matrimonium, & ecce impedimentum ligaminis; vel poteſt eſſe ob defectum proportionis ad alteram perſonam, ſiue propter nimiam diſtantiam ad eandem ratione Religionis, & ecce diſparitas cultus, ſiue propter nimiam propinquitatem, & ecce tria alia impedimenta, nempè *cognatio*, *affinitas*, *& publica honeſtas*, ſiue propter indebitam coniunctionem præcedentem matrimonium habitam inter ipſos contrahentes, & ecce impedimentum *criminis*. Vltimum tamen impedimentum, quod eſt quartodecimum inductum per Concilium Tridentinum, nempe matrimonij clandeſtini celebrati ſine Parocho, & teſtibus poteſt reduci ad vnum ex præcedentibus, præcipuè ad impotentiam, prout dicit non poſſe licitè exerceri actus coniugalis.

Dubium ſecundum.

Quæres ſecundo, an omnia allegata impedimenta ſint de iure naturæ, an vero etiam de iure poſitiuo diuino, vel de iure poſitiuo eccleſiaſtico.

2 Aliqua ex his impedimentis ſunt de iure naturæ, aliqua de iure diuino, aliqua de iure Eccleſiaſtico.

Reſpondeo huiuſmodi impedimenta aliqua eſſe de iure naturæ, aliqua de iure diuino, aliqua de iure eccleſiaſtico, aliqua de iure ciuili, conformiter tamen ad ius Eccleſiaſticum, & diuinum. *D. Thomas in 4. diſt. 34 q 1. art. 1 ad quartum*. Ratio ex eo deducitur, quia matrimonium eſt inſtitutum primario in officium naturæ, ſecundo vt ſacramentum, tertio in officiũ communitatis, ergò quatenus eſt in officium naturæ eiuſdem lege debet ſtatui, quatenus eſt ſacramentum, debet ſtatui iure diuino, quatenus eſt in officium communitatis debet ſtatui, vel iure Eccleſiaſtico, vel ciuili, ergo ex qualibet dictarum legum dictamine poſſunt & debent ſtatui huiuſmodi impedimenta. Quænam autem in particulari ſint inducta iure naturæ, quænam iure diuino, quænam iure Eccleſiaſtico & ciuili ex infra dicendis conſtabit. Nunc breuiter, & in particulari aſſero errorem circa ſubſtantiam dirimere de iure naturæ, quia nihil eſt tam contrarium conſenſui ſicut error: conditionem ſeruilem irritare de iure Eccleſiaſtico, & ciuili per *textum in c. 2. de coniug. ſeruor & c. ſi quislibet 29 q. 2. & c. ſi quis ingenuus 29. q. 2.*, votum irritare de iure diuino naturali ſecluſo quocunque iure Eccleſiaſtico, vt colligitur *ex cap ſi quis ſacro §. relata 27. qu. 1. & ex concil. Tridens. ſeſſ 24. de matrim can. 9.* cognationem carnalem ſecundum ſententiam ſatis probabilem in recta linea aſcendentium, & deſcendentium irritare de iure naturæ prout definitur *Inſtit. de nuptijs §. ergo non omnes l. nuptiæ, & l. nihil 54. de ritu nuptiar.* in linea vero tranſuerſa de iure naturæ irritare ſolum in primo gradu, vt videtur colligi *in c. gaudemus de diuortijs*, in reliquis vero gradibus ſolum de iure Eccleſiaſtico; cognationem vero ſpiritualem ſolum irritare de iure Eccleſiaſtico per textum *in c. de eo, & c. ſi quis filiaſtrum 30. q. 1. & c. veniens de cognat. ſpirit. & c. 1 eod. tit in 6.*, cognationem vero legalem dirimere ſolo iure humano ſecundum communiſſimam opinionem; crimen etiam irritare ſolo iure Eccleſiaſtico; cultus diſparitatem probabilius irritare ſolo iure Eccleſiaſtico, vt latè docet *Sanchez lib. 7 diſp. 71. n. 7.*, vim irritare iure naturæ, prout alibi latè docuimus; ordinem ſacrum irritare de iure diuino, naturali, ſed tantum iure Eccleſiaſtico, vt videtur colligi *ex c. presbiteris diſt 27.* ligamen irritare de iure nouo diuino, prout definitur *in c. gaudemus de diuortijs, & in concil Trid. ſeſſ. 24. de matrimon. c. 3. & Matthæi 19.* ibi ſic legitur: *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mæchatur*, honeſtatẽ dirimere de ſolo iure Eccleſiaſtico, vt docet *D Thomas in 4. diſt. 41. qu. vnica art. 1. quæſtiuncula 4. in corpore*; affinitatem ex matrimonio quandoque iure naturæ irritare, vt docet *Sanchez d. lib. 7. diſp 65.*, ex copula vero fornicaria tantum de iure Eccleſiaſtico; impotentiam tandem ſi ſit perpetua irritare de iure naturæ, vt omnes conſentiunt; raptum vero, & clandeſtinitatem tantum de iure Eccleſiaſtico, vt colligitur *ex concil. Tridens. ſeſſ 24. c. 1. de reformat. matrimonij*.

Enumerantur ſpecialiter, quæ reſpectiuè ad quodlibet ius pertinent.

Dubium tertium.

Quæres tertio, cur hæc, & tot impedimenta aſſignentur aduerſus matrimoniũ, quæ non aſſignantur aduerſus alia ſacramenta, & ſi quæ aſſignantur non tot? Certè aduerſus matrimonium vel nulla eſſet aſſignanda, vel minora, quandoquidem inter cætera ſacramẽta videtur minus perfectum, & quanto aliquid eſt minus perfectum, tanto minoribus modis videtur impediendum. Deinde cum morbus cõcupiſcentiæ ad cui medendum inſtitutum eſt matrimonium cum ſit in remedium concupiſcentiæ ſit omnibus fere communis, & remedium ipſum videtur debere eſſe commune, ergo non debet congruè eſſe aliqua perſona, quæ ex aliquo impedimento priuetur tali remedio.

Reſpondeo in primis, quod etiam alia ſacramenta impediri poſſunt ſi deſint ea, 8

quæ

*Cum inducta fuerint impedimenta quoad matrimonium, non quoad alia ſacramenta.*

quæ ſunt vel de eſſentia, vel de ſolemnitate. Deinde potior eſt ratio cur fuerint inducta impedimenta quoad matrimonium, & non quoad alia ſacramenta, primo, quia matrimonium non poteſt eſſe niſi inter duas perſonas, inter quas facilius poſſunt irrepere conditiones, & qualitates, quæ poſſunt obſiſtere contractui, vel ex natura eiuſdem, vel ex parte contrahentium, quæ non ita facilè poſſunt contingere circa ſacramenta, quæ vni ſingularitèr competunt. Secundò, quiá alia ſacramenta habent ſolummodò cauſam in Deo, matrimonium etiam habet cauſam in nobis.

*Dubium quartum.*

Quæres quarto, an Pontifex poſſit diſpenſare in omnibus præallegatis impedimentis, ſiuè iuris naturæ, ſiuè iuris diuini naturalis, ſiue iuris Eccleſiaſtici ſint.

*Quæ ſunt iuris, naturalis ſunt in duplici differentia, & quali.*

Omiſſis varijs DD. placitis, qui in diuerſas, eaſque vel oppoſitas, vel medias opiniones abierunt hoc vnum in primis moneo ea, quæ dicuntur iuris diuini naturalis eſſe in duplici differentia, quædam ſcilicet habentia originem ab humana voluntate, & ex eius ſuppoſitione obligantia, cuiuſmodi eſt votum, & iuramentum; quæddam vero abſoluta, & ex diuino arbitrio præcisè deriuata. Quoad ea, quæ ſunt primi generis ſentio Pontificem poſſe, quodamodò diſpenſare, non quatenus directè per diſpenſationem tollat ius diuinum, ſed quatenus tollat obligationis fundamentum, quam homo actu humano ſibi impoſuit, quo ſublato euaneſcit iuris diuini circa illud votum obligatio; hoc etiam vrgente grauiſſima cauſa poteſt Pontifex efficere circa votum ſolemne Religionis, de quo alibi occurret ſermo vberrimus. Potiſſima difficultas eſt quoad impedimenta, quæ ſunt iuris diuini naturalis abſoluti, & dependentis præcisè ab arbitrio diuino.

4 *Regulariter per ſe, & ſine cauſa non poteſt Pontifex in ijs, quæ iuris naturalis diuini ſunt diſpenſare.*

Reſpondeo probabilius eſſe Pontificem non poſſe per ſe diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium de iure naturæ, ſeù diuino naturali, ſine cauſa. Itá magis communitèr DD. *Gloſa c fin. verb. ſacramentum de tranſact.*, & *cap. literas verb. diſpenſare de reſtit. ſpoliat. Speculator tit. de diſpenſatione*, §. *nunc breuiter nu. 4. Henricus c. per venerabilem num 1., qui filij ſint legitimi*, *Bartolomeus Socinus l. 2. in princip. n. 14., ff. de verb. oblig. Turrecremata c. coniunctiones n. 3., & 4. & c., quadam lex 35. q. 4. num. 2.*, & ex Theologis, *Paludanus in 4. diſt. 41. q. 1. art. 5. concl. 2. n. 27. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 11. §. 1. in princip. Sotus in 4. diſt. 40. q. vnica art. 3. col. 3. verſ. in c. ergo*. Ratio ea eſt, quiá ea, quæ iuris naturalis diuini ſunt immediatè dependentia à Deo, nec ſubduntur iuriſdictioni poteſtatis Eccleſiaſticæ, nec alicubi conſtat facultatem ſuper his diſpenſandi à Deo conceſſam eſſe Romano Pontifici; & quantumuis in certis caſibus bono communi maximè rationi conſona, & expeditior videatur diſpenſatio huic tamen bono præponderant alia malorum pericula ob quæ non eſt congrua facultas diſpenſandi. Iam confer ea, quæ dicta ſunt in ſecunda quæſtione ſub hoc titulo, & impedimenta, quæ inueneris eſſe de iure diuino naturali dic eſſe per Pontificis auctoritatem indiſpenſabilia, ſi ſit iuris diuini naturalis abſoluti, & à Deo ſolum pendentis. Ex quibus habes, quam turpitèr errent nonnulli DD., qui cum ſentiant gradus conſanguinitatis, & affinitatis olim iure diuino prohibitos *Leuitici* 18. eſſe quoque nunc eodem iure vetitos aſſerunt Pontificem in nullo illorum poſſe diſpenſare; certum quippe eſt, & contrarium erroneum, vt definitum eſt in *Tridentino ſeſſ. 24. can. 3.* - Ibi - *Si quis dixerit non poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare anathema ſit*. Quod ſi inquiras, ſi huiuſmodi gradus erant de iure diuino vetiti *d. c. 18. Leuitici*, quomodo nunc etiam non ſunt vetiti; ſtatim reſpondebo ea, quæ ibi præcipiebantur fuiſſe de præceptis ceremonialibus, quæ modo poſt aduentum Chriſti abrogata ſunt.

---

## PRÆNOTIO VII.

Explicantur omnia generatim, quæ ſpectant ad impedimentum erroris.

### SVMMARIVM.

*Error præcedens quoad ſubſtantiam, ſeù circa perſonam irritat ipſo iure naturæ matrimonium.* 1.

*Error etiam concomitans quoad ſubſtantiam irritat ipſo iure naturæ.* 2.

*Error qualitatis, ſeù dolus circa eandem daniem cauſam contractui illum non irritat.* 3.

*Si qualitas fuerit adiecta per modum conditionis expreſſa, & deficiat irritat matrimonium, ſicuti ſi qualitas tranſeat in ſubſtantiam.* 4.

*Quandonam qualitas intelligatur tranſire in errorem ſubſtantiæ.* 5.

Incipimus iam in particulari explicare huiuſmodi impedimenta dirimentia, & primò ſe ſe offert *Error*, qui in multiplici poteſt eſſe differentia alter pertinens ad qualitatem, alter ad conditionem, alter ad ſubſtantiam, quæ diuerſitas eſt ratione obiecti, in quod tendit ipſe error. De errore quoad conditionem ſeruilem erit

Digitized by Google

erit ſermo in ſequenti prænotione. Porro error multiplex eſse poteſt ratione modi quo reſpicit obiectum, ſiuè circa qualitatem, ſiue circa ſubſtantiam; alius enim eſt antecedens, alius concomitans, alius ſubſequens. Quorum explicationem vide *tom. 1. ſub tit Contractus I. de contractibus, vt ſic diſq. 1. § 9. n. 3.* in quibus non vacat in præſenti immorari, ſicut non vacat immorari in inquirenda diuerſitate, quæ intercedit inter ignorantiam, & errorem, quam agnoſcere poteris apud *Sanchez lib. 7 de matrimonio diſp. 18. nu 1., & apud D. Thomam in 4. diſt 30. q 1. art 1 ad primum.*

Rationes dubitandi circa præſentem.

Id, quod ſub hoc titulo inquiremus erit primo, an error perſonæ, ſeù quoad ſubſtantiam irritet matrimonium, ſiuè fuerit antecedens, ſiuè concomitans, ſiuè ſubſequens; ſecundo ex ſuppoſitione, quod irritet, irritet iure naturæ, an ſolum iure Eccleſiaſtico. Tertio, an error qualitatis, ſiuè antecedens, ſiuè concomitans irritet. Quarto, an qualitas quando adijcitur per modum conditionis expreſsæ irritet, ſi illa qualitas non inexiſtat. Quinto, an qualitas, ſeù error qualitatis poſſit quandòque refundi in errorem ſubſtantiæ, & irritare, & quomodo.

1 Irritat error præcedẽs quoad perſonam matrimonium ipſo iure naturæ.

Aſsertio I. Error præcedens, ſeù antecedens quoad ſubſtantiam, ſeu circa perſonam irritat ipſo iure naturæ matrimonium, *Hoſtienſis in ſumma tit. de matrimonijs nu. 26. Paludanus in 4. diſt. 36. q 1. art. 1. n 8. Aſtenſis in ſumma 2 pars lib. 8. tit. 15 art 1. q. 1. in fin Sotus in 4. diſt 30. q. 1. art. 1. concl 1. in fin. Coninchus diſp. 31. de matrimon. dub 1. Reginaldus lib. 31. n. 9 Bonacina de matrimon. q 3. punct. 1. num. 2. verſ. quod vero.* Quod ſit nullum de iure Eccleſiaſtico poſitiuo habetur *ex c vnico 29. q 1, & cap. tua nos de ſponſalibus, & c. cum locum, & c. veniens, & c. notificaſti 33. q. 5.* Quod verò ſit nullum de iure naturæ.

Probatur primo, quià de ſubſtantia, & ratione contractus matrimonialis debet requiritur, quod fuerit cum plena libertate, & cum legitimo conſenſu, ſed non poteſt eſse plena libertas, nec legitimus conſenſus, quandò eſt cum errore perſonæ, ſeù circa ſubſtantiam, quià nihil eſt magis contrarium conſenſui, quam error *l. ſi per errorem, ff de iuriſdict om. iud.*, & errantis nullus eſt conſenſus, nec voluntas *l cum teſtamentum l. non id circo C. de iuris, & facti ignorant.*, neque obeſse poteſt, ſi aſseratur errorem non eſse cum negatione cognitionis, ſicuti eſt ignorantia, adeoque neque cum negatione libertatis, quandòquidem, vt bene notat *D. Thomas in 4 diſt. 30. q. 1. art. 1. ad primum*,

Non eſt cum plena libertate.

ignorantia in hoc differt ab errore, quod illa ex ſua ratione nullam præuiam cognitionem deſiderat; error autem iudicium poſiturum intellectus per verſum poſtulet; Non, inquam, obeſse poteſt, quià ad inualidandum contractum non requiritur, quod nulla præuia cognitio habeatur, ſed ſufficit, quod non habeatur cognitio eius, quod intenditur, & quod vnum pro altero accipiatur. vt videre etiam eſt in venditione auricalchi pro vero auro nam ſemper verificaretur, quod illud non fuit, ſeù non ſit obiectum in quod voluntas fertur, & in ordine ad obiectum irritat cum cognitio alterius obiecti aprehenſi perindè eſt, ac ſi non eſset cognitio.

Probatur ſecundò ex ijs, quæ docuimus *tom. 5. ſub tit. contractus XIV. de ſponſalib. I. prænot 5. ſect. 5. n. 1.* nempè metum cadentem in conſtantem virum, qui dat cauſam contractui non ſolum iure poſitiuo irritare matrimonium, & ſponſalia, ſed etiam iure nature, prout etiam latè docent *D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad tertium, Coaruuias de ſponſalib. pars ſecunda c. 3. § 5. n. 6. Comitolus lib. 3. reſponſ. moral. q. 2. art. octauum, Ioannes Angelus Boſsius de matrimon. contract c. 12. n. 269.* Ratio *D. Thomæ in 4. diſt 29. q vnica art. 3 quæſtiuncula 1.* hoc euincit attenta præcisè natura matrimonij, quandòquidem ex ipſo iure naturæ matrimonij vinculum eſt in ſolubile, & perpetuum, ergò ex natura ſua eidem debet eſse repugnans, quod deſtruit, & tollit talem indiſsolubilitatem, & perpetuitatem talis autem eſt metus cadens in conſtantem virum, quià quodamodò hic quandam vim, & violentiam infert, nullum autem violentum poteſt eſſe durabile, & perpetuum ergò à fortiori error quoad ſubſtantiam irritat non ſolum de iure poſitiuo, ſed etiam de iure naturæ, quandòquidem, cum tota vis dependeat à conſenſu non poteſt eſse vis contractus deficiente eodem conſenſu quoad ſubſtantiam. Confirmari poteſt ex ijs, quæ diximus *eod. tom. 5. ſub tit Contractus XIV. de ſponſalib. 2. prænot. 17. n 2.* de dolo, qui ſi fuerit antecedens, & quoad ſubſtantiam irritat iure naturæ contractum, ergò etiam &c. Ex quibus omnibus inferas matrimonium etiam inter infideles initum cum errore perſonæ irritum eſse, quià ius naturæ omnes afficit.

Pariter etiam euincitur.

2 Error etiã concomitãs quoad ſubſtantiã irritat.

Aſsertio II. Error etiam concomitans quoad ſubſtantiam irritat iure naturæ matrimonium, *Sanchez lib. 2. diſp. 34., & lib. 7. diſp. 18. n. 6. Coninchus de matrimon. diſp 31. dub. 1. n. 9. Veracrux prima pars. ſpeculi art. 28 ad fin. § circa hoc impedimentum, Petrus de Ledeſma de matrim q. 51. art. 2 dub 2. concl. vnica in fine, & nos ipſi docuimus tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. prænot 5. ſect. 8. n. 6.*, & in ſimilibus terminis *Ibid. n. 4.*

Ratio ex eo deducitur, quia ad validè contrahendum matrimonium etiam de

iure

Iure naturæ requiritur ex parte vtriuſque contrahentis actualis conſenſus ad determinatum obiectum, ſed cum errore concomitante quoad ſubſtantiam non poteſt eſſe actualis conſenſus ad matrimonium cum tali determinata perſona, ergo &c. Maior non patitur difficultatem, quia contractus actu, & determinatè exigit conſenſum actu, & determinatè. Minor vero probatur, quia in ea hypotheſi ſolum diceretur, quod errans duceret, ſeu duxiſſet illam aliam perſonam ſi cognoſceret, vel cognouiſſet hanc eſſe, & per hoc ſolum iudicatur intentio, ſeu voluntas eius, quod eſſet, vel fuiſſet facturus, ſi illam noſſet, vel nouiſſet, non vero, quod actualiter, & de præſenti conſenſerit, propter quam rationem communiter docent, quod qui contrahit matrimonium cum errore perſonæ concomitante, vt ſi v. gr. putat contrahere cum Calidonia, & contrahit cum Sempronia, cum qua tamen adhuc contraxiſſet, ſi ſciuiſſet ipſam eſſe inualidè contrahat *Henriquez lib.* 11. *c.* 10. §. 4 *lit S. in textu, & gloſ. Sotus in* 4. *diſt.* 35. *art.* 2. *verſ., quid autem ſi ingreſſus, & nos ipſi tom.* 1. *ſub tit. Contractus* 3. *Diſq.* 6. §. 6., *&* 7. *in fin.* Vide, quæ diximus *tom* 5. *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib.* 1. *prænot.* 5. *ſect.* 8. *num.* 4. *per tot.*

Non interueniret cō̃ſēſus actu.

3 Aſſertio III. Error qualitatis, ſeu dolus circa eundem dātem cauſam contractui matrimoniali illum non dirimit *Gloſa l. à D. Pio* 58 *verb. actionem ff de ritu nupt. Angelus verb. matrimonium* 3. *impediment.* 4. *nu.* 1. *Silueſter verb matrimonium q.* 1. *in fin. Sotus in* 4. *diſt.* 35. *q vnica art.* 2. *col.* 4. *verſ. ad hac Couarruuias* 4. *decretalium* 2. *part. c.* 3. § 7. *nu.* 3. *Valentia in ſecunda ſecundæ D. Thomæ diſp.* 5. *q.* 20. *punct.* 4. §. *probatur concluſio Molina tract.* 2. *diſp.* 352. *verſ. illud eſt obſeruandum.*

Error qualitatis, ſeu dolus circa eundem dātem cauſā contractui illum non irritat.

Non diutius immorandum in probatione huius aſſertionis, quandoquidem de ea egimus *eod. tom* 5. *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus primo prænot.* 5. *ſect* 8. *n.* 8. in probat. primæ partis, nam ſtante etiam illo errore quoad qualitatem manet conſenſus omnino liber, & voluntarius quoad ſubſtantiam; ſtantibus autem ijs, quæ ſunt neceſſaria, quoad ſubſtantiam non eſt cur reddatur contractus inualidus per defectum aliquarum qualitatem, quæ non attingunt ſubſtantiam; Ex quibus etiam deduces, quod defectus illius qualitatis, ne efficiat, quod deceptes in illa non teneatur conſummaſſe matrimoniū, quidquid ex aduerſo dixerint *Viualdus in candelabro ſacram pr. part. de matrimon. num.* 118. quandoquidem inito ſemel matrimonio, quoad ſubſtantiā valido alter coniux ius habet, vt perficiatur etiam quoad ea, quæ ad ipſum conſequuntur, & DD. contrariæ ſententiæ ad ſummum loquuntur de ſponſalibus, quæ eſt defectu illius qualitatis ſubſequentèr cognito poſſunt diſſolui.

Manet contractus liber quoad ſubſtantiā.

Aſſertio IV. Si qualitas fuerit adiecta per modum conditionis expreſſæ, & deficiat vtique irritat matrimonium, ſicut etiam ſi error qualitatis tranſeat in errorem ſubſtantiæ. *Coninchus diſp.* 31. *de matrimon. num.* 6., *&* 11. *Reginaldus lib.* 31. *nu.* 92. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 18 *num.* 21. *D. Bonauentura in* 4. *diſt.* 30. *in expoſit. litera num.* 4. *D. Antoninus tertia part. tit.* 1. *c.* 2. *in fin.* 4

Qualitas adiecta per modum cō̃ditionis expreſſæ irritat.

Quoad vtramque partem aſſertio non indiget probatione quandoquidem probata remanet *tom.* 5. *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib* 1. *prænot.* 5 *ſect* 8. *nu.* 9. *per totum*, ad quæ vos remitto.

Solum difficultas remanet in explicando, qnandonam error qualitatis intelligatur tranſire in errorem ſubſtantiæ Iuxta ea, quæ diximus loc. cit. ſentiendum eſt, tunc hoc eſſe quando quis ratione talis qualitatis conſentit in certam, & determinatam perſonam, ſine qua non conſentiret abſolutè. Sed adhuc remanet explicandam, quando nam ratione qualitatis intelligatur conſenſus errantis ferri in certam, & determinatam perſonam; pro quo *Sanchez d. lib.* 7. *diſp.* 18. *nu.* 26., *&* 27. duplicem ſtatuit regulam. Altera eſt, quod quoties qualitas in qua erratur determinat indiuiduam perſonam, ſit ſi illa perſona, cum qua errans contrahat ſe fragat filium determinat Regis putet Poloniæ, & tunc ſentit errorem qualitatis refundi in errorem perſonæ, quia cum voluntas id intendat, quod eidem proponitur ab intellectu, & intellectus proponat illam determinatam perſonam deſignatam per illam indiuiduam qualitatem, ratione illius qualitaris aſſentitur tali perſonæ, vt tali, & non aliter. Altera eſt, quod quoties qualitas, in qua erratur non determinat indiuiduam perſonam non ſit error perſonæ, ſed ſolius qualitatis, vt ſi quis aſſerat ſe eſſe filium regis non declarans cuius Regis ſit filius; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem cum perſona ſit indiuidua ſubſtantia error perſonæ debet eſſe circa aliquod indiuiduum rapræſentatum, vt tale non eſt autem indiuiduum per illam qualitatem filij regis rapræſentatum, vt tale quando rapræſentatur ſub indifferentia vnius, vel alterius regis, ſicque ille error eſt circa qualitatem, & conſenſus videtur ferri directè in perſonam ibi præſentem. Ad clarius cognoſcendam, vim huius duplicis regulæ eſſet hic plures caſus in particulari exponendi, ſed quia de his erit ſermo in diſquiſitionibus, ideo ad eaſdem vos remitto. 5

Quandonā qualitas intelligatur tranſire in errorē ſubſtantiæ.

PRÆ-

## PRÆNOTIO VIII.

Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad impedimentum conditionis.

### SVMMARIVM.

*Conceſſa ad tempus libertate intelligitur abſolute conceſſa, & ſic ſublata conditio ſeruilis, & ſi pro illo tempore ſeruus contrahat, validè contrahit.* 1.

*Intellige dūmodo propriè ſit conceſſa libertas, non poſita præciſe indulgentia ad aliquos actus.* 2.

*Seruus ſtatu liber, cui conceſſa eſt libertas perpetua non ex tunc, ſed ex certo die, ſi contrahat pro tempore pro quo perſeuerat ſeruitus cum libero ignorante conditionem ſeruilem inualidè contrahit.* 3.

*Seruitus adſcriptitia, ſeù originaria non eſt talis, vt ſi fuerit ignorata ab altero contrahente dirimat matrimonium.* 4.

*Non ſolum ignorantia antecedens, ſed etiam concomitans conditionis ſeruilis irritat.* 5.

*Pendente lite ſuper exiſtentia conditionis ſeruilis matrimonium propriè non dirimitur, quinimmò liber donec lis dirimatur per ſententiam definitiuam tenetur reddere, ſiue compellatur ab Eccleſia, ſiue non.* 6.

*Contracto matrimonio inter ingenuum, & ſeruum ignorante ingenuo conditionem ſeruilem alterius, ſi poſteà ingenuus cognita tali conditione velit in matrimonio permanere non poteſt ſerua ab eodem reſilire.* 7.

*Ante Iudicis ſententiam ingenuo exigente tenetur ſerua in coniugio permanere.* 8.

*Contracto matrimonio ignoranter cum ancilla, ſi coniux cum eadem manumiſſa ignarus manumiſſionis copulam habeat non cenſetur ratificare matrimonium.* 9.

*Si verò cognito errore conditionis ſeruilis eandem carnaliter cognouerit cenſetur illud ratificare.* 10.

*Si inualiditas matrimonij ex errore conditionis fuerit notoria ratificatio facienda eſt coram Parocho, & teſtibus, ſecus ſi occulta.* 11.

*Cohabitatio decennalis cum tali errore non reualidat matrimonium, niſi præſcripta legitimè libertate, & cognita inualiditate ponatur nouus conſenſus.* 12.

*Conditio ſeruilis in altero contrahente ſi fuerit cognita ab ingenuo ante, vel in celebratione contractus ipſum non inualidat* 13.

*Sententia aſſerens Dominum non poſſe vendere ſeruum coniugatum in longinquas regiones.* 14.

*Probabilius error conditionis ſeruilis non irritat de iure naturæ, ſed tantum Eccleſiaſtico.* 15.

*Matrimonium contractum cum errore conditionis nō irritatur, quando eſt error in pari, vel digniori conditione.* 16.

*Seruus contrahens cum libera, quam ancillam reputabat validè contraxit.* 17.

*Liber contrahens cum libera, quam ancillam reputat, validè contrahit.* 18.

*Seruus contrahens cum libera ſerua reputata, quantum eſt de ſe validè contrahit.* 19.

*Quandonam ſerua contrahendo cum libero fiat libera.* 20.

*Quando ex contractu ſeruus fit liber, liber contrahendo cum illo validè contrahit.* 21.

*Poſſunt ſerui inuitis Dominis matrimonio copulari.* 22.

*Grauiter peccarent Domini prohibentes matrimonium ſeruis.* 23.

*Dn̄us factus conſcius de matrimonio ineundo per ſeruum ſi adhuc non ſit data fides poteſt illum alibi vendendum mittere, ſecus ſi iam fides data fuerit.* 24.

*Contracto iam matrimonio per ſeruum, ſiue conſentiente Domino, ſiue eodem ignorante poteſt Dominus eundem in longinquas partes vendere, ſi alter poſſit ipſum ſequi, ſecus ſi hic non poſſit illum comitari.* 25.

*Liber ante matrimonium, vel poſt matrimonium manumiſſus tenetur coniugem venditum in longinquas partes ſequi.* 26.

*Intellige, ſiue liber, ſeu manumiſſus fuerit maritus, ſiue vxor.* 27.

*Dominus non poteſt vendere ſeruum in longinquas regiones, ſi æquè bene poteſt vendere in eodem loco.* 28.

*Vendens in longinquas regiones, cum æquè bene poſſet hinc vendere grauiter peccat, & contra iuſtitiam.* 29.

*Si coniuges fuerit ſerui diuerſorum dominorū habitantium in diuerſis locis in quibus ſerui non poſſint copiam ſui habere poſſunt Domini in loco diſſita eos diuendere.* 30.

*Si vterque fuerit ſeruus, & vnus non poſſit alterum ſequi non poteſt Dominus in longinqua vnum vendere.* 31.

*Si alter fuerit liber, non tam poſſit ſequi ſeruū non poteſt Dominus ſeruum in longinqua vendere.* 32.

*In matrimonio ſeruorum in concurſu Domino exigentis obſequia, & coniugis exigentis debitum illa cauſa præferenda eſt, quæ eſt magis neceſſaria.* 33.

NOmine conditionis non venit hic actus ſuſpenſiuus contractus appoſitus per ipſos contrahentes ad eundem ſuſpendendum donec effectus aliquis per ipſos intentus aduenerit, ſed venit qualitas ſeruilis in vtroque, vel in altero ex contrahentibus inexiſtens; iuxta quem ſenſum idem eſt inquirere cuius conditionis ſit illa perſona, ac cuius qualitatis ſit. Venit igitur, hic qualitas determinata ſeruitutis, circa quam inquirimus, ſi fuerit in altero, an quia quomodo irritet contractum ma-

Quid veniat nomine conditionis.

trimo-

trimonialem. Pro cuius difficultatis clariori ſolutione.

Multiplex differentia ſeruitutis.

Aduerte ſtatum, ſeu conditionem ſeruilem eſſe quaſi in triplici differentia, aliá per quam in rigore ita conſtituuntur ſerui, & ſub poteſtate dominorum, vt libere per eoſdem poſſint vendi; aliam per quam ſerui conſtituuntur adſcriptitij, qui ſcilicet glebæ, ſeu prędio colendo ſunt perpetuo adſcripti cum onere nunquam recedendi omneſq; fructus exceptis ſumptibus, & victu Dominis reddendi; aliam per quam conſtituuntur ſerui originarij, quatenus ſunt orti ex adſcriptitijs. Primus ſtatus, ſeu conditio ſeruilis eſt proprie, & in rigore talis ſecundus, & tertius ſtatus non eſt in rigore talis, cum ſerui adſcriptitij, & originarij ſint verè liberi, quamuis ad certas operas teneantur. Porrò ſeruitus quamvis ex genere ſuo ſit perpetua poteſt tamen ex libertate, ſeu liberalitate Dñi pro aliquo determinato tempore ſolui, ita tamen, vt eo elapſo redeat, qua ratione ſerui pro illo tempore conceſſæ libertatis dicuntur ſtatu liberi per textum *in l. ſtatu liberum ff. de ſtatu liber.* licet nonnulli abſolute aſſerunt hanc libertatem ad tempus nó poſſe concedi, quin euadat in perpetuam per textum *in l. ideo 34. ff. de manumiſſis teſtam* His pro notitia ſuppoſitis.

Articuli examinãdi circa præſentẽ titulum.

Articuli, qui venient ſub hoc titulo examinandi hi erunt, an ſi ad tempus conceſſa ſit libertas per dominum ſeruo intelligatur in perpetuum adempta ſeruitus; an ſi conceſſa libertate ad tempus non intelligatur abſolute ſublata ſeruitus, ſi contrahatur cum tali ſeruo matrimonium pro illo tempore, pro quo durat libertas ignorante altero conditionem ſeruilem matrimonium illud teneat; an conditio ſeruilis irritet matrimonium ignorata ab altero contrahente, ſiue fuerit ſeruitus adſcriptitia, ſiue originaria, ſiue rigoroſa perpetua; an talis ſeruitus ignorata ab altero cõtrahente dirimat matrimonium quando ſolum eſt antecedens, an vero etiam quando eſt concomitans, an ſeruitus etiam controuerſia pendente lite ſuper illa dirimat, & an pro eo tempore litis liber teneatur reddere debitum alteri petenti; an error conditionis ita irritet, vt ſi liber velit non obſtante ſeruitute alterius cognita perſiſtere in coniugio non ſit cogendus ſeruus ad permanendum in illo; an matrimonium initum cum ſerua per liberum ignorantem ſeruitutem ratificetur per copulam habitam poſt ſeruitutem cognitam; an cohabitatio liberi cum ancilla, ſeu permanentia eorundem in coniugio per decennium per quod durat ignorantia ſeruitutis conualidet matrimonium, an conditio ſeruilis irritet matrimonium, quam'umvis fuerit cognita à libero; an error conditionis ſeruilis irritet de iure naturæ, an vero tantum de Iure ciuili, & Eccleſiaſtico; an error huiuſmodi irritet, quando ambo contrahentes ſunt pares, ambo ſerui, vnus tamen ignorat ſeruitutem alterius; an domini poſſint impedire matrimonia ſeruorum, an poſſint vendere ſeruos in locis diſtantibus, in quibus ſerui non poſſunt reddere debitum, & alia ex his conſequentia.

Aſſertio I. Conceſſa ad tempus libertate intelligitur abſolute conceſſa, & per conſequens ſublata conditio ſeruilis, & ſic ſi pro illo tempore ſeruus contrahat etiam altero ignorante conditionem ſeruilem matrimonium, validè contrahit *Gloſa l. libertas 31. verſ. non poteſt ff. de manumiſſis teſtam.*, atque in hanc aſſertionem videtur inclinare *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 19. nu. 3.* 1

1 Cõceſſa ad tempus libertate intelligitur abſolute conceſſa.

Ratio deducitur ex diſpoſitione iuris ciuilis *in l. ideo 34. ff. de manumiſ. teſtam.* vbi ſic legitur. *Libertas ad tempus dari non poteſt ideoque ſi ita ſcriptum fuerit; Stychus vſque ad annos decem liber eſto, temporis adiectio ſuper vacua eſt*, quod vlterius euincitur arg. textus *in l., & ſine dolo §. quod Papiniauus ff. de minoribus*, vbi dicitur, quod libertas ſemel data reuocari non poſſit.

Ex quibus directè euincitur valor matrimonij pro illo tempore initi alio etiam ignorante conditionem ſeruilem, quandoquidem conceſſa ſemel libertate etiam ad tempus iam non eſt amplius ſeruitus, ſed abſoluta libertas, & ſic præciſe ex hoc capite non eſt, cur irritari debeat matrimonium pro illo tempore libertatis initum, & ſi alter ignorauerit illam conditionem ſeruilem non officit, quia pro illo tempore verè non viget. Hoc tamen vnum aduerterem, quod ſi propriè non ſit conceſſa libertas ad tempus, ſed facta ſolummodo aliqua indulgentia in ordine ad aliqua ſpecialia munera pro illo tempore, & pro eodem ſeruus contrahat altero ignorante conditionem ſeruilem matrimonium proprie non teneat, ſed ſit irritum atque iuxta hunc ſenſum meo videri procedit *ſupplementum Gabriellis in 4. diſt. 36. q 1. art. 3. dub. 2. Sotus in 4. diſt. 35. q vnica art. 2. col. 4. verſ. ad hæc Manual pr. tom. ſummæ 2. edit. c. 223. num. 3. Vega 2. tom. ſummæ c. 34. c. 67. §. nota quacunque.* Ratio huius limitationis ex eo deducitur, quia ex vno capite in ea hypotheſi non intelligitur adempta ſeruitus, nec abſolute conceſſa libertas quoad tempus, ſed conceſſa ſolummodo facultas limitata ad aliquas ſpeciales operationes; ex alio quidquid ageret, ageret vt ſeruus, cum eſſet proprie talis, & etiam in ordine ad operationes conceſſas limitate ad tale tempus eodem elapſo redire debeat ad ſeruitutem, ergo ſemper verificabitur, quod matrimonium illud ſit initum inter liberum, & 2

2 Intelligendum dummodo proprie ſit conceſſa libertas, non poſita præciſe indulgentia ad aliqua munera.

ſeruum ignorante libero conditionem ſeruilem adeoque irritum.

3 *Seruus ſtatu liber, ſi contrahat pro tempore ſeruitutis inualidè contrahit.*

Aſſertio II. Seruus ſtatu liber, cui conceſſa eſt libertas perpetua non ex tunc, ſed ex certo die comparanda, ſi contrahat pro tempore pro quo perſeuerat ſeruitus cum libero ignorante conditionem ſeruilem probabilius inualide contrahit, nec tenet matrimonium. *Angelus verb matrimonium 3 impediment 4 nu 6. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 2. dict. 3.* quidquid ex aduerſo dixerit, *Sanchez lib. 7. diſp 14. n 4. verſ verum quamuis*, qui limitando aſſerit, quod ſi tempus contractus matrimonialis non multum diſtet à tempore libertatis acquirendæ iuxtà conceſſionem non inualidè contrahat ſecus verò, ſi multum diſtet.

Ratio ex eo deducitur, quià re vera contractus eſt initus pro tempore, pro quo quis eſt ſeruus altero ignorante conditionem ſeruilem, ergò illud matrimonium irritum eſt obſtante validitati eiuſdem inhabilitate ipſius ſerui; Conſequentia euincitur tum ex textu *in l ſtatu liberum, ff. de ſtatu libero*, qui indefinitè inualidat contractum matrimonialem initum inter liberum, & ſeruam libero ignorante conditionem ſeruilem alterius; tum quià interueniunt omnia, quæ ex diſpoſitione iuris irritantis ſunt requiſita ad irritandum ſeruitus ſcilicet in vno, & in altero ignorantia ſeruitutis; Neque obeſse poſſunt ea, quæ ex aduerſo opponit *Sanchez loc. cit.*, quod ſcilicet, quandò modicam tempus deficit, vt ſtatu liber plenam acquirat libertatem, non militent rationes ob quas Eccleſia irritàuit matrimonium inter ſeruum, & liberam ignorante libero conditionem ſeruilem alterius, quandoquidem rationes talis impedimenti irritantis, vt notant *D. Thomas in 4. diſt. 36. q vnica art. 1. in corpore, & ad primum, & ibid. D. Bonauentura art. 1. q. 2.* reſpiciunt bona matrimonij, quibus aduerſatur ſeruilis conditio alterius, & quid primo aduerſatur bono ſacramenti, & in diuiduæ cohabitationi, cum ſeruus in domo domini debeat habitare, ab eoque poſſit in longinquas regiones miſſi, ibique vendi: item aduerſatur bono fidei, quià non poteſt ad libitum reddere debitum, item bonis prolis, quià non poteſt eam alere, quandòquidem quidquid acquirit, Domino acquirit; Hæ autem rationes non militant, quandò ſeruus poſt modicam temporis poteſt, & debet gaudere plena libertate, vt per ſe patet, & illud modicum tempus, pro quo durare debet ſeruitus nullius præiudicij eſt, aut modici, quod propterea conſiderari non debet; Non, inquam, obeſse poteſt, quià ſemper verificatur, quod conttahit pro tempore pro quo ſtante ignorantia alterius

*Sententia Sanchez limitatis explicatur, & exploditur*

propriæ conditionis ſeruilis inhabilis eſt ex diſpoſitione iuris ad contrahendum, & per conſequens contractus in radice ratione inhabilitatis ad contrahendum in altero contrahente irritus eſt, qui propterea tractu temporis non poteſt conualeſcere, niſi per nouum actum, vel explicitum, & implicitum poſita poſtea habilitate, ſeu ſublata inabilitate renouetur, ea proportionali ratione qua contrahens ante legitimam ætatem inualidè contrahit, quantumvis deficiat modicum tempus. vt eandem legitimam ætatem plenè conſequatur. Ad illud, quod ſubditur, quod ſcilicet non militent eæ rationes, quandò modicum tempus deficit, quæ ſunt intentæ à iure irritante dicendum eſt non officere; quandòquidem etiam non militant eædem rationes, quando minor legitima ætate contrahat, cum poſt modicum plenè ſit eandem conſecuturus, & tamen contractus ante illam initus eſt nullus, nec poteſt amplius ſubſiſtere, niſi per nouum actum eadem legitima ætate obtenta ratificetur; iura etenim attendunt inhabilitatem, quæ eſt pro tempore contractus, non habilitatem quæ erit poſt contractum, qui cum ſit inualidus à principio non poteſt tractu temporis conualeſcere niſi per nouos actus. Hæc potiſſimum verificantur in ſententia Sanchez volentis modicum illud tempus, quod mediat inter contractum, & conſequendam plenè libertatem poſse eſse ſex menſes.

*Côtrahens ante legitimam ætatem inualidè contrahit, quamuis modicum deficiat.*

Aſſertio III. Seruitus adſcriptitia, ſeu originaria non eſt talis, vt ſi fuerit ignorata ab altero contrahente dirimat matrimonium, *Hoſtienſis in ſumma tit de coniug. ſeruorum nu. 9. Ioannes Andreas c. 2. nu. 3. eod. tit. ſcilicet de coniug ſeru., & ibi Ancharanus n. 2. Roſella verb. impedimentum impedimento 4. n. 1. Angelus verb matrimonium 3. impedim. 4. n 11. Silueſter verb matrimonium 8. q. 2. dict. 7. Durandus in 4 diſt. 30. q 1 n 8, & ibi Maior q 1. corrol. 1. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit maior. tit. 12. num. 55.*, & alij magis communitèr contra *Gloſſam in ſumma verb. ſecunda 29 quæſt. 2. Paludanum in 4 diſt. 36. q 1. art. 2 n. 13.* 4

*4 Seruitus adſcriptitia, ſeu originaria nô dirimit matrimonium.*

Ratio ex eo deducitur, quià non ità obſtat bonis matrimonij ſeruitus adſcriptitia, & originaria ſicuti obſtat ſeruitus ciuilis propria, & rigoroſè ſumpta, quandòquidem ſeruus adſcriptitius, & originarius non poteſt contracto matrimonio in longinquas regiones mitti, nec diuendi, cum ad hoc dominus ius non habeat; nec impeditur à petendo, vel reddendo debito, & à prole alenda, & licet ex nonnullorum placito proles de iure ciuili non poſſit ſuccedere tanquam hæres in bonis paternis, hoc tamen non eſt cauſa ſufficiens irritandi matrimonium, quod potiſſi-

Digitized by Google

potiſſimum reſpicit tanquam bona principaliora poteſtatem petendi, & reddendi debitum, mutuam fidem in coniugibus, ſocialem, & indiuiduam viuendi rationem, onera alendi, & educandi prolem, quæ omnia compatiuntur cum ſeruitute adſcriptitia, nec onus ea redi hæreditate paterna quoad prolem aliquid demit de ſubſtantia matrimonij, cum ſit quoad conſequentia, non quoad conſtituentia matrimonium. Confirmatur, quià cum hoc impedimentum ſeruitutis ſit quodamodò reſtrictiuum iuris naturæ, quod omnibus permittit poſse matrimonio copulari eſt ſtrictè interpretandum, & intelligendum non niſi de ſeruitute rigoroſè ſumpta, cum correctoria iuris naturæ ſint ſtricti iuris ergò &c.

Onera matrimonij compatiuntur cum ſeruitute adſcriptitia, & originaria.

Neque obeſse poteſt textus *in auth. ad hoc C. de libert. latina*, qui deſumptus eſt *ex authentico de nuptijs* §. *adſcriptitio*, vbi prohibetur matrimonium liberæ cum adſcriptitio, & matrimonium inter illos initum; Non, inquam obeſse poteſt, quia in primis huiuſmodi textus procedebat etiam de ſeruitute adſcriptitia cognita, qui propterea cum correcti ſint debent etiam intelligi correcti quoad omnia per ius canonicum, quod reſpicit ſolum ſeruitutem rigoroſè ſumptam. Deindè iura canonica, quæ magis attendi debent in cauſis matrimonialibus loquuntur præcisè de ſeruitute propria, vt colligitur *ex c. 2., 3. & fin. de coniug. ſeruorum, & c. ſi quis ingennus 29. q. 2.* adſcriptitij autem propriè non ſunt ſerui, ſed liberi *Gloſa cap. 2. verb. ſint liberi de iudæis, & ibi Abbas nu. vnico verſ. item nota.*

Iura canonica loquũtur de ſeruitute ciuili, & propria.

5 Aſſertio IV. Non ſolum ignorantia antecedens conditionis ſeruilis, ſed etiam concomitans dirimit matrimonium, *Rebellus lib. 3. q. 3. ſect. 2. nu. 12. Henriquez lib. 11. c. 10. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 3. n. 5. Sanchez de matrimon. lib. 1. diſp. 65. per totam, & præcipuè in princip.*, vbi appellat hanc opinionem veriorem, & nos etiam docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus 2. ſect. 8. nu. 6.* ad quæ vos remitto; Nihilominus adhuc ſic breuitèr.

Non ſolũ ignorantia antecedẽs, ſed etiam concomitans conditionis ſeruilis irritat.

Probatur, quià error circa conditionem ſeruilem æquè dirimit matrimonium, ac error circa ſubſtantiam, ergò ſicuti error etiam concomitans quoad ſubſtantiam dirimit matrimonium, ita etiam ignorantia etiam concomitans quoad conditionem ſeruilem idem matrimonium irritabit. Ratio fundamentalis aſſertionis ea eſt, quam adduximus *in prænot. præcedenti aſſert. 2.*, quià ſcilicet ſtante etiam ignorantia concomitante non eſt actualis conſenſus ad matrimonium, quià in illa ignorantia concomitante ſolum habetur, quod ignorans adhuc contraheret, ſeù contraxiſset cum illa perſona, ſi cognoſceret, ſeù cognouiſset illam conditionem ſeruilem non autem, quod actu contraxerit.

Stãte ignorantia concomitante non eſt actualis conſenſus.

Aſſertio V. Pendente lite ſuper exiſten- 6
tia, vel non exiſtentia conditionis ſeruilis matrimonium propriè non dirimitur, quinimmò liber donec lis dirimatur per ſententiam definitiuam tenetur reddere, intellige ſiuè ad redditionem compellatur ab Eccleſia, ſiuè non compellatur. Ita quoad primam partem *Gloſa c. cuius rei 29. q. 2. verb. remouiſſe, & c. 2. de coniug. ſeruor. verb. audiuit, Silueſter verb. matrimonium 8. q. 3. dict. 2. Paludanus in 4. diſt. 36. q. 2. art. 2. n. 14. D. Antoninus 3 part. tit. 1. c. 3. § 2. Palacios in 4. diſt. 30. diſp. 1. col. 2. verſ. ſed quæritis, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 45. art. 1. dub. 2. ad vltimum prima ſent.* Quoad ſecundam *Sanchez lib. 2. diſp. 44. num. 8.*

Pendente lite ſuper exiſtentia conditionis ſeruilis tenet matrimoniũ, & liber tenetur reddere.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià in ea hypotheſi poteſt liber reddere, & quidem licitè, ergò tenetur. Antecedens probatur, quià pendente lite ſupponitur, quod liber non ſit certus de conditione ſeruili alterius, ſed ſolummodò dubius; in dubio autem eſt melior conditio alterius poſſidentis, ergò ad ſeruandum alterum in ſua legitima poſseſſione pendente adhuc dubio poterit licitè reddere; Neque dicas, quod in hac ſuppoſitione reddendo, vel cederet liti ratificando per nouum actum matrimonium, vel læthalitèr delinqueret; nam non poteſt accedere ad illam ſuppoſitam vxorem niſi, vel affectu maritali, vel fornicariò; ſi maritali iam ratificaret contractum, ſi fornicario vtique læthalitèr peccaret; contra enim impugnaberis; quià quantumvis daremus non accedere animo fornicario adhuc ſaluari poteſt, quod per talem acceſſum non ratificet contractum de quo lis pendet, ſeù viget dubium; vndè in hac ſuppoſitione accedere animo maritali ſtare poteſt duplicitèr, vel abſolutè, vel limitatè; ſi primo modo certum eſt, quod ratificet priorem contractum, & facto cedat iuribus litis; ſi ſecundo modo non reualidat, nec ratificat, nec cadit, ſed tantum conſeruat ius alterius, quod habet radicatum in legitima poſseſſione, qua non eſt priuandus ſine perfecta cognitione cauſæ, & terminatione per definitiuam ſententiam. Hoc totum exemplificat, *Sanchez loc. cit. n. 5.* in eo, qui poſt contractum matrimonium dubitaret de impedimento conſanguinitatis, qui teneretur reddere debitum, nec tamen accederet animo fornicario, ſed affectu maritali limitato ad conſeruandum ius alterius.

Accederet affectu coniugali, ſed limitato.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ante iudicis decretum alter coniux

eſt in poſſeſſione coniugij, & exigendi debitum, & alter tenetur reddere per textum *in c. inquiſitioni de ſent. excommunic.*, & iuxta ſuperius dicta in probatione præcedentis partis reddendo debitum ad effectum conſeruandi alterum præciſe in ſua poſſeſſione ſibi præiudicium non infert, ergo &c. Ita *Paludanus in 4. diſt. 36. q. 2. art. 2. num. 14.*

7 Conſentiẽte ingenuo in matrimonio perſeuerare non poteſt ſerua reſilire.

Aſſertio VI. Probabilius eſt, quod ſi matrimonium contractum fuerit inter ingenuum, & ſeruam ignorante ingenuo conditionem ſeruilem alterius, & idem ingenuus cognita poſtea tali conditione velit in matrimonio perſeuerare non poſſit ſerua ab eodem reſilire *Gloſa in c. ſi quis ingenuus verbo faciat 29. q. 2.*, *& c. fin. de coniug. ſeruorum in fin. Riccardus in 4. diſt. 36. art. 3. q. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 3. in initio Angelus verb. matrimonium 3. impedim 4. num. 13. Nauarrus in ſumma c. 22. num. 33. Henriquez, lib. 11. de matrimon. c. 10. num. 5.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia ipſa ancilla contrahens cum ingenuo liberum conſenſum præbuit, licet ſciret alterum cognito errore poſſe à contractu recedere, & ipſa quantum potuit voluit non ſolum obligari, ſed etiam alterum obligare, ergo cognita per ingenuum errore ſi hic voluerit eo non obſtante in coniugio permanere non poterit illa ab eodem reſilire, cum contractus non obliget ex parte decepti non vero ex parte deceptoris.

Serua abſolutum conſenſum præſtitit.

Secundo, quia iura deceptis non deceptoribus ſubueniunt per textum *in l. 2. §. verba ff. ad Senatus conſul. Velleian.*, *& in c. cum vniuerſorum de rer. permut.*, ergo ingenuo innocenti fauere debent, non ancillæ noxiæ vtpote, quæ eundem ingenuum decepit non detegendo vitium ſeruilis conditionis. Accedit, quod malitia non debet patrocinari proprio auctori per vulgatiſſima iura, & quod in vnius odium inductum eſt non debet in ipſius fauorem retorqueri; malitia autem patrocinaretur auctori ſuo, & odium delinquentis in fauorem retorqueretur ſi innocente perſeuerare volente in contractu poſſet noxius ab eodem deſiſtere.

Iura deceptis non deceptoribus ſubueniunt

Tertio ex textu *in c. 1. de eo, qui duxit in matrimonium*, vbi deciditur, quod qui fæminam decepit ignaram matrimonij conſiſtentis inter deceptorem, & aliam fæminam adhuc ſuperſtitem ipſam ducendo perſeuerante eodem matrimonio non poſſit à contractu ſecundo recedere ſi mortua prima coniuge ſecunda velit non ſeparari, & hoc ſub ea ratione, ne deceptor ex dolo commodum reportet, ergo etiam &c.

Hic ſuboritur immediate difficultas, an ſerua, quæ ingenuum decepit non detegendo qualitatem conditionis ſeruilis propriæ volente eodem ingenuo perſeuerare in matrimonio cognito errore teneatur ſtare contractui ex ſe antequam ab eccleſia compellatur ad permanendum in eodem, an vero poſſit expectare compulſionem eiuſdem Eccleſiæ. Sanchez *de matrimon. lib. 4. diſp. 15. num. 5.* licet loquatur in diuerſis terminis contractus initi ob metum, ob quem nullus ſupponitur, & paritate tamen rationis poteſt trahi ad ſenſum præſentis difficultatis, ſentit ancillam decipientem in foro conſcientiæ non teneri perſiſtere in illo matrimonio donec per Iudicem condemnetur; & hoc in proprijs terminis ancillæ decipientis, & ingenui decepti docent *Sotus in 4. diſt. 39. q. vnica art. 2. ante ſolutionem ad primum §. poſtremum dubium eſt Angles Floribus pr. part. materia de matrimon. q. 10. de errore conditionis ſeruilis art. 2. dub. 1 concl. 4 Bartolomeus à Ledeſma dub. 31. concl. 3. ad fin. Scotus in 4. diſt. 34. q. vnica verſ. reſpondeo ſi mulier* quorum omnium eam rationem eſſe exiſtimo, quia quod teneatur perſiſtere ancilla ingenuo ſic expoſcente eſt in pænam delicti deceptionis; Nemo autem tenetur pænam ſubire antequam ad illum per Iudicem compellatur. Addunt, quod iura fauentia ingenuis in hoc genere expreſſè aſſerunt ancillam compellendam eſſe ſtare contractui; compulſio autem videtur exigere Iudicis ſententiam. Nihilominus ſentiendum exiſtimo in foro conſcientię etiam ante Iudicis ſententiam teneri perſiſtere in contractu ad exigentiam alterius ingenui innocentis, & decepti. *Gloſa in d. c. ſi quis ingenuus 29. q. 2. Riccardus in 4. diſt. 36. art. 3. q. 1.*, & in ſimilibus terminis idem ſentit *Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 352. verſ. Ego probabilius.* Ratio ex eo deducitur, quia iura id non ſtatuunt præciſè in pænam, quamuis pæna re vera ſit, ſed id exigente naturali æquitate, & bono communi, & per conſequens non exigunt ſententiam Iudicis; per quod reſpondetur primæ aduerſantium rationi. Ad id, quod ſubditur dici compellendam eſſe ancillam dico hoc ſtatui, non quia hoc nõ exigat natura contractus, ſed quia ſi renuat contra omne iuris dictamen ſit officio Iudicis compellendus ad ſtandum contractui.

Sententia aſſerens ſeruam non teneri perſiſtere in matrimonio, niſi per Iudicem compellatur.

8 Ante Iudicis ſententiam ingenuo exigẽte tenetur in matrimonio perſiſtere.

Aſſertio VII. Si ingenuus contraxerit ignoranter matrimonium cum ancilla, & poſtea copulam habuerit cum eadem iam manumiſſa ignarus manumiſſionis non cenſetur ratificare matrimonium, ſi vero contraxerit ignorantèr matrimoniũ cum ancilla, & cognito poſtea errore conditionis ſeruilis eandem carnaliter cognouerit præſumptiue intelligitur illud ratificare. Ita quoad primam partem *Scotus in 4. diſt. 35. q. vnica §. reſpondeo primus conſenſus Abulenſis primo Regum 8. q. 38.* Hen-

9 Contracto matrimono ignoranter cum ancilla ſi cõiux cum eadem manumiſſa ignarus copulã habuerit non cenſetur ratificare matrimonium.

Digitized by Google

*Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 3. num 6. Gloſa in c. fin. de coniug ſeruor. in fin., & c. ſi quis ingenuus verſ. faciat 29. q. 2. Silueſter verb matrimonium 8. q. 2. d. 2. Adrianus in 4. materia de ſponſalib. dub 13. verſ praterea 3. principaliter VeraCrux tertia parte ſpeculi art. 12. concl. 1. in fine.* Quoad ſecundam *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 36. num. 1. Coninchus diſp. 31. dub. 2. num. 25. Gutierez de matrim. c. 90. nu. 9. Bonacina de matrimon. q. 3 punct. 3. nu. 5.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia matrimonium illud initum inter ingenuum ignorantem conditionem ſeruilem alterius, & ancillam eſt in ſua radice irritum, & inualidum, ergo non reualidatur per ſubſequentem copulam habitam perſeuerante eadem ignorantia; Neque dicas, quod tunc quando ſubſequens habetur copula non ſit amplius conditio ſeruilis, cum per manumiſſionem intelligatur ſublata; contra enim impugnaberis, quia quantumvis fuerit ſublata, perſeuerante tamen ignorantia, & conditionis illius ſeruilis, & manumiſſionis ingenuus accedit ad eandem ancillam in virtute conſenſus antecedenter eliciti in celebratione contractus, qui, cum inualidus fuerit, non poteſt conualeſcere ex ſubſequenti actu copulæ, cum hic ſolum referatur ad priorem conſenſum inualidum.

10 *Si cognita ſeruitute illã cognoſcat cẽſetur ratificare.*

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod *in c. 2., & in cap. fin. de coniug. ſeruor.* dicitur conualidari matrimonium ſi cognita ſeruitute ingenuus verbo, vel facto de nouo conſentiat, ſed per illam copulam ſubſequentem ad cognitionem conditionis ſeruilis, habitamque ſpontanea voluntate eiuſdem ingenui præſumptiuè facto ponitur nouus conſenſus, ergo non eſt cur illud matrimonium non conualidetur. Neque dicas illum acceſſum etiam ſubſequenter ad cognitionem conditionis ſeruilis ſecundum ſe indifferentem eſſe, vel vt coniugatur cum affectu coniugali, vel cum animo fornicario; cur igitur potius pro animo, & affectu coniugali præſumitur? Contra enim impugnaberis, quia fateor quidem, quod ille acceſſus poſſit indifferenter, & ſecundum ſe cum vno, vel altero ex illis affectibus coniũgi, & ſi de facto coniũgatur cum affectu fornicario non reualidet prius matrimonium irritum ex errore conditionis ſeruilis, nego tamen, quod non inducat vehementem præſumptionem pro affectu maritali; tum quia Eccleſia ſemper præſumit pro negatione peccati, & quando duo mala concurrunt ſemper pro minori; tum quia antiquitus ſponſalia per copulam ſubſequentem inter ſponſos tranſibant in matrimonium, & hoc non alia ratione niſi, quia Eccleſia non poterat præſumere pro actu fornicario; tum quia ſi ingenuus cognito errore conditionis ſeruilis noluiſſet ſtare contractui non potuiſſet actus per quos potuiſſet compelli ad perſeuerandum in eodem contractu.

*Eccleſia præſumit pro negatione peccati.*

Hic oritur difficultas, an in ſuppoſitione, qua per illam copulam ſubſequentem ad cognitionem conditionis ſeruilis ratificetur, ſeu conualidetur prius matrimonium initum inter ingenuum, & ancillam requiratur, quod eadem copula habeatur coram Parocho, & teſtibus, an vero ſufficiat, quod clam habeatur per eoſdem contrahentes. Cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim inualiditas matrimonij contracti inter eoſdem erat publica, quantumvis ignorata ab eodem ingenuo, vel erat occulta; ſi publica probabilius exiſtimo nouum conſenſum, vel verbis, vel facto ponendum eſſe coram Parocho, & teſtibus ad reualidandum contractum; ſi occulta, ſentio ſufficere nouũ conſenſum, vel facto, vel dicto clam exhibitum per ipſos contrahentes inter ſe. Primam partem ſuſtinent quotquot dicunt matrimonium initum coram Parocho, & teſtibus inualidum ex aliquo impedimento ſublato impedimento repetendum eſſe coram eiſdem Parocho, & teſtibus; atque hi ſunt *Nauarrus lib. 4. conſil. in pr. edit. tit. 1. de ſponſalib. conſ. 11., & in 2. edit. tit. de deſponſat. impub. conſ. 3. Gutierez qq. canon. lib. 1. c. 18. num. 7., & 8. Palatios in 4. diſt. 27. q. 1. in fin.* Secundam partem ſuſtinent *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 3. num. 6. Petrus de Ledeſma de matrimon q. 45. art 5. dub penult. vbi aſſerit ſic declaraſſe Cardinales Concilij interpretes Philiarchus de offic. ſacerd. tom. pr. part. 2. lib. 2. c. 13.* Prima pars facile ex eo euincitur primo, quia publice conſtat matrimoniũ illud fuiſſe abſolutè inualidum, ac perinde, ac ſi non fuerit initum, ergo coram Eccleſia debet iterum reſtaurari; nõ enim prior illa aſſiſtentia præſtita, quando contractus inualidè celebratus eſt poteſt prodeſſe, quandoquidem adiecta fuit contractui, qui, nec in ſe ipſo, nec in communi hominum appræhenſione erat validus. Secundo, quia per illã priorem aſſiſtentiam præſtitam contractui illi notorie inualido non ſaluatur finis Concilij præcipientis, ſub pæna irritationis, ſeu inualiditatis contractus illam aſſiſtentiam, ſiquidem concilium voluit occurrere malis, quæ crebro occurrunt ex nuptijs clandeſtinis intendẽs, quod matrimonium ſemel initum in faciem Eccleſiæ non poſſit ex partium libertate diſſolui, cum diſſolutioni poſſet opponere, quod matrimonium factum fuerit coram Eccleſia ipſa; ſed hic concilij finis militare non poteſt, quando matrimonium eſt notoriè nullum, quandoquidem tunc non obſtante illa celebratione in facie Eccleſiæ poteſt diſſolui, ergo &c.

11 *Si inualiditas matrimonij ex defectu libertatis fuerit nota ratificatio faciẽda eſt coram Parocho, & teſtibus ſecus ſi occulta.*

*Rationes euincentes ponendam eſſe ratificationem coram Parocho, & teſtibus, quando inualiditas fuit notoria.*

Tertio,

Tertio, quia cum illud matrimonium eſſet notorie nullum ſemper haberetur pro tali niſi in faciem Eccleſiæ reualidaretur. Secunda pars ex eo euincitur, quia quantumvis illud matrimonium, ſic initum ſit ex ſe inualidum non eſt tamen inualidum in facie Eccleſiæ, ſicque ſecundum ſolemnitates extrinſecas perſeuerat in eſſe, ergo ſufficienter reualidatur ſi contrahentes cognito errore nouum conſenſum, vel facto, vel dicto ſibi adinuicem exhibeant, quandoquidem tunc ſunt omnia requiſita, tam ex diſpoſitione iuris antiqui, quam ex diſpoſitione noui Tridentini ad validitatem contractus; eſt etenim mutuus conſenſus vtriuſq; habilitas contrahentiũ, quandoquidem, vt infra videbimus non ipſa ſeruitus quomodocunque irritat matrimonium, ſed eadem, vt ignorata ab ingenuo contrahente; ſunt item omnes ſolemnitates à iure requiſitæ, quæ in facie Eccleſiæ validæ ſunt, & moraliter perſeuerant, ergo &c. Confirmatur primo, quia ſi quis contrahat matrimonium per verba de præſenti in faciem Eccleſiæ, ſed cum fictione non indiget reuocata per actum verum etiam internum fictione iterum contrahere in faciem Eccleſiæ hoc eſt coram Parocho, & teſtibus non alia ratione niſi, quia ſolemnitates iuris adhuc moraliter perſeuerant, ergo etiam &c. Confirmatur ſecundo, quia ratio finalis intenta in illo decreto Tridentini irritantis matrimonia clandeſtina non ſe extendit ad caſum de quo loquimur, ſiquidem finis ille fuit, vt conſtat ex proemio dicti Trident., ne ex matrimonijs clam cum vna initis contingat, vt ea derelinquatur, & ad aliud publicum matrimonium fiat tranſitus, cui malo non poſſet Eccleſia occurrere, cum eidem de priori matrimonio non conſtaret; ſed hic finis non ſe extendit ad caſum de quo loquimur, ſiquidem cum matrimonium illud primum inter ingenuum, & ancillam fuerit celebratum in facie Eccleſiæ coram Parocho, & teſtibus, & coram eadem Eccleſia ſit validum, cum impedimentum illud ſupponatur occultum, vtique Eccleſia eidem ingenuo volenti ad aliud matrimonium tranſire poſſet occurrere excipiendo de priori matrimonio publicè coram ſe contracto, ergo &c.

Rationes euincentes non eſſe coram eiſdẽ ponendam quando inualiditas fuit occulta.

12 Cohabitatio decẽnalis cũ tali errore non reualidat matrimonium niſi præſcripta libertate, & cognita inualiditate ponatur nouus conſenſus.

Aſſertio VIII. Cohabitatio decennalis, ſeu permanentia in coniugio ingenui cum ancilla per decennium cum errore conditionis ſeruilis nõ reualidat matrimonium niſi præſcripta legitimè libertate, & cognita priori inualiditate ponatur nouus conſenſus. Conſentit *Paludanus in 4. diſt. 36. q 1. art. 2. num. 15. Palacios in 4. diſt. 36 diſp. unica col. 5. verſ. porro quidquid Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp 19 nu. 6.* Pro clariori notitia aſſertionis nota primo eandem procedere in ſuppoſitione, quod ſeruus, vel ſerua per illud decennium ſe geſſerit, vt liberum, vel liberam nullo penitus contradicente. Secundo per decennium libertatem præſcribi, quin immo etiam per quinquennium *Gloſa in c penult de coniug. ſeruor. ibi verbo decennio per textum in l. 1., & l. ſi Pater C. ne de ſtatu defunct.* Tertio in foro externo præſumi per illam cohabitationem decennalem præſumi pro conualidatione, eo quia præſumatur de nouo conſenſu elicito, ſeù de copulis habitis poſt præſcriptionem affectu coniugali.

Libertas per decennium quin immo per quinquennium præſcribitur.

Probatur iam aſſertio, quia matrimonium illud in ſua radice fuit inualidum, ergo non poteſt conualidari per illam decennalem permanentiam niſi poſt legitimam præſcriptionem nouus conſenſus poſitus fuerit dicto, vel facto. Conſequentia probatur, quia illa cohabitatio, ſine nouo actu poſt adeptam legitimè libertatem eſt in vigore prioris contractus inualidè initi, eidemque adijcitur, ergo eiuſdem conditionis debet eſſe, cuius eſt prior actus cui adijcitur, & in virtute cuius adijcitur adeoque ſicuti ille eſt nullus, & nulla quoad effectum reualidandi debet eſſe illa permanentia. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt de ſeruo manumiſſo, cum quo ſi ingenuus poſt manumiſſionẽ ignoratam copulam habuerit non intelligitur conualidare prius matrimonium inualidum non niſi, quia illa copula ſubſequens ſit in virtute prioris contractus inualidi, ergo etiam ſi ingenuus perſeuerauerit per decennium in matrimonio cum Ancilla non propterea intelligitur conualidare idem matrimonium, niſi poſt acquiſitam libertatem legitima præſcriptione nouum conſenſum elicuerit, quandoquidem cohabitatio diutina, & copula ſubſequens æquè inducunt præſumptionem conſenſus; ſi igitur copula ſubſequens non ſufficit niſi ſit cum nouo conſenſu poſt poſitã manumiſſionem, nec illa cohabitatio videtur ſufficere, niſi ſit cum nouo actu, & cognitione præſcriptionis poſt eandem legitimè adeptam.

Matrimonium illud fuit in radice inualidũ.

13 Conditio ſeruilis cognita ab altero cõtrahente non inualidat cõtractum

Aſſertio IX. Conditio ſeruilis in altero contrahente ſi fuerit cognita ab ingenuo, ſeu libero ante, vel in celebratione contractus matrimonialis illum non irritat *Ioannes Andreas c. 1. num. 3. de coniug ſeruor., & ibi Hoſtienſis in verb. inter ſeruos Angelus verb. matrimonium 3, impedim. 4. num. 15. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 2. dict. 2. Sotus in 4. diſt. 35. q. unica art. 1 col. 3. verſ contrahant.*

Expreſſè euincitur ex textu *in c. 2. de coniug. ſeruor., & c. ſi quis liber 29 q. 2., & c. ſi quis ingenuus ead. cauſ, & q.* Neque obſtare poteſt textus *in l cum ancillis C. de inceſtis nupt.*, vbi reprobatur matrimoniũ liberi cum ancilla; Non, inquam obſtare poteſt, quia quidquid definiat allegatus

textus

Digitized by Google

textus certum eſt, vel correctum eſſe per allegata iura iuris canonici, vel ſaltem iura canonica eidem præualere.

Ratio aſſertionis, & huiuſmodi iurium canonicorum ea eſt, quià huiuſmodi ſeruitus ſecundum ſe non abſolutè aduerſatur bonis matrimonij, ſed ad ſummum ſecundum quid, & huiuſmodi bonis ſecundum quid ſalua in reliquis ſubſtantia matrimonij poſſunt contrahentes libere cedere, ergò &c. Antecedens probatur, quià bona matrimonij potiſſimum ſunt bonum fidei, bonum prolis, & bonum ſacramenti; huiuſmodi autem bonis ſeruitus abſolutè non aduerſatur, quandòquidem bonum fidei abſolutè appellat ius, & onus petendi, & reddendi debitum, quod non adſtringit ad ſemper, & vbique debitum reddendum, ſed quoties legitimum impedimentum non obſtiterit, ſicque non obligat, quando Dominus legitimè impedit, quinimmò nec dominus poteſt impedire iuſtum, & legitimum matrimonij vſum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Dominus non obſtante matrimonio poſſit ſeruum in longinquas regiones dimittere, ibique diuendere, ob quod poteſt impediri abſolutè ab vſu coniugij, quod certè præuideri potuit à contrahentibus ante contractum; Non, inquam, obeſſe poteſt primò quià huic incommodo obuiare poſſent contrahentes, ſi ſcilicet liber comitetur ſeruum quocunque contingeret ire. Secundò, quià talis venditio conſequitur ad matrimonium iam contractum, vndè impedimentum vſus eſſet ſuperueniens non præcedens, eo modo quo proſcriptio, ſeù exilium proueniens ex delicto commiſſo ante matrimonium initum, & fortè etiam damnatio ad triremes eſt etiam quid conſequens, quæ quantumvis fuerint præuiſa ante matrimonium ſicuti illud non irritant, ità nec irritat illa venditio ſubſequens, quamvis fuerit præuiſa, vt poſſibiis ante idem matrimonium. Tandem, quià vel Dominus conſenſit matrimonio ſerui, vel non conſenſit; ſi primum; iam conſenſit omnibus, quæ ex natura eiuſdem matrimonij conſequantur, adeoque etiam vſui ipſius, quem propterea impedire non poteſt eundem vendendo in longinquis regionibus, ſi ingenua illum comitari non poſſit; ſi ſecundum; etiam docent *D. Thomas in addit. ad tertiam partem q 5. art. 2. Sotus in 4 diſt 35. q. vnica art. 4. Rebellus lib 3. q. 3. ſect. 2. num. 10.* non poſſe dominum ſine noxa læthali ſeruum in longinquas regiones diuendere, quando alter coniux non poteſt illum ſequi, quià ſicuti Domino peccant poſitiuè impediendo matrimonium ſeruorum eo, quod faciant contra ius illis à natura ſuditum, ità etiam peccant poſt contractum impediendo perpetuo illius vſum. Porro bonum prolis præcipuè appellat generationem eiuſdem, quæ vtique non impeditur per alterius ſeruitutem, quæ ſecundum ſe non impedit vſum matrimonij ad quodcunque tempus, ſed ſolummodò pro tempore pro quo commodè non poteſt, vel debet obſequia Domino præſtare; nec ſeruus tenetur prolem alere niſi iuxtà propriam conditionem, & ſicuti pauper re, & ſpe non impeditur matrimonium contrahere, quantumvis non poſſit commodè prolem alere, nec ei patrimonium relinquere, ità &c. Tandem bonum ſacramenti reſpicit indiſſolubilitatem contractus, quæ vtique ſeruatur in coniugijs ſeruorum, qui durante priori matrimonio iam inito non poſſunt ſolui à vinculo coniugali, nec alteri nubere.

Huiuſmodi ſeruitus ſecundum ſe non aduerſatur abſolutè bonis matrimonij, ſed ad ſummum ſecundum quid.

14 Sententia aſſerens Dominum vendere non poſſe ſeruum conjugatũ in longinquas regiones.

Aſſertio X. Probabilius eſt errorem conditionis ſeruilis non irritare de iure naturæ matrimonium initum inter liberum, & ancillam, vel inter liberam, & ſeruum, ſed tantum de iure Eccleſiaſtico *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. ad tertium, Maior in 4. diſt. 30. q. 1. in probatione primæ concl. Paludanus in 4. diſt. 30. q 1. art. 2. nu. 6. Sotus in 4 diſt. 35 q. vnica art. 2. poſt primam concluſionem verſ. dubium autem eſt, Ouandus in 4. diſt. 30. q. vnica propoſ. 3. in fin. Henriquez lib. 11. de matrimon c. 10. nu. 3. Veracrux prima part. ſpeculi art. 29. paulo poſt princip. concl. prima.* 15

15 Non irritat de iure naturæ, ſed tantum Eccleſiaſtico.

Ratio ex eo deducitur primo, quià ſeruitus de ſui natura non impedit omnino vſum coniugij, ſed tantum quando legitimum impedimentum obeſt, ſeù quando iuſtè, & rationi conſentaneà dominus occupat ſeruum in ſuis obſequijs, qua ratione diximus ſuperius, ſi fuerit cognita nullo modo irritare matrimonium, ergò error eiuſdem non irritat de iure naturæ matrimonium. Conſequentia patet, quià error quoad ea, quæ non obſtant abſolutè, & ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid non irritat ex natura ſua, nec ex iure naturæ contractum circa quem verſatur, cæteroqui nedum error eorum, ſed nec ipſa ſecundum ſe poſſent compati cum valore contractus; cum igitur ſeruitus ſecundum ſe compatiatur cum valore matrimonij, cum non aduerſetur ſubſtantiæ eiuſdem, nec vſui ſimpliciter, ſed ad ſummum ſecundum quid, non eſt, cur attenta præcisè natura rei, & præciſo quocunque iure poſitiuo non poſſit etiam compati error eiuſdem, & ſicuti, quià qualitas, vel nobilitatis, vel virginitatis non obſtat ſubſtantiæ matrimonij error eiuſdem non irritat ipſum, nec de iure naturæ, nec de iure poſitiuo, cum nullus ſit aſſignabilis textus ipſum Irritans, ità quià ſeruitus non obſtat ſubſtantiæ, nec vſui ſimpliciter matrimonij, ita

Seruitus non impedit abſolutè vſum coniugij.

Digitized by Google

ſta error eiuſdem non irritat ex natura ſua idem matrimonium, ſed tantum de iure poſitiuo, cum circa talem errorem emanarit irritatio.

Dices primò *ex D. Thoma in 4. diſt.* 30. *q.* 1. *art.* 1. *in corpore*, error conditionis ſeruilis æquiparatur errori perſonæ non alia ratione niſi, quià vterque aufert conſenſum, ſed error perſonæ irritat de iure naturæ matrimonium, ergò etiam error conditionis ſeruilis irritat de iure naturæ. Sed contra dico comparationem, quam efficit D. Thomas non eſſe rigoroſam, & ſecundum omnia, ſed latam, & ſecundum aliqua tantum, & ſeruata proportione, quæ conſiſtit in hoc, quod ſicuti error perſonæ tollit conſenſum quoad ſubſtantiam, ità error conditionis ſeruilis non compatiatur cum conſenſu ad eandem conditionem, non verò cum conſenſu ad ſubſtantiam; cæterum ex genere ſuo error conditionis ſeruilis cum non aduerſetur ſubſtantiæ matrimonij, compatitur cum conſenſu ad ſubſtantiam adeoque ex natura ſua non irritat ſubſtantiam contractus, quià verò talis error conditionis conſtituit inuoluntarium ſecundum quid ideo ex iure Eccleſiaſtico, quod vult contractum matrimonialem abſolutè liberum, & voluntarium, irritat.

*Error ſeruitutis non æquiparatur ſecundum omnia errori perſonæ.*

Dices ſecundò metus cadens in conſtantem virum non ſolum de iure Eccleſiaſtico irritat matrimonium, ſed etiam de iure naturæ per ea, quæ diximus *tom.* 5. *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I prænot.* 5. *ſect.* 5. *n.* 1., & tamen non conſtituit inuoluntarium ſimplicitèr, ſed tantum ſecundum quid, ergò quantumvis etiam error conditions ſeruilis non conſtituat inuoluntarium ſimplicitèr, ſed tantum ſecundum quid, etiam de iure naturæ irritabit matrimonium. Sed contra non currit eadem paritas de metu cadente in conſtantem virum, ac de errore conditionis ſeruilis, quandòquidem metus cadens in conſtantem virum ſupponitur cadere ſupra ipſam ſubſtantiam contractus, quæ ex natura ſua exigit eſſe plenè voluntariè volita, error autem conditionis ſeruilis non cadit ſupra ipſam ſubſtantiam, ſed ſupra qualitatem, quæ non attingit ſimplicitèr ſubſtantiam, ſed reſpicit præcisè vſum non impediendo illum ſimplicitèr, ſed tantum quando adeſt legitimum impedimentum ex parte domini, cui debet impendere obſequium, adeoque non eſt, cur ex natura ſua debeat ipſum contractum irritare.

*Diſpar ratio de errore ſeruitutis, ac de metu cadente in conſtantē virum.*

Ratio ex eo deduci poteſt ſecundò, quod intantum error conditionis ſeruilis irritaret de iure naturæ matrimonium in quantum impediret liberum vſum eiuſdem matrimonij, ſed hæc ratio non facit matrimonium irritum de iure naturæ, ergò &c. Minor probatur, quià lepra perpetua, & morbus diuturnus plus impedit matrimonij vſum, quam conditio ſeruilis, & tamen lepra, nec morbus diuturnus irritat de iure naturæ matrimonium, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergò etiam &c. Aduerto tamen, quod quantumvis irritatio ob errorem conditionis ſeruilis non ſit de iure naturæ ſit tamen valdè conforme æquitati naturali, quod per ius poſitiuum inducatur talis irritatio, vnde dici poteſt, quod ius poſitiuum conformitèr ad æquitatem naturalem induxerit tale impedimentum.

Quod autem ius poſitiuum irritet huiuſmodi contractum initum cum errore conditionis ſeruilis euincitur ex textu *in c.* 2. *de coniug. ſeru.*, *&* *c. ſi quis liber* 29. *q.* 2, *&* *c. ſi quis ingenuus ead. cauſa*, *& q.* Neque dicas per huiuſmodi textus nihil euinci, cum præcipuè textus *in c. ſi quis liber*, qui eſt Zachariæ Pontificis, ſolum determinet, quod matrimonium initum inter liberum, & ancillam cognita ſeruitute non ſit irritum aduerſus textum ciuilem *in l. cum ancillis C. de inceſtis nuptijs*, cæterum de matrimonio inito cum errore conditionis ſeruilis nil determinat, ſed tantum ſupponit eſſe irritum, & cum alius textus præcedens canonicus non ſit, qui irritet, vtique euincitur Pontificem ſupponere irritari de iure naturæ; contra enim impugnaberis, quià quamuis re vera illi textus non habeant formam ſtatutorum, ex eo tamen, quod ſupponant talem irritationem, ſeù inualiditatem, quæ ex allegatis rationibus non eſt de iure naturæ videntur firmare Eccleſiæ praxim iam communitèr receptam, & traditione doctorum confirmatam, quæ habet vim legis irritantis. Dici etiam poteſt cum *Sanchez lib.* 4 *de matrimonio diſp.* 14. *nu.* 4. *in ſolut. ad primum*, forſan extitiſſe tale ius Eccleſiaſticum poſitiuum irritans huiuſmodi matrimonia in ſcriptis, ſed ſcripturam periſſe in contigit in alijs pleriſque.

*Iura poſitiua per quæ inducitur tale impedimētum.*

Aſſertio XI. Matrimonium contractum cum errore conditionis non eſt inualidum, quando erratur in pari, aut digniori conditione *Gofredus in ſumma tit. de coniug. ſeruorum nu.* 6., *&* 7. *Hoſtienſis in ſumma eod. tit. n.* 9. *Albericus in ſuo diction. lit. I verb. impedimentum* 3. *in fin. Brunellus de ſponſalib. concl.* 32. *caſ.* 1., *&* 2. *Nauarrus in ſumma c.* 22, *n.* 33. *D. Bonauentura in* 4. *diſt.* 30. *art.* 1. *q.* 2. *Scotus in* 4. *diſt.* 36. *q.* 1. *in fin. corporis*, *Toletus lib.* 7 *ſumma c.* 3. *n.* 4. *propoſ.* 2. 16

*Non eſt inualidum, quandò erratur in pari, vel digniori conditione*

Ratio ex eo deducitur, quià Eccleſia per quam inductum eſt hoc impedimentum conſulere voluit indemnitati errantis ne ſcilicet ducat ancillam, ſi fuerit maſculus liber, vel ſeruum, ſi fœmina fuerit

Libe-

Digitized by Google

libera, ſeù ingenua ex errore, ſed nullum poteſt eſse damnum, ſi perſona, cum qua contrahit, & circa quam errat, non fuerit deterioris, ſed potius melioris conditionis, ergò &c. Confirmatur ex diſpoſitione iuris canonici *in c. ſi quis, & c. ad noſtram de coniug. ſeruor.*, ergò &c.

17 *Seruus contrahens cũ libera, quã ancillam reputat, validè contrahit.*

Hinc in particulari deduces primo, quod, ſi ſeruus contrahat cum ancilla, quam credebat liberam, validè contraheret, quià eius conditio non deterior conſtituitur, *Sanchez lib. 7 diſp. 19 n. 23. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 54. art. 2. Coninchus diſp. 31. dub. 2. n. 24. Gutierez de matrimon. c. 90. n. 27.*

18 *Liber contrahens cũ libera, quã ancillam reputat validè contrahit.*

Inferes ſecundò, quod, ſi liber contrahat cum libera, quam exiſtimabat eſse ancillam, validè contrahat non ſolum, quià contrahendo cum cognitione ancillę intelligitur cedere iuri ſuo, & ſeruitus, quantumvis re vera exiſtens cognita non dirimit, quod à fortiori verificatur, ſi fuerit tantum aprehenſa, non verè exiſtens per ſuperius dicta; ſed etiam quià per tale matrimonium non redditur deterior ipſius liberi contrahentis conditio. *Antonius Cucus lib. 4 inſtit. maior. tit. 12. n. 52. Tabiena verb. impedimentum primo num. 1. Ouandus in 4. diſt. 30. q. vnica prop. 3.*

19 *Seruus contrahens cũ libera, quã ſeruã putabat, quantum eſt ex parte ſui, validè contrahit.*

Inferes tertio, quod, ſi ſeruus contrahat cũ libera, quam exiſtimabat eſſe ſeruam, quantum eſt ex parte ſui, valide cõtrahat, quia per hoc non deterior conſtituitur ipſius conditio, ſed potius perfectior, vt ex ſe patet. Dixi *quantum eſt ex parte ſui*; non enim negauerim, quod ſi alter, qui eſt liber, quantumvis reputaretur ab alio pro ſeruo, contraheret cum ipſo cum ignorantia conditionis ſeruilis eſſet inualidum matrimonium, quandoquidem ea omnia interuenirent, quæ requiruntur ad inducendum impedimentum dirimens, & in hac hypotheſi militat expreſſe ratio finalis Eccleſiæ irritantis *Sanchez d. lib. 7. diſp. 19. nu. 23.*

20 *Quomodo ſerua contrahendo cum libero fiat libera.*

Hic ſuboritur difficultas, an ſi liber cõtrahat cum ſerua, quæ contrahendo fit libera, valide contrahat, an inualidè. Pro notitia aduerte, quod ſi Dominus ſeruum, vel ſeruam collocet in matrimonium cũ perſona libera ignara ſeruitutis, nec eam detegat, eo ipſo ipſum, ſeu ipſam liberet à ſeruitute *auth. ad hoc C. de latina libert.*, vbi ſic legitur. *Qui ſuam ancillam credenti tradidit in matrimonium tanquam liberam, ſiue concesſerit dotale inſtrumentum, ſiue non, aut ſciens eam duci, tacuit ex ſtudio, dominium eius amittit, eaque ad ingenuitatem rapitur; idem dicitur de ſeruo*; nec ad hoc requiritur dolus in domino tradente ſeruum, vel ſeruam nuptijs alteri ignoranti ſeruitutem *auth. de nuptijs §. ſi verò decretum verſ. hoc autem decernimus collat. 4.*; quod ſi vterque contrahens fuerit conſcius ſeruitutis, vel

*Non requiritur ad hoc dolus in Domino*

alter liber, non obſtante, quod Dominus ſeruum, vel ſeruam tradat in matrimoniũ eidem libero, vel ſeruo ſcienti, non propterea intelligitur ſeruum, vel ſeruam, quam tradit in matrimonium liberare ab onere ſeruitutis, niſi de hoc expreſſè actum fuerit *Coaruuias 4. decretal. lib. 2. part. 3. §. 7. num. 1. verſ ſecundo VeraCrux pr. part. ſpeculi art. 30. verſ. ſed eſt dubium circa hoc Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 10. num 4 verſ. 4. Molina tom 1. de iuſt. tract. 2. diſp 39. verſ. ſeptimus eſt*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem in hac hypotheſi nullus in libero fuit error, & iura dirimentia matrimonium voluerunt præciſe conſulere indemnitati errantis.

*Non fit libera, quando vterq; eſt cõſcius ſeruitutis.*

Quod ſi ſupponas, quod Dominus non colocet ancillam, vel ſeruum in matrimonium cum libero, vel libera ſeruitutis ignaris, ſed conſcius matrimonij taceat ſeruitutem; tunc crediderim etiam ancillam, vel ſeruum ſic nubentes tacente domino, nec contradicente, nec manifeſtante qualitatem conditionis ſeruilis cõſequi libertatem *Gloſa ſi quis ingenuus verb. facias 29. q. 2. Gofredus in ſumma tit. de coniug. ſeruor. num. 1. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8 tit. 15. art. 2. q 3. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. § 7. num. 1, verſ. 2. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maiorum tit. 12. num. 48 Molina tom pr. de iuſtitia tract. 2. diſp. 39. verſ. ſeptimus eſt*. Ratio non ſolum deducitur ex eo, quod habetur *in auth. ad hoc C. de latina libertate, & auth. de nuptijs col. 4. § ſi vero decretum verſ hoc autem decernimus*, vbi dicitur, quod dominus conſcius matrimonij futuri ſui ſerui, ſeu ancillæ, & non adaperiens conditionem ſeruilem fit reus culpæ, & grauis iniuriæ contrahenti libero illatæ, adeoq; dignus eſt, vt in pœnam priuetur dominio illius mancipij; ſed etiam ex eo, quod videns, & tacens in ijs, quæ ſibi noxia ſint, cum contradicendo poſſit impedire, intelligitur conſentire *Bartolus in l. qui detis num. 13. verb. ſi vero contradicendo ff. ſolut. matrim. Caſtrenſis in l Caius col. 2. ff. de pignorat. act. Alexander in l. ſæpe num. 18. ff. de re iudic.* His ſic pro vberiori notitia ſuppoſitis.

*Sufficit dominus ſi ſciens contractum taceat qualitatem ſeruitutis.*

Ad difficultatem iam propoſitam nunc reſpondeo in ijs omnibus caſibus in quibus ſeruus, vel ancilla contrahendo fit liber, vel libera, liber contrahendo cum ipſo, vel ipſa valide contrahit *Silueſter verb. matrimonium 8. q 2. Emanuel Sa verb. matrimonium de impedimentis matrimon nu. 1. Coninchus diſp. 31. dub 2. nu 4 Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 10. num. 4. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 3 num. 3.* Ratio ex eo deducitur primo, quia in ea hypotheſi non verificatur, quod liber contrahat cũ ancilla, cum eo ipſo, quod contrahit, ancilla eximatur à ſeruitute, & fiat ingenua, ergo non eſt, cur matrimonium debeat 21

*Quando ex contractu ſeruus fit liber contrahendo cum illo validè contrahit.*



Digitized by Google

eſſe inualidum, cum non obſtet impedimentum ſeruitutis dirimens. Confirmatur primo, quia, ſi liber contrahat cum liberta ignorans conditionem præcedentis ſeruitutis valide contrahit *Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2. col. 4. verſ. ad hac Coaruuias in 4. decret. 2. part. c. 3. §. 7. num. 1. verſ. primum Henriquez lib. 11. de matrimonio c 10. nu. 3 in comment lit N. Ludouicus Lopez 2 part. inſtruct. de matrim. c. 47. vbi de impedimento conditionis col* 8., ergo etiã ſi contrahat cum ancilla, quæ per eundem actum contractus redditur libera valide contrahit, quandoquidem parum poteſt officere, quod vel paulo ante, vel in ipſo actu contractus fiat libera; Neque dicas diſparem omnino eſſe rationem de eo, qui contrahit cum liberta, quæ antecedenter ad matrimonium eſt libera, ac de ancilla, quę ſolummodo fit libera per actum contractus, quandoquidem in primo caſu libertas præcedit matrimonium, in ſecundo ſubſequitur, ſicque ſẽper verificatur, quod matrimoniũ ſit initum cum ancilla ignorante libero conditionem ſeruilem; contra enim impugnaberis, quia re vera in primo caſu præcedit, non tamen poteſt dici in ſecundo, quod Phyſicè, & tempore ſubſequatur, ſed ad ſummum natura, quandoquidem per eundem actum, per quem conſtituitur matrimonium, ſoluitur libertas, quod ſatis eſt ad effectum intentum à iure Eccleſiaſtico, per quod inductum eſt hoc impedimentum, vt poſſit valide contrahi matrimoniũ, vt patebit ex nunc ponenda probatione. Confirmatur ſecundo, quia quando ancilla, vel ſeruus contrahendo fit libera, vel liber ceſſant omnes rationes finales, ob quas iura Eccleſiaſtica induxerunt hoc impedimentum conditionis, ergo non eſt, cur contractus ipſe non debeat ſubſiſtere. Antecedens patet, quia ratio finalis talis impedimenti eſt, quia talis conditio aduerſatur bonis matrimonij, quia per illam ſeruus, vel ancilla poteſt ratione ſeruitutis impediri à petendo, vel reddendo debito, à cohabitatione alijſq; ſimilibus, ſed hæc ratio non militat, quando ſeruitus ſoluitur in ipſo actu contractus, vt per ſe patet, ergo &c.

Rationes euincentes intentum.

22 Poſſunt ſerui inuitis Dñis matrimonio copulari.

Aſſertio XII. Poſſunt ſerui inuitis Dominis matrimonio copulari *D. Thomas in 4. diſt 36 q. vnica art. 2. in corpore Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 21. num. 3. Gutierez de matrimon. c. 92. Bonacina q. 3. punct. 3. num 7.* Expreſſè colligitur *ex c. 1. de coniug. ſeru.*

Ius contrahendi eſt naturale, & quomodo.

Ratio ex eo deducitur, quia ius contrahendi matrimonium eſt naturale, & diuinum conceſſum homini ad ſpeciei conſeruationem, & hoc ius eſt potius commune ipſi naturæ ad conſeruationem, & propagationem ipſius, quam priuatum reſpectu cuiuslibet indiuidui, ergo per nullum ius poſitiuum poteſt homo eodem iure priuari, adeoque, nec per ius gentium, per quod inducta eſt ſeruitus.

Dices primo, homo poteſt ſe ipſum priuare iure ad matrimonium contrahendũ per legem, quam ſibi conſtituit per votũ, vel per aliquod aliud vinculum non obſtante, quod ius illud ſit naturale, & diuinum, ergo etiam poterit priuari per aliquod ius poſitiuum commune, & iuris gentium ex aliqua cauſa, ſeu iure alteri competente, potiſſimum cum ius illud naturale, & diuinum non ſit ius ſtrictum, & obligans, ſed ius latum, & præciſe permittens. Sed contra, quia ius illud naturale, & diuinum reſpectu poſſidentis eſt facultatiuum, vt præfertur in inſtantia, qui propterea poteſt ratione maioris perfectioris per votum caſtitatis, quo Deo ſe aſtringit, eodem ſe priuare; at non eſt facultatiuum reſpectu exterioris poteſtatis, cum ſit conceſſum ob bonum publicũ in remedium concupiſcentiæ ad euitandas fornicationes, & alia carnis flagitia, & ad bonum naturæ ob eius ſcilicet propagationẽ, ſicque non poteſt per ius gentium, vel aliud poſitiuum auferri.

Ius naturale hoc eſt facultatiuũ reſpectu poſſidẽtis, non reſpectu exterioris poteſtatis.

Dices ſecundo. Non omnis, qui tenetur conſeruare indiuiduum, tenetur ſpeciem multiplicare, ergo per ius poſitiuum poterit, quis à iure matrimonij, & multiplicandi ſpeciem impediri, ſiquidem non eſt tantum ius, quod quis habet conſeruandi, ſeu propagandi ſpeciem per generationem, quantum habet conſeruandi ſe ipſum per media neceſſaria, adeoque, ſi hoc eſt naturale, illud non erit tale. Sed contra, quia quamuis fortius obliget ius ſe ipſum conſeruandi per media neceſſaria, puta per commeſtionem, ſomnum, ac ius cõſeruandi ſpeciem per generationem, non tollitur tamen, quin quomodocumq; vnuſquiſque ſit ſui iuris, & non ſubdatur alterius imperio, & quod vtrumque ſit in linea iuris naturalis independentis à iure poſitiuo, & propterea &c.

In linea iuris naturalis datur ſtrictius, & minus ſtrictũ vinculũ.

Ex quibus inferes primo grauiter peccare Dominos prohibentes coniugium ſuis mancipijs, vtpotè ledentes ius, quod eiſdem mancipijs competit à natura; vnde merito ſerui ab Eccleſia defenduntur, & proteguntur aduerſus Dominos prohibentes; Non negatur tamen, quin poſſit Dominus aduerſus Ancillam, ſeu ſeruum volentes nubere minitari ſubtractionem eorum commodorum, quæ ex propriæ libertatis arbitrio eiſdem permittebat, ſicuti Pater, qui non poteſt impedire matrimonium filij, poteſt minitari eidem ſubtractionem eorum, quæ poteſt de iure ſubtrahere, ſi nubat contra ipſius Patris voluntatem.

23 Grauiter peccarent Domini prohibẽtes matrimoniũ ſeruis.

Inferes

Digitized by Google

Inferes ſecundo non poſſe Dominum iuſtè punire ſeruum ex eo, quod contra propriam voluntatem nupſerit, quandoquidem vſus eſt iure ſuo, nec vllum delictum commiſit, propter quod pœnam illam mereatur, quæ propterea iniuſtè infligeretur. Sed an læthalitèr peccaret Dominus ſeruum, vel ancillam ſic puniendo, tunc iuxta qualitatem pœnæ inflictæ dubium dirimerem; ſi enim pœna eſſet grauis punietem ſubijcerem graui culpæ, ſi leuis, non niſi veniali. Aduerterem tamen, quod quamuis Dominus non poſſit impedimentum afferre poſitiuum ſeruo, ne contrahat, nec eundem punire ſi contra ipſius voluntatem contraxerit non teneatur tamen conſenſum præbere matrimonio eiuſdem ſerui, ſeù ancillæ; ſi enim poteſt minitari ſubtractionem eorum, quæ pendent à libera voluntate eiuſdem Domini, à fortiori poteſt non præbere conſenſum, maximè ſi ex tali conſenſu ſibi Dominus præiudicet, & damnum eidem impendat. *Palacios in 4. diſt. 30. diſp. vnica dub. 4. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 10. nu. 4. verſ. ſexto.*

Nec poſſit ſeruos punire ex eo, quod nupſerint contra eorum voluntatē.

Hic multiplex oritur ratio dubitandi, quæ venit in conſequentiam præmiſſorum in hac aſſertione. Prima eſt, an ante contractum matrimonium poſſit Dominus certior factus de eodem ineundo per ſuum mancipium, ſeu ſeruum, vel Ancillam eoſdem in longinquas regiones vendendos mittere ad ſe ſeruandum incolumem. Secunda, an poſt contractum matrimonium initum per alterum eorum contra propriam voluntatem Domini poſſit licitè per eundem Dominum in exteris regionibus diuendi. Tertia, an poſt contractum matrimonium teneatur potius ſeruus, vel ancilla coniugatus, ſeu coniugata ſatisfacere Domino, an reſpectiue vxori, vel marito.

Varia dubia circa matrimonia ſeruorū.

24 In ordine ad primam aſſerendum exiſtimo, quod ſi adhuc non ſit data fides per ſeruum de contrahendo matrimonio probabilius poſſit Dominus illum alibi vendendum mittere; ſi vero iam fides data fuerit, & obligata, non poſſit. Ita in vniuerſum *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 21. num. 9.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia Dominus plenum ius habet ſeruum alio mittendi, ibique pro ſua libertate vendendi, nec ex præuio illo tractatu, vbi adhuc fides non fuerit obligata, ipſius Domini poteſtas læditur, aut diminuitur, ergo non eſt cur inculpate illum non poſſit alibi vendere. Antecedens, quoad primam partem non patitur difficultatem, quoad ſecundam ſic euincitur, quia alter cum quo ſeruus contrahere intendit, antequā fides obligetur, ex illo præuio tractatu nullum ius acquiſiuit, nec aduerſus Dominum, nec aduerſus ſeruum, ergo ius eiuſdem Domini non lædit, nec diminuit, quominus ipſum ſeruum, qui eſt ſub ipſius poteſtate poſſit venundare, ſicuti antecedenter ad præuium illum tractatum poterat; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod hoc ſit expreſſè in fraudē, & odium iuris, quod habet à natura ſeruus ad matrimonium, quandoquidem ſi de illo non ageretur Dominus ſeruum non diuenderet; rurſus ſi aſſeratur, quod hoc ſit directè contra ſuperius dicta, nempe Dominum non poſſe impedire matrimonium per ſeruum ineundum, quandoquidem vendendo in longinquis regionibus de facto impediret; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, qui iure ſuo vtitur non poteſt dici fraudem committere *reg. nullus videtur 55. ff. de regul. iur. l. 3. paulo poſt princip. verſ. his tamen ff. de lib. hom. exhib.*, vnde in ſimili docet *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 2. num 10.*, quod ſi quis cuncubinam ex qua progenuit filias in articulo mortis ducat ad effectum filios legitimandi non peccat, quantumvis inde ſequatur excluſio ſubſtituti eo, quia vtatur iure ſuo, nec poteſt dici, quod fraus præiudicium inferat in noſtra hypotheſi ſeruo intendenti nuptias, vel in hypotheſi Coaruuiæ alteri ſubſtituto, quandoquidem non eſt fraus, quæ eidem, ſeu eiſdem præiudicium inferat, ſed ius, quod habet dominus ad ſeruum, & ius, quod habet concubinarius monens legitimandi filios ex concubina progenitos. Minus obeſſe poteſt id, quod ſubditur, quandoquidem hoc non eſt directè impedire matrimonium, ſed tantum, vti iure ſuo, quod habet Dominus vendendi ſeruum ad conſulendum ſuæ incolumitati; vnde quando in ſuperioribus diximus, quod ſeruus poſſit inuito domino nubere, nec dominus poſſit eiuſdem matrimonium impedire, hoc intelligendum eſt per directam oppoſitionem ad finem præcisè impediendi non autem indirectè vtendi iure ſuo, quando in ordine ad aliquem effectum naturalem non remanet dimminutum. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia per ſponſalia iam inita, & fidem iam obligatam alter iam acquiſiuit ius ad contractum futurum matrimonij, quandoquidem iuxta ſuperius dicta ſeruus inuito Domino potuit fidem ſuam obligare, & per conſequens promiſſarius ius acquiſiuit, vt fides adimpleatur etiam inuito domino, cum ſeruus ab eodem in ijs ſit independens; nec obſtat ius præcedens eiuſdem domini titulo ſeruitutis ſibi obligatæ; non obſtat, inquam, quia quamuis ius alterius coniugis, ſeù ſponſi ſit ſubſequens tempore, non eſt tamen ſubſequens iure, quia innititur primæuo iuri naturæ vnicuiq; conceſſo celebrandi ſponſalia, & matrimonium, & celebratis iam ſponſalibus fortius ius naturæ obli-

Dominus poteſt ſeruum agētē de matrimonio contrahendo vendere in longinquas regiones ſi nondum data fuerit fides, ſecus ſi data fuerit.

Qui vtitur iure ſuo nō dicitur fraudem committere.

Nō directè impediret.

obligat ad complendum matrimonium.

25 Contracto matrimonio poteſt Dominus ſeruum vendere in longinquas regiones, ſi alter coniux poſſit ipſum ſequi.

In ordine ad ſecundum exiſtimo contracto iam matrimonio per ſeruum, vel ancillam, ſiuè conſentiente Domino, ſiuè eodem ignorante poſſe eundem ſeruum, vel Ancillam in longinquas etiam partes diuendi per eundem Dominum, ſi alter, vel quià liber eſt, vel manumiſſus poſſit eum ſequi, ſecus verò, ſi alter impeditus non poſſit ipſum comitari. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià non obſtante matrimonij contracto inito per ſeruum, ſiuè conſentiente, ſiuè ignorante, ſeù contradicente domino dominium ſerui non abdicatur à Domino, & poteſt de eo diſponere, vbi abſolutum non ſequitur impedimentum ad vſum matrimonij ipſius, ſed quandò alter, vel liber eſt, vel manumiſſus ex venditione ſerui, vel ancillæ non ſequitur impedimentum ad vſum matrimonij, quandòquidem ipſe liber, vel manumiſſus tenetur ſeruum venditum, vel in longinquas regiones miſſum comitari, quod ſic euincitur. Ipſe liber, quandò contraxit cum ſeruo debuit eſſe conſcius conditionis ſeruilis iſtius, cæteroqui matrimonium fuiſſet inualidum; ex eo autem, quod fuerit conſcius debuit prævidere, quod poterat per Dominum alibi vendi, & cum nihilominus contraxerit videtur ſe obligaſſe ad caſus, qui contingere poterant ad ſtatum ſeruitutis alterius coniugis dependenter à voluntate domini, ſicque ad ipſum comitandum, vel in caſu venditionis, vel in caſu translationis ad longinquas regiones; nec in hoc poteſt eſſe dubium, quod liber, vel manumiſſus teneatur ſeruum alibi venditum, qui ſit ſuus coniux comitari, quandòquidem ſi ipſe ſeruus manumitteretur, & vellet, vel ex libertate, vel ex cauſa neceſſaria alibi ſuum domicilium figere teneretur coniux libera eum comitari; Hoc autem æquè eueniret, ſiuè Dominus fuerit conſentiens matrimonio ſerui, ſiuè non; nam ex eo, quod conſenſerit, non intelligitur à ſe abdicaſſe dominium; ſed ad ſummum ſe obligaſſe ad non impediendum abſolutè vſum matrimonij, ſeù ad non vtendum iure ſuo niſi in ijs, quæ talem vſum non poſſunt ſimplicitèr impedire; non impeditur autem vſus ex venditione, quotieſcunque alter tenetur venditum comitari.

Rationes primæ partis afferuntur.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià ſiuè Dominus conſentiens fuerit matrimonio ſerui, ſiue non, non poteſt abſolutè impedire, & ſimplicitèr vſum matrimonij, nam ſi fuerit conſentiens iam iuri ſuo intelligitur ceſſiſſe in ordine ad venditionem, quando ex illa non poteſt ſequi vſus coniugij, ſi quidem ex quo conceſſit principale videtur conceſſiſſe acceſſorium, quod naturalitèr conſequitur ad principale *c. prudentiam de offic. del. leg.*; ſi verò fuerit ignorans, vel diſſentiens adhuc non poteſt vendere cum præiudicio vſus coniugalis, quandòquidem ex quo tenetur non poſitiuè impedire contractum quoad ſubſtantiam, tenetur etiam non poſitiuè impedire quoad vſum ſimplicitèr, quod contingeret, ſi in longinquas regiones ſeruum diuenderet non valente alio in longinquas regiones ipſum comitari.

Rationes pro ſecunda parte.

Hinc in particulari quoad primam partem deducitur primo, quod ſi alter, an coniugibus, qui contraxit cum ſeruo fuerit ante matrimonium liber, vel poſt matrimonium manumiſſus, & poſſit commode ſeruum comitari, vtique poſſit Dominus ſeruum in longinquas regiones mittere, ibique diuendere *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 22. n. 7.*, & hic eſt caſus proprius primæ partis aſſerti, & eiſdem rationibus innititur. 26

26 Liber, ſeù manumiſſus debet ſequi coniugem venditum in longinquas regiones.

Amplia hanc illationem, vt procedat, ſiuè coniux, qui venditur fuerit maſculus fæmina exiſtente libera, ſiuè fuerit fæmina maſculo exiſtente libero; cum etiam maſculus liber teneatur vxorem ſequi in remotas regiones proficiſcentem ex cauſa neceſſaria, prout docet *Gloſa in c. 1. de coniug. lepros. verbo ſequantur, & ibi Hoſtienſis, Innocentius, & Antonius. Henricus c. de illis num 4. de ſponſalib, & ibi Alexander de Neuo n 12. Roſella verb. vxor. num. 3.* cum in ordine ad matrimonialia obſequia ſibi ad inuicem præſtanda coniuges ſibi ſint pares; Neque dicas ius prælationis, quod habet maritus ſupra vxorem tanquam caput ipſius, & totius familiæ exigere, vt vxor ipſum ſequatur, non è contrà ipſe vxorem; contra enim impugnaberis; quia quando maritus contraxit cum Ancilla erat liber, vel ſeruus, ſed poſteà manumiſſus; ſi liber, ducendo ancillam potuit prævidere, quod illa poterat à Domino diuendi, & ſic ſibi debet imputare, quod eidem nupſerit, omneſque caſus, qui ex iure domini inde contingunt; ſi fuerit ſeruus, ſed poſtea manumiſſus, etiam debuerat prævidere, quod poterat ipſe manumitti, & cum de hoc non exceperit videtur iuri ſuo eueniente hoc caſu ceſſiſſe, adeoque cogendus eſt ſequi vxorem alibi venditam.

27 Intellige, ſiuè liber, ſeù manumiſſus fuerit maritus, ſiuè vxor.

Limita in caſu, quo Dominus ſeruum, vel ſeruam poſſet æque bene in eodem loco diuendere ſine ſui præiudicio; tunc etenim non poſſet in longinquas regiones diſtrahere; atque ita ſentire videtur *D. Bonauentura in 4. diſt. 36. in expoſitione litera nu. 6., & ibi, Riccardus art. 4. qu. 2. Ouandus diſp. vnica in fin Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 4. nu. 15. Silueſter verb. ſeruitus qu. 7. Petrus de Ledeſma de matrimonio q. 52 art 2. dub. 1., quod monet poſt ſolus.*

28 Dominus non poteſt ſeruum vendere in longinquas regiones poſt matrimonium, quando æquè bene poteſt vendere in eodem loco.

Digitized by Google

*ſolut. ad quintum*; Ratio limitationis ex eo deducitur, quia quotieſcunq; ſine ſui præiudicio *D*ominus poteſt ſeruare ius coniugij ſeruorum, ſeu proprij ſerui, tenetur ſeruare non ſolum ob regulam generalem: *Quod tibi non obeſt, & alteri prodeſt eſt exequendum*, ſed etiam ob ius, quod quiſque habet, ne ſibi incommodum inferatur ab alio abſque propria neceſſitate, vel vtilitate præponderanti. Hic diſputant *DD*, an ſi *D*ominus, cum abſque ſui præiuditio poſſet in eodem loco ſeruum vendere, venderet in longinquas regiones peccaret lethaliter, an tantum venialiter, & an contra iuſtitiam, an vero ſolum contra charitatem? Probabilius ſentio, & lethaliter peccare, & contra iuſtitiam. Ita quoad vtramque partem *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 22. num. 11., & 12.*, & quoad primam omnes DD. præallegati, & quoad ſecundum *Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 1. in ſolut. ad ſecundum Ledeſmenſe. Lopez 2. part. inſtructorij, vbi de matrimon. c. 47. colum. antepenult. VeraCrux prima part. ſpeculi art. 30. concl. 30.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia licet non peccet abſolutè impediendo ſeruo vſum matrimonij ipſum vendendo in longinquas regiones, cum alter liber poſſit ipſum ſequi, peccat tamen compellendo alterum liberum, ſine neceſſitate, vel aliqua ſui vtilitate, vt ſe transferat in longinquas regiones cum graui ſui rerumque ſuarum diſcrimine, ſed hoc eſt quid ex genere ſuo graue, vtpote læſiuum iuris alterius, ergo &c. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod ſicuti ius non habet *D*ominus impediendi poſitiue matrimonium, ne contrahatur, nec poſt contractum impediendi abſolute vſum ipſius, ita nec ius habet, quando grauis ipſius neceſſitas, vel vtilitas non præponderat, reddendi vſum difficilem, arduum, & expenſis, & incommodis grauibus obnoxium, vt contingeret ſi in longinquas partes ſeruum diuenderet, cũ eodem pretio poſſet venundare in eodem loco, ergo reddendo ſic arduum, & difficultatibus obnoxium peccat contra iuſtitiam ius ſibi vſurpando, quod ipſi non ſuffragatur. *D*ixi, *ſine ſui præiuditio* quandoquidem ſi præiudicium *D*omino contingeret, vel quia in eodem loco minus pretium inueniret, vel quia ſeruus in eodem poſſet eſſe ſibi obnoxius, tunc non renuerem concedere poſſe ſine labe peccati, vel iniuſtitiæ in longinquas regiones ſeruum venundare, quia nemo tenetur commoda aliorum ſuis preferre, nec damnum ipſe pati, vt alter ſeruetur incolumis.

29 Vendens in longinquas regiones, cum æque poſſet vẽdere in eodem loco peccaret grauiter, & contra iuſtitiã

Læderet ius ſerui ſine ſuo commodo.

30 Deducitur ſecundo, quod ſi vterque coniux fuerit ſeruus, & vnus vnius dominis habitantis in vno loco, & alter alterius habitantis in loco diſſito à loco prioris domini poſſit *D*ominus vnius illum vendere abſolutè in longinquas regiones, ſi in locos in quibus de præſenti habitant non poſſint ſui copiam ſibi adinuicem facere ipſi ſerui coniuges, vel in loco æqualis, vel parum excedentis diſtantiæ, ſi in eodem poſſint æquè, vti coniugio, ac ſi eſſet in eodem loco, in quo venditur, & à quo transfertur. Ratio eſt, quia per hoc nullum infertur præiudicium vſui coniugali, cum non maior incommoditas ad vſum inferatur per talem venditionem, ac ſit antecedenter ad ipſam. Hic tamen vnum aduerto, quod ſi fuerint duo Domini, & habitant in locis diſſitis, in quibus ſerui non poſſint ad inuicem communicare, maximè ſi adſit periculũ fornicationis poſſint ijdem Domini per Eccleſiam compelli ad permittendam quandoque communicationem per permiſſionem acceſſus vnius ad alterum, vel compelli alter ex dominis ad vendendum alteri volenti emere ſuum ſeruum ad effectum, vt poſſint ad inuicem communicare, cum ius matrimonij præualere debeat iuri dominij alterius, quod ſi alter nolit emere, poſſit compellere ad vendendum alteri extraneo in loco, in quo alter ſeruus degit, quod ſi nullus emptor inueniatur, tunc emat Eccleſia. *arg. c. fraternitatem diſt. 54. Gloſa c. fin. verb. habeant 29. q. 2. Gofredus in ſumma tit. de coniug. ſeruorum n. 3. Aſtenſis 2. part. ſummæ lib. 8. tit. 15. art. 2. q. 5. Roſella verb. ſeruus 3. num. 2. Turrecremata c. fin. 29. q. 2. num. 3.*

Si coniuges fuerint ſerui diuerſorum dominorum habitantiũ in diuerſis locis, in quibus nõ poſſint copiam ſui habere poteſt Dominus vnius ſeruũ ſuũ alibi vendere.

31 Hinc etiam in particulari quoad ſecundam partem deducitur, quod ſi vterque coniux fuerit ſeruus, & vnus ratione ſeruitutis non poſſit alterum comitari non poſſit Dominus alterum in longinquas regiones diuendere, quia hoc eſt poſitiuè impedire vſũ coniugij abſolutè ad quod ius non habet Dominus, cum ſeruus in ordine ad matrimonium ſit ſui iuris.

Si vterq; fuerit ſeruus, & vnus non poſſit alterum ſequi non poteſt Dominus in longinqua vnum vendere.

32 Deducitur ſecundo, quod quantumvis alter, cum quo ſeruus contraxit fuerit liber, ſi tamen non poſſit ſeruum venditũ comitari, non poſſit dominus ſeruum vendere in longinquas regiones ratione ſuperius adducta, quia ſcilicet ius matrimonij præualet iuri dominij alterius, ſicq; liber poteſt excipere, quod ius vſus matrimonialis, qui ſibi competit à natura à ſe non poſſit auferri, maximè cum ipſa legitimis cauſis impeditus prohibeatur venundatum ſequi.

Si alter fuerit liber nõ tamen poſſit ſequi ſeruum non poteſt Dominus ſeruum vendere.

33 In ordine ad tertiam ſentiendum eſt, ſiue matrimonium initum ſit conſentiente domino, ſiue illo ignorante, ſeu contradicente, in concurſu *D*omino præcipientis obſequia ſeruo, & vxoris exigentis debitum illius cauſam præponendam eſſe per ſeruum, cuius maior neceſſitas præponderat ex circunſtantijs concurrentibus, & in pari cauſa preponendum eſſe ius coniugis

In matrimonio ſeruorum in concurſu Dñi præcipientis obſequia, & coniugi exigentis debitũ illa cauſa præferẽda eſt, quæ eſt magis neceſſaria.

gis exigentis debitum *D. Thomas in 4 diſt. 36. q. vnica art. 2. ad tertium, & ibi D. Bonauentura art. 1. q. 1. ad vltimum Durandus q. 2. num 4. Armilla verb. matrimonium nu. 6. Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 1. ad ſecundam Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 52. art. 2. ad fin. Turrecremata c. 229. q. 2. num. vnico in ſolut. ad tertiam*, qui tamen in eo videntur à nobis diſſentiri, quod ſi matrimonium ſeruorum fuerit initum *D*ominis conſentientibus, vtique in æquali cauſa neceſſitatis ſit præferendum ius coniugis exigentis debitum, ſecus vero ſi fuerit initum *D*ominis ignorantibus, ſeu diſſentientibus. Ratio ex eo deducitur, quod exigit communis, & generalis regula, nempe in concurſu plurium obligationum illa pręferenda ſit cuius neceſſitas præponderat, & in puritate neceſſitatis illa præferenda, cuius obiectum ex genere ſuo fortius obligat, potiſſimum cum ex illius adimplemento modicum, vel nullum damnum conſequitur alteri, cuius obligatio differtur; ex redditione autem debiti coniugalis verſus coniugem nullum, vel non niſi modicum damnum imminet domino, quia mora reddendi debitum coniugale modica eſt *Gloſa c. 1. verb. ſeruitia de coniug. ſeruorum, & ibi Cardinal. num. 5. q. penult. Monaldus in ſumma de matrimonio tit. de impedim. condit. paulo poſt princip. Hoſtienſis in ſumma tit. de coniug. ſeruor. nu 4. in initio Colaia in 4. diſt. 36. q. 1. dub.* 2. Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quando dominus non conſenſit, ius ipſius anterius ſit, adeoque præferendam iuxta reg., *qui prior de reg. iuris in 6.*, Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet ius *D*omini anterius ſit tempore, & poſſeſſione, non eſt tamen anterius origine, & iure; quod vt clarius percipias, ſcias, ius vxoris poſſe dupliciter ſumi, primo quoad actualem poſſeſſionem conſiderando tempus à quo coniux poteſtatem ſui corporis tranſtulit in maritum ſecundo, quoad originem primæuam ex qua ortum eſt tale ius, nempe à iure naturali, quod habent ſerui ad poteſtatem ſui corporis; primo modo præcedit ius *D*omini, ſecundo modo ius ſerui, quod ſufficit ad præſens inſtitutum, cum hoc ius naturę præferatur cuicunque iuri poſitiuo, ſeu gentium, & cum hoc ius, quod quiſq; habet in ſuum corpus transferatur in alterum coniugem per matrimonium vtiq; alter acquirit hoc ius, quod eſt primæuũ, & anterius reſpectu iuris, quod habet dominus.

Ius ſerui anterius eſt origine, & iure.

Hic nonnullæ aliæ venirent dubitationes circa ſeruitutem matrimonio ſuperuenientem, & circa filios, quando alter ex coniugibus eſt liber, alter mancipium, cuius ſcilicet parentis conditionem ſequi debeant, ſed quia de his ſermo occuret vberimus in diſquiſitionibus, ideo ad eaſdem vos remitto, & interim ad vlteriora procedo.

---

## PRÆNOTIO IX.

### De impedimento voti prout dirimit matrimonium.

### SVMMARIVM.

*Difficultas procedit de voto ſolemni.* 1.

*Diſcrimen inter votum ſolemne, & ſimplex.* 2.

*Votum ſolemne caſtitatis in profeſſione emiſſum dirimit matrimonium de iure naturali diuino.* 3.

*Vota ſimplicia ſocietatis Ieſu quomodo dirimant matrimonium.* 4.

*Non ſoluuntur, hæc vota niſi per legitimum egreſſum.* 5.

*Profeſſio Religioſa in quibus caſibus non obſtet matrimonio contrahendo.* 6.

*Conſummato matrimonio non poteſt quis ex coniugibus ex ſe tranſire ad Religionem, & in ea profiteri, & ſi profiteatur poteſt per alterum reuocari profeſſio.* 7.

*Attento præciſo iure poteſt coniux manens in ſæculo alterum contra ſuam facultatem profeſſum in Religione propria auctoritate reuocare.* 8.

*Qui profeſſus eſt in Religione altero inuito ſi emiſit vota ſolummodo dependenter à profeſſione reuocatus poteſt reddere, & petere debitum.* 9.

*Si vero abſolutè elicuit vota cum animo ſe obligandi quantum poteſt reuocatus tenetur reddere, non tamen poteſt petere.* 10.

*Profeſſio emiſſa in Religione per alterum ex coniugibus poſt conſummatum matrimonium non obligat in vim voti ſimplicis Religionis.* 11.

*Profeſſus reuocatus per alterum coniugem à Religione non tenetur ad eandem redire, ſi reuocans poſt reuocationem ceſſerit iuri ſuo.* 12.

*Si poſt emiſſam ab altero profeſſionem alter conſentiat, nec curet de reditu immediatè non ſit valida profeſſio tenetur tamen ſic profeſſus ratificare profeſſionem, ſi alter in ſæculo manens, & præſtet, quæ ex ſui parte neceſſaria ſunt.* 13.

*Profeſſio ab altero emiſſa altero, nec poſitiuum præbente conſenſum, nec diſſenſum non tenet.* 14.

*Si vterque coniux profeſſus fuerit ignarus profeſſionis alterius non tenet profeſſio, vterq; tamen tenetur ratificare ſiſtendo in foro externo.* 15.

*Si vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius, & vterq; ſimul profeſſionem emiſerit probabilius tenet vtriuſq; profeſſio.* 16.

*Si vterque fuerit antecedenter conſcius futuræ*

pro-

Digitized by Google

*profeſſionis alterius, & vterque ſimul illam emiſerit vterque validè profeſſus eſt.* 17.

*Si vterque ſucceſſiuè factus fuerit conſcius profeſſionis alterius, quatenus ſcilicet vnus emiſerit, & poſtea alter factus fuerit conſcius profeſſionis illius, & poſtea hic alter profeſſus fuerit, & primus poſtea nouerit hanc ſecundi profeſſionem neutrius tenet profeſſio, vterque tamen tenetur ſuam ratificare.* 18.

*Non poteſt coniux conſummato matrimonio etiam de alterius licentia tranſire ad Religionem, niſi alter vel emittat votum continentiæ, ſi fuerit ſenex, vel ingrediatur Religionem, ſi fuerit iuuenis.* 19.

*Profeſſio tamen ab altero ſine talibus conditionibus emiſſa non foret inualida* 20

*Si coniux qui alteri facultatem facit profitendi conſcius erat iuris diſponentis, quod ipſe teneretur, vel ad votum continentiæ, vel ad profeſſionem, non poteſt ipſum reuocare, ſecus ſi fuerit ignarus talis iuris* 21.

*In caſu, quo ob ignorantiam talis iuris alter coniux poteſt profeſſum reuocare, tenetur hic ipſi petenti reddere.* 22.

*Mortuo coniuge reuocante reuocatus non poteſt ad alias nuptias tranſire, ſed redire debet ad Religionem.* 23.

*Coniux ſic profeſſus, qui ob prædictas cauſas poteſt per alterum reuocari, non poteſt propria auctoritate exire* 24.

*Si vxoratus profeſſus fuerit cum licentia alterius metu, vel dolo extorta profeſſio non tenet.* 25.

*Manens in ſæculo, ſi fornicatus fuerit poſt alterius profeſſionem, non poteſt ſic profeſſum reuocare.* 26.

*Poteſt tamen ſic profeſſus ſine licentia alterius, quaſi renunttando iuri, quod acquiſiuit ex alterius adulterio, exire.* 27.

1 Difficultas, ſeù titulus procedit de voto ſolemni.

NON procedit titulus de voto ſimplici, vel caſtitatis, vel Religionis, quandò quidem hoc, tum ex dictis in quæſtionibus de ſponſalibus, vt inuenies in indice rerum verbo votum remiſſiuè ad locum in eodem enuntiatum, tum ex dictis ſub hoc eodem tit dum de impedimentis ſimpliciter impedientibus, non dirimit contractum, ſed tantum impedit, ne licitè contrahatur: ſed tantum de voto ſolemni caſtitatis, quod connumeratur inter impedimenta dirimentia; circa quod ſecundum varias comparationes, ſeù varios reſpectus varij inſurgent articuli diſcutiendi, vel etenim huiuſmodi votum eſt præcedens matrimonium, vel ſubſequens: ſi primum, inquiretur primo, an dirimat matrimonium ſubſequens, & quo iure, an Eccleſiaſtico præcisè, an verò iure naturali diuino. Secundò, an profeſſio emiſſa in Religione approbata talis ſit, vt quodcunque matrimonium ſubſequens dirimat, ſeù irritet; ſi ſecundum, inquiretur primo, an contracto, & conſummato matrimonio poſſit quis ingredi, & profiteri in Religione, ſecundò ex ſuppoſitione, quod poſſit, an ſi profiteatur altero inuito teneat profeſſio. Tertiò, an ad validitatem profeſſionis ſufficiat ſola alterius coniugis licentia, & tunc ad quid obligetur alter coniux concedens talem facultatem. Quartò, an valeat profeſſio poſt matrimonium contractum, & conſummatum, quando vel nulla licentia alterius coniugis interceſſit, vel per metum extorta fuit, vel per dolum, & an in hac hypoteſi poſſit per alterum reuocari, ſi hic alter, qui vel non dedit, vel inuitus dedit facultatem, poſtquam ille profeſsus eſt, adulterauit, & his ſimilia.

Articuli examinandi circa titulum.

2 Diſcrimen inter votū ſolemne, & ſimplex.

Pro ſolutione harum omnium difficultatum aduerte diſcrimen, quod intercedit inter votum ſimplex, & ſolemne caſtitatis, ſitum in eo, quod votum ſimplex nullum omninò dominium in Deum transfert, nec habet annexam vllam traditionem, ſed ſolam promiſsionem abſtinendi ab omni actu carnali, quæ non priuat vouentem dominio ſui corporis; votum verò ſolemne transfert tale dominium, & importat talem traditionem, & vtique perfectam in manus eorum, qui vicem Dei tenent. Ratio autem, ob quam per votum ſimplex non transferatur plenum dominium particulare in Deum, transferatur autem per votum ſoleme, ea eſt, quia in voto ſimplici, vel non interuenit traditio abſolute, vel ſi interuenit, non eſt perfecta, quia non eſt cum acceptatione; in voto autem ſolemni interuenit propria, & perfectiſsima traditio cum acceptatione, quatenus Deus miniſterio ſuperiorum ad id muneris deputatorum talem traditionem acceptat, quod potiſſimum ex eo euincitur, quia profeſſio non eſt contractus gratuitus inſtar voti ſimplicis, ſed eſt contractus oneroſus vltrò citroque obligatorius, quo profeſſus fidem ſuam Deo adſtringit, & Religioni, & Religio ipſa Dei nomine obligatur profeſſo, ſeù emittenti votum ſolemne ad retinendum eum, alendum &c. Si autem inquiras, cur in voto ſolemni acceptatio non fiat immediatè à *Deo*, cum ſit vbique præſens, cum tamen intelligatur *Deus* acceptare promiſsionem in voto ſimplici; tunc reſpondebo valdè diſſimilem eſſe rationem in acceptanda promiſsione, ac in acceptanda traditione, nam acceptatio promiſsionis eo ſolum tendit ex natura ſua, vt obliget promittentem ad ſtandum promiſſis retenta poteſtate, & dominio rei promiſsæ apud ſemet ipſum; acceptatio verò traditionis rei perfectæ cum acquiſitione poſseſſionis tendit ex natura ſua ad vſum rei traditæ, & acqui-

Votum ſimplex non transfert dominium, bene tamen ſolemne.

Digitized by Google

Deus non admittit traditionē totalē, niſi medijs prælatis.

& acquiſitæ, eiuſq; gubernationem; Deus autem nunquam ſe ſolo admittit traditionem totalem alicuius rei ſibi factam, niſi medijs prælatis, ſeu miniſtris ad id deputatis, cum non aſueſcat tanquam cauſa particularis re aliqua vti, eamque gubernare. Porro ad conſtituendum votum formalitèr, vt ſolemne non ſufficit traditio, & acceptatio, ſed vlterius requiruntur per modum conditionis ſolemnitates ab Eccleſia præſcriptæ, ſine quibus propterea vota emiſſa in ſocietate Ieſus poſt ſecundum annum probationis, quantumvis per miniſtros ſint acceptata, non dicuntur ſolemnia, quamvis hæc optime cohæreant cum ſtatu formaliter Religionis, prout definiuit *Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit Aſcendente Domino*. Quod autem votum ſolemne exigat illam actualem traditionem dominij ſui ipſius in manus *Dei*, & manus eorum, qui vices *Dei* gerunt docent *D. Thomas in 4. diſt. 38. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 3. in corpore D. Bonauentura ead diſt art. 2. q 1. Riccardus ibi art 7 q 2. in corpore, & alij innumeri* apud *Sanchez lib. 7 de matrimonio diſp 25. nu. 7.* His pro notitia ſic ſuppoſitis ſit

5 Votum ſolemne caſtitatis dirimit matrimoniū non ſolum de iure Eccleſiaſtico, ſed etiam diuino.

Aſſertio I. Votum ſolemne caſtitatis emiſſum in Religione approbata dirimit ſubſequens matrimonium non ſolum de iure Eccleſiaſtico, ſed etiam de iure diuino naturali *D Thomas in 4. diſt. 38 q. 1. art. 3. quæſtiuncula 3 in corpore & ibi D Bonauentura art. 2. q 1 Capreolus in 4 diſt. 33. q. vnica art 1 concl 1 Sotus lib 7 de iuſt q. 2. art col 7 verſ ſed interrogas, Caietanus tom 1 opuſcul. tract. 27 de diſpenſatione matrimonij in occidentali Eccleſia q vnica § videtur autem mihi, Alexander Carrerius lib. 3. de ſponſalib c 6 in fin. Auguſtinus Barboſa rub ff ſolut matrim 2. part. nu. 98.*

Quoad ius Eccleſiaſti. cū omnes côueniunt

Quoad primam partem nullus eſt, qui ambigat, nam negantes dirimere de iure naturali diuino, vtique omnes ſuſtinent irritari de iure Eccleſiaſtico, & ſuſtinentes dirimere de iure diuino naturali vtique non negant eidem conformiter accedere ius poſitiuum Eccleſiaſticum; vnde tanquam veritas catholica definitum eſt *in Concilio Viennenſi, clement. vnica de conſanguin., & in Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 9.* votum ſolemne connumerari inter impedimenta dirimentia, quod ſaltem de iure canonico debet verificari, & colligitur *ex c. ſi quis ſacro §. velata 27. q. 1.*

Votum ſolemne dirimere eſt de fide.

Quoad ſecundam partem poſſet in primis facile euinci ex eo, quod hæc aſſertio dicatur de fide definita in allegat. Concil. Viennenſi, quod autem eſt de fide habet altiorem originem, ac habeat præciſum ius Eccleſiaſticum, quod non poteſt ſtatuere de fide id, quod non eſt tale de iure diuino. Hoc argumentum eſt ad hominem contra Bonacinam *q. 3. punct. 4. nu. 2.*, qui aſſerit ex vno capite eſſe veritatem de fide; & tamen ſuſtinet dirimi ſolum de iure Eccleſiaſtico.

Fortior ratio ex eo deducitur primo, quod ſupra docuimus in notabili, nempe per votum ſolemne in profeſſione elicitum transferri abſolute dominium, & vſum corporis in *Deum*, & in manus eorum, qui vicem *Dei* gerunt, adeo vt ſic vouens dominium non habeat amplius penes ſeipſum; de iure autem naturæ dominium in vnum perfectè tranſlatum non poteſt ab eodem in alterum transferri. Confirmatur, quia non alia ratione de iure naturæ eſt irritum matrimonium initum cum ſecunda vxore viuente adhuc prima, niſi quia corpus priori coniugi traditum non poteſt validè alteri tradi, ergo cum etiam dominium corporis per votum ſolemne ſit traditum *Deo* acceptanti per ſuos miniſtros, non poterit amplius ab eodem diſtrahi, & transferri per matrimonium in alterum coniugem.

Dominium in vnū perfectè tranſlatum de iure naturæ non poteſt in alterum transferri.

*D*ices primo, traditionem per contractum matrimonij non pugnare cum traditione per votum ſolemne, ſeu per profeſſionem emiſſam in Religione approbata, quandoquidem coniugatus poteſt de licentia alterius coniugis, vel etiam ſine licentia eiuſdem, quando hic adulterium commiſerit, in Religione profiteri, qua in hypotheſi, & vinculum Religionis conſurgeret, nec diſſolueretur vinculum coniugij, cum hoc ſit quacunq; humana poteſtate indiſſolubile ergo per priorem traditionem factam *Deo* per votum ſolemne non deducitur efficax argumentū, quod, ſi præſcindas à iure Eccleſiaſtico, non poſſit etiam fieri traditio in alterum coniugem, quia quando duo vincula non ita repugnant, quin ſimul ſtare poſſint vnum ſuapte natura nō expellit alterum. Sed contrà, quia diſpar omnino eſt ratio, quando profeſſio accedit matrimonio iam inito etiam conſummato, ac quando matrimonium accedit profeſſioni ſolemniter emiſſæ, non ſolum, quia vſui matrimonij poteſt cedi, vel ex conſenſu coniugum, vel tolli ex adulterio in pœnam fidei fractæ, ſeu violatæ, adeoque poſita ceſſione voluntaria, vel ceſſante iure ex adulterio poteſt quis validè profiteri, cum profeſſio ſolum repugnet vſui matrimonij, non autem ſubſtantiæ eiuſdem; profeſſioni autem ſolemni in Religione ſemel emiſſæ in legitima forma non poteſt amplius cedi, adeoque cum matrimonium debeat iniri ſaltem cum intentione implicita ad vſum eiuſdem, & cum plena tranſlatione poteſtatis corporum, & iure, & poteſtate vtendi illo, ideo non poteſt poſtea iniri, niſi cum deſtructione poteſtatis iam antecedenter in *Deum* tranſlatæ miniſterio eorum, qui vices Dei gerunt

Diſpar ratio quando profeſſio accedit matrimonio iam conſummato, ac quando matrimonium accedit profeſſioni.

adeoq;

adeoq; &c. Non, inquam, ſolum propter hanc rationem, ſed etiam, quia vſui matrimonij eſt, qui poſſit cedere ſine læſione ſubſtantiæ eiuſdem, nempe ipſi contrahentes, vel ex proprio arbitrio, vel ex neceſſitate in pœnam; iuri autem acquiſito ex voto ſolemni Deo, non eſt, qui poſſit cedere, niſi ipſe Deus, adeoq; &c.

Dices ſecundo, matrimonium ſubſequens irritari per votum ſolemne in profeſſione elicitum per det ex Eccleſia quaſi acceptante votum ſolemne, ſine qua acceptatione vtique non dirimeretur, ſicuti non dirimitur per votum ſimplex, ergo ex profeſſione, ſeu voto ſolemni irritatur ſolum de iure Eccleſiaſtico. Sed contra primo, quia etiam matrimonium pendet ex alterius coniugis acceptatione, & tamen poſita acceptatione dirimit quodcunque aliud matrimonium de iure naturæ ineundum viuente primo coniuge, ergo etiam quantumvis votum ſolemne pendeat ab acceptatione Eccleſiæ, eadem tamen ſemel poſita irritabit vi ſua, & de iure naturæ, quodcunque matrimonium poſtea ineundum. Secundo, quia auctoritas Eccleſiæ eſt ad acceptandum non nomine proprio, ſed nomine Dei, ad quem dirigitur illud votum ſolemne, & ſic retinet quidem dominium perſonæ, quæ ſe obligauit per votum ſolum tanquam depoſitaria, & adminiſtrans nomine eiuſdem Dei, ſicq; non poteſt relaxare per ſe dominium, quod Deus acquiſiuit.

Eccleſia nõ acceptat nomine proprio, ſed Dei.

Dices tertio. Antiquitus profeſſio non dirimebat matrimoniũ ſubſequens, prout euincitur ex *D. Cipriano Epiſt.* 11. *ad Pomponium*, qui rogatus, quid faciendum eſſet de virginibus, quæ poſt votum caſtitatis nupſerant, reſpondit non ſeparandas eſſe, ſed eiſdem publicam pœnitentiam iniungendam, & ex *D. Auguſtino lib.* 9 *de bonis viduit. c.* 9., *& ſeqq:* aſſerente falſam eſſe ſententiam aſſerentium non eſſe vera, & valida connubia virginum, quæ poſt votum continentiæ nupſerunt, & ex varijs Concilijs relatis in corpore iuris canonici *c. quot quot* 27. *q.* 1. *c. virgines ead. cauſ., & q., & c. ſiqua virgo ibid.* Sed contra, vel dic huiuſmodi SS. PP., & Concilia loqui dumtaxat de Virginibus addictis Deo per votum ſimplex caſtitatis extra communem cœtum viuentibus, vel ſi in communi cœtu vixerint, ille tamen non ſit approbatus tanquam Religio per ſedem Apoſtolicam, quia tunc vota in eodem emiſſa, nec conſtituebant verum Religioſum, nec dirimebant matrimonium, prout docet *Gloſa clement. cum ex eo verb. tertio de ſent. excommun. Abbas rub. de regul. num* 1. *Angelus verb. Religioſus num.* 1. *Nauarrus in antiq. edit. c. non dicatis* 12. *q.* 1. *num.* 13., *& ſeqq: in nouo vero comment.* 1. *de regul., quod eſt ſuper c. cui portio* 12. *q.* 1. *nu.* 18. *carol.* 23.

SS. PP. loquebantur præciſe de virginibus addictis Deo per votum ſimplex.

Dices quarto, Pontifex poteſt in graui cauſa ſuper voto ſolemniter emiſſo in profeſſione Religioſa diſpenſare, ergo votum ſolemne ex iure naturali diuino non dirimit ſubſequens matrimonium. Conſequentia probatur, quia Pontifex in ijs, quæ ſunt iuris diuini naturalis, non poteſt diſpenſare. Sed contra in primis poteſt dici cum *D. Bonauentura in* 4. *diſt.* 38. *art.* 2. *q.* 3. *Gloſ. c. non eſt verb. auctoritate de voto, & ibi Antonius num.* 3. *Cardin. c. cum ad monaſterium n. vlt. de ſtatu monachor.* Pontificem in ea hypotheſi grauis neceſſitatis propriè non diſpenſare, ſed tantum declarare in eo caſu ob circumſtantias votum illud non obligare, quatenus Deus concurrente illa graui neceſſitate non acceptat, ſeu eximit ab illa obligatione. Deindè, & fortè melius dici poteſt, quod ea, quæ ſunt iuris diuini naturalis, ſunt quodamodo in duplici differentia; alia, quæ ab humana voluntate ortum habent, & ex eius ſuppoſitione obligant, cuiuſmodi eſt votum, & iuramentum; alia, quæ abſolutè pendent ab arbitrio diuino; circa ea, quæ ortum habent ab humana voluntate poteſt indirectè Pontifex diſpenſare vrgente graui cauſa tollendo obligationis fundamentum, quam homo actu circa illud votum ſibi impoſuit, quo ſublato euaneſcit iuris diuini circa illud votum obligatio *D. Thomas ſecunda ſecundæ q.* 88. *art.* 10. *ad ſecundum.* Hanc explicationem admittit *Sanchez lib.* 2. *diſp.* 14 *num.* 5. *ad quartum, & lib* 8 *diſp.* 6. *num.* 2., vbi ex vno capite, cum aſſerat votum computari inter impedimẽta dirimentia de iure diuino naturali, vtiq; intelligendus eſt de voto ſolemni, & ſic ne principio, quomodo *lib.* 7. *diſp.* 26. *n.* 2., *&* 4. dixerit dirimere tantum de iure Eccleſiaſtico, ex alio capite cum *d. lib.* 2. *diſp.* 14. *num.* 5. *ad quartum, & d. lib* 8. *diſp.* 6. *num.* 2. dixerit Pontificem ſuper illo voto non diſpenſare directe, ſed tantum indirectè tollendo obligationis fundamentum nõ percipio quomodo in hanc explicationem abierit, cum, ſi dirimeret tantum de iure humano, ſeu Eccleſiaſtico, poſſet Pontifex directe diſpenſare, cum ſit ſupra quoſcunque ius humanum poſitiuum.

Pontifex ſecundum aliquos DD. tunc non diſpenſaret, ſed tantum declararet votum nõ obſtare in ea circumſtantia.

In conſequentia Sanchez.

Dices quinto, vota ſimplicia biennij Societatis Ieſu habent omnia ſubſtantialiter, quæ habet votum ſolemne, nempe veram traditionem, & acceptationem, nec tamen irritant matrimonium ſubſequens de iure naturæ, ſed tantũ de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, nẽpe virtute conſtitutionis Gregorij XIII. incipientis *aſcendente domino*, ergo etiam votum ſolemne non irritat de iure naturæ, ſed tantum de iure poſitiuo. Sed contrà, quia licet vota ſimplicia biennij ſocietatis Ieſu ſint cum vera traditione, & acceptatione, quia tamen non ſunt cum acceptatione abſoluta, & cum reciproca

obligatione, ſed tantum conditionata, & limitata, quouſque ſcilicet ſic vouens detentus fuerit in ſocietate, ideo Pontifex declarauit, quod quouſque huiuſmodi vota non fuerint ſoluta per dimiſſionem, vel per legitimum egreſſum è ſocietate, dirimerent matrimonium ſubſequens, quæ declaratio fuit neceſſaria, cum antecedentèr maximum vigeret dubium inter *DD.*, an illa vota conſtituerent verum Religioſum, & dirimerent matrimonium ſubſequens. *Dixi per legitimum egreſſum*, nam ſi ſine cauſa, & motu proprio quis è ſocietate poſt illa vota ſimplicia reſiliret, & propriè Apoſtata conſtitueretur, nec poſſet validè matrimonium contrahere, niſi prius abſolueretur à voto. Sed, an illa vota dirimant de iure naturæ, an præcisè Eccleſiaſtico Pontifex ibi non definit, & ſic non conſtat, an illa conſtitutio ſit merè declaratoria, an verò propriè diſpoſitiua? Si diceremus ſtante tali conſtitutione eſſe de iure naturali diuino non abſoluto, ſed conditionato quouſque ſcilicet talia vota permanent in ſuo eſſe, non video quid abſurdi ſequeretur? Si verè diceremus dirimere tantum de iure Eccleſiaſtico, hoc eſſet, quià deficeret acceptatio abſoluta, quæ propterea non ità ſecundum ſe obligaret.

Quomodò quoad hoc ſe habeant vota ſimplicia emiſſa in ſocietate Ieſu.

5 Non ſoluuntur hæc vota niſi per legitimum egreſſum.

Confirmatur eadem ſecunda pars aſſertionis noſtræ; Tota ratio, cui innititur contraria opinio aſſerens dirimere tantum de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, ea eſt, quià acceptatio, & ſolemnitas pendet ab Eccleſia, quæ propterea videtur poſſe dimittere obligationem ab ipſa procedentem per diſpenſationem, nam ratione voti ſimplicitèr non dirimit, ſed impedit, & votum ſecundum præciſam rationem voti eſt diſpenſabile ab Eccleſia nemine diſcrepante, ratione deinde ſolemnitatis cum hæc pendeat ab Eccleſia poteſt vim ipſius auferre, ſed hæc ratio nihil penitus euincit, quandòquidem etiam inſtitutio præbendæ Eccleſiaſticæ ab auctoritate Eccleſiæ ortum habet, & tamen ſuppoſita illa inſtitutione iure diuino obſiſtente præbenda illa Eccleſiaſtica non poteſt diuendi, ergò &c. Ad illud, quod ſubditur, dico, nec ratione voti ſecundum ſe, nec ratione ſolemnitatis ſeorſim ſumptæ votum ſolemne dirimere matrimonium, ſed ratione vtriuſque, prout importat onus conflatum ex perfecta traditione dominij, & poteſtatis, & perfecta acceptatione eiuſdem, qua ratione conſurgit contractus ex vtraque parte oneroſus, & vltro citroque obligatorius.

Soluitur ratio aduerſantiũ, & ſimul confirmatur aſſertio

Confirmatur ſecundò ex ijs, quæ ſuprà dicebamus, nempe Eccleſiam per ſuos miniſtros in voto ſolemni acceptare dominium perſonæ vouentis, & in omnes actus eius non nomine proprio, ſed principalitèr nomine *Dei*, ad quem perſona vouens dirigitur per votum, ac perſonam obligatam retinet, & adminiſtrat nomine eiuſdem *Dei*; iuri autem *Deo* perfectè acquiſito per eandem Eccleſiam non poteſt eadem præiudicare, nec cedere ea, proportionali ratione, qua miniſter, ſeù procurator Principis non poteſt præiudicium inferre iuribus per ipſum acquiſitis nomine Principis, niſi de hoc ſpecialitèr diſponatur per eundem Principem, ergò &c.

Alia ratio aſſertion.s.

Aſſertio II. Profeſſio religioſa talis eſt, vt ſi fuerit emiſſa in Religione approbata regularitèr dirimat, quodcunque matrimonium ſubſequens, non tamen in ſpeciali caſu, quo deficientientibus maſculis ad ſpeciei propagationem neceſſitas vrgeret, vt profeſſi matrimonio copularentur, vel in caſu, quo profeſſus eſſet filius Principis, & diſſidia maximaque Reipublicæ perturbatio inde conſurgeret, niſi ille nuberet accedente maximè Romani Pontificis diſpenſatione. Prima pars liquet ex dictis in præcedenti aſſertione. Secunda pars eſt *Soti in 4. diſt. 26. q. 1 art. 1. Angles Floribus prima part. qu. 1. de eſſentia matrimon. Vinaldi in candelabro ſacramentorum prima part de matrimon. num* 10. *Molina tom.* 1. *de iuſtit. tract* 2. *diſp.* 22. Tertia pars eſt, *Martini à Ledeſma* 2. *p.* 4. *diſp.* 43. *art.* 2 *Sanchez de matrimon lib.* 2. *diſp.* 3. *n.* 4. *verſ. poſſet etiam nunc*. Non immorandum in probatione huius aſſertionis quoad eandem ſecundam, & tertiam partem, quandòquidem de ea egimus tom. 5 de ſponſalibus, ad quem vos remitto in indice verbo profeſſio remiſſiuè ad locum ibi enuntiatum.

6 Profeſſio Religioſa in quibus caſibus nõ obſtet matrimonio contrahendo.

Aſſertio III. Contracto iam matrimonio, & conſummato non poteſt quis ex coniugibus ex ſe tranſire ad Religionem, & in ea profiteri, & ſi profiteatur, poteſt per alterum reuocari profeſſio. *Dixi, & conſummato*, nam ſi præcisè fuerit ratum certum eſt poſſe valide tranſire ad Religionem etiam altero inuito, & in eadem profiteri, & per profeſſionem diſſolui prius matrimonium, prout latè ſupra diximus, & definitum eſt à *Concil Tridentino ſeſſ.* 24. *c* 4., adeò vt alter manens in ſæculo poſſit libere ad alia vota tranſire; intellige tamen, dummodò alter profeſſus fuerit, nam ſi præcisè fuerit ingreſſus, expectare debet, donec profeſſionem emiſerit, quià tunc ſolum à coniugij vinculo liberatur *Sanchez lib.* 2. *diſp.* 24 *n* 8 *Henriquez lib.* 12. *c.* 5. *n.* 8. *Gutierez de matrimon. c* 54. *n.* 12. *Bonacina de matrimon. q.* 3. *punct.* 4. *n* 5 Aſſertionem ſuſtinent, *Rebellus lib primo ſect.* 2. *n* 17. *Reginaldus lib.* 31. *n* 39. *Coninchus diſp.* 26. *dub.* 3., & 4. *n* 53. *Gutierez de matrimon. c.* 54. *n.* 22., & 26. *Sanchez lib.* 2. *diſp.* 21., & *alij communitèr*.

7 Conſummato matrimonio non poteſt quis ex coniugibus ex ſe tranſire ad Religionẽ

Ratio

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, primò, quià per conſummationem ius eſt perfectiſſimè acquiſitum alteri coniugi non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad vſum, & facti ſunt vna caro, quæ non eſt ſeparanda, niſi per mortem alterius iuxta dictum Apoſtoli, *Mulier alligata eſt viro, quandiù vir eius viuit*, ergò altero inuito non poterit coniux ad Religionem tranſire, & in eadem profiteri, quandòquidem grauitèr læderetur ius alterius præcipuè quoad vſum. Secundò, quià res vni plenè, & perfectè obligata, & tradita quoad plenum dominium, & poſſeſſionem nō poteſt eòdem inuito in alterum transferri, ſed iam per præcedens matrimonium, & per conſummationem eiuſdem perſona, quæ altero inuito tranſijt in Religionem, erat plenè, & perfectè alteri obligata non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad vſum, ergò non poterit amplius *Deo* obligari, præcipuè cum *Deus* non acceptet ius, quod ex ipſius diſpenſatione in ſacramento matrimonij in alium coniugem perfectè translatum eſt. Tertio, quià profeſſio antecedenter emiſſa ſeruata forma iuris irritat quodcunque ſubſequens matrimonium non alia ratione, niſi quià per profeſſionem legitimè emiſſam eſt perfectè tranſlata perſona profitentis in *Deum*, tàm quoad dominium, quam quoad poſſeſſionem, quæ propterea non poteſt validè in alterum transferri, ergò etiam matrimonium antecedentèr initum in valida forma irritabit quamcunque profeſſionem ſubſequentem initam altero coniuge inuito, & contradicente, quinimmò etiam ignorante, cum etiam per matrimonium legitimè initum, & conſummatum translatum intelligatur perfectum dominium, & poſſeſſio in alterum coniugem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod fortius ſit ius, quod acquiritur *Deo* per profeſſionem, quam illud, quod acquiritur coniugi per matrimonium, adeoque, quod illud quamvis conſequens dirimat iſtud: Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, ſi eſt fortius, non alia ratione eſt, tale niſi, quià in Deum dirigitur; hoc autem non efficit, quod ius alterius diſſoluatur; nam hac ratione eſſet fortius etiam ius, quod acquiritur Deo per votum ſimplex caſtitatis, ac ſit illud quod acquiritur ſponſæ per ſponſalia, & tamen ſi ſponſalia ſit priora non diſſoluuntur per votum ſimplex caſtitatis ſubſequens. Deindè, ſi res aliqua temporalis, & pretio æſtimabilis ſit alicui obligata non poteſt diſſolui ab obligatione ex eo, quod diſtrahatur in cauſam primam, quantumvis hæc dirigatur in Deum, ergò &c. Tandem euincitur ex varijs iuris canonici documentis, & præcipuè *ex c. ſi quis coniugatus 27. q. 2.*, & ex varijs ſcripturæ locis præcipuè ex illo Matthæi 19. *Qui dimiſerit vxorem ſuam facit illam mœchari*, propriè autem dimittit, qui eadem inuita tranſit in Religionem.

*Rationes euincentes aſſertum quoad primam partem.*

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià illa profeſſio fuit omninò nulla, adeoque ab habente ius reuocabilis, prout expreſsè habetur *in c. quidam, & c. placet de conuerſ. coniug.*, ſi quidem nequit quis inuitus ſuo iure ſpoliari, & ſi ſpolietur, eſt reſtituendus. Deinde ex eo euincitur, quod ille coniux non habet propriè dominium ſui corporis, quod transferre valeat in Religionem, ergò ſi tranſtulerit poterit per alterum ius habentem reuocari.

*Nequit quis inuitus ſpoliari iure ſuo.*

Hic multiplex venit difficultas examinanda. Prima, an alteri coniugi manenti in ſeculo, ſine cuius licentia alter tranſiuit ad Religionem, & fortè in ea profeſſus eſt liberū ſit propriâ auctoritate ingreſſū, & profeſſū à Religione extrahere. Secunda, an poſita reuocatione poſſit ille, qui ingreſſus fuerat, & profeſſus, non ſolum reddere debitum, ſed etiam petere, & exigere. Tertia, an profeſſio illa abſque coniugis licentia emiſſa in Religione vim habeat voti ſimplicis Religionis, & per conſequens, an reuocatus mortuo reuocante teneatur ad Religionem redire. Quarta, an teneatur redire, ſi reuocantem pæniteat reuocationis. Quinta, quid ſentiendum ſit de poteſtate profeſſi, quando alter vult conſentire ipſius profeſſioni, & quid quandò inuitus mortuus eſt, an ſcilicet poſſit profeſſus de Religione reſilire. Sexta quid ſentiendum ſit, ſi ſpoliatus viuens, nec conſentit, nec diſſentit, ſed præcisè diſſimulauit. Vltima, an ſi vterque coniux licentia ab inuicem non obtenta profiteatur, ſiuè vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius, ſiuè ignarus, teneat profeſſio.

*Variæ rationes dubitandi circa præſentem aſſertionem.*

Ad primam aſſero attento præcisè iure poſſe manentem in ſæculo coniugem in Religione profeſſum ſine ſua licentia propria auctoritate extrahere, expedire tamen ad euitanda ſcandala, vt auctoritate Iudicis extrahat. Ratio primæ partis facilè ex eo deſumitur, quià licitum eſt vnicuique rem ſuam, ad quam habet plenum ius de manu cuiuſcunque vendicare, & in hoc locum videtur habere textus *in c. cum cauſa de raptor.* Ratio ſecundæ partis deducitur ex eo, quod omnia iura clamant vitanda eſſe ſcandala etiam in iuribus ſuis, quotieſcunque quis ſibi poteſt conſulere per media ordinaria iuris; atq; iuxtà hunc ſenſum exiſtimo locutos, *Paludanum in 4 diſt. 27. q 13. art. 2. nu. 15. Silueſtrum verb. diuortium q. 14. ad finem apud Sanchez lib 7. diſp 24. num. 7.*

*8 Poteſt coniux reuocare profeſſum ſine ſua facultate propria auctoritate à Religione.*

Ad ſecundam cum diſtinctione reſpon- 9

Qui profeſſus eſt in Religione altero coniuge inuito ſi emiſit voto ſolummodo dependenter à Religione reuocatus poteſt reddere, & petere debitum.

dendum exiſtimo, vel etenim ille, qui poſt contractum, & conſummatum matrimonium abſq; alterius coniugis facultate tria vota ſubſtantialia Religionis in illa profeſſione inualida emiſit, eadem elicuit dependenter à tali profeſſione, & ex fine immediate permanendi in Religione, vel abſolutè elicuit cum animo ſe obligandi eo modo, quo ſe obligare potuit. Iuxta primum ſenſum ſentio nedum poſſe reddere, ſed etiam petere, & exigere, perinde, ac ſi vota illa non elicuiſſet. Iuxta ſecundum teneri reddere, nõ autem poſſe peccare, & multo minus exigere. Ita quoad primam partem *Sanchez de matrimon. lib. 7 diſp. 34. num. 3.* quoad ſecundam *Ioannes Andreas c. vnico de voto in 6. ad finem, & ibi Dominicus nu. 14. Brunellus de ſponſal. concl. 31. num. 7.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia vota ſemper obligant ſecundum intentionem vouentis non alitèr, nec alio modo, ſiquidem totam vim ſortiuntur ab eadem intentione, & à libertate vouentis, cum ad illa vota nullo iure compellatur, ergo cum in hac hypotheſi vouens in tantum ſe obligare intenderit, in quantum voluerit validam profeſſionem, & cum fine immediato permanendi in Religione, & non aliter eadem profeſſione non ſubſiſtente, nec volente eodem permanere in Religione nullo modo obligabitur ad illa vota, ſicque non obſtantibus illis votis tanquam inualidis poterit, & licitè reddere, & honeſtè petere, quinimmo, & exigere. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod habetur *in c. quidam, & c. placet de conuerſ. coniug.*, vbi dicitur, quod profitens in Religione inualide teneatur ob ſui profitendi intentionem voto ſimplici caſtitatis, & in hoc valet ratio, quod actus, qui non valet eo modo, quo fit, valeat modo, quo valere poteſt iuxta textum *c. vnico § porro de deſponſ. impub. in 6.* Quod ſi ſupponas non conſtare, an ille, qui profeſſus eſt, habuerit intentionem, vel iuxta primum, vel ſecundum ſenſum, tunc præſumendum eſt pro ſecundo ſenſu iuxta textum *in c. quidam, & c. quadam de conuerſ. coniug.* ea proportionali ratione, qua impuberes matrimonio inepti præſumuntur ſe adſtringere voluiſſe in matrimonio per eoſdem contracto eo modo quo potuerunt, adeoque obligari ad ſponſalia per textum *in c. vnico de deſponſat. impub. in 6.*

10

Si vero abſolutè elicuit vota cum animo ſe obligandi quãtum poteſt tenetur reuocatus reddere, non tamen poteſt petere

Ad tertiam probabilius ſentiendum exiſtimo Profeſſionem emiſſam in Religione per alterum ex coniugibus poſt conſummatum matrimonium non obligare in vim ſimplicis voti Religionis adeoq; ſic inualidè profeſſum ſi reuocetur per alterum manentem in ſæculo non teneri eo mortuo ad Religionem redire *Gloſ. c. Agatoſa verb. debeat 27. q. 2. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. col. penult. verſ. caſus autem Lancellotus inſtit. iuris canon. lib. 2. de diuortijs § quæſitum tamen eſt verb. teneri Innocentius c. cum quidem ſtatim in princip. & ibi Ioannes Andreas num. 3. de conuerſ. coniug. D. Bonauentura in 4. diſt. 27. in expoſitione lit. num. 4.*, & quidem, quod altero mortuo non teneatur ad Religionem redire docent *Antonius in d. c. quidem nu. 6., & ibi Abbas num 4. Cardinalis nu. 2. oppoſ. 4 de conuerſ. coniug. Brunellus de ſponſalibus concl. 30 num. 10.* Expreſſe euincitur *ex d. c. quidam de conuerſ. coniug*, vbi ſic legitur *votum non tenuit vnde ratione voti non tenetur ad Religionem redire*, vbi nota illam particulam, *non tenuit*, quæ refertur ad ſui principium, & per illam excluditur illorum opinio, qui aſſerebant votum illud in ſui origine obligare, ſed tantum per reuocationem alterius coniugis, ſeu per alterum coniugem factam caſſari, nota vlterius illam particulam, *vnde ratione voti non tenetur*, quæ importat cauſalitatem, quæ venit in conſequentia ſcilicet ideo non teneri ad Religionem redire, quia votum illud non tenuit. Vlterius ex eo deducitur, quia ſi coniugatus viuente vxore aliud matrimonium ineat nulli prorſus hoc vim habet, nec etiam ſponſalium, ergo etiam ſi coniugatus in Religione viuente vxore, & non conſentiente profiteatur, profeſſio huiuſmodi nullam penitus vim habebit, nec quidem voti ſimplicis eiuſdem Religionis, quandoquidem in vtroq; eadem militat ratio alienationis ſui contra domini voluntatem. Quod ſi obijcias coniugatum etiam vetari ſe contra Domini voluntatem alienare emittendo tria ſolemnia vota in Religione, & nihilominus ſi emittat cenſeri obligatum in vim ſimplicis voti caſtitatis iuxta ſuperius dicta, ergo etiam quantumvis ratione coniugij conſummati prohibeatur ſe alienare contra voluntatem coniugis profitendo ſolemniter Religionem obligabitur ſaltem in vim ſimplicis voti eiuſdem Religionis; videtur etenim eadem ratio militare; ſtatim reſpondebo diſparem omnino eſſe rationẽ, quandoquidem votum ſimplex caſtitatis quantum eſt ex ſe in ſua origine poteſt ſimul compati cum ſtatu coniugali, quandoquidẽ etiam per coniugatos poteſt expreſſe tale votum elici, & per vnum altero ignorante, & non conſentiente, quod quantum eſt ex ſe, ſtatim obligat vouentem ad implementum ipſius, quantum poteſt, ſine præiuditio alterius, qui non conſentit, & ſic non poteſt petere, cum hoc ſit in ipſius libertate, tenetur tamen reddere, quia non reddendo læderet ius alterius, & per conſequens; ſi alter coniux præmoreretur teneretur ad plenam obſeruantiam caſtitatis ratione voti, quod à principio fuit ſubſiſtens, licet

11

Profeſſio emiſſa in Religione per alterũ ex coniugibus poſt conſummatum matrimonium nõ obligat in vim voti ſimplicis Religionis

Reuocatus mortua vxore non tenetur ad Religionẽ redire.

Diſpar ratio de voto ſimplici caſtitatis in coniugatis, & de voto ſimplici Religionis

ratione

Digitized by Google

ratione alterius non eximeret ab obligatione reddendi; profeſſio autem inualida in Religione cum ſit incompatibilis cum actu coniugali ſtante eodem ſtatu in ſua origine eſt omnino inualida, adeoque, nec tractu temporis poteſt conualeſcere; nec poteſt dici, quod ſolemnitèr profitens inualidè intenderit ſe obligare pro tempore, pro quo poterit adimplere, ideſt mortuo altero coniuge; non, inquam dici poteſt, quandoquidem actu profeſſus eſt, & ſupponitur pro tunc ſe voluiſſe obligare, & liberare à coniugio, cum de facto à coniuge ſe ſeparauerit, quod, ſi ſupponas animum expreſſum habuiſſe tantum ſe obligandi à morte coniugis, tunc non renuerem concedere eadem mortua non quidem ex vi profeſſionis tunc elicitæ, ſed vi illius animi, & intentionis relatæ ex expreſſo conſenſu vouentis ad tempus mortis coniugis teneri ad ingrediendum in Religionem. Secunda pars huius aſſerti deducitur directè à prima; ſi etenim inualida eſt abſolutè profeſſio, nec obligat in vim voti ſimplicis liber remanet, qui ſic profeſſus eſt à quocunque onere, & per conſequens etiam ab onere redeundi. Deinde clare euincitur ex eod. textu *in c. quidam de conuerſ. coniug.* Ibi. *Vnde ratione voti non tenetur ad Religionem redire*; nec obeſſe poteſt textus *in c. placet de conuerſ. coniug*, vbi dicitur conſultius, & congruentius foret ad iſtius ſalutem, vt ad monaſterium redeat; Non, inquam, obeſſe poteſt: quia ex quo dicitur *conſultius* manifeſtè deducitur, quod non teneatur redire; Deinde dici poſſet, quod foret conſultius non ratione obligationis prouenientis à profeſſione illa inualida, ſed in pœnam intentati delicti cõtra ius alterius, & propter læſionem Religionis, & irriſionem, cum in eadem voluerit profiteri, ſciens non poſſe.

Ex conſilio poteſt redire, non tenetur ex præcepto.

12 Profeſſus reuocatus per alterũ à Religione non tenetur ad eundem redire ſi reuocans poſt reuocationẽ ceſſerit iuri ſuo.

Ad quartam aſſerendum exiſtimo. Poſt contractum, & conſummatum matrimonium ſic inualide profeſſum in Religione, & reuocatum ab altero non teneri redire ad Religionem, ſi reuocans poſt reuocationem ceſſèrit iuri ſuo, ipſumq; pænituerit reuocationis. Ità ſuſtinent quodquot ſuſtinent noſtram aſſertionem in præcedenti difficultate expoſitam aduerſus *Paludanum in 4. diſt. 27. q. 3. art. 2. num. 16. Silueſtrum verbo diuortium q. 16. caſ. 2.* Ratio eiſdem rationibus, & iuribus deducitur quibus præcedens reſolutum; ſi enim quando reuocatus eſt, & reuocans perijt non tenetur ipſe reuocatus redire ad Religionem propter inualiditatem actus profeſſionis, non video, cur teneatur redire poſtquam reuocatus eſt, & reuocantem pænituerit reuocationis, eadem enim ratio militat inualiditatis profeſſionis.

13 Ad quintum dicendum eſt conſentiente altero coniuge, qui antecedenter ad profeſſionem alterius facultatem non fecerat, poſt eandem emiſſam, nec curãte de profeſſi reditu, quin potius liberè cedente iuri ſuo profeſſionem illam non fieri quidem ipſo iure validam, teneri tamen ſic inualide profeſſum ad nouum actum eliciendum, quo priorem profeſſionem ratificet, ſi alter in ſæculo manens ea præſtet, quæ ex ſui parte neceſſaria ſunt. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia illa profeſſio ſic elicita abſque licentia alterius coniugis ex ſuperius dictis eſt in ſui origine omnino inualida ex defectu poteſtatis vouentis, ratione cuius ex ſuperius dictis, nec obligat in vim ſimplicis voti, ergo, nec tractu temporis poteſt conualeſcere, niſi poſito nouo conſenſu vtriuſque, per quem quodamodo conſtituatur nouus actus; Neque dicas actum prioris conſenſus, quo alter coniux in Religione profeſſus eſt, licet inualide ob negationem licentiæ alterius, moraliter perſeuerare, cum non ſupponatur retractatus, ſicque moraliter vniri cum nouo conſenſu, qui poſt eandem profeſſionem ab altero ponitur, vnde ponuntur ea omnia, quæ requiruntur ad conſtituendam profeſſionem validam: cõtra enim impugnaberis primo, quia ille actus, per quem quis inualidè profeſſus eſt fuit omnino inualidus; nec alicuius roboris, adeoq; ex vi eiuſdem non poteſt conualidari eadem profeſſio etiam accedente poſtea alterius conſenſu propter allegatam rationem, qua dicitur, quod id, quod in ſua origine inualidum eſt, non poſſit tractu temporis conualeſcere. Secundo, quia ex quo ſic profeſſus conatur egredi, præſumitur priorem actum, quo inualide profeſſus eſt, reuocaſſe. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur primo, quia ſic inualidè profeſſus ob non obtentã ab altero coniuge facultatem decepit Religionem, cum qua contraxit coniugium ſpirituale tacens coniugium temporale, quod eidem obſiſtebat, ergo remoto impedimento per liberum conſenſum poſtea præſtitum ab altero coniuge, & exigente Religione conualidationem contractus ſpiritualis tenebitur per nouum conſenſum conualidare potiſſimum in pœnam deceptionis. Secundo efficaci ratione, & paritate colligitur ex textu *in c. pr. de eo, qui duxit in matrimon*, vbi dicitur, quod vir, qui viua vxore contraxit cum alia rei inſcia non audiendus ſit, ſi poſt vxoris mortem, diuortium à poſteriori petat, niſi iſta velit, ibique redditur ratio, ne ſcilicet ex proprio dolo commodum reportet, quod certe poteſt adaptari caſu noſtro. Ex quibus etiam inferre poteris ſolutionem alterius dubij propoſiti, quãdo ſcilicet alter, qui conſenſum non præbuit profeſſioni mortuus eſt, tunc etenim etiam certum eſt

Profeſſio ab altero emiſſa non fit valida ex eo, quod alter conſentiat, tenetur tamẽ ſic profeſſus ratificare, ſi alter præſtet neceſſaria.

Rationes efficaces ad rẽ præſentem.

ipſo

Digitized by Google

ipſo iure non conualeſcere profeſſionem, poſſe tamen in foro externo compelli ad eandem profeſſionem ratificandam propter allatam rationem.

14

Non tenet coniugis profeſſio quando alter, nec poſitiue aſſentitur, nec diſſentit,

Ad ſextam dicendum eſt, quod quando alter coniux, nec conſenſum poſitiuum præbuit, nec diſſenſum profeſſioni alterius, ſed præciſe tacuit, & diſſimulauit, non teneat profeſſio, & per conſequens poſſit per eundem profeſſus reuocari. Primam partem expreſſe ſuſtinet *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 35. nu. 14. Silueſter verb. verb. diuortium q. 16. caſ. 3. Angelus verb. matrimonium 4 nu. 16. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. col. 34. verſ. haſitas ſecundo* ſecundam ſuſtinent *Caldarinus c. 1. de conuerſ. coniug.*, *& ibi Abbas num 7. Ioannes Andreas c. ex part. el pr. eod. tit. num 4. verſ. in 4. caſu, & ibi Ancheranus num. 2. Cardinalis nu. vnico oppoſitione vnica verſ. ſed pro intellectu.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia illa diſſimulatio non eſt licentia, ad validitatem autem profeſſionis requiritur alterius coniugis licentia. Quod ſi dixeris non requiri eſſentialiter licentiam formalem, & expreſſam, ſed ſufficere tacitam, & interpratatiuam, prout etiam diximus in alijs ſimilibus, puta de ſponſalibus, quæ conualidantur per conſenſum interpratatiuum, & tacitum; tacita autem licentia arguitur, tum ex eo, quod taciturnitas in ijs, quæ noxia ſunt tacenti, quæque auertere poteſt loquendo, habetur pro conſenſu *Bartolus in l. qui dotis num. 13. verb. ſi verò contradicendo ff. ſolut. matrimon Caſtrenſis in l. Caius col. 2 ff. de pignor. act. Alexander in l. ſæpe num. 18 ff. de re iud.*, tum ex eo, quod ſi coniux in ſæculo relictus toto vitæ ſuę ſpacio diſſimulauit, cum poſſet reclamare rata efficitur profeſſio propter præſumptam licentiam, & interpratatiuam ratificationem per textum *in c. conſuluit de conuerſ. coniug. Roſella verb. impedimentum impedimento 11. Nauarrus lib. 3. conſil. titul. de conuerſ. coniug. in priori edit. conſ. 4. num. 4., in poſteriori conſ 5. nu 4. Palacios in 4 diſt 27. diſp. 2. verſ. haſitas ſecundo Henriquez lib. 11 de matrimon. c. 5. nu. 10.*

Diſſimulatio non eſt licentia,

Vbi præcedens licentia requiritur non ſufficit interpratatiua ſubſequens.

Si, inquam hæc dixeris; ſtatim impugnaberis, quia interpratatiua licentia ſubſequens non ſufficit, quando ad validitatem contractus requiritur pręcedens expreſſa, nam peto, vel quando profeſſio emiſſa eſt fuit valida, vel non, ſi fuit valida, iam debuit eſſe licentia, quæ vtique non ſupponitur, cæteroqui ceſſaret ratio dubitandi, vel fuit inualida, & tunc non poteſt reddi valida etiam per conſenſum expreſſum alterius, qui remanſit in ſæculo, quia quod ab initio fuit inualidum non poteſt tractu temporis conualeſcere ex conſenſu vnius, cuius facultas requirebatur ab initio, vt ſupra dicebamus, & ſi non poteſt conualeſcere per conſenſum expreſſum, ergo multo minus per conſenſum interpratatiuum, & præſumptum. In particulari ad illud, quo dicitur, quod taciturnitas in ijs, quæ ſunt noxia tacenti, & quibus poteſt occurrere loquendo habeatur pro conſenſu dicendum eſt, hæc ad ſummum verificari, quando præcederet interrogatio, & taciturnitas ſubſequeretur, cum debeat eſſe reſponſio, quia tunc poſſet præſumi pro conſenſu valido, cum eſſet præcedens, ſecus quando nulla præcedente interrogatione emitteretur profeſſio, & poſtea ſubſequeretur illa taciturnitas, ſeu diſſimulatio, quia, cum tunc profeſſio eſſet in radice inualida, non poſſet ex actu negatiuo ſubſequenti conualeſcere, nulla etenim ratione ille conſenſus interprętatiuus retraheretur ad tempus emiſſæ profeſſionis. Cæterum cum ad validitatem profeſſionis requiratur, vt non ſolum alter conſentiat, ſed etiam, quod vel in ſæculo maneat cum voto caſtitatis, vel ipſe etiam tranſeat ad Religionem, ideo &c.

15

Si vterque profeſſus fuerit, & vterque fuerit ignarus profeſſionis alterius non tenet profeſſio,

Ad ſeptimam dicendum eſt, quod ſi vterque profeſſus fuerit ignarus profeſſionis alterius, non teneat profeſſio, vterque tamen teneatur per nouum actum profeſſionem ratificare ſiſtendo in foro externo; ſi vero vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius, & vterque ſimul profeſſionem emiſerit, quatenus ſaltem vterque non ignorarit antecedenter ad profeſſionem alterum eandem eſſe emiſſurum, & tunc probabilius teneret vtriuſque profeſſio, ſi vero vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius ſucceſſiuè, quatenus vnus prius emiſerit, & alter factus fuerit conſcius eiuſdem, & poſtea alter emiſerit, & ſucceſſiuè alter, qui antea profeſſus fuerat, factus fuerit conſcius eiuſdem, tunc profeſſio prioris non tenet, obligatur tamen per nouum actum ad eandem ratificandam ſaltem in foro externo, profeſſio verò poſterioris etiam probabiliter non tenet, quamuis inde oriatur etiam obligatio ratificandi per nouum actum. Ita quoad primam partem *Cardinal. in c. quidam nu. 2. q. 4. de conuerſ. coniug Gulerinus apud Henricum in c. vxaratus num. 13. eod. tit. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 34. num. 24.*, qui tamen non videntur conſentire in eo, quod vterque teneatur per nouum actum ratificare profeſſionem, dum aſſerunt vtrumque poſſe exire, & vnum alterum reuocare. Quod ſecundam conſentit *Sanchez, & DD. praallegati pro prima parte*. Quoad tertiam conſonat cum ſuperius dictis. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ad validitatem profeſſionis inter coniugatos requiritur licentia reſpectiuè vnius ab altero, at in data hypotheſi ignorantiæ vtriuſque quoad profeſſionem alterius reſpectu vtriuſque non interuenit illa licentia,

licentia, quandòquidem qui profitetur ignorans profeſſionem alterius ab eodem facultatem non recipit profitendi; Neque dicas, illam profeſsionem vtriuſque æquivalere mutuæ licentiæ, quandòquidem quantum eſt ex ſe profitens eximit alterum ab onere; quo premebatur erga ſe, & alter etiam profitens acceptat illam oneris remiſsionem, & ſimul eximit alterum ab æquivalenti onere, quo tenebatur. Rurſus ideo requiritur ad profeſsionem validam alterius licentia vnius, ne iſte dicatur inuitus ſpoliatus ſuo iure ab alio, ſed in hac hypotheſi profeſsionis emiſsæ ab vtroque, licet vtroque ignorante profeſsionem alterius, neuter dici poteſt ſpoliatus ab alio, ſed à ſeipſo proprio facto, *Innocentius c. quidam n.2. in fin. de conuerſ. coniug.*, & *ibi Ancharanus ad fin. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 14.*, & *ſeq. Henricus c. vxoratus nu. 13. de conuerſ. coniug.*, ergò &c. Contrà enim impugnaberis, quià licentia non conceſsa, & licentia conceſsa, ſed ignorata ab eo, qui indiget tali licentia, ſibi æquivalent ad effectum validæ, vel inualidæ profeſsionis, & ſicuti ſi alter tantum profiteretur in Religione, & alter in ſæculo manens facultatem ex ſe concederet, non tamen exprimeret, nec notam faceret profitenti non ſufficeret ad validitatem profeſsionis, quià profitens non haberet omnia requiſita ad ſubſtantiam eiuſdem, & profiteretur ſciens inualiditatem ſecus forte non profeſsurus, ſi licentiam cognoſceret interuenire, ità ſi profiteatur in Religione, & alter etiam in alia, adeo tamen, vt neuter nouerit profeſsionem alterius non ſufficeret profeſsio illa ad validitatem actus, quià neuter haberet omnia ſubſtantialitèr requiſita, & profiteretur ſciens inualiditatem, quod vtique compati non poteſt cum ſubſtantia eiuſdem profeſsionis, quæ tantum obligat ſecundum intentionem profitentis, nam ſicuti licentia formalis ignorata non conſtituit actum validum, ità multò minus poteſt conſtituere interpretatiua, & præſumpta etiam ignorata, &, ſi actus eſt inualidus in origine, vtique non poteſt poſteà conualeſcere. Ad illud, quod ſubditur dicendum eſt non propriè proprio facto ſe ipſum ſpoliare, cum inualidus ſit actus, quo ſe expoliat, & dum actus eſt in ſua origine inualidus non poteſt ex alterius profeſsione etiam inualida ratus haberi.

Satisfit aliquibus rationibus oppoſitis.

16
Si vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius, & vterque ſimul emiſerit profeſſionem vtraque tenet.

Ratio ſecundæ partis ex eo habetur, quod ſupra dicebamus, quià quantumvis vterque fuerit ignarus profeſſionis alterius, non tollitur tamen, quin vterque profitendo in Religione eandem Religionem deceperit nō adaperiens coniugium, quo tenebatur, & cum alter etiam profeſsus fuerit in Religione, licet etiam Religionem deceperit tacens illud impedimentum coniugij, videtur tamen ſaltem quoad forum externum, ſecundum quod noſtrum dictum procedit, cedere iuri ſuo in ordine ad alterum, eundemque per conſenſum præſumptum liberum conſtituere, ergò ratione deceptionis, & præſumpti conſenſus alterius tenebitur actum, qui fuerat inualidus, per nouum actum ratificare; atque hoc eſt, quod docebat, *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 34. n. 16. in fin.* per textum *in c. 1. de eo qui duxit in matrimon.*, vbi dicitur, quod vir, qui viua vxore contraxit cum alia rei, ſeù prioris coniugij inſcia, non ſit audiendus, ſi poſt mortem vxoris diuortium à poſteriori petat, niſi hæc velit, quem textum explicat, *Sanchez loc. cit.*, quod procedat, non quià poſterius matrimonium validum ſit, ſed quià ratione deceptionis poteſt deceptor compelli ad idem matrimonium ratificandum; quod ſi hoc verificatur in ordine ad poſterius matrimonium, non video, cur verificari non debeat in ordine ad profeſſionem ſubſequentèr ad matrimonium conſummatum emiſsam in Religione, cum in vtroque caſu militet ratio deceptionis. Quamobrem non percipio quomodo nunc idem *Sanchez d. diſp. n. 24.* aſserat liberum eſse vtrique à Religione exire, & vnum poſse alterum reuocare.

17
Si vterque fuerit antecedentèr conſcius profeſſionis futuræ alterius, & vterque ſimul profeſſus fuerit vtriuſque tenet.

Ratio tertiæ partis, quod ſcilicet, ſi vterque fuerit antecedenter conſcius profeſſiones futuræ alterius, & vterque æque primo profeſsus fuerit, teneat profeſſio, ex eo deducitur, quià vterque habet omnia requiſita ad validitatem eiuſdem, quandòquidem vterque habet alterius licentiam, & vtique non ignoratam, & vterque in ſtatu conſtituitur in quo non poteſt timere de incontinentia alterius; quod autem habeat alterius licentiam ex eo euincitur, quià dum vterque altero ſciente, & quodamodò conſentiente ſe transfert in Religionem ibidem profeſſurus facto ſibi ad inuicem facultatem concedit. Quid enim aliud eſt ſcire alterum velle in Religione profiteri, & decernere etiam ſe velle profiteri, quam annuere alterius profeſſioni, & facto proprio ratificare?

18
Quandò vterque factus eſt conſcius ſucceſſiuè, neutrius tenet profeſſio, vterque tamen tenetur ſuam ratificare.

Ratio quartæ partis, quod ſcilicet, quando vterque eſt quidem conſcius profeſſionis alterius, ſed ſucceſſiuè modo in aſsertione expoſito non teneat, quamvis vterque teneatur ſaltem in foro externo illam ratificare, ex eo deducitur, quià profeſſio prioris, vtpotè ſine facultate alterius in actu exercito eſt in ſua radice abſolutè inualida, ergò per ſubſequentem profeſſionem alterius præcisè cum cognitione poſtea acquiſita eiuſdem prioris non poteſt reualidari. Conſequentia pro-

Digitized by Google

probatur, quià quod fieri nequit, niſi per mutuum duorum conſenſum, & eſt in ſua radice inualidum non poteſt per conſenſum alterius præciſè conualeſcere; Neque dicas ex ijs, quę docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib I. prænot. 5. ſect. 7. aſſert. 6. num. 8.*, *& ſub eod. tit. Diſq. II.* §. 39. *n.* 8., quod ſcilicet, ſi quis ficte promiſerit matrimonium, reualidet præciſè, ſi per actum verum, & realem reuocet fictionem, & tamen contractus eſt in ſua radice inualidus, & ex genere ſuo non poteſt perfici, niſi ex duorum conſenſu; contra enim impugnaberis, quià diſpar omninò eſt ratio de matrimonio inito per fictionem, ac de profeſsione emiſsa per coniugatum ſine licentia alterius, quandòquidem quoad matrimonium, vel ſponſalia inita cum fictione vnius nihil deeſt, quam internus conſenſus illius, qui finxit, per quem reuocetur fictio, cum intelligatur moralitèr perſeuerare conſenſus verus, & realis alterius, & tunc tantum perficitur contractus, quandò hic nouus conſenſus internus accedit, quoad profeſsionem verò emiſſam per alterum coniugatum ſine facultate alterius deficit, & actus validus ex parte profitentis, & facultas requiſita ex parte alterius, vndè accedente alterius facultate, vel expreſſa, vel interpretatiua non ponuntur ea, quæ ſunt de ſubſtantia contractus, niſi ponatur nouus actus eius, qui inualidè profeſsus eſt. Ex hac probatione etiam ſequitur, quod inualida ſit profeſsio poſterioris, ſi etenim prior eſt inualida, ergò per illam non eſt conceſſa facultas alteri emittendi profeſſionem, quandòquidem facultas, ſi quæ eſſet, conſiſteret in profeſsione, à qua deducitur interpretatio; ſi igitur inualida eſt profeſsio in eadem non poteſt fundari interpretatio conceſsæ facultatis; profeſsio autem coniugati ſine alterius facultate per allegata nullius penitus roboris eſt. Deindè profeſsio poſterior vim habet in hac hypotheſi in illa priori alterius, ergò, ſi prior eſt inualida, erit etiam inualida poſterior. Quod deindè vterque per nouum actum teneatur eandem ratificare deducitur ex ſuperius dictis ratione deceptionis, & læſionis Religionis, in qua profeſsi ſunt.

Rationes pro hac quarta parte.

19 Non poteſt coniux poſt conſummatum matrimonium tranſire ad Religionem niſi alter, ſi fuerit ſenex emiſerit votum continentiæ, vel ſi fuerit iuuenis, ingrediatur Religionem.

Aſsertio IV. Non poteſt coniugatus poſt conſummatum matrimonium licitè tranſire, & profiteri in Religione etiam habita alterius licentia, niſi, vel alter, ſi fuerit ſenex, emittat votum continentiæ, vel ſi fuerit iuuenis tranſeat, & profiteatur etiam in Religione. Conſentiunt omnes quos viderim, & expreſsè habetur *in c. cum ſis de conuerſ. coniug. cap. vxoratus eod. tit.*, *& c. ad Apoſtolicam eod. etiam tit.*, vnde cum iura quaod hoc apertè clament, non eſt, cur nos clamemus in probatione eiuſdem.

Difficultas ſolum eſt, an ſicuti ingreſſus, ſeù profeſſio ſine talibus conditionibus per coniugatum conſummato iam matrimonio emiſsa ſcilicet ſine voto continentiæ, vel profeſſione reſpectiuè ad ſenem, & iuuenem eſt illicita, ſit etiam ſine talibus conditionibus inualida. Videtur prima fronte aſſerendum, non ſolum fore illicitam, ſed etiam inualidam præcipuè per textum *in d. c. ad Apoſtolicam de conuerſ. coniugat.*, vbi ſic legitur. *Non eſt alter coniugum recipiendus ad obſeruantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat, ſed & vitam debet mutare, niſi fortè ſit eius ætatis, vt ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo remanere*, quod idem in fortioribus terminis colligi videtur *ex c. 1. in eodem tit.*, vbi vir reuocandus de miniſterio decenitur, niſi vxor ad Religionem tranſierit, aut continentiam in ſæculo vouerit, non poſſet autem reuocari, niſi profeſſio foret inualida. Hoc idem euincitur *ex c. vxoratus de conuerſ. coniug.*, vbi ſic legitur. *Vxoratus ſine licentia vxoris inter eos nullatenus recipiatur, quæ integræ opinionis exiſtat*, nam dictio *nullatenus* inducit actum ipſo iure nullum. Nihilominus ſentiendum eſt eandem profeſsionem, quantumvis illicitam non fore tamen inualidam, ſi alter non emiſerit votum continentiæ, ſi fuerit ſenex, vel profeſsus non fuerit, ſi fuerit iuuenis *Gloſa c. vxoratus verb. nullatenus de conuerſ. coniug.*, *& c. ex part. 1 eod. tit. in fin. Aſtenſis 2 part. ſumma lib. 8. tit. 11. art. 2 q. 11. Silueſter verb. matrimonium 8 q. 12. dict. 4. Durandus in 4. diſt. 32. q. 2. n. 6. Palacios in 4 diſt. 27. diſp. 2. col. ante penult*, *& ibi Riccardus art. 2. q. 4. in corpore*, *Azorius lib. 11. inſtit. mor. c. 1 q. 6.* § *ſi quæras*. Expreſsè colligitur *ex cap. ex parte primo de conuerſ. coning.*, vbi ſic legitur. *Quià verò prædictus licet vxore ſua remanente in ſæculo de iure ad Religionem nequiuerit proficiſci, ea tamen ſublata de medio votum ſine ſuæ ſalutis periculo non poterit violare; mandamus, vt prædictum compellas, vt muliere dimiſſa ad ſuum monaſterium reuertatur ſub regulari habitu de cætero domino ſeruiturus*, quod idem videtur colligi *ex c. Agatoſa 27. q. 2.* Ratio autem aſſerti, & iurium ea eſt, quià ex quo acceſsit licentia alterius coniugati videntur poſita ea omnia, quæ ſunt ſubſtantialia profeſsionis ſolemnis in Religione, nec periculum incontinentiæ in altero poteſt obeſſe, quià ex quo licentiam conceſsit, debet ſibi præcauere per media neceſſaria ad euitandum tale periculum, & hoc eſt de conſequenti, non de formali eiuſdem profeſefsionis. Hinc ad iura oppoſita dicendum eſt ea procedere quoad licitum eſſe, non quoad vali-

20 Profeſſio tamen ſine talibus conditionibus emiſſa non foret inualida.

dum

dum eſſe eiuſdem profeſsionis.

Hic oritur difficultas, an non obſtante, quod ſit valida talis profeſsio emiſſa cum licentia alterius coniugis, non tamen cum requiſitis à iure, nempe cum voto continentiæ in eodem concedente licentiam, ſi fuerit ſenex, vel cum profeſsione, ſi fuerit iuuenis, poſsit ſic profeſsus reuocari.

Sententia aſſerens ſic profeſſum poſſe reuocari.

Videtur prima fronte dicendum, poſſe ſic profeſſum reuocari, quià textus *in c. 1. de conuerſ. coniug.* indiſtinctè concedit ius reuocandi, vbi manens in ſæculo votum caſtitatis non emiſerit, atque ità ſentiunt *Gloſa in eodem cap. 1. ad fin.*, *& ibi Innocentius nu. vnico verſ ſeruare*, *Palacios in 4. diſt. 27. diſp 2. col. 36. Ioannes Andraas c. ex parte el primo num vlt. verſ. in 4. caſu de conuerſ. coniug.*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem licet concedendo licentiam videatur iure ſuo renuntiaſſe, nihilominus, quià renuntiatio non fuit ſufficiens, & perfecta defectu modi ab Eccleſia præſcripti videtur relinquere ius renuntianti reuocandi, *Scotus in 4. diſt. 32. q. vnica Paludanus in 4 diſt. 27. q. 3. art. 2. num.* 19. *Abbas c. vxoratus num* 8. *de conuerſ. coniug.*, atq; iuxta hanc ſententiam abſolute dicendum eſt, quod ſi ſic profeſſus reuocaretur, teneretur reddere debitum, cæteroqui fruſtratoria eſſet reuocatio *Turrecremata c ſenatim diſt. 32. q. 3. n. 4. caſ. 8. Supplementum Gabriellis in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. poſt concluſionem nonam Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. col. antepenul.* Nihilominus cum diſtinctione reſpondendum eſt, vel etenim coniux concedens alteri facultatem profitendi non præſtitis ijs, quæ de iure requiruntur, conſcius erat iuris diſponentis alterum non poſſe profiteri, niſi ipſe eadem à iure præſcripta exequeretur, vel erat penitus ignarus talis iuris. Iuxta primum ſenſum aſſero abſolute non poſſe manentem in ſęculo ſic profeſſum in Religione reuocare. Iuxta ſecundum aſſero poſſe.

21 Si erat conſcius coniux concedens facultate iuris diſponentis, quod ipſe teneatur votum continentiæ emittere, non poteſt alterum reuocare, ſecus ſi fuerit ignarus.

*Gloſa c. qui vxorem 33. q. 5. in fin. Riccardus diſt. 27. art. 2. q. 4. in corpore Vincentius tom. 2. in ſpeculo doctrinali lib. 9 c. 29. Sotus in 4. diſt 7. q. 1. art. 4. col. penult. Angelus verb. matrimonium* 4. *num.* 9 Quoad ſecundam *Silueſter verb. matrimoniū* 8. *q* 12. *diſt. 4. Tabiena verb. matrimonium* 1. *q. 3. num. 4. Roſella verb impedimentum impedim. 10. in principio.* Prima pars euincitur *ex c. qui vxorem 33. q 3.* vbi ſic legitur. *Qui vxorem ſuam velare permiſerit, aliam non accipiat, ſed ſimiliter conuertatur*, & ratio in promptu eſt, quia ex quo ſciens ſe teneri, vel ad votum caſtitatis ſi fuerit ſenex, vel ad profeſſionem in Religione, ſi fuerit iuuenis, ſi permiſerit alterum coniugem profiteri, & cum tali ſcientia de facto permiſerit, vtique ſe obligauit, vel ad votum, vel ad Religionem reſpectiuè, quia qui vult aliquid, præſumitur velle omne id, per quod peruenitur ad illud *l. ad rem mobilem l. ad legatum ff. de procurat.*, ergo ipſe erit potius obligandus ad perficiendum id, ad quod ſe obligauit per illam conceſſionem facultatis, quam alter reuocandus. Secunda pars etiam ex eo liquet, quià nemo obligatur ex facto proprio ſine libertate, non poteſt autem eſſe libertas, vbi eſt defectus cognitionis; ex quibus ſeruata hac diſtinctione poteris reſpondere ad ea, quæ ex aduerſo pro contraria parte afferebantur. Quod ſi ſupponas, eſſe dubium, an ille, qui talem facultatem conceſſit, fuerit conſcius illius iuris, an vero ignarus, tunc in foro externo præſumerem pro negatione talis cognitionis, ſi concedens talem facultatem fuerit fœmina, ſi maſculus, pro exiſtentia eiuſdem, quandoquidem in maſculo videtur habere locum textus *in reg. ignorantia de reg. iuris in 6. Abbas c. 1. num. 9. de conuerſ. coniug.*

Hinc deduces primo, in caſibus, in quibus cum ignorantia concedentis huiuſmodi facultatem alter coniux profeſſus poteſt reuocari, teneatur hic reddere debitum petenti. *Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica Paludanus in 4. diſt. 27. q. 3. art. 2. num. 19. Abbas c. vxoratus num. 8 de conuerſ. coniug*, nec difficilis eſt probatio huius illationis, quia fruſtratoria eſſet abſolutè hæc poteſtas reuocandi in altero coniuge, ſi ille reuocatus non teneretur reddere, nec obeſſe poteſt licentia liberè conceſſa, nam hæc non eſt cum omnibus à iure requiſitis, & ſicuti nō obſtante tali licentia ſupponitur, quod poſſit reuocare, ita ſupponitur, quod poſt reuocationem poſſit exigere debitum, cum in ordine ad illud permittatur reuocatio, &, ſi iſte poteſt exigere, vtique ille tenetur reddere, nam exigere iuſtè, & reddere ſibi ſint correlatiua. 22 Sic reuocatus tenetur reddere.

Deduces ſecundo, quod, ſi ob talem cauſam, vel ſimilem coniux ſic profeſſus de licentia alterius fuerit à Religione reuocatus cum onere reddendi debitum, & poſtea alter coniux fuerit mortuus, non poſſit ille reuocatus ad alias nuptias tranſire, ſed teneatur redire ad Religionem, in qua profeſſus eſt *Hoſtienſis in ſumma tit de conuerſ. coniug. num. 8. Abbas c. 1. nu. 8. eod. tit. Angles Floribus pr. part. vbi de matrimon. q. 1. de eſſentialibus matrimonij diſp. 27. art. 3 difficult. 5.* Ratio facile ex ſuperius dictis deducitur, quia illa profeſſio ſupponitur in ſubſtantia valida, & ſolum permittitur reuocatio ad conſulendum periculo incontinentiæ in altero manente in ſæculo, & ſic profeſſio non extinguitur, ſed ad ſummum, quoad hunc effectum ſuſpenditur, ergo ceſſante tali periculo incontinentiæ in altero ob mortem eiuſdem profeſſio pleno iure obligabit, ſicq; tenebitur profeſſus ad reddendum ad Religio- 23 Mortuo coniuge reuocante reuocatus non poteſt ad alias nuptias trāſire, ſed tenetur redire ad Religionem.



Digitized by Google

ligionem, nec poterit ad alia vota conuolare.

24 Sed, an in hypotheſi, qua ob prædictas cauſas coniux ſic profeſſus poteſt ab altero reuocari, poſſit præuenire reuocationem, & propria auctoritate exire, diſſidium eſt inter *DD.* Hoc tamen diſſidio dimiſſo abſolute ſentio, nec poſſe præuenire reuocationem, nec propria auctoritate exire, quia, cum ſupponatur valida profeſſio, iam profeſſus tenetur, quantum eſt ex ſe ad obedientiam, nec amplius eſt ſui iuris; quinimmo, quantumvis omnes præallegati DD. aſſerant ad petitionem alterius manētis in ſeculo, poſſe reuocari, pleriq; tamen ex illis aſſerunt hoc fieri non poſſe iure actioris, ſed tantum ex officio Iudicis *Gloſa c. vxoratus verbo nullatenus de conuerſ. coniug. Azorius lib. 12. inſtit. moral. c. 1. q. 6. §. ſi quaras, Tabiena verb. matrimonium pr. q. 3. nu. 4. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11 art. 2.*, hocq; ex eo videtur colligi, quod, cum facultatē libere alteri profitendi cōceſſerit, videtur ceſſiſse iuri ſuo, adeoq; ex eodem iure non poſſe agere, ne tamen omnibus auxilijs deſtitueretur maximè cum facultatem non conceſſerit cum omnibus à iure requiſitis, congruum fuit, vt officium Iudicis concederetur, cuius eſt conſulere periculo incontinentiæ manentis in ſæculo.

*Coniux, qui ob prędictas cauſas poteſt reuocari, non poteſt propria auctoritate exire.*

25 Aſſertio V. Si vxoratus profeſſus fuerit cum licentia alterius, ſed metu, vel dolo extorta, profeſſio non tenet, ipſe poteſt per alterum, qui per metum talem licentiam conceſſit, reuocari. *Hoſtienſis c. accedens ad fin. de conuerſ. coniug. Caldarinus c. 1. eod. tit. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 9. Roſella verb. impedimentum impedim. 11. in initio Durandus in 4. diſt. 32. q. 2. num. 6. in fin. Azorius lib. 12. inſtit. maior. c. 1. q. 6. Siluester verb. diuortium quæſt.* 14.

*Profeſſio emiſſa de licētia alterius, ſed metu, vel dolo extorta non tenet.*

Expreſſe colligitur *ex cod. c. accedens de conuerſ. coniug.*, vbi eſt ſermo de vxore graui metu ingreſſa in Religionem. Deinde hoc manifeſte euincitur ex ijs, quæ docuimus de ſponſalibus initis metu cadente in conſtantem virum, nempe eadem eſſe ipſo iure irrita, quinimmo eſſe etiam inualida, ſi contrahantur per procuratorem conſtitutum per metum cadentem in conſtantem virum, non alia ratione niſi, quia, quæ exigunt plenam libertatem, non compatiuntur cum metu; profeſſio autem in Religione eſt ex ijs, quę exigunt plenam libertatem, adeoque non eſt, cur non debeat irritari, ſi fuerit cum metu cadente in conſtantem virum emiſſa; neque dicas, quod metus non cadat ſupra profeſſionem ipſam, ſed duntaxat ſupra licentiam extortam, & proinde non eſt, cur illa debeat in ſua ſubſtantia deſinere, cum habeat liberum conſenſum profitentis; contra enim impugnaberis, quia ad validitatem profeſſionis non ſolum requiritur plena libertas profitentis, ſed etiam, ſic fuerit vxoratus, libera licentia alterius coniugis, quę propterea, ſicuti ſi defficeret ſimpliciter, irritaret plene eandem profeſſionem quoad ſubſtantiam, ita ſi deficeret ſecundum libertatem, dirimeret etiam ipſam. Confirmatur, quia licentia negata, & licentia per metum cadentem in conſtantem virum conceſſa quoad effectum obligandi, vel non obligandi ſibi ad inuicem ęquiualent, ergo, ſicuti ſine licentia manentis in ſæculo profeſſio eſſet abſolute irrita, & profeſſus poſſet reuocari iure actionis à Religione ad petitionem manentis in ſæculo, ita ſi fuerit, ſine licentia liberè, ſed metu cadente in conſtantem virum emiſſa, erit etiam irrita, & profeſſus iure actionis erit reuocabilis. Hinc non immerito docent *Henricus in c. places num. 2. de conuerſ. coniug. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 35 num. 8.*, quod ea omnia, quæ dicuntur de profeſſione emiſſa per vxoratum ſine licentia alterius, intelligenda ſint de eadem, vt emiſſa per licentiam extortam per metum cadentem in conſtantem virum, vnde quoad hoc vos remitto ad ea, quæ ſuperius dicta ſunt.

*Metus, vel dolus demit plenā libertatem*

Aſſertio VI. Si vxoratus, ſine alterius facultate, vel cum eadem, ſed metu cadente in conſtantem virum profeſſus fuerit in Religione, & alter in ſæculo manens interim fornicatus fuerit, non poteſt amplius per eundem manentem in ſæculo reuocari, poterit tamen ipſe quaſi renuntiando iuri, quod acquiſiuit, ex adulterio, exire, & coniugi ſe reſtituere. Ita quoad primam partem *Ioannes Andreas c. veniens num. 5. de conuerſ. coniug. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 7. Brunellus de ſponſalib. concl. 30. declarat. 8. num. 12.*, qui cum doceant, nec poſſe ipſum profeſſum innocentem propria auctoritate exire ſe quodamodo reconciliando adultero, à fortiori docere tenentur adulterum, & noxium non poſſe reuocare; vlterius in his terminis eandem primam partem ſuſtinent *Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. ad fin. verſ. caſus autem, Bartolomeus à Ledeſma dub. 64. de matrimonio poſt tertiam concluſionem §. annotare oportet 2.* Quoad ſecundam *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 36. num.* 3. 26

*Manens in ſæculo ſi fornicatus fuerit poſt profeſſionē alterius non poteſt profeſſum reuocare.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod habetur *in c veniens de conuerſ. coniug.* vbi dicitur, quod ob ſubſequentem fornicationem ius amiſerit, quod ſibi competebat ex profeſſione emiſſa ſine propria facultate, ibique redditur ratio, nā, ſi ipſe opponat negationem propriæ facultatis requiſitæ ad validam profeſſionem, profeſſus poterit intentionem elidere exceptione

tione commiſſæ fornicationis; Neque dicas, hanc exceptionem eidem profeſſo non poſſe ſuffragari, nam ſic excipienti poſſet adulter opponere fornicationem, ſeu adulterium ex cauſa profeſſi commiſſum, ex quo ſine propria facultate profeſſus fuerit, & manentem in ſæculo per receſſum ab eodem ſuppoſuerit periculo fornicandi, ſeu adulterandi; Contra enim impugnaberis, quia illo periculo manens in ſæculo poterat obuiare ipſum profeſſum reuocando, quod, ſi non præſtiterit, debet propriæ culpæ, & iniuriæ imputare. Quod ſi ſupponas manentem in ſæculo facultatem conceſſiſſe alteri profitendi, ſed non liberè, at cum metu cadente in conſtantem virum, eandemque cauſam perſeuerare quoad metum, quatenus ex eadem timeat, ſi reuocet, & interim, cum non poſſit obuiare illi periculo, fornicetur, tunc etiam crederem ob ſubſequentem fornicationem ius amittere reuocandi ſic profeſſum, quia ſic profeſſus fuit tantummodo cauſa remota, & occaſio adulterij, quod propterea non priuat eundem iure diuortij, vt in ſimilibus docent *Petrus Ledeſma q.62. art 1. Sanchez lib. 10. diſp. 5. nu. 7. Coninchus diſp. 35. num. 7. Henriquez lib. 11. de matrimon. c.17. num. 4. Reginaldus lib. 31. num.321. Gutierez c 129. nu.8.* de eo, qui vxorem domo iniuſtè expellit, eamque deſerit, aut neceſſaria alimenta denegat per textum *in c. ſignificaſti de diuort.*, vbi vir non cogitur adulteram recipere, non obſtante allegata per ipſum exceptione, quod vir in cauſa fuerit ipſam iniuſte expellens, & ibi *Gloſa verb. compulſam*, vbi etiam adducit rationem, quia ſcilicet mulier nulla ad fornicandum adduci debet ratione per textum in *c. ita ne 32. q 5.* idem deciditur *c. ex literis de diuortijs & l. palam ff. de ritu nupt.*; quod ſi hæc verificantur, quando fęmina vxorata reiecta eſt à domo mariti, quantumvis iniuſte, non video, cur verificari non debeat, quando maritus iniuſtè ſe retrahit ab vxore, cum eadem militet ratio. Neque obeſſe poteſt textus *in c. ſi tu abſtines 37. q. 2.*, vbi ſic legitur *ſi tu abſtines ſine uxoris voluntate tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tua imputabitur abſtinentia*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in hoc textu per lij *licentiam*, vt ibi explicat Gloſa, importatur ſolummodo occaſio, quatenus abſtinens dicatur tribuiſſe occaſionem fornicandi; quod ſi ſubdatur, *& peccatum illius tua imputabitur abſtinentia*, hoc intelligendum eſt ſub ſimilibus terminis, quod ſcilicet imputabitur occaſionalitèr, quatenus occaſionem dedit, non formalitèr, quatenus ipſe poſitiuè influxerit in peccatum.

Rationes, & iura aſſertionis, & eluſiones exceptionum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ex adulterio alterius coniugis prouenit quidem, quod adulter non poſſit obligare innocentem ad reddendum ipſi debitum, nec ipſe petere; non tollit tamen ius innocentis, quod poſſit petere, & remittere iniuriam ſibi illatam per adulterium *arg. l. 1. C. vt ne inuitus agere cap. ad Apoſtolicam de Regul.*, & ſicuti coniux præſcindendo etiam à profeſſione in Religione poteſt remittere alteri adulteranti iniuriam ſibi factam per adulterium, ità etiam poteſt remittere, quantumvis fuerit profeſſus, ſed inualidè, vel ob negatam ſibi licentiam ab altero profitendi, vel ob licentiam extortam per metum cadentem in conſtantem virum, quandòquidem illa profeſſio ex ſupradictis eſt omninò inualida; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod quantumvis ipſe poſſit remittere iniuriam ſibi illatam per adulterium, poſſit tamen obſiſtere monaſterium, in quo profeſſus eſt excipiendo de tali iniuria, quià per profeſſionem verè ius reale, & perſonale profeſſi tranſit in monaſterium; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià cum illa profeſſio fuerit omninò inualida, nullum ius, nec reale, nec perſonale profeſſi tranſit in monaſterium.

Poteſt tamen ſic profeſſus quaſi renuntiando iuri, quod acquiſiuit ex adulterio alterius exire.

Hic plura venirent diſcutienda de huiuſmodi profeſſo, vel ſine licentia, vel cum licentia per metum, vel dolum extorta poſt mortem coniugis, qui vel non dedit licentiam, vel ſi dedit, dedit iniuſtè, an ſcilicet conualeſcat, ſi immediate profeſſus non reclamauerit, an, ſi diutino tempore poſt mortem perſeuerauerit ſine exceptione in monaſterio, intelligatur ratificare, an intra quinquennium à morte alterius coniugis poſſit reclamare de inualiditate eiuſdem, & his ſimilia; ſed quià de his infra occurret ſermo in diſquiſitionibus, ideo ad ea vos remitto.

---

## PRÆNOTIO X.

### De Impedimento dirimente cognationis.

AMpliſſimas controuerſias aggredimur ſub hoc titulo præcipuè in ordine ad diuerſam cognationem, quæ triplex eſt, altera ratione ſanguinis, quæ dicitur cognatio carnalis, altera ratione ſacramenti baptiſmatis, & confirmationis, quæ dicitur ſpiritualis, altera ratione adoptionis, ſeù arrogationis, quæ dicitur legalis, vt potè à lege inducta. De hac triplici cognatione in præſenti prænotione agemus ſecundum omnes ſuas rationes, conditiones, qualitates, & effectus, ſed quià hæc nimium ampla euaderet, & in tot

tot quæſtionum, quæ inde emergunt multitudine, confuſio oriretur, ideo maioris ordinis, & claritatis gratia placet præſentem prænotionem in plures ſectiones diuidere, in quibus ſingillatim de vnaquæque, & earum conditionibus diſſeremus.

---

## SECTIO. I.

### Quid ſit cognatio carnalis, quid linea, gradus, & ſtipes in eadem.

### SVMMARIVM.

*Quid propriè ſit cognatio carnalis.* 1.
*Quid veniat nomine linea.* 2.
*Linea duplex, altera recta, altera tranſuerſalis, & vtraque explicatur.* 3.
*Linea recta duplex altera aſcendentium, altera deſcendentium.* 4.
*Linea tranſuerſalis etiam duplex altera æqualis, altera inæqualis.* 5.
*Quid veniat nomine graduum* 6.
*Quomodo in linea tranſuerſali computentur huiuſmodi gradus in iure ciuili, & canonico.* 7.
*Regula pro computandis his gradibus.* 8.
*Explicatur in particulari, quando ius ciuile computet hos gradus in ordine ad ſucceſſiones.* 9.
*Quid veniat nomine ſtipitis.* 10.
*Arbor conſanguinitatis.* 11.

Ethimon nominis cognationis carnaliter.

COgnatio carnalis, quæ etiam conſanguinitas, & quidem propriè dicitur, ſpectata nominis ethimologia à ſanguinum commixtioſa, ſeù coniunctione nomen accipit, & ſignificationem; ex eo etenim, quod duo maſculus ſcilicet, & fæmina carnalitèr commiſceantur fiunt duo in carne vna, & omnes ab eiſdem deſcendentes propter mediatam, vel immediatam ſanguinum commixtionem, & coniunctionem conſtituuntur tum cum illis ſum inter ſe conſanguinei. Hinc non immerito DD. explicantes naturam eiuſdem cognationis, ſeù conſanguinitatis eam ſic definiunt,

1 Definitio cognationis carnalis.

*Eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum*, *D. Thomas in 4. diſt. 40. q. vnica art. 1.*, & eam definitionem communiter admittunt tàm Theologi, quàm iuris canonici, & ciuilis interpretes. Dicitur *vinculum*, quod ſumendum eſt non ſolum formalitèr, quatenus importet vnitatem ſanguinis in ijs, qui conſtituunt ſtipitem, & coniunctionem ratione eiuſdem ſanguinis in deſcendentibus, cum quodamodò propagetur in ipſis, ſed etiam cauſatiuè, quatenus inter ipſos coniuctos ſanguine cauſat amicitiam, & maiori etiam affectu, & neceſsitudine coniunguntur, & per hoc, quod cauſatiuè importet vinculum amicitię, conſanguinitas propriè non eſt inter animatia. quæ quamuis eodem ſanguine propagentur, quià tamen inter ipſa non poteſt eſſe amicitia, ideo non poteſt eſſe conſanguinitas. Dicitur, *ab eodem ſtipite deſcendentium*; Nomine ſtipitis, vt infra videbimus, venit ea perſona, à qua cęterę dicuntur diſcendentes; arguunt hic nonnulli definitionem hac eſſe mutilam, niſi ei addatur particula, *proximo*, quandòquidem ſine illa omnes diceremur conſanguinei, cum omnes ab Adamo tanquam à communi ſtipite deſcendamus.

Explicatur per ſua membra definitio.

Sed merito ab hac nota conatur definitionem vendicare *D. Thomas in 4. diſt. 40. q. vnica art. 1. ad primum*, dum aſſerit per illam particulam *ſtipite* preciſe ſufficientèr indicari propinquitatem requiſitam ad conſtituendam conſanguinitatem, nam cum referatur ad deſcendentes, ita accipiendus eſt, vt virtus eius in eiſdem difundatur; cum autem virtus ſtipitis eo magis diminuatur, quo magis ſucceſsiuè in pluribus diſperditur, hinc eſt, quod per ſucceſsiuas deſcendentias taliter fiat diminuta, vt pro nihilo habeatur; ſi tamen placet adde illam particulam *proximo*, *ſeù propinquo*; clarius enim explicat naturam conſanguinitatis, & conceptus definitionis debet eſſe expreſsior. *Dicitur ex carnali propagatione contractum*, per quam particulam explicatur ſpecialis dependentia, quæ requiritur ad contrahendam conſanguinitatem; non enim ſufficit dependentia quomodocunque, cæteroqui Angeli eſſet conſanguinei, *Deo* cum per creationem ab ipſo dependeant, & Eua eſſet conſanguinea Adamo, cum ex eius coſta fuerit propagata, quæ tamen, quià non fuit propagata per carnalem generationem, non dicitur eius conſanguinea.

2 Quod veniat nomine lineæ.

Conſanguinitas ſic explicata habet lineas, & gradus; Nomine lineæ intelligo ordinem illum, quem perſonæ deſcendentes ſeruant inter ſe, tum cum communi ſtipite deſumpta paritate à linea metamatica, in qua plura continentur puncta ab inuicem dependentia. Hæc autem linea duplex eſt, altera recta, altera tranſuerſalis;

3 Linea duplex altera recta, altera tranſuerſalis.

recta eſt, quæ reperitur inter perſonas, quæ ità deſcendunt à ſtipite, vt etiam vna ab alia per carnalem propagationem directè procedat; tranſuerſalis illa eſt, quia perſonæ, quæ dicuntur lateralitèr coniunctę, dependent quidem ab eodem ſtipite per carnalem propagationem

Digitized by Google

nem, non tamen vna illarum ab altera carnaliter procedat; in prima linea ſunt Pater, & filius, & filius filij, & ſic ſucceſſiue; in ſecunda ſunt duo fratres procedentes ab eodem ſtipite, & filij vnius ex fratribus comparati ad filios alterius, & ſic ſucceſſiue, quamuis enim iſti communicent cum eodem ſtipite, non tamen communicant inter ſe per carnalem propagationem, & dependentiam propriè ſumptam. Porro linea recta duplex eſt, altera aſcendentium, per quam à genitis procedimus ad genitores, altera deſcendentium per quam à progenitoribus deſcendimus ad

4 Linea recta duplex altera aſcēdentium, altera deſcendēuū.

genitos ſucceſſiue. Vt autem dignoſcatur quomodo habeatur linea aſcendentium directè nota nomina aſcendentium, primo venit filius, ſecundo aſcenditur ad Patrē, à Patre proceditur ad auum, ab Auo ad proauum, à Proauo ad Abauum, & ſic ſucceſſiue aſcendendo; linea autem deſcendentium ſic computatur ab Abauo deſcendimus ad proauum, à proauuo ad auum, ab auo ad patrē, à Patre ad filium, à filio ad Nepotem, à Nepote ad pronepotem, à pronepote ad abnepotem &c. Rurſus linea etiam tranſuerſalis quaſi duplex eſt, altera, qua æqualiter participant de eodem ſtipite, altera, qua inæqualiter. Vt autem hæc linea cognoſcatur primo conſtitue ſtipitem, qui ſit Pater, & Mater, deinde in duas lineas diuide, quatenus ab eodem Patre, & Matre gignantur duo filij,

5 Linea tranſuerſalis etiam duplex, altera æqualis, altera inæqualis.

ſeu frater, & ſoror: in vna linea ab vna parte conſtituatur frater, in altera ex altera ſoror, ſic ex vna parte deſcendimus à fratre ad filium fratris, à filio fratris, ad nepotem fratris nepti, à nepote fratris ad fratris pronepotem pronepti, ex altera deſcendimus à ſorore ad filium ſororis, à ſororis filio, ad ſororis neptem, à nepte ſororis ad proneptem, & ſic ſucceſſiue; conſtituti autem in huiuſmodi lineis quamuis per propagatione͂ carnalem deſcendant à primo ſtipite, comparati tamen ad inuicem contenti in vna linea ad contentos in alia ab inuicem non dependent per carnalem generationem.

6 Quod veniat nomine graduū.

Nomine autem graduum in huiuſmodi lineis, ſiuè rectis, ſiue tranſuerſalibus intelligo habitudinem diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quanta diſtantia perſonę inter ſe defferant, & dicuntur gradus ad ſimilitudinem graduum ſcalarum, quia ita gradimur de proximo in proximum, & per quos gradatim aſcendimus, & deſcendimus *l. iuris conſultus verſ. gradus ff. de gradibus*. Hos gradus in linea recta eodem modo computat ius canonicum, & ciuile, in linea vero tranſuerſali diuerſimodè, nam ſecundum ius canonicum, ſi perſonæ, de quibus agitur æqualitèr diſtent a communi ſtipite æqualiter diſtant etiam inter ſe, & ſic duo fratres attinent ſibi in primo gradu, quia per vnum gradum diſtant à communi ſtipite, ſi vero inæqualitèr diſtent eo gradu diſtant inter ſe, quo remotior eorum diſtat à communi ſtipite, & ſic ſi duo fratres diſtant ſolummodo inter ſe vno gradu filius vnius ex his fratribus diſtat ab altero fratre in ſecundo gradu, quia filius, qui eſt remotior, diſtat tali gradu à communi principio, nempe à ſtipite; ſecundum vero ius ciuile res diuerſimodo ſe habet, nam duo fratres ſunt in ſecundo gradu, filij duorum fratrum in quarto, nepotes in ſexto, cuius diuerſitatis ratio aſſignatur in textu *in c. ad ſedem 35. q. 5.* ad quem vos remitto. Regulæ autem ad computandos huiuſmodi conſanguinitatis gradus variæ aſſignantur à DD., ſed tres tantum placet cum *D. Thoma in 4. diſt. 40. q. vnica art. 2. in corpore* aſſignare; alterum pro linea recta, duas pro tranſuerſali. Prima pro linea recta hæc eſt, vt vna perſona ex alia propagetur eorum, inter quos gradus conſideratur, ita vt, qui primo in proceſſu propagationis occurrit alteri, vel aſcendendo, vel deſcendendo conſtituatur in primo gradu cum illo, qui ſecundo occurrit conſtituatur in ſecundo gradu, & ſic ſucceſſiuè, quam regulam ſub alijs terminis explicant alij, & præcipue *Gloſa in explicatione arboris conſanguinitatis tit. de conſang., & affin. Silueſter verb. matrimonium 8. n. 6. Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 50. num. 4.*; aſſerunt enim, quod cōputentur perſonę medię inter eas, & de quibus quæritur, & ſi nulla ſit media ſint in primo gradu, ſi aliæ perſonæ medient, tot gradibus diſtent, quot perſonæ mediant dempta vna perſona; Hoc exemplificat *Sanchez loc. cit.* in Nepote, & duo, qui ſunt in ſecundo gradu aſcendendo, & deſcendendo, quia ibi ſunt tres perſonæ duæ extremæ, nempe Auus, & Nepos, & vna media ſcilicet Pater reſpectu vnius, & filius reſpectu alterius, & ſic dempta vna remanent duæ perſonæ, quæ propterea diſtant inter ſe in ſecundo gradu. Secunda regula pro linea tranſuerſali æquali explicatur hoc pacto, vt perſonæ de quibus agitur eo gradu inter ſe diſtent, quo diſtant à communi ſtipite, & ſic duo fratres ęqualiter diſtant inter ſe, nempe in primo dumtaxat gradu, quia primo gradu diſtant à ſtipite, nempe à patre, qui eſt ſtipes reſpectu vtriuſque, filij duorum fratrum diſtent inter ſe in ſecundo gradu, quia diſtant ab eodem ſtipite in eodem ſecundo gradu, & ſic ſucceſſiue. Quod ſi dicas filium coniunctiorem eſſe parentibus, quam alteri fratri, & ſic non valide fieri talem computationem; tunc dicam eſſe coniunctiorem parentibus perfectione intenſiua, non autem extenſiua, quæ ſolum attenditur. Tertia regula pro linea tranſuerſali inæquali hæc eſt, vt

7 Quomodo in linea tranſuerſali computentur huiuſmodi gradus à iure ciuili, & canonico.

8 Regulæ pro computandis his gradibus.

tantum

Digitized by Google

Qui profeſſus eſt in Religione altero coniuge inuito ſi emiſit vota ſolummodo dependenter à Religione reuocatus poteſt reddere, & petere debitum.

dendum exiſtimo, vel etenim ille, qui poſt contractum, & conſummatum matrimonium abſq; alterius coniugis facultate tria vota ſubſtantialia Religionis in illa profeſſione inualida emiſit, eadem elicuit dependentur à tali profeſſione, & ex fine immediate permanendi in Religione, vel abſolutè elicuit cum animo ſe obligandi eo modo, quo ſe obligare potuit. Iuxta primum ſenſum ſentio nedum poſſe reddere, ſed etiam petere, & exigere, perinde, ac ſi vota illa non elicuiſſet. Iuxta ſecundum teneri reddere, nō autem poſſe peccare, & multo minus exigere. Ita quoad primam partem *Sanchez de matrimon. lib. 7 diſp. 34. num. 3.* quoad ſecundam *Ioannes Andreas c. vnico de voto in 6. ad finem. & ibi Dominicus nu 14. Brunellus de ſponſal. concl. 31. num 7.*

10

Si vero abſolutè elicuit vota cum animo ſe obligandi quātum poteſt tenetur reuocatus reddere, non tamen poteſt petere

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia vota ſemper obligant ſecundum intentionem vouentis non alitèr, nec alio modo, ſiquidem totam vim ſortiuntur ab eadem intentione, & à libertate vouentis, cum ad illa vota nullo iure compellatur, ergo cum in hac hypotheſi vouens in tantum ſe obligare intenderit, in quantum voluerit validam profeſſionem, & cum fine immediato permanendi in Religione, & non aliter eadem profeſſione non ſubſiſtente, nec volente eodem permanere in Religione nullo modo obligabitur ad illa vota, ſicque non obſtantibus illis votis tanquam inualidis poterit, & licitè reddere, & honeſtè petere, quinimmo, & exigere. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod habetur *in c. quidam, & c. placet de conuerſ. coniug.*, vbi dicitur, quod profitens in Religione inualide teneatur ob ſui profitendi intentionem voto ſimplici caſtitatis, & in hoc valet ratio, quod actus, qui non valet eo modo, quo fit, valeat modo, quo valere poteſt iuxta textum *c. vnico §. porro de deſponſ. impub. in 6.* Quod ſi ſupponas non conſtare, an ille, qui profeſſus eſt, habuerit intentionem, vel iuxta primum, vel ſecundum ſenſum, tunc præſumendum eſt pro ſecundo ſenſu iuxta textum *in c. quidam, & c. quadam de conuerſ. coniug.* ea proportionali ratione, qua impuberes matrimonio inepti præſumuntur ſe adſtringere voluiſſe in matrimonio per eoſdem contracto eo modo quo potuerunt, adeoque obligari ad ſponſalia per textum *in c. vnico de deſponſat. impub. in 6.*

11

Profeſſio emiſſa in Religione per alterū ex coniugibus poſt conſummatum matrimonium nō obligat in vim voti ſimplicis Religionis

Ad tertiam probabilius ſentiendum exiſtimo Profeſſionem emiſſam in Religione per alterum ex coniugibus poſt conſummatum matrimonium non obligare in vim ſimplicis voti Religionis adeoq; ſic inualidè profeſſum ſi reuocetur per alterum manentem in ſæculo non teneri eo mortuo ad Religionem redire *Gloſſ. c. Agatoſa verb. debeat 27. q. 2. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. col. penult. verſ. caſus autem Lancellotus inſtit. iuris canon. lib. 2. de diuortijs § quæſitum tamen eſt verb. teneri Innocentius c. cum quidem ſtatim in princip. & ibi Ioannes Andreas num. 3. de conuerſ. coniug. D. Bonauentura in 4. diſt. 27. in expoſitione lit. num. 4.*, & quidem, quod altero mortuo non teneatur ad Religionem redire docent *Antonius in d. c. quidem nu. 6., & ibi Abbas num 4. Cardinalis nu. 2. oppoſ. 4. de conuerſ. coniug. Brunellus de ſponſalibus concl. 30 num. 10.* Expreſſe euincitur *ex d. c. quidam de conuerſ. coniug*, vbi ſic legitur *votum non tenuit vnde ratione voti non tenetur ad Religionem redire*, vbi nota illam particulam, *non tenuit*, quæ refertur ad ſui principium, & per illam excluditur illorum opinio, qui aſſerebant votum illud in ſui origine obligare, ſed tantum per reuocationem alterius coniugis, ſeu per alterum coniugem factam caſſari, nota vlterius illam particulam, *vnde ratione voti non tenetur*, quæ importat cauſalitatem, quæ venit in conſequentia ſcilicet ideo non teneri ad Religionem redire, quia votum illud non tenuit.

Reuocatus mortua vxore non tenetur ad Religionē redire.

Vlterius ex eo deducitur, quia ſi coniugatus viuente vxore aliud matrimonium ineat nullū prorſus hoc vim habet, nec etiam ſponſalium, ergo etiam ſi coniugatus in Religione viuente vxore, & non conſentiente profiteatur, profeſſio huiuſmodi nullam, enitus vim habebit, nec quidem voti ſimplicis eiuſdem Religionis, quandoquidem in vtroq; eadem militat ratio alienationis ſui contra domini voluntatem. Quod ſi obijcias coniugatum etiam vetari ſe contra Domini voluntatem alienare emittendo tria ſolemnia vota in Religione, & nihilominus ſe emittat cenſeri obligatum in vim ſimplicis voti caſtitatis iuxta ſuperius dicta, ergo etiam quantumvis ratione coniugij conſummati prohibeatur ſe alienare contra voluntatem coniugis profitendo ſolemniter Religionem obligabitur ſaltem in vim ſimplicis voti eiuſdem Religionis; videtur etenim eadem ratio militare: ſtatim reſpondebo diſparem omnino eſſe rationē, quandoquidem votum ſimplex caſtitatis quantum eſt ex ſe in ſua origine poteſt ſimul compati cum ſtatu coniugali, quandoquidē etiam per coniugatos poteſt expreſſe tale votum elici, & per vnum altero ignorante, & non conſentiente, quod quantum eſt ex ſe, ſtatim obligat vouentem ad implementum ipſius, quantum poteſt, ſine præiuditio alterius, qui non conſentit, & ſic non poteſt petere, cum hoc ſit in ipſius libertate, tenetur tamen reddere, quia non reddendo lederet ius alterius, & per conſequens, ſi alter coniux præmoreretur teneretur ad plenam obſeruantiam caſtitatis ratione voti, quod à principio fuit ſubſiſtens, licet

Diſpar ratio de voto ſimplici caſtitatis in coniugatis, & de voto ſimplici Religionis

ratione

Digitized by Google

ratione alterius non eximeret ab obligatione reddendi; profeſſio autem inualida in Religione cum ſit incompatibilis cum actu coniugali ſtante eodem ſtatu in ſua origine eſt omnino inualida, adeoque, nec tractu temporis poteſt conualeſcere; nec poteſt dici, quod ſolemnitèr profitens inualidè intenderit ſe obligare pro tempore, pro quo poterit adimplere, ideſt mortuo altero coniuge; non, inquam dici poteſt, quandoquidem actu profeſſus eſt, & ſupponitur pro tunc ſe voluiſſe obligare, & liberare à coniugio, cum de facto à coniuge ſe ſeparauerit, quod, ſi ſupponas animum expreſſum habuiſſe tantum ſe obligandi à morte coniugis, tunc non renuerem concedere eadem mortua non quidem ex vi profeſſionis tunc elicitæ, ſed vi illius animi, & intentionis relatæ ex expreſſo conſenſu vouentis ad tempus mortis coniugis teneri ad ingrediendum in Religionem. Secunda pars huius aſſerti deducitur directè à prima, ſi etenim inualida eſt abſolutè profeſſio, nec obligat in vim voti ſimplicis liber remanet, qui ſic profeſſus eſt à quocunque onere, & per conſequens etiam ab onere redeundi. Deinde clare euincitur ex eod. textu *in c. quidam de conuerſ. coniug.* Ibi: *Vnde ratione voti non tenetur ad Religionem redire*; nec obeſſe poteſt textus *in c. placet de conuerſ. coniug.*, vbi dicitur conſultius, & congruentius foret ad iſtius ſalutem, vt ad monaſterium redeat; Non, inquam, obeſſe poteſt; quia ex quo dicitur *conſultius* manifeſtè deducitur, quod non teneatur redire; Deinde dici poſſet, quod foret conſultius non ratione obligationis prouenientis à profeſſione illa inualida, ſed in pœnam intentati delicti cõtra ius alterius, & propter læſionem Religionis, & irriſionem, cum in eadem voluerit profiteri, ſciens non poſſe.

**Ex conſilio poteſt redire, non tenetur ex præcepto.**

12 **Profeſſus reuocatus per alterũ à Religione non tenetur ad eundem redire ſi reuocans poſt reuocationẽ ceſſerit iuri ſuo.**

Ad quartam aſſerendum exiſtimo. Poſt contractum, & conſummatum matrimonium ſic inualide profeſſum in Religione, & reuocatum ab altero non teneri redire ad Religionem, ſi reuocans poſt reuocationem ceſſerit iuri ſuo, ipſumq; pœnituerit reuocationis. Ità ſuſtinent quodquot ſuſtinent noſtram aſſertionem in præcedenti difficultate expoſitam aduerſus *Paludanum in 4. diſt. 27. q. 3. art. 2. num. 16. Silueſtrum verbo diuortium q. 16. caſ. 2.* Ratio eiſdem rationibus, & iuribus deducitur quibus præcedens reſſolutum; ſi enim quando reuocatus eſt, & reuocans perijt non tenetur ipſe reuocatus redire ad Religionem propter inualiditatem actus profeſſionis, non video, cur teneatur redire poſtquam reuocatus eſt, & reuocantem pœnituerit reuocationis, eadem enim ratio militat inualiditatis profeſſionis.

13 Ad quintum dicendum eſt conſentiente altero coniuge, qui antecedenter ad profeſſionem alterius facultatem non fecerat, poſt eandem emiſſam, nec curãte de profeſſi reditu, quin potius liberè cedente iuri ſuo profeſſionem illam non fieri quidem ipſo iure validam, teneri tamen ſic inualide profeſſum ad nouum actum eliciendum, quo priorem profeſſionem ratificet, ſi alter in ſæculo manens ea præſtet, quæ ex ſui parte neceſſaria ſunt. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia illa profeſſio ſic elicita abſque licentia alterius coniugis ex ſuperius dictis eſt in ſui origine omnino inualida ex defectu poteſtatis vouentis, ratione cuius ex ſuperius dictis, nec obligat in vim ſimplicis voti, ergo, nec tractu temporis poteſt conualeſcere, niſi poſito nouo conſenſu vtriuſque, per quem quodamodo conſtituatur nouus actus; Neque dicas actum prioris conſenſus, quo alter coniux in Religione profeſſus eſt, licet inualide ob negationem licentiæ alterius, moraliter perſeuerare, cum non ſupponatur retractatus, ſicque moraliter vniri cum nouo conſenſu, qui poſt eandem profeſſionem ab altero ponitur, vnde ponuntur ea omnia, quæ requiruntur ad conſtituendam profeſſionem validam: cõtra enim impugnaberis primo, quia ille actus, per quem quis inualidè profeſſus eſt fuit omnino inualidus, nec alicuius roboris, adeoq; ex vi eiuſdem non poteſt conualidari eadem profeſſio etiam accedente poſtea alterius conſenſu propter allegatam rationem, qua dicitur, quod id, quod in ſua origine inualidum eſt, non poſſit tractu temporis conualeſcere. Secundo, quia ex quo ſic profeſſus conatur egredi, præſumitur priorem actum, quo inualide profeſſus eſt, reuocaſſe. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur primo, quia ſic inualidè profeſſus ob non obtentã ab altero coniuge facultatem decepit Religionem, cum qua contraxit coniugium ſpirituale tacens coniugium temporale, quod eidem obſiſtebat, ergo remoto impedimento per liberum conſenſum poſtea præſtitum ab altero coniuge, & exigente Religione conualidationem contractus ſpiritualis tenebitur per nouum conſenſum conualidare potiſſimum in pœnam deceptionis. Secundo efficaci ratione, & paritate colligitur ex textu *in c. pr. de eo, qui duxit in matrimon.*, vbi dicitur, quod vir, qui viua vxore contraxit cum alia rei inſcia non audiendus ſit, ſi poſt vxoris mortem, diuortium à poſteriori petat, niſi iſta velit, ibiq; redditur ratio, ne ſcilicet ex proprio dolo commodum reportet, quod certe poteſt adaptari caſu noſtro. Ex quibus etiam inferre poteris ſolutionem alterius dubij propoſiti, quãdo ſcilicet alter, qui conſenſum non præbuit profeſſioni mortuus eſt, tunc etenim etiam certum eſt

**Profeſſio ab altero emiſſa non fit valida ex eo, quod alter conſentiat, tenetur tamẽ ſic profeſſus ratificare, ſi alter præſtet neceſſaria.**

**Rationes efficaces ad rẽ præſentem.**

ipſo

ipſo iure non conualeſcere profeſſionem, poſſe tamen in foro externo compelli ad eandem profeſſionem ratificandam propter allatam rationem.

14 **Non tenet coniugis profeſſio quando alter, nec poſitiue aſſentitur, nec diſſentit.**

Ad ſextam dicendum eſt, quod quando alter coniux, nec conſenſum poſitiuum præbuit, nec diſſenſum profeſſioni alterius, ſed præciſe tacuit, & diſſimulauit, non teneat profeſſio, & per conſequens poſſit per eundem profeſſus reuocari. Primam partem expreſſe ſuſtinet *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 35. nu. 14. Silueſter verb. verb. diuortium q. 16. caſ. 3. Angelus verb. matrimonium 4 nu. 16. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. col. 34. verſ. baſitas ſecundo* ſecundam ſuſtinent *Caldarinus c. 1. de conuerſ. coniug., & ibi Abbas num 7. Ioannes Andreas c. ex part. el pr. eod. tit. num 4. verſ. in 4. caſu, & ibi Ancheranus num. 2. Cardinalis nu. unico oppoſitione unica verſ. ſed pro intellectu.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia illa diſſimulatio non eſt licentia, ad validitatem autem profeſſionis requiritur alterius coniugis licentia. Quod ſi dixeris non requiri eſſentialiter licentiam formalem, & expreſſam, ſed ſufficere tacitam, & interpretatiuam, prout etiam diximus in alijs ſimilibus, puta de ſponſalibus, quæ conualidantur per conſenſum interpretatiuum, & tacitum; tacita autem licentia arguitur, tum ex eo, quod taciturnitas in ijs, quæ noxia ſunt tacenti, quæque auertere poteſt loquendo, habetur pro conſenſu *Bartolus in l. qui dotis num. 13. verb. ſi verò contradicendo ff. ſolut. matrimon. Caſtrenſis in l. Caius col. 2 ff. de pignor. act. Alexander in l. ſæpe num. 18 ff. de re iud.*, tum ex eo, quod ſi coniux in ſæculo relictus toto vitæ ſuę ſpacio diſſimulauit, cum poſſet reclamare rata efficitur profeſſio propter præſumptam licentiam, & interpretatiuam ratificationem per textum *in c. conſuluit de conuerſ. coniug. Roſella verb. impedimentum impedimento 11. Nauarrus lib. 3. conſil. titul. de conuerſ. coniug. in priori edit. conſ. 4. num. 4., in poſteriori conſ. 5. nu. 4. Palacios in 4 diſt. 27. diſp. 2. verſ. baſitas ſecundo Henriquez lib. 11 de matrimon. c. 5. nu. 10.* Si, inquam hæc dixeris; ſtatim impugnaberis, quia interpretatiua licentia ſubſequens non ſufficit, quando ad validitatem contractus requiritur pręcedens expreſſa, nam peto, vel quando profeſſio emiſſa eſt fuit valida, vel non, ſi fuit valida, iam debuit eſſe licentia, quæ vtique non ſupponitur, cæteroqui ceſſaret ratio dubitandi, vel fuit inualida, & tunc non poteſt reddi valida etiam per conſenſum expreſſum alterius, qui remanſit in ſæculo, quia quod ab initio fuit inualidum non poteſt tractu temporis conualeſcere ex conſenſu vnius, cuius facultas requirebatur ab initio, vt ſupra dicebamus, & ſi non poteſt conualeſcere per conſenſum expreſſum, ergo multo minus per conſenſum interpretatiuum, & præſumptum. In particulari ad illud, quo dicitur, quod taciturnitas in ijs, quæ ſunt noxia tacenti, & quibus poteſt occurrere loquendo habeatur pro conſenſu dicendum eſt, hæc ad ſummum verificari, quando præcederet interrogatio, & taciturnitas ſubſequeretur, cum debeat eſſe reſponſio, quia tunc poſſet præſumi pro conſenſu valido, cum eſſet præcedens, ſecus quando nulla præcedente interrogatione emitteretur profeſſio, & poſtea ſubſequeretur illa taciturnitas, ſeu diſſimulatio, quia, cum tunc profeſſio eſſet in radice inualida, non poſſet ex actu negatiuo ſubſequenti conualeſcere, nulla etenim ratione ille conſenſus interpretatiuus retrotraheretur ad tempus emiſſæ profeſſionis. Cæterum cum ad validitatem profeſſionis requiratur, vt non ſolum alter conſentiat, ſed etiam, quod vel in ſæculo maneat cum voto caſtitatis, vel ipſe etiam tranſeat ad Religionem, ideo &c.

**Diſſimulatio non eſt licentia.**

**Vbi præcedens licentia requiritur non ſufficit interpretatiua ſubſequens.**

15 **Si vterque profeſſus fuerit, & vterque fuerit ignarus profeſſionis alterius non tenet profeſſio.**

Ad ſeptimam dicendum eſt, quod ſi vterque profeſſus fuerit ignarus profeſſionis alterius, non teneat profeſſio, vterque tamen teneatur per nouum actum profeſſionem ratificare ſiſtendo in foro externo; ſi vero vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius, & vterque ſimul profeſſionem emiſerit, quatenus ſaltem vterque non ignorarit antecedenter ad profeſſionem alterum eandem eſſe emiſſurum, & tunc probabilius teneret vtriuſque profeſſio, ſi vero vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius ſucceſſiuè, quatenus vnus prius emiſerit, & alter factus fuerit conſcius eiuſdem, & poſtea alter emiſerit, & ſucceſſiuè alter, qui antea profeſſus fuerat, factus fuerit conſcius eiuſdem, tunc profeſſio prioris non tenet, obligatur tamen per nouum actum ad eandem ratificandam ſaltem in foro externo, profeſſio verò poſterioris etiam probabiliter non tenet, quamuis inde oriatur etiam obligatio ratificandi per nouum actum. Ita quoad primam partem *Cardinal. in c. quidam nu. 2. q. 4. de conuerſ. coniug. Gulerinus apud Henricum in c. uxoratus num. 13. eod. tit. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 34. num. 24.*, qui tamen non videntur conſentire in eo, quod vterque teneatur per nouum actum ratificare profeſſionem, dum aſſerunt vtrumque poſſe exire, & vnum alterum reuocare. Quoad ſecundam conſentit *Sanchez, & DD. præallegati pro prima parte*. Quoad tertiam conſonat cum ſuperius dictis. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ad validitatem profeſſionis inter coniugatos requiritur licentia reſpectiuè vnius ab altero, at in data hypotheſi ignorantiæ vtriuſque quoad profeſſionem alterius reſpectu vtriuſque non interuenit illa

licentia,

licentia, quandòquidem qui profitetur ignorans profeſſionem alterius ab eodem facultatem non recipit profitendi; Neque dicas, illam profeſsionem vtriuſque æquivalere mutuæ licentiæ, quandòquidem quantum eſt ex ſe profitens eximit alterum ab onere; quo premebatur erga ſe, & alter etiam profitens acceptat illam oneris remiſsionem, & ſimul eximit alterum ab æquivalenti onere, quo tenebatur. Rurſus ideo requiritur ad profeſsionem validam alterius licentia vnius, ne iſte dicatur inuitus ſpoliatus ſuo iure ab alio, ſed in hac hypotheſi profeſsionis emiſsæ ab vtroque, licet vtroque ignorante profeſsionem alterius, neuter dici poteſt ſpoliatus ab alio, ſed à ſeipſo proprio facto, *Innocentius c. quidam n. 2. in fin. de conuerſ. coniug., & ibi Ancharanus ad fin. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 14., & ſeq. Henricus c. uxoratus nu. 13. de conuerſ. coniug.*, ergò &c. Contrà enim impugnaberis, quià licentia non conceſsa, & licentia conceſsa, ſed ignorata ab eo, qui indiget tali licentia, ſibi æqui valent ad effectum validæ, vel inualidæ profeſsionis, & ſicuti ſi alter tantum profiteretur in Religione, & alter in ſæculo manens facultatem ex ſe concederet, non tamen exprimeret, nec notam faceret profitenti non ſufficeret ad validitatem profeſsionis, quià profitens non haberet omnia requiſita ad ſubſtantiam eiuſdem, & profiteretur ſciens inualiditatem ſecus forte non profeſsurus, ſi licentiam cognoſceret interuenire, ità ſi profiteatur in Religione, & alter etiam in alia, adeo tamen, vt neuter nouerit profeſsionem alterius non ſufficeret profeſsio illa ad validitatem actus, quià neuter haberet omnia ſubſtantialitèr requiſita, & profiteretur ſciens inualiditatem, quod vtique compati non poteſt cum ſubſtantia eiuſdem profeſsionis, quæ tantum obligat ſecundum intentionem profitentis, nam ſicuti licentia formalis ignorata non conſtituit actum validum, ità multò minus poteſt conſtituere interpretatiua, & præſumpta etiam ignorata, &, ſi actus eſt inualidus in origine, vtique non poteſt poſteà conualeſcere. Ad illud, quod ſubditur dicendum eſt non propriè proprio facto ſe ipſum ſpoliare, cum inualidus ſit actus, quo ſe expoliat, & dum actus eſt in ſua origine inualidus non poteſt ex alterius profeſsione etiam inualida ratus haberi.

*Satisfit aliquibus rationibus oppoſitis.*

16 *Si vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius, & vterque ſimul emiſerit profeſſionem vtraque tenet.*

Ratio ſecundæ partis ex eo habetur, quod ſupra dicebamus, quià quantumvis vterque fuerit ignarus profeſſionis alterius, non tollitur tamen, quin vterque profitendo in Religione eandem Religionem deceperit nō adaperiens coniugium, quo tenebatur, & cum alter etiam profeſsus fuerit in Religione, licet etiam Religionem deceperit tacens illud impedimentum coniugij, videtur tamen ſaltem quoad forum externum, ſecundum quod noſtrum dictum procedit, cedere iuri ſuo in ordine ad alterum, eundemque per conſenſum præſumptum liberum conſtituere, ergò ratione deceptionis, & præſumpti conſenſus alterius tenebitur actum, qui fuerat inualidus, per nouum actum ratificare; atque hoc eſt, quod docebat, *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 34. n. 16. in fin.* per textum *in c. 1. de eo qui duxit in matrimon.*, vbi dicitur, quod vir, qui viua vxore contraxit cum alia rei, ſeù prioris coniugij inſcia, non ſit audiendus, ſi poſt mortem vxoris diuortium à poſteriori petat, niſi hæc velit, quem textum explicat, *Sanchez loc. cit.*, quod procedat, non quià poſterius matrimonium validum ſit, ſed quià ratione deceptionis poteſt deceptor compelli ad idem matrimonium ratificandum; quod ſi hoc verificatur in ordine ad poſterius matrimonium, non video, cur verificari non debeat in ordine ad profeſſionem ſubſequentèr ad matrimonium conſummatum emiſsam in Religione, cum in vtroque caſu militet ratio deceptionis. Quamobrem non percipio quomodo nunc idem *Sanchez d. diſp. n. 24.* aſserat liberum eſse vtrique à Religione exire, & vnum poſse alterum reuocare.

Ratio tertiæ partis, quod ſcilicet, ſi vterque fuerit antecedenter conſcius profeſſiones futuræ alterius, & vterque æque primo profeſsus fuerit, teneat profeſſio, ex eo deducitur, quià vterque habet omnia requiſita ad validitatem eiuſdem, quandòquidem vterque habet alterius licentiam, & vtique non ignoratam, & vterque in ſtatu conſtituitur in quo non poteſt timere de incontinentia alterius; quod autem habeat alterius licentiam ex eo euincitur, quià dum vterque altero ſciente, & quodamodò conſentiente ſe transfert in Religionem ibidem profeſſurus facto ſibi ad inuicem facultatem concedit. Quid enim aliud eſt ſcire alterum velle in Religione profiteri, & decernere etiam ſe velle profiteri, quam annuere alterius profeſſioni, & facto proprio ratificare?

17 *Si vterque fuerit antecedentèr conſcius profeſſionis futuræ alterius, & vterque ſimul profeſſus fuerit vtriuſque tenet.*

Ratio quartæ partis, quod ſcilicet, quando vterque eſt quidem conſcius profeſſionis alterius, ſed ſucceſſiuè modo in aſsertione expoſito non teneat, quamvis vterque teneatur ſaltem in foro externo illam ratificare, ex eo deducitur, quià profeſſio prioris, vtpotè ſine facultate alterius in actu exercito eſt in ſua radice abſolutè inualida, ergò per ſubſequentem profeſſionem alterius præcisè cum cognitione poſtea acquiſita eiuſdem prioris non poteſt reualidari. Conſequentia pro-

18 *Quandò vterque factus eſt conſcius ſucceſſiuè, neutrius tenet profeſſio, vterque tamen tenetur ſuam ratificare.*

probatur, quià quod fieri nequit, niſi per mutuum duorum conſenſum, & eſt in ſua radice inualidum non poteſt per conſenſum alterius præcisè conualeſcere; Neque dicas ex ijs, quę docuimus *tom.* 5. *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib I. prænot.* 5. *ſect.* 7. *aſſert.* 6. *num.* 8., *& ſub eod. tit. Diſq II.* §. 39. *n.* 8., quod ſcilicet, ſi quis ficte promiſerit matrimonium, reualidet præcisè, ſi per actum verum, & realem reuocet fictionem, & tamen contractus eſt in ſua radice inualidus, & ex genere ſuo non poteſt perfici, niſi ex duorum conſenſu; contra enim impugnaberis, quià diſpar omninò eſt ratio de matrimonio inito per fictionem, ac de profeſsione emiſsa per coniugatum ſine licentia alterius, quandòquidem quoad matrimonium, vel ſponſalia inita cum fictione vnius nihil deeſt, quam internus conſenſus illius, qui finxit, per quem reuocetur fictio, cum intelligatur moralitèr perſeuerare conſenſus verus, & realis alterius, & tunc tantum perficitur contractus, quandò hic nouus conſenſus internus accedit, quoad profeſsionem verò emiſſam per alterum coniugatum ſine facultate alterius deficit, & actus validus ex parte profitentis, & facultas requiſita ex

Rationes pro hac quarta parte.

parte alterius, vndè accedente alterius facultate, vel expreſſa, vel interpretatiua non ponuntur ea, quæ ſunt de ſubſtantia contractus, niſi ponatur nouus actus eius, qui inualidè profeſsus eſt. Ex hac probatione etiam ſequitur, quod inualida ſit profeſsio poſterioris, ſi etenim prior eſt inualida, ergò per illam non eſt conceſſa facultas alteri emittendi profeſſionem, quandòquidem facultas, ſi quæ eſſet, conſiſteret in profeſsione, à qua deducitur interpretatio; ſi igitur inualida eſt profeſsio in eadem non poteſt fundari interpretatio conceſsæ facultatis; profeſsio autem coniugati ſine alterius facultate per allegata nullius penitus roboris eſt. Deindè profeſsio poſterior vim habet in hac hypotheſi in illa priori alterius, ergò, ſi prior eſt inualida, erit etiam inualida poſterior. Quod deindè vterque per nouum actum teneatur eandem ratificare deducitur ex ſuperius dictis ratione deceptionis, & læſionis Religionis, in qua profeſsi ſunt.

19 Non poteſt coniux poſt conſummatum matrimonium transire ad Religionem niſi alter, ſi fuerit ſenex emiſerit voti

Aſſertio IV. Non poteſt coniugatus poſt conſummatum matrimonium licitè tranſire, & profiteri in Religione etiam habita alterius licentia, niſi, vel alter, ſi fuerit ſenex, emittat votum continentiæ, vel ſi fuerit iuuenis tranſeat, & profiteatur etiam in Religione. Conſentiunt omnes quos viderim, & expreſsè habetur *in c. cum ſis de conuerſ. coniug. cap. vxoratus eod. tit.*, *& c. ad Apoſtolicam eod. etiam tit.*, vnde cum iura quaod hoc apertè clament, non eſt, cur nos clamemus in probatione eiuſdem.

continentiæ, vel ſi fuerit iuuenis, ingrediatur Religionem.

Difficultas ſolum eſt, an ſicuti ingreſſus, ſeù profeſſio ſine talibus conditionibus per coniugatum conſummato iam matrimonio emiſsa ſcilicet ſine voto continentiæ, vel profeſſione reſpectiuè ad ſenem, & iuuenem eſt illicita, ſit etiam ſine talibus conditionibus inualida. Videtur prima fronte aſſerendum, non ſolum fore illicitam, ſed etiam inualidam præcipuè per textum *in d. c. ad Apoſtolicam de conuerſ. coniugat.*, vbi ſic legitur. *Non eſt alter coniugum recipiendus ad obſeruantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat, ſed & vitam debet mutare, niſi fortè ſit eius ætatis, vt ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo remanere*, quod idem in fortioribus terminis colligi videtur *ex c.* 1. *in eodem tit.*, vbi vir reuocandus de miniſterio decenitur, niſi vxor ad Religionem tranſierit, aut continentiam in ſæculo vouerit, non poſſet autem reuocari, niſi profeſſio foret inualida. Hoc idem euincitur *ex c. vxoratus de conuerſ coning.*, vbi ſic legitur, *Vxoratus ſine licentia vxoris inter eos nullatenus recipiatur, quæ integræ opinionis exiſtat*, nam dictio

20 Profeſſio tamen ſine talibus conditionibus emiſſa non foret inualida.

*nullatenus* inducit actum ipſo iure nullum. Nihilominus ſentiendum eſt eandem profeſsionem, quantumvis illicitam non fore tamen inualidam, ſi alter non emiſerit votum continentiæ, ſi fuerit ſenex, vel profeſsus non fuerit, ſi fuerit iuuenis *Gloſa c. vxoratus verb. nullatenus de conuerſ. coning.*, *& c. ex parte* 1 *eod. tit. in fin. Aſtenſis* 2. *part. ſumma lib.* 8. *tit.* 11. *art.* 2 *q.* 11. *Siluester verb. matrimonium* 8 *q* 12. *dict.* 4. *Durandus in* 4. *diſt.* 32. *q.* 2. *n.* 6. *Palacios in* 4 *diſt.* 27. *diſp.* 2. *col. ante penult*, *& ibi Riccardus art.* 2. *q.* 4. *in corpore*, *Azorius lib.* 11. *inſtit. mor. c.* 1 *q* 6. § *ſi quæras*. Expreſsè colligitur *ex cap. ex parte primo de conuerſ. coning.*, vbi ſic legitur. *Quià verò prædictus licet vxore ſua remanente in ſæculo de iure ad Religionem nequiuerit proficiſci, ea tamen ſublata de medio votum ſine ſuæ ſalutis periculo non poterit violare; mandamus, vt prædictum compellas, vt muliere dimiſſa ad ſuum monaſterium reuertatur ſub regulari habitu de cætero domino ſeruiturus*, quod idem videtur colligi *ex c. Agatoſa* 27. *q.* 2. Ratio autem aſſerti, & iurium ea eſt, quià ex quo acceſsit licentia alterius coniugati videntur poſita ea omnia, quæ ſunt ſubſtantialia profeſsionis ſolemnis in Religione, nec periculum incontinentiæ in altero poteſt obeſſe, quià ex quo licentiam conceſsit, debet ſibi præcauere per media neceſſaria ad euitandum tale periculum, & hoc eſt de conſequenti, non de formali eiuſdem profeſefſionis. Hinc ad iura oppoſita dicendum eſt ea procedere quoad licitum eſſe, non quoad vali-

dum

dum eſſe eiuſdem profeſsionis.

Hic oritur difficultas, an non obſtante, quod ſit valida talis profeſsio emiſſa cum licentia alterius coniugis, non tamen cum requiſitis à iure, nempe cum voto continentiæ in eodem concedente licentiam, ſi fuerit ſenex, vel cum profeſsione, ſi fuerit iuuenis, poſsit ſic profeſſus reuocari.

**Sententia aſſerens ſic profeſſum poſſe reuocari.**

Videtur prima fronte dicendum, poſſe ſic profeſſum reuocari, quià textus *in c. 1. de conuerſ. coniug.* indiſtinctè concedit ius reuocandi, vbi manens in ſæculo votum caſtitatis non emiſerit, atque ità ſentiunt *Gloſa in eodem cap. 1. ad fin.*, *& ibi Innocentius nu. vnico verſ ſeruare*, *Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. col. 36. Ioannes Andreas c. ex parte el primo num vlt. verſ. in 4. caſu de conuerſ. coniug.*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem licet concedendo licentiam videatur iure ſuo renuntiaſſe, nihilominus, quià renuntiatio non fuit ſufficiens, & perfecta defectu modi ab Eccleſia præſcripti videtur relinquere ius renuntianti reuocandi, *Scotus in 4. diſt. 32. q. vnica Paludanus in 4 diſt. 27. q. 3. art. 2. num. 19. Abbas c. vxoratus num* 8. *de conuerſ. coniug.*, atq; iuxta hanc ſententiam abſolute dicendum eſt, quod ſi ſic profeſſus reuocaretur, teneretur reddere debitum, cæteroqui fruſtratoria eſſet reuocatio *Turrecremata c ſenatum diſt. 32. q. 3. n. 4. caſ. 8. Supplementum Gabriellis in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. poſt concluſionem nonam Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. col. antepenul.* Nihilominus cum diſtinctione reſpondendum eſt, vel etenim coniux concedens alteri facultatem profitendi non præſtitis ijs, quæ de iure requiruntur, conſcius erat iuris diſponentis alterum non poſſe profiteri, niſi ipſe eadem à iure præſcripta exequeretur, vel erat penitus ignarus talis iuris. Iuxta primum ſenſum aſſero abſolute non poſſe manentem in ſeculo ſic profeſſum in Religione reuocare. Iuxta ſecundum aſſero poſſe.

21 **Si erat conſcius coniux concedens facultate iuris diſponentis, quod ipſe teneatur votum continentiæ emittere, non poteſt alterum reuocare, ſecus ſi fuerit ignarus**

*Gloſa c. qui vxorem 33. q. 5. in fin. Riccardus diſt. 27. art. 2. q. 4. in corpore Vincentius tom. 2. in ſpeculo doctrinali lib. 9 c. 29. Sotus in 4. diſt. 7. q. 1. art. 4. col. penult. Angelus verb. matrimonium 4. num.* 9 Quoad ſecundam *Silueſter verb. matrimoniũ* 8. *q* 12. *diſt.* 4. *Tabiena verb. matrimonium* 1. *q* 3 *num.* 4. *Roſella verb impedimentum impedim.* 10. *in principio*. Prima pars euincitur *ex c. qui vxorem* 33. *q* 3. vbi ſic legitur. *Qui vxorem ſuam velare permiſerit, aliam non accipiat, ſed ſimiliter conuertatur*, & ratio in promptu eſt, quia ex quo ſciens ſe teneri, vel ad votum caſtitatis ſi fuerit ſenex, vel ad profeſſionem in Religione, ſi fuerit iuuenis, ſi permiſerit alterum coniugem profiteri, & cum tali ſcientia de facto permiſerit, vtique ſe obligauit, vel ad votum, vel ad Religionem reſpectiuè, quia qui vult aliquid, præſumitur velle omne id, per quod peruenitur ad illud *l. ad rem mobilem l. ad legatum ff. de procurat.*, ergo ipſe erit potius obligandus ad perficiendum id, ad quod ſe obligauit per illam conceſſionem facultatis, quam alter reuocandus. Secunda pars etiam ex eo liquet, quia nemo obligatur ex facto proprio ſine libertate, non poteſt autem eſſe libertas, vbi eſt defectus cognitionis; ex quibus ſeruata hac diſtinctione poteris reſpondere ad ea, quæ ex aduerſo pro contraria parte afferebantur. Quod ſi ſupponas, eſſe dubium, an ille, qui talem facultatem conceſſit, fuerit conſcius illius iuris, an vero ignarus, tunc in foro externo præſumerem pro negatione talis cognitionis, ſi concedens talem facultatem fuerit fæmina, ſi maſculus, pro exiſtentia eiuſdem, quandoquidem in maſculo videtur habere locum textus *in reg. ignorantia de reg. iuris in 6. Abbas c. 1. num. 9. de conuerſ. coniug.*

Hinc deduces primo, in caſibus, in quibus cum ignorantia concedentis huiuſmodi facultatem alter coniux profeſſus poteſt reuocari, teneatur hic reddere debitum petenti. 22 *Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica Paludanus in 4. diſt. 27. q. 3. art. 2. num. 19. Abbas c. vxoratus num. 8 de conuerſ. coniug*, nec difficilis eſt probatio huius illationis, quia fruſtratoria eſſet abſolutè hæc poteſtas reuocandi in altero coniuge, ſi ille reuocatus non teneretur reddere, nec obeſſe poteſt licentia liberè conceſſa, nam hæc non eſt cum omnibus à iure requiſitis, & ſicuti nõ obſtante tali licentia ſupponitur, quod poſſit reuocare, ita ſupponitur, quod poſt reuocationem poſſit exigere debitum, cum in ordine ad illud permittatur reuocatio, &, ſi iſte poteſt exigere, vtique ille tenetur reddere, nam exigere iuſtè, & reddere ſibi ſint correlatiua.

22 **Sic reuocatus tenetur reddere.**

Deduces ſecundo, quod, ſi ob talem cauſam, vel ſimilem coniux ſic profeſſus de licentia alterius fuerit à Religione reuocatus cum onere reddendi debitum, & poſtea alter coniux fuerit mortuus, non poſſit ille reuocatus ad alias nuptias tranſire, ſed teneatur redire ad Religionem, in qua profeſſus eſt *Hoſtienſis in ſumma tit de conuerſ. coniug. num. 8. Abbas c. 1. nu. 8. eod. tit. Angles Floribus pr. part. vbi de matrimon. q. 1. de eſſentialibus matrimonij diſp. 27. art. 3 difficult.* 5. Ratio facile ex ſuperius dictis deducitur, quia illa profeſſio ſupponitur in ſubſtantia valida, & ſolum permittitur reuocatio ad conſulendum periculo incontinentiæ in altero manente in ſæculo, & ſic profeſſio non extinguitur, ſed ad ſummum, quoad hunc effectum ſuſpenditur, ergo ceſſante tali periculo incontinentiæ in altero ob mortem eiuſdem profeſſio pleno iure obligabit, ſicq; tenebitur profeſſus ad reddendum ad Religio-

23 **Mortuo coniuge reuocante reuocatus non poteſt ad alias nuptias tráſire, ſed tenetur redire ad Religionem.**

ſsionem, nec poterit ad alia vota conuolare.

24 Sed, an in hypotheſi, qua ob prædictas cauſas coniux ſic profeſſus poteſt ab altero reuocari, poſſit præuenire reuocationem, & propria auctoritate exire, diſſidium eſt inter DD. Hoc tamen diſſidio dimiſſo abſolute ſentio, nec poſſe præuenire reuocationem, nec propria auctoritate exire, quia, cum ſupponatur valida profeſſio, iam profeſſus tenetur, quantum eſt ex ſe ad obedientiam, nec amplius eſt ſui iuris; quinimmo, quantumvis omnes præallegati DD. aſſerant ad petitionem alterius manẽtis in ſęculo, poſſe reuocari, pleriq; tamen ex illis aſſerunt hoc fieri non poſſe iure actioris, ſed tantum ex officio Iudicis *Gloſa c. vxoratus verbo nullatenus de conuerſ. coniug. Azorius lib. 12. inſtit. moral. c. 1. q. 6. §. ſi quæras, Tabiena verb. matrimonium pr. q. 3. nu. 4. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11 art. 2.,* hocq; ex eo videtur colligi, quod, cum facultatẽ libere alteri profitendi cõceſſerit, videtur ceſſiſſe iuri ſuo, adeoq; ex eodem iure non poſſe agere, ne tamen omnibus auxilijs deſtitueretur maximè cum facultatem non conceſſerit cum omnibus à iure requiſitis, congruum fuit, vt officium Iudicis concederetur, cuius eſt conſulere periculo incontinentiæ manentis in ſæculo.

*Coniux, qui ob prędictas cauſas poteſt reuocari, non poteſt propria auctoritate exire.*

25 Aſſertio V. Si vxoratus profeſſus fuerit cum licentia alterius, ſed metu, vel dolo extorta, profeſſio non tenet, ipſe poteſt per alterum, qui per metum talem licentiam conceſſit, reuocari. *Hoſtienſis c. accedens ad fin. de conuerſ. coniug. Caldarinus c. 1. eod. tit. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 9. Roſella verb. impedimentum impedim. 11. in initio Durandus in 4. diſt. 32. q. 2. num. 6. in fin. Azorius lib. 12. inſtit. maior. c. 1. q. 6. Sylueſter verb. diuortium quæſt.* 14.

*Profeſſio emiſſa de licẽtia alterius, ſed metu, vel dolo extorta non tenet.*

Expreſſe colligitur *ex eod. c. accedens de conuerſ. coniug.*, vbi eſt ſermo de vxore graui metu ingreſſa in Religionem. Deinde hoc manifeſte euincitur ex ijs, quæ docuimus de ſponſalibus initis metu cadente in conſtantem virum, nempe eadem eſſe ipſo iure irrita, quinimmo eſſe etiam inualida, ſi contrahantur per procuratorem conſtitutum per metum cadentem in conſtantem virum, non alia ratione niſi, quia, quæ exigunt plenam libertatem, non compatiuntur cum metu; profeſſio autem in Religione eſt ex ijs, quę exigunt plenam libertatem, adeoque non eſt, cur non debeat irritari, ſi fuerit cum metu cadente in conſtantem virum emiſſa; neque dicas, quod metus non cadat ſupra profeſſionem ipſam, ſed dumtaxat ſupra licentiam extortam, & proinde non eſt, cur illa debeat in ſua ſubſtantia deſinere, cum habeat liberum conſenſum profitentis; contra enim impugnaberis, quia ad validitatem profeſſionis non ſolum requiritur plena libertas profitentis, ſed etiam, ſic fuerit vxoratus, libera licentia alterius coniugis, quę propterea, ſicuti ſi defficeret ſimpliciter, irritaret plene eandem profeſſionem quoad ſubſtantiam, ita ſi deficeret ſecundum libertatem, dirimeret etiam ipſam. Confirmatur, quia licentia negata, & licentia per metum cadentem in conſtantem virum conceſſa quoad effectum obligandi, vel non obligandi ſibi ad inuicem ęquiualent, ergo, ſicuti ſine licentia manentis in ſæculo profeſſio eſſet abſolute irrita, & profeſſus poſſet reuocari iure actionis à Religione ad petitionem manentis in ſæculo, ita ſi fuerit, ſine licentia liberè, ſed metu cadente in conſtantem virum emiſſa, erit etiam irrita, & profeſſus iure actionis erit reuocabilis. Hinc non immerito docent *Henricus in c. placet num. 2. de conuerſ. coniug. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 35 num. 8.*, quod ea omnia, quæ dicuntur de profeſſione emiſſa per vxoratum ſine licentia alterius, intelligenda ſint de eadem, vt emiſſa per licentiam extortam per metum cadentem in conſtantem virum, vnde quoad hoc vos remitto ad ea, quæ ſuperius dicta ſunt.

*Metus, vel dolus demit plenã libertatem*

26 Aſſertio VI. Si vxoratus, ſine alterius facultate, vel cum eadem, ſed metu cadente in conſtantem virum profeſſus fuerit in Religione, & alter in ſæculo manens interim fornicatus fuerit, non poteſt amplius per eundem manentem in ſæculo reuocari, poterit tamen ipſe quaſi renuntiando iuri, quod acquiſiuit, ex adulterio, exire, & coniugi ſe reſtituere. Ita quoad primam partem *Ioannes Andreas c. veniens num. 5. de conuerſ. coniug. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 7. Brunellus de ſponſalib. concl. 30. declarat. 8. num. 12.*, qui cum doceant, nec poſſe ipſum profeſſum innocentem propria auctoritate exire ſe quodamodo reconciliando adultero, à fortiori docere tenentur adulterum, & noxium non poſſe reuocare; vlterius in his terminis eandem primam partem ſuſtinent *Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. ad fin. verſ. caſus autem, Bartolomæus à Ledeſma dub. 64. de matrimonio poſt tertiam concluſionem §. annotare oportet* 2. Quoad ſecundam *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 36. num.* 3.

*Manens in ſæculo ſi fornicatus fuerit poſt profeſſionẽ alterius non poteſt profeſſum reuocare.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod habetur *in c veniens de conuerſ. coniug.* vbi dicitur, quod ob ſubſequentem fornicationem ius amiſerit, quod ſibi competebat ex profeſſione emiſſa ſine propria facultate, ibique redditur ratio, nã, ſi ipſe opponat negationem propriæ facultatis requiſitæ ad validam profeſſionem, profeſſus poterit intentionem elidere exceptione

tione commiſſæ fornicationis; Neque dicas, hanc exceptionem eidem profeſſo non poſſe ſuffragari, nam ſic excipienti poſſet adulter opponere fornicationem, ſeu adulterium ex cauſa profeſſi commiſſum, ex quo ſine propria facultate profeſſus fuerit, & manentem in ſæculo per receſſum ab eodem ſuppoſuerit periculo fornicandi, ſeu adulterandi; Contra enim impugnaberis, quia illo periculo manens in ſæculo poterat obuiare ipſum profeſſum reuocando, quod, ſi non præſtiterit, debet propriæ culpæ, & iniuriæ imputare. Quod ſi ſupponas manentem in ſæculo facultatem conceſſiſſe alteri profitendi, ſed non liberè, at cum metu cadente in conſtantem virum, eandemque cauſam perſeuerare quoad metum, quatenus ex eadem timeat, ſi reuocet, & interim, cum non poſſit obuiare illi periculo, fornicetur, tunc etiam crederem ob ſubſequentem fornicationem ius amittere reuocandi ſic profeſſum, quia ſic profeſſus fuit tantummodo cauſa remota, & occaſio adulterij, quod propterea non priuat eundem iure diuortij, vt in ſimilibus docent *Petrus Ledeſma q. 62. art 1. Sanchez lib. 10. diſp. 5. nu. 7. Coninchus diſp. 35. num. 7. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 17. num. 4. Reginaldus lib. 31. num. 321. Gutierez c. 129. nu.* 8. de eo, qui vxorem domo iniuſtè expellit, eamque deſerit, aut neceſſaria alimenta denegat per textum *in c. ſignificaſti de diuort.*, vbi vir non cogitur adulteram recipere, non obſtante allegata per ipſum exceptione, quod vir in cauſa fuerit ipſam iniuſte expellens, & ibi *Gloſa verb. compulſam*, vbi etiam adducit rationem, quia ſcilicet mulier nulla ad fornicandum adduci debet ratione per textum in *c. ita ne 32. q. 5.*; idem deciditur *c. ex literis de diuortijs & l. palam ff. de ritu nupt.*; quod ſi hæc verificantur, quando fęmina vxorata reiecta eſt à domo mariti, quantumvis iniuſte, non video, cur verificari non debeat, quando maritus iniuſtè ſe retrahit ab vxore, cum eadem militet ratio. Neque obeſſe poteſt textus *in c. ſi tu abſtines 37. q. 2.*, vbi ſic legitur *ſi tu abſtines ſine uxoris voluntate tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tua imputabitur abſtinentia*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in hoc textu per lij *licentiam*, vt ibi explicat Gloſa, importatur ſolummodo occaſio, quatenus abſtinens dicatur tribuiſſe occaſionem fornicandi; quod ſi ſubdatur, *& peccatum illius tua imputabitur abſtinentia*, hoc intelligendum eſt ſub ſimilibus terminis, quod ſcilicet imputabitur occaſionalitèr, quatenus occaſionem dedit, non formalitèr, quatenus ipſe poſitiuè influxerit in peccatum.

Rationes, & iura aſſertionis, & eluſiones exceptionum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ex adulterio alterius coniugis prouenit quidem, quod adulter non poſſit obligare innocentem ad reddendum ipſi debitum, nec ipſe petere; non tollit tamen ius innocentis, quod poſſit petere, & remittere iniuriam ſibi illatam per adulterium *arg. l. 1. C. vt ne inuitus agere cap. ad Apoſtolicam de Regul.*, & ſicuti coniux præſcindendo etiam à profeſſione in Religione poteſt remittere alteri adulteranti iniuriam ſibi factam per adulterium, ità etiam poteſt remittere, quantumvis fuerit profeſſus, ſed inualidè, vel ob negatam ſibi licentiam ab altero profitendi, vel ob licentiam extortam per metum cadentem in conſtantem virum, quandòquidem illa profeſſio ex ſupradictis eſt omninò inualida; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod quantumvis ipſe poſſit remittere iniuriam ſibi illatam per adulterium, poſſit tamen obſiſtere monaſterium, in quo profeſſus eſt excipiendo de tali iniuria, quià per profeſſionem verè ius reale, & perſonale profeſſi tranſit in monaſterium; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià cum illa profeſſio fuerit omninò inualida, nullum ius, nec reale, nec perſonale profeſſi tranſit in monaſterium.

Poteſt tamen ſic profeſſus quaſi renuntiando iuri, quod acquiſiuit ex adulterio alterius exire.

Hic plura venirent diſcutienda de huiuſmodi profeſſo, vel ſine licentia, vel cum licentia per metum, vel dolum extorta poſt mortem coniugis, qui vel non dedit licentiam, vel ſi dedit, dedit iniuſtè, an ſcilicet conualeſcat, ſi immediate profeſſus non reclamauerit, an, ſi diutino tempore poſt mortem perſeuerauerit ſine exceptione in monaſterio, intelligatur ratificare, an intra quinquennium à morte alterius coniugis poſſit reclamare de inualiditate eiuſdem, & his ſimilia; ſed quià de his infra occurret ſermo in diſquiſitionibus, ideo ad ea vos remitto.

---

## PRÆNOTIO X.

### De Impedimento dirimente cognationis.

AMpliſſimas controuerſias aggredimur ſub hoc titulo præcipuè in ordine ad diuerſam cognationem, quæ triplex eſt, altera ratione ſanguinis, quæ dicitur cognatio carnalis, altera ratione ſacramenti baptiſmatis, & confirmationis, quæ dicitur ſpiritualis, altera ratione adoptionis, ſeù arrogationis, quæ dicitur legalis, vt potè à lege inducta. De hac triplici cognatione in præſenti prænotione agemus ſecundum omnes ſuas rationes, conditiones, qualitates, & effectus, ſed quià hæc nimium ampla euaderet, & in

27 Zz 2 tot

tot quæſtionum, quæ inde emergunt multitudine, confuſio orietur, ideo maioris ordinis, & claritatis gratia placet preſentem prænotionem in plures ſectiones diuidere, in quibus ſingillatim de vnaquaque, & earum conditionibus diſſeremus.

## SECTIO. I.

### Quid ſit cognatio carnalis, quid linea, gradus, & ſtipes in eadem.

*SVMMARIVM.*


*Quid propriè ſit cognatio carnalis*. 1.
*Quid veniat nomine linea*. 2.
*Linea duplex, altera recta, altera tranſuerſalis, & vtraque explicatur*. 3.
*Linea recta duplex altera aſcendentium, altera deſcendentium*. 4.
*Linea tranſuerſalis etiam duplex altera æqualis, altera inæqualis*. 5.
*Quid veniat nomine graduum* 6.
*Quomodo in linea tranſuerſali computentur huiuſmodi gradus in iure ciuili, & canonico*. 7.
*Regula pro computandis his gradibus*. 8.
*Explicatur in particulari, quando ius ciuile computet hos gradus in ordine ad ſucceſſiones*. 9.
*Quid veniat nomine ſtipitis*. 10.
*Arbor conſanguinitatis*. 11.


Ethimon nominis cognationis carnaliter.

COgnatio carnalis, quæ etiam conſanguinitas, & quidem propriè dicitur, ſpectata nominis ethimologia à ſanguinum commixtione, ſeù coniunctione nomen accipit, & ſignificationem; ex eo etenim, quod duo maſculus ſcilicet, & fæmina carnalitèr commiſceantur fiunt duo in carne vna, & omnes ab eiſdem deſcendentes propter mediatam, vel immediatam ſanguinum commixtionem, & coniunctionem conſtituuntur tum cum illis ſum inter ſe conſanguinei. Hinc non immerito DD. explicantes naturam eiuſdem cognationis, ſeù conſanguinitatis eam ſic definiunt, *Eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum*, *D. Thomas in 4. diſt. 40. q. vnica art. 1.*, & eam definitionem communiter admittunt tàm Theologi, quàm iuris canonici, & ciuilis interpretes. Dicitur *vinculum*, quod ſumendum eſt non ſolum formalitèr, quatenus importet vnitatem ſanguinis in ijs, qui conſtituunt ſtipitem, & coniunctionem ratione eiuſdem ſanguinis in deſcendentibus, cum quodamodò propagetur in ipſis, ſed etiam cauſatiuè, quatenus inter ipſos coniunctos ſanguine cauſat amicitiam, & maiori etiam affectu, & neceſſitudine coniunguntur, & per hoc, quod cauſatiuè importet vinculum amicitię, conſanguinitas propriè non eſt inter animatia, quæ quamuis eodem ſanguine propagentur, quià tamen inter ipſa non poteſt eſſe amicitia, ideo non poteſt eſſe conſanguinitas. Dicitur, *ab eodem ſtipite deſcendentium*; Nomine ſtipitis, vt infra videbimus, venit ea perſona, à qua cęterę dicuntur diſcendentes; arguunt hic nonnulli definitionem hac eſſe mutilam, niſi ei addatur particula, *proxima*, quandòquidem ſine illa omnes diceremur conſanguinei, cum omnes ab Adamo tanquam à communi ſtipite deſcendamus. Sed meritò ab hac nota conatur definitionem vendicare *D Thomas in 4 diſt. 40. q. vnica art. 1. ad primum*, dum aſſerit per illam particulam *ſtipite* preciſè ſufficientèr indicari propinquitatem requiſitam ad conſtituendam conſanguinitatem, nam cum referatur ad deſcendentes, ita accipiendus eſt, vt virtus eius in eiſdem difundatur; cum autem virtus ſtipitis eo magis diminuatur, quo magis ſucceſſiuè in pluribus diſperditur, hinc eſt, quod per ſucceſſiuas deſcendentias taliter fiat diminuta, vt pro nihilo habeatur; ſi tamen placet adde illam particulam *proximo*, *ſeù propinquo*; clarius enim explicat naturam conſanguinitatis, & conceptus definitionis debet eſſe expreſsior. Dicitur *ex carnali propagatione contractum*, per quam particulam explicatur ſpecialis dependentia, quæ requiritur ad contrahendam conſanguinitatem; non enim ſufficit dependentia quomodocunque, cæteroqui Angeli eſſet conſanguinei, Deo cum per creationem ab ipſo dependeant, & Eua eſſet conſanguinea Adamo, cum ex eius coſta fuerit propagata, quæ tamen, quià non fuit propagata per carnalem generationem, non dicitur eius conſanguinea.

1 Definitio cognationis carnalis.

Explicatur per ſua membra definitio.

Conſanguinitas ſic explicata habet lineas, & gradus; Nomine lineæ intelligo ordinem illum, quem perſonæ deſcendentes ſeruant inter ſe, tum cum communi ſtipite deſumpta paritate à linea metamatica, in qua plura continentur puncta ab inuicem dependentia. Hec autem linea duplex eſt, altera recta, altera tranſuerſalis; recta eſt, quæ reperitur inter perſonas, quæ ità deſcendunt à ſtipite, vt etiam vna ab alia per carnalem propagationem directè procedat; tranſuerſalis illa eſt, quia perſonæ, quæ dicuntur lateralitèr coniunctę, dependent quidem ab eodem ſtipite per carnalem propagationem

2 Quod veniat nomine lineæ.

3 Linea duplex altera recta, altera tranſuerſalis.

nem, non tamen vna illarum ab altera carnaliter procedat; in prima linea ſunt Pater, & filius, & filius filij, & ſic ſucceſſiuè; in ſecunda ſunt duo fratres procedentes ab eodem ſtipite, & filij vniusex fratribus comparati ad filios alterius, & ſic ſucceſſiuè, quamuis enim iſti communicent cum eodem ſtipite, non tamen communicant inter ſe per carnalem propagationem, & dependentiam propriè ſumptam. Porro linea recta duplex eſt, altera aſcendentium, per quam à genitis procedimus ad genitores, altera deſcendentium per quam à progenitoribus deſcendimus ad genitos ſucceſſiuè.

4 Linea recta duplex altera aſcẽdentium, altera deſcendẽtiũ.

Vt autem dignoſcatur quomodo habeatur linea aſcendentium directè nota nomina aſcendentium, primo venit filius, ſecundo aſcenditur ad Patrẽ, à Patre proceditur ad auum, ab Auo ad proauum, à Proauo ad Abauum, & ſic ſucceſſiue aſcendendo; linea autem deſcendentium ſic computatur ab Abauo deſcendimus ad proauum, à proauuo ad auum, ab auo ad patrẽ, à Patre ad filium, à filio ad Nepotem, à Nepote ad pronepotem, à pronepote ad abnepotem &c. Rurſus linea etiam tranſuerſalis quaſi duplex eſt, altera, qua æqualiter participant de eodem ſtipite, altera, qua inæqualiter. Vt autem hæc linea cognoſcatur primo conſtitue ſtipitem, qui ſit Pater, & Mater, deinde in duas lineas diuide, quatenus ab eodem Patre, & Matre gignantur duo filij, ſeu frater, & ſoror: in vna linea ab vna parte conſtituatur frater, in altera ex altera ſoror, ſic ex vna parte deſcendimus à fratre ad filium fratris, à filio fratris, ad nepotem fratris nepti, à nepote fratris ad fratris pronepotem pronepti, ex altera deſcendimus à ſorore ad filium ſororis, à ſororis filio, ad ſororis neptem, à nepte ſororis ad proneptem, & ſic ſucceſſiue; conſtituti autem in huiuſmodi lineis quamuis per propagationẽ carnalem deſcendant à primo ſtipite, comparati tamen ad inuicem contenti in vna linea ad contentos in alia ab inuicem non dependent per carnalem generationem.

5 Linea tranſuerſalis etiam duplex, altera æqualis, altera inæqualis.

6 Quod veniat nomine graduũ.

Nomine autem graduum in huiuſmodi lineis, ſiuè rectis, ſiue tranſuerſalibus intelligo habitudinem diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quanta diſtantia perſonę inter ſe defferant, & dicuntur gradus ad ſimilitudinem graduum ſcalarum, quia ita gradimur de proximo in proximum, & per quos gradatim aſcendimus, & deſcendimus *l. iuris conſultus verſ. gradus ff. de gradibus*. Hos gradus in linea recta eodem modo computat ius canonicum, & ciuile, in linea vero tranſuerſali diuerſimodè, nam ſecundum ius canonicum, ſi perſonæ, de quibus agitur æqualitèr diſtent a communi ſtipite æqualiter diſtant etiam inter ſe, & ſic duo fratres attinent ſibi in primo gradu, quia per vnum gradum diſtant à communi ſtipite, ſi vero inæqualitèr diſtent eo gradu diſtant inter ſe, quo remotior eorum diſtat à communi ſtipite, & ſic ſi duo fratres diſtant ſolummodo inter ſe vno gradu filius vnius ex his fratribus diſtat ab altero fratre in ſecundo gradu, quia filius, qui eſt remotior, diſtat tali gradu à communi principio, nempe à ſtipite; ſecundum vero ius ciuile res diuerſimodo ſe habet, nam duo fratres ſunt in ſecundo gradu, filij duorum fratrum in quarto, nepotes in ſexto, cuius diuerſitatis ratio aſſignatur in textu *in c. ad ſedem 35. q. 5.* ad quem vos remitto.

7 Quomodo in linea tráſuerſali computentur huiuſmodi gradus à iure ciuili, & canonico,

Regulæ autem ad computandos huiuſmodi conſanguinitatis gradus variæ aſſignantur à DD., ſed tres tantum placet cum *D. Thoma in 4. diſt. 40. q. vnica art. 2. in corpore* aſſignare; alterum pro linea recta, duas pro tranſuerſali. Prima pro linea recta hæc eſt, vt vna perſona ex alia propagetur eorum, inter quos gradus conſideratur, ita vt, qui primo in proceſſu propagationis occurrit alteri, vel aſcendendo, vel deſcendendo conſtituatur in primo gradu cum illo, qui ſecundo occurrit conſtituatur in ſecundo gradu, & ſic ſucceſſiuè, quam regulam ſub alijs terminis explicant alij, & præcipue *Gloſa in explicatione arboris conſanguinitatis tit. de conſang., & affin. Silueſter verb. matrimonium 8. n. 6. Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 50. num 4.*; aſſerunt enim, quod cõputentur perſonę medię inter eas, & de quibus quæritur, & ſi nulla ſit media ſint in primo gradu, ſi aliæ perſonæ medient, tot gradibus diſtent, quot perſonæ mediant dempta vna perſona; Hoc exemplificat *Sanchez loc. cit.* in Nepote, & duo, qui ſunt in ſecundo gradu aſcendendo, & deſcendendo, quia ibi ſunt tres perſonæ duæ extremæ, nempe Auus, & Nepos, & vna media ſcilicet Pater reſpectu vnius, & filius reſpectu alterius, & ſic dempta vna remanent duæ perſonæ, quæ propterea diſtant inter ſe in ſecundo gradu.

8 Regulæ pro computandis his gradibus.

Secunda regula pro linea tranſuerſali æquali explicatur hoc pacto, vt perſonæ de quibus agitur eo gradu inter ſe diſtent, quo diſtant à communi ſtipite, & ſic duo fratres ęqualiter diſtant inter ſe, nempe in primo dumtaxat gradu, quia primo gradu diſtant à ſtipite, nempe à patre, qui eſt ſtipes reſpectu vtriuſque, filij duorum fratrum diſtent inter ſe in ſecundo gradu, quia diſtant ab eodem ſtipite in eodem ſecundo gradu, & ſic ſucceſſiue. Quod ſi dicas filium coniunctiorem eſſe parentibus, quam alteri fratri, & ſic non valide fieri talem computationem; tunc dicam eſſe coniunctiorem parentibus perfectione intenſiua, non autem extenſiua, quæ ſolum attenditur. Tertia regula pro linea tranſuerſali inæquali hæc eſt, vt

tantum

tantum diſtant inter ſe, quo remotior diſtat à communi ſtipite. Hoc exemplificari poteſt in patruo, & filio ex fratre comparatiue ad auum, quamuis enim patruus diſtet ab auo vnico tantum gradu, cum ſit eius filius, diſtat tamen in ſecundo gradu à filio ex fratre, quia hic diſtat à ſtipite nẽpe ab auo in ſecundo gradu. Si autem inquiras rationem, cur potius diſtantia conſanguinitatis deſumatur à remotiori gradu, quam è proximiori, ſtatim reſpondebo, id ex eo prouenire, quia cum adęquata ratio propinguitatis, & diſtantię deſumatur per ordinem ad ſtipitem, in quo vniuntur, implicat coniunctiores eſſe inter ſe, quam cum ſtipite.

Hic pro pleniori notitia placet explicare modum, quo ius ciuile computat huiuſmodi gradus, vt diſtinctum à modo, quo eoſdem computat ius canonicum, quamuis hoc parum conferre poſſe videatur ad præſens inſtitutum, ſecundum quod attenditur ſolum diſpoſitio iuris canonici. Ius igitur ciuile procedit hoc pacto. Primo numerat omnes gradus, quibus perſonæ, quæ dicuntur conſanguineę, diſtant à communi ſtipite conferendo, & computando eoſdem gradus non ſeorſim, ſed ſimul, & tot conſtituit gradus diſtantiæ inter illos, quot habent diſtantiæ à ſtipite numeratis vtriuſque perſonæ gradibus. Exempli grac. ſumantur duo fratres ab eodem parente progeniti, qui ſecundum ius canonicum diſtant vno tantum gradu à communi ſtipite, tunc ius ciuile numerat vnum gradum, quo vnus ex fratribus diſtat à Patre, & alterum gradum, quo alter ex fratribus diſtat ab eodem Patre, & ſic conſtituit duos gradus, & ratione illius duplicis gradus eoſdem facit diferre in ſecundo gradu à ſtipite: ſucceſſiue ſumantur duo filij ex eiſdem fratribus comparatiue ad Patrem vtriuſq; fratris, qui ſecundum ius canonicum diſtant tantum in ſecundo gradu, tam inter ſe, quam à ſtipite, tunc numerat duos gradus, quidem vnus ex filijs diſtat à ſtipite, & alios duos, quibus alter diſtat ab eodem ſtipite, & ſic conſtituit quatuor gradus, quibus vult diferre inter ſe eoſdem filios. Succeſſiue ſumatur patruus, & filius fratris eiuſdem patrui, qui ſecundum ius canonicum diſtant tantum in ſecundo gradu ratione maioris diſtantiæ, quam habet filius fratris ad ſtipitem, nempe ad auum; tunc ius ciuile numerat vnũ gradum, quo patruus diſtat à ſtipite, & duos alios gradus, quibus filius fratris diſtat ab eodem ſtipite, & ſic conſtituit tres gradus, quibus vult patruum diſtare à filio fratris *auth. de hæred. ab inteſt. venientibus collat. 9, c. ad ſedem 35. q. 5.* quem ordinem adinuentum exiſtimo in ordine ad ſucceſſiones in hæreditate.

9 Explicatur in particulari, quomodo ius ciuile cõputat huiuſmodi gradus in ordine ad ſucceſſiones.

Nomine ſtipitis intelligo illam perſonam, de qua omnes perſonæ reſpectu cuius dicuntur conſanguineæ, procedunt, vt conſtat *ex c. ad ſedem, & ex c. parentela 35. q. 5.*, nec in hoc audiendus eſt *D. Iſidorus in c. ſeries 35. q. 5.*, qui voluit ſtipitem non eſſe perſonam, à qua aliæ procedunt, ſed primam eius generationem, nempè filios; Non, inquam, audiendus eſt, quandoquidem ex communi Eccleſiæ acceptione ipſe parens venit nomine trunci, ſeu ſtipitis.


10 Quid veniat nomine ſtipitis

Hęc omnia ex communi DD. ſenſu colligo; quæ omnia, vt clare percipias placet hic inſerere arborem pro conſanguinitate ſecundum ius canonicũ. quam clariſſimè percipias, ſi conferes cum omnibus doctrinis ſupra allegatis. Hic tamen vnum addendum exiſtimo computationẽ graduum in ordine ad matrimonia ineunda ſeruandã eſſe iuxta ius canonicum, quandoquidem cum cauſæ matrimoniales ſit fori Eccleſiaſtici, ad normam eiuſdem ſunt regulandæ, computationem vero in ordine ad hæreditates attendendam eſſe iuxta ius ciuile *Paludanus in 4. diſt. 40 q vnica art. 3. concl. 3. nu 20. D. Antoninus 3. parte tit. 1. c. 14. § 2. concl. 3. Alexander de Neuo c fin. num. 5. de conſanguin. Armilla verb. matrimonium num 22. Coarruuias 4. decret. 2. part. c. 6. § 6 num 8. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c 49. vbi de impediment. conſanguinitatis not. 4.* Ratio autem ex eo deducitur, quia quoad ſucceſſionem in hæreditate, cum ſit cauſa merè profana, & ciuilis iura ciuilia poſſunt diſponere. Sed an computatio iuris ciuilis in ordine ad ſucceſſionem in hæreditate ſeruanda ſit, tam in foro ciuili, quam in Eccleſiaſtico. Affirmant *Coarruuias, & Lopez locis cit* Sed quid rę vera de hoc dicendum ſit alibi videbimus, non etenim eſt materia prędentis loci. Interim ſequentem figuram arboris conſanguinitatis, expono.

In ordine ad matrimonia ſeruandum eſt ius canonicum, in ordine ad ſucceſſiones ius ciuile.

Arb.

Digitized by Google




Digitized by Google

## SECTIO II.

### An inter conſanguineos in linea recta ſit iure naturali irritum matrimonium in quocunque gradu in infinitum.

*SVMMARIVM.*

*Matrimonium inter conſanguineos in linea recta in primo gradu eſt iure naturæ irritum.* 1.

*Poteſt tamen ex diuina diſpenſatione depurari à quacunq; turpitudine.* 2.

*Probabilius de iure naturæ irritatur matrimonium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium in quocunque gradu conſanguinitatis.* 3.

*Adam ſi reſurgeret nulli poſſet nubere.* 4.

1 In primo gradu lineæ rectæ eſt iure naturæ irritũ matrimonium.

MAtrimonium inter conſanguineos in linea recta, ſiue aſcendentium, ſiue deſcendentium in primo gradu irritum eſſe de iure naturæ fert communis Theologorum ſententia *D. Thomas in 4 diſt. 40. q. vnica art. 3. in corpore Caietanus, ſecunda ſecunda q. 154 art. 9. circa ſolut. ad tertium, Sotus in 4. diſtinct. 40. q. vnica art. 3. concl. 2. Veracruz 2 part. ſpeculi art. 22. concl. 1. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 9. num. 3. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 5. punct. 3. vbi de cognationis impediment. §. 4. conuenit Palacios in 4 diſt. 40 diſp. vnica verſ. porro autem Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c. 49. vbi de conſanguinitate col. 1.*, in hoc conſentiunt omnes iuris vtriuſque profeſſores nemine diſſentiente. Hoc ſtatuunt Sancti PP. communiter, *Tertullianus in Apologetico c. 9. D. Auguſtinus lib. 3. q. in Leuiticum q. 61. D. Chriſoſtomus homil. de Pentecoſte in fin. Theodoretus in lib. de legibus appellantes Barbaros huiuſmodi matrimonia in linea recta in primo gradu contrahentes* D. Ambroſius Epiſtol. 66. ad Paternum dicens coniugium Patris cum filia cum lege naturæ pugnare in ſingulorum cordibus ſcripta. Ab hoc non ſolum gentes abhorrent, ſed, & etiam ipſa bruta *teſte Ariſtotele lib. 9. de hiſtoria animal., & Plinio lib. 8. naturalis hiſtoria c 42.* Hoc manifeſte euincit ratio naturalis, ſecundum quam repugnat naturali præcepto reuerentiæ parentibus à filijs debitæ carnalis coniunctio, quandoquidem hæc turpitudinem quandam, & irreuerentiã importat, prout expreſſis verbis aſſerit *D. Auguſtinus lib. 11. de ciuitate Dei c. 16.*

Aduerte tamen, quod quantumvis matrimonium inter conſanguineos in linea recta ſit iuri naturali irritum, non ſit tamen ita intrinſece malum, vt nequeat per diuinam diſpenſationem à quacunque malitia depurari *Caietanus ſecunda ſecunda q. 154. art. 9. circa ſolutionem ad tertium in fin. Sotus in 4. diſt. 50. q. vnica art. 3. verſ. igitur quidquid. Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 28. col. 3. notab. 3.* Ratio autem eſſe, quia ex vna parte nõ repugnat huiuſmodi matrimonium abſolute fini matrimonij, nec bonis eius, nempe bono fidei, bono prolis, & bono ſacramenti, vt per ſe patet, cum ex eo poſſit mutua fides obligari reddendi debitum ad inuicem, & non alijs, poſſit proles progigni, & educari, & indiſſolubilitas etiam ſaluari; ex alia parte illa turpitudo, & irreuerentia, quæ ſupponitur in actu coniugali inter patrem, & filiam, vel inter filium, & matrem poteſt depurari exiſtente diuina diſpenſatione, quandoquidem tota irreuerentia in eo conſiſtit, quod filius, qui ex vi originis eſt inferior matre per connubium cum ipſa eidem conſtitueretur æqualis, & filia, quæ eſt ſubiecta Patri in ratione contractus coniugalis æqualitatem cum ipſo ſortiretur, ſed Deus poteſt efficere, quod quam vis filius, & filia ſint inferiores matri, ac Patri in reliquis, in illo contractu conſtituantur æquales, ergo &c. Nec ſolum accedente diuina diſpenſatione poteſt huiuſmodi coniugium cohoneſtari, ſed etiam in caſu extremæ indigentiæ, vt ſi omnes homines deficerent, & ſolum ſupereſſet Pater, & filia, vel filius, & mater, hac ratione eximunt à culpa *D. Chriſoſtomus homil 44. in Geneſim, & D. Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 6.* filias Loth, quæ concubuerunt cum Patre, quia ſcilicet arbitrabantur nullum virum ſupereſſe, qui poſſet generationi deſeruire; & ratio eſt, quia bonum cõmune, & ſuperioris ordinis, quale eſt conſeruatio ſpeciei præponderare debet bono priuato, quod conſiſtit in fuga illius irreuerentiæ.

2 Poteſt tamen ex diuina diſpẽſatione depurari à quacunque turpitudine

His ergo tanquam certis ſuppoſitis cõtrouerſia potiſſimum eſt, an matrimonium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium inter conſanguineos prohibeatur de iure naturæ in quocunque gradu in infinitum, an vero ſolummodo in primo gradu, an vero protrahatur ad aliquem gradum determinatum, & ad quemnam.

3 Probabilius de iure naturæ irritatur in linea recta in quocunque gradu.

Aſſertio, probabilius eſt de iure naturæ irritari matrimonium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium in quocunque gradu in infinitum. *Gloſa in expoſitione arboris conſanguinitatis verſ. quæro, an inter aſcendentes 35. q. 5. Gloſa in l. nuptia verb. ad infinitum ff. de ritu nupt. Hoſtienſis in ſumma tit. de conſanguinitate num. 9, & nu 17 q. 9. Lambertinus de iure patronatus lib. 2. part. 1. q 9 art. 18. num 10. Immola c. literas num 12 de reſtit. ſpoliat. Aſtenſis in ſumma*

*ſumma ſecunda part. lib. 8. tit. 17. art. unico q. 2.*, & ex Theologis, *Scotus in 4. q. unica art. 2. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 14. §. 2. Abulenſis lib. 1. Regum c. 8. q. 151. Toletus lib. 7. ſummæ c. 6. in fin. Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 28. paulò poſt princip. Vaſquez prima ſecundæ q. 74. art. 8. diſp. 112. nu. 7.* quidquid ex aduerſo dixerit *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 51. nu. 13.*

Ratio ex eo deducitur, quià à natura eſt indita ſubiectio, & reuerentia filijs non ſolum in ordine ad parentes, à quibus immediatè procedunt, ſed etiam in ordine ad parentes parentum, & ſic ſucceſſiuè, à quibus recto ordine, licet remotè originem trahunt, & dependentiam, quinimmò ratione maioris dignitatis, quam præſeferunt ſuprà parentes maior eiſdem reuerentia, ſic lumine naturali ſuadente debet exhiberi, ergò, ſi ratione reuerentiæ debitæ parentibus à filijs iure naturæ interdicitur inter eoſdem coniugium, dem iure, quin potius fortiori debet interdici inter aſcendentes remoriores in recta linea, & eoſdem filios; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod debitum reuerentiæ erga parentes à filijs fundetur in iure ſanguinis, ſicuti autem vis ſanguinis eo magis diminuitur, quo magis protrahitur in deſcendentibus, ſicque in remotioribus gradibus non erit debitum ita vigens reuerentiæ, ſicuti in proximioribus, quinimmò eo vſque diminuetur, vt vix vigeat onus eiuſdem reuerentiæ: Non, inquam, obeſſe poteſt, quià licet fundetur in iure ſanguinis, maiores ſemper habent ius ſanguinis originalitèr, & quod magis eſt rationem principij per ſe iure naturali, ſubindè rationem ſuperioris, quod eſt id, in quo fundatur ratio reuerentiæ, ſubiectio, & ius irritans.

**Reuerentia etiam eſt debita parentibus parentum originalitèr.**

Secundo, quià per originariam propagationem ab Adamo in poſteros omnes, omnes dicimur ex eius ſemine procedentes, quod ſemen cum in ſuo principio fuerit labe originaria infectum afficit, vt omnes naſcamur filij iræ, ergò in nobis omnibus adhuc viget ius ſanguinis reſpectu Adæ licet remotiſſimi, ratione cuius eidem debemus filialem reuerentiam, & licet ob hominum ingratitudinem, & ex morte eiuſdem, & parentum noſtrorum remotiorum amicitia inter ipſos, & nos quodamodò euanuerit, non tamen ob id ſublatum intelligitur naturale reuerentiæ, & ſubiectionis debitum. Confirmatur, quià Christus Dominus, quantumvis per plures, & plures generationes ab eodem procedens dicitur ſemen Abrahæ iuxtà illud. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, item dicitur filius Dauid, quantumvis remotiſſimè ab eodem procederet, ergò per ſucceſſiuas generationes non demitur ius ſanguinis, adeoque nec filialis reuerentiæ, quæ eſt ratio, ob quam matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes in recta linea modo conuenienti nequit fieri.

**Omnes dicimur ex ſemine Adami.**

**Christus Dominus dicitur ſemen Abrahæ.**

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Auus, & cæteri aſcendentes non ſint principium per ſe, ſed tantum per accidens reſpectu Nepotum, quod patet ex eo, quod ad rationem filij, qua filius eſt non eſt neceſſe, quod habeat auum, alioſque aſcendentes; Abel etenim fuit verè, & rigoroſè filius Adæ, quantumvis ante Adam aſcendentes non cognouerit; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià etiam Pater hac ratione, qua talis perſona eſt non poſset dici principium per ſe filij, quatenus hic potuit eſſe ab alio, & per propagationem ab alio deſcendere; quod ſi dicas, quod ſit principium per ſe ex ſuppoſitione, quod hic illi eſſe per generationem communicauerit, & ego etiam dicam, quod auus, & aſcendentes ſint principium per ſe, licet non ita proximum, ſed remotum ex ſuppoſitione, quod Pater habuerit eſſe per generationem ab alio, & hic alius ab alio ordinatim, ſeù ordine ſucceſſiuo verſus aſcenſum, & ſtante hac ſuppoſitione militent omnes rationes ad inualidandum de iure naturæ matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes in linea recta, quamvis in gradibus remotis, quæ militant ad idem reddendum inualidum inter conſanguineos in linea recta in primo gradu.

**Auus, & proauus ſunt principium remotum generationis filij.**

4 Hinc inferunt DD. huius noſtræ ſententię, quod, ſi Adam hodie reſurgeret, nullam vxorem poſset ducere, quandòquidem omnes per rectam lineam ab eodem procedunt per veram, & naturalem propagationem, & ipſe eſt communis vniuerſi generis humani parens, & propagator. *Gloſa in l. nuptiæ verb. ad infinitum, ff. de ritu nupt.*, & *Inſtit. de nuptijs, §. ergo non omnes verſ. in infinitum*, & *ibi Angelus nu. 2.*

**Adam, ſi reſurgeret, nulli poſſet nubere.**

---

## SECTIO III.

### An, quo iure, & in quibus gradibus irritetur matrimonium inter conſanguineos in linea tranſuerſali, ſiuè æquali, ſiuè inæquali.

*SVMMARIVM.*

*Gradus, in quibus de iure Leuitici prohibita erant matrimonia.* 1.

*In linea tranſuerſali de iure naturæ ſolum irritatur in primo gradu.* 2.

*De iure naturæ non prohibetur matrimonium*

 in

*in illis omnibus gradibus Leuitici.* 3.

*De iure naturæ non vetatur in linea tranſuerſali inæquali matrimonium in quocunque gradu.* 4.

*De iure naturæ in linea tranſuerſali irritatur matrimonium in primo gradu, & in eo ſolum,* 5.

*De iure Eccleſiaſtico nunc vetatur matrimonium inter conſanguineos vſque ad quartum gradum.* 6.

*Sufficit, ſi alter diſtet à communi ſtipite, vltrà quartum gradum, vt validè contrahat.* 7.

1 **Gradus, in quibus de iure Leuitici prohibita erant matrimonia.**

IN libro Leuitici 18. matrimonium in varijs gradibus, ſiuè lineæ rectæ, ſiuè tranſuerſalis prohibitum erat, & non ſolum quoad conſanguinitatem, ſed etiam quoad affinitatem, & quidem quoad gradus conſanguinitatis in linea recta vetitum erat matrimonium parentum cum filijs, auorum cum Nepotibus, auiarum cum Nepotibus; in linea verò tranſuerſali fratrum cum ſororibus ſiuè ex vno, ſiuè ex vtroque parente, quod ex dictis ſecundum ius canonicum eſset in primo gradu, item nepotis cum amita, ſeù matertera, quod eſset matrimonium in ſecundo gradu, quod tamen non intelligendum eſt de matrimonio patrui, ſeù auunculi, ſiuè ex parte patris, ſiue ex parte matris cum nepte, prout notauit, *Sotus in 4. diſt 40. q. vnica art. 3 col. 5, & alij DD* apud *Sanchez lib. 7. diſp. 52. n. 1. in princip.*; quoad gradus verò affinitatis erant prohibiti alij gradus puta primus lineæ rectæ aſcendentium, vt ſoceri cum nuru, vitrici cum priuigna, & è contra priuigni cum Nouerca, ſocri cum genero, & etiam filij vitrici cum filia priuignæ; in linea autem tranſuerſali prohibitum eſt matrimonia in duplici gradu ſcilicet inter fratrem, & vxorem fratris, & cum ſorore vxoris viuente vxore, & cum vxore patrui. Omnes hos gradus tàm in linea recta, quam in tranſuerſali conſanguinitatis, & affinitatis complectitur *Silueſter verb. matrimonium 8. num. 6.* quatuor carminibus.

*Nata ſoror neptis, matertera, fratris & vxor*
*Et patrui coniux, mater, priuigna, nouerca.*
*Vxoriſque ſoror, priuigni nata vtriuſque*
*Atque ſoror patris coniungi lege vetantur.*

**Ius Leuitici abrogatū eſt, n ſi vbi contineat ius naturale.**

Hos omnes gradus in quibus de lege veteri prohibebatur matrimonium inter conſanguineos huiuſmodi gradibus affectos, modo dicendum eſt, vel non obligare, vel ſi obligant, non fuiſse antiquitus tantum de iure diuino poſitiuo, ſed de iure diuino naturali, quandòquidem in lege Euangelica nullum eſt præceptum iuris diuini poſitiui exceptis fidei, & ſacramentorum præceptis, & reliqua, ſi quæ ſunt iuris diuini, ſimul & naturalis, prout docet *D. Thomas quodlib. 4. art. 13. & prima ſecundæ q. 108. art 1. in fin. corporis, & cum eo omnes Theologi communiter.* Quamobrem ad plenè diſsoluendas difficultates in hoc genere, videndum eſt, an matrimonium in illis omnibus gradibus enuntiatis *in d. Leuitic.* 18. eſset prohibitum ſimul de lege diuina, & naturali, eo modo quo obligabant, & obligant præcepta Decalogi, an verò tantum de iure diuino poſitiuo; ſi etenim erat interdictum de iure diuino naturali, erit nunc quoque tali iure interdictum, cum Chriſtus Dominus in lege euangelica iura naturalia non extrinxerit; ſi verò erat interdictum tantum de iure diuino poſitiuo, iam in lege euangelica ſublatum eſt, cum adueniente eadem lege euangelica omnia ceremonialia, & iudicialia ceſsent, prout docent D. Thomas, & alij Theologi.

In hac igitur ſectione inquiretur primo, an in linea tranſuerſali ius naturæ prohibeat matrimonium, & in quonam gradu. Secundo in quonam gradu in linea tranſuerſali irritetur matrimonium de illo iure Eccleſiaſtico.

2 **In lineæ tranſuerſali de iure naturæ ſolum irritatur in primo gradu.**

Aſsertio I. In linea tranſuerſali ſolum irritatur de iure naturæ matrimonium in primo gradu. *Sotus in 4. diſt. 40 q. vnica art. 4 col 3. concl. 1 Anglus Floribus prima parte, vbi de matrimon q. 13. art. 3. difficult. 2. Toletus lib. 7. ſumma c. 7. nu 2 Valentia 4. part. diſp. 10. q. 1 punct. 1 § ſed tamen contraria ſententia, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 54 art. 3 difficult. 3. concl. 1. Abulenſis c. 18 Leuitici q. 5., & c. 11 Geneſis q. 22. Phylippus Archinius in edict. de fid. part. 2. c. 14. Bonacina de matrimon. q. 3 punct. 5. § 1. n. 11.*

Ad clarè euincendam hanc aſsertionem tria ſunt potiſſimum examinanda; primum matrimonium in omnibus gradibus Leuitici 18. expreſſis, non eſse de iure naturæ vetitum, & irritum, quod præſtabitur potiſſimum ſolutione obiectorum. Secundum in linea inæquali non irritari de iure naturæ in quocunque gradu etiam in infinitum. Tertium irritari quidem in primo gradu, ſed in eo tantum.

3 **De iure naturæ nō prohibetur matrimonium in omnibus illis gradibus Leuitici.**

In ordine ad primum certum eſt non prohiberi mattimonium de iure naturæ in omnibus illis gradibus enumeratis Leuit. 18., & hoc potiſſimum colligitur *ex Concil Trident. ſeſſ 24 c. 3.*, vbi definitur hereſim eſse negare poſse Pontificem in aliquibus gradibus in eod. Leuitico enumeratis diſpenſare; non eſset autem hereſis, ſi verum eſset, quod de iure naturali diuino omnes illi gradus, ſeù matrimonium in illis omnibus gradibus interdiceretur, Deinde in eodem contextu interdicti appoſiti in ipſo Leuitico

Digitized by Google

titico clare conijcitur non omnes illos gradus de iure naturæ prohibitos eſſe, quandoquidem ibi prohibetur coniugium cum vxore fratris defuncti, non tamen cum ſorore vxoris defunctæ, cum tamen æqualis ſit gradus inter fratrem, & vxorem fratris defuncti, & inter ſororem defunctæ, & maritum eiuſdem; ex quibus clarè liquet præcepta illa dirigi ad iuſtitiam, & Reipublicæ pacem ſtabiliendam. Neque dicas potius ex verborum contextu in illa prohibitione euinci matrimonium in illis gradibus prohiberi de iure naturæ, & illud præceptum quoad omnes dirigi, & computari inter moralia iuris naturalis, quam inter ceremonialia, & iudicialia; poſtquam enim Deus inhibuit matrimonia in illis gradibus ſubdidit. *Non polluamini in omnibus his & quibus contaminata ſunt vniuerſa gentes, & quibus polluta eſt terra, cuius ego ſcelera viſitabo*, & deinde ſubiunxit. *Non faciatis ex omnibus abbominationibus iſtis; omnes enim execrationes iſtas fecerũt accolæ terra qui fuerunt ante vos, & polluerunt terram*; vbi præcipuè nota vocare *abbominationes, execrationes*, & cum deinde dicat, has fuiſſe ante eos, cum quibus loquebatur, vtique ſupponit eas de iure naturæ vetitas eſſe, & vt tales declarat, non verò eas conſtituit de futuro imponendo præceptum ceremoniale, ſeu iudiciale; contra enim impugnaberis, quia, vt bene notat *Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 27. in ſolut. ad ſextum* in eo capite non ſolum Deus interdixit matrimonium in illis gradibus, ſed etiam plura enumerauit flagitia gentilium, vnde verba mox allegata referuntur ad dicta flagitia, & peccata, quæ erant idololatria, adulteria, ſodomia, beſtialitates, non autem ad ea omnia, quæ ſpectant ad contractum matrimonium; non enim dixit ea omnia eſſe abhominationes, execrationes, & flagitia; neque vlterius vrgeas ex *D. Auguſtino lib. 3. q. in Leuit. q. 53.* illam prohibitionẽ graduum in leuiticũ reduci ad Decalogũ; contra enim adhuc impugnaberis, quia D. Auguſtinus intelligendus eſt, quando quis duceret aliquam, vel aliquem in ijs gradibus viuente adhuc altero coniuge, quia tunc tanquam adulteria reducerentur ad ſecundum præceptum.

*Explicatur dictum, & confutãtur rationes oppoſitæ.*

4 *De iure naturæ etiã in linea inæquali nõ vetatur matrimonium de iure naturæ in quocũq; gradu.*

In ordine ad ſecundum etiam dicendum eſt, non vetari iure naturæ extra primum gradum in linea tranſuerſali inæquali matrimonium, puta inter patruum fratrem Patris, aui proaui, abaui, & ſic in infinitum, quidquid dixerit ex aduerſo *Paludanus in 4. diſt. 40. q. vnica art. 3. num. 22.* Ratio conſiſtit in euerſione rationis contrariæ ſententiæ; ideo enim aſſerunt de iure naturæ vetari hoc matrimonium etiam in infinitum, quia frater patris, aui, proaui &c., ſtat loco parentis, cui propterea debetur eadem reuerentia, quæ debetur patri, vnde quoad hoc eodem paſſu procedit, hæc ſententia, quo procedit ſententia aſſerens matrimonium in quocunque gradu prohiberi in linea recta inter aſcendentes, & deſcendentes; ſed hæc ſententia falſo innititur fundamento, quandoquidem non idem vrget ius naturæ quoad collaterales, quod vrget quoad aſcendentes in linea recta, nec illis debetur illa reuerentia, quæ debetur iſtis.

In ordine ad tertium, quod duas habet partes, nempe, quod ius naturæ interdicat in primo gradu lineæ tranſuerſalis, & quod in illo ſolo interdicat, ſic euincitur quoad primam partem, quia ipſa natura ſuadente inter fratrem, & ſororem eſt naturalis quidam pudor, & reuerentia, cui aduerſatur actus coniugalis, vtpote, qui turpitudinem quandam præſefert; tum quia, & gentes ipſæ abhorruerunt ab hoc coniugio, vt colligitur ex *Ariſtotile 2. Politicorum c. 2.* qui turpiſſimã cenſet coniunctionem fratrum cum ſororibus, & ex *Tertuliano in Apologetico c. 9.*, qui appellat conſuetudinem permittentem coniunctionem fratrum cum ſororibus peruerſam, & legi naturæ repugnantem; tum quia ſummus Pontifex requiſitus ad diſpenſandum in huiuſmodi gradu in linea tranſuerſali nunquam voluit, quinimmò *Innocentius III. c. gaudemus de diuort.* habet, quod, ſi infideles conuerſi ad fidem, qui contraxerunt matrimonium tempore infidelitatis, fuerint tantũ in ſecundo, vel tertio gradu conſanguinitatis in linea tranſuerſali non ſint ſeparandi, ergo ſi fuerint in primo gradu erunt ſeparandi; incongruè etenim expreſſiſſet Pontifex ſecundum, & tertiũ gradum ſi etiam primus de iure naturæ nõ eſſet interdictus. Quoad ſecundam etiam partem ſic probatur, & primo *ex d. c. gaudemus de diuortijs*, vbi cũ dicatur infideles matrimonio coniunctos, ſi conuerſi fuerint ad fidem, non eſſe ſeparandos, ſi fuerint conſanguinei in ſecundo, vel tertio tantum gradu lineæ tranſuerſalis, ex directo ſequitur, quod conſanguinitas in ſecundo, & tertio gradu lineæ tranſuerſalis non irritet matrimonium de iure naturę, cęteroqui etiam infideles, qui contraxerint in tali gradu, dum cõuertuntur, eſſent ſeparandi; quandoquidem ius naturæ afficit etiam infideles; ſecundo pluribus exemplis ſacrę ſcripturę, in quibus perſonæ Deo fideles contraxerunt in ſecundo gradu conſanguinitatis in linea tranſuerſali, nec tamen fuerunt damnatæ, vt videre eſt Geneſeos 11. vbi Nachor duxit Melchiam filiam Aram patris ſui, & etiam Abraham duxit Saram filiam Aram etiam fratris ſui, quod certe

5 *Irritatur in primo gradu de iure naturæ, & in eo tantũ*

*Rationes euincentes intentum.*



Digitized by Google

non eſſet ſi matrimonium in illis gradibus de iure naturę eſſet prohibitum.

6 *De iure Eccleſiaſtico nunc vetatur matrimonium vſq; ad quartum gradum.*

Aſſertio II. *De* iure Eccleſiaſtico nunc vim habente prohibitũ eſt matrimonium inter conſanguineos in linea tranſuerſali vſque ad quartum gradum, ita vt initum intra quartum gradum ſit irritum. Dixi, *de iure Eccleſiaſtico nunc vim habente*, nam de iure antiquo prohibitio matrimonij contrahendi ſub pęna nullitatis extendebatur vſq; ad ſeptimum gradum, vt conſtat *ex c. ad ſedem 35 q. 5., & ex c. nullũ 35. q. 3.*

Expreſſè definita reperitur, hæc veritas *in Concil. Lateranenſi* relati *in cap. non debet de conſang.*, & eſt communi Eccleſię praxi, & conſuetudine recepta non quomodocunque, ſed ſub onere nullitatis, ſi aliter, & intra illos gradus matrimonia contrahãtur; nec ambigendum eſt de auctoritate Eccleſię ad reſtringendam poteſtatem contrahendi matrimonia intra huiuſmodi gradus, quidquid reclamauerint Vuidephus, Lutherus, & alij hęretici, vel illudentes Eccleſiæ prohibitionem tanquam humanam inuentionem, vel deſpicientes eandem vltra gradus in Leuitico prohibitos tanquam inanem, & omni poteſtate vacuam; Non, inquam, ambigendum, quia, & Eccleſia potuit ſic vetare, voluit, & iuſtè voluit. Potuit, quia, cum matrimonium ſit in genere contractus humani, qui tanquam materia ſubditur ſacramento potuit legem pręſcribere in ordine ad certas perſonas, vel ex honeſtate, vel ex alio rationabili titulo, ne contraheretur ſine certis, & determinatis conditionibus in eiſdem exiſtentibus, vt conuenienti modo fieret; Voluit, vt conſtat ex allegato *c. non debet de conſanguin.*; iuſte voluit, tum quia hoc reſpicit reuerentiam, quam cognati ſibi adinuicem debent ob ſanguinis communionem, & deſcendentiam ab eodem ſtipite; tum quia matrimonium reſpicit tanquã finem ſecundarium remedium concupiſcentiæ, quam potius foueret, ſi iniretur inter conſanguineos in talibus gradibus, cum etenim naturalis amor ex conſanguinitate deſcendens maximè excitet ad communicationem, vtique ſi adderetur amori coniugali effrenata libidine ad inordinatus coitus promoueret; tum quia ita conueniens fuit ad euitandos innumeros inceſtus, quandoquidem cum conſanguinei, vel cohabitent, vel ſaltem frequentèr ſe inuiſant, facile in commercia carnalia dilaberentur ſub ſpe futuri matrimonij, niſi remouerentur ſcientes inter ſe matrimonia non poſſe ſubſiſtere.

*Exploditur error Vuidephi, & Lutheri*

7 *Sufficit ſi alter diſtet à cõmuni ſtipite vltra quartũ gradum ad valide contrahendũ.*

Ex ijs, & ex ſuperius dictis habes, quod, ſi duo conſanguinei, vel ambo vltra quartum gradum diſtent à ſtipite, vel vnus illorum tantum, poſſint valide matrimonium inter ſe inire, dummodo ſit conſanguinei tantum in linea tranſuerſali, & quidem ſi ambo diſtent vltra quartum gradum nulli eſt dubium, cum de hoc expreſſè loquantur iura; ſi vero vnus ex illis diſtet tantum à commune ſtipite per vnũ gradum, alter vero per quinque gradus, tunc adhuc validè, & licite poſſunt contrahere per textum in *c. fin. de conſang.* cũ ex ſuperius dictis in regula pro linea tranſuerſali diſtantia gradus deſumatur à remotiori.

---

## SECTIO IV.

### De cognatione Spirituali.

### *SVMMARIVM.*

*Cognatio ſpiritualis prout dirimit matrimonium conſurgit ex ſolo baptiſmo, & confirmatione.* 1.

*Exploditur ſententia aſſerens prouenire ex ſolo baptiſmo.* 2.

*Definitio cognationis ſpiritualis.* 3.

*Diſpoſitiones iuris antiqui circa hanc cognationem ſpiritualem.* 4.

*Arbor cognationis ſpiritualis ſecundum ius antiquum.* 5.

*Diſpoſitiones concilij Trid. circa cognationem ſpiritualem.* 6.

*Arbor cognationis ſpiritualis ſecundum Concil. Trid* 7.

*Si plures ſuſpiciant eundem puerum non deputati, & omnes ſimul attingant, omnes contrahunt cognationem.* 8.

*Antiquitus plures ſimul ſuſcipere eundem infantem interdicebantur, ſuſcipientes tamen contrahebant cognationem ſpiritualem.* 9.

*Concilium Tridentinum vult, quod vnus tantum, vel ad ſummum vnus, & vna ſuſcipiant.* 10.

*Talis diſpoſitio Tridentini non eſt irritatiua.* 11.

*Concilium Trident. ſolum excipit, quando vltra deſignatos concurrunt etiam non deſignati.* 12.

*Si plures ſuſcipiant, ſed ſucceſſiue, primus tantum, qui tangit, contrahit, & non alij.* 13.

*Quando plures ſunt deſtinati, & omnes ſimul ſuſcipiunt omnes contrahunt hanc cognationem.* 14.

*Secus ſi tangant ſucceſſiue, nam tunc primus tantum contrahit remiſſiue.* 15.

*Si plures ſuſcipiant, ſed aliqui fuerint deſtinati à parentibus alij à Parocho, ſolum contrahunt deſtinati à parentibus.* 16.

*Si plures fuerint deputati à parentibus, ſed vnus tantum admiſſus à Parocho ille ſolus contrahit.* 17.

*Si plures fuerint electi à Parocho, & omnes ſimul ſuſcipiant, omnes contrahunt.* 18.

*Hae*

Digitized by Google

*Hæc intelligenda ſunt proportionalitèr etiam de tenentibus in confirmatione.* 19.

*Conditiones requiſitæ ad contrahendam hanc cognationem ſpiritualem.* 20.

*Requiritur primo tentio, vel ſuſceptio pueri de ſacrofonte.* 21.

*Non contrahitur hæc cognatio, quandò quis tenet puerum, dum priuatim domi baptizatur.* 22.

*Nec quandò ſupplentur publicè in Eccleſia ceremoniæ.* 23.

*In iteratione ſolemni baptiſmi prius priuatim collati tenens non contrahit hanc cognationem.* 24.

*In iteratione ſub conditione tenens tunc contrahit, quando eſt fortior præſumptio pro innaliditate, ſecus quando eſt pro valore prioris baptiſmi.* 25.

*Requiritur ſecundò contactus pueri baptizandi.* 26.

*Hic contactus requiritur, ſiuè ſuſcipiendus ſit puer, ſiuè adultus.* 27.

*Non ſufficit contactus per alium, bene tamen ſi ſit contactus mediatus per veſtes, vel per quid aliud.* 28.

*Non requiritur tamen ad contrahendam hanc cognationem reſponſio patrinorum.* 29.

*Non contrahitur hæc cognatio per ſuſcipientem, quando adeſt error perſonæ, & quomodo.* 30.

*Intendens præcisè ſuſcipere filium Pauli, & ex errore ſuſcipiens filium Petri, nec contrahit cognationem cum filio Petri, nec cum filio Pauli.* 31.

*Limita, quando ſuſciperet non limitans intentionem ad filium Petri, ſed ad puerum præſentem.* 32.

*Regularitèr omnes fideles ſuſcipiendo poſſunt contrahere hanc cognationem.* 33.

*Nomine fidelium veniunt in hoc etiam hæretici baptizati.* 34.

*Infideles, ſiuè baptizantes, ſiuè ſuſcipientes non contrahunt hanc cognationem.* 35.

*Catecumenus ſuſcipiens, vel baptizans non contrahit.* 36.

*Si infidelis ſimul cum fideli tenet de ſacro fonte, vel ille teneat, hic baptizet, fidelis contrahit cognationem, non infidelis.* 37.

*Si infidelis teneat, vel baptizet, & poſtea conuertatur non contrahit poſt conuerſionem hanc cognationem.* 38.

*Si fidelis teneat, vel baptizet puerum infidelis non contrahit cognationem cum parentibus pueri infidelibus.* 39.

*Bene tamen cum eodem filio ſuſcepto.* 40.

*Cur non confirmatus tenens confirmandum contrahat cognationem, non ſic non baptizatus tenens baptizandum.* 41.

*Non eſt neceſſe ad contrahendam hanc cognationem, vt tenens ſit in ea ætate, qua eſt tenendus, ſed ſufficit, quod gaudeat pleno vſu rationis.* 42.

*Quando quis ſuſcipit per Procuratorem, nec ipſe, nec Procurator contrahit cognationem ſpiritualem.* 43.

*Excipe, niſi Procurator intendat ſuſcipere nomine proprio.* 44.

*Ad contrahendam hanc cognationem requiritur vlterius intentio efficiendi id, quod intendit Eccleſia.* 45.

1 **Cognatio ſpiritualis prout dirimit matrimonium conſurgit ex ſolo baptiſmo & confirmatione.**

COgnatio ſpiritualis, prout dirimit matrimonium, non conſurgit, niſi ex baptiſmo, & confirmatione; ex cathechiſmo etenim non oritur, niſi imperfecta, quæ ad ſummum impedit, non dirimit iuxtà ſuperius dicta, quinimmò nec de preſenti impedit ſtante Concil. Trident., quod etiam ex ſuperius dictis omnem aliam cognationem ſuſtulit ab eodem baptiſmo, & confirmatione, quin etiam in baptiſmo ad certas perſonas reſtrixit, cum antecedentèr ad plures extenderetur, & licet aliqui apud *D. Thomam diſt. 42. art. 2. in obiectis* contenderent ex ſolo baptiſmo prouenire, cum per ſolum baptiſmum inducatur regeneratio, & per conſequens, quod, ſicuti ex ſola generatione carnali conſurgit cognatio carnalis, ità oriri debeat ex ſolo baptiſmo ſpiritualis, nihilominus per iura Eccleſiaſtica, per quæ inducta eſt hæc cognatio ſpiritualis expreſsè inductum eſt, vt etiam ex confirmatione conſurgeret, nec incongrua ratione, quandòquidem, vt *D. Thomas ibid. ad primum* reſpondens huic obiecto bene notat, quod etiam in generatione carnali duplex natiuitas conſideratur, altera in vtero, in quo recipitur fætus, adeo debilis, vt maximis ſubſit periculis in editione ad lucem, & huic correſpondet natiuitas, ſeu regeneratio per baptiſmum, per quam regeneratus recipitur in vtero, ſeù gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ, & adhuc debilis eſt, donec per aliam quodemodo natiuitatem robur nanciſcatur, & incrementum; altera eſt natiuitas extra vterum, quatenus fætus iam in vtero adauctus eſt, & roboratus, vt ad lucem exponi poſſit non obnoxius tot periculis ab exterioribus, quæ nata ſunt corrumpere; atque huic correſpondet confirmatio, per quam homo ſpiritualiter roboratus exponitur ad lucem, ad confeſſionem nominis Chriſti.

2 **Exploditur ſententia aſſerens prouenire à ſolo baptiſmo.**

**Duplex natiuitas etiam in carnalibus aſſignatur.**

3 **Definitio cognationis ſpiritualis ex D. Thoma.**

Hæc ſpiritualis cognatio conſurgens ex baptiſmate, & confirmatione optimè à *D. Thoma* exponitur *in 4. diſt. 42., & quodlib. 6. q. 3.* in hunc modum. Eſt vinculum contractum ex ſtatuto Eccleſiæ per baptiſmum, & confirmationem per dantem, ſuſcipientem, & tenentem; an verò ex ea contrahatur in viro ſpiritualis affinitas cum qualibet muliere cognita, vel matrimonialiter, vel fornicarie dubium erat inter *DD.* etiam poſt concilium Trident., ſed dubium modò diſſolutum remanet per diſpoſitionem Pij V. in quodam ſuo

motu


Digitized by Google

motu proprio Incip *cum illius vicem de anno* 1566., per quam declarauit hanc in vxorem non transfundi, & ita docent *Nauarrus in ſumma c.22. num.* 39. *Veracrux append. ad ſpecul., vbi de cognat. ſpirituali Henriquez lib.11. de matrimonio c.11. num.*2. *Suarez* 3. *part. q.*67. *art.* 8. §. 2. *explicat.* Congruentias, ob quas Eccleſia induxit huiuſmodi cognationem ſpiritualem optimè adducit *Sanchez. de matrimonio lib.* 7. *diſp.* 53. *num.* 3. ad quem vos remitto.

4 Diſpoſitiones iuris antiqui circa hanc cognationem ſpiritualem.

Porro ad cognoſcendum, inter quas perſonas contrahatur hæc cognitio ſpiritualis, tàm in baptiſmate, quam in confirmatione placet ea, quæ de iure antiquo erant diſpoſita, & quæ modo *ex Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *c.* 2. *de reformat. matrimon.* emendata, referre. Igitur de iure antiquo iuxta triplicem reſpectũ conſtituebantur huiuſmodi cognationes, vel etenim baptizatus, vel confirmatus conſiderabatur ſecundum quod refertur ad baptizantem, genitores proprios, & tenentes in baptiſmo, & ſic conſtituebatur cognatio ſpiritualis paternitatis, vel baptizãs, genitores baptizati; & tenentes referebantur ad inuicem in ordine ad ipſum baptizatum, & ſic conſtituebatur compaternitas, vel tandem baptizatus referebatur ad filios baptizantis, & tenentis in baptiſmo, & ſic conſtituebatur fraternitas. Porro cum ex textu *in c. Martinus de cognitione ſpirituali* vxor baptizantis, & vxores tenentium ſint vna caro reſpectiue ad eundem baptizantem, & tenentes, & ipſæ cum eodem baptizante marito ſuo, & cum tenentibus etiam maritis ſuis contrahebant paternitatem in ordine ad baptizatum, & compaternitatem, ſi fuerit vxor baptizantis cum genitoribus baptizati, & tenentibus, & eorum vxoribus, vel ſi fuerit vxor tenentis, cum eiſdem genitoribus baptizati, & baptizante ſimul cum vxore ſua. Vt autem clarius cognoſcas hanc diſtinctionem perſonarum, inter quas de iure antiquo contrahebatur cognatio ſpiritualis hanc inſpice arborem.

## *Arbor cognationis ſpiritualis de iure antiquo.* 5





modo autem Concilium Tridentinum huiuſmodi diſpoſitionem iuris antiqui reformauit, in pluribus correxit, in pleriſque abſtulit, & ad paucorem perſonarum numerum reduxit; æquum enim duxit ſacra illa ſinodus in Spiritu Sancto congregata, vt, ſicuti in pluribus ſic æquitate, & neceſſitate exigente ad euitanda ſcandala, & pericula peccatorum impedimenta induxit, ita in pleriſque, in quibus tanta neceſſitas non vrgebat, nec pericula tot ſuberant, reformaret impedimenta, quæ inerant, ſubtrahendo. Sic præcipue 6
in cognatione ſpirituali ſubtraxit fraternitatem.

Digitized by Google

*Diſpoſitiones Concilij Tridentini circa cognationem ſpiritualem.*

tatem, quæ antecedenter inerat inter filios baptizantis, & tenentium, & ipſum baptizatum, item ſubtraxit cognationem inter ſuſceptores inter ſe comparatos, vnde ſi vir, & vxor ſimul ſuſcipiant in baptiſmate alienum puerum non contrahunt inter ſe cognationem *Nugnus 3. part. q. 67. art. 8. verſus fin. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 14. num. 12. Reginaldus lib. 31. num. 150.* nam licet *Concil. Trident. d. ſeſſ. 24. c. 2.* dixerit. *Ad ſummum vnus, & vna baptizatum de baptiſmo ſuſcipiat, inter quos, ac baptizatum ipſum contrahatur cognatio,* hij tamen *inter ipſos,* referendum eſt ad alias perſonas ibi enumeratas, nempe parentes baptizati, & baptizatum, vt bene notant *Palacios in 4. diſt. 42. diſp. vnica col. 34. verſ. vir autem, & vxor Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. c. 51. de matrimon. col. 2., & vbi de baptiſmo 62. verſ. 2. recolendum eſt,* & ita communiter ſuſtinent DD. Item ſubtraxit, ne contrahatur per vxorem ex eo, quod ipſius maritus, vel baptizauerit vel tenuerit alienum infantem, cum concilium definiuerit cognationem non contrahi ab alijs perſonis præter ibi enumeratas, inter quas non eſt vxor patris, vel baptizantis, & hoc etiam declarauit *Pius V. allegatus in motu proprio Incipiente, illius vicem.* Vt autem clarius percipias ea, quæ dicta ſunt hanc conſpice arborem.

7 *Arbor cognationis ſpiritualis de iure Tridentini.*




*Articuli examinandi circa cognationem ſpiritualē.*

His igitur, ſic pro notitia explicatis ſit ſynopſis eorum, quę ſub hoc titulo examinabuntur. Primum erit, an ſi non obſtante Concil. Tridentino præcipiantur non plures admittēdos eſſe patrinos in baptiſmo, & confirmatione, quam vnum, vel vnum, & vnam, plures ſuſcipiant, omnes contrahant hanc cognationem, & ſi non omnes, quinam ex illis. Secundum quænam requirantur ad contrahendam hanc cognationem ſpiritualem, ſeù in quibus caſibus contrahatur, vel nō contrahatur; Tertium, an contrahatur, quando adeſt error perſonę. Quartum, quinam apti ſint contrahere hanc cognationem. Quintum, quinam contrahat hanc cognationem, quando quis ſuſcipit per Procuratorem. Sextum, an in patrinis ad contrahendam hanc cognationem requiratur vltra externam ſuſceptionem aliqua intentio, & alia huiuſmodi.

7 Aſſertio I. De iure nouo Concilij Tridentini ſi plures ſuſcipiant, quantumvis contra diſpoſitionem ipſius concilij volentis vnum tantum, vel vnū, & vnam ſuſcipere infantem baptizandum, & nemo ex illis fuerit deputatus, vel à parentibus, vel à Parocho ad ſuſcipiendum, & omnes ſimul tangant omnes contrahunt cognationem ſpiritualem iuxtà modum ſupra expoſitum, ſi verò non omnes tangant ſimul, ſed ſucceſſiuè, primus tantum, qui tangit, contrahit, & non alij; ſi plures deſignati omnes à parentibus ſimul ſuſcipiant, & ſimul tangant, omnes contrahunt, ſecùs ſi tangant ſucceſſiuè, nam tunc tantum primus contrahit; ſi plures ſuſcipiant, ſed aliqui eorum fuerint à parentibus deſtinati, & alij à Parocho, contrahunt ſolum cognationem, qui fuerant deſtinati à parentibus; ſi plures fuerint deſtinati à parentibus, ſed vnus tantum admiſſus à Parocho, ille tantum contrahit cognationem; ſi plures ſuſcipiant deſtinati à Parocho,

*Si plures ſuſcipiant eundē puerum non deputati ad ſuſcipiēdū, & omnes ſimul tangant, omnes contrahunt cognationem ſpiritualē.*

cho, quando parentes nullum elegerunt, omnes illi contrahunt. Prima pars admittitur à *Nauarro c. 22. nu. 39. Henriquez lib 11 c. 11. n. 3 Reginaldo lib. 31 n. 152.* Secunda pars eſt *Rebelij apud Bonacinam de matrim. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 24. verſ. quandò verò non omnes*, qui etiam eum ſequitur. Tertia eſt *eiuſdem Bonacinæ loc. cit.*, qui teſtatur de communi contra *Suarez 3. part. q. 57. art. 8.* Quarta pars eſt *eiuſdem Suarez* in alijs nobis aduerſantis *loc. cit. Palacios in 4. diſt. 42. diſp. vnica col. 26. verſ., & quidem, & hanc valdè commendat Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 57. n. 14.* Quinta pars eſt *Bonacina loc. cit. nu. 27.* Sexta eiuſdem; Septima eſt *Reginald. lib. 31. num. 153. ad fin. Coninchi diſp. 32. dub. 2. n. 30. Sanchez lib. 7. diſp. 57.*

Ad clariorem notitiam, antequam procedamus ad probationem ſingularum partium aſſertionis aduerte, quod quamvis de iure antiquo prohibitum eſset plures eundem baptizandum ſuſcipere in baptiſmo, & confirmatione, vt conſtat *ex cap. non plures de conſecrat. diſt. 4., & cap. final. de cognat. ſpirituali in 6.*

9 Antiquitus plures ſimul ſuſcipere interdicebatur, ſi tamen ſuſcipiebant contrahebant cognationem ſpiritualem.

nihilominus, ſi plures tangerent in ſuſceptione omnes contrahebant cognationem hanc ſpiritualem dirimentem matrimonium, prout colligitur *ex d. c. fin. de cognat. ſpiritual. in 6.* ex quibus duo habes; primum aliqualem culpam eſse duos, vel plures patrinos admittere propter tranſgreſſionem præcepti Eccleſiaſtici in re iuſta, & legitimè præcepta; ſed an hoc eſset culpa læthalis, vel venialis tantum diſſident *DD.* Probabilius exiſtimant eſse dumtaxat venialem *additio ad Gloſam in c. fin verbo contrahitur de cognat. ſpirituali in 6., & ibi Ioannes Andreas ad finem, Ancharanus num. 1. Dominicus in fine, Roſella verb. impedimentum impedimento 6. num. 4. Sotus in 4. diſt. 42. q 1. art 2. col 5;* Secundum per illa decreta non auferri cognationem ſpiritualem, ſi plures ad ſuſcipiendum concurrant.

10 Concilium Trident. vult, quod vnus tantum, vel vnus, & vna ſuſcipiat.

Aduerte ſecundò Concilium Tridentinum nouiter circa hanc ſuſceptionem in baptiſmo quoad vnitatem, vel pluralitatem ſuſcipientium hoc pacto diſpoſuiſſe, vt duo poſſint admitti, diuerſi tamen ſexus, vt vnus eſset maſculus, alter fæmina. Ibi. *Sancta Sinodus ſtatuit, vt vnus tantum, ſiuè vir ſiuè mulier iuxtà ſacrorum canonum ſtatuta, vel ad ſummum vnus, & vna baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant.* Circa, quam diſpoſitionem concilij plerique diſputant, an ſit irritatiua, ſi plures admittantur, an ſolum interdicat talem plurium admiſsionem ſub pæna, ſi aliter fiat. Suarez *3. parte quæſt. 67. art. 8. col. 2. §. ſed quæres*, videtur aſserere talem diſpoſitionem eſse irritatiuam, & ſub pæna nullitatis, dum aſserit, ſi plures ſint ad hoc munus ſuſcipiendi puerum deputati, nullus ex illis contrahat hanc cognationem, ſeù impedimentum. Verum probabilius puto Tridentinum in eo decreto, prohibere admiſſionem non tamen irritare factum aduerſus illud decretum, eo modo quo textus *in c. fin. de cognat. ſpiritual. in 6.* prohibet admitti plures patrinos, & tamen in eodem cap non irritat ipſorum admiſſionem; & hoc potiſſimum euinco, quià in eodem decreto Trident. non apponitur clauſula irritans, nam ſi in tali decreto eſt aliqua clauſula irritans hæc ſolum tangit ſuſcipientes non deſignatos, & hoc non quomodocunque, ſed quando cum deſignatis alij ſuſcipiunt non deſignati, ea proportionali ratione, quià dictum Tridentinum *cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrimonij*, plura prohibet, & præcipuè ne ineatur matrimonium non præmiſſis denuntiationibus, & ne contrahatur ſine præſentia Parochi, & teſtium cum addictione clauſulæ irritantis, quæ tamen, quià ſolum attingit matrimonium ſine Parocho, & teſtibus non extenditur ſecundum communiſſimum conſenſum ad matrimonium ſine denuntiationibus. His præſupoſitis aliud ſtatuit Concilium Tridentinum *cap. 2. ſeſſ. 24. de matrim* per hæc verba. *Parochus antequam ad baptiſmum conficiendum accedat diligentèr ab ijs, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eos vel eum tantum ad illum ſuſcipiendum admittat. Quod ſi alij vltra deſignatos, baptizatum tetigerint cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant.*

11 Talis diſpoſitio Tridentini nō eſt irritatiua.

Probatur iam prima pars aſsertionis, quià contractio illius cognationis ſpiritualis, nec impeditur de iure veteri *in d. c. fin. de cognat. ſpirituali in 6.*, nec ex diſpoſitione *Concilij Tridens. in d. c. 2. ſeſſ 24. de matrimon.*, ergò non eſt, cur à pluribus quantumuis non deſignatis à parentibus, ſi ſimul ſuſcipiant, & teneant, non debeat contrahi. Antecedens quoad primam partem patet, quià ius vetus *in d. c. fin.* non requirebat ad ſuſceptionem deſignatos, & concurrentibus pluribus ad talem ſuſceptionem, quamvis contraherent aliquam noxam ob tranſgreſsionem præcepti prohibentis, & ſimul tangentibus ibidem ſtatutum eſt, quod omnes contraherent cognationem ſpiritualem, ergò &c. Quoad ſecundam euincitur ex eo, quod concilium quoad hunc caſum nihil ſpeciale diſponit, quinimmò expreſsè ſe refert in hoc decreto ad ſacrorum canonum antiquorum decreta. Ibi. *iuxtà ſacrorum canonum inſtituta*, ergò ſi in iure antiquo hæc cognatio ſpiritualis contrahebatur, etiam contrahi dicenda eſt in iure nouo, quandòquidem à iure veteri non eſt recedendum, niſi contrarium ſit expreſſum per textum *in l. præcipimus C. de appellat.*

Caſus omiſſus remanet in veteris iuris diſpoſitione.

*appellat.*, & caſus omiſsus remanet in veteris iuris diſpoſitione *l. commodiſſimè*, *ff. de lib.*, *& poſthum.* Antecedens probatur, quià Tridentinū, ſi quam ponit exceptionem expreſsam, hæc ſolummodò reſpicit caſum, quando vltra deſignatos alij ſuſcipiunt -Ibi- *Quod ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant.*

Dices primo, ex eo, quod Tridentinum excipiat, quandò alij vltra deſignatos tangunt baptizandum, videtur abſolutè exigere ad contrahendam cognationem ſpiritualem deputationem eorum, qui debent ſuſcipere, quod etiam colligitur ex præcedentibus, quibus præcipit, vt Parochus vnum tantum, vel vnum, & vnam deputatum ab eis, ad quos ſpectat ad hoc munus, admittat; non enim excluderet à contractione huius ſpiritualis cognationis non deſignatos, quandò cum iſtis concurrunt etiam deſignati, ſi tanquam neceſſariam ſimpliciter non decerneret deſignationem, quinimmò excipiendo non deſignatos videtur firmare regulam, quod non deſignati non ſint apti ad cognationem ſpiritualem contrahendam. Sed contrà, quià Tridentinum in ea exceptione ſolum voluit præſcribere formam, quando facta fuit legitimè deſignatio, cæterum quando nullus eſset deſignatus, nullus poſſet validè tenere, quod non eſt dicendum; iure autem, quandò facta fuit deſignatio, per ſuam legem excluſit non deſignatos, quià iam ex vno capite prouiſum eſt per deſignationem ijs, quæ requiruntur ex præſcripto Eccleſiæ ad baptiſmum, & ex alio vitatur pluralitas contrahentium iuxta finem intentum ab eodem Tridentino; quod ſi dixeris, quod hac ratione excludendi eſsent à ſuſceptione plures patrini, quando nullus eſset deſignatus, quandò quidem concurreret etiam pluralitas, quam vitare intendit Tridentinum; ſtatim impugnaberis, quià quandò nulla facta fuit deſignatio, cum ex præſcripto Eccleſiæ aliquis debeat tenere, & quidem conformiter ad rationem, quià generatio ſpiritualis per baptiſmum æquiparatur generationi naturali, ſecundum, quam, ſicuti concurrit Pater, & mater, ita ſecundum illam concurrere debet miniſter baptizans tanquam Pater, & Patrinus tanquam Mater, vtique ſequitur quod aliquis debeat tenere, & cum concurrentibus pluribus ſine veſte nuptiali illius deſignationis non ſit maior ratio, cur vnus potius validè teneat, & contrahat illam cognationem ſpiritualem, omnes validè contrahere, & tenere dicendi ſunt.

12 **Concilium Tridentinum ſolū excipit, quandò vltra deputatos interueniunt non deputati, ſecùs quandò nullus eſt deputatus.**

Dices ſecundò illa exceptio inducta à Tridentino, quandò cum deſignatis concurrerent, etiam non deſignati, valdè fauorabilis eſt, vtpotè tendens ad excluſionem plurium perſonarum à contractione talis cognationis ſpiritualis, quæ noxia eſt matrimonio, cum impediat idem ineundum cum illis omnibus, qui tenerent puerum baptizatum; impedimentum autem ad matrimonium non contrahendum odioſum eſt *c. licet ex quadam de teſtibus*, *& c. cum apud de ſponſalib.*, & per conſequens ius demens, ſeù reſtringens tale impedimentum non poteſt eſse, niſi fauorabile iuxtà regulam contrariorum, ergò vtpotè fauorabilis eſt extendenda, ſicque non ſolum comprehendit caſum, quando cum deſignatis concurrunt non deſignati, ſed etiam caſum, quando concurrunt ſimul plures non deſignati. Sed contrà primo non, percipio quomodo Sanchez, qui quoad hanc partem noſtræ aſsertionis nobis aduerſatur, & plurimum fidit huic argumento, ſtatuat poſtea *lib. 7. diſp. 57. num. 14.*, quod ſi plures deſignati ſimul concurrant, omnes contrahant cognationem ſpiritualem; Certè ratio finalis intenta à Tridentino, vt etiam ipſe *Sanchez loc. cit. n. 12.* aſserit, fuit ad excludendum pluralitatem perſonarum, quę eſt odioſa matrimonio, cum plures impediat ab eodem contrahendo; quomodo autem hic adſtruit non obſtante illa pluralitate omnes ſuſcipientes contrahere? Quod ſi aſserat concilium Tridentinum non præſcribere excluſionem plurium perſonarum, quandò omnes ſunt deſignatæ tanquam formam, & conditionem requiſitam ad contrahendam cognationem ſpiritualem, ſtatim ab eodem petam, cur ipſe aſserat ab eodem Concilio præſcribi tanquam formam, & conditionem requiſitam deſignationem perſonarum, ſi ab eodem non requiritur tanquam forma excluſio pluralitatis perſonarum? Certè in eodem decreto Concilij decernitur, & negatio pluralitatis, & negatio deſignationis. Quod ſi repetat deſignationem in eodem decreto poni ſub clauſula irritante, non ſic pluralitatem, adhuc impugnabitur, nam quæro, cur referat hanc clauſulam irritantem ad negationem deſignationis ſimpliciter, dum hic caſus in concilio non exprimatur? Aſserere deindè illam clauſulam extendi à negatione deſignationis ſecundum quid ad negationem deſignationis ſimpliciter ob fauorem matrimonij, quod ſecùs impediretur cum pluribus perſonis, eſt quid aſserere, quod ſecundum rationem finalem militat etiam in negatione pluralitatis perſonarum, ſicque illa clauſula extendenda eſset ad impediendam contractionem cognationis ſpiritualis in pluribus etiam deſignatis, quod negat ipſe Sanchez loco cit. Certè fauor matrimonij in eo conſiſtit, quod non impediatur contrahi cum pluribus, quod

**Plura notantur ſcitu digna quoad illā exceptionem concilij,**

**Arguitur in conſequentia Sanchez eiuſque ſubterfugia exploduntur,**

quod æque eueniret, ſi illę perſonę omnes eſſet deſignatæ. Deinde ius antiquum *in d. c fin. de cogn. ſpirit. in 6.* iuſtum eſt, & legitimè promulgatum, & iuſtè receptum, quod propterea debet in ſua poſſeſſione manuteneri, donec legitimè retractetur; non eſt autem retractatum niſi in ea parte, quando cum deſignatis concurrunt etiam non deſignati, ergo in reliquis partibus nõ retractatis debet in pleno iure permanere, præcipuè cũ ius nouum correctoriũ antiqui ſit ſtrictè interpretandum, vt minus, quã par ſit, lædat idem ius antiquũ; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cum illa correctio in parte ſit fauorabilis, vtique ſit extẽdẽda ad alias partes ſimiles; Nõ, inquam obeſſe poteſt, quia correctiones, vt plurimum fauorabiles ſunt, & tamen non militant, niſi quoad expreſſa in iure correctorio, ne ius antiquum ſua poſſeſſione priuetur ſine expreſſa derogatione; ſic de facto conſtitutiones plurimæ ſummorum Pontificum, & præcipuè Sixti V. fuerunt per Pontifices ſucceſſores moderatę, & correctæ, cũ nimis eſſent oneroſæ, quæ tamen moderationes quantumvis fauorabiles ex communi ſcribentium conſenſu non extenduntur ad non expreſſa in iuribus moderantibus, non alia ratione, niſi, quia ius antiquum remanet in ſua poſſeſſione, donec expreſſę corrigatur.

Correctiones iuris nõ ſunt extendendæ ad caſus ſimiles.

13
Si plures ſuſcipiant, ſed ſucceſſiuè, primus tantũ contrahit cognationem, qui tangit.

Probatur ſecunda pars aſſertionis, quia ex vna parte, quantumvis ſi plures concurrant ad ſuſcipiendum, validè concurrant, & contrahant cognationem ſpiritualem, nihilominus, ſi vnus tantum concurrat, valide concurrit, & conformius ad inſtituta antiqua ſacrorum canonum, & ad diſpoſitionem Concilij Tridentini, ex alia vero parte tunc contrahitur hæc cognatio ſpiritualis, quando perficitur ſacramentum baptiſmatis, ſed quando ex pluribus deſignatis vnus concurrit primo ſuſcipiendo, tunc primo perficitur ſacramentum, & quando alij ſucceſſiuè accedunt, iam ſacramentum completum eſt, & per conſequens iam adimpletum miniſterium, ratione cuius alij ſucceſſiuè ſuſcipientes, ſeu tenentes redduntur incapaces ad illud ineundum.

14
Quando plures ſunt deſtinati, & omnes ſimul tangunt, omnes contrahunt.

Probatur tertia pars in fortioribus terminis ex ijs, quæ dicta ſunt in probatione primæ partis; ſi etenim quando plures ſuſcipiunt nõ deſtinati, omnes contrahunt cognationem ſpiritualem, a fortiori debent contrahere, quando ſunt deſtinati; nec pluralitas ſuſcipientium ex ſuperius dictis ſecundum ſe obeſt ad contrahendam talem cognationem ſpiritualem, quantumvis ſit prohibita, quia non eſt prohibita per clauſulam irritantem, nec de iure veteri, nec de iure nouo, & ſic valet regula, quod actus geſtus contra legem validus ſit, quando lex ipſum non irritat.

15
Satus ſi tangent ſucceſſiuè.

Quarta pars elucet in fortioribus terminis ex ijs, quæ dicta ſunt in probatione ſecundæ partis, ad quæ propterea vos remitto.

16
Si plures ſuſcipiant, ſed aliqui fuerint deſtinati à parẽtibus, alij à Parocho ſolum contrahunt deſtinati à parentibus.

Probatur quinta pars ex expreſſa definitione *Concilij Tridentini d. c. 2. ſeſſ. 24. de matrimon.* per ea verba. *Quod ſi alij, vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo modo contrahant*, vbi illa particula, *Vltra* ex vi ſuæ ſignificationis denotat perſonas, quibus ipſa præponitur, exercere actum per verbum denotatum *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 11. num. 3*, ſicque excludit quoſcunque alios ab ipſo; Neque dicendum eſt, hæc ad ſummum procedere, quando cum deſignatis concurrunt alij ſimpliciter nõ deſignati, quod non euenit in noſtra hypotheſi, ſecundum quam illi, qui concurrunt ſimul cum deſtinatis à parentibus, non ſunt ſimpliciter non deſignati, cum ſint à Parocho electi; Non, inquam, dicendum eſt; quia deſignatio Parochi, quando alia facta eſt per Parentes, ſeu per eos, ad quos ſpectat, in ordine ad hunc effectum contrahendæ cognationis ſpiritualis nullam vim confert, & proinde eſt, ac ſi non fuerit facta, cum ad Parochum non ſpectet deſignare, & hoc clare liquet ex verbis textus dicti Trident. loc. cit., vbi ſolum confertur onus Parocho inquirendi à parentibus, vel ab eis, ad quos ſpectat, quem, vel quos elegerint, & eos, vel eum tantum ad hoc munus admittendi, vbi immediate ſubditur clauſula irritans quoad alios ab ipſis non electos.

17
Si plures fuerint deputati à parẽtibus, ſed vnus tantũ admiſſus à Parocho ille ſolum contrahit.

Probatur ſexta pars ex diſpoſitione eiuſdem Concilij Tridentini, vbi onus imponitur Parocho inquirendi, quinam ſint electi à parentibus, & deſignatos admittendi, vt ſeruetur decretum Tridentini eiuſdem quoad numerum patrinorum; onus autem inquirendi, vel admittendi eſt cum poteſtate excludendi eos, qui ſunt contra decretum dicti Tridentini, ergo ſi non omnes à Parocho fuerint admiſſi, illi tantum contrahent cognationem ſpiritualem, qui fuerunt admiſſi, non autem alij excluſi, quia excluſi quoad hunc effectum perinde ſe habent, ac ſi non fuerint electi, ſeu deſignati.

18
Si plures fuerint electi à Parocho, & omnes ſimul ſuſcipiant omnes contrahunt.

Probatur tandem ſeptima pars ex ſuperius dictis, quia ſi quando plures non deſignati à Parentibus, vel ab eis, ad quos ſpectat concurrunt ſimul contrahunt omnes cognationem ſpiritualẽ, non eſt cur contrahere non debeant, ſi fuerit à Parocho electi, quando parentes, vel illi ad quos ſpectat, neminem elegerunt, quia qualitas deſignationis factæ à Parocho non minuit de valore, quinimmo plerique aſſerunt, quod quando nemo a parentibus fuit electus, ad Parochum ſpectet eligere, quia ad eundem Parochum pertinet curare,



Digitized by Google

rare, vt baptiſmus celebretur rite, & ſeruatis Eccleſiæ ceremonijs, ſecundum quas eſt, vt patrinus interueniat.

19 Hæc intelligenda ſũt proportionaliter etiã de tenentibus in confirmatione

Hæc omnia, quæ dicta ſunt quoad ſuſceptores in baptiſmo proportionaliter intelligenda ſunt quoad ſuſceptores etiam in confirmatione, hoc tantum adiecto diſcrimine, quod ad licitam ſuſceptionem in baptiſmo ex diſpoſitione Concilij Tridentini poteſt admitti vnus, & vna ſimul, in ſuſceptione vero quoad confirmationem non debet admitti, niſi vnus iuxta textum in c. fin. de cognat. ſpirituali *Toletus lib. 2. c. 23. nu. 11. Sanchez lib. 7. diſp. 57. num. 9. Rebellus lib. 3. q. 6. nu. 6. ad finem.*

20 Conditiones requiſitæ ad contrahendam hanc cognationem

Aſſertio II. Ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur primo, vt patrini teneant, vel ſaltem de ſacro fonte ſuſcipiant. Secundo requiritur contactus pueri baptizandi; non tamen requiritur reſponſio patrinorum pro puero, dum fit catechiſmus, nec quod immediate tangatur. Prima pars eſt *D. Antonini 3. parte tit. 1. c. 15. §. 3 Sanchez lib. 7. diſp. 56. num. 1. Bonacina de matrimon. q. 2 punct. 5. §. 2. nu. 9. 10., & ſeqq.* Secunda pars eſt *Soti in 4. diſt. 42. q. 1. art. 2. col 5. Gaeta. repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. q 145. num 386., & ſeqq. Ludouici Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimonio c. 51 col 4. VeraCrux in ſpecul. pr part. art. 56. concl 7. Bonacina loc. cit. num. 14.* Tertia pars *Ruginaldi lib. 31. num. 150. Bonacina loc cit. ArchiDiaconi c. 1. num. 4. verſ. & cadem de cognat. ſpiritual. in 6 Roſella verb. impedimentum impedim. 6. nu. 21. D. Antonini 3 part. tit. 1. c. 15. §. 3 Soti in 4. diſt 4. q. vnica art. 5.* Quarta pars eſt *Angel. verb. matrimonium 3. impedim. 7. num. 13. Silueſtri verb. matrimonium 8. q. 7. dict. 13. Vega pr. tota ſumma c. 33. caſ. 44. Ludouici Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimon. c. 51. col. 4.*

21 Requiritur primo tentio, vel ſuſceptio de ſacro fonte

Probatur prima pars ex varijs iuribus canonicis, quæ exigunt ad contrahendam hanc cognationem tentionem, vel ſaltem de ſacro fonte ſuſceptionem, loquuntur etenim ſub his terminis, ſuſcipit, accipit, tenet, leuat, tangit, vt conſtat *ex c. omnes 30. q. 1., & ex prim. tab. cap., & c. poſt ſuſceptum 30. q. 3., & c. ſi quis vnus 30. q 4., & ex c. 2. c. Martinus, & c. veniens de cognat. ſpirituali, & ex c. fin. eod. tit in 6.* Tandem *ex Concil. Tridentino c. 2. ſeſſ. 24. de matrim. verb. tetigerint.* Hæc autem tentio, vel ſuſceptio poſita eſt diſiunctiuè ex eo, quod baptiſmus ſecundum diuerſos ritus in Eccleſia receptos confici ſoleat, vel per aquæ infuſionem, vel per immerſionem, vt regulariter fit in hac Eccleſia Mediolanenſi; quando etenim fit per infuſionem Patrini tenent puerum ſacerdote aquam effundente; quando vero fit per immerſionem baptizans tenet puerum, & ſtatim

Duplex ritus baptizandi, vel per afuſionẽ, vel per immerſionem.

tradit patrinis, qui tunc dicuntur ſuſcipere, ſeu leuare de ſacro fonte. Rurſus, hæc tentio, vel ſuſceptio debet eſſe, quando puer baptizatur, ſcilicet quãdo aqua ſuper baptizatũ effunditur, vel quando in aqua per ſacerdotem immerſus immediatè de ipſius manibus è fonte leuatur, ſeu ſuſcipitur ab eodem, vel ab eiſdem patrinis; vnde fit, quod tenens catecumenum ſuper fontem ante baptiſmum non contrahat hanc cognationem, quia non tenet, quando perficitur ſacramentum *Sotus in 4. diſt. 4. q. vnica art 5. Bartolomeus de Ledeſma de baptiſmo dub. 11. ad fin.*, nec item contrahat, qui leuat de ſacro fonte, niſi immediate ſuſcipiat de manu baptizantis, vnde ſi accipiat de manu ſuſceptoris, non dicitur ſuſcipere, ſeu leuare de ſacro fonte *D. Antoninus 3. parte tit. 1. c. 15. §. 3. Veguerius lib. inſtitutionum c. 16. §. 7. verſ. 9. impedim. 8. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 11. num. 3.* & ad hæc conformitèr refert *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art. 3* decretum Sacræ Congregationis Cardinalium, per quod declaratur, quod, vbi viget conſuetudo, vt Mater ſpiritualis non contingat puerum, donec compater de ſacro fonte leuarit puerum, & eidem tradat, eadem non contrahat hanc cognationem ſpiritualem, ſed ſolus compater, qui immediate ſuſcipit de manu baptizantis.

Dubia circa hanc primam conditionem.

Circa hanc primã partem duæ potiſſimum inſurgunt rationes dubitandi. Prima, an contrahatur hæc cognatio ſpiritualis, quando puer baptizatur priuatim domi, & poſtea ſupplentur ceremoniæ ſolemniter in Eccleſia, & an tunc contrahatur, quando ſuſcipit in baptiſmo priuato domi, an vero quando tenet in illis ſolemnibus ceremonijs. Secunda, an contrahatur per tenentem, ſeu ſuſcipientem, quando puer rebaptizatur.

22 Nõ contrahitur hæc cognatio quando quis tenet puerum, dum priuatim domi baptizatur

Ad primam probabilius ſentio ſic tenentem non contrahere cognationem illam ſpiritualem *Sotus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. verſ. profecto rationes Gallego de cognatu ſpiritual. c. 11 num. 6. Suarez 3 part. q. 67. art. 8. dub vlt.* Ratio eſt, quia hæc cognatio ſpiritualis inducta eſt præciſè per ius Eccleſiaſticum, & dumtaxat inter eas perſonas, quas ſtatuit Eccleſia; ius autem Eccleſiaſticum non ſtatuit hanc cognationem contrahi à patrinis, niſi in baptiſmo ſolemni, quod ex eo deduci poteſt, quod adhibere ſuſceptorem non eſt de ſubſtantia baptiſmatis ſecundum ſe, ſed tantum ceremonia ab Eccleſia inſtituta; ceremoniæ autem non adhibentur, niſi ex neceſſitate in baptiſmo ſolemni, vnde ſi patrinus accedat in baptiſmo priuato non dicitur proprie, & in rigore ſuſceptor, cum per accidens ſit, quod teneat, & maioris commoditatis gratia. Quod ſi ſupponas, quod



Digitized by Google

quamuis in baptiſmo priuato non ſit neceſſaria ſuſceptio patrini, nihilominus adhibeatur, & tenens tunc habeat animum obeundi propriè munus ſuſceptoris; tunc *Suarez 3. part q. 67. art. 8. dub. vlt* ſentit vere contrahi hanc cognationem, quia tunc re vera ille eſt ſuſceptor, & circunſtantiam ſolemnitatis exiſtimat non eſſe neceſſariam; Nihilominus probabilius exiſtimo, nec tunc contrahere hanc cognationem, & quidem etiam iuxta principia eiuſdem Suarez, quia munus ſuſceptoris ex eiuſdem inſtitutione eſt ceremonia in baptiſmo ſolemni adhibenda, nec eſt in libertate eiuſdem ſuſcipientis conſtituere munus, vbi ab Eccleſia non eſt inſtitutum, ex quo patet diſcrimen inter priuatim baptizantem, & priuatim ſuſcipientem; ille etenim vere contrahit hanc cognitionem ſpiritualem, non ſic iſte; patet, inquam, quia baptizans contrahit ratione ſacramenti, quod confert, & ſacramentum vere confert, ſiue conferat priuatim, ſiue ſolemniter; ſuſcipiens verè contrahit ratione ceremoniæ, quam adhibet, hæc autem ceremonia, vt ab Eccleſia inſtituta eſt, non adhibetur, niſi in baptiſmo ſolemni, quod ſi extra illum adhibeatur in priuato baptiſmo, non adhibetur, vt ceremonia Eccleſiaſtica, ſed tantum maioris commoditatis gratia.

23 **Nec quãdo ſupplentur publicè in Eccleſiæ ceremoniæ**

Rurſus aduerte hanc neque contrahi, quantumvis ille, qui ſuſcipit in baptiſmo priuato, ſuſciperet poſtea publicè, dum in Eccleſia ſupplentur ſolemniter ceremoniæ. Ratio eſt, quia quantumvis illa ſuſceptio pertineat ad ceremonias, adhibenda tamen eſt, quando confertur ſacramentum, ſeu ſubſtantia baptiſmi, quando autem ſubſtantia baptiſmi priuati confertur, non habet propriè rationem ceremoniæ Eccleſiaſticæ, & propterea tunc non contrahitur cognatio, quando vero ſupplentur ceremoniæ, tunc non confertur baptiſmus, nec ſacramentum; neque dicas, tunc in vnum moraliter adunari, & collatio baptiſmi priuati, & ceremonia illa, quatenus ratione vtriuſq; idem patrinus concurrit licet pro diuerſo tempore; contra enim impugnaberis, quia cum ratio ſacramenti conſiſtat tantum in actione tranſeunti, ſi excipias ſacramentum Euchariſtiæ, & tunc tantum ſit, quando ſit, non poteſt moraliter ad hunc effectum perſeuerare, & continuari cum ceremonijs, cum tunc tantum contrahatur cognatio, quando puer, vel in baptiſmo ſuſcipitur, vel de ſacro fonte leuatur; ſi igitur tunc non contrahitur ratione eſſe priuati, nec contrahi poteſt, quando ſupplentur ceremoniæ, quia tunc non eſt ſuſceptio baptiſmatis, nec leuatio à ſacro fonte.

24 Ad ſecundam reſpondendum exiſtimo cum diſtinctione, vel etenim baptiſmus iteratur præcisè ſolemnitèr, ex eo, quod priuatim collatus eſt, vel iteratur ſub conditione; Si baptiſmus iteraretur ex primo capite, certum eſt, nec per ſuſcipientem, quinimmo, nec per baptizantem vllam contrahi cognationem *Sotus in 4. diſt. 42. q 1 art. 2 col penult. verſ atque adeo Nauarrus lib 3. conſil tit de baptiſmo in pr edit. conſ. 1. nu 1. & in 2. edit. conſ. 2. nu. 1. Phyłarchus de offic Sacerd tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 11. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art 1. paulo poſt principium.*

**In iteratione ſolemni baptiſmi prius priuatim collati tenens non contrahit cognationem ſpiritualem.**

Ratio eſt, quia hæc cognatio ſpiritualis tunc contrahitur, quando ſit regeneratio ſpiritualis; quando autem iteraretur baptiſmus ſolemniter, quando priuatus antecedentèr habitus eſt validus, tunc proprie non fieret regeneratio, cum regeneratio habita fuiſſet in priori baptiſmo priuato, & generatio ſit de genere irriterabilium, ergo &c. Neq; obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quantumvis poſterior baptiſmus ſolemnis ſit irritus, aptus ſit tamen de facto inducere talem cognationem, ea proportionali ratione, qua dicitur in *c. vnico de ſponſalib. in 6.* eadem ſponſalia quantumvis ex aliquo capite irrita gignere impedimentũ publicæ honeſtatis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis textus ille *in c. vnico de ſponſalibus in 6.* modo correctũ eſt per *Concilium Trident. c. 3. ſeſſ. 24. de matrimon.*, vt late docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib 1 diſq 1. § 18. num 4*, & ſuſtinent *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 15. art 4. dub. 1. Manuel. pr. tom ſumma 2. edit. c. 234 Vega 2. tom ſumma c. 34 caſ 16.* Deinde ſtando etiam in iure antiquo ille textus *in c. vnico de ſponſalib in 6.* eſt valde ſpecialis, qui propterea non eſt extendendus ad alia.

25 **In iteratione ſub conditione tenens tunc contrahit, quando eſt præſũptio pro inualiditate prius, ſecus quando eſt præſũptio pro illius valore.**

Si baptiſmus iteraretur ſub conditione; tunc etiam ſub diſtinctione procedendum eſt, vel etenim iteraretur ſub conditione, quando certius eſſet priorem baptiſmum ſubſiſtere, vel quando valde dubium eſſet non ſubſiſtere; primo modo probabilius eſt, quinimmo in præſumptione Eccleſiæ certum non contrahi in iteratione cognationem; Secundo modo ex præſumptione probabilius eſt contrahi, quia in primo caſu probabilius eſt iterationem nõ eſſe validam, bene tamen in ſecundo.

26 **Requiritur ſecundo cõtractus, ſiue baptizãdus ſit infans, ſiue adultus.**

Probatur ſecunda pars, quia ad contrahendum hanc cognationem ſpiritualem requiritur ex ſuperius dictis tentio, ſuſceptio, ſeu leuatio de ſacro fonte baptiſmatis per textum *in c. poſt ſuſceptum 30. q 3 c. omnes 30. q. 1, & c ſi quis vnus 30. q. 4.*, ſed non poteſt eſſe tentio, ſuſceptio, leuatio ſine contactu, ergo nec contractus talis ſpiritualis cognationis; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cum ſuſceptio, ſeu leuatio ſit ceremonia ſacra non requiratur, quod ſit cum Phyſico contactu vero,

ro,

Digitized by Google

ro, & reali, ſed ſufficiat, quod ſit cum morali, quo ſcilicet patrinus ſit præſens, & aſſiſtens per modum tenentis, & aſſiſtentis, ea proportionali ratione, qua ad contrahendos ſacros ordines requiritur quidem contactus materię, per quam tales ordines conferuntur, non tamen requiritur Phyſicus, ſed ſufficit moralis, ſeù virtualis per manus extenſionem; Non, inquam, obeſse poteſt, quià ex ſpeciali munere, quo funguntur patrini in ſuſceptione, ſeù leuatione à ſacro fonte, requiritur, quod teneat quodamodò ſubleuando ad ſignificandam infantiam, & imbecilitatem ſpiritualem baptizandi, ratione cuius indiget ſubleuatione, prout benè notauit *D. Thomas 3. part. q. 72 art. 30. in corpore*, & hoc intuitu ſacra Cardinalium Concilij Tridentini interpretum congregatio apud *Manuelem primo tom. ſumma in 2. edit cap. 226. num.* 1. declarauit eſſe abſolutè neceſſarium contactum.

Nō Sufficit contactus moralis.

Hic autem contactus per ſuſceptionem, ſeù leuamen à ſacro fonte baptiſmatis ęquè neceſſarius eſt ad contrahendam cognationem ſpiritualem, ſiuè ſuſcipiendus, ſeù leuandus ſit puer, ſiuè adultus

27 *Cardinal c veniens n. 2. de cognat. ſpiru., & ibi Prapoſitus n 2. q. 2. Veracrux prima parte ſpeculi art. 56. concl. 7. Henriquez lib 11. de matrim. c 11. n. 3* nam ſuppoſito, quod ex genere ſuo ſit neceſſarius contactus reſpectu baptizandi per modum ſuſtentationis nihil referre poteſt, an ſuſcipiendus ſit puer, an adultus, nam ceremonia ſuſceptionis non eſt inducta ad ſignificandam imbecillitatem corporis, ſed ad indicandam infantiam, ſeù imbecillitatem ſpiritualem, quę æquè eſt in adulto, ac in puero, dum primo baptizatur, cum ſolummodò vterque per baptiſmum incipiat habere vitam ſpiritualem.

Requiritur contactus, ſiuè baptizandus ſit infans, ſiuè adultus.

Hic oritur difficultas, an ad contra-

28 hendam hanc cognationem ſpiritualem requiratur, vt ſuſcipiens tangat immediatè puerum baptizandum, an verò ſufficiat, quod tangat mediate. Pro quo aduerte tangere mediatè dupliciter ſtare poſse, vel quatenus importet contactum per alium, qui nomine tenentis teneat, vel quatenus importet contactum per veſtes, vel per linteum, vel in diſco deferat; iuxtà primum ſenſum exiſtimo non ſufficere, ſi contrahat mediatè, ad contrahendam cognationem? Iuxtà ſecundum ſentio abſolutè ſufficere. De primo ſenſu loquar in ſubſequentibus. *Supplementum Gabriellis in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. col. 2. verſ. dicitur ex dmione, Angelus verb. matrimonium 3. impediment. 7. n 13. VeraCrux prima part. ſpecul. art. 56. in corrol. quod infert ex concl. 7. Vinaldus in candelab. ſacram prima part. vbi de matrimon. num. 159. Ludouicus Lopez 2. part inſtruct. vbi de matrimon. c. 51. col. 4.* Ratio eſt, quià illud eſt verè tangere, & tenere, ſicuti eſt verè tangere, & tenere, quandò adultus ſuſcipitur in confirmatione, & etiam in baptiſmo.

Nō ſufficit contactus per alium, bene tamen, ſi ſit contactus mediatus per veſtes, vel per quid aliud.

Probatur tertia pars, quià omnia Iura, per quę inducitur hęc cognatio ſpiritualis ſolum exigunt ſuſceptionem, ſeù leuamen à ſacro fonte, nec vllam faciunt mentionem de reſponſione patrinorum pro puero baptizando, ergo ſine tali reſponſione propriè inducitur cognatio ſpiritualis. Accedit, quod interrogatio Parochi, & reſponſio patrinorum pro pueris baptizandis non pertinet ad ſubſtantiam baptiſmi, ſed tantum ad catechiſmum, per quem non contrahitur cognatio ſpiritualis, ergò non eſt neceſſaria illa reſponſio ad contrahendam cognationem ſpiritualem; & hinc facilè reſponderi poteſt ad ea, quæ ex aduerſo ſolent obijci, nempè patrinum accedere tanquam fideiuſsorem; fideiuſsores autem, vt ſe obligent pro ſuis principalibus, debent obligationem verbis exprimere *l. 1. ff. de verb obligat. l. blanditus C de fideiuſ.*, & inſuper teneri profiteri fidem pro paruulo, ore autem confeſſio fit ad ſalutem; facilè, inquam, reſponderi poteſt, nam hæc omnia procedunt quoad catechiſmum, non autem quoad ſubſtantiam baptiſmi, vt per ſe patet. 29

29 Non requiritur reſpōſio patrinorum.

Quarta pars elucet ex ſupra dictis ex ijs, quæ dicta ſunt in difficultate, quæ emerſit ex probatione ſecundæ partis huius aſsertionis.

Aſsertio III. Probabilius non contrahitur cognatio ſpiritualis in ſuſceptione è ſacro fonte baptiſmatis, quando adeſt error perſonæ, quatenus ſcilicet ſuſcipiens, ſeù leuans exiſtimat leuare, ſeù ſuſcipere filium Petri, & ſuſcipit, & leuat filium Pauli *Silueſter verb. matrimonium* 8. *q.* 7. *Sanchez diſp 58 n 7 Reginaldus lib 31. n. 155. Abbas c 2 de cognat ſpiritual n. 4. Alexander de Neuo c. veniens eod. tit. n. 10. Franciſcus Marcus deciſ. 736. nu. 2. part. 2. Lancellotus inſtit iuris canon lib. 2. tit de triplici cognat. vbi de ſpirituali, §. diximus autem verb. ignorantia.* 30

30 Non contrahitur hæc cognatio, quando adeſt error perſonæ, & quomodò

Ratio deducitur primò *ex c 2. de cognat. ſpiritu*, vbi deciditur coniugem tenentem, ſeù leuantem filium mariti ignorantem eſſe filium eiuſdem, non arceri a petitione debiti, à qua certè arceretur, ſi contraheret cognationem ſpiritualem, ergò ad contrahendam cognationem ſpiritualem ſignum eſt requiri ſcientiam determinatam perſonæ, quæ tenetur, adeovt cum errore non contrahatur. Secundò, quià, vt infra oſtendetur, ad contrahendam hanc cognationem requiritur in patrino intentio exercendi munus ab Eccleſia inſtitutum in ſuſceptione à ſacro fonte baptiſmatis, ſed talis intentio determinata

ſtata non poteſt eſſe cum errore ſubſtantiæ, tùm quia intentio ſupponit cognitionem eius, quod geritur, potiſſimum cum debeat eſſe voluntaria; tàm quià ipſe, qui ſic tenet, non habet animum exercedi munus patrini erga illam perſonam, quam de facto tenet; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod vt plurimum attenditur potius id, quod externe agitur, quam id quod intenditur per textum *in l. ſi is, qui ff. commodati ad finem*, nec item, ſi dicatur baptizantem contrahere cognationem ſpiritualem cum baptizato, eiuſque parentibus, quantumvis exiſtimans baptizare filium Petri baptizaret filium Pauli; Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quià hoc ad ſummum valet quoad ea, quæ Eccleſia ſtatuit independenter à ſubditorum voluntate, quod non euenit in caſu noſtro, in quo ſuſceptio debet eſſe voluntaria, & ſine tali voluntarietate non eſt ſuſceptio, vt intenta ab Eccleſia in ordine ad hunc effectum contrahendæ cognationis; vnde merito *Gloſa fin. in clementi eos de regularib.* aſſerit, quod exercens actum, ex quo inducitur obligatio, non maneat obligatus, ſi verè conſtat illum cum animo ſe obligandi illum actû exercuiſſe; Non ſecundum, quia baptizans non ſolum ſupponitur habere intentionem baptizandi perſonam præſentem quæcunq; illa ſit, ſed etiam tenetur habere illam intentionem determinatam, ne irritum faciat ſacramentum; ſuſcipiens vero non tenetur habere intentionem determinatam ſuſcipiendi perſonam, quæcunque illa ſit, ſed poteſt habere intentionem determinatam ad talem perſonam in indiuiduo, qua propterea variata intentio non eſſet ad illam, & per conſequens non eſſet effectus cognationis ſpiritualis, quæ dependet à determinata intentione.

Suſceptio debet eſſe voluntaria

31 Suſcipiens ex errore filiū Pauli cum intenderet ſuſcipere filium Petri cum neutro contrahit cognationem

Hinc inferes in particulari, quod ſi Patrinus intendat præciſè ſuſcipere filium Petri, & ſuſcipiat ex errore perſonæ filium Pauli, nec contrahat cognationem ſpiritualem cum filio Petri, nec cum eodem Petro, nec cum filio Pauli, nec cum eodem Paulo. Non cum filio Petri, nec cum eodem Petro, quia cognatio contrahitur ſolum per actualem ſuſceptionem, nō per præciſam intentionem ſuſcipiendi; hic autem actu non ſuſcepit filium Petri; Non cum filio Pauli, nec cum eodem Paulo, quia iuxta mox dicta ad contrahendam cognationem ſpiritualem, & infra latius dicetur, requiritur in ſuſcipiente intentio exercendi illud munus in ordine ad determinatam perſonam, quæ intentio non eſt ad filium Pauli, adeoq; &c.

32 Limitarem tamen aſſertionem in hypotheſi, qua ſuſcipiens puerum non reſtringeret intentionem ad filium Petri, ſed ad filium præſentem non determinans, nec de filio Petri, nec de filio Pauli, nec de quocunque alio, quia tunc limitaretur intentio ad præſentem, & ſic eſſent omnia requiſita ad effectum cognationis ſpiritualis; atque iuxta hanc limitationem procedunt *Sánchez de matrimonio lib. 7. diſp. 58. num. 7. in fine Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 5. § 2. num. 18.*, & alij magis communiter contra *Lopez 2 part. c. 62.*

Limita quādo ſuſciperet nō limitans intentionem ad filiū Petri, ſed ad perſonam præſentem.

Aſſertio IV. Regulariter omnes fideles poſſunt ſuſcipiendo contrahere cognationem ſpiritualem, ſi in ea ætate ſint conſtituti, vt gaudeant pleno vſu rationis. In hanc aſſertionem exiſtimo omnes fere propendere.

33 Regulariter omnes fideles ſuſcipiendo poſſunt cōtrahere hāc cognationem.

Ratio ex eo deducitur, quia poſita qualitate fidelitatis, & legitimæ ætatis ad cognoſcendum, quid agitur nullum ius vetat valide ſuſcipere infantes è ſacro fonte baptiſmatis, & contrahere effectum eiuſdem procedentem à iure Eccleſiaſtico, ergo non eſt, cur quilibet fidelis, & gaudens perfecto vſu rationis, ſi ſuſceperit, vel de ſacro fonte leuarit puerum non contrahat eandem cognationem. Antecedens patet, quia non eſt aſſignabile tale ius, & licet Religioſis interdicatur munus patrini in baptiſmo, & confirmatione per textum *in c. placuit communne 16. q. 1, & c. non licet de conſecrat. diſt. 4.* non interdicitur tamen ſub pæna nullitatis, & in hoc valet regula, quod actus elicitus contra prohibitionem teneat, niſi prohibitio ſit cum clauſula irritante.

34 Nomine fidelium veniunt etiam hæretici baptizati.

Dixi *fideles*, quorum nomine intelligo quoſcunque ſub poteſtate Eccleſiæ conſtitutos; non enim negauerim hæreticos ſuſcipientes pueros, & leuantes à ſacro fonte, vel tenentes in confirmatione contrahere hanc cognationem ſpiritualem, quia eſt hæreticus carathere baptiſmatis inſignitus, & per conſequens capax cognationis ſpiritualis, & ſubditus Eccleſiæ ratione baptiſmatis valide ſuſcepti; vnde non eſt, cur exercendo munus ſuſceptoris non debeat eandem contrahere.

35 Infideles, ſiue baptizantes, ſiue ſuſcipiētes non contrahunt hanc cognationem.

Ex quibus manifeſtè ſequitur infideles, vel baptizantes, vel ſuſcipientes non contrahere hanc cognitionem ſpiritualem *Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 2. punct. 3 Sotus in 4. diſt. 42. art 3. Henriquez lib. 12. c. 3 nu 4. Veracrux pr. part. ſpeculi art. 56. concl. 6. Coninchus diſp. 32. dub. 2. num. 25. Petrus de Ledeſma q. 56. art. 1. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 60. num. 2. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 5. §. 2. num. 19.* Ratio ex eo manifeſte deducitur, quia hæc cognatio ſpiritualis per ſuperius dicta inducta eſt præciſè iure poſitiuo Eccleſiaſtico; infidelis autem, ſicuti non eſt ſubditus iuribus Eccleſiaſticis, ita nec eorum effectibus poteſt eſſe ſubditus. Confirmatur ex eo, quia ex genere ſuo infideles excluduntur à munere ſuſceptoris, & licet ſuſcipiant, non ſuſcipiunt

Digitized by Google

Infideles non recipiunt, vt ab Eccleſia deputati.

ſcipiunt tamen, vt ab Eccleſia deputati, & acceptati. Quod, ſi aſſeras non excludi ab Eccleſia à munere baptizandi, adeo vt ſi baptizent, validus ſit baptiſmus, ergò neque excluduntur à munere ſuſcipiendi, & leuandi à ſacro fonte baptiſmatis; ſtatim impugnaberis, quià ideò infidelis non excluditur à munere baptizandi, quià baptiſmus eſt ſacramentum neceſsitatis, qui ex ſui eſsentia exigit miniſtrum, adeoque admittit alium, quicunque ille ſit; ſuſcipiens verò non eſt de neceſſitate baptiſmi, adeoque non eſt, cur, ſi ſit infidelis, ſit admittendus, tanquam propriè ſuſceptor, & contrahere debeat cognationem ſpiritualem; quinimmò quantumvis infidelis baptizans, valide baptizet, nec ſub ea ratione, ſub qua baptizat contrahit eandem cognationem ſpiritualem, quià quamvis admittatur ad munus neceſſitatis, admittitur tantum quoad ea, quæ iuris diuini ſunt, non tamen admittitur quoad ea, quæ conſequuntur ex iure Eccleſiaſtico, cum eorum ſit omninò incapax.

36 Cathecumenus ſuſcipiens, vel baptizans non contrahit cognationem.

Ex eo autem, quod infideles ſuſcipiendo non contrahant cognationem ſpiritualem deducitur primo, quod ſi cathecumenus ſuſcipiat, vel baptizet non contrahat hanc cognationem ſpiritualem, quià qua adhuc cathecumenus eſt, non eſt adhuc ſpiritualitèr regeneratus, adeoque, nec capax effectuum, qui ex iure merè Eccleſiaſtico inducti ſunt. *Deducitur* ſecundo, quod, ſi infidelis ſimul cum Chriſtiano leuet puerum de ſacro fonte baptiſmatis, vel Chriſtianus baptizet, & infidelis leuet, vel è contra infidelis ipſe non contrahat hanc cognationem, bene tamen fidelis, qui cum eodem infideli concurrit, vel baptizando, vel ſimul cum illo ſuſcipiendo. Ratio primæ partis eſt, quià infidelis qua talis eſt, non eſt capax illius effectus iuris Eccleſiaſtici, nec redditur capax per concurſum ſimultaneum cum fideli; non enim incapacitas vnius tolli poteſt per capacitatem alterius. Ratio ſecundæ partis deſumitur ex reg, quod vtile per inutile non vitietur, quandò hæc duo ſunt ſeparabilia *reg. vtile de reg. iuris in 6 Ioannes Andraas reg. ex eo non debet in fin. de reg iuris*. Deducitur tertio, quod ſi infidelis tempore infidelitatis ſuſceperit de ſacro fonte puerum, vel fortè etiam baptizauerit, quantumvis ipſe poſtea conuertatur ad fidem, & baptizetur non contrahat poſt ſuſceptum baptiſmum illam cognationem ſpiritualem, *Alexander de Neue c. contracto nu. 13. de cognat. ſpiritual. Sotus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 3. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art. 1. paulo poſt principium, & art. 3. col. penult.* Ratio ex eo deducitur, quià quod ab initio inualidum fuit, non poteſt tractu temporis conualeſcere. Deducitur quarto, quod ſi fidelis

37 Si infidelis cum fideli leuet, vel vnus baptizet, alter leuet, fidelis contrahit cognationem, nõ infidelis.

38 Si infidelis teneat, vel baptizet, & poſteà conuertatur, non contrahit hanc cognationem poſt baptiſmum.

ſuſcipiat filium infidelis in ſacro fonte baptiſmatis, vel eundem baptizat non contrahat cognationem ſpiritualem cum parentibus eiuſdem filij *Durandus in 4. diſt 42. q. 1. n. 9. in fin. Henricus c. veniens nu 1. de cognat. ſpiritual. Sotus in 4 diſt. 42. q. 1. art. 3 col penult. verſ. poſtrema ex his Manuel primo tom ſumma 2. edit. c. 226. num. vlt.* Ratio ex eo deducitur, quià cognatio ſpiritualis non poteſt eſse, niſi inter duo extrema, cum importet relationem vnius ad alterum, ergò cum non poſſit eſse relatio in extremo, ad quod refertur, nec poterit eſse cognatio, adeoque &c. *Dixi cum parentibus eiuſdem filij*; Non enim negauerim contrahere cognationem ſpiritualem cum eodem filio, quippe qui per eandem regenerationem, quam ſortitur in baptiſmo, redditur eodem indiuiſibili actu capax eiuſdem cognationis ſpiritualis, ad quam ſubſequitur tanquam effectus eadem cognatio ſpiritualis.

39 Si fidelis leuet, vel baptizet puerum infidelis non contrahit cognationem cum parentibus pueri infidelibus.

40 Bene tamen cum filio ſuſcepto.

Aduerſus ea, quæ hactenus dicta ſunt ſub hac aſsertione, vnum militat argumentum, quod eſt huiuſmodi. Si non confirmatus alium ſuſcipiat in ſacramento confirmationis adhuc contrahit cognationem ſpiritualem, ergò etiam, ſi non baptizatus baptizet, vel ſuſcipiat de ſacro fonte baptiſmatis puerum baptizandum adhuc contrahat cognationem ſpiritualem. Sed facilè occurrere poſſum aſserens in primis diſparem eſse rationem de non confirmato ſuſcipiente confirmandum, ac de non baptizato ſuſcipiente, vel baptizante puerum, quià non confirmatus adhuc eſt membrum eccleſiæ, & eidem ſubditus, qui propterea capax eſt effectuum per eandem eccleſiam inductorum; non ſic autem non baptizatus, qui nullatenus eſt ſub poteſtate eccleſiæ, adeoque nec capax iurium eccleſiaſticorum, & eorum, quæ per eadem iura inducuntur. Deindè, quod fortè probabilius eſt falſum eſt non confirmatum ſuſcipientem confirmandum contrahere hanc cognationem ſpiritualem, prout docet *Paludanus in 4. diſt. 42. quaſt 1. art. 1. concl. 3. n. 8. Henriquez lib. 3. c. 3. n. 3. Rodriquez prima part. c. 27. n. 1. Roſella verb impedimentum impediment. 6. in fin.*, hocque clarè euincitur ex *c. de baptiſmate de conſecrat. diſt.* 4. vbi ſic legitur. *In baptiſmate, vel in chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.*

41 Soluitur argumentum, cur non confirmatus tenens confirmandum contrahat, non ſic nõ baptizatus tenens baptizandum.

Dixi, *& in ea ætate ſint conſtituti, vt gaudeant pleno vſu rationis*; ex quibus particulis duo inferuntur. Primum non eſse neceſse ſuſcipientem in baptiſmate eſse in eadem ætate, in qua eſt ſuſceptus, ſi hic fuerit adultus. Secundum ſufficere, ſi ſit in ætate, in qua gaudeat perfecto vſu rationis. Pro vtraque parte videtur ſtare

42 Sufficit, quod tenens ſit in ætate, qua gaudeat pleno vſu rationis.

*D. Tho-*

*D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 2. art. 1. ad quintum.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quiá in hoc non conſideratur ætas vitæ temporalis, ſed in ſuo ordine ætas vitæ ſpiritualis, quæ ſupponitur præcedens in ſuſcipiente, quantumvis in ordine naturali fuerit minoris ætatis. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quiá in ea ætate, in qua ſupponitur perfectus vſus rationis, poteſt eſſe legitima intentio ſuſcipiendi, & baptizandi, ergò non eſt, cur non contrahatur cognatio ſpiritualis per ſic ſuſcipientem, cum ex alia parte ſupponantur omnes conditiones requiſitæ. Confirmatur, quiá in iure nulla eſt determinata ætas ad contrahendam hanc cognationem ſpiritualem, ergò illa ſupponitur ſufficiens, qua quis poteſt tenere cum debita, & legitima intentione tenendi.

43 Quandò quis ſuſcipit per Procuratorem, nec ipſe, nec procurator contrahit hanc cognationem.

Aſſertio V. Quando quis ſuſcipit baptizandum, vel confirmandum per Procuratorem, nec ipſe, nec procurator contrahit cognationem ſpiritualem, ſi hic ſe agat, vt merus procurator *Ioannes Andreas in reg. poteſt quis per alium 68. de reg. iuris in 6. paulò ante ſolut. ad argument. Antonius c. veniens n. 2. de cognat. ſpirituali n. 2. Baldus in l. ſi quis ad fin. C de nuptijs, Bartolus in l. Gallus §. forſitan in fin ff. de liber., & poſth. Albericus l. poſt mortem §. final. in fin ff. de adopt.*, & ex Theologis *D. Antoninus 3. part. tit. 1 cap. 15. §. 3. Sotus in 4. diſt. 42 q. 1. art. 2. verſ. conſueuit autem, Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimon. cap 51.*

Ratio euincens, quod ipſe non contrahat.

Quod autem ſuſcipiens per Procuratorem non contrahat hanc cognationem ex eo deducitur, quod dictum fuit ſuprà, nempe neceſſe eſſe, vt baptizandum, vel confirmandum teneat, ſuſcipiat & leuet; his enim terminis loquuntur iura inducentia hanc cognationem, quæ omnia ipſius patrini actionem denotant. Accedit, quod ius inducens impedimenta dirimentia matrimonium maximè, ſi ſit poſitiuum, eſt maximè odioſum, cum aduerſetur libertati eiuſdem matrimonij; iura autem odioſa loquentia de actione, cum ſtrictè ſint interpretanda, intelligenda ſunt de actione vera, & reali ſuſcipientis, non de actione, quæ alicui imputetur moraliter, & ex fictione iuris, qualis eſt illa, quæ fit per alterum nomine committentis, quæ ſolum dicitur eiuſdem committentis fictione iuris; & per hoc ſoluitur argumentum deſumptum *à reg. iuris, qui per alium de reg. iur. in 6.* Accedit ſecundo *textus in c. ad limina 30. quæſt. 1.*, qui indicat actionem perſonalem eiuſdem patrini. Ibi — *Eumque ipſe proprijs manibus retinenda ſuſcepit.*

Ratio euincens, quod nec contrahat Procurator.

Quod autem, nec Procurator, qui ſuſcipit, vel baptizandum, vel confirmandum nomine committentis contrahat cognationem ſpiritualem ex eo euincitur, quod innuimus ſupra, & mox in ſequenti aſſertione probabimus, nempe ad contrahendam hanc cognationem requiri in eo, qui ſuſcipit, intentionem obeundi muneris patrini; ſed procurator nō habet intentionem obeundi munus patrini nomine proprio, ſed tantum nomine ſui conſtituentis principalis, ergò non ipſe contrahit hanc cognationem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod commiſſarius deputatus ab altero, vt ſuo nomine puerum baptizet, contrahat cognationem ſpiritualem cum ipſo baptizato, ergò etiam commiſſarius ab altero deputatus, vt ſuo nomine ſuſcipiat puerum baptizandum, vel confirmandum, ſi verè ſuſcipiat, contrahat cognationem ſpiritualem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quiá qui baptizat, quantumvis ſit ab alio deputatus, exercet illam actionem in perſona propria, dum dicit, *Ego te baptizo*, & vt miniſter Chriſti Domini, vndè mouetur ſolummodò ab alio ad exercendam illam actionem, cæterum illam exercet nomine proprio, & in perſona Chriſti, cuius eſt miniſter; qui verò ſuſcipit, non ſuſcipit nomine proprio, ſed committentis, cum ſuſceptio ſolum ſit quædam cæremonia, quæ poteſt eſſe per alium etiam non nomine proprio.

44 Excipe, niſi Procurator intendat ſuſcipere nomine proprio.

Dixi, *ſi hic ſe agat, vt merus procurator*, proptèr nonnullos aſſerentes, quod ſi procurator, quantumvis ab altero deputatus, intentionem habeat ſuſcipiendi nomine proprio, verè contrahat illam cognationem, quod certè probabilius exiſtimo, quidquid ex aduerſo dicat *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 59 num. 12. in fin.*, qui cum ad contrahendam cognationem exigat deputationem perſonæ, quæ debet tenere, per conſequens aſſerit, quod cum Procurator non ſit deputatus ad tenendum nomine proprio, ſi tali nomine teneat, ſeù ſuſcipiat, non contrahat hanc cognationem; ſed in hoc non diu immorandum, quandòquidem ex prædictis conſtat non requiri hanc deputationem; & ſolum excludi non deputatos, quando cum eiſdem concurrunt deputati, quod non euenit in hac hypotheſi.

45 Requiritur intentio efficiendi id, quod intendit Eccleſia.

Aſſertio VI. Ad contrahendam hanc cognationem ſpiritualem vltra externam ſuſceptionem requiritur in ſuſcipiente intentio, non quidem contrahendi hanc cognationem ſpiritualem, ſed efficiendi id, quod intendit Eccleſia in tali munere, quod exercet *Roſella verb. impedimentum impediment. 6 n. 22. Silueſter verb. matrimonium 8 qu. 7 dict. 13. Veracruz primâ part. ſpeculi art. 56. concl. 8. Paludanus in 4. diſt. 42. q. 1 art. 1. n. 10. Ludouicus Lopez 2 part. inſtruct. vbi de baptiſmo c. 62. ad fin. Bonacina de matrimon. q. 3 punct. 5. §. 2. n. 15.*

Ratio primæ partis, quod ſcilicet non

tenea-

Digitized by Google

teneatur habere intentionem contrahendi hanc cognationẽ ex eo euincitur, quia eo ipſo, quod intendit efficere id, quod in tali munere intendit Eccleſia, non eſt in ipſius poteſtate excludere conſecutionem cognationis ſpiritualis, quia, qui vult principale, vult neceſſariò acceſſorium ad ipſum, vel ſi non vult acceſſorium ex genere ſuo id acceſſorium conſequitur *l. is, qui ff. commodati:* Neque obeſſe poſſunt ea, quę dicta ſunt *tom. 5 ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus 1. Prænot. 5. Sect. 3.* nempe promiſſionem factam ſine animo ſe obligandi non obligare, quantumvis promiſſio ſit præcedens, & per modum principalis, quod etiam docent *Henriquez. lib. 11. de matrimon. c. 13. num. 2. Riccardus in 4. diſt. 38 art. 4 q. 2. ad ſecundum D. Bonauentura in 3. diſt 39. art. 3. q. 1. ad quartum*, ergo neque ſuſceptio cum animo non ſe obligandi ad cognationem ſpiritualem inducet talem cognationem: Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia diſpar omnino eſt ratio de promiſſione, & voto, ac de ſuſceptione in ordine ad cognationem: nam tota vis promiſſionis, & voti conſiſtit in voluntate vouentis, & promittentis, ad quam non conſequitur obligatio, niſi ſit, vel tacita, vel expreſſa intentio ſe obligandi, cum hæc etiam ſequatur ſolum ex voluntate: cognatio autem naturalis ſuppoſita legitima ſuſceptione non pendet à voluntate ſuſcipientis, cum per naturalem ſequelam conſequatur, & omnino independenter à propria voluntate; Ex quibus ſequitur, quod legitimè ſuſcipiens contrahat hanc cognationem, ſiue mere negatiuè ſe habeat in intentione quoad illam, quatenus, nec illam poſitiuè intendat, nec poſitiuè excludat, ſiue ſe habeat poſitiuè, quatenus illam poſitiuè excludat.

**Qui vult principale vult conſequentia ad ipſum.**

Ratio ſecundę partis, quod ſcilicet requiratur, & ſufficiat intentio efficiendi, quod intendit Eccleſia in tali munere ex eo deducitur, quod nequeat validè, & quoad effectum exerceri aliquod munus, quod ſecundum ſe inducit aliquem effectum obligationis, niſi illud exercens intentionem habeat illud exercendi, ſecus ſolum materialitèr exercebit, ſicuti, qui elicit votum ſine intentione vouendi non proprie vouet, ſed tantum materialitèr, nec inde conſurgit aliqua obligatio, ergo, nec poteſt eſſe valida ſuſceptio, & quoad effectũ ſubſiſtens ſine intentione exercendi munus, quod ab Eccleſia inductum eſt, & ſecundum finem, ad quem dirigitur ab eadem Eccleſia. Quod autem ſufficiat illa intentio efficiendi id, quod intendit Eccleſia in tali munere, ex eo euincitur, quod ſic intendendo vult illud munus ſecundum conditiones, & fines, quæ, ſeu qui ſunt propriæ, & proprij talis muneris, nec ad hoc requiritur expreſſa intentio, ſed tantum implicita ad quam, ſeu potius ad quod munus cum tali intentione per naturalem ſequelam conſequitur ipſa cognatio, & in ſimilibus in materia ſacramentorum ſufficit talis Intentio.

**Illa intẽtio efficiendi, quod intendit Eccleſia ſatis eſt**

---

## SECTIO V.

### De Cognatione legali.

#### SVMMARIVM:

*Quod ſit adoptio*, 1.
*Arrogatio eſt ſpecies propria, & perfecta adoptionis.* 2.
*In quibus conueniant, & in quibus differant arrogatio, & ſimplex adoptio.* 3.
*Conditiones requiſita ad legitimam arrogationem* 4.
*Arrogandus non poteſt eſſe maior ætate arrogante.* 5.
*Definitur cognatio legalis.* 6.
*Triplex ſpecies cognationis legalis.* 7.
*Arbor cognationis legalis* 8.
*Quomodo ſoluatur hæc cognatio.* 9.
*Probabilius cognatio legalis dirimens matrimonium conſurgit tantum ex adoptione perfecta.* 10.
*Cognatio legalis in linea recta deſcendentium dirimit matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, & inter adoptantem, & deſcendentes adoptati vſq; ad quartum gradũ.* 11.
*Etiam ſi adoptio fuerit diſſoluta.* 12.
*Cognatio legalis in linea recta inter vxorem adoptantis, & filium adoptatum, vel inter adoptantem, & vxorem adoptati dirimit inter eoſdem matrimonium.* 13.
*Perſeuerat ceſſante etiam adoptione.* 14.
*Cognatio legalis in linea tranſuerſali inter adoptatum, & filios naturales adoptantis dirimit inter eoſdem matrimonium quouſq; perſeuerat adoptio.* 15.
*Filij adoptiui poſſunt validè inter ſe contrahere* 16
*Adoptatus poteſt validè contrahere cum filia illegitima adoptantis.* 17.
*Nullum eſt impedimentum dirimens inter adoptantem, & parentes adoptati.* 18.
*Inter filios legitimos, et naturales patris adoptantis, & filios adoptiuorum poteſt eſſe matrimonium.* 19.

1 Cognatio legalis definitur per ordinem ad adoptionem à *D. Thoma in 4. diſt 42. q. 2. art. 1.*, & ab alijs Theologis communiter. Eſt autem adoptio *extraneæ perſonæ in filium, ſeu nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio*, in quam definitionem coincidit illa, quam tradunt iuris interpretes, qua dicunt, quod ſit *actus legitimus, per quem fit filius, & nepos, qui non eſt.*

**Quid ſit adoptio.**



Digitized by Google

eſt. Ex diſcuſſione particularum facile eluceſcit quidditas ipſius. Dicitur *extraneæ perſonæ*, quæ particula non eſt intelligenda ita latè, vt excludat quamcunque coniunctionem ſanguinis inter adoptantem, & adoptatum, ſed cum ea reſtrictione, vt excludat eum, qui ratione ſanguinis eſt neceſſarius ſucceſſor, cuiuſmodi eſt filius & qui ſunt ſub poteſtate adoptantis.

**Explicatur definitio adoptionis per ſuas particulas.**

Dicitur *in filium, ſeu nepotem, & deinceps*, quia cum adoptio ex genere ſuo ſit ſuperioris ad inferiorem, & per illam adoptatus conſtituatur ſub poteſtate adoptantis, non poteſt eſſe in fratrem, & parentem, quia iſti de genere ſuo non ſunt inferiores, ſed vel æquales, vel ſuperiores, hocque expreſſè habetur *in l. nec apud C. de hæred. inſtit.* Dicitur, *aſſumptio*, quæ particula idem ſonat, ac electio, cum etenim vnicuique indita ſit propenſio, vt ſibi alij ſuccedant iuxta propriam diſpoſitionem, vtique per iura eidem proviſum eſt, vt vbi eidem deficiant hæredes naturales, poſſit ſibi quaſi artificiales ſeruatis certis conditionibus ſubſtituere: Dicitur *legitima*, quia huiuſmodi aſſumptio, vt ſuum effectum ſortiatur, debet fieri ſeruatis iuribus, quæ circa ipſam diſponunt, ſine quibus omninò irrita eſſet aſſumptio: cum etenim hæc adoptio ſolū originem habeat à legibus, non niſi in eiſdem legibus, vim poteſt habere.

2
**Arrogatio eſt ſpecies propria, & perfecta adoptionis**

Duplex autem hæc eſt adoptio, altera propria, & perfecta, atq; hæc dicitur arrogatio, per quam arrogatus tranſit abſolutè ſub poteſtate arrogantis: altera impropria, & imperfecta, atque hæc retinet commune nomen adoptionis, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis; vtraque hæc adoptio ſecundum hanc explicationem habetur § *adoptio inſtit. de adopt.* In multis autem differunt inter ſe, hæc adoptio perfecta, & imperfecta, ſeu arrogatio, & adoptio: primo ratione principij, quatenus ſimplex adoptio, ſeu imperfecta procedere poteſt per cuiuslibet Iudicis, ſeu Magiſtratus poteſtatem habentis actionem, ideſt merum, & mixtum imperium: arrogatio autem non niſi per Principis auctoritatem *l. 1. C. de adoptionibus Iuſtit. eod. tit. in principio*; Secundo ratione termini quatenus arrogatus ante ſui electionem debet eſſe ſui iuris, cum transferatur ſub poteſtate alterius, ſub qua non poteſt transferri altero inuito, ſub cuius poteſtate prius erat; adoptatus vero poteſt eſſe ſub aliena poteſtate, & alieni iuris, cum per adoptionem non transferatur ſub poteſtate adoptantis, adeoq; per ipſam nullum ius læditur illius, ſub cuius poteſtate prius erat, *l. 2. § vltimo ff de adoption.* Tertio ratione effectus, quatenus adoptio non confert ius in adoptato, vt ſit hæres neceſſarius ex teſtamento, ſed tantum ab inteſtato, vnde adoptans poteſt per teſtamentum de bonis ſuis diſponere in fauorem alterius ſine læſione, & iniuria adoptati; arrogatio autem transfert non ſolum ius in arrogatum, vt ſuccedat ab inteſtato, ſed etiam ex teſtamento in quarta bonorum arrogantis parte; vnde arrogans non poteſt penitus priuare arrogatum per teſtamentum omnibus ſuis bonis, ſed tenetur eidem ſeruare pro legitima quartam bonorum partem. *§ ſed hodie inſtit. de adoption.* Quarto ratione modi, quatenus arrogatio exigit ſtipulationem, & vtriuſque verbum expreſſum; quatenus ſcilicet Princeps, ad quem ſpectat auctorizare arrogationem interroget arrogantem, an velit habere arrogandū in filium, nepotem, vel pronepotem, & ipſe reſpondeat affirmando; & poſtea interroget arrogandum, an velit habere arrogantem in Patrem, auum vel proauum, & ipſe etiam reſpondeat affirmando, adoptio verò ſimplex non exigit in vtroque certam verborum formam per textum *in l. 2. ff. de adopt.* Quinto ratione oneris, quod conſurgit in arrogante de ſatiſdando in ordine ad reſtituenda bona arrogati perſonis, ad quas deberent peruenire, ſi ille non fuiſſet arrogatus *l. nec ei §. fin. ff. de adopt.*, quod non militat in adoptante. In reliquis arrogatio, & adoptio videntur conuenire, & paria iura habere.

3
**In quibus conueniat, & in quibus differant arrogatio, & ſimplex adoptio.**

**Enumerantur qualitates arrogationis, & adoptionis**

Inter conditiones autem, quæ requiruntur ad legitimam adoptionem, & arrogationem: Prima eſt, vt non fiat priuata auctoritate, licet fiat coram multis in propria familia *Panormitanus in c. vnico cognat. leg.* per textum *in l. non nudis C. de probat. Silueſter verb. adoptio q. 8. num. 7.* Ratio eſt, quia non eſt legitima adoptio, vbi non ſeruatur forma iuris, quæ exigit in adoptione auctoritatem Iudicis, vel Magiſtratus vt ſupra, in arrogatione vero auctoritatem Principis iuxta ſuperius dicta. Secunda, vt arrogatio, ſeu adoptio fiat inter præſentes, & non per Procuratorem *l. neque & l. poſt mortem §. neque ff. de adopt. Angelus verb. adoptio num. 4. Silueſter eod. verb. q. 2.* Tertia, vt adoptans ſit ſui iuris, & maior viginti quinque annis, & arrogans quadrageſimum annum nactus ſit. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, qui non eſt ſui iuris, & non eſt maior viginti quinque annis non poteſt ſua bona adminiſtrare. Ratio ſecundæ partis deducitur ex textu *in l. ſi pater §. vltimo ff. de adopt.* Quarta eſt, vt adoptans, ſeu arrogans ſit maſculus: nam fœminæ, niſi ex ſpeciali Principis diſpenſatione non poſſunt adoptare, nec arrogare; nec incongrua ratione hoc decernitur, quia fœminæ non habent ſub ſua poteſtate filios naturales, adeoq; nec videntur poſſe habere adoptiuos, ſeu arrogatos. Quinta,

4
**Conditiones requiſitæ ad legitimam arrogationem.**

vt

vt adoptans, ſeu arrogans poſſit generare, & habere filios naturales, & ſi non poſſit habere, non ſit ex defectu naturali, & perpetuo. Huius conditionis rationem eam aſſerunt communiter *DD*, quia iura adinuenere hanc legalem adoptionem ad ſupplendum defectum liberorum naturalium, & ideo conſuluerunt illis, qui naturaliter poſſunt generare; hinc deducere erit primo frigidos adoptare non poſſe eo, quod naturaliter ſint impotẽtes ad generandum *l. 2. ff de adopt.* Secundo ſacerdotes poſſe adoptare, eo quia non ſunt à natura impotentes, ſed à propria voluntate. Tertio caſtratos poſſe, quia non ſunt à natura impotentes, ſed ex accidenti. Sexta conditio eſt, vt adoptans ſit maior ætate adoptato, nec quacunque maioritas ſufficit, ſed talis requiritur, vt adoptati poſſit eſſe pater naturalis, vnde communiter *DD.* ſtatuunt, quod debeat excedere adoptatum ætate decem, & octo annorum *Silueſter verb. adoptio n. 5 Sanchez de matrimonio lib. 7. q. 63. nu. 3.*

5 Arrogãdus non poteſt eſſe maior ætate arrogante.

Hæc quæ dicta ſunt ſpectat ad adoptionem actiuam. Quoad adoptionem paſſiuam ijs ſuppoſitis, quæ correſpondent ex genere ſuo actiuis præcipuè quoad ætatem, ratione cuius adoptari, ſeu arrogari nequit, qui maior eſt ætate vel æqualis ipſi adoptanti, ſeu arroganti, certum eſt quemlibet adoptari, vel arrogari poſſe, ſiue ſit maſculus, ſiue fœmina, cum vterque non minus poſſit cadere ſub generatione naturali, quam ſub legali.


6 Cognatio legalis propriè, quid ſit.

His explicatis in ordine ad adoptionem deſcendimus iam ad explicandum, quid ſit cognatio legalis, quotuplex ſit, & ad quas perſonas extendatur. Dic igitur primo cognationem legalem optimè ſic definiri. *Eſt propinquitas ex adoptione proueniens D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 2. art. 2. in corpore.* quem ſequuntur omnes fere *DD.*, nec difficilis eſt eius captus quandoquidem per li, *propinquitas*, indicatur quædam ſimbolica proportio, & ſimilitudo, quam habet cognatio legalis cum carnali; ſicuti enim per generationem homines conſtituuntur proximi in natura ita per adoptionem conſtituuntur proximi in conditionibus legalibus, vnde illa particula ſtat quodamodo loco generis; per li vero *ex adoptione proueniens* indicatur ſpecialis modus, quo talis cognatio conſtituitur, & ſic per illam conſtituitur quaſi differentia, per quam legalis cognatio differt à carnali.

7 Triplex ſpecies cognationis legalis.

Huius cognationis legalis triplex aſſignatur ſpecies à *D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 2. art. 3. in corpore*, quem omnes fere DD. ſequuntur; altera eſt quaſi *recta*, & deſcendentium; atque hæc eſt inter adoptantem, & adoptatum, & filios ipſius adoptati, & ſucceſſiue ad nepotes; altera lateralis, & eſt inter adoptatum, & filios carnales adoptantis, vt habetur *in § inter eos inſtit. de nuptijs & l. per adoptionem ff de ritu nupt., & c. unico de cognat. legal.* Tertia eſt per modum cuiuſdam affinitatis ad normam affinitatis naturalis; atq; hæc eſt inter adoptantem, & vxorem adoptati, vel inter adoptatum, & vxorem adoptantis *l. adoptiuus 14 ff. de ritu nupt.*, vt autem percipias ad oculum, inter quas perſonas ſit hæc cognatio legalis, appoſitam inſpice arborem.

*Arbor cognationis legalis.*






Digitized by Google

ex qua vides primo, truncum, radicem, ſeu centrum conſtitui per adoptantem. Vides inſuper ex eodem trunco quatuor ramos procedere; primus, qui ſurſum aſcendit, eſt quaſi deſcendentium, ſecundus, qui deorſim tendit, eſt quaſi affinitatis; duo qui ex lateribus protenduntur ſunt propiè deſcendentium; vides inde ab vno latere ad aliud latus ramum quaſi medium interponi, qui eſt collateralium.

Rationes dubitandi circa hanc cognationem.

His igitur ſic ſuppoſitis quoad cognitionem cognationis legalis multæ inſurgunt rationes dubitandi. Prima eſt, an ex adoptione imperfecta conſurgat cognatio legalis impediens, vel dirimens matrimonium. Secunda, an cognatio legalis in linea recta dirimat matrimonium, & ad quotum gradum extendatur, & quandiu duret. Tertia, an cognatio legalis, ſeu potius affinitas dirimat, & quovſque dirimat. Quarta, an etiam dirimat in linea tranſuerſa. Quinta, an poſſit conſiſtere matrimonium inter fratres adoptiuos, & alia ex ijs emanantia.

9 Quomodo ſoluatur hęc cognatio.

Pro clariori intelligentia præfatarum difficultatum aduerte multiplicitèr contingere poſſe adoptionis ſolutionem, & præcipuè ſex modis; primo morte naturali adoptantis; ſecundo morte ipſius ciuili; tertio ob nuptias inceſtuoſas; quarto ob dignitatem Epiſcopalem; quinto per ſententiam, ſexto per emancipationem, de quibus latè agunt *Paludanus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 2. Armilla verbo adoptio num. 10.*

10 Probabilius cognatio legalis dirimens matrimonium non conſurgit ex adoptione imperfecta, ſed tantū perfecta.

Aſſertio I. Probabilius eſt ex adoptione imperfecta non conſurgere cognationem legalem dirimentem matrimonium, ſed tantum ex perfecta *Innocentius c. vnico nu. vnico de cognat. leg Silueſter verb matrimonium 8 qu 8 dict. 4 Sotus in 4. diſt. 42. qu. 2. art 2 ad fin corporis, Henriquez lib. 11 de matrimonio c. 12. n. 3. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 57. art 2. concl. 2.*

Ratio eſt primo, quià cognatio hæc legalis inducta eſt ſolummodò de iure poſitiuo humano, & quidem ſolum Eccleſiaſtico, nam, quantumvis etiam iura ciuilia agnouerint aliquam cognationem in huiuſmodi adoptionibus, cum ex ijs ex diſpoſitione eorundem iurium conſurgant aliqui effectus, & aliqua iura, quę per emancipationem diſſoluuntur in ordine tamen ad effectum dirimendi matrimonium totam vim habet à iure Eccleſiaſtico, & quidem in ordine ad euitandas fornicationes, quæ crebrò conſurgerent ex cohabitatione adoptantis, & adoptatorum &c. ex ſpe futuri matrimonij, ſi hoc inter illos non interdiceretur, ſed hæc ratio militare non poteſt, quando interuenit adoptio dumtaxat imperfecta, quandòquidem per hanc adoptatus non tranſit ſub poteſtate adoptantis, vt ſuprà probauimus ex diſcrimine, quod intercedit inter adoptionem perfectam, & imperfectam. Secundò quià ius inducens hanc cognationem legalem eſt maximè odioſum, ſiquidem reſtringit libertatem matrimonij, ergò vt potè odioſum ſtrictè eſt interpretandum, & intelligendum ſolum de cognatione perfecta, vt minus lædat ius, quod quis habet ad contrahendum matrimonium; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod iura omnia inducentia hanc cognationem ad dirimendum matrimonium loquantur indiſtinctè de adoptione nulla facta mentione de imperfecta, vel perfecta, adeoque intelligenda eſſe in tota ſua latitudine, & ſine vlla reſtrictione; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, cum ſint quodamodò correctoria iuris naturæ, & vt potè aduerſantia libertati matrimonij odioſa, ſemper ſunt interpretanda quoad actionem ex omni genere perfectam, & in odioſis nomine alicuius actionis venit ſolummodò ea, quæ perfecta eſt, & ſtrictiorem parit effectum, vt videre eſt in ſimilibus. Quod, ſi dicas etiam ex adoptione imperfecta oriri aliqua iura, & aliquos effectus, qui per emancipationem ſoluuntur, hoc nos non negamus; ex hoc tamen non ſequitur, quod ex illa conſurgat impedimentum dirimens matrimonium; ſicuti etiam ex cognatione carnali in linea tranſuerſali vltra quartum gradum conſurgunt aliqua iura, non tamen dirimentia matrimonium.

Rationes euincentes intentum.

11 Cognatio legalis in recta linea deſcendentium dirimit matrimonium non ſolum inter adoptantem, & adoptatū, ſed etiam inter adoptantem, & deſcendentes adoptati vſque ad quartū gradum.

Aſſertio II, Cognatio legalis in linea recta deſcendentium dirimit matrimonium non ſolum inter adoptantem, & adoptatum, ſed etiam inter adoptantem, & deſcendentes adoptati vſque ad quartum gradum; & hæc cognatio ſemper dirimit etiam ſi adoptio fuerit diſſoluta. *D. Thomas in 4 diſt. 42. q 2. art 3. Reginaldus lib. 31. nu. 162. Gutierez de matrimon c. 102. n 4., & 6. Bonacina de matrimon. quaſt. 3. punct. 5. n 5.*

In hoc conſentiunt iura canonica *in c. per adoptionem 3. q. 3., & c. vnico de cognat. legal.*, & ciuilia *in § ergò non omnes Inſtit. de nuptijs, & l. quin etiam 55 ff. de ritu nupt*; nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandòquidem hæc cognatio legalis parit quandam coniunctionem ſimilem naturali, & indè oritur reuerentia inter cognatos ſic conſtitutos; Accedit, quod ex ſupradictis, cum hæc cognatio legalis conſtituatur per arrogationem, exigit cohabitationem in eadem domo, cum arrogatus conſtituatur ſub poteſtate arrogantis, maximum conferret periculum fornicandi, ſi inter eos matrimonium non interdiceretur, ergò congruè debuit interdici.

Quod autem oriatur ex hac cognatione

Digitized by Google

tione impedimentũ dirimens inter adoptantem, & deſcendentes adoptati vſque ad quartum gradum euincitur etiam expreſſè ex eiſdem iuribus, & præcipuè *ex d. §. ergo non omnes inſtit. de nuptijs*; nec incongrua certe ratione hoc decernitur, quandoquidem, cum cognatio legalis imitetur naturalem, debet ſecundum aliquas conditiones eiuſdẽ menſurari, adeo vt non imitetur quidem in omnibus eandem naturalem in comparatione lineæ rectæ, ſecus impediret, & dirimeret in infinitum, ſed eandem in comparatione lineæ tranſuerſalis, ſecundum quam dirimit tantum vſque ad quartum gradũ.

12 Etiam ſi adoptio fuerit diſſoluta.

Quod autem ſemper dirimat etiam ſi adoptio fuerit diſſoluta expreſſe colligitur ex textu *in c. diligere 30. q. 3. §. ergo non omnes inſtit. de nuptijs l. quin etiam 55. ff. de ritu nupt.*, & quidem recta ratione hoc euincitur, quia adhuc perſeuerat reuerentia debita inter ipſos cognatos, quæ per ſolutionem adoptionis non diſſoluitur.

13 Cognatio legalis in linea recta inter vxorem adoptantis, & filiũ adoptatum, vel inter adoptantem, & vxorem adoptati dirimit inter eoſdem matrimonium.

Aſſertio III Cognatio legalis, ſeu potius affinitas in linea recta inter vxorem adoptantis, & filium adoptatũ, vel inter adoptantem, & vxorem adoptati abſolute inter eoſdem dirimit matrimonium, & perſeuerat ceſſante etiam adoptione *Hoſtienſis in c. vnico de cognat. leg., & ibi Ioannes Andreas num. 5. Antonius num 6. Ancharanus num. 5. Alexander de Neuo num. 9. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp 63 num. 13 Silueſter verb. matrimonium 8. q 8. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 5. num. 5. verſ. inualidum eſt.*

Hæc aſſertio expreſſè vim habet *in l. adoptiuus ff de ritu nuptiar.*, nec alibi reperitur textus expreſſus hoc euincens ex quo deſumit fundamentum *Hoſtienſis in c. vnico num. 2 de cognat. leg* aſſerendi hanc affinitatem non inducere impedimentum dirimens; cũ etenim ad ius ciuile nõ pertineat impedimẽta dirimẽtia matrimoniũ inducere, & ius canonicum nihil de hoc diſponat directè ſequitur ex illa affinitate legali matrimonium non dirimi. Nihilominus cum *D. Thoma in 4. diſt. 42. art. 2. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 2*, aſſerendum eſt ad inducendum impedimentum, quantumvis dirimens ſufficere, quod Eccleſia approbet ius ciuile, per quod dirimitur; Eccleſia autem non ſolum intelligitur approbaſſe, dum acceptauit cognationem legalem in genere nulla ſpecie excluſa, ſed etiam, quia Pontifices optimè norunt hanc in Eccleſia receptam eſſe, nec tamen contradixerunt.

14 Et hoc impedimentũ perſeuerat ceſſante etiã adoptione.

Quod autem perſeueret ceſſante etiam adoptione expreſſe colligitur *ex l quia etiam, & l. adoptiuus 14. ff. de ritu nupt*, & hoc exigere videtur eadem ratio reuerentiæ debitę non ſolum inter huiuſmodi cognatos, ſed etiam inter vxores ipſorum; cum etenim per matrimonium conſummatum facti fuerint vna caro, exigit ratio, vt reuerentia, quę debetur per adoptatum adoptanti, extendatur non ſolum ad ipſum adoptantem, ſed etiam ratione vnitatis in carne ad vxorem ipſius, & ſimilis, quæ per adoptantem debetur adoptato extendatur propter eãdem rationem ad vxorem eiuſdem adoptati, Cum igitur inter adoptantem, & adoptatum perſeueret cognatio dirimens matrimonium etiam ſoluta adoptione, non eſt cur perſeuerare non debeat inter adoptantem, & vxorẽ adoptati, vel è contra inter adoptatum, & vxorem adoptantis eadem etiam adoptione diſſoluta.

Aſſertio IV. Cognatio legalis in linea tranſuerſali, ſcilicet inter adoptatum, & filios naturales adoptantis dirimit inter eoſdem ſubſequens matrimonium non quidem in perpetuum, ſed tantum quouſque perſeuerat adoptio, ſeu adoptatus perſeuerat ſub poteſtate adoptantis. Prima pars eſt *Gofredi in ſumma tit. de cognat. leg. in fin. Hoſtienſis in ſumma eod. tit. num. 12. Monaldi in ſumma tract. de matrimon vbi de cognat leg Aſtenſis 2 part. ſumma lib 8. tit. 19. art. 2. q. 11. Roſella verb impedimentum impedim 7. num. 7. Durandi in 4 diſt 42 q 2 num. 7. Veracrux pr. part. ſpecul. art. 6. concl. 3. in fin. D. Antonini 3. part. tit. 1. c. 13. Valentia 4. part diſp. 10. q 5. punct. 3., vbi de impedimento cognationis.* Secunda pars eſt *Sanchez lib. 7. diſp 63. num 24. Bonacina q. 3. de matrimonio punct. 5. num 5. verſ. ex quo patet.* 15 Cognatio legalis in linea tranſuerſali inter adoptatũ, & filios naturales adoptantis dirimit inter eoſdem matrimonium quouſq; perſeuerat adoptio.

Prima pars expreſſè colligitur *ex c. vnico de cogn. legal.*, vbi dicitur nuptias conſiſtere non poſſe inter filium legitimum, & ſororem adoptiuam, *& ex l., qui in adoptionem ff. de adopt.*

Secunda pars euincitur ex eod. *c. vnico de cognatione legali, & c. per adoptionem 30. q. 3., & l per adoptionem 17. ff. de ritu nupt., & §. inter eas inſtit. de nupt*, & rationem diuerſitatis, cur cognatio legalis ad finem non dirimendi matrimonium in linea tranſuerſali non duret in perpetuum, ſed ceſſet ceſſante adoptione, non vero ceſſet, ſed perſeueret etiam ceſſante adoptione in linea recta deſcendentium, & affinitatis, aſſignat *Sanchez d. lib. 7. diſp 63. num. 24 in fin.*, quia ſcilicet cognatio in linea recta deſcendentium, & affinitatis trahit ſecum reuerentiam inter cognatos debitam, quæ ſemper perſeuerat; cognatio vero in linea tranſuerſali non trahit ſecum tantam reuerentiam, vnde ſtante eadem prohibitio de non contrahendo inter illos matrimonio eſt ad ſeruandam pręciſe adoptionem, qua propterea ceſſante non eſt, cur & ipſa non debeat ceſſare. Cognatio tranſuerſalis non trahit tantam reuerentiam, quantum recta.

Aſsertio V. Filij adoptiui poſsunt va-

lide.

Digitized by Google

16 Filij adoptiui poſſunt validè inter ſe contrahere.

ſide inter ſe matrimonium contrahere, *Gloſa c. vnico verb. quandiu de cognatione leg., & ibi Henricus n. 24. Paludanus in 4. diſt. 42 q. 1. art. 2. n. 25. D. Antoninus 3. part. tit. 1 c 13. Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 6. §. 5. in fin. Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior tit. 14 n. 8 Henriquez lib 12. de matrimon. c 12. n. 3. in fine, Toletus lib. 7. ſumma c. 4. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 5. n. 7.*

Ratio ex eo deducitur, quià nullo iure vetitum eſt inter iſtos matrimonium intercedere; Neque dicas, & expreſso iure vetari, & ratione; iure *in cap. vnico de cognatione legali*, vbi ſic legitur. *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe ceperit, quandiu durat adoptio nuptiæ inter me, & ipſam conſiſtere non poſſunt*; ratione, quià tota ratio ob quam non poteſt conſiſtere matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, ſeù filiam eiuſdem adoptati eſt, quià ratione cohabitationis conſtituerentur in periculo fornicationis, quod euertitur negata ſpe coniugij inter ipſos; ex eo autem, quod adoptatus conſtituatur ſub poteſtate adoptantis tenetur cohabitare cum filia eiuſdem adoptantis, ſicque eadem militat ratio prohibitionis; contra enim impugnaberis, quià ex illo textu nihil quoad præſens inſtitutum euincitur, quandòquidem ille tantum loquitur de filia naturali adoptantis, & adoptato non de duobus filijs, ſeù fratribus adoptiuis ab eodem Patre adoptante arrogatis; vnde ſenſus illius textus eſt huiuſmodi. *S. qua ex eo, quod ego per ipſius Patrem naturalem adoptatus ſim, mihi ſoror adoptiua eſſe ceperit quandiu durat adoptio &c*; ex ratione etiam adducta non eſt extendenda hæc cognatio dirimens, quandòquidem cum hoc impedimentum ſit tantum iure poſitiuo inductum, ex quacunque paritate non debet extendi vltra caſus ab eodem iure expreſsos, & ſi iura voluiſsent matrimonium inter iſtos interdicere, vtique expreſſiſsent, ſicuti in alijs caſibus, in quibus voluerunt, expreſserunt.

Soluitur ratio, & ius oppoſitum.

Hic oritur difficultas, an adoptatus poſſit validè contrahere matrimonium, cum filia illegitima adoptantis. Non poſse contrahere cum filia legitima eiuſdem patet ex mox dictis, & *ex d. c. vnico de cognat. leg.*, Nihilominus cum illegitima dicendum eſt poſse contrahere, *Perez § 46 fol. 179. Nauarrus in manual c. 22 n. 45. Sanchez de matrimon lib. 7. diſp 63 nu. 30. Coninchus diſp 32 dub. 3 n 4. Henriquez lib. 12. c 12.* Ratio ex eo deducitur, quià ideò contrahitur cognatio legalis inter adoptantis filios, & adoptatum, quià tàm adoptatus, quam filij adoptantis ſunt ſub ipſius adoptantis poteſtate, nam, ſi alter illorum emanciparetur poſsent ad inuicem contrahere, ſed filia illegitima non eſt, nec eſse poteſt ſub patris poteſtate,

17 Adoptatus poteſt validè cum filia illegitima adoptantis.

*§. vltim. Inſtit. de nuptijs*, ergò &c. Nec obeſse poteſt, ſi aſseratur, quod filia illegitima non poſſit contrahere matrimonium cum conſanguineis carnalibus Patris, ergò nec cum eiuſdem filijs adoptiuis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià inter filiam illegitimam, & conſanguineos Patris eſt vinculum naturale, ſicuti eſt vinculum naturale cum eodem patre; at inter filiam naturalem, ſeù illegitimam, & adoptiuos nullum eſt vinculum naturale, ſed tantum legale, quod ex diſpoſitione eiuſdem iuris ceſsante adoptione, ſeù ſubiectione ad Patrem diſsoluitur, adeoque &c. Hac eadem ratione euincitur, quod adoptans poſſit nubere cum filia illegitima adoptati, cum hæc non ſit ſub poteſtate eiuſdem adoptati, quinimmò nec poſset cum eadem filia illegima, ſi fuerit filia fæminæ adoptatæ, quia mulier neminem habet in ſua poteſtate *§. fæminæ inſtit. de adoptione, Silueſter verb matrimonium 8 q. 8. Nauarrus c. 22. n 45.*

Filia illegitima non eſt ſub poteſtate patris.

Et adoptans cum filia illegitima adoptati.

Cum autem dixerimus præter expreſsos in iure alios non comprehendi in impedimento dirimente per cognationem legalem ſequitur primo, nullum eſse impedimentum dirimens inter adoptantem, & parentes filij adoptati, quià nullo in iure prohibitum eſt inter iſtos matrimonium contrahi *D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 1. art. 3 ad primum, D. Antoninus 3. part. tit 1. c. 13. Toletus lib. 7. ſumma c. 4. in fin. Philiarchus de offic. ſacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 11. in fin.* Sequitur ſecundo, filios duorum fratrum adoptiuorum poſse liberè inter ſe contrahere matrimonium; ſi enim duo adoptiui iuxta dicta in concluſione poſsunt contrahere, à fortiori poterunt ad inuicem inter ſe contrahere eorum filij. 18

18 Inter adoptantem, & parentes adoptati nullum eſt impedimentum dirimens.

Hic ſolum pro complemento remanet dubitandum, an filij legitimi, & naturales patris adoptantis poſſint nubere cum filijs adoptiuorum? Bonacina *q 3. de matrimonio punct 5 nu 6.* videtur abſolutè ſentire poſse liberè contrahere ſine vlla penitus aditione. Sanchez *verò dict. lib. 7. diſp. 63. n. 27.* videtur abſolutè ſentire non poſse contrahere durante adoptione, benè tamen ipſa diſsoluta, cui adherere videtur *Silueſter verb matrimonium 8. q. 8.* ſed Sanchez, & Silueſter, ſi benè attendantur loquuntur ſolummodò de filijs legitimis in ordine ad filios adoptiuos, non in ordine ad filios filiorum adoptiuorum; quamobrem non incongruè ſentirem opinionem Bonacinæ tutam eſse, & admittendam, non enim debemus extendere hanc cognationem legalem vltra terminos, ad quos eadem iura extendunt, nec aliam extenſionem per gradus debemus agnoſcere, præterquam in linea recta.

19 Inter filios legitimos, & naturales patris adoptantis cum filijs adoptiuorum poteſt eſse matrimonium.

TRA-

## PRÆNOTIO XI.

### De Impedimento Affinitatis.

### SVMMARIVM.

*Propria, & germana definitio affinitatis.* 1.
*Octo affinitatis nomina recenſentur.* 2.
*Regula pro affinitate cognoſcenda, & diſtinguenda.* 3.
*Arbor affinitatis.* 4.
*Explicatio eiuſdem arboris.* 5.
*Ex matrimonio ſimpliciter rato non conſurgit affinitas dirimens matrimonium.* 6.
*Etiam ex copula fornicaria oritur impedimentum affinitatis.* 7.
*Oritur etiam ex copula habita cum fœmina inuita, & dormiente, dummodo, & ipſa ſemen emittat.* 8.
*Vinculum affinitatis ex copula coniugali eſt naturale.* 9.
*Vinculum affinitatis ex copula fornicaria non eſt naturale, ſed tantum ex lege Eccleſiaſtica.* 10.
*Affinitas, ſiue in linea recta, ſiue in transuerſali non prinat de iure natura in quocunq; gradu.* 11.
*Affinitas ex copula coniugali dirimit, vſq; ad quartum gradum, ex fornicaria ſolum quoad ſecundum.* 12.

QVamuis hoc impedimentum ſit in ordine vndecimi iuxta allegata carmina, quia tamen procedit ex cognatione, cum eaque proportionem quandam ſeruat, ideo in queſtionum ſerie placet illud à cognatione non diſiungere.

Ethimologia affinitatis. Affinitas igitur, ſi nominis, & himologiam ſpectes, nihil aliud eſt, quam ad fines propinquitas, ea proportionali ratione, qua duorum agrorum propinquitas dicitur affinitas. Applicando iam hæc, quæ dicuntur in genere ad ſpeciem affinitatis inter homines, dicimus hanc eſſe duarum cognationum, quæ diuerſæ ſunt, propinquitatem, & vnius ad alterius cognationis finem per nuptias acceſſum. Quamobrem optime ſic definiri poteſt affinitas, 1 Germana definitio eiuſdem. quod ſit *diuerſarum cognationum ex carnali copula copulatio*, & affines ſunt perſonæ nobis citra cognationem ex carnali copula coniunctæ *Iuris conſultus in l. non facile § ſed quoniam ff. de grad. affinit. Theophilus §. diximus Inſtit. de nupt.*, qui tamen à nobis in eo tantum videntur diſſentiri, quod agnoſcant tantum affinitatem ex nuptijs, cum tamen etiam cõſurgat ex carnali copula inter fornicatores, licet non ad tot gradus extendatur, ad quot extenditur affinitas ad nuptias.

2 Octo affinitatis nomina recenſentur. Octo affinitatis nomina tantum retulit *Iuris conſultus in d. l. non facile §. ſed quoniam ff. de gradibus affinit.*, & ſunt Socer, ſocrus, Gener, nurus, Nouerca, vitricus, Priuignus, Priuigna; ſunt tamen alij, qui inter affines numerantur, Leuir, Glos, fratrius, fratria, & alij, qui ſpeciale nomen non habent, vt vxor patrui, vxor auunculi, maritus amitæ, Maritus materteræ. Quod ſi quæras, cur Iuriſconſultus octo illa nomina dumtaxat retulerit, cum tamen alij in affinitatis limitibus comprænhendantur, reſpondet *Loriotus comment. in tit. de gradibus affinitatis in l. non facile in verb. hos itaq; inter ſe*, ea tantum nomina retuliſſe, quia matrimonium dumtaxat de iure ciuili prohibetur inter eos, qui parentum, liberorumque loco ſunt, vt ſunt octo illa priora nomina, alia autem non recenſuiſſe, quia de eodem iure ciuili inter tranſuerſos affines non eſt vetitum matrimonium. Cæterum de iure canonico non video, cur etiam alia nomina non ſint recenſenda, cum etiam inter illas perſonas de iure canonico vetitum ſit matrimonium *c. quadam lex 35. q. 3., & c. porro ead. cauſa, & q.*, vnde merito ſubdit idem *Loriotus loc. cit.*, quod iure canonico, nec duorum conſobrinorum vxores ducere poſſum, ſi enim vna ſemel mihi nupſit, aliam habere prohibeor, & per conſequens, nec vxoris amitam, vel materteram, nec patrui, vel auunculi vxorem habere poſſum, nec è contra vxor mea, patruo meo, vel auunculo, nec amitæ meæ, aut materteræ viro nubere poteſt.

Vt autem clarius hęc omnia intelligantur præfatorum nominum explicationem accipe. Explicãtur præfecta nomina. Nomine ſoceri venit Pater viri, & vxoris; nomine ſocri mater eorum, nomine generi venit maritus filiæ, nomine nurus, vxor filij, nomine Nouercæ venit vxor mariti in ordine ad filios ab eodem marito ex alio matrimonio progenitos; nomine vitrici venit maritus vxoris in ordine ad filios, & filias ab eadem vxore ex alio matrimonio progenitos, ſeu progenitas. Nomine priuigni, & priuignæ veniunt filij, & filiæ comparatiue ad vitricum, & Nouercam, adeo vt filij reſpectu Nouercæ dicantur priuigni, reſpectu vitrici etiam priuigni, & comparatiuè filiæ priuignæ. Rurſus nomine leuiri venit frater viri reſpectu vxoris eiuſdem viri. nomine gloſis venit ſoror viri reſpectu eiuſdem vxoris.

Vlterius ad clariorem notitiam eorum, quæ pertinet ad affinitatem has regulas ſtatuo. Prima, quod per matrimonium alter coniugum alterius coniugis conſanguineis fiat affinis, non tamen vtriuſque conſanguinei fiant affines inter ſe, ſic maritus conſanguineis vxoris affinis ſit, & vxor conſanguineis mariti, non tamen

frater

Digitized by Google


frater mariti, aut filius ex alia vxore, ſorori vxoris, aut filiæ ex alio matrimonio natæ; & è contra ſunt affines, vnde frater mariti poteſt ducere ſororem vxoris; Inter maritum vero, & vxorem non eſt affinitas, ſed cauſa affinitatis, & quodammodo ſtipes affinitatis *Theophilus* § *diximus inſtit. de nupt.*, vnde ex hoc ſequitur, quod maritus, & vxor ſibi adinuicem ſuccedant in bonis per textum *in l. 1. ff. vnde vir, & vxor*, non ratione affinitatis, ſed quia ſocietas vitæ illos, quodammodo in alterius bonis dominos facit *l. 1. ff. rerum amot.*, affines autem, qua tales præcisè ſunt ſibi adinuicem non ſuccedunt *l. affinitatis C. communia de ſucceſſ.* Secunda regula eſt, quod ſicuti inter cõſanguineos vſque ad quartum gradum prohibetur matrimonium, ita, & inter affines Hanc tamẽ regulam exiſtimant aliqui probabilius procedere tantũ in linea tranſuerſali, hoc eſt inter leuirũ, Gloſẽ fratriũ, fratriam, vxorem patrui, & ſimiles, non autem in linea recta, puta inter maritum, & ſocrum, vel nurum, ſed, & pronepotis, & tritaui vxorem, quia, ſicuti in linea recta conſanguinitas ex ſuperius dictis prohibet in quocunque gradu, ita, & affinitas. Tertia regula eſt affinitatem proprie non habere gradus, ſed menſurari iuxta gradus conſanguinitatis, & ſic in eo gradu in quo aliqui ſunt conſanguinei vnius coniugis conſtituuntur affines alterius.

3 Regulæ pro cognoſcenda, & diſtinguenda affinitate.

Quarta regula eſt, quod perſona addita perſonę per carnis copulã mutat genus, ſed non gradum, quam regulam diuerſimode explicant *DD.* Mihi tamen arridet explicatio *Lorioti in l. non facile in quarta regul. de gradib. affinitat. fol. mihi 40.*, qui exemplo hanc rem declarat. Ponit primo matrimonium inter ſe ipſum, & Caiam vxorem ſuam; deinde aſſerit, omnes cognatos vxoris ſuæ in ſuo vnumquemque gradu eſſe ſibi in primo genere affinitatis coniunctos; deinde ſupponit priorem ſuam vxorem decedere, qua mortua ipſe ſecundam ducit, quo poſito aſſerit omnes cognatos prioris vxoris, qui ſibi erant coniuncti in primo affinitatis genere, fieri affines ſuæ poſterioris vxoris in ſecundo affinitatis genere; ſupponit tandem ſe è viuis decedere, & ſecundam ſuam vxorem tranſire ad alias nuptias cum Sempronio, tunc aſſerit, cognatos omnes prioris vxoris, qui erant in ſecundo genere affinitatis cum ſecunda coniuge, fieri affines Sempronij, cum quo ſecundo nupſit ſecunda ſua vxor in tertio tantum affinitatis genere: ſicque dicit, quod olim vſque ad tertium affinitatis genus prohibebatur matrimonium, ſed modo tantum prohibeatur in primo genere. His pro notitia explicatis pono arborem, ex qua facile, & affinitatis gradus, & genera poteris dignoſcere.

Explicatio Lorioti in l. non facile in quarta regula. [*margin reads:* Explicatio Lorioti in l. de cognat.]

Arb.




Digitized by Google

Cernis primo in ſummitate tres poni ramos ductos à ſex cellulis, quarum extremæ duæ cum primo ramo ponuntur ad decorem, & ad demonſtrandum genus affinitatis, quod tamen non prohibet matrimonium. Cernis ſecundo, efformari truncum per rectam lineam deſcendentem, in cuius quatuor cellulis ponuntur quatuor gradus, ita vt in prima ponatur primus gradus, in ſecunda ſecundus, & ſic ſucceſſiuè. Cernis tertiò in latere dextro primi gradus poni duas cellulas, in quarum prima ponitur Frater, in ſecunda vxor fratris olim relicta, in latere ſiniſtro duas etiam cellulas collocari, in quarum prima verſus truncum ponitur ſoror, in ſecunda vir ſororis olim relictus; ſubindè

5 *Explicatio eiuſdem arboris.* in ſecundò gradu vides etiam in latere dextro duas alias collocari cellulas, in quarum prima verſus truncum ponitur filius fratris, in ſecunda vxor filij fratris, item in latere ſiniſtro duas alias poni cellulas, in quarum prima ponitur ſororis filia, in altera vir filiæ ſororis. Succeſſiuè in tertio gradu duas alias à latere dextro poni cellulas, in quarum prima à latere dextro ponitur fratris nepos, in ſecundo vxor nepotis fratris, item duas in ſiniſtro, in quarum prima ponitur ſororis neptis, in ſecunda vir neptis ſororis; in quarto tandem gradu duas alias conſtitui cellulas in dextero latere, in quarum prima ponitur fratris pronepos, in ſecunda vxor pronepotis fratris, & totidem in ſiniſtro, in quarum prima ponitur ſororis proneptis, in ſecunda vir proneptis ſororis. Rurſus cernis in ſummitate huius arboris à cellula primi gradus, quæ eſt vxoris fratris olim relicta, duci ramum ad cellulam, quæ eſt ſororis fratris, & etiam eſt in primo gradu cum eodem fratre, & hoc conſtituit primum genus affinitatis, quod hodiè prohibet; rurſus vides duci alium ramum à cellula primi gradus, quæ eſt fratris ad virum ſororis olim relictum, & hic etiam conſtituit primum genus affinitatis, quod etiam prohibet.

His ſic pro notitia explicatis multæ ſub hoc titulo conſurgunt controuerſiæ examinandæ. Prima erit in inueſtigando quid requiratur ad contrahendam affinitatem, an ſimplex contractus matrimonij, an vero etiam conſummatio, & qualis debeat eſſe conſummatio. Secunda, an contrahatur etiam ex copula illicita. Tertia, an

*Rationes dubitandi circa affinitatem.* ex copula habita cum fœmina inuita, renitente, & dormiente. Quarta, an vinculum affinitatis, ſiuè ex copula coniugali, ſiue fornicaria ſit naturale, an tantum Eccleſiaſticum. Quinta, an ſaltem in aliquo gradu ſiuè lineæ rectæ, ſiuè tranſuerſæ ſit iure naturæ matrimonium interdictum, & nullum. Sexta ad quotum affinitatis gradum extendatur impedimentum matrimonij de iure Eccleſiaſtico.

Aſsertio I. Ex matrimonio ſimplicitèr rato non conſurgit impedimentum affinitatis dirimens matrimonium *Gloſa in c. ſi quis deſponſauerit* 27. *q.* 2. *in fin. Abbas cap. iuuenis n.* 4., *& c. ſponſam n.* 2. *de ſponſalib. Roſella verb. impedimentum impedimento diſtinct.* 13. *n.* 1. *Couarruuias* 4. *decret.* 2. *part. c.*6.§. 2 *n.* 1 *Onandus in* 4. *diſt.* 41. *q. vnica in fin. Toletus lib.* 7. *ſumma c.* 10. *nu.* 1. 6 *Ex matrimonio ſimplicitèr rato non conſurgit affinitas dirimens,*

Exiſtimant nonnulli hanc controuerſiam, quæ excitatur ſub hac aſsertione eſſe tantum de nomine, cum certum ſit ex tali matrimonio conſurgere impedimentum dirimens, & vtique vſque ad quartum gradum, & parum referre poteſt, quod appelletur, vel impedimentum affinitatis, vel publicæ honeſtatis; ſed quantumvis quoad hunc effectum dirimendi videatur parum referre, ſiuè appelletur affinitas, ſiuè publica honeſtas, valdè tamen confert in ordine ad alios effectus, & præcipuè ad contrahendam excommunicationem latam *in clement. vnica de conſang.*, quæ cum referatur ad contrahentes cum affinibus, non extendenda eſt ad contrahentes cum alijs non habentibus vinculum affinitatis, ſed tantum publicæ honeſtatis. *Hæc quæſtio non eſt de nomine.*

Probatur iam aſsertio; affinitas, quam contrahit alter coniux cum conſanguineis alterius, oritur dumtaxat ex vinculo vnitatis, quod conſurgit inter ipſos met coniuges; nam fundamentum coniunctionis conſanguineorum vnius coniugis ad alterum eſt ipſa vnitas inter ipſos met coniuges, ſeù quod ipſi coniuges facti fuerint in carne vna, ſed per ſimplex matrimonium ratum, & non conſummatum non conſurgit vinculum vnitatis, nec coniuges fiunt duo in carne vna, cum tales ſolummodò fiant per carnalem commixtionem, ac hoque perfectam conſummationem, ergò &c. *Fundamētū affinitatis eſt vnitas, qua duo conſtituuntur in carne vna.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, maius eſſe vinculum, quod conſurgit ex matrimonio rato, quam ſit illud, quod oritur ſimpliciter ex ſponſalibus; ex ſponſalibus autem legitimè celebratis oritur impedimentum, ſeù vinculum publicæ honeſtatis pleno iure, ergò ex matrimonio rato debet maius vinculum oriri, quod non poteſt eſſe, niſi affinitatis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià quamuis fortius ſtringat matrimonium ratum, quam ſponſalia nudè ſumpta, non propterea habent inducere impedimentum in diuerſo genere, ſed maius, vel minus in ordine ad faciliorem, & difficiliorem diſpenſabilitatem in eodem genere; vnde merito *Concilium Trident ſeſſ.* 24. *de matrimon. c.* 3. reſtrixit hoc impedimentum publicæ honeſtatis in ſponſalibus ad primum gradum relinquens *Oritur ſolum impedimentum publicæ honeſtatis.*

queus

quens quoad matrimonium ratum vſque ad quartum gradum, quod ſignum euidens eſt, hoc impedimentum publicæ honeſtatis eſſe in eodem genere tàm quoad ſponſalia, quàm quoad matrimonium.

Ex quibus optimè inferre poteris, ad contrahendam affinitatem requiri copulam carnalem, ſeù conſummationem; quomodo autem habeatur perfecta conſummatio, an requiratur fractio clauſtri virginalis, penetratio, & ſeminatio, an vtriuſque, an verò ſufficiat ſeminatio viri, recole, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. de matrimonio I. Prænot. 13 per totam*.

7 **Etiam ex copula fornicaria oritur affinitas**

Aſſertio II. Etiam ex copula fornicaria oritur impedimentum affinitatis. Conſentiunt omnes, tàm Theologi, quam iuris canonici interpretes.

Colligitur expreſſè *ex Concil. Trident. ſeſſ. 24 de matrimon. c. 4*, vbi reſtringit affinitatem ex fornicatione conſurgentem ad ſecundum gradum his verbis, *Sancta Sinodus impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringit, in vlterioribus verò gradibus ſtatuit huiuſmodi affinitatem matrimonium poſteà contractum non dirimere*; ex quibus duo inferes; primum ante editum concilium Trident. hoc impedimentum affinitatis ex fornicatione contractum habuiſſe extenſionem vſque ad quartum gradum; ſecundum modo reſtringi tantum ad ſecundum gradum; quod ſignum euidens eſt ex fornicatione oriri impedimentum affinitatis; reſtrictio enim ſupponit regulam, & fruſtrà eſſet reſtrictio, ſi nulla eſſet regula, nullumque impedimentum; Neque hic audiendi ſunt nonnulli apud *ArchiDiaconum in c. vnico nu. 6. de ſponſalib. in 6.* aſſerentes ex copula fornicaria oriri dumtaxat impedimentum publicæ honeſtatis, quod colligi videtur *ex c. tua paulo poſt principium, & c. diſcretionem verſ. nos igitur de eo, qui cogn. conſang.*, & etiam clarius *ex l. non facile 4. verſ. ſciendum, & verſ. affines ff. de gradibus*, vbi dicitur ex ſolis nuptijs affinitatem oriri; non, inquam, audiendi ſunt, quià *in d. c. diſcretionem verb. publicum, & cap. tua in fin.* expreſsè apponitur, ſeù exprimitur affinitas, quod ſi etiam in eiſdem textibus dicatur publica honeſtas, hoc intelligendum eſt lato modo, quatenus etiam affinitas importet quandam honeſtatem; ad illud, quod ſubditur *ex l. non facile*, facilè erit reſpondere, ſi aſſeratur textum illum procedere de affinitate tantum reſpectiuè ad delationem hæreditatis, non autem reſpectiuè ad impedimentum matrimonij, & ratio in eo fundatur, quià leges ciuiles noluerunt fauere illicitæ copulæ: ius autem canonicum, ad quod ſolum ſpectat impedimenta matrimonij inducere, reſpicit coniunctionem præcedentem, quamvis illicitam ob reuerentiam ſcilicet ineundi matrimonij, adeoque &c.

**Reſtrictio ſupponit regulam.**

Aſſertio III. Impedimentum etiam affinitatis oritur ex copula habita cum fæmina prorſus inuita, & renitente, & etiam dormiente, dummodò tamen, & ipſa ſemen emittat. *Hoſtienſis in ſumma tit. de ſponſal. §., & qualitèr diſſoluantur num. 10. verſ. hanc doctrinam, Couarruuias 4. decret. 2. part. cap. 6. §. 7. num. 2. Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 12. n. 241.* 8

**Oritur etiã ex copula cum fæmina inuita, & dormiente.**

Ratio ex eo deducitur, quià iura induxerunt hoc impedimentum affinitatis inter perſonam carnalitèr cognoſcentem alteram, & conſanguineos perſonæ cognitæ proptèr vnitatem ſanguinis, quæ conſurgit ex illa cognatione carnali; ſed hæc vnitas ſanguinis etiam conſurgit, quantumvis illa perſona fuerit inuita, cum reluctantia, & fortè etiam dormiens cognita, ergò &c. Minor probatur, quià actio generatiua eſt actio, vel vegetatiuæ, vel ſenſitiuæ potentiæ, quæ etiam exercetur inuito, vel dormiente viuente, & ille coitus altero etiam inuito, vel dormiente aptus eſt ſecundum ſe ad generationem. Confirmari poteſt ex textu *in c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, vbi dicitur contrahi affinitatem per cognitionem carnalem fæminæ inuitæ. Confirmari poteſt ſecundo, quià ad contrahendam affinitatem non requiritur voluntas fæminæ carnalitèr cognitæ, quandòquidem, vel ex genere ſuo, vel ex diſpoſitione conſequitur ad talem carnalem cognitionem, ex qua, ſicuti conſequitur vnitas inter perſonas ſe cognoſcentes aſſerente textu ſacro Geneſis ſecundo de coniugatis *erunt duo in carne vna*, & de fornicarijs Apoſtolo *prima ad Corinth. 9. Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur cum ea*, ita non eſt, cur inter eorum conſanguineos reſpectiuè ad eoſdem non conſequatur affinitas, ergò &c.

**Actio generatiua eſt actio vegetatiuæ, vel ſenſitiuæ potentiæ.**

Aſſertio IV. Vinculum affinitatis, quod conſurgit ex copula coniugali eſt naturale, nec præcisè prouenit ex lege Eccleſiaſtica *D. Thomas in 4 diſt. 41. q. vnica art. 1. quæſtiuncula prima in corpore, & ibi Durandus q. 1. nu. 7. Paludanus q. 1. art. 1. num. 10. concl. 2. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 11. in fine principij, Ouandus in 4 diſt. 41. quæſt. vnica propoſ. vltima, Veracrux prima part. ſpeculi art. 47. concl. prima.*

**Vinculum affinitatis ex copula coniugali eſt naturale.**

Ratio ex eo deducitur, quià ex vnitate ſanguinis, quæ conſurgit ex actu coniugali inter coniuges conſurgit ex ipſa natura fundamentum cuiuſdam amicitiæ non ſolum inter ipſos coniuges, ſed etiam inter conſanguineos vnius coniugis ad alterum coniugem, quod expreſſe vide-

tur docuiſſe *Ariſtoteles* 8. *Ethicor. c.* 12., & expreſſe etiam ipſa docet experientia, ſecundum quam elucet etiam inter barbaras nationes ex coniugio conciliari naturalem quandam amicitiam etiam consanguineorum alterius coniugis ad alterum, & iſtius ad ipſos etiam conſanguineos; hæc autem naturalis amicitia non conſurgit ex aliquo iure poſitiuo, ſed ex ipſa natura, ergò vinculum affinitatis eſt naturale, non iuris præcisè Eccleſiaſtici.

Ratione cuincitur, & cōfirmatur. Hinc inferre licet, quod, ſi infideles pro tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium, illudque conſummauerint, non poſſit poſt baptiſmum, ſi alter deceſſerit, vnus ducere conſanguineos prædefuncti intra quartum gradum, prout expreſſè videtur colligi *ex c. fin. de diuort.*; & ratio fundatur in illo vinculo naturali, quod independenter à quocunque iure poſitiuo eſt fundamentum illius naturalis amicitiæ; Verum tamen eſt, quod, ſi antecedenter ad baptiſmum alter ex coniugibus prædeceſſerit, poſſit ſuperſtes durante infidelitate ducere conſanguineam prædefuncti extra primum gradum: cum de iure naturæ ſolummodo prohibeatur matrimonium inter affines in illo primo gradu, vt in fra videbimus; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi vinculum affinitatis eſt naturale non ſolum quoad primum, ſed etiam quoad alios gradus, non ſolum irritet eodem iure naturæ matrimonium in primo gradu inter affines, ſed etiam in vlterioribus gradibus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia aliud eſt, quod vinculum affinitatis ſit naturale etiam vltra primum gradum, aliud, quod irritet matrimonium vltra illum primum gradum de iure naturæ, vt infra videbimus. Certe vinculum conſanguinitatis eſt naturale etiam in linea tranſuerſali vltra quartum gradum, & tamen extra illum gradum de iure naturæ non irritat matrimonium.

10 Vinculum affinitatis ex copula fornicaria non eſt naturale. Aſſertio V. Vinculum affinitatis, quod conſurgit ex copula fornicaria, non eſt naturale, adeoque præciſa quacunque lege Eccleſiaſtica nullum vinculum naturalis amicitiæ oritur inter conſanguineos viri, & fæminam ab eo fornicariè cognitam. *Nauarrus lib* 4. *conſil. in præd. tit. de ſponſalib. conſ.* 7. *num.* 3., *& ſeqq. Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 1. *num.* 2. *Ledeſma* 2. *part. q.* 57. *art.* 3. *paulo poſt principium* aduerſus Ioannem *Andream in c.* 1. *num.* 3. *de conuerſ. infidel.*, *& ibi Antonius num.* 2. *oppoſ. vnica*.

Probatur, quia tota, & adæquata ratio, ob quam ex copula coniugali inter coniuges iure naturali conſurgit vinculum affinitatis inter vnum coniugem, & conſanguineos alterius, & vice verſa fundatur in illa naturali amicitia, quæ conſurgit ex coniugio, & vtique conſummato; ſed ipſa experientia teſte hæc naturalis amicitia non conſurgit inter fæminam fornicariè cognitam, & conſanguineos maſculi cognoſcentis, quin potius inter eoſdem pullulant odia, & cauſę diſſidiorũ, quinimmò patet filium non inclinari naturaliter ad exibendam reuerentiam fæminæ fornicariè cognitæ à Patre, ergo &c.

Non cōſurgit naturalis amicitia in fæminā fornicariè cognitam, & conſanguineos cognoſcentis

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur primò, fundamentum affinitatis inter conſanguineos eſſe vnitatem carnis inter ſe cognoſcentes carnaliter; hęc autem vnitas eſt, ſiue ex copula coniugali, ſiue ex fornicaria aſſerente Apoſtolo, *qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur cum ea*, ergo &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis oriatur illa vnitas carnis non eſt tamen talis, vt ſit fundamentum amicitiæ inter conſanguineos alterius coniugis ad alterũ, cum potius ſit fundamentum odiorum, & cauſa rixarum, vt per ſe patet, nec ipſi conſanguinei reuerentiam concipiunt ad mulierem fornicariam, ſed potius ſpretum.

Illa vnitas carnis non eſt fundamentũ amicitiæ.

Neque obeſſe poteſt ſecundo, ſi aſſeratur ex *D.* Gregorio relato *in c. nec eum* 35. *q.* 3. inceſtuoſum eſſe coitum, & abominabilem Deo, & cunctis hominibus, quo quis ducit in vxorem eam, quæ fuit vxor proprij conſanguinei, vel ab eo illicitè cognitam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia textus ille *D.* Gregorij rectè procedit ſtante definitione Eccleſiæ interdicentis huiuſmodi matrimonia, ex quo non ſequitur, quod ſint prohibita de iure naturæ; nec aduerſus hanc reſponſionem, vim facit id, quod ſubditur, quod talis coitus non ſolum ſit abhominabilis apud Deum, ſed etiã apud homines, quod certe videtur inferre interdictum per ius naturæ, cum prohibitio Eccleſiæ non extendatur ad eos, qui ſunt extra eandem Eccleſiam; Non, inquam, maiorem vim facit, quia, vt bene explicat *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 66. *num.* 14. *in fine* dictum illud non eſt intelligendum abſolutè de omnibus hominibus, ſed dumtaxat de bonis hominibus, qui certè ſolum ſunt Chriſtiani; atque hæc certè explicatio cōgruit textui, cũ in eodē ſubdatur Chriſtianos illud matrimonium inire non poſſe, quia apud bonos homines eſſet inceſtus.

Oppoſitio ad dicta, & eiuſdem ſolutio.

11 Affinitas, ſiue in linea recta aſcendentium, & deſcendentiũ, ſiue in trāſuerſali nō irritat de iure naturæ in quocunq; gradu. Aſſertio VI. Probabilius eſt affinitatem, ſiue in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, ſiue in linea tranſuerſali non irritare matrimonium de iure naturæ in quocunque gradu *D. Thomas ſecunda ſecundæ q.* 154. *art.* 9. *in ſolutione ad tertium*, *Alexander Alenſis* 2. *part. q.* 169. *memb.* 2., *&* 3. *part. q.* 27. *memb.* 4. *art.* 3. §. 2. *Abulenſis pr. Regum* 8. *q.* 176. *Veracrux* 2. *parte ſpeculi art.* 23. *concl.* 3. *Quandus in* 4. *diſt.* 41. *q. vnica propoſitione vltima.* For-

Fortior ratio huius aſſertionis erit ſolutio obiectorum, quorum primum eſſe poteſt hoc, quod conſanguinitas in linea recta aſcendentium, & deſcendentium irritat matrimonium de iure naturæ in quocunque gradu in infinitum iuxta noſtra principia ſupra probata, vel ſaltem in primo gradu iuxta opinionem DD. ſatis approbatam, ergo etiam affinitas in linea recta irritabit, vel in quocunque gradu in infinitum, vel ſaltem in primo gradu; Conſequentia clare deducitur ex textu *in c. 1. de conſanguin., & c. æqualiter, & c. de propinquis 35. q. 3.*, vbi dicitur eodem modo abſtinendum eſſe à coniugio cum affinibus, ac cum conſanguineis. Sed hoc argumentum facile elidi poteſt, ſi dicatur, non currere paritatem de conſanguinitate ad affinitatem, & iura dumtaxat procedere attento præciſe iure Eccleſiaſtico, non naturali; Non currit paritas, quia non datur aliqua relatio ſuperioritatis inter affines, ſicuti datur inter conſanguineos, nam ſuperioritas hæc ſolum datur inter eos, qui dant, & recipiunt eſſe naturale per naturalem generationem, quales non ſunt præciſè affines; & iura, quæ loquuntur de æqualitate conſanguinitatis, & affinitatis, non declarant, quæ ſunt iuris naturæ, ſed abſolutè diſponunt, & id ex ſe afficiunt in gradibus lineæ tranſuerſalis, ſeu rectæ in affinitate, quod efficit ius naturæ in gradibus lineæ rectæ quoad conſanguinitatem.

7 **Eluditur argumentū deſumptū à paritate cognationis.**

Secundum argumentum deſumitur ex illo Leuitici 18. *Turpitudinem matris tuæ, & vxoris patris tui ne diſcooperies*, vbi per ly *turpitudinem matris tuæ* importatur primus gradus conſanguinitatis in linea recta, per ly *vxoris patris tui* importatur primus gradus affinitatis etiam in linea recta, ſupponitur enim eſſe vxor patris ſui ex alio matrimonio, à quo ipſe nō ſit progenitus. Cū igitur eodē modo textus ſacer prohibeat nuptias & cū matre ſua, & cū vxore patris ſui, videtur annuere eodem iure naturæ vtrumque matrimonium vetari. Sed hoc etiam argumentum ex ſacra ſcriptura deductum facile poteſt elidi, ſi aſſeratur, vel textum procedere de vxore patris ſui adhuc viuentis, & renitentis; vel ſolummodo innuere, eſſe quodamodo illud matrimonium contra quandam conuenientiam iuris naturalis, non expreſſe contra ius naturale irritans, & licet eodem modo videatur vetari in textu ſacro, per hoc tamen non importatur idem ius, ſed dumtaxat quædam ſimilitudo.

8 **Aliud argumentū proponitur, & diſſoluitur.**

Tertium argumentum deſumitur ex illo Apoſtoli prima ad Corint. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis, nec inter gentes, ità vt vxorem patris ſui quis habeat.* Sed hic textus facile explicatur, ſi dicatur procedere dumtaxat de nuptijs cum vxore patris ſui adhuc viuentis, & renitentis, prout explicant *Caietanus, & Sedulius* in eum locum. Ceteroqui non dixiſſet Apoſtolus, *qualis, nec inter gentes auditur*, cum certa ſit conſuetudo, quæ inter Perſas vigebat, ſecundum quam filius mortuo Patre vxorem ipſius ducebat, & *Valerius Maximus lib. 5. c. 7.* refert Seleucum tradidiſſe filio ſuo Antiocho in matrimonium Stratonicem propriam vxorem. Hac eadem ratione reſponderi poteſt ad illud, quod ex ſacra ſcriptura dicitur Geneſis 49. Iacob ſcilicet morti vicinum ſpiritu prophetico maledixiſſe Ruben primogenito ſuo, eo quod dormierit cum vxore Patris; reſponderi, inquam poteſt, hoc contigiſſe, quia Patre viuente thorum ipſius violauit, vel forte melius dici poteſt maledixiſſe propter adulterium, quod commiſit cum iniuria patris; non enim duxit vxorem Patris in matrimonium, ſed cum ea fornicariè concubuit.

**Aliud argumentū propoſitum, & diſſolutum.**

Ex his facile deduci poteſt, quod, ſi de iure naturę non eſt interdictum matrimonium inter affines in primo gradu lineæ rectæ, multo minus intelligatur interdictum in primo gradu lineæ tranſuerſalis, & hoc etiam conſtat ex eo, quod Iacob vir ſanctiſſimus *Geneſis 29.* duxit Liam, & Rachellem ſorores, hocque declarauit Clemens VII., dum dixit legitimam eſſe diſpenſationem factam à Romano Pontifice in huiuſmodi primo gradu affinitatis in linea tranſuerſali.

Aſſertio VII. Affinitas, quæ conſurgit ex copula coniugali, dirimit matrimonium vſque ad quartum gradum incluſiue, affinitatem vero, quę oritur ex copula fornicaria non niſi vſque ad ſecundum gradum *Henriquez lib. 12 c. 13. Petrus de Ledeſma q. 55. art. 3., & alij communiter.* 12

**Affinitas ex copula coniugali dirimit vſq; ad quartum gradum, ex fornicaria ſolū quoad ſecundum.**

Prima pars facile deducitur ex textu *in c. non debet de conſang. & affin.* per quem reſtringitur ius antiquum *in c. nullum, & c. æqualiter 35. q. 3.*, ſecundum quod affinitas extendebatur vſque ad ſeptimum gradum.

Secunda pars deducitur ex *Concil. Trident. ſeſſ. 24. de matrimon. c. 4.*, vbi in hanc formam definit *Sancta Sinodus, impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringit, in vlterioribus vero gradibus ſtatuit huiuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere*, quod latius declarauit *Pius V in ſuo motu proprio incipient. ad Romanum Pontificem edito anno* 1566. per ea verba *Declaramus, & auctoritate Apoſtolica decernimus nullum hodie impedimentum remanere quo minus in vlterioribus gradibus huiuſmodi libere,*

**Definitio Cōc. Trid.**

Digitized by Google

*libere, & licitè matrimonium contrahi poſſit:* vbi Pontifex loquitur de affinitate contracta ex copula fornicaria, & de ſecundo dumtaxat gradu.

## PRÆNOTIO XII.

### De impedimento publicę honeſtatis.

*SVMMARIVM.*

*Definitio publicæ honeſtatis.* 1.
*Impedimentum publicæ honeſtatis eſt tantum de iure Eccleſiaſtico.* 2.
*Publica honeſtas conſurgit ex ſponſalibus validis, & certis inter ſponſum, & ſponſam, & conſanguineos vtriuſq;, & dirimit tantum in primo gradu.* 3.
*Ex matrimonio per verba de præſenti inualido ex impedimento dirimenti conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis, niſi inualiditas ſit ex defectu conſenſus.* 4.
*Impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio, ſiue valido, ſiue inualido eſt perpetuum, & extenditur vſq; ad quartum gradum.* 5.

AFfinis eſt præcedentibus hæc quæſtio, quam de publica honeſtate excitamus, de qua pauca remanent examinanda, cum plura de ea dixerimus tom. 5. de ſponſalibus, prout videre eſt in indice relatiue ad loca ibi citata, vbi præcipuè vidimus hanc non induci ex ſponſalibus, ante ſeptennium initis, ſi minor ante ſeptennium deceſſerit, nec ex ſponſalibus inualidis, nec quando interuenit impedimentum occultum, quantumvis ſponſalia fuerint publica, nec quando ſponſalia fuerunt inita ſub conditione, ſeu matrimonium pendente adhuc conditione.

Articuli ex iminádi circa titulum. Difficultates, quæ modo examinandæ proponuntur, ſunt primo, quid ſit publica honeſtas; Secundo, quo iure fuerit inducta ad effectum dirimendi matrimonium. Tertio ad quotum gradum extendatur hoc impedimentum ex ſponſalibus validis, & ad quem gradum ex matrimonio valido, & abſoluto. Reliquæ difficultates patent ex alibi dictis.

1 Definitio publicæ honeſtatis. Aſſertio I. Publica honeſtas eſt propinquitas ex ſponſalibus, vel matrimonio rato procedens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione, propter honeſtatem eius *D. Thomæ in 4. diſt. 41. q. vnica art. 1. quæſtiuncula 4. in corpore*, quem omnes ferè ſequuntur.

Probatur, & explicatur. Dicitur *propinquitas*, per quam particulam conuenit publica honeſtas cum affinitate, & hæc particula ſtat loco generis. Dicitur, *ex ſponſalibus, vel matrimonio rato conſurgens*, & per hanc particulam contradiſtinguitur ab affinitate, quæ dumtaxat oritur ex copula, vel coniugali, vel fornicaria, & hæc ſtat loco differentiæ. Dicitur, *robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione*, per quam particulam innuitur ſolo iure Eccleſiaſtico hoc impedimentum eſſe inductum. Dicitur *propter honeſtatem eiuſdem Eccleſiæ*; & per hanc ſignificatur cauſa, ob quam hoc impedimentum inductum fuit, quæ fuit vt ſicuti per matrimonium cõſummatum affinitas contrahitur ſubſequentes nuptias dirimens, ità ex ſponſalibus, & matrimonio rato contrahatur aliud vinculum coniunctionis, quod ſubſequens matrimonium irritaret. (Explicata definitio per ſuas particulas.)

2 Impedimẽtum publicę honeſtatis eſt tantũ de iure Eccleſiaſtico. Ex quibus duo inferes, primo hoc impedimentum ſecluſo iure Eccleſiaſtico nullam penitus vim habere, cum per idem ius dumtaxat fuerit inductum: ſecundum, quod, ſi infideles cum conſanguineis prioris ſponſæ contraxerint matrimonium, illud teneat, quandoquidem infideles non ſubduntur iuribus Eccleſiaſticis, quin immò, ſi poſtea contingeret eos poſt contractum matrimonium cum conſanguinea prioris ſponſæ ad fidem conuerti, nõ eſſent ex hoc capite ſeparandi; non enim ex prioribus ſponſalibus oritur aliquod vinculum naturale, quod poſt baptiſmum dirimat matrimonium iam contractum, quin etiam, ſi infidelis poſt contracta ſponſalia cum vna conuerſus fuerit ad fidem, & poſtea vellet nubere cum conſanguinea eius, cum qua prius ſponſalia contraxerat, non eſſet impediendus, quia ex illis ſponſalibus tempore infidelitatis initis non potuit oriri aliquod vinculum honeſtatis, cum pro illo tempore ipſe non eſſet ſubditus Eccleſiæ, per quam fuit inductum illud vinculum, quod propterea, cum non fundetur in aliquo iure naturali, ſed præcisè in diſpoſitione Eccleſiæ non poteſt ceſſante infidelitate conſurgere. (Infideles, qui contraxerunt cũ conſanguineis prioris ſponſæ poſt conuerſionem non ſunt ſeparandi.)

3 Conſurgit ex ſponſalibus validis, & dirimit tantũ in primo gradu. Aſſertio II. Publica honeſtas conſurgit ex ſponſalibus validis, & certis inter ſponſum, vel ſponſam, & conſanguineos eorum reſpectiuè in primo dumtaxat gradu, hæcque inter ſponſum, & conſanguineam ſponſæ in primo gradu dirimit matrimonium, & vice verſa inter ſponſam, & conſanguineum ſponſi etiam in primo gradu. Conſentiunt omnes quos viderim. Dixi *ex ſponſalibus validis*, quæ particula intelligenda eſt de iure nouo *Concilij Trident. ſeſſ. 24. de matrimon. c. 3.*, nam de iure veteri oriebatur etiam ex ſponſalibus irritis ex quocunque capite, prꝑterquam ex defectu conſenſus, vt docuimus *tom. 5. de ſponſalib. 1. Diſq. 1. §. 18. num. 2.* Dixi *certis*, nam ex incertis, ſeu cum indeterminata perſona non oritur publica honeſtas, prout docuimus *tom. 5 ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib.* (Ex incertis non conſurgit hoc impedimentũ)

Digitized by Google

**Ex incertis unum conſurgit hoc impedimentũ**

*ſalib. l. Prænot. 4 n 3. ex c. vnico de deſponſat. impub. in 6.* Dixi *inter ſponſam, & conſanguineam ſponſæ in primo dumtaxat gradu*, quod intellige viceuerſa inter ſponſam, & conſanguineum ſponſi in primo gradu, nam licet antiquitus extenderetur hoc impedimentum vſque ad quartum gradum, ſiuè ex ſponſalibus validis, ſiuè ex inualidis ex quacunque alia cauſa, præterquam ex defectu conſenſus, vt colligitur *ex c. ad audientiam de ſponſalibus* modo tamen ex diſpoſitione Concilij Tridentini *loc. cit.* ſublatum eſt hoc impedimentum, prout prouenit ex ſponſalibus inualidis, & quoad valida reſtrictum eſt ad primum conſanguinitatis gradum. Vlterius ex illa particula *inter ſponſum, & conſanguineam ſponſæ*, & viceverſa inter ſponſam, & conſanguineum ſponſi patet hoc impedimentum conſurgere tantum quoad conſanguineos alterius, non quoad affines, textus enim ſolum loquitur de conſanguineis, & cum hic verſemur in odioſis non eſt textus extendendus ad alios ab enunciatis in eodem textu.

**Diſpoſitũ à Concil. Trident.**

Hæc aſsertio ſic explicata totam vim habet ex diſpoſitione *Concilij Tridènt. d. ſeſſ. 24 de matrimon. c. 3*, & ex declaratione *Pij V. in motu proprio, qui incipit ad Romanum ſpectat*, vbi etiam declarat diſpoſitionem Concilij Trident. quoad primum gradum procedere dumtaxat quoad ſponſalia, ſeù quoad matrimonium de futuro, non autem quoad matrimonium de præſenti.

4 **Ex matrimonio inualido conſurgit honeſtas niſi inualiditas ſit ex defectu conſenſus.**

Aſsertio III. Ex matrimonio inito per verba de præſenti, ſed inualido ex aliquo impedimento dirimente conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis, niſi ſit irritum defectu conſenſus *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 10. n. 2. Valentia 4. part. diſput. 10 q. 5 punct. 3 Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp 70. n. 5.*, qui aſſerit hanc opinionem certiſſimam eſſe quidquid dixerint ex aduerſo *Couarruuias 4. decret. 2. part. in noua edit. c 6. §. 2. num 2 Ludouicus Lopez 2. part inſtructorij vbi de matrimon c 50.*

Ratio ex eo deducitur, quià antiquitus in matrimonio rato; licet inualido aderat hoc impedimentum, ſicuti, & in ſponſalibus inualidis; & modo per concilium Tridentinum correctum eſt quoad ſponſalia inualida ex alio capite, præterquàm ex defectu conſenſus, non autem quoad matrimonium ratum, ſed inualidum, ergò quoad matrimonium ratum, licèt inualidum adhuc viget hoc impedimentum, quandòquidem à iure antiquo non eſt recedendum, niſi, vbi aliter diſponitur in nouo. Antecedens quoad primam partem elucet *ex c. ſponſam de ſponſalib.*, *& ex c. acceſſit de deſponſatione impub.*

Si autem hic inquiras rationem congruentiæ, cur Concilium Tridentinum correxerit ius antiquum quoad ſponſalia inualide inita, non autem quoad matrimonium inualidum excepto defectu legitimi, & ſubſtantialis conſenſus, aſſeram eam eſſe, quià ex genere ſuo matrimonium fortius vinculum inducit, cumque fieri debeat in faciem Eccleſiæ per aſſiſtentiam ſcilicet Parochi, & teſtium inducit coram eadem Eccleſia, per quam inductum eſt illud impedimentum publicæ honeſtatis, maiorem conuenientiam inter ipſos contrahentes, & per conſequens honeſtatem inter conſanguineos ipſorum comparatiuè ad ipſos.

**Cur Concilium Trid. correxerit ius antiquũ quoad ſponſalia inualida non quoad matrimonium inualidum.**

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet non conſurgat, quando matrimonium eſt inualidum ex defectu conſenſus ex eo deducitur, quià per textum *in d. c. ſponſam de ſponſalib., & c. acceſſit de deſponſat impub.* per quem honeſtas extendebatur etiam ad ſponſalia, & matrimonium inualida, ſeù inualidum excipiebatur inualiditas ex defectu conſenſus, nec correctus in hoc fuit ille textus per concil. Trident., vt expreſsè declarauit *Pius V. in ſuo motu proprio Incip. ad Romanum ſpectat* per illa verba. *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, & definimus Decretum Concilij huiuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio ſic, vt præfertur, contracto; ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum concilij introductum erat.*

**Ratio aſſertionis.**

Ex quibus poteris deducere primo, ex matrimonio rato inter amentes, & impuberes ante acquiſitum perfectum vſum rationis non conſurgere impedimentum publicæ honeſtatis, cum in hac hypotheſi defficiat legitimus, & ſubſtantialis conſenſus. Secundò, nec conſurgere ex matrimonio rato contracto per metum cadentem in conſtantem virum; quià non eſt conſenſus legitimus requiſitus ad validitatem contractus. Tertio, nec quando conſenſus eſt præſtitus cum fictione. Quarto, nec quandò eſt præſtitus clandeſtinè, hoc eſt ſine præſentia Parochi, & teſtium, quià ille conſenſus non eſt legitimus. Quinto, nec quando eſt cum errore perſonæ, quià non eſt conſenſus ad ea, quæ ſunt de ſubſtantia actus.

**Vbicunque deficit conſenſus, non eſt hoc impedimentũ**

Aſsertio IV. Impedimentum publicæ honeſtatis conſurgens, ſiuè ex matrimonio rato valido, ſiuè inualido extenditur vſque ad quartum gradum, & eſt perpetuum. Ita quoad primam partem *Petrus de Ledeſma q. 55. art. 1 verſus finem, Sanchez lib. 7. diſp. 70. n. 16. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 5. puncto 3. Bartolomæus à Ledeſma dub 43. de matrimonio, Manuel primo tom ſummæ in 2. edit. c. 23. in fin.* Quoad ſecundam *Gloſ. c. vnico de ſponſal. in 6. verſ. publicè, Abbas*

*c. ſponſam*

5 **Publica honeſtas ex matrimonio, ſiuè valido, ſiuè inualido extenditur vſque ad quartum gradum, & eſt perpetuum.**

*c. ſponſam. num. vnico de ſponſal. Sotus in 4. diſt. 41. q. vnica art. 2. col. 4. verſ. ſecunda concl. in fin. Toletus lib. 7. ſummæ c. 10 nu. 2. Manuel. pr. tom. ſumma ſecunda edit. c. 234. num 1.*

Quoad primam partem, quando matrimonium ratum eſt validum colligitur *ex d. c. ſponſam de ſponſalibus, & ex c. aſſerit de deſponſ. impuberum*, & latè poſt Concil. Tridentinum declarauit *Pius V. in ſuo motu proprio Incipiente ad Romanum*.

Quoad eandem primam partem quando matrimonium eſt inualidum ex alio capite à defectu conſenſus legitimi, & ſubſtantialis deducitur, ex eo quod Concilium Tridentinũ nihil innouauit quoad huiuſmodi matrimonium, ſed ea quæ iuris antiqui erant reliquit in ſuo robore, ſed de iure antiquo, publicæ honeſtatis impedimentum etiam quoad matrimonium inualidum ex defectu impedimentorum præterquam ex defectu conſenſus extendebatur vſque ad quartum gradum, ergo &c., hocque expreſſè definiuit idem Pius V. loc. cit.

Concil. Trid. nihil quoad hoc innouauit.

Quoad ſecundam partem, etiam deducitur *ex d. c. ſponſam ob ſponſalibus etiam c. ſi quis vxorem, & c. ſi quis deſpenſauerit el. 27. q. 2.*, vnde ſequitur, quod etiam mortua alia coniuge, vel ſponſa non poſſit ſuperſtes ducere ipſius prædefunctæ conſanguineam in primo gradu, ſi dumtaxat fuerint ſponſalia inita cum illa, nec vſq; ad quartum gradum, ſi matrimonium ratum fuerit celebratum quantumvis inualidum.

Hic plura examinãdà eſſent circa matrimoniũ, ſeu ſponſalia cõditionalia pendente adhuc conditione, & quoad eadem, quando fuerunt inita per parentes nomine filiorum, ſiue impuberum, ſiue puberum præſentium, & tacentium, item quoad ſponſalia poſteriora pure inita cum conſanguinea prioris ſponſæ, cum qua prius fuerant inita ſponſalia conditionalia, ſed quia de his fusè actum eſt *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 2. Diſq; 1. §. 7. num. 2., & de ſponſal. 1. Diſq. 1. §. 19. num. 2., & 3.*, ideo ab ijs abſtineo vos remittens ad ea, quæ ibi dicta ſunt.

---

## PRÆNOTIO XIII.

### De Impedimento Criminis dirimentis

### *SVMMARIVM.*

*Solum adulterium non dirimit matrimonium inter adulteros. 1.*

*Adulterium cum machinatione mortis alterius coniugis ſufficienter dirimit, quamvis non interueniat promiſſio matrimonij. 2.*

*Adulterium cum machinatione mortis alterius coniugis non dirimit matrimonium quoad infideles. 3.*

*Infideles commiſſo illo crimine pro tempore infidelitatis, ſi conuertantur, poſſunt inter ſe contrahere. 4.*

*Si crimen fuerit commiſſum inter fidelem, & infidelem fidelis contrahit directè illud impedimentum, & indirectè infidelis. 5.*

*Requiritur vt machinatio ſuum ſortita fuerit effectum. 6.*

*Sufficit ſi alter cooperetur per mandatum, vel conſilium mortis alterius. 7.*

*Non tamen ſufficit ratihabitio mortis patratæ. 8.*

*Æquè ſequitur hoc impedimentum, ſiue vir moliatur mortem vxoris, ſiue vxor mortem mariti. 9.*

*Fide data de matrimonio contrahendo non requiritur, quod cum machinatione ab vtroq; intentata interueniat adulterium, ſecus ſi vnus tantum machinetur ſine alterius conſilio. 10.*

*Requiritur, vt machinatio fiat cum effectu ad finem contrahendi matrimonium. 11.*

*Non contrahitur, ſi machinatio fuit ex fine liberius explendæ libidinis. 13.*

*Probata coniugis interfectione cum adulterio præſumitur contractum hoc impedimentum. 14.*

*Crimen adulterij cum machinatione mortis alterius dirimit matrimonium inter adulteros, non eorundem cum alijs. 15.*

*Si quis adulterauit cum pluribus, & cum illis omnibus conuenit de nece propriæ vxori inferenda cum nulla ex illis poteſt contrahere. 16.*

*Si adulterauit cum vna ſolum, & cum illa conuenerit de tali nece, cum illa ſolum prohibetur contrahere, quamvis animum habuerit contrahendi, vel cum illa, vel cum altera. 17.*

*Si cum nulla adulterauit, ſed præciſe mortem intentauit propriæ vxori ad finem contrahendi cum vna ex illis cum nulla contraxit impedimentum. 18.*

*Adulterium cum promiſſione matrimonij de futuro, vel de præſenti inducit impedimentum dirimens. 19.*

*Verificatur, ſiue fides data præcedat adulterium, ſiue è contra. 20.*

*Si data fuerit fides matrimonij futuri, eademq; retractata ante adulterium non conſurgit impedimentum. 21.*

*Si data fuerit fides, & commiſſum adulteriũ, & poſtea fides reuocata, & eſt impedimentum, & vrget. 22.*

*Ad hoc impedimentum requiritur mutua formalis promiſſio. 23.*

*Ad hoc impedimentum inducendum requiritur, vt prius matrimonium fuerit validum. 24.*

*Sufficit ſi matrimonium fuerit ratum, & validum. 25.*

Re-

*Requiritur, vt vterq; adulterans norit alterius coniugium.* 26.

*Si ignorans alterius coniugium cum ipſo adulterauerit, & fidem dederit de futuro matrimonio, ſi habita notitia alterius coniugij iterum cum illo fornicetur, contrahit hoc impedimentum.* 27.

Duo crimina, ob quæ matrimonium dirimitur.

DVO communiter aſſignantur crimina, ob quæ ſubſequens matrimonium dirimitur, nempe adulterium cum machinatione mortis alterius coniugis, & adulterium cum fide data de contrahendo poſt coniugis mortem, vel cum contractu matrimonij de præſenti cum adultera: Circa quæ crimina pleraque pullulant dubia, & quidem in ordine ad primum erit primo dubium, an adulterium ſolum ſufficientèr impediat, & dirimat matrimonium inter adulteros. Secundo, an machinatio mortis alterius coniugis cum adulterio ſufficiens ſit ad dirimendum matrimonium, ſiue non adulterans eam machinetur quoad alterum coniugem adulterantem, ſiue adulterans quoad coniugem non adulterantem, ſi non interueniat promiſſio matrimonij. Tertio, an hoc crimen, prout conſurgit ex adulterio cum machinatione mortis alterius coniugis afficiat, ſeu extendatur etiam ad infideles. Quarto, an requiratur, quod ſequatur effectualiter mors alterius coniugis. Quinto, an etiam ſine adulterio ſufficiat mors illata alteri coniugi fide data de matrimonio. Sexto, an requiratur, quod vterque ſcilicet adulter, & adultera machinetur mortem alterius coniugis ad finem contrahendi inter ſe matrimonium, & quid ſi vterq; machinetur ad finem explendæ liberius libidinis. Septimo, an probata coniugis interfectione cum adulterio præſumendum ſit in foro externo eandem fuiſſe intentatam animo contrahendi cum adultera. Octauo, an hoc impedimentum inducat inhabilitatem in perſonis, quæ crimen illud commiſerunt, ad contrahendum matrimonium cum alia quacunque perſona.

Dubia circa primũ crimen.

In ordine ad ſecundum inquiretur primo, an adulterium cum promiſſione matrimonij, vel contractu ipſius de præſenti viuente altero coniuge ſit impedimentum dirimens. Secundo, an ſatis ſit ad impedimentum dirimens inducendum, ſiue adulterium præcedat, ſiue ſubſequatur fidei dationem, aut contractum matrimonij. Tertio, an requiratur promiſſio mutua matrimonij. Quarto, an ſi fiat per modum contractus oneroſi illa promiſſio cum adulterio requiratur ex parte vtriuſque acceptatio. Quinto, an requiratur, quod prius matrimonium fuerit validum, conſummatum, nec diſſolutum quoad habitationem. Sexto, an requiratur vtrumq; adulterum noſſe alterius coniugium, & alia huiuſmodi.

Dubia circa ſecundum.

1 Solũ adulterium nõ dirimit inter adulteros.

Aſſertio I. Solum adulterium ſufficienter non impedit, nec dirimit matrimonium inter adulteros. *Sãchez de matrimon. lib. 7. diſp. 78. num. 1.*, & conſentiunt omnes.

Iura enim cõcia aſſerũ tum.

Clarè liquet ex eo, quod habetur *in c. ſignificaſti de eo, qui duxit, & c. ſi quis viuente 31. q. 1.*, nec aliquis eſt aſſignabilis textus, qui inducat tale impedimentum ex adulterio præciſe ſumpto; Quod ſi afferas textum *in c. 1. de eo qui duxit*, vbi hæc formalia verba leguntur. *Licet autem in canonibus habeatur, vt nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat, vxore ſua viuente*; tunc immediatè reſpondebo textum illum non procedere de adulterio præciſe ſumpto, ſed de eodem, prout coniungitur cum altero ex prædictis criminibus, prout docet *D. Auguſtinus de nuptijs lib. 1. c. 10.*; nec obeſſe poteſt illa particula *maximè* poſita in allegato textu, quæ vtpotè ampliatiua non reſtringit diſpenſationem præcisè ad caſum, ſed firmat regulam etiam in alijs caſibus quoad adulterium præciſe ſumptum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa particula *maximè* in eo loco ſtat reſtrictiuè, prout notant *in d. c. 1. de eo, qui duxit Abbas nu. 3.*, & *Alexander de Neuo num. 6.*, & idem ſignificat, ac *tantum*, & hæc explicatio ponenda eſt, ne textuum contrarietas manifeſte admittatur, ad quam contrarietatem euitandam etiam verba in impropriam ſignificationem ſunt deflectenda.

2 Adulteriũ cum machinatione mortis alterius coniugis inducit impedimentũ dirimens, quamvis non poſita fuerit promiſſio matrimonij.

Aſſertio II. Adulterium cum machinatione mortis alterius coniugis ſufficiens eſt ad dirimendum matrimonium; ſiue alter coniux eam machinetur, ſiuè adultera, licet non interueniat promiſſio matrimonij. Conſentiunt omnes, quos viderim.

Clarè colligitur aſſertio ex textu *in c. ſuper hoc de eo, qui duxit in matrimon.*, vbi ſic legitur. *Si adultera eſt aliquid in mortem vxoris machinata, ſiue fidem dedit, ſiue non, quod ea defuncta hanc eſſet ducturus, ſecundum canones ab eius conſortio prohibetur*, & idem colligitur *ex c. 1.*, & *c. ſignificaſti eod. tit.*, & *c. 1. de conuerſione infidelium*, & *c. ſi quis viuente 31. q. 1.*, ex quibus textibus omnes particulæ in aſſertione appoſitæ comprobatur. Ratio autem aſſertionis, & huiuſmodi iurium ex eo deſumitur, quod æquiſſimum fuit, vt ab hoc coniugio, per quod inducitur vinculum perfectiſſimæ amicitiæ, arceretur quodcunque piaculum ex quo eiuſdem vinculi diſſolutio contra fidem datam onatur per machinationem mortis alterius coniugis.

Aſſertio III. Adulterium cum machinatione mortis alterius coniugis non in-

 ducit

Digitized by Google

Adulterið, cum machinatione mortis alterius coniugis non dirimit quoad infideles.

ducit impedimentum dirimens quoad infideles *Gutierez de matrimonio c. 105. n 6. Henriquez lib. 12. de matrimon. c 14 Sanchez lib 7. diſp. 78. n 3.*

Ratio ex eo deducitur, quià hoc impedimentum ex tali crimine prouenieus inductum eſt ſolo iure Eccleſiaſtico in allegatis textibus in probatione præcedentis aſſertionis, ſed infideles non ſubduntur iuribus merè Eccleſiaſticis, nec eorũ effectibus afficiuntur, vt per ſe patet, cum Eccleſia de ijs, quæ foris ſunt, non iudicet, ergò &c.

Duplex dub um excitatum.

Hic duplex ſuboritur difficultas. Prima eſt, an ſi infideles crimen illud adulterij cum machinatione commiſerint pro tempore infidelitatis, & poſteà conuerſi ad fidem velint inter ſe matrimonium contrahere, poſſint validè contrahere non obſtante illo crimine. Secunda, an ſi infidelis cum fideli adulterium commiſerit cum illa machinatione, vterque contrahat illud impedimentum, an verò ſaltem fidelis, ratione cuius non poſſit contrahere cum eodem infideli, etiam ſi ille poſteà conuerſus fuerit ad fidem.

4
Infideles commiſſo illo crimine pro tempore infidelitatis, ſi conuertatur, poſſunt inter ſe contrahere.

Ad primum aſſerendum exiſtimo infideles, quantumvis ante contractum fuerint ad fidem conuerſi, poſſe validè etiam po conuerſionem contrahere inter ſe matrimonium non obſtante illo crimine commiſſo pro tempore infidelitatis. *Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 6. num.* 20. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quià hoc impedimentum vim non habet à iure naturæ, ſed tantum à iure Eccleſiaſticò, quod tunc oritur, quando committitur delictum, ſed quando hoc committitur ab infidelibus tunc non oritur quoad ipſos hoc impedimentum, quandòquidem ipſi non ſubduntur iuribus Eccleſiaſticis, nec poteſt poſtea conualeſcere poſt ſuſceptum baptiſmum, quià, cum non fundetur in aliquo iure naturæ non poteſt perſeuerare in eodem, & quod ab initio non tenet, non poteſt tractu temporis conualeſcere, ergò &c. Hoc idem in ſimilibus terminis quoad publicam honeſtatem prouenientem à ſponſalibus legitimis diximus ſupra, quod ſcilicet eandem non contrahunt infideles, nec ratione eiuſdem impediantur à contrahendo matrimonio cum conſanguineis alterius ſponſi etiam poſt ſuſceptum baptiſmum, & latè docent *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. num. 4. Veracrux prima part. ſpeculi art. 51. in corrol. quod infert ex ſecunda concl.*, & in alijs ſimilibus terminis de affinitate contracta per copulam illicitam tempore infidelitatis, quæ, cum ſit tantum de iure Eccleſiaſtico, non impedit matrimonium contrahendum poſt conuerſionem ad fidem docent, *Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſalibus conſ. 7. n. 6. & in 2. tit. de conſanguinit. conſ. 112. num. 6. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 1. n 2., & c. 3. num. 4.*

5
Commiſſo crimine inter fidelem, & infidelem fidelis contrahit directè impedimentum, infidelis indirectè.

Ad ſecundam aſſero, directè ſolum contrahere illud impedimentum fidelem, indirectè autem vtrumque. In hanc reſponſionẽ propendent *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 78. n. 3. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 14. n. 2.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod ſolummodò fideles ſubduntur iuribus Eccleſiaſticis, ergò illi ſolum dierectè contrahunt hoc impedimentum. Ratio ſecundæ partis, quià ex eo, quod fidelis irretitus tali crimine iure Eccleſiaſtico ſic diſponente nequeat contrahere, ex conſequenti oritur, quod neque alter, qui infidelis ſupponitur, poſſit cum illo contrahere, ſiquidem impedimentum ex parte vnius in contractibus correſpectiuis inualidat contractum etiam reſpectu alterius; ergò &c.

6
Requiritur, vt machinatio ſuum ſortita fuerit effectum.

Aſſertio IV. Ad hoc impedimentum inducendum requiritur, vt machinatio mortis alterius coniugis ſuum ſit ſortita effectum *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica in fine expoſitionis literæ Magiſtri, Silueſter verb. matrimonium 8. q. 9. dict. primo, Hoſtienſis c. ſuper hoc n. vnicè paulo poſt principium de eo, qui duxit.*

Vim habet hæc aſſertio in diſpoſitione iuris *in c. ſi quis viuente 31. q. 1.*, vbi cum inducatur hoc impedimentum expreſſè apponitur mors in effectu, ibi *occidiſſe notetur*, & licet alij textus loquantur præcisè in terminis machinationis, quæ poteſt eſſe ſine effectu, quià tamen in odioſis regularitèr verba accipiuntur cum effectu, ideo etiam in hac hypotheſi talitèr ſumenda ſunt, vt important effectualitèr mortem.

7
Non eſt neceſſe, quod mors fiat per eũ, qui machinatur, ſed ſufficit, quod ipſe cooperetur per conſilium, vel mandatum.

Aduerte hic tamen, quod licet requiratur effectiuè mors alterius coniugis, non tamen requiratur, quod eadem mors exequatur per eum, qui contrahere dicitur tale impedimentum, ſed ſufficiat, quod ipſe cooperetur morti per conſilium, vel mandatum *D. Antoninus 3. part. tit. 1 c. 5. in primo crimine, Vinaldus in candel ſacram. prima part vbi de matrimonio n. 212. concl. 2. Aſtenſis 2. parte ſummæ lib. 8. tit. 20. art. 2. in princip.* Ratio eſt, quià allegati textus, per quos hoc impedimentum inductum eſt, ſolum loquuntur de machinatione, eandemque dumtaxat ponderant; machinatio autem æquè eſſe poteſt per conſilium, & mandatum, nec petit fieri manibus machinantis, quod etiam indicare videtur textus *in c. 1. de conuerſ. infid.*; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod regularitèr pæna impoſita contra facientem, non extendatur aduerſus conſulentem, & mandantem, niſi etiam de ijs in lege pænali expreſſa fiat mentio, quandòquidem

pænæ

Digitized by Google

pœnæ non ſunt extendendę; Non, inquam, obeſse poteſt, quia, vt in probatione dicebamus, non eſt præciſè hæc pæna impoſita contra facientem, & exequentem; ſed contra machinantem, qui poteſt eſse talis vel executione, vel conſilio, vel mandato. Sed, an ſufficiat ad contrahendum hoc impedimentum ratihabitio mortis coniugis iam ſecutæ diſſident DD. Probabilius tamen exiſtimo non ſufficere *Gloſa in c. ſi quis viuente verb. occidiſſe 31. q. 1. Hoſtienſis in c. 1. in fin. de conuerſ. infid. Antonius in c. ſuper hoc de eo, qui duxit, Scotus in 4 diſt. 35. q. vnica col. penult. Henriquez lib 12. de matrimon. c. 14. nu. 2. in comment. lit. Q.* Ratio ea eſse poteſt, quia iura induxerunt hoc impedimentum ad effectum, ne coniuges, ſeu adulteri mortem alteri machinentur ad effectum poſteà contrahendi cum adultero, ſed per ratihabitionem mortis iam ſecutæ non poteſt eſse hæc machinatio, quia hæc eſt ad effectum futurum, non ad iam poſitum, ergò &c. Neque obeſse poteſt, ſi aſseratur ratihabitionem etiam in delictis retrotrahi ad tempus delicti, & æquiparati mandato *c. cum quis de ſent. excommun in 6.* Non, inquam, obeſse poteſt, quia ſolummodò fictione iuris ratihabitio retrotrahitur, quando pro tempore ratihabitionis effectus poteſt poni; poſito autem antecedenter effectu occiſionis, tunc effectus non poteſt amplius poni, adeoque &c.

8 Nō tamen ſufficit ratihabitio mortis patratæ.

An verò æquè ſequatur hoc impedimentum, ſiuè vir, vel in effectu, vel conſilio, & mandato machinatur mortem vxoris, ſiuè vxor eodem modo moliatur necem mariti. Negant *Victoria in ſumma, vbi de matrimon nu. 292 Cannedo ſumma ſacram vbi de matrimon. c. 5. ad fin in comment. num. 38.* ea ducti ratione, quod textus inducentes hoc impedimentum loquuntur præciſè de viro interficiente vxorem. Sed probabilius eſt æquè ſequi, ſiuè vir moliatur mortem vxoris, ſiuè vxor moliatur mortem viri. Hoc expreſsè habetur *in c. ſi quis viuente 31 q. 1.*, vbi hæc formalia verba habentur *Niſi fortè adulter, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe noſcitur*, & hanc ſententiam commendant *Paludanus in 4 diſt. 34. quaſt. 1. art. 3 n. 17. Sotus in 4. diſt. 37 q vnica art. 4. col. 3 Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 22. caſ. 1. Abbas c. 1. n. 3 de eo qui duxit, Silueſter verb. matrimonium 7. q. 6. dict. 1. Caietanus in ſumma verb matrimonium c. 1 impedim. 5.*

9 Æquè ſequitur hoc impedimentum, ſiuè vir moliatur mortem vxoris, ſiuè vxor mortem mariti

Aſsertio V. Ad contrahendum hoc impedimentum criminis non requiritur, quod cum machinatione mortis fide data de matrimonio contrahendo interueniat adulterium, ſi coniux, & alter, cum quo matrimonium ineundum eſt, machinantur alterius coniugis mortem, ſecus verò, ſi alter tantum ſine conſilio alterius machinetur talem occiſionem fide data, & acceptata de matrimonio contrahendo poſt ipſius coniugis mortem. *Paludanus in 4 diſt. 34. q 1. art. 3. n. 17. Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. 1. impedim. 5. Sotus in 4. diſt. 37. q vnica art. 4. Toletus lib. 7 ſummæ c. 6. num 3 Henriquez lib. 12 de matrimon. c 14. num. 2. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 5. punct. 3. vbi de impedimento criminis.*

10 Vtroque machinante mortem coniugis fide data de matrimonio futuro non requiritur adulteriū, ſecus altero tantum machinante.

Prima pars conſtat *ex c. 1. de conuerſ. infidel.*, vbi deciditur, quod non teneat matrimonium initum inter Saracenos conuerſos ad fidem, qui ad inſtantiam vxorum occiderunt earum viros ad effectum, vt cum ipſis contraherent matrimonium, & inter eaſdem vxores, & tamen ibi nulla fit mentio de adulterio commiſso inter eoſdem Saracenos, & vxores Catholicorum, ergò accedente conſpiratione vtriuſque cum fide data de matrimonio contrahendo contrahitur impedimentum criminis ſecundum ſe dirimens matrimonium, quantumuis non interceſserit adulterium. Neque dicas textum illum procedere de delicto homicidij commiſso per Saracenos ad inſtantiam vxorum catholicarum durante infidelitate eorundem ſaracenorum, quod non videtur militare, quando catholicus conuentione facta cum vxore alterius catholica occidit ipſius virum ad effectum contrahendi cum ipſa; contra enim impugnaberis, quia diſpoſitio illius textus non eo tendit, vt euincat matrimonium non tenere, quia homicidium patratum fuerit à Saraceno, nam æquè impedimentum eſset, ſi ille, qui delictum patrauit eſset catholicus, ſed eo tendit, vt oſtendat, quod non obſtante, quòd conuerſus fuerit ad fidem, non poſſit contrahere.

Ratione euincitur.

Secunda pars, ex eo elucet, quod vbi agitur de vnius tantum machinatione altero non cooperante iura exigant adulterium, vt videre eſt *in c. 1., c. ſuper hoc, c. ſignificaſti de eo, qui duxit ex c. ſi quis viuenti 31. quaſt. 1.*, quæ propterea cum ſint odioſa, & correctoria non ſunt extendenda vltra caſum perfectè completum, prout eadem iura diſponunt, ergò &c.

Aſsertio VI. Ad hoc, vt inducatur impedimentum dirimens futurum matrimonium requiritur, vt machinatio cum effectu fiat ex fine contrahendi matrimonium *D. Thomas in 4. diſt. 37. q. 2. art. 2. in in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 2 Paludanus in 4. diſt. 34. q. 1. art. 3. n. 17. D. Antoninus 3. part. tit 1. cap. 5. in primo crimine, Bellarminus lib. 1. de matrimon c. 22 in fin. Toletus lib. 7. ſummæ c. 6. num. 2. Valentia 4. part. diſp. 10. q 5. punct. 3. vbi de impedimento criminis.*

11 Requiritur, vt machinatio, cum effectu fiat ad finem contrahendi matrimonium,

Ratio deducitur ex cauſa finali, ob quam inductum fuit hoc impedimen-



Digitized by Google

tum, quę fuit, vt arcerentur coniuges à machinatione mortis alterius coniugis, vt per mortem ſoluto priori matrimonio poſſent contrahere cum perſona adultera, ſeu cum ea, cum qua machinati fuerint mortem coniugis prioris, ſed hæc ratio finalis non militat, quando ſequitur machinatio non ad hunc finem, ſed ad alium, vt per ſe patet, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod iura inducentia hoc impedimentum, non meminerint huius cauſæ finalis, & proinde cum ſint reſtrictiua libertatis ad matrimonium, non debere extendi ad caſum, in quo eadem cauſa finalis non vrget, ſeu non exprimitur. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quamvis expreſſè non meminerint illius conditionis, ſeu cauſæ finalis venit tamen implicitè, & ex genere ſuo, quinimmo notat *Sanchez d. lib. 7 de matrimonio diſp. 71. num. 13.* ſufficienter exponi illam conditionem *in c. ſi quis viuente 31. q. 1.*, per ea verba, *occidiſſe noteiur*, quę denotant malitioſam machinationem mortis alterius, & infamia dignam, quæ vtique debet importare conditionem, per quam conſurgat talis infamia, quæ certe importatur per illum finem.

Rationes aſſertionis.

13 Non cōtrahitur, ſi machinatio fuit ex fine liberius explendę libidinis.

Hic ſuboritur alia difficultas, an, ſi fiat illa machinatio cum morte non ex fine contrahendi matrimonij, ſed ex fine explendæ liberius libidinis ſine matrimonio inducatur illud impedimentum. Reſpondendum eſt negatiue *Manuel. pr. tom ſumma 2 edit. c. 229. num 5. Vega 2. tom. ſumma c. 34. caſ 120. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp 78 num 16.* Ratio ex eo deducitur quia deficit conditio à iure requiſita ad hanc effectum, nempe finis ineundi matrimonij.

14 Probata coniugis interfectione cū adulterio præſumitur inductū hoc impedimētum.

Aſſertio VII. Probata coniugis interfectione cum adulterio, ſi ſuperſtes velit poſtea cum adultero contrahere in foro externo, præſumitur ea fuiſſe perpatrata ex fine contrahendi matrimonium, adeoque præſumitur pro legitimo impedimento *Sotus in 4. diſt. 37. q vnica art. 4. Manuel. pr. tomo ſumma in 2. edit. c. 229. num 5. Vega 2. tom. ſumma c. 34. caſ. 74. notab. 2.* Dixi *in foro externo*, nam in foro interno, ſi reuera ille finis non interuenerit, certum eſt, illud impedimentum non vigere, nec obſtare futuro matrimonio, nā forum internum innititur non præſumtioni, ſed nudæ veritati, prout eſt in ſe, non in mera apparentia.

Ratio aſſertionis ex eo deducitur, quia ſtante illo delicto conſummato, & ſubſequenter expreſſa voluntate contrahendi matrimonium cum perſona, cum qua adulterauit coniux ſuperſtes, efficax ratio, & fortis præſumptio ſuadet, quod voluerint per illam interfectionem remoueri impedimentum, quod ſuberat ratione prioris matrimonij ad contrahendum, & quod ratione adulterij præcedentis animos conciliauerint ad illud futurum matrimonium inter ſe ineundum, & cum poſtea intentent illud matrimonium, videntur ſe referre ad pręcedentem animum ſe copulandi, ergo in foro externo præſumendū eſt pro illo animo, adeoque pro legitimo impedimento, vnde Iudex, qui præſumptionibus innititur in foro externo, debebit matrimonium illud impedire.

Aſſertio VIII. Illud crimen adulterij cū machinatione mortis alterius coniugis ad finem contrahendi matrimonij non reddit perſonas, quæ crimen illud perpatrarunt, inhabiles ad contrahendum matrimonium cum qualibet alia perſona, ſed dumtaxat inter ſe *D. Thomas in 4 diſt. 27. q. 2. art. 2. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 2. q 2. Durandus q. 2. num 6 Silueſter verb. matrimonium 8. q 9 dict. 2. Turrecremata c. inter factores 33 q 2. art. 2. nu. 5. Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 32. num. 78. Henriquez lib. 12. de matrimonio c. 14. nu. 2. Rainerius 2. parte ſumma tit. de matrim. c. 14.* 15

15 Crimen adulterij cum machinatione mortis alterius dirimit matrimonium inter adulteros, non cum alijs.

Ratio ex eo deducitur, quia omnia iura, per quæ inductum eſt hoc impedimentum, ſolummodo clamant in ordine ad ipſos, qui delictum illud perpatrarunt, non in ordine ad ipſos comparatiuè ad quaſcunque alias perſonas, quæ ad illud delictum non concurrerunt; &, cum iura illa ſint reſtrictiua libertatis ad matrimonia ineūnda, non ſunt extendenda vltra caſus, qui in eiſdem iuribus compræhenduntur, ergo non comprehendunt matrimonium cum alijs perſonis ineundum.

Hic ſuboritur difficultas, an, ſi quis vxorem peremerit animo ducendi fæminam incertam, ſeu vnam ex pluribus, contrahat impedimentum dirimens cum omnibus illis, quos in mente habuit. Plura circa hoc dubium ſunt conſideranda, & primo, an cum illis omnibus adulterauerit, & machinatus fuerit mortem alterius coniugis. Secundo, an adulterauerit cum vna dumtaxat, & animum habuerit, vel contrahendi cum ipſa, vel cum alijs, cum quibus non adulterauit. Tertio, an, cum nulla ex illis adulterium commiſerit, ſed dumtaxat homicidium in perſona proprię vxoris commiſerit ad effectum matrimonium cum vna ex illis indeterminate contrahendi. Iuxta primam acceptionem ſentio, quod, ſi cum illis omnibus adulterauerit, & conuenerit de nece propriæ coniugi inferenda, nullam ex illis poſſe ducere, cum reſpectu omnium concurrant omnia, quæ per ſe inducunt illud impedimentum criminis, adulterium ſc. licet cum machinatione mortis ad effectum contrahendi matrimonium cum altera;

16 Si quis adulterauit cum pluribus, & conuenerit de nece propriæ vxori inferenda non poteſt cum aliqua ex illis contrahere.

ra; Nec obeſſe poteſt, quod nequeat cum illis omnibus ſecuta nece propriæ vxoris contrahere matrimonium, ſed dumtaxat cum vna; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet effectus matrimonij non poſſit contingere quoad omnes, delictum tamen conſummatum eſt in ordine ad omnes, adeoque in ordine ad omnes oritur impedimentum dirimens.

17 Si cum vna ſolũ adulterauit, & conuenit de nece cũ illa ſolum prohibetur contrahere.

Iuxta ſecundam acceptionem ſentio, quod, ſi cum vna tantum ex illis adulterauit, & cum illa tantum conuenerit de nece proprię vxori inferenda non conſurgat impedimentum dirimens, niſi cum illa, cum qua coniux ſuperſtes adulterauit, & conuenit de illa nece inferenda, quantumvis animum habuerit contrahendi cum illa, vel cum alijs indeterminatè. Ratio ex eo deducitur, quia in ordine ad illam dumtaxat conſummauit delictum propriè inducens illud impedimentum, non autem in ordine ad alias, ergo cum illa dumtaxat non poterit contrahere, poterit tamen cum alijs contrahere. Antecedens patet, quia ex ſuperius dictis hoc tantum impedimentum contrahitur, quando cum adulterio concurrit machinatio mortis alterius coniugis ad finem matrimonij ineundi altero ſaltem machinante, vel vtroque machinante, quando non concurrit adulterium, ergo, ſi aliæ perſonę non adulterauerint, nec concurrerint ad machinationem, non erit cum illis impedimentum contrahendi.

18 Si cũ nulla adulterauit, ſed vxorẽ præ eiſe interfecit cum animo contrahendi cum vna ex illis nõ contraxit impedimẽtum.

Iuxta tertiam acceptionem ſentiendum eſt cum nulla contrahere impedimentum dirimens; adeoque poſſe cum qualibet illarum matrimonium contrahere. Ratio eſt, quia deficit intentio determinata ad matrimonium, nec concurrunt conditiones requiſitæ ad inducendum hoc impedimentum, ſiquidem ad hoc requiritur; vel adulterium cũ machinatione mortis alterius coniugis ſaltem ex parte vnius, vel eadem machinatio ex parte vtriuſque, quando non interuenit adulterium; hic autem nec interuenit adulterium, nec machinatio ex parte vtriuſque, adeoq; &c.

19 Adulteriũ cum promiſſione matrimonij inducit impedimẽtum.

Aſſertio IX. Adulterium cum promiſſione matrimonij de futuro, vel cum eodem matrimonio de præſenti inducit impedimentum dirimens idem matrimoniũ. Conſentiunt omnes, quos viderim.

Conſtat *ex c. relatum 31. q. 1. & ex c. veniens de eo, qui duxit, & c. fin. eod. tit.* nec incongrua ratione hoc impedimentum inductum eſt; eo etenim tendit, vt auertat à captanda morte coniugum, ſub ſpe futuri coniugij.

Requiritur copulatiuè, & adulterium, & fides data de matrimonio.

Aduerte tamen ad hoc impedimentũ inducendũ requiri vtrumque copulatiuè adulterium ſcilicet, & fidem datam de matrimonio contrahendo, ſeu idem matrimonium de præſenti contractum; nec ſufficere vnum ſine altero, prout expreſsè colligitur *ex d. cap. veniens, & c. fin. de eo, qui duxit.* Rurſus requiritur, quod vtrumque committatur durante eodem priori matrimonio, prout clarè liquet ex textu *in d. c. fin. de eo, qui duxit*, vbi vtrumque exigitur ſuperſtite eodem coniuge, vt accuratè aduertunt *Speculator tit. de eo, qui duxit §. vnico n. 4. Tabiena verb. impedimentum impedim. 7. q. 2. num. 3 Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 4. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct., vbi de matrimon. c. 54 in 3. crimine.*

20 Verificatur, ſiuè fides data præcedat adulteriũ, ſiuè è contra.

Aſſertio X. Non eſt neceſſe ad contrahendum hoc impedimentum, quod fidei datio de matrimonio contrahendo, vel matrimonium initum de præſenti præcedat adulterium, nec quod adulterium præcedat eandem fidei dationem, ſed ſufficit, ſiuè præcedat, ſiuè ſubſequatur, dummodò vtrumque interueniat durante eodem priori matrimonio, *Sanchez de matrimon lib. 7. diſp 79 num 2 Bonacina de matrimon q 2 punct. 6 n 8 verſ. 2 peccatum.*

Iura non exigunt præcedentiam, ſiuè in vno, ſiuè in altero.

Ratio ex eo deducitur, quod iura inducentia hoc impedimentum requirunt quidem, & adulterium, & fidei dationem ſeu matrimonium de facto cum alio durante primo coniugio, non tamen exigunt, quod potius vnum, quam alterum præcedat, vel ſubſequatur, quinimmò *in d. c. fin. de eo, qui duxit* expreſsè aſſerunt ſufficere, ſiuè vnum præcedat, ſiuè alterum: ergò &c. nec in hoc eſt ambigendum, quandòquidem in vtroque caſu ſcilicet præcedentiæ, vel ſubſecutionis viget ratio, ad quam iura reſpexerunt, dum induxerunt hoc impedimentum, quæ fuit, ne traderetur anſa captandæ mortis alterius coniugis ſub ſpe futuri coniugij, quæ certè captari poſſet, ſiuè adulterium præcederet, ſiuè ſubſequeretur, vt per ſe patet.

21 Si data fuerit fides eademque retractata ante adulterium nõ conſurgit impedimẽtum.

Hic oritur difficultas, an, ſi durante eodem coniugio commiſſum fuerit adulterium, & data fides de futuro matrimonio ineundo inter adulteros intelligatur vigere impedimentum, adeovt mortua coniuge priori non poſſint adulteri amplius contrahere, ſi fides data ſoluta fuerit per vtriuſque remiſſionem. Cum diſtinctione reſpondendum eſt, vel etenim prius data fuit fides de matrimonio ineundo poſt mortem alterius coniugis, eademq; remiſſa ante adulterium perpetratum, vel fides data eſt, & remiſſa poſt commiſſum adulterium. Iuxta primum membrum diſtinctionis abſolutè ſentio impedimentum illud non vigere, nec præſtare quominus adulteri poſt mortem alterius coniugis poſſint contrahere matrimoniũ.

22

Iuxta ſecundum membrum probabilius eſt, & impedimentum vigere, & contrahere minimè poſſe. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia poſt fidem ſibi adinuicem

Digitized by Google

Si data fuerit fides, & commiſſum adulterium, & postea fides retractata impedimentum conſurgit, ea viget.

uicem datam poſsunt alio non intercedente contrahentes mutuo cõſenſu illam ſibi remittere, & diſsoluere, qua diſsoluta ſeù remiſſa per inde eſt, ac ſi non fuerit poſita, ſed ad contrahendum hoc impedimentum requiritur, quod interueniat ſimul fides data, vel matrimonium actu initum inter adulteros, & adulterium; ergò non intercedente fide data, ſed eadem diſsoluta per mutuum remiſſionem antecedentèr ad adulterium non oritur impedimentum dirimens. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià data fide de matrimonio contrahendo, & poſtea eadem fide non remiſsa commiſso adulterio inter eos, qui ſibi mutuam fidem præſtiterunt iam impedimentum abſolutè inductum eſt, cum ea omnia ſint ſubſtantialitèr poſita, quæ requiruntur ad illud inducendum, ſed inducto perfecto impedimento non eſt amplius in poteſtate eorum, aduerſus quos eſt inductum illud dirimere; ſeù diſsoluere, cum pendeat non ab ipſorum voluntate, ſed à diſpoſitione iuris, ergò &c.

23 Ad hoc impedimentũ requiritur mutua formalis promiſſio.

Aſsertio XI. Ad inducendum hoc impedimentum requiritur promiſſio mutua, nec ſufficit promiſſio cum acceptatione alterius ſcilicet promiſſarij, nec à fortiori promiſſio cum taciturnitate reſpectu alterius. *Gloſa in c. ſignificaſti in expoſitione caſus de eo, qui duxit, Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 14. n. 3. Vgolinus de ſacramentis, vbi de matrimon. c. 19. n. 8. Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 22. in caſ. 2. Silueſter verb. matrimonium. 8. q. 4. dict. 14.*

Ratio efficax ad probationem.

Ratio ex eo deducitur primò, quià iura inducentia hoc impedimentum ſunt odioſa libertati matrimonij, & correctoria iuris naturæ, ergò intelligenda ſunt de fide data, ſeù de promiſſione vſquequaq; completa, prout requiritur in pactis, ſeù contractibus correſpectiuis, in quibus conſurgit obligatio ex vtraque parte, adeoque requiritur etiam promiſſio ex parte vtriuſque, nec incongrua certè ratione hoc aſseritur, quandò quidem correctoria, & odioſa intelligi debent de actione ſemper completa, nec alitèr, nec alio modo; vndè talis debet eſse promiſſio ſaltem æquivalentèr, vt quantum eſt ex ſe vtrumque obliget ad perficiendum contractum.

Odioſa reſtring debent ad caſum completum.

Secundo, quià textus inducentes hoc impedimentum æquè loquuntur, quàndò initum eſt matrimonium de præſenti inter adulteros, ac quando eſt data fides de eo ſem contrahendo poſt obitum alterius coniugis; ad matrimonium autem de præſenti requiritur mutuus conſenſus, mutuaque promiſſio, ergò etiam hæc eadem videtur requiri in fide data de eodem contrahendò, vt in odioſis fiat reſtrictio ad caſum completum; vnde iura dum requirunt fidei dationem intendunt quodamodò conſtitui per illam ſponſalia cum promiſſione de futuro matrimonio; ad valida autem ſponſalia per ea, quæ dicta ſunt *tom. V. ſub tit. de ſponſalib. I. Prænot. 1.* requiritur promiſſio mutua, ſeù promiſſio cum repromiſſione ergò &c.

Tertio, quià fides quæ exigitur in contractibus correſpectiuis, & obligatorijs debet eſſe mutua, quià per vnius fidem dumtaxat non oritur vltro citroque obligatio, vt eſt in confeſso apud omnes, ſed impedimentum, quod inducitur per iura eſt ad euertendam fidem, quæ eſt in vtroque obligato, nempe obligationem, ergò ſupponunt obligationem reſpectu fidei ab vtroque hypothecatæ, adeoque reſpectu vtriuſque debet eſse mutua promiſſio, ſeù promiſſio cum repromiſſione.

Argumentum propoſitum, & diſſolutum.

Neque obeſse poteſt, ſi aſseratùr primo in iure quoad hoc impedimentum æquiparari machinationem mortis, ac futuri matrimonij promiſſionẽ ſuppoſito adulterio, atque ad inducendum hoc impedimentum ſufficit machinatio mortis ex parte alterius tantum, ergò etiam ſufficit promiſſio futuri matrimonij ex parte alterius tantum, nec requiritur repromiſſio. Secundò, ſi dicatùr exprimi fidem vnius dumtaxat *in c. ſignificaſti de eo, qui duxit*, vbi ſic legitur. *Niſi alter eorum in mortem vxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea viuente fidem illi dederit de matrimonio contrahendo*, vbi particula *alter* vnius dumtaxat promiſſionem importat. Non, inquam, obeſse poteſt: non primum, quià in primis, ſi hoc argumentum valeret, valeret etiam hoc, quod in iure æquiparatur fides data ſtante adulterio de matrimonio contrahendo, ac matrimonium contractum de præſenti ſtante eodem adulterio; atqui matrimonium de præſenti exigit vtriuſque contrahentis mutuum conſenſum cum promiſſione, & repromiſſione, ergò &c. Deindè grauius eſt delictum machinatio mortis alterius cum adulterio, quam fides ſolum data de matrimonio contrahendo poſt obitum eiuſdem vxoris, vt per ſe patet, adeoque non valet argumentum ab vno ad alterum; Non ſecundum, quià ea verba, *vel ea viuente fidem illi dederit de matrimonio contrahendo*, accipienda ſunt cum effectu: carerent autem effectu, ſi alter ſaltem æquiualentèr non repromitteret, & ſe obligaret. Deindè diſpar omninò eſt ratio de machinatione mortis alterius coniugis ſtante adulterio, ac de fide data de matrimonio contrahendo; nam machinatio ex genere ſuo non eſt relatiua niſi ad eum, aduerſus quem eſt machinatio, non autem ad alterum adulterum, fides autem data eſt ex genere ſuo relatiua ad eum, cui data eſt, & cum reſpiciat

con-

contractum correſpectiuum, vtique reſpicit alterius etiam onus; ſeu repromiſſionem, ſine qua fides data non eſſet cum effectu.

Ex his habes etiam quid reſpondeas, ad id, quod propoſitum fuit examinandum, an ſcilicet requiratur acceptatio promiſſionis, & repromiſſio, quando fides datur, per modum contractus oneroſi. Habes, inquam, vtique requiri, quod deducitur in fortioribus terminis ab his, quæ mox dicta ſunt in præcedenti aſſertione.

24 Pius matrimonium debet eſſe validum.

Aſſertio XII. Ad effectum inducendi hoc impedimentum dirimens requiritur, vt prius matrimonium fuerit validum. *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica in fin. in expoſit. lit. Veracrux pr. part. ſpeculi art. 34. concl. 6. Graſſius pr. part. deciſ. lib. 2. c. 85. num. 7. Hoſtienſis in ſumma tit. de eo, qui duxit num. 2. verſ. ſi verò neuter, Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 26. art. 2 in princip. Brunellus de ſponſalib. concl. 34. n. 1. Siluester verb. matrimonium 8. q. 9. dict. 4.*

Ratio ex eo deducitur, quod habetur in *c. 2. de eo, qui duxit*, vbi dicitur matrimonium metu cadente in conſtantem virum contractum, niſi remoto metu fuerit liberè ratificatum, non obſtare valore alterius matrimonij initi cum adultera. Deindè non poſſet verificari, quod tunc præceſſerit verum adulterium, cum non fuerit verum matrimonium.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an vt contrahatur hoc impedimentum, ſi matrimonium fuerit validum, requiratur, quod fuerit conſummatum, an ſufficiat, quod fuerit ratum. Secunda, an ſi fuerit conſummatum, ſufficiat, quod fuerit diſſolutum per diuortium quoad torum, & habitationem. Ad primam aſſerendum abſolutè eſt, ſufficere ſi matrimonium fuerit validum, & ratum *Supplementum Gabriellis in 4. diſt. 35. quæſt. vnica art. 2. poſt duodecimam concl. verſ. dictum etiam fuit Angelus verb. matrimonium 3. impediment. 9. num. 1. in fin. Silueſter verb. matrimonium 8. quæſt. 9. dict. 4. Taliena verb. impedimentum impedimento 7. num. 2. q. 3. Nauarrus in ſumma c. 22. num. 46.* Ratio deducitur ex eo, quia in ea hypotheſi verum interuenit adulterium, quandoquidem verum eſt matrimonium, & fides data de matrimonio contrahendo, & hoc videtur conſtare *ex c. 2. de eo qui duxit*. Ad ſecundam idem aſſerendum eſt, prout docent omnes DD. præallegati, & conſtat *ex c. ex literarum de eo, qui duxit*.

25 Sufficit ſi matrimonium validum fuerit ratum.

26 Requiritur vt vterque adulterans norit alterius coniugium.

Aſſertio XIII. Requiritur ad inducendum hoc impedimentum, vt vterque adulterans norit alterius coniugium *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica in fin. in expoſ. lit. Gloſa c. ſuper hoc verbo copulauit, & c. veniens in fin., & c. ſignificaſti verb. fidem de eo, qui duxit, Palacios in 4. diſt. 35. diſp. vnica col. 24. verſ. obſeruandum 3. Angelus verb. matrimon. 3. impediment. 9. num. 1. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 9. dict. 4.*

Colligitur expreſſè *ex c. 1. de eo, qui duxit*, vbi ſic legitur *Inſciam, quod aliam haberet vxorem*; nec congrua ratione hoc decernitur, quandoquidem hoc impedimentum inducitur in pœnam commiſſi delicti propter iniuriam illatam, ſed quando alter promittens ignorans eſt alterius coniugij, cui promittit matrimonium futurum, non infert ſecundum ſuam intentionem voluntariam iniuriam coniugio alterius, quandoquidem ſine cognitione non ſtat voluntarietas, ergo &c.

Difficultas modo eſt, an in hac hypotheſi ignorantiæ alterius coniugij, ſi alter ante ſcientiam eiuſdem contraxerit matrimonium cum adultera, cui fidem dederat de tali matrimonio ineundo, & poſtea habita ſcientia cum tali coniugio cum ipſa copulam habuerit, contrahat impedimentum criminis dirimens. Reſpondendum eſt contrahi tale impedimentum *Gofredus in ſumma tit. de eo, qui duxit verſ. ſed quid ſi ab initio Præpoſitus c. veniens num. 3. eod. tit. Roſella verb. impedimentum impedimento 8. num. 1. Armilla verb. matrimonium num. 33. Lancellotus inſtit. iur. canon. lib. 2. tit. de diuort. §. fornicationis quoque verb. prohibeatur D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 5. in 3. crimine dirimenti, Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. 1. impedimento 5. caſ. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia illa perſeuerãtia in matrimonio habita ſcientia, & poſt illam copula, quantum eſt ex parte habentis talem ſcientiam, & copulam ſubſequentem habetur pro matrimonio de nouo tunc inito.

27 Si ignorans alterius coniugium adulterauerit, & fidẽ dederit de futuro coniugio, & poſtea habita ſciẽtia de tali coniugio nouã copulam habuerit contrahit impedimentum.

---

## PRÆNOTIO XIV.

### De Impedimento diſparitatis cultus.

### SVMMARIVM.

*Quod ſit impedimentum diſparitatis cultus.* 1.
*Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum eſt ipſo iure irritum.* 2.
*Inter baptizatum, & catecumenam non tenet.* 3.
*Inter fidelem, & hæreticam baptizatam, ſeu apoſtatam à fide tenet.* 4.
*Hoc impedimentum non eſt de iure natura, ſed Eccleſiaſtico.* 5.
*Infideles, qui contraxerunt in infidelitate non ſunt ſeparandi, ſi conuertantur ad fidem.* 6.
*Per conuerſionem vnius ad fidem altero in infidelitate permanente non ipſo iure diſſoluitur matrimonium, ſed poteſt abſolui, ſi in-*
*fidelis*

*ſidelis nolit cohabitare, vel non niſi cum iniuria Dei.* 7.

*Si nolente infideli cohabitare ſine iniuria creatoris conuerſus tranſierit ad ſecunda vota, hæc tenent.* 8.

*Matrimonium fidelis conuerſi ad fidem nolente altero cohabitare ſine iniuria creatoris tunc ſolum diſſoluitur, quando conuerſus tranſit ad alias nuptias.* 9.

*Conuerſus ad fidem altero nolente cohabitare ſine iniuria creatoris poteſt liberè ad Religionem tranſire.* 10.

*Conuerſus ante monitionem factam infideli non poteſt ad Religionem tranſire.* 11.

*Si infidelis conuertatur, poſtquam fidelis profeſſus eſt, non eſt hic illi reſtituendus.* 12.

*Si conuertatur poſt ingreſſum alterius ſed ante profeſſionem hic eſt illi reſtituendus.* 13.

*Per profeſſionem emiſſam à fideli in Religione approbata dirimitur vinculum coniugale cum infideli.* 14

*Si non præmonito infideli fidelis profeſſus fuerit in Religione non intelligitur vinculum coniugale diſſolutum, & profeſſus poteſt reuocari.* 15.

*Si conuerſus ad fidem fuerit ſacris ordinibus initiatus non eſt reſtituendus alteri nouiter conuerſo, non tamen intelligitur vinculum diſſolutum.* 16.

*Matrimonium illud non diſſoluitur per ſimplex votum caſtitatis emiſſum ab altero conuerſo ad fidem.* 17.

*Fidelis conuerſus non poteſt diſſoluere matrimonium quando infidelis non vult conuerti, licet velit cohabitare ſine iniuria creatoris.* 18.

*Non tamen tenetur cohabitare Ibid.*

*Infidelis poſt conuerſionem alterius coniugis non poteſt ad alias nuptias tranſire, niſi conuerſus aliud matrimonium inierit, vel profeſſus fuerit.* 19.

*Quando alter conuerſus eſt, alter non proles ſequitur, quem maluerit, ſi fuerit doli capax, ſecus ſequitur conuerſum ad fidem.* 20.

1 Quid ſit impedimentum diſparitatis cultus.

MAximè expedit, vt inter fideles, & non fideles non contrahatur matrimonium propter damna, & ſcandala, quæ ex eo prouenire poſſent tam inter ipſos contrahentes, quam in prole, quæ inde prouenirent, vnde iure inductum eſt, vt inter ipſos non poſſit ſubſiſtere, & vt vigeat impedimentũ dirimens. Quamobrem, ne quid deſit perfectæ notitiæ quoad impedimenta dirimentia placuit hunc titulum proponere, quo cuncta ad ipſum pertinentia dirimantur.

2 Matrimonium inter fidelem, & infidelem eſt ipſo iure irritum.

Aſſertio I. Matrimonium inter fidelem, ſeu baptizatum, & inter infidelem, ſeu non baptizatum ipſo iure irritum eſt. Conſentiunt omnes DD. Catholici *Valentia tom. 4. diſp 10. q. 5. punct. 3. verb. cultus diſparitas Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 59. art. 1. Henriquez lib. 12. c. 13. Reginaldus lib. 31. num. 167. Gutierez de matrimon. c. 104. Coninchus de matrimonio diſp. 31. dub. 3. num. 43.*

Dixi *inter fidelem, ſeu baptizatum, & infidelem non baptizatum* ex quibus particularis plura inferuntur, primo non tenere matrimonium inter fidelem baptizatum, & inter cathecumenum non adhuc baptizatum *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 1. ad quintum Albertus Magnus eadem diſt. 39. art. 4. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 6 ſtatim in principio*; hocque expreſſè colligitur *ex c. caue 28. q. 1.*, vbi ſic legitur. *Si Chriſtiana ſit non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſint ſacramento baptiſmatis*, & ratio clara eſt, quia cum matrimonium modo ſit eleuatum ad eſſe ſacramenti non poteſt ad illud eſſe aditus, niſi per ianuam baptiſmi, quæ certe reſpectu cathecumeni non dum baptizati non patet, quantumvis poſſit eſſe conſtitutus in gratia. Secundo matrimonium poſſe ſubſiſtere inter fidelem, & hæreticam baptizatam, vel forte etiam apoſtatam à fide *Durandus in 4. diſt. 39. q. 1. d. 1. Paludanus ibid. q. vnica art. 1. num. 7. Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. 1. impedimento 6. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 6. not. 2. Sotus in 4. diſt. 39 q. vnica art. 2. ad vltimum*. Ratio eſt primo, quia nullus eſt aſſignabilis textus irritans tale matrimonium, quinimmo ſunt aſſignabiles textus euincentes oppoſitum, vt videre eſt *in c. decreuit de hæreticis in 6.*, vbi cum dicatur vxores, quæ ſcienter hæreticis nupſerunt priuandas eſſe dote in pœnam delicti, & non ſtatuatur pœna ſeparationis clare ſequitur matrimonium illud non dirimi; Quod ſi afferatur textus in can. 72. ſextæ ſinodi generalis, vbi ſic legitur. *Non licere ortodoxum cum hæretica coniungi, nec ortodoxam cum hæretico, ſed, & ſi quid eiuſmodi factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimari, & nefarium coniugium diſſolui*, ſtatim reſpondebitur illos canones non eſſe aliqua auctoritate concilij innixos, quandoquidem Trullani ſunt, nempe editos apud Tullum palatium Regium poſt diſſolutum concilium à quibuſdam Epiſcopis ſine approbatione Romani Pontificis, quinimmò cum expreſſa reprobatione Sergij Pontificis illius temporis teſte *Beda lib. de ſex ætatibus in Iuſtiniano, & Paulo Diacono lib. 8. de rebus Romanis c. 9.*

3 Inter baptizatum, & catecumenum non tenet.

4 Inter fidelem, & hæreticã baptizatam, & apoſtatam à fide tenet

Canones contrarium ſuadentes ſunt Trullani.

Pro probatione aſſertionis plerique adducunt varios canones, qui non ſunt Conciliorum Generalium, ſed ad ſummum prouincialium; vel à Sanctis deſumpti, cuiuſmodi ſunt *c. caue 28. q. 1.*, & *c. 13. Concil. Tolitan.* item *c. non oportet c. ſi quis iudaica c. Iudæi 28. q. 1.* Sed iſti canones non faciunt legem generalem, nec videntur interdicere ſub nullitate. Quamobrem eius vis, & ratio deſumitur à receptiſſimo

Fundatur in receptiſſimo Eccleſiæ vſu.

totius

totius Eccleſiæ vſu, qui vim legis obtinuit ſecundum communem praxim, prout teſtantur *Sotus in 4. diſt. 29. q. vnica art. 2. VeraCrux pr. part. ſpeculi art. 32. dub. 1. concl. 4. Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 23. prop. 2., & 3. Henriquez lib. 12. de matrimonio c. 23. nu. 3. in fin.*

5 **Hoc impedimentum non eſt de iure naturæ, ſed Eccleſiaſtico.**

Aſſertio II. Hoc impedimentum inter diſpares cultu, ſeu inter baptizatum, & non baptizatum non eſt de iure naturæ, nec de poſitiuo diuino, ſed tantum de iure Eccleſiaſtico, ſi non ſcripto, ſaltem ex receptiſſimo vſu vim iuris obtinente inductum. *Sanchez diſp. 71. lib. 7. num. 7. Coninchus de matrimon. diſp. 21. num. 41. Bonauentura de matrimon. q. 3. punct. 7. num. 2. ex princip., & verſ. dixi de iure Eccleſiaſtico Scotus in 4. diſt. 39. q. vnica art. 2., & ibi D. Bonauentura art. 1. q. 1. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 5. punct. 3. vbi de diſparitate cultus Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 59. art. 1. dub. 2. in concl. 1.*

Ratio primæ partis, quod ſcilicet non ſit de iure naturæ inductum ex eo deducitur, quia huiuſmodi matrimonium non aduerſatur bonis eiuſdem, nec fini à natura intento; non bonis eius, quia ex eodem poteſt proles progigni, & educari, & coniuges poſſunt ſibi mutuo fidem ſeruare, ergo &c. Accedit, quod in lege naturæ multa ſunt inita matrimonia inter hæbreos, qui erant ex populo dilecto, & gente ſancta, & inter Ethnicos, cuiuſmodi fuit Iacob cum filiabus Laban Ethnici, Aſſueri cum Ester, Salomonis cum filia Pharaonis, & in ſtatu legis gratiæ D. Monicæ cum viro Pagano, quæ tamen non fuerunt reprobata tanquam irrita.

**Eijcitur non eſſe de iure naturæ.**

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia nullum eſt ius poſitiuum diuinum aſſignabile per quod irritentur huiuſmodi matrimonia; nam vel conſiderantur iura appoſita in ſtatu legis ſcriptæ, vel legis naturæ, vel iura in ſtatu legis gratiæ; ſi conſiderentur priora iura, vel tantum prohibent, non irritant, & ſi quandoque irritare videantur, vt Eſdræ primo c. 9. & 10., vbi ſeparati ſunt Hæbręi à coniugibus infidelibus, quas duxerant, hæc important ſolummodo præceptum iudiciale, vel ceremoniale, quod morte Chriſti ſimul cum alijs huiuſmodi præceptis expirauit; Si conſiderentur poſteriora iura ſcilicet ſtatus gratiæ, certum eſt in lege noua nullum eſſe præceptum poſitiuum diuinum præterquam fidei, & ſacramentorum; quamvis autem matrimonium fuerit à Chriſto Domino eleuatum ad eſſe ſacramenti, non tamen aliquid fuit immutatum, quod ad ius naturę pertineret, nec aliquid fuit ſtatutum, quo matrimonium fidelis cum infideli irritaretur; Neque obeſſe poteſt dictum *D. Pauli ſecunda ad Corinth. 6. - Ibi - Nolite ducere iugum cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras, aut quæ pars fidelis cum infideli?* quem textum D. Hieronimus lib. 1. ad Iouinianum, & Epiſtola ad Geruntiam intelligit de nuptijs fidelis cum infideli; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille textus præciſe prohibet matrimonium fidelis cum infidele, non autem irritat contractũ, cum verba id non ſonent.

**Ius diuinũ non eſt aſſignabile.**

Ratio tertiæ partis de iure poſitiuo Eccleſiaſtico patet ex dictis in probatione præcedentis aſſertionis; in qua propterea non eſt immorandum.

6 **Infideles, qui contraxerunt in infidelitate ſi conuertantur ad fidem non ſunt ſeparandi.**

Aſſertio III. Infideles, qui contraxerunt matrimonium in infidelitate non ſunt ex eo capite præciſe ſeparandi, quod matrimonium inierint in infidelitate, & poſtea fuerint conuerſi, ſed poſt conuerſionem debent in coniugio illo permanere. Conſentiunt communiter *DD.* Catholici.

Dixi, *ex eo capite præciſe*, nam ſi matrimonium illorum fuerit inualidum iure naturæ, vel ex aliquo impedimento inducto per eorum leges, tunc certe erunt ſeparandi, niſi de nouo poſt fidem acquiſitam contrahant remoto quocunque impedimento. Dixi, *vel ex aliquo impedimento inducto per eorum leges*; nam communiter docent *DD.* poſſe Principes infidelium inducere impedimenta, & conſtituere formam, ſub qua celebretur contractus, & ſine qua ſit irritus; tunc etenim conſideratur, vt præciſe eſt in puro eſſe contractus, qui cadit ſub diſpoſitione iuris ciuilis *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 59. art. 3. Henriquez lib. 12. c. 13. nu. 1.*

Probatur iam aſſertio, quia in primis illud matrimonium initum pro tempore infidelitatis in ratione contractus validum eſt, & parit actiones nedum naturales, ſed etiam ciuiles; Deinde conuerſio vtriuſque ad fidem illud non irritat, ergo adhuc viget obligatio permanendi in illo coniugio, quod à fortiori euincetur ex ijs, quæ mox dicentur ſcilicet quando alter tantum conuertitur ad fidem non poſſe hunc recedere à coniugio, niſi perſeuerans in infidelitate nolit conuerti, vel cohabitare, ſine iniuria creatoris, ergo ſi vterque fuerit conuerſus ad fidem non fieri poterit ſeparatio.

7 **Per conuerſionẽ vnius ad fidẽ nõ ipſo iure diſſoluitur matrimonium, ſed poteſt diſſolui, ſi alter nolit cohabitare, ſine iniuria creatoris.**

Aſſertio IV. Si celebrato matrimonio in infidelitate alter conuerſus fuerit ad fidem catholicam, & baptizatus, & alter adhuc permaneat in infidelitate non ipſo iure diſſoluitur illud matrimonium, ſed poteſt diſſolui, ſi infidelis non vult cohabitare cum fideli conuerſo, vel non vult cohabitare ſine iniuria creatoris. Prima pars, quod ſcilicet ipſo iure non diſſoluatur eſt *D. Auguſtini lib. 1. de adult. in coniug. c. 18. contra Pollentium contrarium aſſerentem Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp.*

73 *num* 6. Secunda eſt Coninchi *diſp* 126. *dub.* 5. *num.* 58., & eſt communis inter catholicos. Tertia etiam pars eſt communis.

Ratio primæ partis deducitur *ex Apoſtolo pr. ad Corinth.* 7. vbi conſulit coniugi fideli, ne ab infideli diuertat, ſi infidelis velit cum ipſo cohabitare: hoc autem non ſubſiſteret, ſi per conuerſionem alterius ad fidem altero in infidelitate permanente ipſo iure diſſolueretur coniugium; vnde meritò conformiter ad hoc *Innocentius III. in c. gaudemus de diuort.* aſſerit *Per ſacramentum non ſolum coniugia, ſed crimina dimitti.*

Dictū Apoſtoli conſerens ad preſens inſtitutum.

Ratio ſecundæ partis deſumitur *ex eodem Apoſtolo prima ad Corint.* 7., vbi dicitur. *Si infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi &c.*, cum etenim fidelis non poſſit in ea hypotheſi habitare cum infideli æquum eſt, vt ab eodem poſſit recedere.

8

Nolente infideli cohabitare ſine iniuria creatoris poteſt conuerſus alias nuptias valide celebrare.

Ex ijs, quæ dicta ſunt in hac ſecunda parte fas erit colligere primo, quod ſi nolente infideli cohabitare cum fideli conuerſo, hic ad alia vota commigrauit cum alio fideli, vtique hæc ſecunda vota teneant, adeo vt poſſit, & idem infidelis ad alia vota tranſire, & ſi poſtea conuerſus fuerit ad fidem non poſſit hæc poſteriora vota, quæ iniuit prius fidelis conuerſus diſſoluere, Ratio eſt, quia tunc prius matrimonium cum infideli, qui renuit habitare cum fideli conuerſo, fuit valide diſſolutum, adeoque non poteſt amplius reuiuiſcere etiam accedente ſubſequente conuerſione alterius. Hic dubitant *DD.* quandonam diſſoluatur illud prius matrimonium, cum dictum fuerit non diſſolui ipſo iure per conuerſionem alterius ad fidem. Nonnulli aſſerunt ſtatim diſſolui, ac infidelis monitus renuerit cohabitare, vel noluerit habitare ſine iniuria creatoris, quod colligi videtur, tum ex eo, quod dicitur *in c. fin.* 28 *q.* 2. nempe *Contumeliam creatoris ſoluere ius matrimonij circa eum, qui relinquitur* cum ex eo, quod recitatur *à Gloſa in c quanto verb. contumelia de diuort.* nempe

Quandonā diſſoluatur matrimonium ex cōuerſione alterius ad fidem.

Sententia aſſerens immediate diſſolui, ac alter noluerit cohabitare.

*Spernas ſpernentem, vel blaſphemare volentem*

*Nam ſunt abſque mora ſic vincula rapta priora.*

Alij aſſerunt tunc tantum diſſolui prius matrimonium, quando aſſignato per Eccleſiam certo termino ad deliberandum, an infidelis velit cohabitare cum fideli, vel ſine iniuria creatoris, nihil hic deliberarit intra præfixum terminum. Probabilius ſentio prius matrimonium non diſſolui, donec fidelis tranſierit ad alias nuptias *D. Thomas in* 4. *diſt.* 39. *q unica art* 5. *ad ſecundum D Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *c* 6. *ad fin. Abulenſis pr. Regum c* 8. *q.* 36. *Scotus in* 4 *diſt.* 36. *q. unica art.* 4. *Valentia* 4. *part diſp.* 10. *q.* 1. *punct* 7. Deducitur *ex c. gaudemus ad fin. de diuort*, vbi ſic legitur. *Quod ſi conuerſum ad fidem, & illa conuerſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compelletur.* vbi nota primo, quod ſi compellitur recipere non intelligatur prius matrimonium diſſolutum; nota ſecundo, quod, cum textus dicat, quod ſi alter conuerſus fuerit, antequam prius conuerſus tranſierit ad alias nuptias, teneatur hic ad nouiter conuerſum redire, vtique indicet non diſſolui prius coniugium niſi per tranſitum ad ſecundas nuptias. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, ex hoc non euinci non eſſe diſſolutum prius matrimonium per conuerſionem alterius ad fidem altero permanente in infidelitate, ſed tantum euinci non contracto alio interim matrimonio per conuerſum ad fidem alterum debere, ſi conuertatur ad fidem, reſtitui quaſi iure poſt liminij, vt videtur colligi per textum *in c. cum per bellicam* 32. *q.* 3., vel ſi dicatur ſolum euinci, quod prius conuerſus ad fidem, ſi non tranſierit ad alia vota, teneatur nō ex vi prioris cōtractus ad nouiter conuerſum recipiendum, ſed ad nouiter contrahendum per nouum conſenſum cum eodem; Non, inquam obeſſe poteſt, quia ſuppoſito, quod immediatè ad conuerſionem alterius ad fidem diſſoluatur illud prius matrimonium, vt ſentiunt auctores huius inſtantiæ, iam extinguitur ius alterius permanentis in infidelitate, vnde vigere non poteſt ius poſt liminij, quod ſupponit perſeuerare ius in eo, cui facienda eſt reſtitutio, licet non vigeat, ſeu ſuſpendatur executio iuris propter abſentiam eius, qui poſt liminium reſtituendus eſt; Si igitur extinguitur ius alterius pernenentis in infidelitate, non eſt, cur alter eidem debeat reſtitui iure quaſi poſt liminij. Ad illud, quod ſubditur dicendum eſt nullum compellere poſſe ad contrahendum matrimonium cum determinata perſona, niſi ex propria promiſſione, vel ex proprio delicto, quod non euenit in caſu noſtro. Ad ea, quæ aſſerebantur pro prima ſententia dicendum eſt ea procedere non quoad diſſolutionem de facto, ſed quo ad ius diſſoluendi in conuerſo ad fidem per tranſitum ad alias nuptias.

Sententia aſſerens diſſolui elapſo termino aſſignato ab Eccleſia

9

Tunc diſſoluitur quando conuerſus tranſit ad alias nuptias.

Solutio argumentorum aduerſantium.

Secundo colligere fas erit, quod conuerſus ad fidem, ſi alter permanens in infidelitate præmonitus noluerit cum fideli conuerſo cohabitare ſimpliciter, vel ſine iniuria creatoris, poſſit tranſire ad Religionem, in ea profiteri, ſacros ordines recipere, vel votum caſtitatis emittere. Si enim poteſt aliud matrimonium inire, cur non poterit matrimonium ſpirituale contrahere. Solum circa hanc illationem non-

10

Conuerſus ad fidem altero nolēte cohabitare, ſine iniuria creatoris poteſt libere ad Religionem tranſire.

Digitized by Google

nonnulla remanent dubia diſſoluenda. Primum eſt, an ſi infidelis conuertatur, poſtquam fidelis iam profeſsus eſt, vel ſacris initiatus ſit reſtituendus eidem infideli nouitèr conuerſo. Secundum, an ſi infidelis conuertatur poſt ingreſſum alterius prius conuerſi in Religionem, ante tamen profeſſionem ſic ingreſsus, nondum tamen profeſsus, ſit illi reſtituendus. Tertium eſt, an prius conuerſo ad fidem profitente legitimè in Religione intelligatur prius matrimonium quoad vinculum diſſolutum. Quartum, an diſſoluatur tale vinculum, ſi prius conuerſus fuerit ſacris ordinibus initiatus. Quintum, an diſſoluatur, ſi ille emiſerit votum ſimplex caſtitatis.

**Dubia excitata.**

**11 Conuerſus ante monitionem factam infideli non poteſt ad Religionē tranſire.**

Ad primum præmittendum eſt fidelem prius conuerſum ante monitionem factam infideli, an velit cohabitare, & ſine iniuria creatoris, non poſse ad Religionem tranſire, nec ſacros ordines ſuſcipere *Sotus in 4. diſt. 39. q unica art. 1. ad fin. corporis dub 3.*, *D. Thomas in 4 diſt. 39 q. unica art. 5. ad quartum*, quo ſuppoſito dico poſt profeſſionem fidelem profeſsum non eſse reſtituendum infideli nouitèr conuerſo, *D. Thomas in 4 diſt. 39. q unica art 5 ad tertium*, *Albericus in ſuo dictionar. lit. I. verb. infidelis verſ. at conuerſus ad fidem*, *Raineruis 2. parte ſumma tit. de matrimon. cap. 21. Siluester verb. matrimon. 8. quaſt. 10. dict. 8.* Ratio ex eo deducitur, quià fidelis prius conuerſus ad fidem legitimè Religioni, vel ſacris ordinibus initiatus eſt, & infidelis debet ſibi imputare, quod tardè conuerſus fuerit, ſicuti debet ſibi imputare, ſi alius ex diutina ſua conuerſione ad alias nuptias tranſierit.

**12 Si infidelis conuerſus fuerit poſt profeſſionē alterius nō eſt hic illi reſtituendus.**

**13 Si conuertatur ante alterius profeſſionem hic eſt illi reſtituēdus.**

Ad ſecundum probabilius ſentiendum exiſtimo, ſi infidelis conuerſus fuerit ad fidem, poſtquam fidelis ingreſsus eſt Religionem, ſed ante profeſſionem, hunc eidem reſtituendum eſſe. Ita ſentit *Sanchez lib. 7. diſp. 76. n. 7. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 7. n. 10.* Ratio ex eo deducitur, quià ſtatus, in quo reperitur fidelis per ingreſſum in Religionem, ſed ante profeſſionem, non eſt repugnans, nec inducit incapacitatem ad permanendum in coniugio; Neque dicas, quod ex eo, quod infidelis præmonitus, an vellet cohabitare ſine iniuria creatoris, renuerit, acquiſierit ius fidelis non cohabitandi cum infideli, quo propterea acquiſito non poteſt amplius cogi ad cohabitandum, ea proportionali ratione, qua altero coniuge fornicante, ſi innocens ingreſſus fuerit Religionem non poteſt amplius reuocari non obſtante, quod adulterum pænituerit fornicationis commiſsæ; contra enim impugnaberis, quià vinculum coniugii inter infidelem, & fidelem conuerſum ad fidem non diſſoluitur, niſi per ſtatum ab eodem conuerſo acquiſitum repugnantem ſtatui coniugali, cuiuſmodi eſt aliud matrimonium initum per verba de præſenti, ſeù ſolemnis profeſſio emiſsa in Religione, non autem ingreſsus præciſè in eandem Religionem, quinimmò nec ſponſalia inita cum alia perſona, ergò, ſi perſeuerat adhuc vinculum, non erit, cur non ſit reſtituendus; Neque paritas in inſtantia adducta aliquid euincit, quandòquidem fornicatio, licet non diſſoluat vinculum coniugale, tribuit tamen ius innocenti reſiliendi in perpetuum à cohabitatione cum adultero; infidelitas verò alterius coniugis non tribuit ius fideli reſiliendi in perpetuum à cohabitatione cum infideli, ſed dumtaxat quouſque ille, vel nolit cohabitare, vel ſine iniuria creatoris, vel fidelis non elegerit ſtatum repugnantem cum ſtatu coniugali, qui eſt ſtatus matrimonialis nouus, vel Religionis actu profeſsæ, non incohatæ, & in via.

**Proponitur inſtantia, & ſimul diſſoluitur.**

**14 Per profeſſionē emiſſam à fideli dirimitur abſolutè vinculum coniugale cum infideli.**

Ad tertium aſserendum eſt, per illam profeſſionem emiſsam à fideli in Religione approbata dirimi abſolutè vinculum coniugale cum coniuge infideli *D Bonauentura in 4. diſt. 39 art 2 q. 2. Angles Floribus prima part. vbi de matrimon. q 12. art. 2. dub. 7. concl. 1. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimon. c. 53. verſ ſed grauius, Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 7. num 10.* Ratio ex eo deducitur, quià nemine reluctante per profeſſionē in Religione legitimè emiſsam diſſoluitur prius matrimonium ratum inter fideles, ergò etiam matrimonium conſummatum tempore infidelitatis, quandòquidem iſtud nec ratum dicitur per textum *in c. quanto de diuort.*, Neque obeſse poteſt, ſi dicatur Chriſtum Dominum ſolum conceſſiſse hoc priuilegium fideli conuerſo ad fidem diſſoluendi prius matrimonium initum cum infideli, & tranſeundi ad alias nuptias cum fideli ad eum præciſè finem, ne fidelis conuerſus cogeretur vitam cælibem ducere, adeoque ſolum in ordine ad aliud matrimonium, non autem in ordine ad profeſſionem in Religione, quandòquidem tunc non militaret finis à Chriſto intentus non cogendi fidelem ad ſeruandam vitam cælibem; Non, inquam, obeſse poteſt, quià eo ipſo, quod eidem fideli conuerſo ad fidem conceſsum eſt poſse diſſoluere prius matrimonium, quantumvis conſummatum, per aliud ſubſequens videtur eidem conceſsum poſse illud etiam diſſoluere per profeſſionem in Religione, quandòquidem plura conceduntur in ordine ad profeſſionem, quæ non conceduntur in ordine ad aliud matrimonium, ſic prius matrimonium ratum inter fideles dirimitur per ſubſequentem profeſſionem, quod non dirimitur

**Conceſſo poſse tranſire ad alias nuptias intelligitur etiam conceſſum poſse tranſire ad Religionem.**

per ſubſequens matrimonium, quantumvis conſummatum; nec verum præcisè eſt, quod illud priuilegium fuerit conceſſum ex illo fine, ſed conceſſum eſt, vel in ordine ad illum finem, ſi fidelis nolit vitam cælibem ducere, vel in ordine ad perfectiorem ſtatum, ſi velit vitam cælibem conſeruare, nam, ſicuti Chriſtus Dominus in matrimonio rato inter fideles conceſſit tranſitum ad perfectiorem ſtatum Religionis, ita conceſſiſſe præſumendus eſt in matrimonio conſummato inter infideles, ſi alter conuerſus fuerit ad fidem, & nolente altero infideli cohabitare ſine iniuria creatoris decernat eligere, & de facto per profeſſionem eligat perfectiorem ſtatum Religionis. Ex quibus habes, quod infidelis poſt ſolemnem profeſſionem alterius, quantumvis & ipſe conuerſus fuerit, poſſit ad alia vota tranſire, quia per profeſſionem alterius coniugis matrimonium primum non intelligitur præcisè ſuſpenſum, ſed abſolutè ſublatum.

15 Si non præmonito infideli fidelis tranſierit ad Religionem, in ea profeſſus fuerit non intelligitur diſſolutum vinculum coniugale.

Si verò inquiras, quid dicendum ſit, quando fidelis prius conuerſus ad fidem tranſijt ad Religionem, in eaque profeſſus eſt non præmonito prius altero infideli, an vellet cohabitare ſibi, & ſine iniuria creatoris, an ſcilicet, ſi ille conuertatur poſt profeſſionem, intelligatur diſſolutum matrimonium, & profeſſus non poſſit reuocari. Crediderim abſolutè in ea hypotheſi, & matrimonij vinculum non eſſe ſublatum, & profeſſum poſſe reuocari. Ita in ſimilibus terminis de tranſeunte ad ſecundas nuptias non præmonito priori coniuge infideli docent *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 5. ad quartum, Abulenſis primo Regum 8. q. 30. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 8. n. 5. in comment. lit. S. nu. 5. Toletus lib. 7. ſumma c. 7. nu. 2. Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 59. art. 4. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia fidelis conuerſus ad fidem ius tantum habet diſſoluendi prius matrimonium cum infideli, quando alter non vult cohabitare cum ipſo, vel non vult habitare ſine iniuria creatoris, ſed ad hoc neceſſarium eſt, vt infidelis præmoneatur, alioquin ſemper excipere poſſet, quod ipſe non renuerit cohabitare, ergò &c.

16 Per tranſitum ad ſacros ordines non diſſoluitur vinculum coniugale.

Ad quartum dicendum eſt, quantumvis initiatus ſacris ordinibus non ſit reſtituendus alteri nouitèr conuerſo ad fidem, non tamen intelligi prius matrimonium quoad vinculum diſſolutum. *Angles Floribus prima part., vbi de matrimonio qu. 12. art. 2. dub. 7. concl. 2. Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 59. art. 5. dub. vnico concl. 7. Ludouicus Lopez 2. parte inſtruct. vbi de matrimon. c. 53. verſ. ſed grauius.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod infidelis præmonitus, an vellet cohabitare cum fideli conuerſo, & ſine iniuria creatoris renuerit, vndè ex quo fidelis conuerſus fuerit initiatus ſacris ordinibus ius acquiſiuit in ijs, quæ ſunt ex diſpoſitione iuris annexa eiſdem ſacris ordinibus perſeuerandi, ſicque infidelis nouitèr conuerſus debet ſibi imputare, quod ſibi non præcauerit conſentiendo intra tempus cohabitationi, & ſine iniuria creatoris; & in hac conſentiunt *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 5. ad quartum, Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 8. tit. 21. art. 2. q. 11. Rainerius 2. part. ſumma tit. de matrim. c. 21., & Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 76.* teſtatur neminem ab hoc aſſerto diſcrepare. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia fortius eſt vinculum coniugale ortum ex matrimonio rato inter fideles, quam vinculum ortum etiam ex matrimonio conſummato inter infideles, ſiquidem illud habet non ſolum rationem inuiolabilis contractus, ſed etiam rationem ſacramenti, quæ maius robur habet, ſed matrimonium ratum inter fideles non diſſoluitur, niſi per profeſſionem ſolemnem in Religionem, non autem per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, ergò nec matrimonium conſummatum inter infideles. Ratio, cur non diſſoluatur vinculum coniugale.

17 Non diſſoluitur per ſimplex votum caſtitatis emiſſum à conuerſo ad fidem.

Ad quintum etiam aſſerendum eſt, non diſſolui prius matrimonium per ſimplex votū caſtitatis emiſſum per fidelem conuerſum ad fidem, non tamen poſſe compelli fidelem ſic conuerſum, & vouentem ad cohabitandum cum infideli nouitèr conuerſo poſt tale votum *Sanchez quem ad vtramque partem lib. 7. diſp. 76. n. 6., & 12.* Ratio primæ partis eſt, quia coniugium iam initum non eſt diſſolubile per ſimplex votum caſtitatis, vt alibi latè probauimus. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia votum illud fuit emiſſum pro tempore habili, pro quo ſcilicet infidelis renuit cohabitare, vel ſimpliciter, vel nonniſi cum iniuria creatoris, ſicque infidelis debet ſibi imputare, quod ſibi non præcauerit conſentiendo cohabitationi.

Ratio tertiæ partis aſſertionis deducitur ex verbis *D. Pauli prima ad Corinth. 7.*, vbi ſic habet. *Si infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi &c*, & ratio indè deducitur, quia cum fidelis in ea hypotheſi non poſſit cohabitare cum infideli, æquum non eſt, vt maneat obligatus ſaltem ex priuilegio diuino expreſſo per Apoſtolum *loc. cit.* Si autem inquiras, quandònam intelligatur infidelis nolle cohabitare ſine iniuria creatoris, reſpondebo tunc eſſe, quando infidelis compellit fidelem ad peccatum, quandò non vult audire nomen Dei, & Chriſti, niſi cum deſpectu, quando nomen Dei blaſphemat, & quandò impedit, quominus Deo, & Chriſto per familiam debitus honos, & cultus exhibeatur *Valentia tom. 4. diſp. 10. q. 1. puncto 3. Henriquez lib. 11.* Quandònam dicatur infidelis nolle cohabitare ſine iniuria creatoris.

Digitized by Google

*lib.11.c.8.*, & expreſſè colligitur *ex c. quanto, & ex c. gaudemus de diuortijs*.

Hic alia ſuboritur difficultas, an fidelis poſſit diſſoluere coniugium initum pro tempore infidelitatis cum infideli, & conſummatum, quando ipſe infidelis vult cohabitare, & ſine iniuria creatoris, non tamen vult conuerti. Probabilius ſentio fidelem non poſſe diſſoluere, nec peccare cohabitando, quamuis non teneatur cohabitare *D. Thomas in 4. q. vnica art. 5. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 1. D. Antoninus 3 part. tit. 2. c. 6. not. 3. Abulenſis pr. Reg. 8. q. 30. Toletus lib. 7. ſummæ c. 7. num. 3. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 1. punct. 7. Nauarrus in ſumma c. 22. num. 49.* Colligitur expreſſè ex verbis Apoſtoli prima ad Corinth. 7., vbi ſic habet. *Nam cæteris Ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam, & ſi qua mulier virum habet infidelem, & hic conſentit habitare cum illa non dimittat illum*, vbi, cum Apoſtolus aſſerat, quod non dimittat illam, vel illum reſpectiuè, vtique videtur aſſerere, vinculum coniugale adhuc vigere, & cum dicat, *nam cæteris ego dico. Non dominus*, vtique videtur ſolummodo inferre conſilium de non dimittendo quoad habitationem, & ſuppónere non poſſe dimittere quoad vinculum coniugale; quod fortius videtur colligi ex alijs verbis Apoſtoli in eodem textu. *Si infidelis diſcedit diſcedat*, vbi tantum videtur innuere, poſſe fidelem diſſoluere coniugium, quando infidelis diſcedit, hoc eſt non vult cohabitare, hocque indicare etiam videtur verba ſupra allegata *Innocentij III. in cap. gaudemus de diuortijs*, vbi ſic habet. *Cum per ſacramentum baptiſmi non ſoluantur coniugia, ſed crimina dimittatur*, quod idem habetur *in c. quanto eod. tit.*, vbi ſic legitur. *Si alter infidelium coniugum ad fidem catholicam conuertatur altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare volenti; qui relinquitur, ad ſecunda ſi voluerit vota tranſibit, & in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus ſi infidelis diſcedit, diſcedat, frater enim, vel ſoror non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi, & canonem, in quo dicitur Contumelia creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur*, vbi cum facultas diſſoluendi matrimonium reſtringatur dumtaxat ad caſum, quo infidelis non vult cohabitare, vel non niſi cum contumelia creatoris, videtur non extendi, quando vult habitare, & ſine iniuria eiuſdem creatoris; Nec in hoc audiendi ſunt aliqui aſſerentes hæc, quæ dicũtur, tam ex Apoſtolo, quam ex allegatis textibus canonicis verificari ſolummodo pro tempore primitiuæ Eccleſiæ, in quo cum crebræ fierent conuerſiones, æquum erat, vt fideles conuerſi non ſeparentur ab infidelibus, niſi in negatione cohabitationis; non autem in modernis temporibus, in quibus non adeo frequens occurrit conuerſio, & in quibus interdicta eſt cohabitatio; Non, inquam audiendi ſunt, quia huiuſmodi matrimonia ſolum diſſoluuntur ex priuilegio Chriſti Domini manifeſtato per Apoſtolum; Apoſtolus autem ſolum exprimit quando infidelis non vult cohabitare, vel non niſi cum contumelia creatoris; non aliter, nec alio modo, nec conſtat aliam factam eſſe Eccleſiæ reuelationem; Quod ſi repetas hanc reuelationem talis priuilegij Chriſti Domini ſufficienter haberi in verbis eiuſdem Apoſtoli; *Frater enim, vel ſoror non eſt ſubiectus in huiuſmodi &c.* eſſet autem ſubiectus, ſi non poſſet diſſoluere matrimonium, ſed teneretur in eodem permanere, quamvis non poſſet cohabitare; ſtatim impugnaberis, quia hac ratione, & pro temporibus primitiuæ Eccleſiæ potuiſſet fidelis conuerſus recedere à coniugio infidelis volentis cohabitare ſine iniuria creatoris, quandoquidem hæc ſubiectio etiam, de qua in inſtantia, tunc vrgeret. Quod ſi aſſeras, tunc non fuiſſe interdictum, quod modo viget, cum proceſſu temporis experientia compertum fuerit ex ea permanentia in coniugio cum infideli nõ modicum peruerſionis periculum ex illo coniugio imminere; contra adhuc impugnaberis, quia interdictum illud, quod modo viget, non poteſt eſſe, niſi, quoad cohabitationem, non autem vinculum coniugale, cum hoc ſolum poſſit diſſolui ex priuilegio Chriſti, quod in hoc caſu non reperitur conceſſum.

18 Conuerſus non poteſt diſſoluere matrimonium ſi infidelis velit cohabitare ſine iniuria creatoris, non tamen conuerti.

Variæ rationes oppoſitæ, earumq; ſolutiones.

Aſſertio V. Infidelis, quando alter ad fidem conuerſus eſt, non poteſt ad alias nuptias tranſire, donec fidelis, vel aliud matrimonium contraxerit, vel in Religione legitimè profeſſus fuerit; poteſt tamen tranſire poſt aliud matrimonium initum à fideli, vel poſt profeſſionem ab eodem emiſſam. Quoad primam partem *Riccardus in 4. diſt. 39. art. 2. q. 3 in ſolut. ad ſecundum Altiſiodorenſis lib. 4. ſumma tract. 9. c. 6 q. 1. in fine Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de conuerſ. infid in prima editione conſ. 1. nu. 10. in ſolut. ad ſecundum Sotus in 4 diſt. 39. q. vnica art. 4. Abulenſis pr. Reg. 8. q. 36.* Quoad ſecundam partem *Gloſa c. fin verb., & in matrimonium 28. q. 2. Durandus in 4. diſt. 39. q. 2. nu. 25, & ibi Ouandus diſp. vnica prop. 2. Vignerius lib. inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 9. impedimento 10.*

19 Infidelis poſt cõuerſionem alterius coniugis non poteſt ad alias nuptias trãſire donec fidelis, vel aliud matrimonium inierit, vel profeſſus fuerit.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia matrimonium infidelium eſt ex natura ſua indiſſolubile, niſi quando ex priuilegio Chriſti diſſoluitur altero ſe conuertente ad fidem altero nolente cohabitare ſine iniuria creatoris; ſed Chriſti priuilegium conceſſum eſt fideli, non infi-

deli

deli pertinaciter perſeuerãte in infidelitate; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, matrimonium non poſſe claudicare; claudicaret autem, ſi licitum eſſet fideli poſſe diſſoluere per contractum aliarum nuptiarum, & per profeſſionem legitimè emiſſam in Religione, non ſic infideli ad alias nuptias conuolare; Non inquam, obeſſe poteſt, quia nequit quidem matrimonium claudicare quoad vinculum coniugale, nam diſſoluto, ex parte vnius intelligetur etiam diſſolutum ex parte alterius, poteſt autem claudicare quoad obligationem cohabitandi, cum ſoli innocenti recedere liceat, ea proportionali ratione, qua in adulterio alterius coniugis permiſſum eſt innocenti recedere à cohabitatione, non autem adultero.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia per tranſitum fidelis ad ſecundas nuptias, ſeu ad Religionem per profeſſionem diſſoluitur abſolutè vinculum coniugale; matrimonium autem quoad vinculum coniugale ſolutum in nullo ſubſiſtit, cum nequeat per mox dicta claudicare, ergo &c.

20 **Quando alter conuerſus eſt, alter non, proles eũ ſequitur, quem maluerit, ſi doli ſit capax ſi vero non fuerit capax, ſequitur conuerſum.**

Aſſertio VI. Quando alter tantum ex coniugibus conuerſus eſt ad fidem altero permanente in infidelitate proles ex eo matrimonio ſuſcepta, ſi fuerit doli capax poteſt quemcunque parentem voluerit ſequi, ſi non fuerit doli capax ſequi debet conditionem eius, qui conuerſus eſt ad fidem. Ita in vniuerſum *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 4. ad quartum, quem ſequuntur omnes fere Theologi*, & eſt communis etiam apud iuris interpretes.

Ratio primæ partis ex eo deducitur. Quia profeſſio fidei debet eſſe omnino voluntaria, nec poteſt eſſe coacta in eo, qui nondum eam profeſſus eſt, nec baptiſmum ſuſcepit, quando eſt compos liberi aſſenſus, vel diſſenſus, ergo quando proles ſuſcepta ex tali matrimonio eſt capax doli non eſt compellenda ſequi parentem fidelem, ſed poterit quamcunque voluerit ſequi, hocque colligi videtur *ex c. de Iudæis 45. diſt.*

Ratio ſecundæ partis habetur *ex c. fin. in fin. de conuerſ. infid.*, qui textus videtur tantum extendi, quando Pater conuerſus eſt ad fidem, cæterum tam quoad Patrem, quam ad matrem habetur *in c. Iudæi 28. q. 1.*; & hoc etiam euincitur ex eo, quod vbi alter coniux eſt fidelis ius habet Eccleſia compellendi ipſum, vt puerum non doli capacem baptizet, vt decernitur *in Concil. Tolen. 4. c. 56.*; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod regulariter filius minor tribus annis educandus ſit penes matrem, maior autem apud Patrem per textum *in l. neque C. de patria poteſt.*; Non, inquam obeſſe poteſt, quia fauor fidei æquiualet patriæ poteſtati, immo præponderat, adeoque in cauſa fidei filius quantumvis minor trium annorum tradendus eſt Patri conuerſo ad fidem, non matri perſeueranti in infidelitate.

**Fauor fidei æquiualet patriæ poteſtati.**

---

## PRÆNOTIO XV.

### De Impedimento dirimente vis, & ligaminis.

### SVMMARIVM.

*De impedimento vis remiſſiue.* 1.

*Ligamen eſt vinculum prioris matrimonij, quo durante poſterius matrimonium eſt inualidum.* 2.

*In ſtatu legis gratiæ de iure poſitiuo diuino vetitum eſt contrahere matrimonium ſecundum durante primo, ſeu plures ſimul habere vxores.* 3.

*In ſtatu legis veteris vetitum erat eandem vxorem plures habere viros de iure naturali rigoroſo, non ſic eundem virum plures habere vxores.* 4.

*Nec de iure antiquo, nec nouo poterat Deus diſpenſare, vt eadem vxor plures poſſet habere viros, bene tamen, vt idem vir poſſet plures habere vxores; in nullo autem caſu poteſt Pontifex diſpenſare.* 5.

*Non poteſt contrahi ſecundum matrimonium ob mortem alterius niſi habeatur moralis certitudo de morte illius.* 6.

*Moralis certitudo ſufficientèr non habetur ex eo, quod coniux, de cuius morte agitur, fuerit abſens per multos annos.* 7.

*Nec ex eo, quod fama, & rumor percrebuerit de ipſius morte.* 8.

*Nec ex dicto vnius.* 9.

*Si habita morali certitudine mortis alterius alter ad ſecundas nuptias conuolarit reſtituendus eſt primo, ſi fuerit ſuperſtes.* 10.

*Enumerantur pœnæ contra poligamos.* 11.

DE hoc impedimento vix aliquid ſubdendum remanet, quandoquidem certum eſt nedum per coactionem, ſed etiam per metum cadentem in conſtantem virum diſſolui, & ſponſalia, & matrimonium, ſi metu fuerit talis, vt tollat legitimum conſenſum. Quandonam vero intelligatur eſſe talis metus, vt tollat voluntarium ſufficiens ad matrimonium ſecundum omnes caſus, & circumſtantias dictum eſt *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. Prænot. 5. Sect. 4. per totum*, quamobrem nõ eſt, cur hic immoremur, ea repetendo, cum etiam ſparſim plura dicta ſint ſub hoc eodem tit. de matrimonio, vt videre erit in Indice ſub verb. metus reſpectiue ad loca citata. Ijs igitur ibi ſuppoſitis, ad quæ vos remitto. 1 **De impedimento vis remiſſiue.**

Acce-

Digitized by Google

Difficultates circa impedimentum ligaminis.

Accedimus ad ea examinanda, quæ pertinent ad impedimentum ligaminis; circa quod inquiretur primo quid ſit propriè ligamen ſecundum præſens inſtitutum. Secundò, an & quo iure dirimat matrimonium. Tertiò, an & qua auctoritate diſpenſari poſſit. Quartò qualis certitudo requiratur mortis alterius coniugis adhoc, vt alter poſſit nouum matrimonium contrahere. Quinto, quid efficiendum ſit, ſi habita morali certitudine contingat coniugem, qui defunctus credebatur, ſuperſtitem eſſe, & viuere, & quid in hac hypotheſi ſentiendum quoad filios, qui fortè ſuſcepti ſunt ex ſecundo matrimonio, dum prius præſumebatur ſolutum ex morte præſumpta alterius coniugis. Sexto, quænam ſint pœnæ contrahentium poligamiam, ſeù ſcientèr contrahentium ſecundùm matrimonium ſubſiſtente primo.

2 Definitio ligaminis.

Aſſertio I. Ligamen eſt vinculum prioris matrimonij, quo durante poſterius matrimonium eſt inualidum. *Perez de impedimento ligaminis, Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 6. nu. 1. Sanchez lib. 7 diſp. 80. num. 1., & omnes conſentiunt, Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 10. nu. 1.*

Non difficilem habet aſſertio probationem, ſi ad eius particulas attendamus. Dicitur *vinculum prioris matrimonij*, ex quibus particulis duo inferuntur; primo ligamen inducere vinculum quoddam, quo obſtrictus non poſſit alias nuptias contrahere; Secundo eſſe vinculum non ex præciſis ſponſalibus illatum, ſed ex matrimonio; ſed an hoc matrimonium, ex quo oritur illud vinculum, debeat eſſe conſummatum, an vero ſufficiat, quod fuerit ratum, & per verba de præſenti celebratum ſentio ſufficere, ſi fuerit ratum *Silueſter verb. matrimonium 8. q. 13. n. 13. Bonacina de matrimon. q. 3 punct. 10. num. 5.* hocque expreſſè colligitur *ex c. licet de deſponſat. duor.* nam ſic coniunctus ſi cum alia concumberet, eſſet non ſimplicitèr fornicator, ſed adulter, quià non ſolum ſacramenti leges violaret, ſed etiam fidem alteri obligatam per verba de præſenti, ex quo etiam ſequitur, quod, ſi permanente primo matrimonio rato fuerit initū ſecundum, hocque conſummatum, hoc non dirimat primum, ſed ſit omninò inualidum. Dicitur: *quo durante poſterius matrimonium eſt inualidū*, ex quibus etiam particulis duo inferuntur; primum inſubſiſtentia ſecundi matrimonij durante primo; ſecundum diſcrimen, quod intercedit inter poligamiam, & bigamiam non ſolum quoad naturam, ſed etiam quoad effectus; quoad naturam, quià poligamia appellat ſecundum matrimonium contrahi perſeuerante primo, & quem habere plures coniuges ſimul; bigamia verò appellat quidem plura matrimonia; ſed non ſimul, ſed vnum poſt alterum, ſeù altero diſſoluto, & plures coniuges non ſimul, ſed ſucceſſiuè; Quoad effectus, quià in poligamia ſecundum matrimonium durante primo eſt omninò inualidum, in bigamia verò diſſoluto primo per mortem alterius coniugis ſecundum omninò tenet.

Explicatur definitio ligaminis.

3 De iure poſitiuo diuino vetitum eſt contrahere ſecundum matrimonium durante primo in ſtatu legis gratiæ.

Aſſertio II. *In* præſenti ſtatu legis gratiæ de iure poſitiuo diuino vetitum eſt contrahere matrimonium ſecundum durante primo, ſeù plures ſimul habere vxores; in ſtatu verò legis veteris vetitum quidem erat eandem vxorem habere plures viros ſimul de iure naturali diuino rigoroſo; eundem verò virum habere plures vxores ſimul erat quidem vetitum de iure naturæ non tamen ita rigoroſo, prout innititur primis principijs eiuſdem naturæ, ſed prout congruit ipſi naturæ. Prima pars eſt communiſſima apud catholicos aduerſus Caietanum in primam ad Timoth. 3 ſecunda pars *eſt D. Auguſtini lib. 3 de doctrina Chriſtiana c. 12., & lib. de bon. coniug. c. 17. D. Thomas in 4. diſt. 33. qu. 1. art. 1. ad ſeptimum.* Tertia pars eſt eiuſdem, *D. Thoma loc. cit. in corpore, D. Antonini 3. part. tit. 14. c. 10. §. 1. Valentia 4 part. diſp. 10. q. 1. punct. 3 verſ. quinto, Bellarmini lib. 1 de matrimon. c. 11. propoſ. 1.*

Prima pars expreſſè definitur à *Concil. Trident. ſeſſ. 24. de matrimonio can. 2.*, vbi ſic habet. *Si quis dixerit licere Chriſtianis ſimul plures habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Si autem inquiras, vndenam deſumatur hoc ius poſitiuum diuinum prohibens huiuſmodi matrimonia ſimul, ſeù pluralitatem vxorum, dicas deſumi ex illo Matthæi 19. *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur*; ſi etenim mechatur dimiſſa priori vxore aliam ducendo, à fortiori mechabitur eadem retenta aliam ſibi copulando; Neque audiendus eſt Caietanus, dum explicat hunc textum relatiuè *ad c. 10. Marci. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit adulterium committit ſuper eam*, quaſi quod aſſerat ſic dimittentem non eſſe in ſe adulterum, ſed eſſe talem erga vxorem iniuſtè dimiſſam; Non, inquam, audiendus eſt, quià ex illo textu Matthæi 19. Innocentius III. *c. gaudemus de diuortijs* infert prohibitionem Chriſti Domini de pluralitate vxorum ſimul; atque hæc illatio cum interpretatione Innocentij communitèr recipitur tàm à Theologis, quàm à iuris canonici interpretibus.

4 In iure veteri vetitū erat eādē vxorem habere plu…

Secunda pars deducitur ex doctrina *D. Thoma in 4. diſt. 33. q. 1. art. 1. ad ſeptimum* nempe eandem vxorem plures habere ſimul viros eſſe contra prima precepta iuris naturæ, quandòquidèm aduerſatur pri-

res viros de iure rigoroſo naturæ, non ſic eundem virum habere plures vxores.

primariò fini à natura intento in contractu matrimonij, quem vt plurimum tollit, vel ſaltem multum impedit, & etiam ſubſequentibus ex natura ſua ad matrimonium, ergò ex iure naturæ rigoroſo impeditur matrimonium vnius fœminæ cum pluribus viris. Antecedens quoad primam partem probatur, quià primarius finis matrimonij eſt generatio prolis ſaltem quoad actum primum, & ſubſequenter educatio eiuſdem, ſed generatio per commixtionem plurium virorum quoad eandem fœminam, vel regulariter tollitur, vel ſaltem magna in parte impeditur; experientia etenim conſtat ex tali plurium concubitu cum eadem, vel nunquam prolem progigni, vel non niſi rariſſimè, vt videre eſt in meretricibus, & ſi ſucceſſiuè, vt notat D. Thomas *loc cit* poſſint fieri cum eadem plures impragnationes, nunquam tamen fiunt, niſi cum corruptione vtriuſque fetus, vel ſaltem alterius. Quoad educationem autem manifeſtè patet, hanc non poſſe rectè contingere, quandò etiam contingeret generatio, & natiuitas prolis, ſiquidem proles illa eſſet incerta, reſpectu Patris, cuius cura neceſſaria eſt in educatione eiuſdem prolis, ergò &c.

Eundem virum plures habere vxores nō eſt contra prima principia iuris naturæ.

Tertia pars ex eo euincitur, quià eundem virum habere plures vxores ſimul, non eſt ex vno capite contra prima principia iuris naturæ, ex alio non congruit eidem naturæ; ſiquidem non repugnat fini primario matrimonij, qui eſt generatio, & ſubſequenter educatio, cum idem vir poſſit multas fœminas fœcundare, & filios ab vnaquaque progenitos educare, repugnat autem quodammodò fini ſecundariò, quandòquidem ex genere ſuo aduerſatur bono pacis, & tranquillitatis in familia conſeruandæ; cum etenim vxor non ſubdatur viro, vt famula, ſed vt ſocia, ſi plures admitterentur, hanc ſocietatem læderent, cum adinuicem hæ non ſe ſufferent, & odia potius fouerent, quam vinculum amicitiæ in eadem familia.

5 Vnam vxorem poſſe plures viros habere eſt à Deo indiſpenſabile, bene tamen virum habere plures vxores

Aſſertio III. De iure antiquo, nec Deus poterat diſpenſare, vt vna fœmina eſſet plurium virorum vxor, bene tamen, vt idem vir poſſet eſſe plurium fœminarum coniux; quod idem intellige de iure nouo; in nullo autem caſu poteſt Pontifex diſpenſare. Prima pars eſt *D. Auguſtini lib. 3. de doctrina Christiana c. 12., & lib. de bono coniug. c 17. D. Thomæ in 4. diſt. 33. q. 1. art. 1. ad ſeptimum*, ſecunda pars eſt *D. Thomæ in quarto diſt. 33. q. 1. art. 2. in corpore, Soti ibid quaſt 1 art. 2. verſ ſed dubitatur, Valentiæ 4. part. diſp. 10 q. 1. punct. 3.* Tertia pars eſt *Durandi in 4. diſt 33. q. 1. n 11. Abulenſis c. 19. Matthæi q. 36. Couarruuia 4. decret. 2 part c. 7. §. 3 n 1.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià eandem fœminam eſſe vxorem plurium virorum ex ſuperius probatis eſt contra prima principia iuris naturæ; in ijs autem, quæ ſunt contra principia iuris naturæ non poteſt Deus diſpenſare, ſecus non eſſent prima principia iuris naturæ

Rationes euincentes aſſertum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod habere plures vxores non eſt contra prima principia iuris naturæ, nec repugnat fini principali à natura intento in matrimonio, quandòquidem ex illis matrimonijs poteſt proles progigni, & vnus vir non ſolum aptus eſt plures fœminas fœcundare, ſed etiam proles ab eiſdem ſuſceptas educare; vnde merito *Innocentius III. in c. gaudemus de diuortijs*, & cum eo *Bellarminus lib. 1. de matrimon. cap. 11.* docent veteres Patres legis antiquæ ex diuina diſpenſatione non quidem conceſſa in aliqua externa ſcriptura, vel locutione, ſed per internas inſpirationes indicata Patriarchis, & ab eiſdem tranſfuſa in populum Iſraeliticum plures vxores habuiſſe. Verum tamen eſt modo, nec fideles, nec infideles poſſe vti ea diſpenſatione, quandòquidem Christus Dominus Matthæi 19 eandem reuocauit, & matrimonium reduxit ad terminos iuris naturæ *Sotus in 4. diſt 33. q. 1. art. 2 concl 3. Bellarminus lib. 1. de matrimon. c 11 ad fin Henriquez lib. 11. de matrimon c 2. n. 3. in comment. lit. M. Veracruz 2 part. ſpeculi art 18. concl. 2.*

Ex his eiſdem principijs euincitur reſpectiuè, quod non poſſit in lege ſtatus gratiæ à Deo diſpenſari, quod eadem mulier plures habeat viros, poſſit verò diſpenſare, quod idem vir plures habeat vxores, cum primum ſit contra prima principia iuris naturæ; ſecundum verò tantum ſecundum conſequentia, & minus principaliter intenta, & licet Christus Dominus caſſarit huiuſmodi diſpenſationem *Matthæi* 19. non tamen tranſtulit à ſe poteſtatem iterum diſpenſandi, ſi voluerit potiſſimum interuenientibus legitimis cauſis.

Nō tamen poteſt Pontifex diſpenſare vnum virū plures habere vxores.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quod Pontifex in lege naturali non poteſt diſpenſare, neque in ijs, quæ à Christo Domino interdicta ſunt, ſed quem habere plures vxores eſt contra legem naturalem non quidem, prout appellat prima principia, ſed conſequentia ad ipſa, & contra ius poſitiuum diuinum Matthæi 19 reuocans quamcunque diſpenſationem inductam antecedenter de iure diuino, & reducens matrimonia ad terminos iuris naturæ, ergò &c.

6 Nō poteſt contrahi ſecundum matrimonium ob

Aſſertio IV. Ad validè contrahendum ſecundum matrimonium ob mortem alterius coniugis requiritur certitudo moralis de morte eiuſdem coniugis, quæ ſufficienter non habetur ex eo, quod coniux, de cuius morte agitur, fuerit abſens

per

mortem alterius ni. ſi habeatur moralis certitudo de morte ipſius.

per multos annos, nec ex eo, quod rumor, & fama percrebuerit de eiuſdem morte, nec ex eo, quod vnus teſtis, vel nuntius deponat, niſi alia concurrant adminicula. Prima pars de certitudine morali requiſita ad validè contrahendum eſt *Soti in 4. diſt. 22. q. vnica art. 5. Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 46. num 6. Valentia tom. 4. diſp. 10. q. 2. punct. 2. Gutierez de matrimon. c. 51. num. 1.* Secunda pars de inſufficientia abſentiæ alterius coniugis ad multos annos eſt *Veracrux pr. part. ſpeculi art. 41. concl. 1. Sanchez lib. 2. diſp. 46. Silueſtri verb. matrimonium 8. q. 13. Nauarri c. 22. num 53. Gutierez c. 51. num. 3.* Tertia pars de inſufficientia rumoris, & famæ eſt *Gloſa in c. quoniam frequenter verb. præſumatur, vt lite non conteſtata, Tabiena verb. impedimentum imped. 10. q 2. num. 2. Nauarri in ſumma c. 22. nu. 53. Maſcardi de probat. concl. 1072. num. 4. D. Antonini 3. parte tit. 1. c. 9. in fine. Soti in 4. diſt. 37. q. vnica art. 5. verſ. in primis.* Quarta pars de inſufficientia vnius nuntij, ſeu vnius teſtis eſt *Bartoli in l. 2. § ſi dubitetur nu. 1. ff. quemadmodum teſta. ap. Manuelis pr. tom. ſumma in ſecunda edit. c. 233. num. 2. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 46. num. 12.*

7
Abſentia diutina alterius cõiugis nõ certo moralitèr infert ipſius mortem.

Prima pars facile ex eo euincitur, quia prius matrimonium ſtat in ſua poſſeſſione, in eaque debet manuteneri donec legitimè conſtet de ipſius diſſolutione per mortem alterius, ſed non legitimè conſtat de diſſolutione, niſi per moralem certitudinem de morte alterius, ergo &c. Accedit, quod vbi agitur de periculo animæ, & peccatorum in dubio ea pars eſt eligenda, ſecundum quam nullum animæ periculum viget, ſed nullum eſt periculum animæ abſtinendo ab alio matrimonio, illudque contrahendo periculum huiuſmodi viget, ergo, vbi non erit illa moralis certitudo, non poterit aliud matrimonium contrahi. Hic ſolummodo oritur difficultas, an tanta requiratur moralis certitudo, vt quis poſſit ex ſe nouum matrimonium contrahere ex præſumpta morte alterius coniugis; quanta requiritur, vt Eccleſia det facultatem illud contrahendi? Roſella *verbo impedimentum impediment. 12. num. 1., & 3. Silueſter verb. matrimonium 8. q 13. dict. 2., & 4. Phyliarcus de offic. Sacerd. tom 1. part. 2. lib. 2. c. 9.* exiſtimant maiorem requiri certitudinem moralem, quando Eccleſia dat facultatem contrahendi, & hoc ob auctoritatem, quę apponitur eiuſdem Eccleſiæ. Nihilominus probabilius eſt, tantam requiri certitudinem moralem, quando quis ex ſe conuolat ad alias nuptias, ac quando eidem per Eccleſiam tribuitur facultas ad eaſdem conuolandi *Abbas in c. quoniam §. porro num. 12., vt lite non conſtet. Coaruuias 4. decret. 2 part. c. 7. §. 3. num. 8. Soti in 4. diſt. 37. q. vnica art. 3. verſ. de hac vera certitudine*; hocque expreſſè videtur haberi *ex c. in præſentia de ſponſal. in fin.*, vbi ſic legitur. *Non poſſunt tales ad aliorum conſortium conuolare, & Eccleſia concedere talem facultatem, donec certum nuntium recipiant*, & hoc aſſertum potiſſimum fundatur in onere vitandi periculum animæ ob pericula, quæ inde poſſet obuenire, ſi alter coniux eſſet ſuperſtes.

Requiritur tanta certitudo quando quis ex ſe conuolat ad alias nuptias, ac quando cõuolat ex facultate Eccleſiæ,

Secunda pars ex eo euincitur, quod habetur *in auth. hodie C. de repudijs, & c. in præſentia de ſponſal.*, vbi dicitur ob nullam abſentiam, niſi alia mortis certitudo adſit, licere alteri coniugi ad alia vota migrare; Neque obeſſe poteſt textus *in l. uxores ff. de diuort.*, vbi præſcribitur quinquennium, vbi de mariti vita dubitatur, vt expectetur; quo elapſo poſſit vxor alteri nubere, nec textus *in l. vxor C. de repudijs*, in quo illud tempus reſtrictum eſt ad quadriennium: Non, inquam, obeſſe poteſt, quia huiuſmodi iura correcta ſunt per allegat. textum *in auth hodie, & in c. in præſentia.* Dixi *ex eo, quod coniux de cuius morte agitur, fuerit abſens per multos annos*; quod intelligendum eſt præciſe, ſi etenim alia, eaque valida concurrerent adminicula, non negauerim poſſe contrahi ſecundum matrimonium; quænam autem adminicula ſint ſufficientia cum abſentia longi temporis ad inducendam prudentem credulitatem de morte illius arbitrio iudicis remittendum exiſtimo, prout docet *Coaruuias in Epithom. part 2. c. 7. §. 3.*, quem alij communitèr ſequuntur, vt teſtatur *Bonacina de matrimon. q 3. punct. 10. num* 15. Vtrum vero in particulari ſit ſufficiens adminiculum, quod vir ingreſſus prælium non amplius per multum tempus comparuit, & fama percrebuit, quod mortuus fuerit, vel aliqui per literas nuntiauerint, quod ibi mortuus fuerit, probabilius ſentio ſufficiens eſſe *Rodriquez c. 233. num. 3. Bonacina de matrimon. q. 3 punct. 10. num.* 14. Ratio eſt, quia ingreſſus in prælium actuale cum tali abſentia diutina, ſummũ, & multorum relatione vehemens tribuit fundamentum rationabiliter iudicandi de morte.

8
Nec fama, nec rumor comprobãt ſufficientèr talem mortem,

Tertia pars ex eo deducitur primo, quod *in c. in præſentia de ſponſalib.* deſideratur certum nuntium de morte alterius coniugis; fama autem non importat certitudinem, cum proueniat ab incerto auctore, & vt plurimum deficiat per textum *in c. per veſtras de cohabit. Cleric.*, ſecundo quia fama ſine adminiculis non facit plenam probationem, nec maiorem, quam faciat vnus teſtis, ſed vnus teſtis, vt mox probabimus, non ſufficit, quia dictũ vnius eſt dictum nullius per textum *in l. iuris iurandi verſ. ſimili modo C. de teſtibus, & c. veniens in fin. de teſtib.*, ergo, nec fama quando alijs adminiculis non eſt ſuffulta.

Idem repetitur.



Digitized by Google

9 *Nec ex dicto vnius ſufficienter euincitur*

Quarta pars ex eo euincitur, quia in alijs cauſis ciuilibus, & etiam criminalibus dictum vnius omnino inſufficiens eſt iuxta textum *in d. l. iuris iurandi C. de teſtibus*, ergo à fortiori erit inſufficiens in cauſa matrimoniali, in qua vertitur animæ periculum, ſacramenti irritandi, & infamiæ in fæmina ſecundo nubenti cum ipſa. Quod ſi dicatur, quod in textu *in c. in præſentia de ſponſalib.* nil aliud requiratur, quã quod mors deferatur per certum nuntium, tunc reſpondebo; per ly certum nuntium non intelligi atteſtationem vnius tantum, ſed delationem certi nuntij, ſeu certæ denuntiationis iuxta formam iuris, quæ non habetur ex vnius tantum dicto: vnde ly *certum nuntium* importatur in genere neutro, non in maſculino: Deinde dato etiam, quod ſumeretur in genere maſculino importaret certitudinem, per ly *certus nuncius*, quæ non haberetur moraliter loquendo per vnius atteſtationem, niſi eſſet ſuffulta alijs adminiculis, ſeu rationibus conuenientibus.

Ex ſuppoſitione autem, quod vel vnius dictum ſufficeret, vel plures requirerentur in receptione eorundem teſtium, ſeruanda eſſet forma præſcripta à Sacra Congregatione Sanctæ Inquiſitionis tranſmiſſa ad omnes Epiſcopos, quæ per extenſum habetur quod *Ioannem Angelum Boſſium de matrimonij contract. c. 4 nu. 129. & ſeqq.*

10 *Si habita moral. certitudine mortis coniugis alter tranſierit ad ſecundas nuptias reſtituendus eſt primo, ſi fuerit ſuperſtes.*

Aſſertio V. Si habita morali certitudine compertum fuerit coniugem, qui mortuus credebatur, poſt ſecundum matrimonium ſuperſtitem eſſe, eidem reſtituendus eſt alter, qui tranſierat ad ſecundas nuptias derelicto eo, cui poſterius nupſerat *Valentia tom 4. diſp. 10. q. 2. punct. 2. Nauarrus c. 22. Henriquez lib 11. c. 15. num 13 Gutierez de matrimon c. 49. nu 35., & ſeqq. Bonacina de matrim q. 3 punct. 10 num. 17., & q 4. punct. 4. verſus fin. Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 41. num. 52.*

Ratio ex eo deducitur, quia viuente primo coniuge matrimonium primum remanet indiſſolubile, & vterque coniux ius retinet reſpectiuè in corpus alterius, & licet vnus contrahendo habita morali certitudine de morte alterius coniugis ſecundum matrimonium non peccarit, nihilominus habita poſteà certitudine de vita illius, qui credebatur mortuus, non poteſt permanere in ſecundo, tum quia contrahendo ſecundum intelligitur implicitè contraxiſſe ſub ea conditione, ſi primus coniux mortuus fuerit, & diſſolutum primum matrimonium; tum quia indiſſolubilitas primi matrimonij non ſoluitur, niſi morte naturali vera, & reali alterius, & hæc incompatibilis eſt cum quocunque alio matrimonio; Ex quibus habes, quod ſi illa vxor, quæ habita morali certitudine de morte viri alteri nupſit, poſtea fuerit certiorata de permanentia prioris coniugis, nec poſſit petere, nec reddere debitum ſecundo coniugi, ſed debere à quocunque actu coniugali cum illo deſiſtere, ſecus cum ſcientia adulteraret, quod impium eſt. Quod ſi ſupponas vxorem non eſſe penitus certioratam de exiſtentia coniugis, qui præſumebatur mortuus, ſed tantum dubitare, tunc non incongrue crederem non poſſe petere debitum, teneri tamen alteri petenti reddere *Siluester verb. matrimonium 8. q. 13. prope medium Bonacina de matrimon. q 2. num. 17.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia vbi agitur de periculo animæ in dubio tutior pars eſt eligenda, & per conſequens illa, cui nullum ſubeſt periculum, hocque videtur colligi *ex c. inquiſitioni de ſent. excom.* Ratio ſecundæ partis habetur ex eo, quod alter coniux habet ius petendi, quo non debet priuari per dubium alterius, niſi iſte doceat de inſubſiſtentia matrimonij taliter, vt alter trahatur ad prudentem credulitatem inſubſiſtentiæ eiuſdem.

*Indiſſolubilitas primi matrimonij non ſoluitur niſi per mortẽ veram, & naturalem alterius.*

Hinc etiam deduces, quod in hypotheſi, qua vnus coniux cum morali certitudine de morte alterius contraxit ſecundum matrimonium, in quo diu perſeuerauit, vſquequo conſtitit de permanentia primi coniugis, non computetur pro adultero, nec actus illi coniugales quos exercuit cum ſecundo coniuge, habeantur pro adulterijs, quantumvis etenim illud matrimonium: ſecundum non eſſet coram Deo verum matrimonium, ſecundum iura tamen humana, & ſecundum apprehenſionem contrahentium erat tale, nec poterat eiſdem imputari ad culpam. Deduces item filios, qui fortè procreati fuerint, ex illo ſecundo matrimonio perſeuerante prudenti credulitate de ſubſiſtentia eiuſdem non haberi pro ſpurijs, ſed ex diſpoſitione iuris pro legitimis cum iure ſuccedendi in bonis paternis non ſolum, quia procreati fuerunt ſine peccato, ſed etiam procreati pro tempore pro quo ſecundum prudens iudicium humanum ſubſiſtebat matrimonium.

*Filij procreati ex ſecundo matrimonio non eſſent adulteri.*

Aſſertio. Pœnæ, quæ poſt præceptum poſitiuum Chriſti Domini Mathæi 19. ex diſpoſitione Eccleſiaſtica ſunt irrogatæ contra Poligamos, potiſſimum hæ ſunt. 11

*Enumerantur pœnæ contra Poligamos.*

Prima, vt ſubdatur iuriſdictioni & cenſuræ Sacræ Inquiſitionis *Roias tract. de hæreticis part. 1. num. 540. Farinacius in addit. ſuis ad omnia eius opera ad quæſt. 140. ad num. 24. Matienzo lib 5. recop. tit 1. lib. 5. gloſ. 2. nu. 3.*, & quidem iure merito, quandoquidem poligami ſunt ſuſpecti de hereſi, videntur enim male ſentire de ſacramento matrimonij, & tenere licitum eſſe coniugium cum pluribus, ſeu ſimul plures ducere vxores *Lapus in c. accuſatus §.*

*ſane*

Digitized by Google

Poligami videntur ſuſpecti de hæreſi.

ſanè de hæret. in 6. Ioannes Lupus in repetit. c. per veſtras, §. 18 n.25. de donat. inter vir., & vxor. Secunda eſt, vt torqueatur ſuper intentione ad cognoſcendum, an plures duxerit credens licitum eſſe, an verò ſolummodò ad explendam libidinem; ſi etenim crediderit licitum eſſe puniendus erit tanquam hæreticus, ſi verò hoc præſtiterit ad explendam libidinem aliter erit puniendus. Ita in vniuerſum *Carena part. 2. de Poligamis tit. 5. §. 19. num 55., & 56.* Tertia, vt abiuret, vel de leui, vel de vehementi, prout fuerit, vel leuitèr, vel vehementèr de hæreſi ſuſpectus, vt docet idem *Carena loc. cit. §. 11. per totum.* Quarta eſt, vt poligami condemnentur ad triremes per quinquennium, vel ſi falſos produxerunt teſtes ad probandam mortem prioris coniugis ad ſeptennium, prout late docent idem *Carena cit. pluribus DD. loc. cit. §. 12*, vbi alias aſſignat pænas, quem vos conſulere poteritis.

---

## PRÆNOTIO XVI.

### De Impedimento Ordinis.

### *SVMMARIVM.*

*Minores ordines non dirimunt, nec impediunt matrimonium.* 1.

*Suſcipiens ſponte ſacros ordines ex voto obligatur ad continentiam, non ex mero præcepto.* 2.

*Suſcipiens ſacros ordines ignorans eiſdem eſſe annexum votum caſtitatis, ſi fuerit adultus, tenetur ad tale votum.* 3.

*Suſcipiens ſcientèr, & liberè ſacros ordines cum expreſſo tamen animo non ſe obligandi ad votum obligatur ad votum.* 4

*Qui ſuſcepit ordines inualidè ex defectu quocunque ſubſtantiali non obligatur ad votum.* 5.

*Nec, ſi inualidè ſuſceperit ex defectu poteſtatis in conferente.* 6

*Suſcipiens ſacros ordines per vim, vel metum non obligatur ad votum, niſi ceſſante vi, vel metu illum ordinem ratum habuerit.* 7.

*Puer ordinatus ante vſum rationis non obligatur ad votum, tenetur tamen poſt vſum rationis, vel caſtitatem profiteri, vel ab vſu ordinum abſtinere.* 8.

*Ordo ſacer validè, & ſine graui metu ſuſceptus ſolo iure Eccleſiaſtico dirimit ſubſequens matrimonium.* 9.

*Licitum eſt clerico in minoribus conſtituto per ſe contrahere matrimonium.* 10.

*Si clericus in minoribus conſtitutus obtinuerit beneficium, & poſtea contraxerit matrimonium ipſo iure priuatur beneficio.* 11.

*Intellige, quandò contraxit per verba de præſenti, non per verba de futuro.* 12.

*Si poſt adeptum beneficium contraxerit matrimonium, ſed inualidè ipſo iure non priuatur beneficio, ſed eſt ſpoliandus per Iudicem.* 13.

*Priuatur item ipſo iure penſionibus datis in titulum.* 14.

*Per coniugium priuatur beneficijs clericalibus niſi ſeruet conditiones à iure præſcriptas.* num. 15.

CErtū eſt minoribus ordinibus initiatum poſſe validè contrahere matrimonium, quinimmò etiam licitè, cum eiſdem non ſit annexum votum caſtitatis, nec ſolemne præceptum eiuſdem per textum *in cap ſi quis eorum diſt. 32.*, an verò poſſit Eccleſia diſponere, quod eiſdem ordinibus minoribus ſit adnexum impedimentum, vel impediens, vel dirimens reſpondet *Sanchez lib. 7. diſp. 31. num. 3.* poſſe quidem inducere, adeo vt afficiat eos, qui ſubſequentèr ſunt ordinandi, non autem eos, qui iam antecedentèr fuerant ordinati. Difficultas potiſſimum procedit de initiatis ſacris ordinibus, quibus adnexum eſt, vel ſolemne votum caſtitatis, vel ſolemne præceptum eiuſdem, & primo inquiretur, an ſacris ordinibus ſit votum annexum, vel tantum præceptum Eccleſiaſticum; ſecundo, an ſi quis ſacris ordinibus initietur ignorans eiſdem eſſe annexum, vel votum, vel præceptum caſtitatis poſſit non obſtante ſuſceptione talium ordinum validè nubere. Tertio, an, ſi voluerit ſacros ordines ſuſcipere habuerit tamen animum expreſſum non ſe obſtringendi voto caſtitatis poſſit matrimonium contrahere. Quarto, an ſi ſuſceptio ſacrorum ordinum fuerit inualida, vel quia habita fuit à non verò Epiſcopo, vel defecerit aliquod ſubſtantiale adhuc dirimat ſubſequens matrimonium. Quinto, an Romanus Pontifex poſſit diſpenſare, vt ſacris initiatus poſſit nubere, & qui primo nupſerat poſſit ſacris initiari ſine diuortio à coniuge. Sextò, an ordo ſacer dirimat matrimonium, & quo iure, Septimo, quid dicendum ſit de ordine ſacro ſuſcepto per vim, vel per metum, & quid de ſuſcepto ante vſum rationis, vel ante decimum ſextum annum. Hac eadem occaſione relatiuè ad ordines minores inquiretur, an peccet clericus, qui poſt ſuſceptos ordines minores, tranſit ad nuptias; vlterius, an ſi nubat poſt ſuſceptos ordines minores amittat beneficia Eccleſiaſtica ipſo iure, & an penſiones inſtar beneficiorum, & quid ſi contractus matrimonialis fuerit irritus, & an amittat priuilegia clericalia.

1 Minores ordines nõ dirimunt, nec impediunt matrimonium

Articuli examinandi circa titulum.

Aſſertio I. Probabilius eſt ſuſcipientem ſpontè ſacros ordines ex voto obligari ad continentiam, non ex mero præcepto

2 Suſcipiens ſpontè ſacros ordines obligatur ex voto ad continentiam, non ex mero præcepto.

Eccleſiaſtico *D. Thomas in 4. diſt. 37. q. 1. art. 1. in corpore, Abulenſis in c. 5. Matthæi q 200. paulò poſt princip. Sotus lib. 6. de iuſt. q 4 art 2. verſ de tertia propoſitione, Metina lib. 5. de ſacror. hom. continentia c. 2., & ſeqq. Toletus lib. 4. ſumma c. 17. n. 21 Gloſ. c. coniugatus verb. continentiam de conuerſ. coniug. Hoſtienſis in ſumma tit. de ætat., & qualit. n. 5. verſ. ſed nunquid conditionalitèr, Specul. tit. de ſtatu monachi* §. *vlt n. 24.*

Ratio ex eo deducitur, quià poteſt Eccleſia nolle conferre ordinem ſacrum, niſi poſita conditione, vt ſuſcipiens voueat continentiam, nam quilibet in rei ſuæ traditione poteſt legem apponere *l. in traditionibus, ff de pactis*, ſicque, qui ſuſcipit ordinem ſacrum voluntariè, debet etiam voluntariè intendere votum coninentiæ, & caſtitatis; ſed Eccleſia de facto non vult, vt ordo ſacer conferatur, niſi ſuſcipiens votum caſtitatis emittat, vt habetur *in c. 1. diſt. 28.*, vbi habetur *nullum facere Diaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit*, vbi ſecundum Gloſam intelligitur, vel de expreſſa, vel de tacita promiſſione, & hoc idem hàbetur *c. 10 ead. diſt.*, ergò &c., & hinc facilè erit reſpondere ad rationem contrariæ ſententiæ, qua dicitur, votum eſſe legem priuatam, quam quiſque ſibi conſtituit ex propriæ voluntatis arbitrio, ad quam propterea Eccleſia non poteſt compellere, licet per præceptum poſſit ad eandém obligare; facilè, inquam, erit reſpondere, quià in primis poteſt dici, quod vnuſquiſque, legem continentiæ ex propriæ voluntatis arbitrio ſibi conſtituat ex eo, quod liberè velit ordinem; nam tunc ſequitur, quod etiam liberè velit ea, quæ ſunt, vel ex natura ſua, vel ex diſpoſitione Eccleſiæ annexa eidem ordini. *D*eindè dici poteſt, quod non repugnet, quod votum poſſit conſiſtere in lege communi non quidem præcisè ſecundum ſe, ſed prout in particulari ſibi applicatur per perſonam particularem, vt euenit in hac hypotheſi. Neque obeſſe poteſt *Concilium Trident. ſeſſ. 24. can. 9.*, vbi ſtatuitur, quod clerici à ſuſceptis ordinibus caſtitatem ſeruent, vel lege Eccleſiaſtica, vel voto, vbi cum dicatur alternatiuè, quod teneantur, vel lege Eccleſiaſtica, vel voto intelligendum eſt, quod teneantur voto, ſi ſcientèr, & liberè ordines ſuſceperint, lege verò Eccleſiaſtica, ſi ignorantèr, per vim, vel per metum; ex quo deducitur ſolum obligari ex voto, quando ſpontè illud vult, regularitèr autem ex lege Eccleſiaſtica; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià Concilium in eo decreto voluit ſolum indicare obligationem ſeruandi caſtitatem, ſiuè proueniat ex voto, ſiuè ex lege Eccleſiaſtica non definiens, an ex voto, an ex lege, ſed relinquens ſcolis diſputandum.

Iuribus euincitur aſſertum.

Liberè vult votum ex eo, quod liberè velit ordinem.

Definitio Concil. Trident.

Aſſertio II. Suſcipiens ſacros ordines ignorans eiſdem eſſe annexum votum caſtitatis in foro externo tenetur, ſi fuerit adultus, ſeruare votum continentiæ, quod idem intellige in foro interno. Ita quoad primam partem *Azorius lib 13 Inſtit. maior. cap. 14 q. 10.*, & alij magis communitèr. Quoad ſecundam conſonat cum ijs, quæ nos docuimus *tom 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 2. prænot. 5. n. 4.* 3

Suſcipiens ordines ſacros ignorans eiſdé eſſe annexum voti caſtitatis obligatur ad votum.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià lex Eccleſiaſtica, quæ annexuit ſacris ordinibus votum continentiæ eſt legitimè lata, promulgata, & ex genere ſuo nota, ergò in foro externo obligat omnes quamtumvis ignorantes. Conſequentia probatur, quia in ijs, quæ noti iuris ſunt Eccleſia non præſumit ignorantiam, ſed plenam ſcientiam; Ex quo ſequitur, quod ſic ordinatus teneatur in foro externo ſeruare continentiam, non ex ſolo præcepto eccleſiaſtico, ſed etiam ex voto, quandòquidem implicitè præſumitur votum elicuiſſe. *Cardinalis in c. cum olim in fin., & ibi, Immola n 7. de cleric coniug Azorius inſtit. maior. lib 13 c. 14 q. 10.*

Lex noti iuris non præſumit ignorantiã

Ratio ſecundæ partis ex eo dèducitur, quia eo ipſo, quod liberè, & ſciens vult ſacros ordines, intelligitur implicitè velle ea, quæ eiſdem ordinibus ſunt annexa, quantumvis tunc ea ignoret, ſicuti qui ſcienter, & volens recipit beneficium habens annexam curam animarum intelligitur ea velle, quæ tali beneficio ſunt debita, quantumvis ea tunc non norit, quia, qui animo libero vult principale, vult etiam acceſſoria ad ipſum, ergo &c. Neque dicas, quod, ſi quis ſuſceperit ſacros ordines in infantia non teneatur poſteà factus compos pleni vſus rationis ad votum caſtitatis ratam habeat illam ordinum ſuſceptionem, prout docent *Nauarrus conſ 1., & 2. tit., quod metus cauſa Henriquez de ordine c. 14. Azorius inſtit mor. part. 1. lib 13 c. 12. q. 6., & c 14 q 8. Homobonus de Bonis tract. 4. de art. circa examen ad ſubdiaconatum c. 3 q. 29.*, & nos etiam docuimus *tom 5. ſub tit. Contractus 14 de ſponſalib 2 prænot. 5. num. 3*, ergo &c. Contra enim impugnaberis, quia infans non ſolum ignarus ſupponitur voti annexi, ſed etiam ordinis ſecundum ſe; vnde vt bene notant *Sotus in 4. diſt. 25. q. 1. art. 2 Nauar in 4. diſt. 24 q. 2. in quinto arg. Abbas c 1. de cleric. per ſalt. prom. Azorius inſtit mor part. 1. lib. 13. c. 14. q 9.* infans, nec vult votum in ſe, nec in cauſa; non in ſe, quia nec illud directè intendit, nec eſt capax liberè, & efficaciter intendendi, nõ in cauſa, quia ordinem recipit neſciẽs quid recipiat: quæ non militant in ſuſcipiente liberè, & ſciẽtèr ordines ignorans votum eiſdem eſſe annexum, quia licet non intendat directè votum in ſe ipſo, intendit tamen in cauſa,

Diſpar ratio de infante, ac de ignorante.

quia

quia libere volens ordinem, intelligitur ea velle, quæ ſunt annexa eidem ordini.

4 Suſcipiens ſcienter cũ animo non ſe obligãdi ad votum obligatur ad illud.

Aſſertio III. Suſcipiens ſcienter, & libere ſacros ordines cum expreſſo tamen animo ſe non obligandi ad votum obligatur ad votum, nec poteſt poſteà nuptias contrahere *Nauarrus in manual. c.22. num. 52. Bellarminus lib. 1. de clericis c. 18., & de matrimon. c.21. Toletus lib.7. c.8.* Vide quoad hæc, quæ docuimus *tom.5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib 2. prænot.5. num.7.*, non enim vacat hic immorari ea tranſcribendo.

5 Suſcipiens ordines inualidè ex aliquo defectu ſubſtantiali nõ obligatur ad votum.

Aſſertio IV. Suſcipiens ſacros ordines inualidè, vel ex defectu poteſtatis in conferente, vel ex aliquo alio defectu ſubſtantiali poteſt valide contrahere matrimonium. *Gloſ. in c. unico verb. approbatis de voto in 6., & ibi Archidiaconus nu. 3. Paludanus in 4. diſt. 38. q. 2. art. unico num. 10. Brunellus de ſponſal. concl. 31. num. 7. Barboſa rub. ff. ſolut. matrimon. ſecunda part. num. 100.*

Ratio ex eo deducitur, quia votum in ſuſceptione ſacrorum ordinum non intenditur propter ſe, ſed tantum propter ordines; in tantum enim ſuſcipiens intelligitur velle votum, in quantum vult ordines, ergo non ſubſiſtentibus ordinibus ex defectu poteſtatis in conferente, vel ex aliquo alio defectu ſubſtantiali non ſubſiſtet etiam votum, quod ſolum intuitu eorundem ordinum fuit intentum.

Votum intenditur propter ordines.

Hic inquirunt *DD.*, an ſaltem, qui ſuſcepit ordines inualidè ex defectu poteſtatis in conferente illicite contrahat matrimonium, & quia intelligatur implicite allegatus voto ſimplici caſtitatis ob intentionem validum ordinem ſuſcipiendi. Sentiunt illicitè contrahere propter tale votum ſimplex caſtitatis *Ioannes Andreas in c. vnico ad fin. de voto in 6, & ibi Dominicus num.14.*, ea moti ratione, quod profitens inualide in Religione ob aliquem defectum ſubſtantialem præterquam ex defectu conſenſus tenetur ob ſuam profitendi intentionem ad ſeruandum ſimplex votum caſtitatis, & in hoc valet regula *in c. vnico §. porro de deſponſat. impub. in 6.*, vt ſcilicet actus, qui non valet, vt fit, valeat modo, quo valere poteſt, ergo etiam. Sed probabilius ſentio, & licite poſſe contrahere matrimonium, nec aliquo voto ſimplici caſtitatis obſtringi. Ratio in eo conſiſtit, quia quando principale non valet illud, quod per ſe non intenditur, ſed ratione tantum eiuſdem principalis valere non poteſt, nec producere aliquem effectum per textum *in l. cum principalis ff. de reg. iur.*, cum igitur votum intendatur dumtaxat propter ordinem, & veniat ſolummodo in conſequentiam illius propter Eccleſiæ diſpoſitionem ideo deficiente quoad ſubſtantiam eodem ordine non poteſt idem votum non deficere; Nec obeſſe poteſt id, quod ex aduerſo dicebatur; quid quid ſit de illo voto ſimplici in profeſſione inualida, quod non ità certum eſt, vt ſupponitur, certè diſpar omnino eſt ratio, nam profitens in Religione per ſe, & directè intendit caſtitatem, quæ eſt de ſubſtantia, & eſſentia eiuſdem profeſſionis, adeoque quantum eſt ex ſe intelligitur velle eandem caſtitatem; ſuſcipiens vero ſacros ordines non intendit per ſe, & directè caſtitatem, ſed ſolummodo indirectè, quatenus venit in conſequentiam eiuſdem ordinis ex diſpoſitione Eccleſiæ, adeoque non ſubſiſtente ordine, nec poteſt eſſe obligatio ad votum; & per hoc poteſt reſponderi ad allegatam regulam; dic etenim valere ſolummodo quando id, quod agitur, directe intenditur, non quando venit præcisè in conſequentiam.

6 Qui ſuſcepit ordines inualidè ex defectu poteſtatis in conferẽte non obligatur ad votum.

Aſſertio V. Suſcipiens ſacros ordines per vim, vel per metum cadentem in conſtantem virum non obligatur ad votum, niſi ceſſante metu promotus verbo, vel facto ſcienter illam ordinum ſuſceptionem ratam habuerit *Vgolinus de offic. Epiſcopi part. 1. c. 13., & part. 2. c. 26. §. 5. Sanchez diſp.29 num.5., & 6.* Vide, quæ latè docuimus *tom.5. ſub tit. Contractus XIV prænot.5. num.3. præcipuè in probatione primæ partis aſſertionis*, & hic applica; non enim vacat inter temporis anguſtias, ea repetere. Vide etiam, quæ ibi diximus num. 4 ſcilicet ſic promotum inuoluntarie mixtè ſcilicet per metum cadentem in conſtantem virum, licet non obſtringatur ſecundum ſe voto caſtitatis, ecclesiaſtica tamen cenſura compelli, vel caſtitatem profiteri, vel perpetuo à ſacrorum ordinum miniſterio abſtinere, quod colligi exiſtimo *ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 9.*

7 Ordo ſuſceptus cũ vi, & metu nõ obligat ad votum niſi ceſſante vi, vel metu ratus habeatur ordo.

Ea, quæ diximus de ſuſcipiente ſacros ordines per metum cadentem in conſtantem virum, proportionali ratione, & à fortiori intelligẽda ſunt de puero initiato ſacris ordinibus ante vſum rationis iuxtà communiorem ſententiam aſſerentem puerum ſic ordinatum recipere caractherem; nam hic non obligatur ad votum ex volitione eiuſdem in ſe ipſo, nec ex volitione eiuſdem in cauſa, cum non fuerit capax illud liberè, & efficacitèr intendendi. Verum tamen eſt, quod etiam hic, poſtquam peruenerit ad vſum rationis, & ad ſtatum quo poſſit plenè deliberare, tenebitur, vel caſtitatem profiteri, vel ab vſu ſacrorum ordinum abſtinere iuxtà ſuperius dicta. Hic diſputant *DD*, an, ſi quis receperit ordinem ſacrum poſt vſum rationis acquiſitum ante adeptam tamen pubertatem, vel ante decimum ſextum annum teneatur ſeruare votum caſtitatis, nec poſſit contrahere matrimonium. Sanchez

8 Puer recipiens ſacros ordines non obligatur ad votum tenetur tamen, vt peruenerit ad vſum rationis, vel caſtitatem profiteri, vel abſtinere ab exercitio ordinũ.

Digitized by Google

chez *lib.7. de matrimonio nu. 8.* aſſerit non teneri ſeruare caſtitatem, ſed poſſe ad nuptias tranſire ea motus ratione, quod votum emiſſum ſolemne in profeſſione Religioſa non obliget, ſi fuerit emiſſum ante adeptam pubertatem, niſi poſt pubertatem ratificetur per textum *in c. 1., & c. illud 20. q. 1., & c. ad noſtram de Regularib.*, ergò etiam &c. Nihilominus probabilius ſentio, & obligari ad votum, nec poſſe ad nuptias tranſire. *Sotus de iuſt. lib. 7. q. 2. art. 5. Caietanus 2. 2. q. 88. art. 9 Clauis regia lib 5. c. 5. nu. 9 Bonacina de matrimon. q 3. punct. 9. nu. 16. verſ. ſed mihi probabilius.* Ratio ex eo deducitur, quià ſupponitur plena, & libera, & ſufficiens deliberatio etiam in impuberi poſt perfectè acquiſitum vſum rationis ad ſuſcipiendum ordinem, ergò etiam ad ea, quæ ex diſpoſitione iuris conſequuntur tanquam acceſſoria ad eundem ordinem; non enim æquum videtur, quod quid magis requiratur ad acceſſorium, quam requiratur ad principale, quando acceſſorium trahitur à principali; Neque obeſſe poteſt obiectum Sanchez de profeſſione Religioſa; nam ea, quæ à iure diſpoſita ſunt de profeſſione Religioſa, non inueniuntur diſpoſita de ſuſceptione ſacrorum ordinum, vnde ab vno ad alterum non valet argumentum, & quidem conformitèr ad rationem naturalem hæc dicuntur, quandoquidem iugum Religionis grauius eſt, quam ſit onus ſacrorum ordinum, cum fortiori vinculo voluntatem obſtringat, & fortioribus ſubdat oneribus paupertatis, ſtrictioris obedientiæ non ſolum in ordine ad præcepta, ſed etiam ad Euangelica conſilia; vnde requirit pleniorem, & perfectiorem deliberationem.

Supponitur ſufficiens deliberatio ante pubertatem.

9 Aſſertio VI. Ordo ſacer validè, & ſine graui metu ſuſceptus ſolo iure Eccleſiaſtico dirimit ſubſequens matrimonium *D. Thomas in 4. diſt. 37 q 1. art. 1. in corpore, & ibi Scotus q. vnica §. dico igitur D Bonauentura art. 1 q 2. in corpore Paludanus q 1. art. 1. num 8. Caietanus in opuſculis tom 1. tract. 27 de diſpenſ. matrim. in occidens. Eccl. q. vnica ad fin §. quoad tertiam, & ſecunda ſecunda q. 88 art. 7. dub. 1. § quantum vero ad ſecundam, & tertiam opinionem Sotus lib. 7. de iuſt. q. 5. art. 3. ad ſecundum Valentia ſecunda ſecunda diſp. 6. q. 6. punct. 5. §. hæc ſententia Hoſtienſis c. rurſus num 2. qui cleric. vel vouent. Coaruuias 4. decret. 2. part c. 6. § 3 num. 2.*, & alij innumeri quos citat, & ſequitur *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 28. num. 11.*

Ordo ſacer libere ſuſceptus dirimit ſubſequens matrimonium ſolo iure Eccleſiaſtico.

Ratio ex eo deducitur, quia votum ſimplex ex genere ſuo non dirimit matrimonium, ergo nec ex genere ſuo dirimet votum ſacris ordinibus adnexum. Conſequentia probatur, quia votum ſacris ordinibus annexum non eſt per ſe, & ex natura ſua ſolemne, ſed tantum per accidens, & ex diſpoſitione Eccleſiæ, quatenus Eccleſia voluit, vt habeat effectum proprium ſolemnis voti, qui eſt dirimere ſubſequens matrimonium, ergo ſolummodo ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici habet dirimere matrimonium. Confirmatur, quia per votum implicitum, ſacris ordinibus adnexum non fit vera, & realis traductio corporis vouentis in Deum, ſicuti fit per votum ſolemne emiſſum in profeſſione Religioſa; non enim, qui ſic promouetur, moritur ſæculo, ſicuti qui profitetur, ſicque ille non facit ſui alienationem, ſicuti facit profeſſus.

Votum ſacris ordinibus annexum nō eſt per ſe ſolemne, ſed tantum per accidens.

Ex quibus inferes poſſe Romanum Pontificem diſpenſare, vt ſacris ordinibus initiatus poſſit ad nuptias tranſire, quandoquidem ex quo ille effectus dirimendi ſubſequens matrimonium eſt adnexus ordini ſolummodo iure Eccleſiaſtico, vtique remanet ſub poteſtate Romani Pontificis, qui eſt ſupra omne ius Eccleſiaſticum, vt poſſit per diſpenſationem auferri, hocque expreſſè docet *D. Thomas ſecunda ſecunda q. 88. art. 11.*, & alij magis communiter.

Hoc vnum hic aduertendum eſt, quod in Eccleſia ſemper viguit, ne ſacris initiati poſtea contraherent matrimonium. quod quoad Eccleſiam græcam colligitur *ex c. ſi quis eorum diſt. 32*, *& ex ſexta ſinodo generali*, & quoad Eccleſiam latinam *ex c. ſunt quidem, & c. præsbiteris 27. q. 1., & c. decernimus diſt. 28., & c. Lectores diſt. 32.*; Hoc tamen eſt diſcrimen inter Eccleſiam Græcam, & latinam, quod in Eccleſia Græca licuit coniugatis ad ſacros ordines promoueri ſine ſolutione coniugij, non ſic autem in Eccleſia latina, prout colligitur *ex c. cum olim de cleric. coniug., & c. de ſyracuſanæ diſt. 28. Azorius lib. 13. inſtit. mor. c. 14. q 7.*

Diſcrimen inter Eccleſiam Græcam, & Latinam.

Aſſertio VII. Licitum eſt Clerico minoribus initiato contrahere matrimoniũ per ſe loquendo. Eſt communis, & communi praxi approbata. 10

Licitum eſt clerico in minoribus conſtituto per ſe contrahere matrimonium.

Ratio ex eo deducitur, quia nullum ius id prohibet, nec natura ordinis id exigit; quandoquidem ordo, vt ordo præciſe non exigit continentiam, niſi ratione voti annexi; votum autem non eſt annexum, niſi ordinibus ſacris: Nec ſolum argumento negatiuo à iure deducto, quod ſcilicet nullum ius id vetet, hæc veritas eruitur, ſed etiam iure poſitiuo *in c. ſiquis eorum diſt. 32., quod eſt ex ſexta ſinodo generali c. 6. & ex c. 1 de cler. coniug.* Neque obeſſe poteſt textus *in can. 27. Apoſtolorum*, vbi ſolum permittitur Lectoribus, & cantoribus, contrahere matrimonium addita particula, *tantummodo*, quæ eſt taxatiua, & reſtrictiua ad enuntiata, vnde Acolyti, & exorciſtæ videntur excludi à tali iure nubendi.

Non,

Non, inquam, obeſſe poteſt, quià illa particula taxatiua excludit ſolummodò diſſimiles ordines, non autem ſimiles, & quorum eadem eſt ratio *Azorius lib. 13. Inſtit. moral. c. 13. q. 4. in fin.*

Cõtrahens bis clericus videtur culpã venialem contrahere

Dixi *per ſe loquendo* proptèr nonnullos, qui arbitrantur eſſe culpam ſaltem venialem, ſi clericus minoribus initiatus contrahat ſine cauſa cum vidua, vel bis ineat matrimonium, quià tunc proptèr bigamiam, vel nuptias cum vidua fit irregularis, & incapax ad exercenda munera ordinum ſuſceptorum, quorum dictum non improbabile exiſtimo; Atque ita ſentiunt *Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 12. punct. 1. Bannes 2. 2. q. 12. art. 2.* Excuſarem tamen a culpa etiam veniali, ſi ex legitima cauſa contraheret cum vidua, & à fortiori cum virgine etiam ſine cauſa, quià quoad nuptias cum vidua cauſa omnem labem dirimeret, & quoad nuptias cum virgine non oriretur illa irregularitas, de qua ſupra.

Senſus Nauarri, & aliorum.

Dixi vlterius *per ſe loquendo*, proptèr nonnullos, qui exiſtimant eſſe culpam læthalem ſuſcipere ordines minores cum expreſſa intentione, & animo non aſcendendi ad maiores, & ſacros ad eum effectum, vt declinet iuriſdictionem fori ſecularis, inter quos ſunt *Aragonius in ſecundum ſecundæ D. Thomæ q. 32 art. 1. dub. 1. Petrus de Ledeſma de ſacramentis, vbi de ſacramento ordinis c. 7. poſt tertiam concl. Bannes in ſecundam ſecundæ diſp. 12. art. 1. §. ſit vltima concluſio.* Sed mitius agit Nauarrus exiſtimans tunc ſolum eſſe peccatum læthale, quando ſic ſuſcipiens habet animum læthalitèr prauum, quià ſcilicet per hoc intendit grauia perpatrare, & ſubterfugere cenſuram fori ſæcularis.

11 Si clericus in minoribus conſtitutus obtinuerit beneficium, & poſtea contraxerit matrimonium ipſo iure priuatur beneficio.

Aſſertio VIII. Si clericus minoribus initiatus obtinuerit beneficium, & poſteà contraxerit matrimonium ipſo iure priuatur ipſo beneficio non expectata Iudicis ſententia, vndè non poterit poſteà illud in fauorem alterius reſignare; item amittit penſiones aſſignatas titulo beneficij, ſeù titulo clericali collatas; itèm priuilegia clericalia, niſi ſeruet conditiones ad hoc requiſitas ex diſpoſitione iuris. Prima pars eſt *Gloſa cap. vnico verb. clericalis de cleric. coniug. in 6. Antonij cap. coniugatus n. 2. de conuerſ. coniug. Hoſtienſis in ſumm. tit. de cleric. coniug. nu. 1. Nauarri in ſumma c. 25. n. 120. D. Antonini 3. part. tit. 1. c. 8. concl. 1. Toleti lib. 4. ſumma c. 18. num. 4.* Secunda pars eſt. *Gigantis de penſion. q. 54. n. 4. Azorij lib. 13. Inſtit. mor. c. 13. q. 8. Flaminij lib. 1. de reſig. benef. q. 1. n. 15., & lib. 6. q. 2. n. 115. Nauarri c. quando de conſecrat. diſt. 1. c. 21. n. 53.* Tertia pars *Sanchez lib. 7. diſp. 46. n. 1., & 2.*, & aliorum communiter.

Ratio primæ partis, quià hæc amiſſio non apponitur tanquam pæna delicti, ſed propter incompoſſibilitatem ſtatus, qui eligitur coniugalis cum eodem beneficio; non enim poteſt quis eſſe ſimul clericus beneficiatus, & coniugatus, ergò non eſt, cur ipſo iure per contractum matrimonium non amittatur ipſum beneficium, quià ipſa incompoſſibilitas efficit, vt vno poſito aliud ſine alio deſtruatur; quod autem non apponatur tanquam pæna ex eo patet, quod nullum in contrahendo tale matrimonium committatur delictum. Confirmatur, quià ſtante incompoſſibilitate ſtatus coniugalis cum beneficio aſſumens ſtatum coniugalem videtur facto ipſo renuntiare beneficio, ergò non eſt, cur ipſo iure non intelligatur deperditum. Neque obeſſe poſſunt iura *in c. 1. de cleric. coniug., & c. quod à te eod. tit.* in quibus dicitur priuandum eſſe clericum ſic nubentem beneficio, non autem eſſe actu priuatum, & *in cap. ſi quis verò diſt 32.*, vbi dicitur Clericos in minoribus conſtitutos, qui continere nequeunt in matrimonium collocandos eſſe, & ſtipendia ſua accepturos; Non, inquam, obeſſe poſſunt; quià iura *in d. c. 1 & c. quod à te* intelligenda ſunt, non quatenus clerici ſic nubentes ſint priuandi beneficio, quaſi quod priuati non ſint ipſo facto, ſed quatenus, ſi iniuſte detineant poſſeſſionem, eadem per poteſtatem publicam ſint priuandi. Ad textum *in c. ſi quis verò* aſſerit *Gloſa in cap. 1. verb. relinquenda de cleric. coniug.* eſſe correctum, & *Abbas in d. c. 1. de cleric. coniug.* dicit aliquod ſtipendium eſſe erogandum, ſi pauper fuerit, ex pietate, non tamen in titulum.

Non eſt in pænam, ſed proptèr incompoſſibilitatem.

12 Intellige, quando contrahit matrimonium per verba de præſenti, non de futuro.

Hæc intelliguntur, quandò clericus minoribus initiatus, & beneficiatus contraxit matrimonium per verba de præſenti, non autem quando præcisè contraxit ſponſalia, ſeù matrimonium per verba de futuro, nam tunc ipſo iure non amittit beneficia, quæ tunc poſſidet, nec eſt eiſdem priuandus, quidquid ex aduerſo dixerit *Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. c. 49. de matrimon. paulò ante titulum de impedim. conſang.* Ratio eſt, quià per ſola ſponſalia non conſtituitur beneficiarius in ſtatu incompatibili cum beneficio, nec vllus eſt textus, qui ſtatuat huiuſmodi beneficiarios per ſola ſponſalia ſuis eſſe beneficijs ſpoliandos. Sed, an requiratur ad hoc, vt beneficiarius priuetur beneficijs, quibus gaudet proptèr matrimonium, ad quod tranſit, quod iſtud fuerit conſummatum, an verò ſufficiat, quod ſit ratum; ſentio abſolutè non requiri, quod fuerit conſummatum, ſed ſufficere, quod fuerit ratum per verba de præſenti *Ioannes Andreas in c. 1. nu. 1. de cleric. coniug. Silueſter verb. Clericus 2. num. 2 verſ. peccat verò in iſtis, Azorius lib. 3. Inſtit. moral. c. 13. q. 8. Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 256.*

§ inſu-

Digitized by Google

§. *inſuper, & circa fructus*. Ratio eſt, quia per matrimonium per verba de præſenti etiam ante conſummationem eligitur ſtatus, qui eſt incompatibilis cum ipſo beneficio.

13 Si poſt adeptũ beneficium contraxerit, ſed inualide non priuatur ipſo iure, eſt tamen ſpoliandus beneficio.

Maior difficultas eſt, an per matrimonium ratum, vel forte etiam conſummatum, quod tamen ſit inualidum ex aliquo defectu ſubſtantiali, vel impedimento Clericus beneficiarius minoribus initiatus amittat ipſo iure beneficia, quæ tunc obtinet, vel eiſdem ſit priuandus. Probabilius ſentio ipſo iure non vacare beneficia, ſed beneficiarium in pœnam delicti per ſententiam eſſe ſpoliandum *Cardinalis clem. gratia nu.10. q.17. de reſcriptis. Decius conſ.166. in fin. vol.1. Sanchez de matrimon. lib.7. diſp. 45. nu. 3.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in re ſic contrahens non eligit ſtatum incompatibilem cum beneficio, nec ſufficit error, & voluntas contrahentis dimittendi illa beneficia, quia quando actio ſecundum ſe non priuat, nec reddit inhabilem beneficiarium ad retinendum, & poſſidendum, ſola voluntas quantumvis expreſſa non ſortitur effectum, niſi dimiſſio fiat in manibus legitimi Superioris, vt eſt in confeſſo apud omnes *DD.*, ergo &c. Confirmatur, quia illud matrimonium ſic initum per beneficiarium eſt ipſo iure irritum, ergo nullum poteſt ſortiri effectum, ſicuti enim non entis nullæ poſſunt eſſe paſſiones, & nullæ qualitates, ita non contractus nullæ poſſunt eſſe actiones, nullaque iura; non contractus autem, & contractus nullus in effectu ſibi æquiualent, & ſic currit *regula non præſtat de reg. iur. in 6.*, qua dicitur. *Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum*. Ratio ſecundæ partis eſt, quia per illud attentatum matrimonij quantum eſt ex ſe ſe retraxit ab Eccleſia, cui ratione beneficij præficiebatur, vt ſe conuerteret ad carnalem ſponſam, ergo in odium merito erit priuandus illo beneficio *arg. c. quanto de translat. Epiſcop.*

14 Priuatur item ipſo iure penſionibus, quæ dantur in titulum.

Ratio ſecundæ partis aſſertionis ex eo deducitur, quia penſiones, quæ quodamodo dantur in titulum clericalem habent rationem beneficij, & beneficiorum loco ſubrogantur, ſed quod ſubrogatur pro alio ſapit naturam eius, cui ſubrogatur *l. ſi cum §. qui iniuriarum ff. ſi quis caut.* eiuſq; induit qualitates, & conditiones, ergo, cum beneficia per matrimonium ſubſequens vacent, etiam penſiones, quæ ſubrogantur pro beneficijs vacare dicendæ ſunt. Dixi, *penſiones aſſignatas titulo beneficij*: ſi etenim darentur Laico pro onere temporali; tunc certe per matrimonium ſubſequens non vacarent, quia tunc ſtatus coniugalis non eſſet incompatibilis cum iure ad illas penſiones, quia, ſicuti laicus poteſt onera illa exercere ob quæ conceduntur illæ penſiones, ſiue ſit liber, ſiue coniugatus, ita ſiue fuerit liber, ſiue coniugatus poterit illas exigere; Hoc idem etiam intelligendum eſt, ſi penſiones illæ aſſignarentur clerico pro onere temporali, vt quia aduocatus eſt Eccleſiæ, vel ſacriſta, vel procurator, nam, cum reſpiciant ſola onera temporalia, quę certe exercere poteſt, quantumvis fuerit coniugatus, vtique non amittuntur per tranſitum ad connubium.

15 Priuatur priuilegijs clericalibus niſi ſeruet conditiones à iure præſcriptas.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quod habetur *in c. vnico de cler. coniug. in 6.*, vbi duplex priuilegium conceditur clericis in minoribus conſtitutis, quantumvis tranſeant ad nuptias, nempe canonis *ſi quis ſuadente 17. q. 4.*, vt ſcilicet quicunque in ipſum violentas manus iniecerit, contrahat excommunicationem, & fori, ne ſcilicet in cauſis criminalibus trahatur ad Tribunal fori ſæcularis; Adhoc autem, vt clericus coniugatus gaudeat huiuſmodi priuilegijs de iure antiquo *in d. c. vnico de clericis coniug. in 6.* ſeruare debet duplicem conditionem, alteram, vt non niſi vnam, & virginem ducat, alteram vt tonſuram, & veſtes clericales deferat. De iure vero nouo *Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 6. de reformatione*, vltra prædictas duas conditiones ſeruare debet alteram, vt ſcilicet tanquam deputatus ab Epiſcopo deſeruiat alicui Eccleſiæ. Altera ex his conditionibus deficiente nullo priuilegio clericali gaudere poteſt, prout conſtat ex allegatis textibus. Quamvis autem in eiſdem requiratur, vt non niſi vnicam, & virginem duxerit, hoc tamen intelligendum eſt, vt taliter ducat, vt non contrahat bigamiam; poteſt enim contingere, quod ducat corruptam, vel ducat duplex matrimonium, & tamen adhuc gaudeat priuilegijs, eo quia non contrahat bigamiam, vt contingeret in caſu, quo prius à ſe corruptam duceret, vel duceret corruptam ab alio, & non conſummaret cum ipſa, vel duplex matrimonium iniiſſet, ſed vnũ tantum conſummaſſet, atque ita ſentit *Marcus Antonius Cucus lib. 3. inſtit. maior. tit. 9. num. 18. Iulius Clarus lib. 5 recept. §. fin. in pract. criminal. q. 36. nu. 10.*

Enumerantur conditiones ad hoc requiſitæ.

---

## PRÆNOTIO XVII.

### De Impedimento Impotentiæ.

### SVMMARIVM.

*Impotentia duplex, altera perpetua, altera temporanea.* 1.
*Perpetua altera reſpectiua, altera abſoluta.* 2.
*Quandonam præſumatur pro impotentia perpetua.* 3.
Im-

Digitized by Google

*Impotentia perpetua antecedens ad vſum matrimonij illud dirimit non ſolum de iure Eccleſiaſtico, ſed etiam de iure naturæ.* 4.

*Hoc impotentia dirimit, ſiue fuerit cognita, ſiue ignorata.* 5.

*Eunuchi carentes vnico tantum teſte validè contrahunt.* 6.

*Potens coire, non tamen intra vas fœminæ ſeminare non poteſt contrahere.* 7.

*Potens ſeminare, non tamen intra vas fœminæ niſi modo inſueto non poteſt contrahere.* 8.

*Impotentia temporanea, ſi excipias illam ex defectu ætatis, non dirimit matrimonium.* 9.

*Impotentia, quæ prouenit à natura quandoq; eſt perpetua, quandoq; temporanea.* 10.

*Si fœmina fuerit arcta reſpectu cuiuſcunque viri, & talis, vt non poſſit tolli ſine vitæ diſcrimine habetur pro perpetua.* 11.

*Si fœmina cum tali arctitudine abſolutâ ſponte ſe ſubiecerit inciſioni, & facta fuerit apta non reualidat ipſo iure matrimonium, ſed tenetur ratificare.* 12.

*Si fuerit talis, vt ſine vitæ periculo per inciſionem poſſit tolli, habetur pro temporanea.* 13.

*Si fœmina fuerit arcta non abſolutè, ſed reſpectiuè ad hunc virum, & talis, vt non poſſit reddi apta, niſi cum vitæ diſcrimine habetur pro perpetuo impotente, ſecus ſi ſine vitæ diſcrimine poſſit fieri apta.* 14.

*Ex nimia genitalium in viro magnitudine, quandonam iudicatur impedimentum dirimens.* 15.

*Si fœmina nequeat alio modo aptari viro, niſi per copulam cum alio cenſetur perpetuo inepta ad virum.* 16.

*Ex eo, quod fœmina fuerit cognita ab alio ſimilis conditionis, ætatis, & roboris arguitur, quod non fuerit perpetuo inepta ad primum.* 17.

*Si maſculus fuerit impotens ad virginem, potens tamen ad corruptam medicinaliter poteſt vti aliquo inſtrumento, & frangere clauſtra pudoris.* 18.

*Si frigidus poſſit pharmacorum remedio adiuuari ad efficaciter congrediendum non cenſetur perpetuo impotens.* 19.

*Frigiditas, vt dirimat, non eſt neceſſe, quod impediat erectionem membri, ſed ſatis eſt, quod impediat emiſſionem ſeminis.* 20.

*Conſtante de frigiditate perpetua ipſo facto diſſoluitur matrimoniũ, non conſtante conceditur triennium ad experiendum.* 21.

*Si maſculus primo congrediendo ex nimio calore extra vas ſeminet, ſit tamen adhuc aptus ad perficiendum intra vas, non cenſetur perpetuo impotens.* 22.

*Si maſculus efferueſcente natura praepropere ſemen emittat extra vas, cum ſpe, quod declinante natura ſit intra vas emiſſurus non cenſetur perpetuo impotens.* 23.

*Impotentia, quæ prouenit ex maleficio, quandoque irritat, quandoq; non.* 24.

*Si impotentia ex maleficio fuerit perpetua dirimit ſubſequens matrimonium.* 25.

*Cenſetur maleficium perpetuum, quando auferri non poteſt, niſi per miraculum,* 26.

*Item, quando auferri non poteſt, niſi per aliud maleficium.* 27.

*Non licet à malefico parato ad ſoluendum maleficium maleficii petere eiuſdem ſolutionem.* 28.

*Si maleficium factum fuerit cum duplici pacto non eſt licitum petere à malefico remotionem ſigni, ſi aliud pactum per illam firmatur, ſecus ſi factum fuerit cum vnico pacto.* 29.

*Inter coniugatos maleficium cenſetur perpetuum, quando per triennium conatus non potuerunt congredi.* 30.

*Impotentia, quæ prouenit ex caſu quandoq; dirimit, quandoq; non.* 31.

*Proueniens ex morbo conſiſtente in ſola humorum intemperie non dirimit, quamuis morbus habeatur pro incurabili.* 32.

*Proles antecedenter ſuſcepta ſufficienter legitimatur per matrimonium initum in articulo mortis alterius ex parentibus* 33.

*Et legitimatio etiã prodeſt ad effectum excludendi ſubſtitutum.* 34.

*Etiam prodeſt ad effectum excludendi, quamuis expreſſe matrimonium initum fuerit cum animo fraudandi ſubſtitutum.* 35.

*Impotentia, quæ prouenit ex lepra in altero coniuge non eſt perpetua, nec dirimit.* 36.

*Impotentia in caſtratis, & ſpadonibus ſi careant vtroque teſte eſt perpetua, & dirimit, ſecus ſi vno tantum careant.* 37.

*Impotentia, quæ prouenit ex ſterilitate praecisè non irritat.* 38.

*Impotentia, quæ prouenit ratione ætatis quandoq; irritat, quandoq; non.* 39.

*Impuberes ratione talis impotentiæ validè non contrahunt, niſi maſculus compleuerit decimum quartum annum fœmina duodecimũ regulariter loquendo.* 40.

*Inualiditas, ante talem ætatem eſt tantum de iure Eccleſiaſtico.* 41.

*Si contrahentes fuerint in legitima ætate, ſint tamen adhuc impotentes ad generandum validè contrahunt.* 42.

*Malitia in hoc poteſt ſupplere defectum ætatis.* 43

*Senes quantumuis decrepiti non arcentur à validè contrahendo matrimonium.* 44.

*In dubio, an impotentia ſit perpetua, vel temporalis conceditur triennium ad experiendum.* 45.

*Niſi ſint ſigna euidenter inducentia pro perpetuitate* Ibid.

*Quænam ſigna euidenter indicent perpetuitatem.* 46.

*Quando euidenter non conſtat de perpetuitate non eſt ſtandum confeſſioni contrahentium.* 47.

*Altero fatente impedimentum, altero negante expectandum eſt triennium, quo elapſo requi-*



requi-

*requiritur rectum iudicium.* 48.

*In quo conſiſtat hoc rectum iudicium.* 49.

*Quando fœmina nupſit corrupta, nec poſſint apparere ſigna conſummationis potius ſtandum eſt viro aſſerenti conſummaſſe, quam fœmina neganti.* 50.

*Triennium à iure præfinitum non incipit à die contractus, ſed à die attentata copula.* 51.

*An, & quomodo triennium à iure aſſignatum ad experiendum debeat eſſe continuum.* 52.

*Poſt acquiſitam pubertatem eſt expectandum triennium non computato experimento pro tempore impubertatis.* 53.

*Diſſoluto matrimonio per ſententiam Iudicis ob impotentiam præſumptam, & tranſeunte impotente ad alias nuptias comperto errore poſterius matrimonium diſſoluendum eſt, & inſtaurandum primum.* 54.

*Eodem vero diſſoluto propria auctoritate ob illam impotentiam præſumptam inſtaurandum eſt primum, donec factum fuerit triennij experimentum.* 55.

*Et ſi in hoc caſu præſumptus impotens tranſierit ad alias nuptias eſt reſtituendus primo* 56.

*An, & quando inſtaurandum ſit primum matrimonium reciſum ob arctitudinem fœminæ, quando per eandem fuit initum ſecundum, & conſummatum.* 57.

*Diſſoluto legitimè matrimonio ratione maleficij, ſi alter ex coniugibus tranſierit ad ſecundas nuptias, eaſq; conſummarit, non eſt reſtituendus primo.* 58

*Intelligitur, quando ad ſententiam diſſolutionis præceſſit experientia triennalis, & legitima cautio* 59.

*Diſſoluto per errorem matrimonio ob impotentiam, fœmina ſi fuerit ab alio cognita ſemel tantum eſt reſtituenda priori viro, & facienda triennalis experientia.* 60.

*Diſſoluto ex ſimili cauſa matrimonio, ſi maſculus tranſierit ad Religionem, & fœmina fuerit ab altero cognita, hæc non eſt illi reſtituenda.* 61.

*Impotentia perpetua ſuperueniens matrimonio iam conſummato, vel etiam rato illud non dirimit.* 62.

*In dubio, an illa impotentia præceſſerit præſumendum pro præcedentia, ſi fuerit naturalis, pro ſubſecutione, ſi fuerit accidentalis.* 63.

*In dubio, an fuerit naturalis, vel accidentalis præſumendum pro accidentali.* 64.

*Superueniente coniugibus poſt contractum, ſeu conſummatum matrimonium impotentia perpetua eiſdem regulariter non eſt interdictus vſus eiuſdem matrimonij, ſi excipias impotentiam vas penetrandi* 65.

*Hermaphroditus poteſt nubere ſecundum ſexum qui in eodem prævalet.* 66.

*Si ſexus fuerit æqualis poteſt nubere ſecundum ſexum, quem elegerit, quo ſemel electo non poteſt alium eligere.* 67.

*Si tamen alium ſtatum eligeret teneret matrimonium ſecundum illum contractum.* 66.

IMpotentia in genere, quantum pertinere poteſt ad præſens inſtitutum, duplex eſt, altera perpetua, altera temporanea. Prima eſt, quæ ita affixa eſt ſubiecto, vt arte humana nullo vnquam tempore poſſit diſſolui. Secunda eſt, quæ afficit ſubiectum ad tempus, vt humana arte naturalitèr poſſit auferri. Porrò impotentia perpetua adhuc duplex eſse poteſt, altera abſoluta, altera reſpectiua; prima eſt, qua quis impotens eſt ad coitum abſolutè non habito reſpectu ad certam, & determinatam perſonam, ſed ad quamcumque aliam. Secunda eſt, qua quis impotens eſt ad certam perſonam, non autem ad aliam, cuiuſmodi eſt quando fæmina ita arcta eſt, vt in ordine ad hunc virum non ſit apta ad coitum, vel maſculus ita improportionatus tali fæminæ, vt quantumvis hæc ſit apta alijs, non ſit tamen huic apta proptèr magnitudinem genitalium. Rurſus impotentia perpetua, vel poteſt eſse à natura, vel à maleficio, vel caſu, vel ætate; à natura tunc eſse poteſt, quando vel proptèr innatam frigiditatem non poteſt haberi efficax congreſsus, vel ob deficientiam alicuius membri, vel ob nimiam calorem, ob quem nequeat intra ius fæminæ ſemen emittere, quantumvis valeat illud penetrare; à maleficio, tunc eſse poteſt, quando aliqua arte *Dæmonis* nequeunt congredi; caſu, quando ob infirmitatem, vel pocula ita quis exilis factus eſt, vt habeatur in perpetuum pro impotenti, vel per iniuriam caſtratus eſt, vel ex propriæ voluntatis arbitrio; ætate tandem, quando in tali eſt conſtitutus ætate, vt nulla poſſit eſse ſpes efficacis congreſsus. Impotentia temporanea, vel poteſt eſse ratione ætatis, vel morbi, vel alicuius ſimilis rationis.

1 Impotentia duplex, altera perpetua, altera temporanea.

2 Perpetua duplex, altera abſoluta, altera reſpectiua.

Perpetua vnde poſſit prouenire.

Nota hic impotentiam ſemper præſumi perpetuam, quando nulla humana arte poteſt auferri; vnde, ſi auferri poſſit miraculo, vel modo quodam inſueto, & extraordinario, non deſinit eſse quoad præſentem effectum perpetua, prout docent *Sotus in 4 diſt. 34 quæſt. vnica art 3. Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 93. Gutierez c. 112. n. 22. Coninchus diſp 31. dub 7. n 85.* Hac eadem ratione aſserunt communitèr *DD* haberi pro impotentia perpetua illam, ſecundum quam fæmina arcta non poteſt reddi apta viro, niſi per inciſionem, quæ eſse non poſſit ſine mortis periculo.

3 Quandonam præſumatur pro impotentia perpetua.

His ſic pro notitia ſuppoſitis, id, quod examinabitur ſub hoc titulo, erit primo, an impotentia perpetua præcedens matrimonium illud dirimat, & quo iure,

an

*Articuli examinandi circa præſentem titulum.* an Eccleſiaſtico tantum, an etiam naturali. Secundo, in quo conſiſtat hæc impotentia. Tertio, an & quomodo impotentia temporanea impediat, ſeù dirimat matrimonium, & hic examinabuntur omnia dubia, quæ poſſunt eſſe circa hanc impotentiam; Quarto quid in particulari ſentiendum ſit quoad impotentiam prouenientem à natura. Quinto quid quoad impotentiam reſultantem ex maleficio. Quid quoad impotentiam ex caſu, quid quoad impotentiam ex ætate. Sexto quid efficiendum in dubio, an impotentia ſit perpetua. Septimo, an diſſoluto matrimonio ob impotentiam præſumptam comperto errore illud ſit reſtaurandum. Octauo, an impotentia perpetua ſuperueniens matrimonio illud dirimat, vel vſum illius impediat. Nono, an Hermaphroditus poſſit matrimonium inire, & iuxta quem ſexum? & alia huiuſmodi.

4 *Impotentia perpetua antecedens dirimit de iure naturæ.*

Aſſertio I. Impotentia perpetua antecedens ad vſum matrimonij illud dirimit non ſolum de iure Eccleſiaſtico, ſed etiam de iure naturæ. Conſentiunt omnes in hac materia ſcribentes.

Quoad primam partem expreſsè habetur *in c. quod ſedem de frigid., & maleficiat., & c. 1. 33 q. 1.*

Quoad ſecundam partem ex eo euincitur, quod inter bona matrimonij præcipuum eſt bonum prolis, quatenus ordinatur ad generationem eiuſdem, & ad obligationem copulæ coniugalis ex qua prouenire poteſt eadem generatio, atque hic ordo ad generationem quoad principium ex mente D. Thomæ eſt de ſubſtantia eiuſdem matrimonij; ſed ſtante impotentia perpetua ad vſum coniugij non poteſt eſſe obligatio ad copulam coniugalem, neque ordo etiam quoad principium ad generationem, ſiquidem impoſſibilium non poteſt eſſe obligatio *l. impoſſibilium, ff de reg iuris, & c. nemo ad impoſſibile de reg. iur. in 6.*, ergò &c.

Hæc impotentia perpetua antecedens dirimit ſubſequens matrimonium, ſiuè fuerit antecedentèr cognita, ſiuè ignorata, prout docent *Nauarrus in manual. c. 22. n. 60. Coninchus diſp. 31. dub. 7. n. 79. Bonacina de matrimon q. 3 punct. 3. propoſ. 3. n. 12. verſ Dixi in propoſitione.* Ratio ex eo deducitur, quiá ſiuè illa impotentia fuerit

5 *Dirimit, ſiuè fuerit cognita, ſiuè ignorata.*

cognita, ſiuè ignorata ſemper verificatur, quod nequeant fieri vna caro, cum impotentes ſint ad perfectam copulam; Neque hic audiendi *Abbas in c. 2. de frig., & maleficiatis nu. 5. Roſella verb. matrimonium 3. impedim. 15. n. 3 Silueſter verb. matrimonium 8. quaeſt 16. dict. 3.* aſſerentes, quod quandò alter conſcius eſt impotentiæ alterius, & nihilominus cum eodem contraxit, videatur ceſſiſſe iuri ſuo, ac proindè ſubſiſtere matrimonium; Non, inquam, audiendi ſunt, quandòquidem extante impotentia, quæ aduerſatur ſubſtantiæ matrimonij, non eſt in poteſtate contrahentium efficere, quod validum ſit matrimonium deficientibus ſubſtantialibus eiuſdem; vnde merito Sixtus V. in quodam ſuo motu proprio circa Eunuchorũ matrimonia ædito anno 1587. decreuit huiuſmodi matrimonia, ſiue contracta cum ſcientia, ſiuè cum ignorantia nulla penitus eſſe. Recito verba huius Sancti Pontificis, quæ ſunt huiuſmodi. *Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoſcunque Eunuchos, & ſpadones vtroque teſte carentes cum quibuslibet mulieribus, ſiuè ignorantibus, ſiuè ſcientibus contrahi prohibeas, eoſque ad matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares, & tam locorum Ordinarijs, ne huiuſmodi coniunctiones de caetero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui ſic de facto contraxerint, ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta nulla, irrita, & inualida eſſe decernas;* & ſi hæc verificantur non obſtante ſcientia inter Eunuchos non video etiam, cur verificari non debeant non obſtante eadem ſcientia inter impotentes? cum militet eadem ratio.

*Matrimonia eunuchorum ſunt inualida, ſiuè contracta cum ſcientia, ſiuè cum ignorantia.*

6 *Eunuchi carentes vnico tantum teſte validè contrahunt.*

Ex eo autem, quod Pontifex in hoc motu proprio dixerit matrimonia inita per Eunuchos, & Spadones vtroque teſte carentes eſſe inualida videtur ſequi, quod ſi vnico tantum teſte careant, poſſint validè contrahere, quandòquidem tunc non ſunt impotentes ad actum coniugalem, & ad generationem, ſed ſolummodò minus potentes; atque ita ſentiunt *Bonacina de matrimon. q. 3 punct. 3. prop 3. n. 19., & alij apud ipſum.*

7 *Potens coire non tamen intra vas fæminæ ſeminare non poteſt contrahere.*

Aſſertio II. Impotentia perpetua dirimens matrimonium non ſolum conſiſtit in negatione potentiæ vas fæmineum penetrandi, ſed in negatione potentiæ ſeminandi intra illud: vnde potens coire, non tamen potens intra vas fæminæ verum ſemen emittere, non poteſt validè matrimonium contrahere. *Paludanus in 4 diſt. 34 q. 2. art. 1. concl. 2. n. 8. D. Antoninus 3. part tit 1. c. 12. §. 1., & 2. in fin. Veracrux prima parte ſpeculi art 38. concl. 6. Petrus de Ledeſma de matrimonio q. 58. art. 1. dub. 4. quod monet circa ſolutionem ad quartum principale, Valentia quart part. diſp. 10. q. 5. punct. 3., vbi de imped. impot. verſ. de huiuſmodi.*

Ratio eſt, quiá de ratione matrimonij eſt, vt conferatur poteſtas in vtrumque coniugem reſpectiuè ad alterum in ordine ad perfectam copulam coniugalem ad effectum generationis prolis, & vt poſſint fieri duo in carne vna, prout habetur ex *c. laudabilem de frig., & malef.* Ibi *Vterque iure iurando dicat, quod nunquam*

Sine ſeminis cõmiſtione non fiunt vna caro.

*per carnis copulam vna caro effecti fuiſſent, & tunc videtur, quod mulier poſſit ad ſecundas nuptias conuolare*, ſed non poteſt eſſe perfecta copula ad effectum generationis, nec vnitas carnis, ſiuè ſeminatione, ſeù immiſſione ſeminis viri intra vas fœminæ, vt per ſe patet; ergò &c.

Hic oritur difficultas, an potentia ad penetrationem vaſis fœminei ita ſit de ſubſtantia matrimonij, vt quamuis aliqua arte, vel per matricis attractionem ſemen immitti poſſit intra vas fœminæ ſine penetratione membri virilis adhuc eſſet inualidum matrimonium Sanchez *lib.7 de matrimon diſp 99. num 37.* exiſtimat adhuc forè inualidum ea motus ratione, quod matrimonij valor non poſſit pendere ex caſu raro, & fortuito, & ſemper verificaretur, quod vir eſſet impotens ad ſeminandum intra vas fœminæ, & ſecus nulla eſſet impotentia cum ſemper ſaltem per vas vitreum poſſet ſemen virile intra illud vas immitti. Ex aduerſo videtur hæc ratio militare, quià per illam immiſſionem ſeminis virilis in vas fœminæ etiamſine penetratione, ſed vel per attractionem, vel per aliam artem poteſt quis conſtitui Pater, & mulier recipiens mater veræ prolis, cum etiam alibi dixerimus generationes, quæ fiunt à dæmonibus ſuccubis eſſe veras generationes non reſpectu dæmonum, ſed reſpectu illius, à quo ſemen deciſum eſt, cuius propterea dicitur illa proles filius, vel filia; quinimmò, cum tunc etiam fuerit propria ſeminum commixtio illi propriè conſtituerentur duo in carne vna: non enim fiunt tales per præciſum congreſſum, & penetrationem, cum hæc ſit præciſè via, & modus conſuetus & à natura inſtitutus ad illam commixtionem, & vnitatem carnis, non ipſa formalitèr commixtio, quæ fit tantum per ſeminis immiſſionem. Si igitur alia via, ſeù modo poteſt eſſe illa immiſſio non eſt, cur ſaluari nequeat vera commixtio, generatio, & ratio paternitatis, & maternitatis, adeoque vera ratio matrimonij. Nihilominus probabilius ſentio procedere Sanchez loco citato; Nam quamvis ſaluari poſſit in ea hypotheſi vera generatio, & commixtio non fit tamen modo ordinario, per quem iuxta inſtitutum naturæ ſemen communicetur, ſed modo inſueto, extraordinario, quique regularitèr non conſequitur ſuum effectum: Matrimonium autem non eſt inſtitutum per ordinem ad potentiam, quæ quandòque modo inſueto, & extraordinario poteſt conſequi effectum, ſed per ordinem ad potentiam naturalem, ſecundum quam regularitèr effectus habetur, & ſicuti non ſaluatur valor matrimonij, quandò impotens naturalitèr poteſt reddi per miraculum potens, & poſt matrimonium de facto redditur talis, ita non poteſt ſaluari, quandò impotens ad communicandum ſemen modo naturali, & quaſi vitali poſtea per accidens communicat modo quodam inſueto, & à natura non inſtituto, nam matrimonium inſtitutum eſt, vt per illud conferatur poteſtas in vtrumque coniugem reſpectiuè ad alterum in corpus.

8

Potens ſeminare, nõ tamen modo aſſueto vas fœminæ ingredi non poteſt contrahere

Matrimonium eſt inſtitutum per ordinẽ ad potentiam naturalem.

9

Impotentia temporanea, ſi excipias impotentiam defectu ætatis, nõ dirimit matrimonium.

Aſſertio III. Impotentia temporanea præcedens matrimonium, ſi excipias impotentiam defectu ætatis minoris, non dirimit matrimonium. Eſt communis, tàm apud Theologos, quam apud Canoniſtas, & expreſſè conſtat *ex c. fraternitatis verſ quamuis igitur de frig. & maleſ.*

Non eſt de eſſentia matrimonij actualis copula.

Ratio exeo deducitur, quià de ſubſtantia matrimonij non eſt actualis copula coniugalis, nec quod tunc compleatur, quando immediatè eſt initum idem matrimonium, ſed quod tunc conſurgat obligatio ad eandem copulam coniugalem, ſed talis obligatio poteſt conſurgere, quamuis pro tunc illa nequeat exerceri, ergò &c. Minor probatur, quià quantumvis non poſſit eſſe pro aliquo tempore actualis ſolutio, poteſt tamen eſſe obligatio ad ſolutionem, quando eſt ſpes, quod in futurum debitor poſſit ſoluere, ergò &c.

Ratio exceptionis quoad ætatem.

Dixi, *ſi excipias impotentiam defectu ætatis minoris*, quandòquidem in iure ſpecialitèr cautum eſt, quod matrimonium nequeat celebrari, niſi inter conſtitutos in determinata ætate, niſi potentia ſeù malitia præueniat talem ætatem, quod diſpoſitum non reperitur quoad impotentiam temporaneam in alio genere.

Infirmus etiam in infirmitate non impeditur contrahere.

Ex dictis in hac aſſertione inferes primo infirmum etiam in infirmitate non impediri ad contrahendum matrimonium, dummodò infirmitas, tunc quando contrahit, non ſit talis, vt ex tunc ipſum reddat in perpetuum inhabilem, quià, vt aſſerebam, non eſt de ſubſtantia matrimonij ipſa actualis copula coniugalis, ſed potentia ad ipſam pro tempore futuro, quæ certè potentia adeſt in infirmo, & licet poſteà ex illa infirmitate adhuc perſeuerante poſt contractum oriretur impotentia perpetua non propterea diſſolueretur contractus, quià impotentia ſubſequens matrimonium iam licitè, & legitimè initum non dirimit idem matrimonium.

Aliud exemplum quo non impeditur.

Inferes ſecundo, non impediri ad contrahendum validè matrimonium, qui immediatè poſt contractum longinquas tenetur adire regiones, vel ex decreto Principis, vel ex alia legitima cauſa antequam conſummet; non etenim tunc ſupponitur impotentia perpetua, ſed merè temporanea pro tempore abſentiæ, quinimmò, nec tunc adeſt impotentia ab intrin-

Digitized by Google

intrinſeco, ſed impedimentum ab extrinſeco, ne exeatur ad actum.

10 Impotētia prouenēs à natura quandoq; eſt perpetua, quandoq; temporanea.

Aſſertio IV. Impotentia, quę prouenit ex natura, quandoque poteſt eſſe perpetua, quandoque merè temporanea, adeoque quandoque abſolutè dirimit, quandoque non.

Variæ conſiderationes circa aſſertum.

Vt clarius procedamus, ſingula in particulari ſunt inſpicienda, & primo nimia arctitudo reſpectu fæminæ, quæ poteſt eſſe talis abſolutè reſpectu cuiuſcunque viri, vel reſpectu illius præcisè, quem duxit. Rurſus, vel poteſt eſſe talis, vt per inciſcionem, vel remedia naturalia poſſit tolli ſine proximo vitæ diſcrimine eiuſdem fæminę, vel non niſi cum tali vitæ periculo. Si arctitudo fuerit talis reſpectu cuiuſcunque viri, & vt per inciſionem non poſſit tolli ſine vitæ diſcrimine, tunc habetur pro perpetua, & ſecundum ſe dirimit matrimonium; ſi vero talis, vt ſine vitæ periculo poſſit auferri tunc reputatur pro temporanea, nec dirimit; Si fuerit talis tantum reſpectiuè ad hunc virum, quem duxit, & poſſit auferri ſine vitæ diſcrimine tunc reſpectu ipſius eſt temporalis, & non dirimit; ſi vero fuerit talis in ordine ad ipſum et non poſſit tolli ſine vitę diſcrimine tunc reſpectu ipſius habebitur pro perpetua, & dirimet, ſi vero non fuerit talis in ordine ad alios, tunc ſoluetur primum matrimonium, & cum alijs, cum quibus, vel non habet impotentiam, vel ſolùmodo talē, vt poſſit per abſciſſionem, aliaque remedia ſine vitę diſcrimine tolli poteſt abſolutè nubere.

11 Si fæmina fuerit abſolute arcta, quæ non poſſit reddi apta, niſi cum vitæ diſcrimine cenſetur inepta.

Prima pars ex eo euincitur, quia impotentia, quæ non poteſt tolli arte humana, vel non niſi cum mortis periculo habetur pro inauferibili ſimpliciter. ſiquidem, quę curantur non niſi intercedente morte, vel per remedia inducentia certum moraliter mortis periculum habentur pro incurabilibus *Henriquez lib 11. c 7. num 9 Gutierez, c.112. num 23. Sanchez lib. 7. diſp 92. num 8. Bonacina de matrimon q. 3. punct. 13 num. 5.* Circa hanc partem oritur dubium, an, ſi vxor, quę patitur talem arctitudinem non obſtante proximo mortis periculo ſe ſubiecerit inciſcioni, & cum incolumitate apta fuerit reddita, immediate conualeſcat illud prius matrimonium, adeovt neutri poſtea liceat ab illo recedere, an vero indigeat, vt ratificetur, & ſine tali ratificatione liberum ſit alteri ab illo recedere.

12 Si ſic arcta ſponte cū vitæ periculo ſe ſubiecerit inciſcioni, & facta fuerit apta tenetur matrimonium ratificare, vt reualidet.

Probabilius cenſeo tunc indigere ratificatione, ſine qua alter poſſet à contractu recedere; Hoc ex eo euincitur, quia illud matrimonium eſt initum cum impedimento dirimente, & cum impotentia ſecundum ſe, & moralitèr perpetua, nam quod non niſi modo extraordinario, & per accidens contingente fit, & auffertur non intelligitur ſecundum humanum modum auferibile, vt contingeret in caſu, quo impotentia per miraculum auferretur, ergo illud matrimonium ſecundum ſe in ſua origine eſt irritum, quod propterea non poteſt conualeſcere, niſi iterum ratificetur, quia quod ab initio irritum eſt non poteſt tractu temporis conualeſcere: Verum tamen eſt, quod non requiritur, quod actu expreſſo conualidetur, ſed ſufficiat, quod ratificetur, vel actu implicito, & interpretatiuo, vel facto, vt ſi poſtea dicti coniuges cohabitent, coeant &c.

Sufficit, quod ratificetur actu implicito.

Secunda pars argumento à contrario euincitur, ſi etenim, quando inciſio non poteſt eſſe ſine mortis periculo dirimit, quia ſi tolleretur quaſi per miraculum tolleretur, non eſt, cur quando inciſio medicorum iudicio non eſt cum mortis periculo habeat dirimere, cum impotentia illa per remedia naturalia poſſit diſſolui, & habeatur pro temporanea: nec obſtat, quod illa fæmina ſit, vel eſſe poſſit inuita ad talem inciſcionem; primò, quia quando inciſio non eſt cum grauiſſimo morbi incommodo, eſſet fęmina irrationabiliter inuita ad talem inciſionem; ex quo etenim per contractum matrimonij tradidit poteſtatem, & ius ſui corporis in maritum, non videtur illum poſſe retrahere ex eo, quod aliqua incommoda ſit inde perpeſſura. Secundo, quia dato etiam, quod fæmina arcta poſſet iuſtè renuere tali inciſcioni, nec vellet eidem ſe ſubijcere; non propterea redderetur inualidum, cum eiuſdem valor poſt contractum legitimè initum non dependeat à voluntate fæminæ, ſed ex ijs, quæ ex natura ſua inſunt illi contractui; ex natura autem ſua illa impotentia non eſt perpetua, ſed merè temporanea; temporanea autem non dirimit per ſuperius probata.

13 Si fuerit talis, vt ſine vitę periculo poſſit tolli habetur pro tēporanea.

Tertia, & quarta pars deducitur etiam ex ijs, quæ dicta ſunt pro prima, & ſecunda parte; impotentia enim in determinato matrimonio attenditur in ordine ad determinatam perſonam, cum qua impotens nupſit, ergo, ſi in ordine ad ipſam, fuerit talis, vt auferri non poſſit ſine vitæ diſcrimine, erit perpetua, adeoque dirimet, ſi vero talis, vt ſine tali diſcrimine poſſit tolli, erit temporanea, & non dirimet.

14 Si fuerit arcta reſpectiuè ad hunc virū videndum eſt, an poſſit reddi apta ſine vitæ diſcrimine, an non.

Quinta pars ex eo euincitur, quia ex quo talis impotentia inauferibilis eſt per artem humanam in ordine ad hanc perſonam iam ex ſe dirimit matrimonium cum eadem; ex quo autem impotentia non eſt in ordine ad alias perſonas, vel ſi eſt, eſt auferibilis humano modo, non impedit matrimonium quoad illas, nec poteſt officere præcedens matrimonium, quandoquidem illud ſupponitur nullum.

Secundo inſpicienda eſt nimia genitalium

Digitized by Google

ſium magnitudo, ſeù groſſities membri in marito; hæc etenim etiam conſiderari poteſt, vel in ordine ad determinatam mulierem, cum qua nupſit, vel in ordine ad quamcunque aliam. Si fuerit ſolummodo talis in ordine ad certā perſonam, cum qua nupſit, nec auferibilis ſit humano modo, vtique cum eadem dirimit matrimonium, cum ſit perpetua; ſi ſit humano modo auferibilis per remedia ex parte viri, tunc nec pro perpetua habebitur, nec dirimet; ſi verò ſit ſolummodò auferibilis per inciſionem fœminæ, tunc etiam conſiderandum erit, an ipſa fœmina ex ſe ſit apta ad copulam cum viro ordinario; an verò ſit impotens etiam ad virum ordinarium ob impedimentum extraordinariæ arctitudinis, & tunc ſi fœmina ſecundum ſe apta ſit viro ordinario, non tenebitur pati inciſcionem ſed poterit matrimonium diſſolui; ſi verò & ipſa fœmina adeo extraordinariè arcta ſit, vt etiam viro ordinario inepta reperiatur; tunc dicerem, adhuc non teneri pati inciſcionem, ſed poſſe ſoluere illud matrimonium. Si magnitudo tandem, ſeù groſſities membri virilis fuerit talis, vt improportionata ſit cuicunque mulieri, tunc regularitèr dirimit quodcunque matrimonium, niſi eſſet humano modo ex parte eiuſdem viri auferibilis. Prima pars liquet ex ſupradictis, quandòquidem eſt impotentia perpetua. Secunda pars ex eo deducitur, quia ſicuti quandò impotentia ex parte fœminæ ratione arctitudinis eſt auferibilis per remedia naturalia ſine vitæ diſcrimine non dirimit matrimonium, nec pro perpetua reputatur, & ipſa fœmina tenetur inciſionem pati, vel humana remedia, ità quando impotentia eſt ex parte maſculi propter improportionem, & auferibilis eſt per humana remedia ſine vitæ diſcrimine non dirimet matrimonium, & tenebitur talia, ſeù proportionata remedia pati. Tertia pars ex eo facilè liquet, quià cum tunc defectus ſit ex parte viri ipſi incumbit adhibere remedium, & ſe aptum reddere præſertim, quod talem inciſionem virginalis horret natura, nec facilè patitur honeſtas *Ochogauia de ſacram. tract. 3. q. 69. num. 16*, ergo non eſt, cur tunc fœmina teneatur pati talem inciſionem. Si autem inquiras, an tunc liceat fœminæ ad alias nuptias tranſire; tunc reſpondeo, ſi nulla ſit ſpes clauſtrum frangendi vtique fœminam poſſe ad alia vota conuolare. Ratio eſt, quià tunc illud matrimonium eſt nullum, quandòquidem celebratum intelligitur ſub tacita conditione, ſi coniuges apti ſint non ſimplicitèr in ordine ad totum ſexum, ſed ad hunc coniugem in particulari, atque ita ſentire videtur *Pontius lib. 7. c. 62. n. 2. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 201., & part. 11. tract. 5. reſol. 11.* Quarta pars etiam ex eo facilè poteſt deduci, quià quantumvis illa fœmina eſſet proportionaaa viro ordinario eſſet tamen inepta ad illum virum extraordinarium, in quo caſu non teneretur pati inciſcionem, ſed poſſet ad alias nuptias conuolare, ergò nec tenetur eandem pati, quantumvis etiam eſſet inepta viro ordinario, quandòquidem cum ſuo incommodò non tenetur fieri apta viro extraordinario. Deindè cum impotentia in data hypotheſi ſit ex parte vtriuſque non eſt maior ratio, cur fœmina teneatur inciſcionem pati, & non vir, adeoque poterit refundi defectus ex parte viri. Quinta pars liquet ex ſupradictis, quandòquidem defectus ille in ordine ad omnem ſexum fœmineum eſt ex parte maſculi, qui propterea debet ſibi imputare.

15 Ex nimia genitalium in viro magnitudine quandoque inducitur impedimentum dirimens.

Si ſit auferibilis per ordinaria remedia ex parte viri non habetur pro perpetua.

Si ſit auferibilis ex parte fœminæ per inciſcionem tunc ſunt varia conſideranda, & iuxta illa res dirimenda.

Fœmina, quando eſt apta viro ordinario non tenetur pati inciſcionem, vt fiat apta extraordinario.

Hic duplex conſurgit ratio dubitandi. Prima eſt, an ſi fœmina nupta viro, quæ nequeat eidem aptari, vel ratione arctitudinis in eadem fœmina, vel aliqualis improportionis, ſeù debilitatis in viro abſque copula cum altero, intelligatur in ordine ad eundem virum, quem duxit, impotens perpetuo, adeoque eidem innupta, ſeù non nupta validè. Secunda eſt, an, ſi vir, vel ratione improportionis, vel ratione debilitatis nequeat clauſtra ex ſe virginis dirumpere, illaque penetrare, poſſit tunc eadem inſtrumento aliquo ligneo, vel ferreo reſerare, eandemque ſibi hoc medio reddere aptam, poſſit hoc validè, & licitè pertentare; hoc contingeret, quandò maſculus non poſſet cognoſcere virginem, poſſet tamen cognoſcere corruptam. In ordine ad primam dico, quod, ſi fœmina nequeat alio modo aptari viro, cui nupſit, niſi per copulam cum alio, cenſeri cum eodem innuptam, adeoque matrimonium cum illa inualidum, *Sotus in 4. diſt. 84. q. vnica art. 2. immediate ante verſ.; quod ſi Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimon. c. 52. verſ. ex quo ſecundo, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 58. art. 1. paulo ante primum dubium, Durandus in 4. diſt. 34. q. 2. n. 8., & ibi Paludanus q. 2. art. 2. concl. 2. n. 13. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 12. §. 1.* Ratio ex eo deducitur, quià illa impotentia reputatur perpetua, quæ auferri non poteſt, niſi cum peccato, quià id dicimur non poſſe, quod iure non poſſumus; circa hoc maius dubium videtur, an ex eo, quod poſſit cognoſci ab alio viro arguitiuè ſaltem poſſit inferri non eſſe impotentiam perpetuam reſpectu huius, qui nec debilitate, nec maleficio, nec improportione laborat; Pro quo aſſerendum exiſtimo, quod ſi primus maritus, nec maleficio, nec debilitate, nec infirmitate laboret, & ex alio capite ſit æqualis ætatis, roboris; & mem-

Dubia excitata.

16 Si fœmina nequeat alio modo aptari viro niſi per copulā cum alio cenſetur inepta perpetuo cum viro.

Digitized by Google

17 Ex eo, quod fœmina fuerit cognita ab alio ſimilis conditionis, roboris, & qualitatis arguitur, quod perpetuo non fuerit inepta ad primum.

membri: Secundo, qui copulam conſummauit, præſumendum ſit, quod idem primus non fuerit impotens, & quod proinde ex eo capite indebite ſit diſſolutum primum matrimonium, adeoque eſſe inſtaurandum. *Hoſtienſis in ſumma tit. de frigid., & malef. §. qualiter, & quando num. 13. in fin. Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 8. tit. 27. art. vnico q. 2. Gofredus in ſumma tit. de frigid. num. vlt. Angelus verb. matrimonium 3. impediment. 15. num. 4. Roſella verb. impedimentum impedim. 15. num. 11.* Ratio ex eo deducitur, quod habetur *in c. fraternitatis de frigid., & malef.*, vbi non dicitur abſolute, quod cognoſcibilis ab vno præſumatur cognoſcibilis etiam ab altero, ſed quod cognoſcibilis ab vno ſit etiam ab altero cognoſcibilis, ſi vterq; ſit ſimilis; & ibi ſimilitudo non eſt accipienda ſimpliciter in natura ſpecifica, ſed in indiuidualibus qualitatibus ſcilicet in robore, ætate, & in inſtrumentus genitalibus, qua poſita ſimilitudine in vtroque eſt præſumptio iuris, & de iure, quod ſit potentia in vtroq; ad cognoſcendam carnaliter illam fœminam, quæ propterea erat reſtituenda primo, ſi eidem ex alio capite validè nupſerit. In ordine ad ſecundam ſentio, ſi non fuerit periculum magni, & grauis damni in vxore poſſe tunc virum impotentem ad Virginem, potentem tamen ad corruptam medicinaliter aliquo inſtrumento clauſtra pudoris frangere, eique coniungi *D. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnica art. 2. ad 5. Ioannes de Friburgo in ſumma confeſſorum lib. 4. tit. 15. q. 22. Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 8. tit. 16. art. vnico q. 1. Tabiena verb. impedimentum impedim. 12. q. 5. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia quando fœmina vni, cum quo nupſit, inepta eſt propter arctitudinem, poteſt tamen reddi apta per inciſcionem ſine graui periculo, tenetur eam pati, & ſi ad inſtantiam mariti renuat, tenet tamen adhuc matrimonium, quia illa impotentia computatur pro temporanea iuxta ſuperius dicta, ergo etiam quando eſt inepta, vt virgo, non vt corrupta, ſi poteſt reddi apta medicinaliter per aliquod inſtrumentum tenebitur &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, hanc impotentiam non ſe tenere ex parte ipſius fœminæ, ſed ex parte viri, adeoque ipſam non teneri pati huiuſmodi inſtrumentum; maxime cum honeſtas, & fœmineus pudor horreat hæc inſtrumenta, cur proportionali ratione, qua diximus ſupra non teneri fœminam pati inciſcionem quando ineptitudo prouenit ex improportione viri, quantumvis ipſi fœminę non immineat graue periculum. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in hac hypotheſi ineptitudo ex genere ſuo non ſupponitur perpetua; ex eo etenim, quod maſculus aptus ſit ad corruptam ſupponitur talis ex genere ſuo, vt etiam facile poſſit fieri aptus ad virginem *D. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnica art. 2. ad 5. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 12. §. 1. Vega 2. tom. ſumma c. 34. caſ. 109. Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 8. tit. 16. art. vnico q. 1. Roſella verb. impedimentum impedim. 15. nu. 7. Figuerius lib. inſtit. c. 16. § 7. verſ. 9 impedimento 11.*, vnde etiam, ſi hæc renuat, tamen ſubſiſtere adhuc matrimonium, & cum ſit preſumptio iuris, & de iure, quod poſſit, non eſt, cur ad complementum actus non debeat virgo talia remedia admittere, cum non ſupponantur ex ſe grauia, nec valde oneroſa; nec currit paritas de viro improportionato ratione magnitudinis genitalium, quia tunc nec eſt preſumptio iuris, nec de iure, quod poſſit eſſe potens, adeoq; &c. Verum tamen eſt, quod non facile admitterem in hypotheſi, de qua modo loquimur, poſſe virum ex ſe adhibere illa remedia per inſtrumenta lignea, vel ferrea, ſed ex conſilio medicorum debere eiſdem vti, & ope peritorum; tum quia ad medicos ſpectat iudicium ferre, an poſſit, vel non poſſit fœmina reddi apta ſine graui periculo; tum quia chyrurgi peritia requiritur, ne aliquod damnum grauius ingeratur.

18 Si maſculus fuerit impotens ad virginē potens tamē ad corruptā medicinaliter aliquo inſtrumento poteſt clauſtra frangere, eiq; coniungi.

Eſt præſūptio iuris, & de iure, quod maſculus poſſit coniungi.

Tertio inſpicienda eſt frigiditas, & nimius calor in viro. Frigiditas autem in ſolo viro reperitur, cum eidem ex defectu caloris deficiat vigor ad efficaciter congrediendum; quomodo autem dignoſcatur hæc frigiditas, recurrendum eſt ad ſigna, quorum plurima aſſignant *DD.*, & primo *Fragoſus in chirurgia vniuerſali tract. 2. de declarationibus* aſſerit ſufficienter ex externa apparentia euinci, vt ſi maſculus exiguum membrum habeat male compoſitum, corrugatum, & à calore debito degenerans. Secundo, ſi nunquam virgam erigat, quamuis vtatur pharmacis calidis ad eiuſdem erectionem *Hoſtienſis in ſumma tit. de frigid. §. qualiter, & quando num. 10. verſ. eſt autem hoc rectum iudicium.* Tertio, ſi non appetat venerea, nec ſtimulos carnis ſentiat *Ioannes Andreas c. 1. nu. 3. verb. non potuiſſes de frigid.*; cum etenim ardor concupiſcentiæ, ita homini ſit inditus, vt eidem quodamodo innatus videatur, & a Dęmone regulariter excitetur deficientiam ob frigiditatem in eodem videtur efficaciter euincere, ex eo, quod ſtimulos eiuſdem concupiſcentię non ſentiat. Circa hanc frigiditatem, quantum ad effectum dirimendi matrimonium nonnulla dubia hic diluenda inſurgunt; & primo, an ſi talis frigiditas ſit talis, vt ſecundum ſe reddat ſubiectum impotens ad actum coniugalem perfectum, poſſit tamen pharmacis calidis coadiuuari ad huiuſmodi actus, dirimat matrimonium. Secundo, an ad dirimendū matrimonium requiratur, quod frigiditas ſit talis, vt impediat

Frigiditas ſe tenet regulariter ex parte viri.

Signa, quibus dignoſcitur frigiditas.

Dubia circa frigiditatem.

pediat

ſpediat abſolutè membri virilis erectionem, an vero ſufficiat, quod ſolummodo impediat ſeminationem ſufficientem ad generationem. Tertio, an immediate, ac frigidus tentat conatum in copulam, & non poteſt, vel quia membrum non poteſt erigere, vel quia non poteſt ſeminare, matrimonium ipſius diſſoluatur, an ad diſſolutionem expectandum ſit aliquid temporis, & quodnam.

19 Si frigidus poſſit pharmacorum remedio adiuuari ad efficaciter congrediendū nō eſt perpetuo impotens.

Ad primam aſſerendum eſt abſolutè, quod ſi Pharmacis calidis, frigidus poteſt coadiuuari ad huiuſmodi actus, matrimonium non diſſoluatur. Ratio eſt, quia iuxta ſuperius dicta illa impotentia non reputatur perpetua, quæ per humana remedia poteſt diſſolui, ſeu cuius impedimentum per ordinaria, & naturalia media poteſt remoueri, nec obſtat, quod illa remedia, ſeu pharmaca in hac hypotheſi non tollant abſolutè illam impotentiam, ſed virtutem corroborent ſolummodo ad tempus, cum extincta remediorum, ſeu pharmacorum virtute intelligatur immediatè impotens; non obſtat, inquam, quia ex quo illa potentia per naturalia remedia corroborari poteſt, ab intrinſeco ſupponitur potens, nec perpetua, cum toties quoties poſſit per illa pharmaca reduci ad actum, & ſicuti quando impotentia ſe tenet ex parte fœminæ, & eſt facile auferibilis per ordinaria, & non grauia remedia non dirimit, ita nec &c.

20 Frigiditas, vt dirimat, nō eſt neceſſe, quod impediat erectionē membri, ſed ſatis eſt, quod impediat emiſſionem ſeminis.

Ad ſecundum dicendum eſt, ad dirimendum matrimonium non eſſe neceſſe, quod ſit frigiditas talis, vt impediat erectionem membri virilis, ſed ſatis eſt, quod efficiat, quod verum ſemen non poſſit emitti in vas fœminæ *Silueſter verb. matrimonium 8. q. 16. dict. 3.* vbi teſtatur de communi contra *Panormitanum in c. 2. de frigid., & maleſic. Gloſam c. hi qui 32. q. 7.* Ratio ex eo deducitur, quia impotentia ad ſeminandum, ſeu ſemen aptum ad generationem emittendum aduerſatur directè fini, & bono primario eiuſdem matrimonij, nam tale ſemen, ſeu talis commixtio requiritur, qualis ſufficiat, vt fœmina poſſit conſtitui mater per textum *in c. 1, de frig., & maleſic,*, ergo illa ſtante non poterit eſſe validum matrimonium, quantumvis frigidus poſſit membrum erigere, & forte etiam vas fœminæ penetrare; hac eadem ratione docent communiter *DD.* Eunuchos, ſeu ſpadones carentes vtroque teſte non poſſe valide matrimonium contrahere, quantumvis membrum erigant, & humorem quendam emittant, cum hic non ſit verum ſemen, nec aptus ad generationem.

21 Conſtante de frigiditate perpetua ipſo facto diſſoluitur matrimoniū, nō conſtante conceditur triennium.

Ad tertium dico, quod ſi immediate conſtet, frigidum eſſe abſolutè impotentem, & perpetuo, ipſo facto diſſoluatur matrimoniū, ſi verò nō euidentèr conſtet, concedi triennium ad experiendum de potentia; quo elapſo, nec ſecuto effectu conſummationis matrimonium dirimitur. Ratio primæ partis deducitur, quia diſſolutio illius matrimonij non eſt in pœnā alicuius delicti, ſed ex inhabilitate contrahentium, ergo nulla adhoc ſententia requiritur, ſed immediate, ac conſtet de tali inhabilitate, matrimonium ex ſe erit irritum. Ratio ſecundæ partis deducitur ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici per textum *in c. fin. de frigid. D. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnica art. 3. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 2. Scotus quaſt. vnica col. penult., & in ſolut. ad vltimum Riccardus art. 3. q. 1. in corpore, & ad primum Paludanus q 2. art 3. concl. 2. num. 17. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 12. §. 3.* Verum tamen eſt, quod quandoque Eccleſia in illo termino decipitur, cum reperiatur poſtea reputatus impotens, vel eādem fœminam, vel alteram carnaliter cognouiſſe; quamobrem in hac hypotheſi cognito errore, matrimonium illud ſic diſſolutum erit inſtaurandum, & ſi fortè vxor ad alia vota tranſierit erit ſecundo coniugio priuanda, & reſtituenda primo *Silueſter verb matrimonium 8. q. 16. dict. 2.*

Etiam ex nimio calore, poteſt prouenire impotētia, & quomodo.

Porrò impotentia ex parte viri poteſt oriri ex nimio calore, ratione cuius dum maritus congredi attentat, præpropere ſemen emittit extra vas.

Dubia circa talem impotentiam.

Circa hanc impotentiam ex nimio calore variæ inſurgunt difficultates; & prima, an dirimatur matrimonium, ſi vir ex nimio calore congrediens primo præpropere ſemen effundat extra vas, & poſtea adhuc aptus ſit ad complendum actum coniugalem: Secunda, ſi ætatis vigore natura nimis efferueſcente regulariter maſculus ſemen præpopere emittat cum ſpe tamen, quod ætate adaucta non ſit præpopere emiſſurus, intelligatur perpetuo impotens ad actum coniugalem, & propterea matrimonium ſit inualidum. Tertia, cur impotentia ex frigiditate numeretur inter impedimenta dirimentia, non ſic impotentia ex nimio calore?

22 Si maſculus primo cōgrediendo præpopere extra fœminæ vas ſemen emittat, ſit tamen aptus ad iterum cōgrediendū nō intelligitur perpetuo impotens.

Ad primam aſſerendum exiſtimo in ea hypotheſi non dirimi matrimonium. Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte non eſt neceſſarium, quod totum ſemen in vas fœminæ recipiatur, & ex alia parte non eſt peccaminoſa actio, qua ſponſus, ſeu maritus attentans congreſſum præpopere ſemen emittit, ergo non eſt, cur illud matrimonium non ſubſiſtat. Antecedens quoad primam partem non patitur difficultatem, cum ex communi medicorum conſenſu matrix fœminæ non totum ſemen attrahat, & illa pars ſufficiens ſit ad conſtituendos coniuges in carne vna, vt probat *Ouandus in 4. diſt. 34. diſp. vnica correl. 3. quod infert ex quinta propoſitione*; quoad ſecundam ſic euincitur, quia conatus in copulam ad experiendum de potentia, non eſt ſecundum ſe peccaminoſus

&

& licet ſecundũ ſe ſequatur pollutio extra vas naturale, hoc eſt per accidens, & præter intentionem coniugis, qui ſecundum ſe dat operam rei licitæ, & ſecundum ſe honeſtę; nec obſtat experimentum, quod in conato ad copulam ſemper ſequatur pollutio extra vas fœminæ præcedenter; non obſtat, inquam, quia cum tota illa actio ſecundum ſe, & ex intentione operantis referatur ad perfectum actum coniugalem, qui vtique haberi ſupponitur per ſubſequentem emiſſionem ſeminis in vas fœminæ non poteſt reddi illicita, & peccaminoſa ex eo, quod præter intentionem ſequatur aliqua ſeminis emiſſio extra vas, ſicuti non eſſet peccaminoſus actus coniugalis, in quo præter intentionem ſe coniungentium aliqua pars ſeminis dilaberetur extra vas, dummodo alia pars intra idem vas reciperetur, cum ex ſententia medicorum totum ſemen non ſit neceſſarium ad generationem; nec item obſtare poteſt, ſi aſſeratur, ſemen illud, quod in hac hypotheſi præpropere effunderetur extra vas, eſſe perfectioris virtutis, & ſpirituum viuaciorum. Non, inquam, obſtare poteſt, quia ex vi matrimonij, nec ſpectato ordine ad prolem tenetur coniux communicare ſemen perfectius, ſed ſatis eſt, quod communicet ſemen neceſſarium, & ſufficiens ad generationem, quale ſupponitur illud, quod ſubſequenter emitteretur.

23 Si maſculus efferueſcente natura ſemẽ præpropere emittat, ſit tamen ſpes, quod ætate creſcente ſit intra vas ſeminaturus nõ cenſetur perpetuo impotens.

Ad ſecundam aſſerendum exiſtimo, nec in ea hypotheſi dirimi matrimonium, cum impotentia illa non ſupponatur perpetua: nec officit, quod pro tempore præcedenti, pro quo natura viuacior eſt, & ardentior ſemen, quod effunderetur in conatu ad copulam fruſtraretur ſuo fine, & fœmina maximè excitaretur ad libidinem, quam per actum coniugalem non poſſet complere; Non officit, inquam; tum quia ſemper conaretur cum ſpe perfecti complementi, & præter intentionem eſſet, quod conatus ille non reduceretur ad actum; tum quia dato etiam, quod ille conatus pro aliquo tempore eſſet peccaminoſus ob finem generationis, qui tunc fruſtraretur in illo ſemine deciſo extra vas, non propterea matrimonium irritum redderetur, quia non eſſet cum impotentia perpetua, cum pro aliquo tempore actus coniugalis poſſet perfici; vnde non quodcunque peccatum, quod poſſet contingere, & forte etiam crebro contingeret, irritat matrimonium; cæteroqui in dubio, an potentia eſſet perpetua, an temporanea incongrue concederetur triennium ad experiendum, intrà quod certè poſſet contingere, & fortè ſæpe contingit, quod dum maſculus congredi conatur, emittat ſemper extra vas. Ad tertiam dicendum eſt cum D. Thoma ideo potius numerari inter impotentes frigidos, quam exceſſiuè calidos, quia ratione nimij caloris vix impotentia poteſt eſſe perpetua, & quia frigiditas magis, & ſæpius impedit, cum tollat non tantum commixtionem ſeminum, ſed membrorum rigorem, quo fit corporum commixtio, quod non videtur contingere in exceſſiuè calido; cæterum, ſi etiam exceſſiuus calor in perpetuum impediret ſeminum commixtionem, non eſſet, cur hic etiam non irritaret matrimonium.

Ratione nimij caloris vix impotentia cenſetur perpetua.

Aſſertio V. Impotentia, quæ prouenit ex maleficio, quandoque irritat matrimonium, quandòque non.

24 Impotentia, quæ prouenit ex maleficio, quodque irritat, quãdoque non.

Vt autem clarius procedamus, nonnulla ſunt præmittenda, quæ conferrent ad plenam præſentis inſtituti elucidationem, & primo indubitatum eſſe, ope Dæmonum poſſe coniuges reddi impotentes ad coitum, ſeu ad copulam coniugalem, quod non ſolum communi Theologorum, & canoniſtarum conſenſu, & auctoritate comprobatur *cum D. Thoma in 4. diſt. 34. q. unica art. 3., & 3. parte q. 58. art. 2, & ſcribentibus in cap. fin. de frigid., & malef*, ſed ſed etiam varijs experientijs, quibus non aliunde, quam arte Dæmonum prouenire poſſe huiuſmodi impotentiam compertum eſt, quas latè affert, *Martinus del Rio lib. 3. diſq. magic. part. 1. quæſt. 4 ſect. 8. ſtatim in princip.* Nec certè incongruæ rationi hoc aſſertum innititur, quandòquidem duo ſunt, quæ maximè concurrunt ad potentiam generationis, calor ſcilicet, & ſpiritus; poteſt autem Dæmon, cuius ope fiunt maleficia, & calorem minuere, & ſpiritus impedire.

Exempla euincentia impotẽtiã poſſe arte dæmonum induci.

Secundò varijs modis poſſe *Dæmones* maleficijs homines reddere impotentes ad coitum, quos ex mente Paludani refert *Martinus del Rio lib 3. diſq. magic. part. 1. q. 4. ſect. 8. per totum* ad quem vos remitto. Hæc autem impotentia per maleficia arte Dæmonum non ſolum poteſt induci in maſculis, ſed etiam in fœminis, vel per imaginationem, vel etiam per actionem aliquam realem; per imaginationem, vt quando perturbando, & confundendo phantaſmata efficit, vt eidem fœminæ appareat genitale viri extraordinariæ adeo magnitudinis, & improportionatum, vt nulla ratione ſinat ſe cognoſci; per actionem realem, quando arctat vas fœmineum, vt nullo modo poſſit admittere congreſſum.

Modi, qui bus redduntur impotentes.

Regulariter tamen, & vt plurimum hæc impotentia coeundi per maleficia inducitur in maſculo potius, quam in fœmina, tum quia maſculus plura habeat inſtrumenta, quæ facilius impediuntur, quam fœmina, tum quia vt plurimum ſunt maleficæ fœminæ, quę potius viros lædunt, quam fœminas, & ſi quandoque fœminæ maleficijs inficiuntur maleficia conſiſtunt in phantaſiæ læſione.

Poteſt hæc impotentia æque induci in maſculis, ac in fœminis.

Signa, quibus malificia diſtinguuntur à frigiditate.

Si autem hic inquiras, quomodo cognoſci poſſit impotentiam coeundi potius prouenire à maleficijs, quam à frigiditate, vel à naturali aliquo defectо. Signa plurima affert *Sanchez lib. 7. diſp. 94. nu. 6.*, & primo cum coniux coitum appetens erigit virgam, & cum ad vas fœmineum accedit, relaxantur, & concidunt ſubito organa, & cum ſe retraxerit, iterum virga erigitur. Secundo, ſi maſculus coitum appetens ſubito accedere tentans ad fœminam exhorreſcat, nec poſſit accedere, vel ſi fęmina coitus auida, cum vir accedit ſubiecto illo horrore afficiatur, nec poſſit pati congreſsum. Alia plura ſigna vide penes eundem Sanchez loc. cit., apud quem etiam inuenies, quęnam ſint ſufficientia ad indicandum maleficium, & quænam non. His ergo ſic ſuppoſitis.

25 Si fuerit perpetua dirimit matrimonium

Si impotentia ex maleficio fuerit perpetua dirimet ſubſequens matrimonium, quidquid ex aduerſo dixerit *Gloſa in c fin. verb. nequibunt 33. q. 1.*, *& cap. fraternitatis verb. diuinum in priori ſolut. de frigid.*, *& Maleſic. Innocentius c. laudabilem n unico verb. triennium eod. tit. de frig.*, *& malef.*, qui duplici ratione mouentur primo, quià exiſtimant vix maleficium poſse eſſe perpetuum. Secundò, quià *in c. ex literis de frigid.* ſolum dicitur diſsoluendum eſſe matrimonium, ſi mulier à natura vitium contraxit, ergò ſi contraxerit à maleficio non erit diſsoluendum. Hanc noſtram ſententiam ſuſtinent ex Theologis *D Thomas in 4 diſt. 34 q. vnica art 3. in corpore*, *& ibi D. Bonauentura art. 2. q. 2 D. Antoninus 3 part tit. 1. c. 12. §. 3. Abulenſis c. 19. Matthai q. 90 ad fin corporis, Bellarminus lib 1 de matrimon c. 18. verſ. ex his, Toletus lib. 7. ſumma c. 12 n. 2.*, & ex Iuris peritis *Speculator tit de frigidis §. unico n 4 Gofredus in ſumma eod. tit. num. 3. Romanus rub ff. ſolut. matrim. n. 12. verſ idem nullum eſt*, *Nauarrus in ſumma c. 22 nu. 59.* Procedit in ſuppoſitione, quod hæc impotentia poſſit eſſe perpetua, de cuius ſuppoſitionis veritate dubitandum non eſt, primo, quià ſi

Quomodo poſſit eſſe perpetua ex maleficio.

Dæmon poteſt ſemel, iterum, atque iterum vſum coniugij impedire, cur non poterit vlterius iterum, atque iterum, & ſic in perpetuum impedire? Secundo, quià poteſt impedire turbando imaginationem, & æſtimatiuam, & ſi poteſt ſemel turbare, cur non iterum atque iterum, & ſic in perpetuum? Tertio, quia poteſt impedire viri genitalia adimendo, quod certè eſt impedimentum perpetuum. Quamobrem ſtante hac ſuppoſitione, quæ certè poſſibilis eſt, & quandoque exiſtens ſic probatur aſſertum. Stante illa impotentia perpetua impoſſibilis eſt naturaliter coitus, non minus, ac quando eſt impotentia ratione frigiditatis perpetuæ, ergò ex vi contractus ſic impotens ex maleficio non potuit alteri tradere ius in ſuum corpus in ordine ad coitum coniugalem; ad impoſſibile etenim nullum ius conferri poteſt per allegata ſuperius iura, & parum referre poteſt, quod hæc impotentia, vel ex vno, vel ex altero capite proueniat, & quamuis *in d. c. ex literis* ſolum fiat mentio de impotentia proueniente à natura, non propterea ex eo euincitur, quod, ſi ex alio capite proueniat impotentia ſimilis non dirimat matrimonium, cum idem effectus ſortiatur, licet à diuerſa cauſa,

Attenditur effectus, nō cauſa.

quod, ſi ſpecialitèr ibi fiat mentio de impedimento naturali, hoc eſt ex eo, quod ibi erat ſermo de frigiditate, quæ vt plurimum à natura prouenit, vel quià regularitèr impotentia perpetua à natura ſolet prouenire, & iura vt plurimum conſiderant effectus à natura prouenientes, non à maleficijs, quę ſunt contra naturam; Cæterum iura etiam ſtatuunt impotentiam à maleficio dirimere matrimonium, ſi perpetua ſit, vt conſtat *ex c. fin. 33 q. 1.*, quod receptum eſt communitèr ab Eccleſia, & confirmatur *ex cap. fin. de frig.*, *& malef*

Quomodo autem cenſeatur maleficium perpetuum, tunc dicendū eſt primo, cenſeri perpetuum, quando auferri non poteſt, niſi per miraculum, hoc eſt modo ſupernaturali, & extraordinario *Bonacina q. 3. de matrimon. punct. 13. n. 3. Sanchez lib. 7. diſp 94. n 10.* Ratio eſt, quià illud impedimentum cenſetur perpetuum, quod humana arte, vel per media humana naturalia nequit auferri, ergò quod nonniſi per miraculum auferri poteſt erit perpetuum, ſiquidem humana arte non eſt auferibile. Non dicitur tamen maleficium ſolo miraculo auferibile, quando auferri poteſt per ſolitos Eccleſię exorciſmos, vt conſtat *ex c fin. 33 q 1.*, quandòquidem, licet exorciſmi ſint medium ad Deum ordinatum, à quo impetratur ceſsatio maleficij, non tamen per miraculum obtinent, quià non obtinent modo inſueto, & extraordinario, ſicuti non obtinetur miraculosè ſanitas ab infirmitate, quæ obtinetur per ſolitas, & conſuetas orationes. 26

26 Cenſetur maleficiū perpetuū, quando auferri non poteſt niſi per miraculum.

Non quando auferri poteſt per conſuetos Eccleſiæ exorciſmos.

Secundo maleficij impotentia cenſetur perpetua, quando non poteſt auferri niſi per aliud maleficium *D Thomas in 4 diſt 34. q. vnica art. 3 ad tertium, Abulenſis c. 19. Matthai q. 90 in ſolut. ad tertium, D. Antoninus 3. part tit. 1. cap. 12. §. 3 Aſtenſis 2. part ſumma lib 8. tit. 29. art. vnico q 2. Armilla verbo matrimonium num. 49 Tabiena verbo impedimentum impedimento 11. q. 8 n. 9.* Ratio ex eo deducitur, quià illud impedimentum cenſetur perpetuum, quod non niſi cum peccato auferibile eſt *Gutierrez c. 112. n 2. Henriquez lib. 12. c. 7. num. 9. Sanchez lib. 7. diſp. 93. num. 10. Bonacin. 1 q. 3. punct. 18.* 26

Item eſt perpetuū, quando auferri non poteſt niſi per aliud maleficiū.

*punct.* 13. *n.* 2., nam id dicimur non poſse, quod iure non poſsumus, ſed quando impotentia ex maleficio auferri non poteſt ſine alio maleficio non eſt auferibilis, niſi cum peccato, ſiquidem maleficium ex genere ſuo eſt peccaminoſum læthalitèr, ergò &c. Minor non vertitur in dubium, quandòquidem conſtat ex ſacris literis *Leuitici* 19. *Deuteronom.* 19. *Pauli ad Roman.* 3. Solum difficultas remanet, an liceat maleficiato à malefico parato ad maleficium maleficio ſoluendum petere talem ſolutionem, vel ſaltem, an liceat maleficij ſignum deſtruere ad obtinendam maleficij ſanitatem.

28 **Non licet à malefico parato ad ſoluendũ maleficium maleficio petere eiuſdem ſolutionẽ.**

Quoad primam abſolutè ſentio non licere à malefico parato ad ſoluendum maleficium maleficio petere eiuſdem ſolutionem *Albertus Magnus in* 4. *diſt.* 34. *art.* 9. *Caietanus in ſumma verb maleficium ad finem, & in opuſcul. tom.* 2. *tract.* 12. *de maleficijs q. unica, Phyliarchus de offic. Sacerd. tom* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *c.* 51. *ad fin. Delriò lib.* 6. *diſquiſit magicar. c.* 2. *ſect.* 1. *q.* 2. *dict* 3. Ratio ex eo deducitur, quod grauiſſimè redarguuntur in ſacris literis confugientes ad magos, & ariolos etiam ad bonum eorundem confugientium; & tamen conſtat ſemper eoſdem eſse paratos ad maleficia, & alia huiuſmodi; Neque obeſse poteſt, ſi aſseratur ſic confugientes ad iam paratos maleficia maleficijs ſoluere non cooperari peccato eorundem maleficorum, ſed peccato eorundem vti, ad propriæ neceſſitati conſulendum, ea proportionali ratione, qua, vt alibi diximus, mutuatarius non dicitur cooperari peccato vſurarij parati mutuare cum fænore, ſi ad conſulendum propriæ indigentiæ ab eodem petat mutuum pondens ſolutionem vſurarum; Non, inquam, obeſse poteſt, quandòquidem diſpar omninò eſt ratio, nam mutuatarius petens mutuum ab vſurario quantum eſt ex ſe, petit aliquid, quod ipſe vſurarius poteſt licitè præſtare, quod, ſi non præſtet, eſt ex ipſius prauitate, cui non cooperatur mutuatarius, ſed tantum vtitur peccato ipſius, vt dicitur in inſtantia, ad ſibi ſubueniendum;

**Maleficus non poteſt præſtare illam ſolutionem, niſi per peccatum.**

maleficiatus verò petens etiam à parato maleficia maleficijs tollere, aliquid petit, quod maleficus non poteſt licitè præſtare, adeoque &c. Ex quo facilè erit deducere, quod, ſi maleficiatus maleficum nouerit tollere per remedia, quorum aliqua ſint licita, & naturalia, alia illicita, & præſtigioſa, tunc non peccet petendo ab eodem malefico, vt maleficium ſoluat, quià, vt ſuprà dicebamus de vſurariò, ipſe maleficiatus aliquid peteret, quod maleficus poteſt licitè præſtare, vndè, ſi illicitè, ſeù per media illicita præſtaret, ſibi deberet imputare, nec maleficiatus diceretur cooperari illius peccato, ſed peccato eiuſdem vti ad ſibi ſubueniendum.

**Si maleficiatus nouerit maleficum poſſe arte ſoluendi, ſine nouo maleficio poteſt petere.**

Quid autem ſit dicendum, ſi maleficiatus fuerit in dubio, an calleret maleficus alia remedia licita ſecundum ſe ad ſoluendum maleficium; tunc aſsero, probabilius eſse non poſse petere, quià præſumptio eſt, quod non nouit media licita, cum regularitèr malefici ſola arte Dæmonis vtantur. Quoad ſecundam difficultatem excitatam aduerto *cum Martino del Rio lib.* 6. *diſq magic. c.* 2. *ſect.* 1. *q.* 3. *notabili* 3. maleficium, vel poſse eſse initum cum duplici pacto cum *Dæmone*, vel cum vnico tantum; primo modo contingeret, quando maleficus conueniret cum Dæmone, vt poſito aliquo ſigno teneretur vexare maleficiatum, & eodem ſublato teneretur à vexatione deſiſtere; ſecundo modo contingeret, quandò maleficus ſolum pactum iniret cum Dęmone, vt poſito tali ſigno teneretur nocere alio pacto non adiecto de ceſsatione à nocumento ſublato eo ſigno.

29 **Maleficiũ poteſt iniri cum duplici pacto, vel cum vnico, & quomodo.**

Qua ſuppoſita diſtinctione dico, ſi maleficium factum fuerit cum duplici pacto iuxta modum primo loco expoſitum, & maleficus, vel alius remoueat ſignum maleficij intendens ſibi ſeruare ſecundum pactum, tunc non licere ſignum illud maleficij remouere, vel comburere, ſecus verò, ſi factum fuerit cum vnico tantum pacto iuxta modum ſecundo loco expoſitum.

**Quomodo liceat auferre ſignũ**

Prima pars eſt *Martini del Rio d. lib* 6. *diſquiſit. Magicar. c.* 2 *ſect* 1 *q.* 3. *notab* 3. *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *diſp.* 96. *n.* 1. Secunda pars eſt *Scoti in* 4. *diſt.* 34 *q. unica verſ., & ex hoc patet Thezaurarij in* 4 *part Roſarij verb. matrimonium* 5 §. 38. *Roſella verb. impedimentum impedimento* 15. *n* 18., *& ſeqq. Caietani in ſumma verb. maleficium, Henriquez lib* 12. *de matrimon. c.* 8 *in fin Bannes in* 2. 2. *D. Thomæ q.* 78 *art.* 4 *dub.* 2 *in ſolut. ad quartum*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià per hoc confirmaretur illud ſecundum pactum, & virtute illius ſalus ſperaretur à Dæmone, quod certè iniquum eſt; Neque dicas per hanc maleficij remotionem potius deſtrui, quam firmari, quandòquidem ex duplici pacto vnum deſtruitur altero dumtaxat perſeuerante; contra enim impugnaberis, quià, quod vnum, vel duplex pactum in eodem inuoluatur non importatur niſi maior malitia extenſiuè; cæterum ex eo, quod vnum pactum deſtruatur, ſeù tollatur ſignum, per quod vnum deſtruitur, firmatur aliud pactum, per quod recognoſcitur poteſtas dæmonis, adeoque &c.

**Rationes euincentes reſponſionem.**

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod non ſit malum, nec ratione finis intenti, nec ratione medij adhibiti ad finem illum conſequendum, ergò &c. Antecedens quoad primam partem ex eo euincitur, quod non eſt illicitum intendere ſecundum ſe ſanitatem ademptam, vt per ſe

patet; quoad ſecundam autem ex eo deducitur, quia illa ablatio ſigni ſecundum ſe non eſt mala, quantumvis ordinetur ad ſanitatem recuperandam ablatam à Dæmone, quandoquidem per hoc nullum innouatur pactum cum Dæmone, nec vllus honor, nec amicitia cum ipſo confirmatur; vnde ſi contingeret, quod maleficus maleficium à ſe intentatum fateretur, non eſſet dubium, quod per fidei Inquiſitores compelleretur ad ſignum maleficij remouendum.

30 **Inter cōiugatos maleficium cenſetur perpetuum, quādo per triennium non potuerunt congredi.**

Tertio regulariter inter coniugatos maleficium cenſetur perpetuum, quando ratione eiuſdem ipſi coniuges per triennium continuum, quo dederunt operam copulæ carnali, non potuerunt conſummare *D Thomas in 4. diſtinct. 34. q vnica art. 3. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 2. Scotus q. vnica col. penult., & in ſolut. ad vltim. Riccardus art. 3. q 1. in corpore, & ad primam D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 12. §. 2. Gloſa c. fraternitatis verb. diuinum in poſteriori ſolutione de frigid. Gofredus in ſumma eod. tit. de frigid. num. 9.* Hoc expreſſe colligitur ex textu *in c fin de frigid.* Hæc præcisè innituntur præſumptioni; cæterum ſi poſtea conſtet impotentiam illam ab illo tempore non fuiſſe, nec extitiſſe perpetuam, matrimonium illud non eſſet inualidum, & ſi eſſet diſſolutum per tranſitum ad ſecundas nuptias, eſſet inſtaurandum ijſdem poſterioribus nuptijs diſſolutis. Vide, quæ diximus *ſub hac eadem pranotione aſſertione 4. verſ. 3. inſpicienda eſt frigiditas prope finem.*

31 **Impotētia, quæ prouenit ex caſu quandoq; dirimit, quādoq; non.**

Aſſertio VI. Impotentia, quæ prouenit ex caſu quandoque dirimit matrimonium, quandoque non, prout eſt perpetua, vel temporanea. Eiſdem ferè rationibus innititur hæc aſſertio, quibus præcedentes de impotentia, ſiuè à natura, ſiue à maleficio cum proportione.

32 **Proueniēs ex morbo conſiſtente in ſola humorum intemperie nō dirimit, quamvis morbus haberetur pro incurabili.**

In particulari impotentia, quæ prouenit ex morbo conſiſtente in ſola humorum intemperie, quique ſecundum ſe curabilis reputatur, non reddit inualidum matrimonium eodem morbo perſeuerante celebratum; hæc etenim non eſt perpetua; quinimmo, nec ſi morbus haberetur pro incurabili, quia potentia generandi adhuc perſeuerat, quamvis vſus illius futurus minimè ſit ob impedimentum extrinſecum; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur: quod etiam ſtante maleficio intelligatur potentia generandi, quamvis vſus illius ſit ab extrinſeco impeditus, & tamen ſi illud naturalitèr non ſit auferibile per ſuperius dicta dirimit matrimonium, ergo &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia maleficium ex genere ſuo ſupponitur ſimplicitèr auferre potentiam; non ſic autem morbus, per quem ſolum impeditur vſus ex extrinſeco impedimento. Quinimmò plures docent, nec incongruè, quod ex morbo quis conſtitutus in articulo mortis poſſit valide matrimonium contrahere, & matrimonium illud teneat, & quotquot ſuſtinent illud matrimonium ſic initum habere vim legitimandi prolem antea ſuſceptum

**Etiam ſi affectus eo morbo eſſet in articulo mortis cōſtitutus.**

*Ioannes Andreas regul. ſine culpa dub. 1. de reg. iuris in 6. Cinus in l. nuper num. vnico ff. de nat. lib. Albericus in l. cum quis nu. 5. C. de nat. lib. Aretinus in l ſed eſt quæſitum in fin ff. de lib., & poſth. Tiraquel. in l. ſi vnquam verb. ſuſceperit nu. 73. C. de reuoc. donat Antonius Cucus lib 5. Inſtit. maior tit. 1. num* 138. Ratio huius ampliationis ex eo deſumitur, quod ita in primis habet praxis Eccleſiæ, ſecundum quam nedum eſt permiſſum, ſed etiam conſultum, vt quis concubinam, cui valde erat effectus, ducat, ne ipſius ſalus periclitetur ob defectum propoſiti recedendi ab illa, & decedendi periculum cum prauo effectu ad ipſam; nec ſupponitur dempta potentia generandi, quamuis ex proximo mortis euentu ſit impediendus effectus generationis; hic etenim non eſt de ſubſtantia matrimonij, vt videre eſt in eo, qui matrimonium per verba de præſenti contrahit cum animo, & intentione ingrediendi monaſterium intra bimeſtre à die conſtituti matrimonij, nec obeſſe poteſt textus *in l Titio cum morietur ff de vſufructu*, vbi dicitur, quod inutile eſt legatum vſusfructus pro tempore, quo vſufructuarius eſt prope mortem; nec minus, quod tunc ſint impoſſibilis copula; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia textus *in d. l. Titio cum morietur* procedit tantum quando legatum vſusfructus cedit tantum pro die mortis - ibi - *cum morietur*, quod vtique eſſet inane, cum tantum deberet incipere à die mortis; matrimonium autem, de quo hic agitur, eſſet initum pro tempore habili, licet poſtea ex morte ſuperueniente poſtea ſit dirimendum. Ita *Sanchez lib. 7. de matrimon diſp* 105. *nu.* 3. Ad illud, quod ſubditur dicendum eſt, non eſſe impoſſibilitatem abſolutè, ſed poſſibilitatem habitu, licet ex morbo vſus impediatur, & quovſque viuit habitus poteſt ad actum reduci.

**Inſtantia aduerſus dictum, eiuſq; diſſolutio.**

**Dubiū propoſitum.**

Hic diſputant *DD.*, an per tale matrimonium, ſi forte ineatur in articulo mortis proles ante fornicariè ſuſcepta legitimetur, & an etiam in ordine ad effectum excludendi ſubſtitutum, vt ſi v. gr. Pater illius prolis fornicariè ſuſceptæ, & per matrimonium celebratum in articulo mortis legititimatæ inſtitutus ſit in certa hæreditate, ea adiecta conditione, vt ſi deceſſerit ſine legitima prole, hæreditas tranſeat ad tertiam quandam perſonā, an, inquam, illa proles ſic legitimata excludat illam tertiam perſonam ſubſtitutam ab ea parte hæreditatis, in qua ipſius Pater fuit

inſti-

Digitized by Google

33 *Proles antecedentèr ſuſcepta ſufficientèr legitimatur per matrimonium initum in articulo mortis alterius ex parentibus*

inſtitutus ſub ea lege, & conditione. Ad primum aſſerendum abſolutè eſt prolem ſufficientèr legitimari ad ſuccedendum in bonis paternis *Alexander de Neuo c. commiſſum n. 7. de ſponſalib., & ibi Abbas nu. 3. Angelus auth. quibus mod. natural. efficiantur legit. in princip. n. 2. Brunellus de ſponſalib. concl. 2. amplias. 4. num. 19. Franeus reg ſine culpa num. 3. de reg. iur. in 6. Durans de arte teſtandi tit. 1. de his, qui non habent factionem teſtamenti caut. 14. num. 2.*, & alij magis communitèr. Ratio eſt, quià matrimonium ſubſequens legitimè initum purgat omnia antecedentia, & fictione iuris id præſtat, quod præſtaret, ſi ante ſuſceptionem prolis eſset legitimè initum; repugnat autem, quod matrimonium ſit legitimum, & proles ex eodem ſuſcepta non intelligatur legitimata in ordine ad ſuccedendum in bonis patris, prout rectè adnotauit *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 105. n. 5.* Neque in hoc audiendus eſt *Baldus in l. eam, quam num. 27. C. de fideicom.*, qui exiſtimat matrimonium in tantum habere vim legitimandæ prolis, inquantum initur ſpe futuræ prolis ſuſcipiendæ per textum *in l. nuper C. de natu liber.*, quod certè non euenit, quando proles antę ipſum matrimonium ſuſcepta iam eſt; & vlterius ſentit, quod adhoc, vt proles legitimatur requiratur, quod conſtituatur dos ad ſuſtinenda onera matrimonij, quæ certè in eo caſu non poteſt conſtitui; Non, inquam audiendus eſt, quià textus ille *in l. nuper C. de natur. lib.* non eſt intelligendus de prole, ſeù ſpe prolis quomodocunque ſuſcipiendæ, ſed de ſpe prolis legitimæ ſuſcipiendæ, vel legitimæ efficiendæ, ſi fortè fuerit fornicariè antea ſuſcepta, prout etiam concedit idem *Baldus in d. l. nuper C. de nat. lib.*

*Rationes obſtantes, earumque ſolutio.*

Ad illud, quod ſubditūr dicendum eſt ad legitimitatem prolis non requiri conſtitutionem dotis, cum maritus etiam ſine dote poſſit legitimè contrahere matrimonium, nec proindè proles ex eodem ſuſcepta debet reputari illegitima. Deindè onera matrimonij non ſolum conſiſtunt in oneribus durante matrimonio, ſed etiam in oneribus eodem diſsoluto in educatione prolis, aliorumque neceſsariorum.

34 *Ea legitimatio etiā prodeſt ad effectum excludendi ſubſtitutū.*

Ad ſecundum aſſerendum eſt eam legitimationem etiam prodeſse ad effectum excludendi ſubſtitutum *Baldus conſil. 319. nu. 1. vol. 4. Bartolomeus Socinus l. ſed, & ſi quantum n. 2. ff. de lib., & poſth Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 2. n. 10. Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 81. n. 29., & lib. 5. præſumpt. 5. n. 16. Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 13. num. 2., & 5. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 7. nu. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià hic verificatur, quod inſtitutus non decedat ſine legitima prole, quandòquidem per matrimonium etiam in articulo mortis celebratum illa facta eſt legitima, ergò non intelligitur purificata conditio, ratione cuius ſubſtitutus debeat, & poſſit ſuccedere; Nec obſtarę poteſt, ſi aſſeratur, quod illud matrimonium præſumatur factum in fraudem ſubſtituti, adeoque quod nequeat ipſum excludere; Non, inquam, obſtare poteſt, quià quidquid ſit, an matrimonium dolosè initum ad eum effectum excludendi ſubſtitutum ipſum excludat, nec ne, de qua re immediatè ſubdam, adhuc non euincitur, quod præſumptio ſit, quod fuerit in fraudem initum, quandòquidem fortior præſumptio viget, quod initum fuerit in bonum prolis, & ad euitandum damnum ſalutis æternæ in ipſo conſtituto in articulo mortis, & licet ex hoc ſequatur defraudatio ſubſtituti, hoc indirectè tantum, & in conſequentiam venit; attendendum autem eſt id, quod principalitèr ſit, & intenditur per textum *in l. ſi quis, nec cauſam, ff. ſi certum petatur, & l. 1 ff. de author. tut.*

*Initum fuit illud matrimonium in bonum prolis,*

Vtrum autem per illud matrimonium initum in articulo mortis excludatur ſubſtitutus, ſi initum fuerit cum animo expreſſo, vel ſufficientèr declarato de eodem defraudando diſſidium maximum eſt inter DD. Decius *conſ. 399. in fin. vol. 3. Præpoſitus c. tanta n. 7 in fin. qui fil. ſint legit. Pariſius conſ. 13. num. 68. vol. 1.*, & alij magis communitèr ſuſtinent in ea hypotheſi per illud matrimonium ſic initum non excludi ſubſtitutum, quod contendunt euincere, tum ex eo, quod profeſſio in articulo mortis emiſsa per inſtitutum in fraudem ſubſtituti non excludit eundem ſubſtitutum, quamuis eundem excluderet, ſi eſset legitimè emiſsa ſine fraude, cum ſuccederet monaſterium ad excluſionem ipſius per textum *in c. in præſentia de probat.* hocque idem ex paritate rationis extendunt etiam ad contrahentem matrimonium in articulo mortis in fraudem ſubſtituti argumēto matrimonij ſpiritualis ad corporale; tum ex eo, quod Patre conſtituente dotem filiæ infirmæ ſub ea lege, & conditione, vt filia decedente in matrimonio dos ſibi reddatur maritus eiuſdem filiæ non poteſt eam dotem ſibi detinere cum excluſione Patris, ſi ipſe maritus etiam habens legitimam cauſam diuortij idem diuortium celebrat in fraudem Patris, ne ſcilicet dicatur ipſius filia in matrimonio decediſse per textum *in l. filia mea emancipata 60. ff. ſol. matrimonio*, ergò etiam &c.; tum ex eo, quod habetur *ex l. 2. ff. de aqua pluuial. arcen.*, vbi deciditur auertentem flumen non teneri de dolo, quantumvis vicino noceat, dummodò hoc non fecerit animo eidem vicino nocendi; tandem ex eo, quod via fraudibus aperiretur, & delinquentes im-

*An excludat, ſi matrimonium initum fuerit cum expreſſo animo fraudandi ſubſtitutum,*

*Sententia aſſerens nō excludi.*

*Ipſius rationes.*

35 *Sententia aſſerens excludi præfertur.*

punè

Digitized by Google

ptinè ſe haberet. Contrariam ſententiam ſuſtinent *Baldus rub. C. de priuileg. dotis nu.2 Sarmiento lib. 1. ſelect. c. 6. n. 8 Ioannes Garzia de nobilit gloſ. 21. n 58., & tract. de hypotheca poſt contractum n.14. Molina tom. 1 de iuſt. tract. 2. diſp. 172. ad fin.* Rationes plures affert *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 105. num* 10. Nobis cum hac ſecunda ſententia opinantibus hæc vna fundamentalis ſufficiat, quià illud matrimonium ſecundum ſe, & ex obiecto licitum eſt, & ex genere ſuo reddit legitimam prolem antecedenter ſuſceptam, ergò ex praua intentione parentis ſic nubentis, nec matrimonium inualidum conſtituetur, nec proles illegitima reddetur. Antecedens patet, quià licet contrahat cum illa praua intentione verè tamen conſentit in illud matrimonium, & ex matrimonio validè contracto proles legitimatur propriè; nec ex illa praua intentione afficitur, vt actus matrimonij ſit damni cauſa, ſed tantum, quod ſic prauè intendens malè operetur. Ad argumenta, quæ ex aduerſo afferuntur, dicendum eſt, & quidem ad primum aduertere in primis operæ pretium eſt, an illa profeſſio emiſſa in articulo mortis per inſtitutum fuerit emiſſa poſt tempus legitimè præſcriptum ad probationem, vel ante illud ex ſpeciali priuilegio ad effectum conſequendi indulgentias annexas illi actui; ſi fuerit legitimè emiſſa iuxtà primum ſenſum non video, cur, quantumvis fuerit emiſſa cum illa intentione excludendi ſubſtitutum, non teneat, & non pariat effectum excluſionis eiuſdem, quià profeſſio illa ſecundum ſe tenet, & ſecundum ſui naturam facit ſuccedere monaſterium, cui non poteſt obeſſe illa praua intentio; ſi fuerit emiſſa iuxta ſecundum ſenſum tunc certè, quamvis profeſſio illa teneat ad effectum indulgentias conſequendi, non tenet tamen, quod effectum excludendi ſubſtitutum, niſi poſtea tempore opportuno fuerit ratificata; nam conceſſio illa emittendi profeſſionem ante annum probationis ratione infirmitatis eſt facta ex beneplacito Apoſtolico ad conſolationem animæ eius, qui ſic profitetur propter indulgentias lucrandas, vt concedit Pius V. monialibus S Dominici, quam conceſſionem refert *Ioannes Baptiſta Confoelas in collectione Priuilegiorum mendicantium priuil. 7. ſub Pio V., & Hieronimus Sorbus Capucinus in compendio mendicantium ſub tit Abbatiſſa §. eſt hic aduertendum*, quæ conceſſio per participationem extenditur ad alios Religioſos communicantes; Nec tamen priuilegium hoc extenditur ad alios effectus præterquam ad effectum conſequendi indulgentias illi actui annexas, quandò quidem priuilegium debet ſtrictè interpretari, potiſſimum quandò vergit in damnum

**Soluuntur argumenta contrariæ ſententiæ,**

tertij, *Henriquez lib. 7. c. 30. nu. 3.* Quod, ſi velis latè intelligere textum *in d. cap. in præſentia de probat.*, & abſolutè aſſerere profeſſionem emiſſam in articulo mortis ab inſtituto hærede excludere ſubſtitutum, ſi fuerit emiſſa, ſine animo fraudandi eundem ſubſtitutum, non excludere verò, ſi fuerit emiſſa cum tali animo; tunc dicendum erit, non currere paritatem cum eo, qui contraxit matrimonium in articulo mortis, vel cum animo excludendi ſubſtitutum, vel ſine tali animo. Rationem diuerſitatis aſſignat *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 105. num.* 11., ſitam in eo, quod profeſſio in Religione excludit ſubſtitutum potius ex iuris poteſtate volentis monaſterium haberi loco filij, quam ex teſtatoris diſpoſitione; at matrimonium excludit ſubſtitutum potius ex voluntate teſtatoris volentis prolem per matrimonium legitimatam haberi pro verè prole; vnde in ijs, quæ ſunt ex poteſtate iuris fraus non ſuffragatur, cum lex intelligenda ſit de prole iuſtè ſuſcepta; in ijs autem, quæ ſunt ex voluntate teſtatoris in ordine ad prolem praua intentio ſubſtituti non poteſt eidem proli refragari. Ad ſecundum dicendum eſt rectè procedere illum textum, & ea, quæ ex eodem inferuntur, ſed non ob eam rationem, quæ præcisè innuitur in argumento, proptèr ſolum ſcilicet animum fraudandi, ſed quià talis præſumitur fuiſſe voluntas Patris dotantis, qui ſcilicet voluit tantum ſibi prouidere in ſolo mortis caſu, quod etiam expreſſè indicauit *Gloſa in d. l filia mea emancipata, ff. ſol. matrim. in verbo redderet*, vbi habet. *Cum in caſu mortis tantum ſibi proſpexerit Pater*. Ad tertium dicendum eſt, eum textum non procedere ex ſolo animo alteri nocendi, ſed ex actione externa iniurioſa, ob quam lex concedit actionem ex dolo. *Nauarra lib 3. de reſtitutione c. 5. in noua edit. dub.* 1. *n.* 12. Ad vltimum tandem dic non eſſe abſurdum aſſerere non eſſe propriè fraudes, quandò quis vtitur iure ſuo, licet quandòque grauitèr peccet illo iure vtendo ob prauam intentionem nocendi alteri.

**Diſcrimen inter profeſſionem in Religione, & matrimonium**

**Cum quis vtitur iure ſuo fraudem non committit.**

Secundo in particulari impotentia moralis, quæ prouenit ex lepra in altero coniuge exiſtente non irritat matrimonium *Gutierez de matrimon. cap* 112. *num* 5. *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 92. num. 6.* hocque expreſſè colligitur *ex text in c. 2. de con., & lepros* Ratio huius illationis non ſolum deducitur ex eo, quod hæc impotentia ſit temporalis, & amouibilis, ſed etiam, & præcipuè, quià, licet ſit difficultas congrediendi, & periculum infectionis non eſt tamen impotentia ad congrediendum *Bonacina de matrimon. quæſt. 3. punct. 3. num.* 15. 36

**Impotentia, quæ prouenit ex lepra in altero coniuge non irritat**

Tertio impotentia, quæ eſt in caſtratis, 37

ſeù

Digitized by Google

*Impotẽtia in ſpadonibus carẽtibus vtroq; teſte dirimit, ſecus ſi vno tantũ careant.*

ſeu ſpadonibus, ſi ſit ex defectu vnius tantum teſticuli non eſt ſimpliciter impotentia, nec apta ad irritandum matrimonium, ſi ſit ex defectu vtriuſque teſticuli, & eſt impotentia ſimpliciter, & matrimonium contrahendum, ſeu contractum dirimit, ſi fuerit antecedens. Prima pars eſt *Anchar rani c. 2. in fin. de frigid. Canalean. 2. part. decis. 18, num 6. Lancel Inſtit. iur. can. lib. 2. tit. quæ matrim. imped. poſ. §. item frigiditas verb. natura* ſecunda pars eſt *D. Thoma in 4. diſt. 34 in fin. in expoſit. litera, & ibi Albertus Magnus art. 4. in corpore Victoria in ſumma vbi de matrimon. num. 283. Toleti lib. 7. ſumma cap. 12. num. 2. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 10. nu. vlt. Valentia 4 part. diſp. 10. q 4. punct. 3., vbi de impotentia in fine*, & ex Iuriſtis *Goffredi in ſumma tit. de frig., & maleficiat. num 5. Bolognesi in l. 1. num. 51. ff. ſolut. matrimon. Conſtaui tract. de ſponſalib. tit. de his, qui nupt. contrahi non poſſunt num. 72.* Prima pars, præterquam quod euincitur *ex l. ſi ſerua § ſi ſpadoni ff. de iure dot., & ex l. ſed eſt quæſitum verb. ſpadonem ff. de liberis, & poſth.*, quos textus explicat reſpectiue Gloſa de ſpadonibus, ſeu Eunuchis vnico tantum teſticulo carentibus, ex eo potiſſimum deducitur, quia ſic Eunuchus nõ ſolum poteſt membrum erigere, ſed etiam verum ſemen aptum generationi emittere, quandoquidem teſticulus ille, quo gaudet, aptus eſt ad recipiendos ſpiritus à partibus principalioribus dimiſſos, eoſque ad omnes partes corporis reflectere, ergo &c. Secunda pars ex eo deducitur, quia, quantumvis eunuchi vtroque teſticulo carentes poſſint quandoque membrum erigere, & materiam quandam aqueam emittere, illa tamen materia non eſt apta ad generationem, vt late probat *Antonius Muſa in aphoriſmos Hypocratis, & Galeni lib. 6. Aphoriſ. 28 Nicolaus Florentinus de membris naturalibus ferm. 6. tract. 1. c. 3. ad fin*, & ratio à priori ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, nempe partes principaliores corporis, cor ſcilicet, iecur, & cerebrum tranſmittere ſpiritus ad teſticulos, qui apti ſunt illos recipere, & reflectere ad vniuerſas partes corporis, illaſque calefacere, quibus propterea deficientibus corpus inane eſt ad verum ſemen producendum; vnde merito Sixtus Quintus in quodam motu proprio de anno 1587. declarauit matrimonium initum per Eunuchum vtroque teſticulo carentem inualidum eſſe.

*Materia ſpadonum vtroq; teſte carentium nõ eſt apta ad generationem.*

38 *Impotẽtia, quæ prouenit ex ſterilitate præciſe non irritat.*

Quarto impotentia, quæ prouenit ex ſterilitate præciſe, non irritat matrimonium *D. Thomas in 4. diſt. 34. q. unica art. 2. ad tertium*, quem omnes fere ſequuntur, tam ex Theologis, quam ex Canoniſtis *Barboſa in l. 1. p. 1. num 98. ff. ſol. matrimon.* hocque probat communis Eccleſiæ praxis, quæ probat nunquam ſterilium matrimonia irritaſſe, & ſemper admiſiſſe matrimonia inter ſenes, qui certè ex defectu ſpirituum ſupponuntur ſteriles, & inepti ad generationem. Rationem deducunt ex eo, quia quantumvis ſteriles inepti ſint ad finem primarium matrimonij, nempe ad generationem prolis non ſunt tamen inepti ad finem ſecundarium, nempe ad concupiſcentiam ſedandam; quandoquidem poſſunt ſemen emittere, per quod illa comprimatur; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ſuperius dicebamus de ſpadonibus vtroque teſticulo carentibus, qui quandoque virgam erigunt, & materiam quandam ſpiſſam emittunt, quæ videtur quodamodo apta ad ſedandam concupiſcentiam, & tamen quia apta non eſt ad generationem non compatitur cum matrimonio valido; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quandoquidem materia illa aquoſa, quæ forte emittitur à ſpadonibus vtroque teſticulo carentibus nec eſt apta ad generationem, nec ad concupiſcentiam ſedandam, cum ſit ſolummodo humor quidem ex ſuperficiebus intimis corporis emiſſus; ac ſemen illud à ſterilibus emiſſum, quamvis non ſit aptum ad generationem, eſt tamen aptum ad concupiſcentiam ſedandam, quæ forte vehementius viget in ſterilibus, qui gaudent inſtrumentis proportionatis, quamvis ex aliqua cauſa ſemen ab eiſdem emiſſum non ſit validum ad prolem progignendam.

*Ratio euincens intentum.*

Aſſertio VII. Impotentia, quæ prouenit ratione ætatis, quandoque irritat matrimonium, quandoque non. Hæc autem impotentia ratione ætatis, vel conſiderari poteſt in impubere, qui nondum ad legitimam ætatem à iure ſtatutam ad contrahendum peruenerit, vel in ſene, qui ratione debilitatis non poſſit conſummare. Aſſertio diluetur in ſingularibus caſibus mox exponendis. 39

*Impotẽtia quæ prouenit ratione ætatis, quãdoq; irritat, quandoq; non.*

Ratione ætatis in impubere inualidum eſt matrimonium regularitèr loquendo contractum à maſculo ante decimum quartum annum completum, & à fæmina ante annum duodecimum per textum, *in c. continebatur de deſp. impub., & c. atteſtationes, & c. ex literis eod. tit.*, & ratio eſt, quià nonniſi tunc præſumuntur habiles ad copulam, & ad conſenſum coniugalem *Gloſa fin. in c. puberes de deſponſ impub.* Quod autem requiratur ea ætas completa colligitur *ex d. c. atteſtationes*, vbi dicitur *antequam ad annum decimum quartum perueniſſet*, & *ex c. ex literis*, ibi; *donec compleat puer annum decimum quartum*; Non ità tamen rigoroſè, & metamaticè ſuſtinendum eſt hoc complementum ætatis, vt requiratur complementum etiam vltimæ diei, ſed ſufficit, ſi hæc fuerit incæpta *Ioannes Andreas c. fin. n. 3. de deſponſat. impub. Abbas c. atteſtationes n. 7. eod. tit. Silueſter*

40 *Ætas ad validè contrahendum requiſita in maſculo, & fæmina.*

*Sufficit, ſi dies vltima fuerit incæpta.*

Digitized by Google

*ſter verb. matrimonium. 5. q. 5. Tabiena verb. matrimonium 2. q. 6. nu. 7.* nam, licet talis ætas aſſignetur tanquam terminus, quià tamen verſamur in fauore matrimonij, quod æque gaudet priuilegijs, ac teſtamentum admittit intra eandem diem hanc interpretationem, ſicuti admittit idem teſtamentum per textum *in l. qua ætate, ff. de teſtam.* Non tamen admitterem in hoc genere matrimonij eam latitudinem ad tres dies ante completam illam ætatem, quam admittunt *Hoſtienſis in cap. puberes n. 5. de deſponſ. impub. VeraCrux prima part. ſpecul. art. 16. verſ. 1 ſponſalia*, quod magis extendit *Martinus à Ledeſma 2. p. 4. q. 6. art. 1, verſ. haſitabis vlterius* nempe ad decem dies; Non, inquam, hoc admitterem, quandòquidem non poteſt dici decimus quartus annus completus defficientibus duobus, vel tribus diebus, & incongruè doctores inquirerent, an ſubſiſtat matrimonium, ſi celebretur in die incæpta, qua completur talis annus, ſi ſubſiſteret etiam deficientibus diebus, & hoc ſpecialitèr inductum eſt fauore matrimonij.

Nô tamen admittenda eſt extenſio ad tres dies ante complementũ.

41 Inualiditas ante talem ætatem, eſt tantum de iure Eccleſiaſtico.

Ita ſentiunt in terminis proprijs *Abbas c. fin. n. 6. de deſponſ. impuberum, Henricus cap. puberes n. 5. eod. tit. Sotus in 4. diſt. 35 q. unica art. 5. verſ. at vero virum.* Hæc autem inualiditas ante decimum quartum annum completum in maſculo, & ante duodecimum in fæmina inducta tantum eſt de iure Eccleſiaſtico, prout latè ſuſtinent *D. Thomas in 4 diſt. 36. q. unica art. 5 in corpor. Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſalib. conſ. 39. à num. 7. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 7. n. 1. Veracrux prima part. ſpecul. art. 39. concl. 1.*; non enim eſt impotentia perpetua, ſed temporalis, in qua vtrum poſſit Epiſcopus diſpenſare, videbitur in diſquiſitionibus. An verò, ſi maſculus, vel fæmina ad legitimam ætatem à iure præſcriptam peruenerit, ſit tamen adhuc impotens ad generandum, legitimè, & validè in ea contrahat. Sentiendum eſt abſolutè poſſe legitimè, & validè contrahere niſi illa impotentia ex alio capite eſſet perpetua. *Hoſtienſis cap. puberes n. 5. de deſponſat. impub. Henricus c. fraternitatis num. 3. de frigid., & maleſic. Silueſter verb. matrimon. 5. qu. 7. Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſalib. conſ. 39 nu. in 14., & in 2. tit. de deſponſat. impub. conſ. 4. num. 14. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 13 n. 10. in comm. lit. E. Couaruuias 4. 4. decret. 2. part. c. 5 num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià nullitas matrimonij proueniens ex defectu ætatis per ſuperius dicta non eſt de iure naturæ, ſed de iure dumtaxat Eccleſiaſtico, cum ſit dumtaxat ex impotentia temporali, non perpetua, ergò, vbi aderit legitima ætas à iure Eccleſiaſtico præſcripta, quantumvis ſit aliqua impotentia temporalis ad perfectum congreſſum non erit inualiditas matrimonij, dummodò alia ſubſtantialia concurrant. Accedit, quod, ſi infideles habito perfecto vſu rationis matrimonium contrahant ante ætatem à iure Eccleſiaſtico præſcriptam validè contrahant, cum ius Eccleſiaſticum ipſos non afficiat, *Veracrux prima part. ſpec. art. 39. concl. 1. Matienzo lib. 5. recop. tit. 1. rub. gloſ. 1. nu. 19. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 7. num. 1. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 58. art. 5. paulo poſt princip.*, & tamen in illis non ſupponitur potentia ad perfectè congrediendum, ergò, ſi fideles habito perfecto vſu rationis, & acquiſita legitima ætate contrahant, validè contrahent; non enim irritabitur contractus de lege naturæ, cæteroqui irritaretur etiam in infidelibus, neque de iure Eccleſiaſtico, cum ius Eccleſiaſticum ſolum irritet matrimonium inter ſuos ſubditos, quando illud contrahitur ante legitimam ætatem ab eodem iure præſcriptam; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ dicta ſunt *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. l. pranot. 2. nu. 11.* nempè ſponſalia poſt ſeptimum annum completum inita non tenere, quando pro ea ætate non eſt acquiſitus perfectus vſus rationis, ergò etiam &c. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià quando non adeſt perfectus vſus rationis ſponſalia irritantur de iure naturæ, cum deficiat forma ſubſtantialis contractus, quæ eſt legitimus, & liber conſenſus, & iura præſcribentia ſeptimum annum completum fundantur in præſumptione, quod pro ea ætate regularitèr vſus rationis acquiratur, qui, ſi defecerit ex deficientia formæ ſubſtantialis deficit ipſe contractus; quandò verò deficit ſolummodò potentia generandi ad tempus, matrimonium irritatur dumtaxat de iure Eccleſiaſtico, adeoque non eſt, quod, ſi &c. Quamuis autem de iure Eccleſiaſtico requiratur ad validitatem matrimonij ætas decimiquarti completi in maſculo, & duodecimi in fæmina, non tollitur tamen, quod, ſi antea prædictam ætatem, vel in maſculo, vel in fæmina malitia præueniat ætatem, quatenus ante illam ſit perfecta deliberatio, & potentia generandi non teneat matrimonium. *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 104. num. 5.* & expreſsè colligitur *ex c. de illis 1, & c. puberes, & c. fin. de deſponſat. impub.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quià iura præſcribunt eam ætatem, quià præſumunt in ipſa dumtaxat pueros acquirere potentiam ad generandum, ergò, ſi reuera ante illam ætatem fuerit potentia generandi cum debita diſcretione præſumptionibus cedentibus veritati poterit validò matrimonium iniri.

42 Si contrahentes fuerint in legitima ætate, ſint tamen impotẽtes ad generandũ validè contrahunt

Non currit paritas quoad ſpõſalia ante ſeptenniũ,

43 Malitia tamen in hoc poteſt ſupplere defectum ætatis.

44 Ratione ætatis in ſenibus regularitèr non arcentur ſenes, quantumvis decrepiti

Senes, quãtumvis decrepiti nó arcentur à validè contrahendo.

piti à matrimonio contrahendo, & ſi contrahunt, validè contrahunt. *Nicolaus de Lira 3. Reg. cap. 1. Maior in 4. diſt. 34. q. 1. col. 2. arg 1. contra ſecundum concl. Henriquez de matrimon. c 12. num. 3. Iaſon. in l. 1. n. 34. ff. ſol. matrimon. Angelus l. ſed eſt quæſitum nu. 1. ff. de lib., & poſth. Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 2. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 13. Barboſa l. 1. part. 1. n. 49. ff. ſol. matrimon.* Ratio ex eo deducitur, quià regularitèr nullus præſumitur ita ſenex, vt aliquis igniculus, quovſque viuit, non ardeat, & licet vires intelligantur quoquo modo attenuatæ, tales tamen non præſumuntur, quin aliqua arte medicinæ poſſint corroborari ad coitum, vnde merito dicitur *in l. ſed eſt quæſitum 6. ff de lib., & poſth.*, quod, *nec ætas impedimento eſt*, & communis Eccleſiæ praxis nunquam conſueuit matrimonia ſenum dirimere. Dixi, *regularitèr*, non enim negauerim, quod, ſi ſenex ità ſit viribus exhauſtus, vt omninò ſit impotens ad copulam, non poſſit validè matrimonium contrahere, quidquid ex aduerſo dixerint, *Antoninus c 2. de frig., & malef. Iaſon. in l. ſed eſt quæſitum num. 1. not. 1. ff. de liberis, & Poſtum. Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit de ſponſalib. conſ. 29. n. 15.* Limitationem noſtram ſuſtinent *Gloſa in cap. 2. in fin. de frigid., & malef, & in l. ſed eſt quæſitum ſexto verb. nec ætat. ff de lib., & poſt. Hoſtienſis c. 2. in fin. de frigid, & malef Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 8. tit. 26. art. vnico quæſt. 1. Sotus in 4. diſt. 34. q. vnica, Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 92. n. 24. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 3. num. 18.* Ratio ex eo deducitur, quià tale matrimonium careret fine tàm primario, quàm ſecundario à natura, & à iuribus intento; Nec obeſse poteſt, ſi dicatur in eodem adhuc remanere potentiam ab intrinſeco ad copulam perfectam, quamvis ratione ætatis intelligatur per accidens impedita, prout dicunt DD. pro contraria ſententia allegati; Non, inquam, obeſse poteſt, quià hac etiam ratione poſsent etiam alligati impotentia perpetua ratione maleficij validè contrahere, quià ſemper dici poſset, quod adeſset potentia ab intrinſeco ad generandum, quamvis per accidens ratione maleficij eſset impedita; quamobrem illa impotentia ſufficit ad irritandum matrimonium, ſiuè proueniat à natura, ſiuè ab arte, ſiuè à caſu, ſiuè à quocunque alio motiuo, dummodò ſit perpetua, & humana arte non auferibilis.

Limitatio ad prædicta.

45 In dubio, an impotentia ſit perpetua, vel temporalis conceditur trienium coniugatis ad experiendum de potentia.

Aſsertio VIII. In dubio, quod impotentia ſit temporalis, vel perpetua conceditur triennium coniugatis ad experiendum, an poſſint conſummare; Hæc aſsertio procedit in ſuppoſitione, quod verè ſit dubium, ſi enim ſint ſigna neceſſario, & euidentèr concludentia impotentiam perpetuam nulla temporis interpoſita mora eſt matrimonium diſſoluendum; nam iura, quæ præſcribunt expectationem triennij ad probandā impotentiam perpetuam, procedunt dumtaxat in ſuppoſitione, qua prius non poſſit probari; per textum *in c. laudabilem de frig., & malef.*; probari autem poteſt antecedentèr, quando ſunt ſigna euidentèr eandem concludentia; ſiverò ſint ſigna non euidentèr concludentia impotentiam perpetuam, ſed veriſimilitèr euidentia, tunc non eſt expectandum triennium, ſed requiritur iuramentum coniugum aſserentium ſe non poſse coire, & vlterius ſeptimæ manus propinquorum iurantium ſe credere eos verum fateri, prout docent *Antoninus c. laudabilem n. 14. de frig., & malef., & ibi Alexander de Neuo nu. 17.* nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem cum impotentia proximè accedat ad euidentem probationem, non exigit illud experimentum, quod exigit, quandò eſt omninò dubia, ex alio capite cum non ſit omninò euidens exigit maiorem probationem, ac quando eſt plenè euidens.

46 Quænam ſigna euidentèr indicent perpetuitatem.

Si autem inquiras, quomodo, & quando impotentia habeatur per ſigna euidentèr concludentia, & quando ſolum veriſimilitèr euidentia. Quoad prima facilè liquet ex ſupradictis, ſi primo virilia omninò abſciſsa ſint; ſecundò, ſi vir careat vtroque teſticulo. Tertio, ſi virilia omninò arida ſint, quidquid aliqui aſserant dicentes, hoc non eſse ſignum omninò certum, & euidens, ſed ſolummodò veriſimilitèr tale, cum ſtante eadem ariditate, & ſiccitate poſſit vrina emitti, adeoque etiam ſemen *Innocentius cap. 1. n. 1. verſ. vel potest dicere de frig., & malef. Antoninus c. laudabilem n. 14. eod. tit.* Ratio ex eo deſumitur, quod quamuis membrum virile poſſit emittere vrinam, non propterea ſequitur, quod poſſit emittere ſemen, cum vrina, & ſemen in diuerſis vaſis generentur, & diuerſo modo. Quamobrem hac in re cum diſtinctione procedendum exiſtimo; vel enim omninò virilia arida ſunt, & ſicca, vel talia, vt medici iudicio poſſint adiuuari; iuxta primum modum inducunt ſignum omninò euidens, nec expectandum eſt triennium ad experimentum, nec inducunt obligationem iuramenti coniugum, & ſeptimæ manus propinquorum; iuxta ſecundum modum non indigent quidem expectatione triennij, ſed iuramento ipſorum coniugum aſserentium ſe eſse impotentes, & ſeptimæ manus propinquorum. Diſputant hic DD. primo, an ſi fæmina ſit arcta, inducat ſignum omninò euidens impotentiæ perpetuæ. Secundo, an maleficium ſit ſignum omninò euidens, & neceſsariò concludens. Tertio, an ſit ſignum euidens impoten-

Quomodo ex ariditate virilium poſſit coniici.



Digitized by Google

Quomodo ex arctitudine, & maleficio, exſtg dicare ſit conijciendum,

potentię ratione frigiditatis, ſi vir ab alio matrimonio ratione eiuſdem fuerit iuridicè, & per ſententiam ſeparatus. Ad primum cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo, iuxta ſuperius dicta, vel etenim ita arcta eſt, vt cuilibet inſpicienti clare liqueat eam non eſſe capacem alicuius inſtrumenti virilis, & tunc ſentiendum eſt, eſſe ſignum euidenter concludens, nec indigere aliqua alia *Speculator tit. de frig., & malef.* §. *vnico num. 3.*, vel ità arcta eſt, vt non liquido conſtet, eſſe incapacem, quantumvis à matronis iudicetur talis, & tunc non indiget quidem expectatione triennij, ſed exigit iuramentum coniugum, & ſeptimæ manus propinquorum, quia iudicium matronarum ſępe eſt fallax, quinimmo, & medicorum *Antoninus c. fin. num. 8. de frig., & malef. Alexander de Neuo in c. laudabilem num. 16., & ſeqq. eod. tit.* Ad ſecundum aſſerendum eſt maleficium non eſſe ſignum euidens impotentiæ perpetuę, quinimmo nec veriſimiliter euidenter concludens *Ioannes Andreas c. fin. ad fin. de frigid., & malef. Roſella verb. diuortium num. 4. fin. Turrecremata c. fin. num. vltim. 33. q. 1. Henriquez lib. 12. de matrim. c. 7. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia cum talis impotentia non ſit naturalis, ſed omnino accidentalis, & arte dæmonum non poteſt ita clare patere, vt in perpetuum duratura, quin temporis decurſu poſſit ſuperari. Excipe tamen in caſu, quo arte dæmonum eſſent virilia amputata, vel deſtructa, vt non niſi cum miraculo poſſent reparari; nam tunc eſſet ſignum euidens, & neceſſario concludens impotentiæ. Ad tertiam dicendum eſt conſtante de ſeparatione per ſententiam definitiuam cum cognitione exacta cauſæ ſufficienter conſtare de impotentia perpetua, vnde eſſet immediate diſſòluendum ſecundum matrimonium. *Antonius cap. laudabilem num. 14. de frig., & maleficiatis Sanchez de matrimon. diſp. 99. num. 6.*

47 Non ſtatur confeſſioni coniugum, ſed expectandũ eſt triennium.

Quando autem euidentèr non conſtat ſecundum ſe de impotentia perpetua, ſed vterque coniux eam fatetur non eſt ſtandum ipſorum confeſſioni, ſed expectandum eſt triennium ad experiendum *D. Thomas in 4. diſt. 34. in fine in expoſitione litera Magiſtri verſ. ſeptima manu D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 12.* §. *3. ad finem Angles Floribus pr. part. vbi de matrim. q. 8. art. 1. dub. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia *in c. laudabilem de frig., & malef.* præſcribitur tempus triennij ad experiendum, quando non conſtat de frigiditate manifeſtè; ex confeſſione autem præciſe coniugum, niſi concurrant alia adminicula euidenter concludentia ſimul cum illa non manifeſtè conſtat; cum vel ipſi ignorare poſſint cauſam perpetuitatis, vel fortè ex aliquo fine eum nolle cognoſcere; Neque obeſſe poteſt primo textus *in c. 1. de frigid., & malef.* vbi dicitur diſſolui poſſe matrimoniũ, ſi vir poſt menſem, aut trimeſtre, aut ante annum ab inito matrimonio fateatur propriam frigiditatem, & vxor eandem affirmat; Non, inquam, obeſſe poteſt; quia textus ille procedit ſolummodo, quando euidenter conſtat de impotentia perpetua ratione frigiditatis *Cardin. c. 1. num. 1. verſ. præmitto pro intellectu de frigid., & maleficiatis Nauarrus lib. 4. conſil. tit. de frig. 10. conſ. 1. Specul. tit. de frig.* §. *vnico num. 3. Ioannes Andreas tract. de matrimon. num. 16. Caualcanus 2. part. deciſ. 18. num. 7.* Nec item obeſſe poteſt ſecundo, ſi aſſeratur *in d. c. laudabilem de frig., & malef.* ſolum dici, quod requiratur triennium, quando alter tantum coniugum fatetur impotentiam altero negante, ſecus quando vterque fatetur imporentiam, nam tunc non ponitur expreſſio triennij, quando autem fit diuiſio per paragraphum, vel verſiculum contenta in priori clauſula non referuntur ad contenta in poſteriori *Gloſa in c. vnico verb. ſi ſcilicet de poſtul. prælat.* niſi addatur particula, vt præfertur, vel iuxta præmiſſa *Alexander de Neuo d. c. laudabilem num. 9. de frig., & malef.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia Pontifex in tota ea deciſione, quæ continetur *in d. c. laudabilem* eo tendit, vt aſſignet congruum temporis ſpacium ad cognoſcendum, an impotentia, & frigiditas ſit perpetua, nec ne, & reſpondet. *Nos vero in præſenti conſultatione ſentimus, vt à tempore coniugij ſi frigiditas prius probari non poſſit, cohabitent per triennium*, quæ reſponſio indefinita eſt, & vniuerſalis, adeoq; cadit ſuper omnia; Quod, ſi dicatur in ea deciſione duo dici; alterum, quando alter confitetur impotentiam, & alter negat; alterum, quando vterque confitetur, & in primo ſenſu dicitur, quod requiratur iuſtum iudicium, adeoque completũ triennium; in ſecundo, quod requiratur iuramentum coniugum, & ſeptimæ manus propinquorum; quando autem exigitur tale iuramentum, non videtur exigi triennium ad experiendum, quandoquidem talis experientia triennij ſecundum ſe præciſo quocunque iuramento ſufficit ad diſſolutionem. Si, inquam, hoc dicatur, ſtatim erit impugnatio, quia, vt bene notat *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 108. nu. 5.* illa diuiſio facta per textum caſus, quando vterque fatetur impotentiam, & caſus, quando alter tantum fatetur, & alter negat non eo tendit, vt cadat ſuper triennium expectandum, nec ne; ſed ſupra aliud probationis genus, quando iam elapſum eſt triennium, adeovt quando vterque confitetur impotentiam requiratur iuramentum coniugum, & ſeptimæ manus propinquorum, quando vero alter fatetur, & alter negat requiratur aliud

Contrahentes cognorare poſſunt causã perpetuitatis.

Inſtantiæ oppoſitæ earumq; ſolutio.

Deciſio textus cadit ſuper aliud genus probationis.

iuſtum

iuſtum iudicium cum pleniori probatione.

*Ex* his fas erit deducere, quid ſentiendum, ſit quando alter coniux fatetur impotentiam, alter vero negat; tunc etenim expectandum eſt regulariter triennium ad experiendum, quo elapſo ad diſſoluendum matrimonium requiritur, vt negans probet impotentiam per iuſtum iudicium per ea, quæ diximus numero præcedenti.

48 Altero fatente impedimentum perpetuū, altero negante expectandū eſt triennium, quo elapſo requiritur etiam iuſtū iudicium.

Si autem inquiras quomodo habeatur iuſtum iudicium, tunc dicet *Gloſa in d. c. laudabilem de frigid., & maleſ. verb. iuſtum* haberi per teſtes, vel per aſpectum corporis; Innocentius *eod. c. laudabilem num. vnic. ad medium verb. per iuſtum iudicium, cui adhærent Abbas in d. c. laudabilem in fin., & c. 1. num. 5. eod. tit. Brunellus de ſponſal. concl. 28 limit. 1. num.* 16. aſſerit haberi per aſpectum corporis, & per iuramentum ſeptimæ partis propinquorum eiuſdem aſſerentium veriſimile eſſe, eam verum deponere; vbi aduerte, quod quando vterque coniux fatetur impotentiam requiratur iuramentum ſeptimæ partis propinquorum vtriuſque; at quando alter ſolum fatetur impotentiam, alter negat, ſoli ſeptem propinqui illius, qui fatetur adhibendi ſunt, non alterius, qui negat *Hoſtienſis Ioannes Andreas Ancharanus in d. c. laudabilem de frig., & maleſ.*

49 In quo cōſiſtat hoc rectum iudicium.

Hic tamen vnum aduertendum eſt, quod ſi vir fateatur, & fæmina negat potentiam eiuſdem viri non ſit intra quinquennium audienda, nec admittenda ad probationem fæmina regulariter loquendo, niſi ſtatim proclamarit allegans viri impotentiam. *Abbas in c. 1. num. 5. de frig., & maleſ. Brunellus de ſponſalib. concl.* 28. *limit.* 1. *nu.* 16., hocq; expreſſè deciditur *in c. 1. verſ. illa autem de frig.*, vbi ſic legitur. *Illa autem ſi prior poſt annum, aut dimidium ad Epiſcopum, aut eius miſſum proclamauerit dicens, quod non cognouiſſet eam, tu autem contrarium affirmas, tibi credendum eſt, eo quod ſis caput mulieris; quia ſi proclamare voluit, cur tandiu tacuit? Cito enim, & in paruo tempore ſcire potuit, ſi ſecum coire potuiſſet.*

Negante fœmina potentiam, & viro fatente, eadem fæmina nō eſt admittenda ad probationem intra quinquenniū niſi ſtatim reclamauerit.

Quomodo autem intelligendum ſit ly *ſtatim*, in quo proclamare tenetur fæmina, vt audiatur, dic intelligi intra bimeſtre à die primo attentatæ copulæ, & colligitur *ex d. c. 1. verſ. ſi autem*, & ita docent *Gloſa in c. ſi quis acceperit verb. tempore 33. q. 1. Innocentius in d. c. 1. num. fin., & ibi Præpoſitus num. 8. verſ. vltimo quæro.* Hæc tamen intelligenda ſunt cum quibuſdam limitationibus, & primo niſi fæmina congerat, & oſtendere velit certa ſigna, quibus detegatur viri impotentia, nam tunc per fortiorem præſumptionem eliderentur præſumptio fundata in diutina fæminæ taciturnitate *Innocentius c. 1. num. vlt. de frigid. Brunellus de ſponſalib. concl. 28. lim. 1. nu. 16.*

Proclamare debet intra bimeſtre à die attentatæ copulæ.

Secundo niſi per aſpectum probet ſe non eſſe cognitam à viro, quatenus à matronis illam inſpicientibus adhuc cognoſcatur virgo prout colligitur *ex c. propoſuiſti de probat. in fine*, & latè docent *D. Thomas in 4. diſt. 34. in fin. in expoſitione literæ num. 5. D. Antoninus 3. parte tit. 1. c. 12. §. 3. ad fin. Ouandus in 4. diſt. 34. q. vnica propoſ. 4. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimon. c. 52. col. 2.*, hæc tamen limitatio non ita vera eſt, vt non exigat alia adminicula, vt ſcilicet matronæ ſint periti ſſimæ *Gloſa c. ſi quis acceperit verb. tempore 33. q. 1. Alexander de Neuo c. continebatur num. 17. de deſponſ. impub.* oculus enim matronarum perſæpe fallitur, & vlterius etiam, vt ſint plures, quod colligi videtur *ex c. propoſuiſti de probat.*

Intellige niſi certa ſint ſigna impotētiæ maſculi.

Hic oritur difficultas in explicando, quomodo iudicandum ſit quando fæmina pro tempore initi matrimonij erat corrupta, nec initio reclamauerit, nec ſigna impotentiæ viri haberi poſſunt. Abbas *antiquus c. laudabilem num. 2. de frig., & ibi Ioannes Andreas num. 5 Præpoſitus num. 6., & alij* ſuſtinent in ea hypotheſi cogendos eſſe coniuges ſic ſuſpectos ad coitum coram peritis matronis. Sed nimis horret natura ab hac probatione, quare ab ea eſt recedendum. Quamobrem, cum tunc aliunde veritas haberi non poſſit, dicendum eſt potius ſtandum eſſe viro aſſerenti ſe conſummaſſe, quam fæminæ neganti, cum hoc cedat in fauorem matrimonij, & vir ſit caput mulieris *Alexander de Neuo c. laudabilem n. 17. caſ. 4. de frig. Henricus c. 1. nu. 4. eod. tit.*

50 Potius ſtandum viro aſſerenti ſe cōſummaſſe, quam fæminæ neganti.

Aſſertio IX. Tempus triennij præfinitum à iure ad experiendum de impotentia regulariter incipit non à die contracti matrimonij, ſed à die attentatæ copulæ *Gloſa in d. c. laudabilem verb. celebrari de frig., & ibi Innocentius eod. verb. celebrari Antonius num 10. Alexander de Neuo num item 10., & alij communiter*, & hoc ſiue impedimentum, de quo controuertitur, proueniat ratione frigiditatis *Innocentius c. fin. in fin. de frig., & ibi Cardin. in fin. Roſella verb diuortium num 4. Silueſter eod. verb. q. 20. num. 23. Henriquez lib 12. de matrimon. c. 7 num. 2.* ſiue ratione maleficij, prout colligitur *ex c. fin. de frig.* Ex quibus etiam fas eſt deducere, quod vbi antea attentata fuerit copula non protrahatur inceptio huiuſmodi impotentiæ non ad diem motæ litis, ſeu decreti Iudicis, prout etiam colligitur *ex d. c. fin. de frigid.*, vbi Pontifex decidit dirimendum eſſe matrimonium, ſi intra octo annos triennio continuo habitauerint, & tamen non erat mota lis, nec interpoſitum præceptum Iudicis.

51 Incipit triennium à die attentatæ copulæ, non à die contractus.

Ratio aſſertionis ex eo deducitur, quia illud triennium aſſignatur à iure ad experiendum; tempus autem ad experiendum

debet incipere ab ipſo actuali experimento, cæteroqui verba ſumerentur abſque effectu. Non negauerim tamèn, quod ſi ratione maleficij Iudex protraxerit tempus ad experiendum, & ad pænitentiam agendam, illud tempus ſit expectandum, quod colligitur *ex c. fin. de frigid.*, vbi Pontifex approbat tempus à quodam Epiſcopo aſſignatum ad experiendum, & ad vacandum orationibus, & pænitentijs ad effectum, vt Deus eiſdem motus coerceat Dæmonem à maleficio.

*Tempus ad experiendū incipit ab experimento.*

Difficultas modò eſt, an illud triennium aſſignatum à iure ad experiendum debeat eſſe continuum, an ſufficiat, ſi fuerit interpollatum. Iuxta duplicem ſenſum examinari poteſt præſens dubium; primo vel quatenus debeat eſſe tale metamaticè, adeovt nullo vnquam tempore congruo poſſit intermitti experimentum, nec ratione congruæ peregrinationis v. gr., nec aptę negotiationis; Secundo, vel quatenus in ſuppoſitione, qua alter ex coniugibus intra illud triennium, vel infirmitate detentus, vel alijs congruis aptiſq; negotijs diſtractus experimento illi non vacauerit teneatur tempus illud interpollatum per

52 aliud tempus ęquiualens ſupplere. Iuxta primum ſenſum aſſero non deſiderari tempus metamaticè continuum, adeovt ſi per aliquod tempus, vel ex negotiationis cauſa, vel aliquo alio iuſto, & rationabili titulo interpolletur debeat triennium à die reaſſumpti experimenti incipere *Hoſtienſis in ſumma tit. de frig. §. qualitèr, & quando nu.12. verſ. ſed quomodo intelligemus Aſtenſis ſecunda part. ſumma lib. 8. tit. 37. art. 1. q. 3 Maſcardus de probat. concl. 889. nu. 9. Silueſter verb. diuortium q. 20. num. 23. Henriquez lib.12. de matrimon. c. 7. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia quando tempus aliquod, vel à iure, vel ab homine pręſcribitur in ordine ad exercitium alicuius actionis, tempus ita ſumendum eſt, prout exigit natura, & conditio talis actionis, & ſecundum quod regulariter illa actio conſueuit exerceri *arg. l. ſi cui ſimplici 9. ff. de ſeruitutibus*; ſed exercitium copulæ coniugalis non exigit continuo fieri, adeout, nec omitti poſſit, nec ratione infirmitatis, nec alicuius congruæ negotiationis &c., ergo &c. Hoc multis exemplis, & rationibus illuſtrant *Gloſa in c. fin. de verb. ſignif. in 6., & ibi Francus num. 5., & 9.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod vbi lex expreſsè non loquitur, regulariter tempus à lege præſcriptum intelligi debeat de tempore continuo; conformiter ad quod in iure cautum eſt, quod annus probationis in Religione debeat eſſe continuus, adeovt ſi intermittatur, debeat iterum incipere à die reaſſumptæ probationis, ſeu Nouitiatus nullo habito reſpectu ad tempus interruptum, quod etiam communiter aſſerunt DD. de tempore præſcriptionis, quod, ſi interumpatur, debet iterum incipere à die reaſumptæ probationis. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia tempus à iure præſcriptum regulari debet ad normam actionis, quæ præſcribitur pro illo tempore; annus autem probationis, & tempus præſcriptionis ex natura ſua poſtulat continuationem in illo opere, & exercitio, & quodcunque tempus exigit; exercitium autem copulæ non exigit, niſi tempus congruum, locum proportionatum, nec obligat vrgente neceſſitate, vel alio impellente congrua occupatione, vel abſentiá ex rationabili cauſa, vel impotentia ex infirmitate, adeoq; &c. Deinde annus probationis in Religione compatitur cum infirmitate, vel aliqua legitima occupatione, dummodo ſit intra ſepta monaſterij, & non extra illud; tempus autem ad experiendum non exigit permanentiam in cohabitatione pro quocunque tempore.

*An, & quomodo triēniū à iure aſſignatum ad experiēdū debeat eſſe continuum.*

*Regulanda res eſt ad exigentiā actionis.*

*Non currit paritas ad annum probationis pro profeſſione Religioſa.*

Iuxta ſecundum ſenſum ſentio tempus pro quo interrupta eſt cohabitatio, vel ex rationabili cauſa interpollatum experimentum ſupplendum eſſe per aliud tempus, non tamen ita in rigore, vt ſi illud fuerit modicum, debeat ſuppleri. *Ioannes Andreas c. fin. num. 9. de frig. Brunellus de ſponſalib. concl. 28 declar. 4 num. 15. in fin Maſcardus de probat. concl. 889. num. 8. Roſella verb. diuortium num. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia iura exigunt triennium ad experiendum; triennium autem non eſt, vbi per longum tempus interpollatum eſt experimentum; & clarius etiam euincitur *ex c. fin. de frigidis*, vbi in termino octo annorum ponderatur, quod habitauerit per triennium continuum, vbi per lý *continuum* optimè intelligit Sanchez *lib. 7. de matrimonio diſp. 101 num 5.* non continuationem eiuſdem triennij, ſed integritatem. Hoc autem tempus non ſumendum eſt metaphiſicè, ſed moraliter, adeovt ſi aliquod modicum temporis defecerit non ſit ex neceſſitate ſupplendum, quod potiſſimum verificatur, ſi minutatim non cohabitent, vt ſi v. gr. per aliquod tempus vna die cohabitent, alia non, & ſic ſucceſſiuè, nam regularitèr ita ſolet fieri inter coniuges, nec ratio aliqua habetur de abſentia ſic minutim facta.

*Quando interrupta eſt cohabitatio per longum tempus, tempus illud eſt ſupplendū.*

Dixi in aſſertione, *regularitèr*, nam iuſtè admittitur in aliquo caſu exceptio, & pręcipuè, ſi coniux, qui impotens præſumitur, nondum adeptus fuerit plenam pubertatem; tunc enim eadem plena pubertas eſt expectanda, quę in fœminis contingit anno decimo quarto *ex l. mala ff. de alim., & cib. leg.*, & in maſculo anno decimo octauo iuxta textum *in l. arrogato ff. de adop., & §. minorem Inſtit. eod. tit.* Ratio ex eo deducitur, quia iura præſcribunt triennium ad experiendum de impotentia ratione frigiditatis,

*Exceptiones ad aſſertionem pręcipue in impotentia ex impubertate.*

ditatis, quo elapſo præſumunt pro perpetuitate, cum nullum poſſit eſſe fundamentum præſcriptionis, quod ceſſare poſſit; at hoc non militat, quando nondum eſt perfectè acquiſita in altero coniuge pubertas, quia tunc præſumi poteſt, quod impotentia proueniat ex viribus debilibus, eo quia nondum perfectę naturę robur exiſtat, & proinde, quod acquiſita perfectè pubertate robur naturę ſit adijciendum, & per conſequens, quod impotentia illa ceſſare debeat, ergo &c. Solum hic remanet dubitandum, an in ea hypotheſi ſit expectandum triennium ab acquiſita perfectè pubertate, an vero ſit computandum tempus pręcedentis impubertatis, & aliquod modicum temporis eidem addendum

**53 Poſt acquiſitā pubertatē expectandū eſt triennium nō computato priori experimento.**

dum poſt plenam pubertatem: Hoſtienſis *c. laudabilem paulo poſt principium de frigid. & c. puberes num. 5. de deſponſ. impub., & ibi Ioannes Andreas num.* 8. exiſtimant poſt acquiſitam plenè pubertatem non eſſe expectandum, niſi ad menſem, aut ad ſummum ad bimeſtre ad arbitrium Iudicis. Probabilius tamen eſt expectandum eſſe ad triennium poſt acquiſitam plenè pubertatem. Ratio ex eo deducitur, quia pro tempore pręcedenti plenam pubertatem impotentia pręſumitur eſſe ex defectu ętatis, & ratione virium debilium pro tali ętate; vnde dubium, quod proueniat ratione frigiditatis, vel maleficij ſolum debet incipere pro tempore, quo ceſſat præſumptio impotentiæ ratione ætatis, cum minori ætate exiſtente impotentia in candem ætatem poſſit congruè refundi.

**54 Diſſoluto priori matrimonio per ſententiā ob præſumptam impotentiā comperto errore inſtaurandū eſt.**

Aſſertio X. Diſſoluto matrimonio ob impotentiam præſumptam comperto errore, ſi impotentia fuerit præſumpta ex frigiditate viri per ſententiam legitimam iudicis Eccleſiaſtici declarata, & tranſeunte impotente ad alias nuptias ſtatim hoc matrimonium poſterius diſſoluendum eſt, ſi vero impotens tranſierit ad alias nuptias propria auctoritate inſtaurandum eſt primum matrimonium quoadusque facta legitima probatione ſtatuatur de impotentia ratione frigiditatis; vnde ſi conſummauerit cum ſecunda vxore, vel cum alia fuerit fornicatus, reſtituendus eſt primæ. Prima pars eſt *Ioannis Andreæ c. laudabilem num.* 8. *de frig., & malef., & ibi Præpoſitus nu. vltimo Alexander de Neuo nu.* 15., *& ſeqq;* ſecunda pars eſt communis apud omnes.

Probatur prima pars, quia ſtante Eccleſiæ declaratione ſeruato iuris ordine in hac materia præſumptio ſtat pro ineptitudine, & impotentia, ſiquidem ſententia facit de albo nigrum, & reddit ſecundum ſe ius irretractabile, ergo, qui ſic impotens, & ineptus daclaratus eſt non poteſt validè alias nuptias inire, quandoquidem, qui ratione frigiditatis ad vnam ineptus eſt, ineptus intelligitur ad quaſcunque alias. Confirmatur, quia, qui ex ſententia definitiua, & declaratoria ſeparatus eſt ob impotentiam frigiditatis, vel vere, & propriè frigidus eſt, vel non; ſi primum, iam impotens eſt ad contrahendum ex ſuperius dictis, & ex communi DD. conſenſu; ſi ſecundum, redire debet ad primam coniugem, cum qua prius contraxerat matrimonium.

Probatur ſecunda pars, quæ procedere etiam poteſt ſecundum duplicem ſenſum, vel enim præſumptus impotens propria auctoritate receſſit à primo coniugio poſt lapſum triennium, vel receſſit eodem adhuc non elapſo. Probatur, inquam, primo, quoad primum ſenſum, quia ſcilicet iura non dant facultatem recedendi quando certò, & euidenter non conſtat de impotentia perpetua, niſi poſt experientiam triennalem, intra quod tempus ſolum præſumunt de perpetuitate iuxta textum *in d. cap. laudabilem de frigid*, ergo eodem nondum elapſo poterit cogi mulier ad permanendum in eodem coniugio ad legitimam experientiam faciendam, &, ſi receſſerit, poterit compelli ad redeundum, ne alter proprio iure priuetur contra iuris diſpoſitionem. Probatur ſecundo quoad ſecundum ſenſum, quia iura

**55 Iura non dant facultatem recedendi, niſi poſt experientiam triennalem.**

elapſo triennio non concedunt poteſtatem coniugibus ex ſe recedendi alio non interpoſito, ſed ſolummodo expectato Eccleſiæ iudicio, & adhibita cautione iuratoria, tam coniugis aſſerentis impotentiam alterius, & ſeptimæ manus propinquorum eiuſdem, ergo non expectato Eccleſiæ iudicio, nec adhibita cautione iuratoria compelli poterit coniux, qui propria auctoritate receſſit ad habitationem, quouſque completo Eccleſiæ iuditio ſtatuatur de impotentia. Dixi, *ad habitationem* non enim libenter aſſererem etiam quoad copulam intentandam, cum ille, qui receſſit ratione triennij elapſi experientiæ legitimam habeat exceptionem impotentiæ pręſumptæ.

**56**

Probatur tertia pars, ſeu illatio, quæ ex ſecunda parte deducitur, quod ſcilicet ſi conſummauerit cum alia, vel cum alia fuerit fornicatus, ſit inſtaurandum primum matrimonium, Matrimonium primum

**Si trāſierit ad ſecūdas nuptias reſtituendus eſt primæ.**

in tantum eſſet nullum, & diſſolutum, ſeu diſſoluendum, in quantum in altero coniuge ratione frigiditatis præſumitur impotentia perpetua, ſed talis impotentia in hac hypotheſi nullo modo adeſſet; nam impotentia ratione frigiditatis eſt abſoluta, & ſi eſt impotens quoad vnam, eſt impotens quoad quamcunque, ergo ſi non fuerit inuentus impotens quoad aliquam, neque præſumetur impotens quoad primam, adeoq; &c. Ex eo autem, quod quoad

vnam

Digitized by Google

vnam conſummauerit, vel cum illa fuerit fornicatus expreſsè euincitur non adeſse quoad illam impotentiam, ergò &c.

Hic oritur difficultas, an ea, quæ dicuntur in hac tertia parte æquè intelligenda ſint, ſi matrimonium primum fuerit diſsolutum elapſo triennio per iudicium Eccleſiæ nedum ſimplex, ſed etiam confirmatum, & proceſsum fuerit attento iuris ordine, ijsque quæ ab eodem iure in hoc genere præſcribuntur. Affirmatiuè reſpondendum eſt. Ratio ex eo deducitur, quià ſententia in cauſa coniugali lata nunquam in rem iudicatam tranſit propter indiſsolubilitatem eiuſdem matrimonij etiam quacunque circumſpectione præmiſsa, & poſita quacunque confirmatione *Antonius c. fraternitatis nu. 22. de frigid., & malef., & ibi Abbas nu 21. Præpoſitus nu. 17. Decius cap. ſua ampl. 4. n. 16. in noua edit. de appel. Couarunias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 12. num. 12.* hocque expreſsè colligitur *ex cap. lator de ſent., & re iud.*, vbi ſic legitur, *Mandamus quatenus, ſi vobis conſtiterit eos per iudicium Eccleſia non fuiſse legitimè ſeparatos, Eccleſiamque deceptam ipſos faciatis, ſicut virum, & vxorem inſimul permanere.* Si autem inquiras, cur ſententia in cauſa matrimoniali nunquam tranſeat in rem iudicatam; tunc dicam, vel prouenire ex indiſsolubilitate matrimonij, vel ex eo, quod illa ſententia foueret peccatum ſeparando veros coniuges, vel vniendo eos, qui tales non ſunt. Sed de hac re erit ſermo vberior infra, dum de diſquiſitionibus.

Sententia in cauſa coniugali, nunquam tranſit in rem iudicatam.

57 An, & quo modo inſtaurandum ſit primum matrimonium reciſum ob arctitudinem fœminæ, quandò per eandē fuit initum ſecundum, & conſummatum.

Aſsertio XI. Diſsoluto priori matrimonio ratione arctitudinis in fœmina, alioque per eandem inito, quod fuerit conſummatum, reſtaurandum eſt primum, quandò mulier ſine mortis periculo poterat reddi apta eidem, ſecùs autem, quandò non niſi cum mortis periculo; in dubio verò poſt conſummatum matrimonium cum ſecundo, an re vera fuerit inepta primo, nec ne coniectandum eſt ex ſimilitudine, vel diſsimilitudine vtriuſque viri, ſi ſcilicet vterque habeat æqualem naturam, non diſſimile membrum in magnitudine &c., adeovt, ſi ſint æquales, conualidandum ſit primum matrimonium, ſecùs, ſi inæquales. Conſonat hæc aſsertio cum ijs, quæ dicta ſunt ſupra, eamque in vniuerſum ſuſtinent *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 99. nu. 16. Hoſtienſis in ſumma tit. de frig., & malef. §. qualitèr, & quando n. 13. in fin. Aſtenſis ſecunda part. ſumma lib. 8. tit. 27. art. vnico q. 2. Monaldus in ſumma, vbi de matrim. tit. de impoſſibilitate coeundi quid ſit, Angelus verb. matrimonium 3. imped. 16. num. 4. Roſella verb. impedimentum imped. 15. num. 11.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià, quando mulier ſine vitæ diſcrimine, vel alio grauiſſimo damno poteſt reddi apta viro, cum quo primo nupſit non poteſt ab eo recedere, & receſſus eſt omninò inualidus, nam ex quo nupſit, intelligitur ſe obligaſse ad ea omnia onera matrimonij, ad quæ poteſt obligari ſine vitæ diſcrimine, & ſine graui periculo, & incommodo, ergò, cum poſset reddi apta priori viro ſine tali periculo, vtique cum illo validum erat matrimonium, adeoque conſtante præcipuè ex carnali cognitione habita cum alio de tali non impotentia, vtique erit illud matrimonium inſtaurandum.

Arctitudo non vitiat niſi ſit inauferibilis niſi cum vitæ diſcrimine.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià, quandò arctitudo fœminæ talis eſt, vt reſpectu talis viri, vel reſpectu cuiuſcunque non poſſit aptari, niſi cum vitæ periculo habetur pro impotentia perpetua abſoluta reſpectu cuiuſcunque, vel reſpectiua reſpectu talis perſonæ, cum qua nupſit, ſed extante impotentia perpetua, vel abſoluta reſpectu cuiuſcunque, vel reſpectiua reſpectu talis perſonæ matrimonium eſt abſolutè inualidum per ea, quæ ſuperius commendauimus, & docent *Henricus c. fraternitatis num. 12. de frigid. Sotus in 4. diſt. 34. q. vnica art. 2. immediatè ante verſ., ſed quid, ſi Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct., vbi de matrimon. c. 52. col. 5. verſ. ex quo ſecundo*, ergò &c.

Non vitiat, quando eſt auferibilis ſine tali diſcrimine.

Ratio tertiæ partis deſumitur *ex c. fraternitatis de frig., & malefic.*, vbi ſic legitur, *cum pateat ex poſt facto, quod ipſa cognoſcibilis erat illi, cuius ſimili commiſcetur*, vbi nota illam particulam, *cuius ſimili* per quam non importatur ſimilitudo in natura ſpecifica, ſed proportio in ætate, viribus, & membro virili, ergò, vbi erit ſimilitudo in ijs qualitatibus, erit iuridica præſumptio de æquali potentia, adeoque validum prius matrimonium, vbi verò non erit talis ſimilitudo, ſed deficientia in illis qualitatibus erit valida præſumptio impotentiæ, adeoque inualidum matrimonium; nec abſolutè verum eſt, quod vbi fœmina arcta ſit apta vni, ſit apta alijs omnibus, ſed ſolummodò præſumptiuè apta ijs, qui eiſdem gaudent qualitatibus.

Similitudo importat proportionem in ætate, & viribus.

58 Diſsoluto matrimonio legitimè ratione maleficij, nouoque contracto, & conſummato ne eſt inſtaurandum primum.

Aſsertio XII. Diſsoluto legitimè matrimonio ratione maleficij, ſeruatiſque omnibus à iure præſcriptis, ſi fortè contigerit alterum ex coniugibus ad alias nuptias tranſire, eaſque cum alio conſummare, regularitèr primum matrimonium non eſt inſtaurandum *Gloſa c. 1. verb. reparare, & c. laudabilem verb. ſeparentur, & verb. redire, & c. fin. verb. cognoſcendi de frigid., & malef. Antonius c. fraternitatis n. 20. de frig. Gofred. in ſumma tit. de frig. n. 3., & 8. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 29. art. vnico q. 2. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 16. nu. 12. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 16. dicto 8.,*

& ex

& ex Theologis *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3. in corpore, & ibi Albertus Magnus art. 10. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 13. §. 3. Abulenſis cap. 19. Matthæi q. 90. ad fin. corporis, Toletus lib. 7. ſummæ cap. 13. in fin. Veracrux prima part. ſpeculi art. 40. in fin.*

Ratio deſumitur ex textu *in cap. fin. 33. q. 1.* vbi dicitur, *quod, ſi fortè ſanari non potuerint, ſeparari valebunt, ſed poſtquam alias nuptias experierint illis in carne viuentibus, ſi diſiuncti fuerant prioribus quos reliquerant etiam; ſi poſſibilitas concumbendi eis reddita fuerit reconciliari nequibunt*, qui textus quamvis non fuerit ex aliquo Pontifice, vel concil. generali deſumptus tamen habet regularem acceptationem, & approbationem Eccleſiæ. Vlterius euincitur ex diſcrimine, quod intercedit inter frigidum, & maleficiatum: nam frigidus eſt talis reſpectu omnium, maleficiatus autem non niſi reſpectu vnius, aut alterius adeoque in frigido ſēper ineſt talis impotentia, ſicque iudicato de frigiditate eſt ſemper præſumptio de impotentia, niſi per ſigna euidentia, & concludentia appareat de contrario, in maleficiato autem non eſt abſolute impotentia, ſed tantum reſpectiue ad vnum, vel alterum, ſicque iudicato de impotentia reſpectu vnius, vel alterius ex cognitione potentiæ reſpectu tertię perſonæ non bene arguitur potentia quoad primum, & propterea non eſt, cur ſit inſtaurandum prius matrimonium.

**Diſcrimina inter frigidum, & maleficiatum.**

Dices primo in *d. c. fraternitatis de frig., & malef.* impedimentum impotentiæ non eſſe perpetuum, nec dirimire matrimonium, quoties per opus humanum abſque vitæ periculo remoueri poteſt, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, maleficij impedimentum intelligitur ſublatum ſine diuino miraculo, ſed per opus humanum abſque vitæ periculo. ergo nec illud impedimentum præſumendum eſt perpetuum, nec dirimere matrimonium. Sed contra videndum eſt, an ex eo, quod per alium è primo fuerit conſummatum matrimonium, maleficium, quod impediebat vſum quoad primum fuerit ſublatum; poteſt enim contingere, quod maleficium fuerit in ordine ad vnam, vel alteram perſonam, vt ſupra innuebamus, non quoad alias, an vero in ordine ad eundem primum non fuerit ſublatum, ſed adhuc perſeueret: ſi enim adhuc perſeueret, inſtantia non habet locum quoad hunc caſum, cum ſemper ſupponatur impotentia perpetua reſpectiua quoad hanc perſonam, licet non abſoluta quoad omnes: ſi vero non perſeueret, ſed intelligatur ſublata etiam quoad hanc perſonam, ſcilicet quoad primum contrahentem intelligitur primum matrimonium diſſolutum, & propterea inſtaurandum, quia tamen ex potentia concumbendi cum vna, vel altera non bene arguitur potentia concumbendi cum hac *Gloſa c. fin. verb. concumbendi 33. q. 1. Sotus in 4. diſt. 34. q. vnica art. 3. ad fin. corporis Bartolomæus à Ledeſma de matrimon. dub. 49. concl. 3.*, ideo non eſt inſtaurandum primum matrimonium, niſi clare, liquido, & euidentèr conſtet de ceſſatione maleficij etiam in ordine ad idem primum matrimonium, & vtique abſque miraculo, ſed dumtaxat per opus humanum; Nec quoad hoc obeſſe poteſt textus *in d. c. fin. 33. q. 1.* per illas particulas, *Si poſſibilitas concumbendi eis reddita ſit, reconciliari nequibunt*, vbi expreſſè ſupponitur reddita eiſdem contrahentibus potentia ad coitum, & tamen dicitur, quod nequeant reconciliari; Non, inquam obeſſe poteſt, quia per ly *reddita* in eo textu non importatur vera reſtitutio potentiæ quoad perſonas, quę primo contraxerunt, ſed potentia per experientiam cognita concumbendi cum alijs, per quam non arguitur potentia concumbendi cum priori, niſi aliunde manifeſtè appareat.

**Poteſt eſſe maleficium ſublatum quoad vnū non quoad alterum.**

Dices ſecundo, facta ſeparatione prioris matrimonij ratione frigiditatis in viro, ſi is alias nuptias contrahat, eaſque conſummet, reſtituendus eſt primæ vxori, primumque matrimonium inſtaurandum eſt, ergo etiam ſi quis ratione maleficij ſeparetur à primo matrimonio, nouumq; contrahat, illudque conſummet, erit reſtituendus primo &c. Sed contra; iam patet diſcrimen inter frigidum, & maleficiatum; nam frigidus ſemper ſupponitur talis, & reſpectiuè quoad omnes; vndè conſtante per experientiam de potentia quoad vnam ſufficientèr conſtat de eadem potentia quoad alias omnes, & licet ſecuta fuerit ſententia Eccleſię de impotentia quoad vnam perſonam ex eo, quod conſequatur conſummatio quoad alteram, ſufficientèr euincitur Eccleſiam in tali declaratione fuiſſe deceptam; maleficiatus autem non ſemper ſupponitur talis, nec quoad omnes, vnde conſtante de potentia quoad vnam, non bene arguitur potentia quoad alias omnes, adeoq; &c.

**Frigidus ſemper ſupponitur talis, non ſic maleficiatus.**

59

Dixi *regularitèr* in aſſertione, nam aliquas patitur aſſertio exceptiones, & limitationes, quas mox ſubdo. Prima eſt, vt intelligatur ſolummodo, quando ante ſententiam diſſolutionis pręceſſerit experientia triennalis, & legitimæ probationes cum cautione iuratoria, de quibus ſupra *Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 8. num. 2. Nauarrus lib. 4 conſil. vtraque edit. tit. de frigid. tot. conſil. 1.*; nec incongrua ratione, hęc limitatio apponitur, quandoquidem ſine illa non eſſet matrimonium primum legitime diſſolutum. Secunda eſt, vt intelligatur, quando maleficium eſt particu-

**Intellige quando ante ſententiam diſſolutionis præceſſit experiētia triennalis, & legitima cautio.**

lare

culare quoad talem perſonam, cum qua primo contractum eſt matrimonium: non vniuerſale quoad omnes *D. Thomas in 4. diſt. 34. in fin. in expoſitione litteræ Magiſtri, & ibi D. Bonauentura in expoſitione eiuſdem litteræ num. 7., & art. 2. q. 2. num. 24. Paludanus ibid. q. 2. art. 3. concl. 2. num. 17. Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. obi de matrimonio c. 52. vel penult.* Ratio huius limitationis ex eo deſumitur, quia, ex quo eſt impotentia ratione maleficij in ordine ad omnes, & ceſſat in ordine ad vnam perſonam ex vehementiſſima præſumptione intelligitur ceſſare quoad omnes, vnde in hoc euentu ſic maleficiatus æquiparatur frigido, reſpectu cuius, ſicut conſtante potentia quoad vnam intelligitur ſufficienter conſtare quoad alias omnes, ſicque Eccleſiam in ea declaratione fuiſſe deceptam, ita reſpectu eiuſdem maleficiati ceſſante impotentia quoad vnam intelligeretur ceſſare quoad alias omnes, & in hoc etiam ex errore Eccleſiam prius matrimonium diſſoluiſſe. Tertia eſt, vt intelligatur ſolummodo, quando maleficiatus nullo modo potuit cognoſcere ſuam coniugem: ſi enim contingeret; quod poſtea eandem carnalitèr cognouerit, tunc certè conſtaret de non perpetuitate eiuſdem impotentiæ, & propterea Eccleſiam in ea declaratione fuiſſe deceptam *Gloſa in c. fin. verbo concumbendi 33. q. 1., & c. fraternitatis verb. diuinum in fin. de frig., & maleſ. Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 8. tit. 29. art. vnico q. 6. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 16. dict. 8. Durandus in 4. diſt. 34. q. 2. num. 8.*

Nonnullæ aliæ exceptiones.

Hic pro complemento eorum, quæ dicta ſunt de inſtauratione prioris matrimonij comperto errore primò eſt inquirendum, an quando comperto errore fæmina eſt reſtituenda priori viro, à quo, vel tanquam arcta, vel ratione maleficij tanquam impotens eſt ſeparata, toties illi ſit reſtituenda, quoties conſtat ab alio fuiſſe cognitam. Secundo, an ſi diſſoluto priori matrimonio per ſententiam definitiuam Eccleſiæ alter ex coniugibus tranſierit ad Religionem, in eaque fuerit profeſſus, & poſtea comperta fuerit deceptio Eccleſiæ ſit inſtaurandum prius matrimonium.

Dubia aliqua excitata circa reſtaurationē prioris matrimonij.

60 Diſſoluto per errorē matrimonio ex motiuo impotentiæ fæmina tantū ſemel eſt reſtituenda viro ſi ab alio fuerit cōgnita.

Quoad primum dubium omiſſis varijs dicendi modis DD. hac in re diuerſimode procedentium ſentio probabilius eſſe, quod fæmina tantum ſemel ſit reſtituenda priori viro, & cum eodem debeat per triennium cohabitare ad experiendum vtrum intra illud poſſit conſummare, quo elapſo declarandum ſit de impotentia perpetua, & femina reſtituenda ſecundò viro, cum quo conſummauit *Hoſtienſis in ſumma tit. de frigid., & maleſ. §. qualiter, & quando nu. 13. ad finem Ioannes Andreas in c. fraternitatis num. 28. eod. tit. Aſtenſis ſecunda parte ſumma lib. 8. tit. 27. art. vnic. q. 3. Antonini Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 12. num. 262.* Ratio ex eo deducitur, quia regulariter in dubio de impotentia attenditur lapſus triennij cum alijs requiſitis *in d. c. laudabilem de frig.*, quo elapſo præſumitur pro impotentia perpetua, ergo hoc idem tempus attendendum eſt in reſtauratione matrimonij: poſtquam ſemel diſſolutum eſt, & poſtea compertus fuit error quoad impotentiam. Conſequentia probatur, quia quando poſt compertum errorem matrimonium primum eſt inſtauratum, in ordine ad cognoſcendum de impotentia perinde res ſe habet, ac ſi matrimonium illud eſſet de nouo initum.

61 Diſſoluto ex ſimili cauſa matrimonio, ſi maſculus tranſierit ad Religionem, & fæmina ab altero fuerit cognita nō eſt hæc illi reſtituenda

Quoad ſecundum dubium dicendum eſt, ſic profeſſum non eſſe ſecundum ſe reſtituendum vxori manenti in ſæculo. Ratio ex eo deſumitur, quia ex quo ſupponitur impotentia, ſupponitur etiam matrimonium non fuiſſe conſummatum; matrimonium autem non conſummatum per profeſſionem legitimè emiſſam in Religione diſſoluitur per textum *in c. ex publ. de conuerſ. coniug., & c. fraternitatis de frigid., & maleſ.* Si verò ſupponas, quod alter coniux diſſoluto matrimonio per ſententiam definitiuam Eccleſiæ tranſierit ad ſacros ordines, & poſtea compertus fuerit error quoad impotentiam declaratam tunc dicendum eſt inſtaurandum eſſe prius matrimonium, ſed ſic initiatum non poſſe petere debitum, quamvis poſſit reddere, & teneatur *Albericus in ſuo dictionario lit. D. verb. diuortium Aſtenſis ſecunda part. ſumma lib. 8. tit. 29. art. 1. quæſt. 6. Silueſter verb. diuortium q. 21. num. 24. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 8. num. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia poſt matrimonium ratum conceſſum quidem eſt coniugibus poſſe valide in Religione profiteri; non ſimpliciter ſacris ordinibus initiari, adeout per eoſdem ſacros ordines diſſoluatur prius matrimonium: ergo ſtante validitate matrimonij tenebitur coniux ſacris initiatus ad vxorem redire; quia tamen ſic promotus intelligitur ex propriæ voluntatis arbitrio ſe voto ſimplici ſaltem caſtitatis mancipaſſe intelligitur etiam quantum eſt ex ſe ſe obligaſſe ad ſeruandam caſtitatem, licet poſtea ratione iuris alterius teneatur adimplere ea, quæ iuris alterius ſunt. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cum initiatio ad ſacros ordines fuerit ex falſa cauſa, nempe ex præſumptione inualidi matrimonij non poſſit priuare ſic initiatum iure petendi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt bene notarunt *Supplementum Piſana verb. diuortium nu. 7., & ibi Roſella n. 6. Silueſter q. 21. nu. 24.* illa falſa cauſa pertinet ad cauſam impulſiuam, non ſimpliciter finalem.

62 Aſſertio XIII. Impotentia perpetua ſuperue-

Impotētia ſuperueniens non dirimit matrimonium

perueniens matrimonio iam conſummato illud non dirimit, quinimmo, nec ſi ſuperueniat eidem præciſe rato. Prima pars eſt communis quoad omnes, Secunda pars eſt *D. Bonauentura in 4. diſt. 34. art. 2. q. 2., & ibi Scotus q. vnica col. 2. Paludani in 4. diſt. 27. quaſt. 3. art. vlt. concl. 3. num. 27. D. Antonini tertia part. tit. 1. c. 12. §. 2. Abulenſis cap. 19. Matthæi quaſt. 90. in fine corporis.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod ſupra dicebamus, nempe matrimonium conſummatum nulla lege eſſe ſolubile, niſi per mortem ſuperuenientem; adeout, nec per ſuperuenientem profeſſionem, cui plurima conceſſa ſunt priuilegia, nec per quid aliud, quod æquiparetur morti ciuili diſſoluatur quoad vinculum coniugale, ergo &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia quoad matrimonium ratum conceſſum quidem eſt ius diſſolutionis fauore Religionis per profeſſionem in ea legitimè emiſſam, non autem ratione alicuius alterius cauſæ; vnde merito *Nicolaus Pontifex in c. hi qui 32. q. 7.* docuit quod ob nullam impotentiam ſuperuenientem matrimonium caſſetur, & *D. Auguſtinus lib. 1. de ſermon Domini in monte c. 32.* aſſeruit, retinendam eſſe vxorem antea ductam non obſtante quocunque corporis incommodo ſuperuenienti; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſicuti quoad eſſentiam matrimonij requiritur potentia ad coitū, ita requiratur etiam quoad conſeruationē; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia plura requiruntur ad eſſentiam rei, quæ ad conſeruationem eiuſdem non requiruntur, ſicque in particulari quoad rem præſentem obligatio reddendi debitum comitatur ſolum matrimonium in ſui origine, non ſic in continuatione, vt videre eſt, quando communi conſenſu vterq; coniux profitetur.

Etiam ſi matrimonium fuerit tantum ratum.

Hic oritur difficultas in explicando, quid ſentiendum ſit, quando dubium eſt, an impotentia præceſſerit, ſeu ſubſecuta fuerit matrimonium. Circa quam difficultatem cum diſtinctione procedendum eſt; vel etenim illa impotentia, de qua dubitatur, an præceſſerit, vel ſubſecuta fuerit, eſt naturalis, vel omnino accidentalis, & aduentitia, vel ex morbo, vel ex maleficio, vel ex arte, vel ex caſu; ſi fuerit mere naturalis tunc præſumendum eſt, quod præceſſerit. Ita quoad hunc ſenſum præciſe arbitror locutos *Hoſtienſem in ſumma tit. de frig., & malef., §. qua impotentia num. 7. verſ. quid ſi dubitetur, Ioannem Andream c. fraternitatis num. 25. eod. tit. Aſtenſem 2. part. ſumma lib. 8. tit. 29. art. vnico q. 2. Roſellam verb. diuortium num. 4. Riccardum in 4. diſt. 34. art. 3. q. 1. ad ſecundum Abulenſem c. 19. Matthæi q. 90. in fin. corporis.* Ratio ex eo deducitur, quia quod à natura ineſt, ſemper ineſſe videtur *Menochius de præſumpt. lib. 1. præſumpt. 14. num. 3.*, ſi vero fuerit accidentalis, tunc regularitèr præſumendum eſt, quod fuerit ſubſecuta; ita expreſſis verbis *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 103. num. 6., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quia cum omnibus regularitèr à natura indita ſit potentia concumbendi ſemper eſt præſumptio, quod eadem extiterit, niſi per negantem probetur contrarium, quandoquidem ſemper præſumptio ſtat pro natura. Accedit, quod propter dubia hominum teſtimonia non eſt id, quod lege diuina ligatum eſt, diſſoluendum per textum *ex c. licet ex quadam de teſt., & atteſt.*, Limitarem tamen in hypotheſi, qua ex breui tempore à contracto matrimonio, & attentata copula impotentia fuerit detecta, quia tunc præſumeretur pro impotentia præcedenti.

63 In dubio, an impotentia præceſſerit, vel ſubſecuta fuerit præſumendum eſt, quod præceſſerit, ſi fuerit naturalis, ſubſecuta fuerit, ſi accidentalis.

Si vero dubium oriatur ſuper impotentia, an ſit naturalis, an vero mere accidentalis; tunc dicendum eſt poſt adhibitam congruentem indaginem præſumendum eſſe pro accidentali attento prædicto fundamento, quod natura regulariter omnes fecit potentes.

64 In dubio, an fuerit naturalis, vel accidentalis præſumendū pro accidentali

Aſſertio XIV. Superueniente coniugibus poſt contractum, ſeu forte etiam conſummatum legitimum matrimonium impotentia perpetua regulariter eiſdem non interdictus eſt vſus eiuſdem matrimonij ſi excipias impotentiam vas penetrandi Ita in vniuerſum ſentire videtur *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 102. num. 5., & ſeqq. vſque ad finem diſputationis.*

65 Subſequente impotentia non eſt regulariter prohibitus vſus coniugij.

Concludenter euincetur aſſertio, ſi percurratur per vniuerſa impotentiæ genera, quæ ſubſequi poſſunt ad matrimonium legitimè contractum; vel etenim impotentia coeundi prouenit ex ægritudine, qua vir poſt matrimonium nequeat vas penetrare, ſeu qua mulier nequeat ſemen retinere; vel prouenit ex eo, quod quamvis vir poſſit vas penetrare, nequeat tamen verum ſemen emittere, quod contingeret, ſi poſt matrimonium vtroque teſticulo priuaretur, vel ex eo quod fæmina nequeat prolem conceptam viuam edere ad lucem; vel tandem ex eo, quod fæmina nequeat parere ſine propriæ vitæ diſcrimine; ex neutro ex his capitibus priuantur coniuges iure vſus coniugalis excepta impotentia vas penetrandi; & primo ſi incipiamus ab hac exceptione ratio ex eo deducitur, quia coniugibus ſolum permiſſa eſt copula intrà vas legitimū, ergo, vbi ea impoſſibilis eſt, non poterit licitè attentari, quandoquidem cum tali impoſſibilitate ſic attentans exponitur periculo pollutionis extra vas, quod ſecundum ſe eſt grauiter peccaminoſum *Caietanus ſecunda ſecundæ q. 154. art. 1. circa ſolut.*

Rationes euincentes non poſſe tentare copulam, quando vas maſculus non poteſt penetrare.

*Iut. ad quartum Scotus in 4. diſt. 34. q. vnica art. 2. ad fin. corporis verſ. ex quo fit, Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 15. num. 4. in comment. lit. N.* Limitarem tamen hanc exceptionem in hypotheſi, qua eſſet probabilis ſpes congrediendi, & ſeminandi intra vas ſaltem rationabiliter præſumpta, quia vnicuique licitum eſt attentare conſecutionem iuris ſui, quod ſi poſtea fruſtretur ex impotentia tali fine, hoc omnino per accidens eſt, & præter intentionem attentantis. Verum tamen eſt, quod licet quando omnino vir impotens eſt ad ſeminandum intra vas non poſſit attentare talem congreſſum, poſſit tamen vti tactibus, frui oſculis, aliiſque ſimilibus, ſi pollutionis periculum abſit, quia huiuſmodi actus per ſe permiſſi ſunt inter ſponſos de futuro, nedum inter coniuges, prout in ſimilibus docent *Angles floribus pr. part. de matrimon. q. 8. de impedimentis matrimonij art. 1. poſt primam difficultatem dub. 9. & alij.*

Si fæmina non poſſit ſemen retinere non prohibetur maſculus congredi.

In ſuppoſitione tamen, quod fæmina nequeat ſemen retinere poſtquam illud receperit non incongruè arbitrarer poſſe virum copulam habere, actuque coniugali vti *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 79. §. dubio de quo ſum interrogatus, Manuel 1. tomo ſumma 2. edit. c. 243. nu. 9. Vega primo tomo ſumma c. 78. caſ. 7.* Ratio ex eo deducitur, quià tunc intelligitur perfecta copula coniugalis intra vas, & quod deindè ſemen emittatur, hoc per accidens eſt, nec poteſt impedire ius coniugis congredientis, ſicuti ex infra dicendis non poteſt impedire talem congreſſum ex eo, quod prolem nequeat in lucem viuam edere. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod idem in re ſit ſemen non poſſe recipere, ac illud non poſſe retinere, ſed quando fæmina, vel ex impotentia viri, vel ex propria arctitudine non poteſt ſemen recipere, non eſt licitus congreſſus cum ipſa, ergò, nec quando poteſt ſemen retinere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià omninò diſpar eſt ratio, quando fæmina non poteſt ſemen recipere, ac quando non poteſt illud retinere, nam dum non poteſt recipi non poteſt compleri copula coniugalis intra vas debitum, quæ certè vetita eſt, dum verò poteſt recipi, ſed non retineri tunc intelligitur intra vas ſufficientèr completa copula; quod deindè illud eijciatur, hoc omninò per accidens eſt, & prætèr intentionem congredientium, quinimmò hoc eſt difficile, quià regularitèr matrix retinet ſemen neceſſarium ad generationem ſuperfluo expulſo.

Non currit paritas, quandò ſemen non poteſt recipi, ac quandò non poteſt retineri.

Probata iam exceptione in aſſertione appoſita deſcendimus ad probationem, quoad cætera genera impotentiæ; & primo, quod vir poſſit congredi, quandò poteſt quidem vas penetrare, non tamen verum ſemen emittere, ex eo euincitur, quod ille vacans tali actui vtitur iure ſuo, nec eſt neceſſarium ad licitè vtendum, quod verum ſemen emittat, vt contingeret in eo, qui præ morbo nonniſi ſemen corruptum poſſet emittere, & in ſenibus decrepitis, & in ſterilibus, quibus permittitur vſus coniugalis, quamvis vero, & efficaci ſemine ad generandum careant. Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi talis impotentia ad verum ſemen emittendum fuerit præcedens matrimonium, vt ſi vir careat vtroque teſticulo irritet matrimonium, ergò, ſi fuerit ſubſequens impediat vſum ipſius; Non inquam, obeſſe poteſt, quià dato antecedenti conſequentia non currit, nam poſito valido matrimonio vſus illius non eſt denegandus, nec per ſuperueniens impedimentum matrimonium ab eſſe valido tranſit ad eſſe inualidum, & in hoc non currit paritas, quod ſicuti, quando non poteſt vas penetrare illicitus eſt coitus, ità quandò poteſt quidem penetrare, ſed intra illud verum ſemen non poteſt emittere etiam illicitè congrediatur; Non currit, inquam, nam nec etiam potentibus licitum eſt extra vas ſemen emittere, cum ſolum natura, & iura concedant coniugibus vſum intra vas; ſuppoſito igitur, quod intra vas poſſit emittere etiam ſemen non verum ſtante validitate matrimonij non eſt, cur licitè non poſſit congredi, cum ſeruet ea, quæ à natura permittuntur, & ſemen illud prolificum non ſit neceſſarium.

Impotentia ſeminandi ſubſequens nō impedit.

Secundò, quod licitus ſit vſus, quandò fæmina experientia didicit ſe non poſſe prolem viuam edere ex eo euincitur, quià coniuges ſic congredi ndo vtuntur iure ſuo, & quantum eſt ex ſe opus exercent, ex quo proles poteſt ſequi, quod, ſi vel non ſequatur, vel ſequatur, ſed mortua, hoc omninò per accidens eſt, & præter intentionem congredientium, & quamvis præuideant moralitèr prolem viuam non edendam, non propterea tenentur à congreſſu abſtinere, cum maximo periculo incontinentiæ. Aliam rationem huius aſſerti adducit *D. Thomas prima ſecunda q. 83 art. 1. ad 5.*, quià ſcilicet melius eſt fætui eſſe cum originali culpa, & carentia viſionis Dei, quam omninò non eſſe.

Nec impotentia fæminæ prolem viuam edendi.

Tertio, quod licitus ſit congreſſus, quandò fæmina nequit parere abſque graui propriæ vitæ periculo ex eo deducitur, quià maximo periculo incontinentiæ ſubeſſet coniugata, ſi toto vitæ ſuæ decurſu teneretur à coitu abſtinere, quinimmò hoc etiam redundaret in alterius coniugis diſcrimen, & concurrente vitæ periculo cum periculo graui incontinentiæ in vtroque coniuge poteſt quis potius ſibi con-

Nec periculum pariendi cum vitæ diſcrimine.

Digitized by Google

conſulere euitando periculum incontinentiæ, quàm effugiendo vitæ diſcrimen potiſſimum, cum nec ſit certa conceptio ex illo congreſſu, nec certa mors poſſit imminere. Non negauerim tamen, quod quamvis coniugata poſſit licitè reddere; non teneatur tamen cum tanto vitæ periculo reddere, prout docent *Ledeſma 2. part. 4. q. 60. art. 1. verſ. ſed circa hæc eſt dubium, Bartholomæus à Ledeſma de matrimon. dub. 48. concl. 2. Petrus de Ledeſma de matrim. q. 58. art. 1. ad fin. Manuel 1. tomo ſummæ 2. edit. c. 225. num. 6.* de qua re nos etiam fusè agemus in ſequenti volumine, dum de vſu matrimonij, & de peccatis circa ipſum contingentibus.

66 Aſſertio XV. Hermaphroditus, in quo præualet ſexus virilis, poteſt contrahere matrimonium tanquam vir cum fœmina, non tanquam fœmina cum viro; è contra, ſi præualeat ſexus fœmineus poteſt contrahere tanquam fœmina cum viro, non tanquam vir cum fœmina; ſi verò ſexus fuerit æqualis poteſt contrahere iuxta ſexum, quem elegerit, quo ſemel electo, & defuncto primo coniuge, non poteſt licitè alium ſexum eligere, ſi tamen eligeret, validum eſſe matrimonium. Ita in vniuerſum *Baldus in l. quæritur 10. ff. de ſtat. homin. Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 106. n. 4. & ſeqq. Henriquez lib. 14. c. 8. n. 6. Coninchus diſp. 31. dub. 7. nu. 80. Gutierez de Matrimon. c. 119. Gloſa c. ſi teſtes verb. ad matrimon. 4. q. 3. Angelus verb. Hermaphroditus nu. vlt. & ibi Siluester in fine, Bonacina de matrimonio q. 3. punct. 13. a num. 26. ad fin.*

Hermaphroditus poteſt nubere ſecundum ſexum, qui præualet.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Hermaphroditus eius ſexus cenſetur, qui in eodem præualet, & ſecundum communem intellectum, ſi præualeat fœmineus cenſetur fœmina, ſi virilis cenſetur maſculus, ergo tenebitur contrahere ſecundum ſexum, qui præualet, aliter contrahendo inualidè contraheret, quandoquidem celebrando ſecundum ſexum inferiorem celebraret cum perſona eiuſdem ſexus.

67 Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur; quia ſtante æqualitate ſexus habilis intelligitur ad vtrumque, & cum natura æquè conditiones vtriuſque eidem conceſſerit, videtur libertatem indidiſſe ad alterutrum eligendum, prout docent *Hoſtienſis in ſumma tit. de teſtibus, §. quis poſſit eſſe teſtis nu. 1. verſ. quid ſi vtriuſque, Baldus in d. l. quæritur 10. ff. de Rat. hom. in addit. nu. vnico, Siluester verb. Hermaphroditus in fin. Nauarrus lib. 1. conſ. in 1. edit. tit. de ætate, & qualit. conſ. 8. n. 3.*

In æqualitate ſemel electo ſexû non poteſt alium eligere.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia Hermaphroditus, in quo æqualis eſt ſexus, dum vnum ſexum eligit, & matrimonium iuxta illum contrahit regulariter ſe debet iure iurando obſtringere de non eligendo alio ſexu *arg. ex c. præsbiter. 27. q. 1. & c. diuerſis de cler. coniug. & l. ſi plures ff. de pactis*, ergò non poteſt alium ſtatum eligere, & eligendo grauiſſimè peccat contra iusiurandum. Quinimmo, & ſi ius iurandum non emiſiſſet, adhuc ſine peccato non poſſet alium ſtatum eligere; variaret enim electionem in re grauiſſima, & maximè indecens eſſet, quod modo vno, modo altero ſexu vteretur.

Variando grauitèr peccaret.

68 *Dixi, ſi tamen eligeret validum eſſet matrimonium.* Ratio ex eo deducitur, quia cum à natura habeat poteſtatem ad vtrumque ſexum per ius eiuſdem naturæ non irritatur, ſiuè in vno, ſiuè in altero ſexu contrahatur, & quamvis iura poſitiua vetent poſt primam electionem alium ſexum eligi, id non vetant ſub pæna nullitatis, cum nullum ius ſit vetans ſic aſſignabile; Neque dicas, quod; quandò ſexus in eodem Hermaphrodito eſt æqualis inſit incapacitas matrimonij, ſicuti eſſe incapacitatem ad ordines, & ad profeſſionem, de communi teſtatur *Henriquez lib. 14. de irreg. c. 8. n. 6. & Nauarrus lib. 1. conſil. in 1. edit. tit. de ætat. & qualit. conſ. 8. n. 3. & in poſteriori lib. 5. tit. de irregul. conſ. 47. num. 3.*; contra enim impugnaberis; quia, vt benè reſpondet *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 106. nu. 12.* longè diſpar eſt ratio de matrimonio, ac de ſacris ordinibus, & de profeſſione Religioſa; quandoquidem cum maximè indecens ſit fœminam ad ſacros ordines promoueri, & maximè periculoſum, ſi fœmina in vniuerſitate Religioſorum, vel maſculus in vniuerſitate mulierum Deo ſacrarum profiteatur præſumendum eſt Chriſtum Dominum ſacramentum ordinum inſtituentem, ſicuti excluſit fœminas à ſuſceptione valida huiuſmodi ordinum, ita excluſiſſe ſexum æqualiter de viro, & muliere participantem, & Eccleſiam, quæ excluſit à ſacro cœtu virorum fœminas, adeo, vt earum profeſſionem irritarit, etiam excluſiſſe ſexum de vtroque æqualiter participantem propter ſcandala, & indecentiam, quæ inde timeri rationabiliter poſſent; quæ non militant in celebratione matrimonij ſecundum vnum, vel alterum ſexum, quod contentum eſt ſola poteſtate vacandi copulæ coniugali ſecundum vnum, vel alterum ſexum, ſecundum quem poteſt.

Si tamen poſt electionem alium ſexû eligeret teneret matrimonium

## PRÆNOTIO XVIII.

### De duobus impedimentis Concil. Trident. remiſſiuè.

*SVMMARIVM.*

*Dubia plura circa impedimenta Tridentini remiſſiuè.* 1.
*Iura priuantia raptam bonis raptoris ſi eidem raptori nubat.* 2.
*Sententia aſſerens ius canonicum non correxiſſe ius ciuile priuans fœminam nubentem raptori bonis eiuſdem.* 3.
*Sententia aſſerens ius canonicum correxiſſe illud ius ciuile.* 4.
*Proferiur prior ſententia.* 5.

COncilium Tridentinum locis ſupra ſparſim allegatis præter enumerata impedimenta dirimentia duo de nouo induxit; Alterum, quo irritatur matrimonium, ſi clandeſtinè ineatur ſine præſentia Parochi, ſeu alterius ſacerdotis ab ipſo, vel ab Ordinario deputati, & duorum ſaltem, vel trium teſtium; Alterum, quo irritatur, ſi fiat raptus fœminę in locum aliquem ad finem contrahendi cum eadem matrimonium. De duplici hoc nouo impedimento eſſet hic longa contexenda diſputatio; ſed quia de vtroque longè, lateque actitatum eſt in præcedentibus, & quidem de clandeſtinitate in hoc eodem volumine *ſub toto tit. Contractus XV. de matrimonio I.*, & de raptu *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus I. prænot. 10. per totum*, & alibi, prout videre erit in indice, ſub verb. Raptus remiſſiuè ad loca ibi aſſignata, vbi latè quandonam ex raptu conſurgat impedimentum dirimens, nec ne, quænam conditiones requirantur ad verum raptum ad effectum irritandi matrimonium, ſi poſtea contrahatur, vbi quandonam ſimpliciter impediat, & quandonam irritet, vbi de pœnis contra raptores, & alijs huiuſmodi. De raptu item aliquid actitatum eſt in hoc eodē volumine prout videre erit in indice relatiuè ad loca allegata in eodem.

1 Dubia plura circa impedimenta Tridentini remiſſiuè.

2 An ſi rapta nubat raptori amittat bona raptoris, quæ ſibi ob raptum à iure ſunt deuoluta.

Difficultas ſolummodo poteſt eſſe in præſenti quoad raptum, an ſi mulier rapta nubat raptori amittat ipſius raptoris bona, quę ratione raptus ſibi à iure ciuili fuerant ipſo facto deuoluta. Pro cuius difficultatis clariori diſcuſſione aduertendum eſt in iure ciuili per textum *in l. vnica C. de rapt. Virg. Tond.* quod bona raptoris, & auxiliantium ſtatim deuoluantur quoad dominium ad ipſam raptam. Rurſus *in auth. de rapta mulier. §. vnico verſ. ſancimus* decerni, quod ſi ipſa rapta nubat raptori ſtatim eadem bona raptoris, & auxiliantium deperdat. Scopus igitur, in quem collimat hæc difficultas, hic eſt, an per ius canonicū correctum ſit ius ciuile, per quod mulieri raptæ nubenti raptori aufertur ius ad eadem bona raptoris, & auxiliantium ſibi per raptum deuoluta.

Prima ſententia aſſerit, per ius canonicum illud ius ciuile non fuiſſe correctum, ac proinde raptam nubentem raptori non poſſe conſequi bona eiuſdem raptoris, & auxiliantium *Gloſa in c. cum ſecundum leges de heret. in 6. verb. certoque caſu Antonius c. 1. de ſponſalib. num. 12. verſ. quandoque ſtatutum Franciſcus Aretinus c. Eccleſia de conſtit. num. 1. col. 4. verſ. his tamen non obſtantibus, Salicetus l. vnica num. 12 C. de rapt. virg.* Ratio ex eo deducitur primo, quia lex ciuilis deferens bona raptoris raptę ea defert ſub conditione, ſi eidem raptori non nubat, ergo ſi eidem nupſerit ex defectu conditionis non adimpletæ eadem bona non acquiret; ſecundo, quia lex canonica potius confirmat diſpoſitionem legis ciuilis, quam corrigat, vt expreſſe colligitur ex textu *in c. cum ſecundum leges de Heret. in 6.*, vbi ſic legitur. *Et mulier humanam legem tranſgrediens raptorum nuptias eligens bona omnia, quæ per legem ſibi obuenerant à raptore, emittat.* 3 Sententia aſſerēs ius canonicum non correxiſſe ius ciuile priuās fœminam nubentem raptori bonis eiuſdē.

Secunda ſententia aſſerit, per ius canonicum eſſe quoad hanc rem correctam legem ciuilem, & proindè mulierem acquirere bona raptoris, quantumvis eidem nubat *Hoſtienſis in ſumma tit. de pœnis raptorum corporum num. 1. in fin. verſ. ſed nunquid Gofredus in ſumma tit. de raptoribus num. 8. Archidiaconus c. cum ſecundum leges de heret. in 6. num. 1. verſ. certo caſu Abbas c. Eccleſia num. 15. de conſtit. Decius in l. nuptias num. 12. in fin. ff. de reg. iur. Couarruuias 4. decret. 2 part. c. 3. § 9 num. 2.*, atq; hi deſumunt rationem à fundamento oppoſito rationi primæ ſententiæ; aſſerunt enim ius ciuile *in d. auth. de rapt. mulier. §. vnico verb. ſancimus* priuare raptam nubentem raptori lucro bonorum eiuſdem raptoris in pœnam matrimonij iniuſtè cum illo initi: per ius enim ciuile irritatur matrimonium inter raptorem, & raptam; ex quo deinde inferunt, quod cum ius canonicum correxerit ius ciuile quoad inualiditatem talis matrimonij intelligatur etiam correxiſſe pœnam inflictam ob eandem inualiditatem, ſeu ob matrimonium inualidè initum. Quid igitur hac in controuerſia concludendum? 4 Sententia aſſerens ius canonicum correxiſſe illud ius ciuile.

Aſſertio. Probabilius procedit prior ſententia, adeoque ſi rapta nubat raptori priuatur iure ad bona eiuſdem raptoris. Ita preter preallegatos DD. ſentiunt *Ioannes Lupus c. per veſtras not. 3. § 3. num. 13. de donat. inter vir. & uxor. Brunellus de ſponſalib.* 5 Præfertur prior ſententia.

*ſalib conſil. 19. num. 7. Iulius Clarus lib. 4. recept. § raptus num. 8. in fin. Gofredus in l. vnica C. de rapin virg. verb. raptam raptori* hancque valde probabilem aſſerit *Sanchez lib. 7. de matrimon diſp. 12. n. 27.* quamvis poſtea num. 28. adhæreat contrariæ ſententiæ tanquam probabiliori.

Rationes pro eadem ſententia allatæ valide ipſam euincunt, quandoquidem iura ciuilia conferunt ius ad ipſa bona raptoris in raptam, ſi non nupſerit eidem raptori: ſi enim eidem nupſerit, ſicuti videtur remiſiſſe iniuriam raptus, ita ex diſpoſitione iuris videtur ceſſiſſe iura ad talia bona; nec ſupponendum eſt, hoc præcisè ſtatuiſſe ob inualiditatem matrimonij, quandoquidem, ſi ſupponatur inualidum præciſe matrimonium, & ab hoc præcisè inducta eſſet illa pœna amiſſionis illius lucri, incongruè eſſet inducta, nam cū iura illud matrimonium irritent perinde eſſet, ac ſi non eſſet contractum, non contractus autē, & contractus nullus quoad rem paria ſunt; nec poteſt dici pœnam hanc reſpicere attentatum ad matrimonium, non matrimonium ipſum: non, inquam, dici poteſt: nam per hoc idem ius ciuile non diceretur correctum per ius canonicum, quod tollit quidem non ſit inualidum illud matrimonium, non tollit autem, quod non fuerit contra ius attentatum.

Rationes euincentes ſententiam.

Deinde hæc omnia ceſſant in præſenti ſtante diſpoſitione Concilij Tridentini irritantis matrimonium inter raptorem, & raptam, niſi prius rapta fuerit constituta in loco tuto, & propterea in hoc ſe conformantis antiquo iuri ciuili: ſi enim propter inualiditatem matrimonij illa pœna amiſſionis lucri erat inducta, cum modo idem Concilium Tridentinum eandem nullitatem induxerit, non videtur refragari diſpoſitioni eiuſdem iuris ciuilis *in ead. auth. de rapt. mul. §. vnico verb. ſancimus*; in tantum enim ſupponitur per ius canonicum antiquum correctum ius ciuile *in d. auth. de rapt. mulie.*, inquantum idem ius canonicum abſtulit nullitatem eiuſdem matrimonij, ob quam inducta erat illa pœna. Cum igitur modo illa nullitas per Concilium Tridentinum inducatur, illud ius intelligitur reſtauratum; & quoad nullitatem, & quoad pœnam.

Stante diſpoſitione Concilij Tridentini, hæc ſententia eſt veriſſima.

## DISQVISITIONES I.

### A prima ad quintam prænotionem incluſiuè de impedimentis ſolum impedientibus.

### §. I.

An Pontifex iuſta exiſtente cauſa poſſit in pœnam perſonam aliquam reddere perpetuo inhabilem ad matrimonium, quæ iure naturæ habilis eſt.

*SVMMARIVM.*

*Dubium excitatum in terminis particularibus.* 1.
*Rationes ſuadentes non poſſe Pontificem ſic inhabilitare.* 2.
*Pontifex in pœnam grauiſſimi delicti potuit, & poteſt talem inhabilitatem inducere.* 3.
*Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitum.* 4.
*Ex ſimplici interdicto Pontificis ſine clauſula irritante matrimonium contra illud initum non eſt inualidum.* 5.
*Interdicto per Pontificem matrimonio cum decreto generali irritante non facta mentione matrimonij: ſi celebretur contra illud, tenet.* 6.
*Si facta fuerit mentio matrimonij, ſi cauſa prohibitionis fuerit perpetua, matrimonium non tenet, tenet vero, ſi fuerit temporanea.* 7.

DISQVISITIO I. Propter grauiſſimum crimen puta perduellionis aduerſus Romanam Eccleſiam Summus Pontifex certæ perſonæ certæque familiæ interdixit matrimonium, eamque perſonam, ſeu familiam declarauit inhabilem, ſeu talem ſtatuit ad contrahendum cum quacunque perſona, vt talis perſona, taliſque familia tandem deſineret, eiuſque agnatio, & linea obliteraretur. Hoc accidiſſe aſſerunt *Alexander de Neuo c. tuas num. 17. de ſponſa duorum* in Barnaboue Vicecomite Dño Mediolani, & eius liberis, quos Vrbanus V. reddidit inhabiles ad matrimonium, eo quod fuerint rebelles Eccleſiæ. Hic iam agitur, ſicuti tunc agitatum fuit apud *DD.*, vtrum iuſtè, & efficaciter poſſit hoc Pontifex, & potuerit præſtare, adeout ſi ſic inhabilis effectus contrahit, ſeu contraxerit matrimonium, inualidè contrahat, ſeu contraxerit. 1 Dubium excitatum in ſuis terminis.

Diſſi-

*Magis exponitur, in quo conſiſtat ſcopus difficultatis*

Diſſidium non eſt, vtrum Pontifex poſſit certas perſonas ex aliqua cauſa iuxtè inhabiles reddere ad contrahendum reſpectiuè ad certas perſonas, vel non niſi poſitis certis, & determinatis conditionibus, quandoquidem certum eſt Pontificem hoc poſse, ſeu potuiſse, cum de facto, per Concilium Tridentinum inducta fuerit inhabilitas ob clandeſtinitatem, (quod, ſi potuit Concilium, vtique poteſt, & Pontifex, qui eſt ſupra concilium) & plura alia inducta fuerunt impedimenta, quæ ſunt tantum de iure Eccleſiaſtico. Eſt igitur ſolummodò diſſidium, an Pontifex ex iuſta cauſa poſſit abſolutè aliquam perſonam ſecundum ſe habilem ad contrahendum reddere abſolutè inhabilem, adeovt nequeat cum quacunque perſona contrahere, & ſi contrahat, inualidè contrahat.

2 *Rationes ſuadentes Pontificem non poſſe ſic inhabilitare.*

Videtur prima fronte dicendum Pontificem non poſse ſic inhabilem reddere, quandoquidem ſic inhabilis effectus cogeretur ad perpetuam continentiam, ad quam non poteſt obſtringi ſine propriæ voluntatis arbitrio per textum *in c. integritas 22. q. 1.* Deinde Natura ipſa, & Deus ordinauit matrimonium non ſolùm ad propagationem ſpeciei, ſed etiam in remedium concupiſcentiæ, quæ poſt commiſsum peccatum originale in omnibus, & cæpit vigere, & fomitem plurimum excitauit, ſed in ijs, quæ Deus, & natura ordinauit ad bonum eiuſdem naturæ, & ad peccata vitanda non poteſt per humanam poteſtatem quid contrarium ſtatui contra cuiuſcunque voluntatem, ergò &c. Nihilominus

3 *Pontifex in pænam grauiſſimi delicti potuit, & poteſt talem inhabilitatem inducere.*

Reſpondeo, Pontificem in pænam grauiſsimi delicti potuiſse, & poſse in certis perſonis talem inhabilitatem inducere. *Calderinus in c. mas de ſponſa duorum, & ibi Alexander de Neuo num. 17. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 1. n. 8.* Ratio ex eo deducitur, quia Pontifex poteſt in pænam grauiſsimi delicti aliquid iniungere delinquenti, ex quo non poſsit ſequi matrimonium, ergò etiam poterit eidem immediatè matrimonium interdicere ſub pæna nullitatis. Antecedens probatur, quia poteſt detrudere in monaſterium ad agendam perpetuam penitentiam, quo in caſu non poteſt eſse matrimonium, ergò &c. Confirmatur, quia poteſt Pontifex ob pænam inceſtus, aliorumque criminum inducere, ne inceſtuoſus, & aliter delinquens poſsit contrahere matrimonium licitè, & ſine noxa lethali, vt de facto præſtitit inducendo plurima impedimenta ex delicto, quæ ſunt ſimpliciter impedientia, ergò etiam poterit inducere ex grauiſsimo delicto, ne delinquens validè contrahat. Conſequentia probatur, quia poteſtas Pontificis ex cauſa non ſolum extenditur ad impedienda matrimonia, ſed etiam ad dirimenda.

*Rationes ſuadentes talem poteſtatem in Pontifice.*

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primum, quod quamvis ſine cauſa non poſſit quis ſine propriæ voluntatis arbitrio obſtringi ad perpetuam continentiam, poſſit tamen obſtringi in pænam delicti, ob quod longè maiores pænæ poſsunt publica auctoritate induci, & ſicuti natura ipſa vitam hominibus conceſsit, cuius conſeruatio eſt eiſdem iure naturali indita, & tamen ob delictum enorme poteſt eadem vita auctoritate publica auferri, ità quamvis natura ipſa matrimonium fecerit commune, & in remedium concupiſcentiæ ordinauerit, non abſtulit tamen, quin ob delictum enorme, & iuſtam cauſam potuerit, nec illud per auctoritatem publicam præcipuè ſupremam Pontificis auferri. Ad ſecundum dicendum eſt remedium illud concupiſcentiæ non ita obſtrictum eſse matrimonio, quin poſsit per alia media reparari: ex quo ſequitur, quod cum ex iuſta, & legitima cauſa impediatur matrimonium, ex conſequenti proueniat, quod ſic impeditus teneatur alia remedia adhibere ad eandem concupiſcentiam ſedandam, quæ, ſi non adhibeat, debet ſibi imputare, ſi in aliquam culpam prolabatur. 4

*Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitum*

Hic oritur difficultas, an, ſi Pontifex ob delictum aliquod enorme ſuo præcepto, ſeu conſtitutione interdicat matrimonium non adiecta clauſula nullitatis, intelligatur matrimonium illud, ſi per perſonam interdictam ineatur, ipſo iure inualidum. Reſpondendum eſt ex ſimplici interdicto Pontificis ſine clauſula irritante matrimonium contra idem interdictum celebratum non reddi inualidum, ſiue interdictum fuerit per modum præcepti, ſiue per modum conſtitutionis *Alexander de Neuo c. penult. nu. 21 de deſponſat. impub. Riccardus in 4. diſt. 52. art. 5. q. 2. idſiq. Paludanus in 4. diſt. 34. q. 1. art. 1. num. 10. D. Antoninus 3 part. tit. 1. c. 16. in fin. principij, Syluester verb. matrimonium 7. q. 1. dict. 3.* Ratio deducitur ex communi regula, qua dicitur multa facta tenere, quæ fieri prohibentur per textum *in c. ad Apoſtolicam de Regul.*, hocque idem in terminis deciditur *in cap. 2. de matrimon. contract. contra interd. Eccl.* Dixi, *ſiuè interdictum fuerit per modum præcepti, ſiuè per modum conſtitutionis* propter *Gofredum in ſumma tit. de matrimon. contract. contra interd. Eccl. num. 1.* aſſerentem diuerſi, quando prohibitio eſt per modum conſtitutionis, ſecus verò, quando eſt in vim ſimplicis præcepti; cuius tamen dictum nullo iuris fundamento innititur, quandoquidem nullum in iure aſsignatur diſcrimen inter interdictum per conſtitutionem, & interdictum

5 *ex ſimplici interdicto Pontificis ſine clauſula irritante matrimonium contra illud celebratũ non eſt inualidum.*

*Siuè interdictum fuerit per modum præcepti, ſiuè per modũ conſtitutionis.*

per

per præceptum, niſi quod illud eſt perpetuum, hoc vero non durat niſi ad vitam interdicentis *Ancharanus clem. unica q. 5. num. 4 de rer permut. Coaruuias 4. decret. part 2. c. 6. in princip. nu. 6. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. c 46. § porro aduertendum*, & alij magis communitèr. Hoc idem intelligendum eſt, ſiuè cauſa interdicti fuerit perpetua, ſiuè temporalis, quidquid ex aduerſo dixerint *Decius c. 2. de teſtib. col. 2. verſ.*, & *prædicta in noua edit. n. 17. Roſella verb. impedimentum imped 16. in fine, Angelus verb matrimonium 3. impedimento 1 n unico*. Ratio huius extenſionis ea eſt, quia perpetuitas cauſæ æquè eſſe poteſt quoad impedimenta dirimentia, ac quoad ſimplicitèr impedientia, quæ etiam prohibent perpetuo matrimonium iniri, ergò ex eo, quod interdictum Pontificis ſit ex cauſa perpetua, non benè arguitur eſſe irritatorium matrimonij.

Alia hic ſuboritur difficultas, an, ſi Pontifex interdicat matrimonium certis perſonis cum decreto generali irritante reddat inualidum illud matrimonium, ſi fortè ineatur. Pro quo aduertendum eſt, quod, an illud decretum generale faciat

6 Interdicto per Pontificem matrimonio cum clauſula generali irritante non facta mentione matrimonij celebratũ cõtra illud tenet.

ſpecificam mentionem matrimonij, an verò ſpecificè non ſe referat ad matrimonium, quod contingeret, ſi Pontifex matrimonium interdicens adderet, ſi quid contra geſtum ſit, forè irritum, & inane. Gloſa *cap. penult. in fin. de deſponſ. impub. Innocentius ibid. in fin.*, & *Alexander de Neuo, num 21. Sanchez de matrimon lib 7. diſp. 2. nu 11.*, ſentiunt, quod, ſi interdictum fuerit cum decreto generali nullam ſpecificam mentionem faciente de matrimonio non reddatur matrimonium inualidum, ſi celebretur. Rationem adducunt ex eo, quod cum matrimonium ſit res ardua, & negotium difficile illud irritare, exigat ad irritationem ſpecialem clauſulam, vndè illa particula, *ſi quid contra geſtum fuerit irritum ſit* debet referri ad præiudicium tantùm alterius. Si verò

7 Si facta fuerit mentio matrimonij, ſi cauſa prohibitionis fuerit perpetua non tenet, ſi fuerit temporalis.

interdictum ſit cum clauſula irritanti, quę faciat ſpecificam mentionem de matrimonio, tunc etiam diſtinguendum eſt, vel enim cauſa prohibitionis ad nullum tempus reſtricta eſt, vel limitata ad certum tempus, puta ob diei venerationem, & pendentiam litis; iuxtà primum membrum diſtinctionis dicendum eſt irritari matrimonium contra interdictum initum, non ſic iuxtà ſecundum. Iuxtà hanc diſtinctionem procedunt *Gloſa in c. tua fraternitas verbo poteris de ſponſa duorum*, & *ibi Abbas n. 4 Alexander de Neuo n. 8. Armilla verbo matrimonium n. 54. Tabiena verbo impedimentum impedimento 13. nu. unico paulo poſt principium*. Prima pars colligitur *ex d. c. tua fraternitas de ſponſ. duorum*. Secunda pars *ex c. 2. de matrim. contract. contra interd. Eccl.*; Nec hæc aduerſantur ijs, quæ ſupra dicebamus de interdicto Pontificis ſine decreto irritante, quod diximus non irritare, ſiuè fuerit ex cauſa perpetua, ſiue ex temporali; Non, inquam, aduerſantur, quià, quandò non eſt clauſula irritans ſpecialem faciens mentionem de matrimonio non eſt præſumenda mens Pontificis de irritatione, ſiuè illa cauſa fuerit perpetua, ſiuè temporalis, cum negotium arduum, quale eſt illud diſſolutionis matrimonij egeat expreſſa declaratione, & indiuidua mentione; quandò

Soluuntur rationes oppoſitæ.

verò eſt clauſula irritans tunc limitanda eſt ad normam cauſæ, ratione cuius ponitur interdictum; non enim præſumendum eſt legiſlatorem velle ad plus obligare, quam exigat ipſa cauſa, maximè in ijs, quæ ſpecialem fauorem important.

---

## §. II.

### Quid agendum ſit, ſi interdicto matrimonio ex cauſa temporali cum decreto irritante, illud ineatur contra interdictum.

*SVMMARIVM.*

*Status diſquiſitionis expoſitus.* 1.
*Duplex cauſa temporanea, ex qua poteſt eſſe interdictum matrimonium.* 2.
*Si matrimonium fuerit interdictum ex cauſa ſolemnitatis, ſeù temporis feriati coniuges ſunt ſeparandi ad tempus in pœnam delicti. num.* 3.
*Tempus ſeparationis non eſt menſtruum, ſed arbitrarium Iudici.* 4.
*Pœna illa eſt iniungenda ſolum delinquenti, quatenus non poſſit petere, non innocenti. num.* 5.
*Matrimonium initum contra præceptum pendente adhuc lite eſt omninò ſeparandum, vſque ad litis terminationem, & tunc iuxta ſententiam poterunt uti, vel non uti coniugio.* 6.
*Nulla excitata lite, ſi matrimonium fuerit initum, & conſummatum, & poſtea lite excitata fuerit prohibitus vſus ex cauſa temporali probabilius coniuges non peccent congrediendo.* 7.

DISQVISITIO II. Dictum eſt in præcedenti paragrapho, quod ſi fuerit

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

interdictum matrimonium cum clauſula irritante ex cauſa tamen non perpetua, ſed temporanea illud matrimonium non intelligatur irritum. Non obſtante tali interdicto Caius aduerſus ipſum matrimo-

Digitized by Google

trimonium contraxit. Quæſitum fuit, quid tunc agendum eſſet.

2 Duplex cauſa temporanea ex qua poteſt eſſe interdictum.

Ex duplici cauſa temporali potuit illud matrimonium eſſe interdictum; vel ſcilicet, ne contraheretur pro aliquo tempore ſolemni, ſeu feriato, vel ne contraheretur pendente lite ſuper eodem matrimonio. Rurſus in ſuppoſitione, quod lis penderet ſuper matrimonio, vel huiuſmodi lis eſſe poteſt ſuper aliquo impedimento dirimente ante contractum matrimonium, vel poſt idem contractum, vel tandem de aliquo impedimento ſimplicitèr impediente. In ordine ad hæc omnia præſens diſquiſitio eſt examinanda. Pro qua.

3 Si interdictum fuerit ob tempus feriarum, coniuges ſunt ſeparandi ad tēpus.

Reſpondeo primo, ſi matrimonium fuerit initum contra interdictum reſpiciens ſolummodo cauſam temporalem ſcilicet, ne contraheretur tempore ſolemni, ſeu Feriato, & interdictum fuerit legitimum coniuges ſunt ſeparandi ad tempus in pœnam delicti. *Gloſa in c. tua fraternitas verb. poterit de ſponſa duorum Hoſtienſis in ſumma tit. de matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ* §. *vlt. num. 3. Aſtenſis in ſumma 2 part. lib. 8. tit 31. art. vnico q. 1. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. in inſt. n. 6. D Bonauentura in 4. diſt. 32. art. 4. quæſt. 2.* Hæc reſponſio expreſſe colligitur ex textu *in c. 1. de matrimon. contract. contra interdictum Eccleſiæ*, vbi ſic legitur. *Mandamus quatenus ſi eſt ita, præfatam mulierem, ne mandatum tuum contemptibile videatur ad domum matris redire compellas, & impoſita ſibi de tanto exceſſu pænitentia condigna, poſtquam in domo matris per menſem ſteterit; ad tertium reuerti permittas.*

Dubia non nulla circa præſentem reſpectum.

Circa hanc reſponſionem nonnullæ conſurgunt rationes dubitandi; quorum prima eſt, an illa ſeparatio debeat eſſe ad menſem præcisè, an vero arbitrio Iudicis poſſit protrahi; ſecunda, an ſi alter tantum ex coniugibus fuerit contumax ad præceptum, ſeu interdictum Eccleſiæ altero penitus inſcio ipſe ſolummodo ſit ſeparandus, in eo ſenſu, vt non poſſit pro eo tempore petere debitum, teneatur tamen alteri innocenti reddere, & alter poſſit pro libito petere. In ordine ad primam dicendum eſt tempus ſeparationis non reſtringi ad menſem, ſed arbitrarium eſſe Iudici, Hoſtienſis *in ſumma tit. de matrimonij contractu contra interdictum Eccleſiæ* § *vlt. num. 3. Antonius in c. tua fraternitas num 5 de ſponſa duorum Henricus c fin. num. 4. eod. tit. Aſtenſis in ſumma 2. part lib. 8. tit. 31. art. vnico.* Ratio ex eo deſumitur, quia huiuſmodi pœnæ regulariter ſunt Iudici præcipuè quoad extenſionem, & reſtrictionem attenta præcipuè maiori, vel minori grauitate delicti arbitrariæ; nec obeſſe poteſt textus *in d. c. 1. de matrimonio contractu contra interd. Eccleſiæ*, vbi videtur præſcribi dumtaxat terminus vnius menſis; pœnæ autem determinatè præſcriptæ à iure nequeunt per Iudices alterari; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille terminus non ponitur limitatiuè, & reſtrictiuè, ſed ſolummodo exemplificatiue, prout explicant *DD.* præallegati.

4 Separatio quoad tempus eſt arbitraria Iudici.

Terminus nō ponitur reſtrictiuè, ſed exemplificatiuè.

5 Pœna illa eſt iniungenda ſolummodo coniugi delinquenti, quatenus non poſſit petere, non innocenti.

Ad ſecundam dicendum eſt pœnam illam iniungendam eſſe ſolummodo coniugi delinquenti, quatenus hic non poſſit ante tempus præſcriptum petere, non alteri innocenti *Hoſtienſis, Henricus, Aſtenſis loc. cit.*, & hoc rectè quidem congruit rationi; non enim æquū eſt, vt quis ſubeat pœnam ob delictum, quod non commiſit; nec dici poteſt, quod hæc pœna reſpectu innocentis veniat in conſequentiam, quatenus ex eo, quod delinquens ſit ſeparandus, inferatur etiam ſeparatio innocentis; ſeparatio etenim ex genere ſuo non poteſt eſſe, niſi inter duos; non, inquam dici poteſt, quia per ly ſeparatio, quando vnus tantum eſt delinquens, & delictum non deſtruit ſubſtantiam contractus, non intelligendum eſt onus ſeparationis talis, ratione cuius delinquens non poſſit conueniri per innocentem, ſed ſolummodo, quod ipſe nequeat eundem innocentem conuenire petendo ab eodem debitum. Cum autem dixerimus pœnam ſeparationis eſſe arbitrariam quoad tempus ipſi Iudici rectè etiam inferre poſſumus, quod interueniente legitima cauſa ſit etiam arbitraria quoad ſubſtantiam, adeovt ſi rationabilitèr timeatur de periculo incontinentiæ, poſſit relaxari, & in aliam pœnam arbitrariam commutari prout docent *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 4. nu. 19. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 17. ad fin. Turrecremata c. non oportet 2. in fin. 33. q. 4.*

6 Matrimonium initū pendente adhuc lite eſt ſeparandum.

Reſpondeo ſecundo. Si matrimonium fuerit initum pendente adhuc lite ſuper impedimento dirimente omnino ſeparandum eſt, adeout neutri coniugi liceat vſus coniugij, nec quoad petitionem, nec quoad redditionem debiti, quanduſque lis omnibus inſpectis per ſententiam definitiuam dirimatur, & ſi per eandem definiatur impedimentum non vigere, poterunt matrimonio vti, ſi vero ſtatuatur vigere, erit omnino diſſoluendum *Abbas in c. ſua fraternitas num. 3., & ibi Alexander de Neuo num. 5. de ſponſa duorum Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 2. nu. 15* Colligitur expreſſe reſponſio *ex d. c. tua fraternitas de ſponſa duorum*, & ratio ex eo deducitur, quia per vſum matrimonij conſtituerentur contrahentes in periculo, ſeu dubio peccati lethalis, cuius, ne quidem formam, ſed etiam ſpeciem tenetur vnuſquiſque vitare, ergo ad tale periculum effugiendum tenentur ab vſu matrimonij abſtinere; Neque obeſſe poteſt, ſi opponatur textus *in c. laudabilem in lit pend.*, vbi dicitur neminem ex coniugibus accuſatum

priuan-

priuandum eſſe iure, quod habet in alterum ante probatam accuſationem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia textus ille procedit ſolummodo in hypotheſi, cum nulla lite excitata, ſed approbante *Eccleſia* fuerit matrimonium in facie eiuſdem celebratum, prout rectè notarunt *Gloſa fin. c. tenor de ſent.. & re iudic. & ibi Abbas num. 9.*

7 Si ad matrimonium conſummatum ſubſequta fuerit lis poſsūt contrahentes in vſu illius permanere.

Reſpondeo tertio, celebrato matrimonio nulla excitata lite ſuper aliquo impedimento dirimente, eoque conſummato, ſi poſtea lis ſuper eodem impedimento excitetur, & interim prohibeatur vſus matrimonij ex hac cauſa temporali probabiliter crederem, non peccare coniuges, ſi interim vtantur matrimonio. Ita ſentire exiſtimo *Gloſam fin. in c. tenor de ſent., & re iud., & ibi Abbatem nu. 9. Alexandrum de Neuo d. c. ſua fraternitas num. 6. de ſponſa duorum.* Colligitur *ex d. c. laudabilem, vt lite pendente*, quem textum prædicti DD. explicant cum nulla lite pendente, ſed approbante *Eccleſia* matrimonium in eius facie fuit contractum; & ratio ex eo deducitur, quia cum matrimonium fuerit initum ſeruatis omnibus à iure requiſitis plenum ius acquiſierunt contrahentes, & poſſeſſionem, qua non ſunt priuandi ex ſuperueniente dubio: Neque dicas in hac hypotheſi ex ſpeciali ratione interdicendum eſſe vſum, ob vitandum ſcilicet periculum peccatorum: contra enim impugnaberis, quia non poteſt eſſe periculum peccati in vſu, vbi eſt perfecta poſſeſſio, quoad eundem vſum, qua ex dubio non eſt quis priuandus; vnde merito ſubdit *Alexander de Neuo eod. c. ſua fraternitas num. 6.*, vt non ſit interdicendus vſus coniugij, quando ante litem motam eſt contractum matrimonium.

---

## §. III.

### An grauis metus excuſare valeat à culpa, quæ contrahitur per contrahentem matrimonium cum impedimento, ſiue dirimente, ſiue ſimpliciter impediente.

### SVMMARIVM.

*Exponitur ſtatus controuerſiæ.* 1.

*Si cum impedimento ſolummodo impediente ex metu cadente in conſtantem virum contraxerit cum animo vere contrahendi nullam culpam contrahit.* 2.

*Si contrahat ficte ſine animo contrahendi peccat venialiter.* 3.

*Si vere contraxerit ficte, & ſimul conſummauerit peccat lethaliter,* 4.

*Si contraxerit cum impedimento dirimenti ex metu graui cum animo verè contrahendi non peccat.* 5.

*Peccat venialiter fictè contrahendo,* 6.

*Lethaliter ſi cum animo conſummandi,* 7.

1 Exponitur ſtatus controuerſiæ.

DISQVISITIO III. Conueniunt omnes DD., prout etiam nos ſupra attigimus, culpam eſſe lethalem contrahere matrimonium ſcienter cum impedimento, ſiue dirimente, ſiue ſimpliciter impediente; quinimmo plerique docent eſſe duplex peccatum lethale contrahere cum dirimente, quia vltra tranſgreſſionem iuris naturalis, ſi impedimentum ſit à natura, vel poſitiui, ſi ſit à lege interuenit etiam ſacrilegium irritationis ſacramenti. His poſitis Caius ad ſubterfugiendum graue damnum ſibi imminens compulſus metu cadenti in conſtantem virum matrimonium contraxit, cum impedimento, ſiue dirimente, ſiue ſimpliciter impediente. Hic iam controuertitur, an ſic contrahens cum tali metu excuſetur à culpa, quæ contraheretur, ſi ſine tali metu matrimonium iniretur.

Vt clarius, & diſtinctè procedamus ſecernendæ ſunt difficultates, quoad impedimentum ſimpliciter impediens, & quoad impedimentum dirimens: Rurſus quoad impedimentum dirimens examinandum erit, an matrimonium illud fuerit initum fictè, an cum vero animo contrahendi, & item, an cum animo conſummandi, nec ne.

2 Si cōtrahat cum impedimento ſolummodo impediēte cum animo cōtrahendi nō peccat, ſi cōtrahat ex metu.

Reſpondeo primo, ſi Caius contraxerit matrimonium cum impedimento ſolum impediente ex metu cadente in conſtantem virum nullam culpam contraxiſſe præſumendus eſt, ſi contraxerit animo verè contrahendi; ſi verò fictè contraxerit, culpam venialem contraxiſſe præſumendus eſt; ſi verò non ſolum contraxerit, ſed etiam conſummauerit culpam lethalem contraxiſſe cenſendus eſt. Ita in vniuerſum ſuſtinere videtur *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 4. num. 3.*

Excuſat metus à culpa.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ſuppoſito v. gr., quod impedimentum ſolum impediens conſiſtat in ſimplici voto caſtitatis, vel in ſponſalibus præcedenter cum alia initis, ſi quæ eſſet culpa in contrahendo matrimonio illis ſtantibus potiſſimum conſiſteret in violatione eiuſdem voti ſimplicis, & ſponſalium præcedentium; ſed hæc violatio, quando eſſet ex metu cadente in conſtantem virum non eſſet peccaminoſa, nec lethaliter, nec venialiter, ergo &c. Minor probatur, quia ſimplices promiſſiones, cuiuſmodi ſunt vota ſimplicia, & ſponſalia non obligant cum tanto diſcrimine, quia ea ineſt in eiſdem tacita conditio, ſi res nō fuerint nota-

bilitez mutatæ, & perſeuerent in eodem ſtatu; non intelliguntur autem in eodem ſtatu permanere; hec tacita purificatur conditio, quotieſcunque metus cadens in conſtantem virum ad quid aliud compellit.

*Si contrahat fictè cũ animo non cõtrahendi quantũvis fuerit per metum inductus, peccat venialiter.*

3 Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ſic fictè contrahendo quantumvis per metum inductus mentitur aliud ore exprimens, quod mente non concepit *D. Thomas in 4. diſt 29. q. unica art. 3. quæſtiuncula 1. in corpore Riccardus ibid art. 1. q. 1. in corpore Sotus ibi q. 1. art. 3. verſ. reſpondetur, quod quamuis*. Quod autem hoc ſit ſolummodo peccatum veniale, non læthale ex eo euincitur, quod illud mendacium non eſt grauiter iniurioſum alteri contrahenti, nam, vel ipſe per metum extorſit conſenſum, vel penitus ignarus fuit talis metus, ob quem conſenſus ille fictus præſtitus eſt; ſi primum; incongruè metum illum contulit ad extorquendum conſenſum, adeoque irrationabiliter conquereretur, quòd ab altero fuit deceptus, quia vim vi repellere licet, quinimmo ipſe non deciperetur à præbente fictum conſenſum, ſed à ſe ipſo; poterat enim cognoſcere, & præſumere, quod alter irrationabiliter per metum coactus omnibus modis contendiſſet ſubterfugere damna, quæ ſibi ex metu imminebant, & modum adinuenire, quo non obligaretur. Si ſecundum; quantumvis ille fictus conſenſus cederet quodamodo in iniuriam decepti; excuſaretur tamen decipiens à graui culpa ratione metus illati, cuius euerſionem directè intendit præbens fictũ illum conſenſum: vnde indirectè tantum, & in conſequentiam veniret iniuria alterius; Neque ex hoc inferas, quod nullam contraheret culpam ſic fingendo excuſabile cum metu cadente in conſtantem virum; contra enim impugnaberis, quia ſtante declaratione Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis, quâ damnauit propoſitionem, quæ eſt in numero 25., & 26., qua dicebatur licere ad euitandam mortem, vel infamiam mentiri, vel aliud ore fateri, aliud mente retinere; manifeſte ſequitur non licere etiam ex graui cauſa fictione veritatem ſimulare.

*Iniuria alterius veniret tantum in conſequentiam.*

*Si conſummauerit peccat læthaliter.*

4 Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia extante graui metu cadente in conſtantem virum, quo contrahitur, matrimonium illud eſt abſolutè irritum per ea, quæ docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus l. prænot. V. ſect. 4. n. 3. & ſeqq.* ſed conſummare matrimonium conſtante de ipſius inualiditate, niſi libere renouetur conſenſus, eſt peccaminoſum læthaliter, ergo &c.

*Si cõtraxerit cum impedimento dirimente ex metu cũ animo vere contrahẽdi non peccat*

5 Reſpondeo ſecundo. Si Caius contraxerit per metum cadentem in conſtantem virum cum impedimento dirimente matrimonium ceſſante alio ſcandalo nullam culpam contraxit, ſi contraxit vero animo, ſolam venialem ſi contraxit fictè, læthalem, ſi cum animo conſummandi. Prima pars eſt *Scoti in 4. diſt. 29. q. unica §. de ſecundo dico verſ. reſpondeo Coaruuia 4. decret. 2. part. q. 3. §. [illegible] num. 4. Palacios in 4. diſt. 29. q. unica verſ. hinc collige Phyliarci de off. ſacerdotis tom. 1. part. 2 lib. 2. cap. 8.* ſecunda pars eſt *Nauarri in ſumma hiſpana c. 38. addit. ad num 52. Palacios in 4. diſt. 29. diſp. unica verſ. Scotus refragatur Manuelis pr. tom. ſumma 2. edit. c. 231 num 2. Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 5. nu. 4, & lib. 4. diſp. 16. nu. 2. verſ. ſed dicendum eſt.* Tertia pars eſt eiuſdem *Sanchez d. lib. 7. diſp. 5. nu. 4.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur primo, quod habetur *in c. unico §. idem quoque de deſponſat. impub. in 6.*, vbi non damnantur impuberes contrahentes matrimonium per verba de præſenti, & tamen declaratur tale matrimonium irritum in ratione matrimonij. Secundo, quia ſic contrahendo, nec peccat contra ſacramentum, nec contra alterum coniugem, nec proprie mentitur, ergo &c. Antecedens quoad primam partem probatur, quia proprie, quantum eſt ex ſe, non irritat ſacramentum, quandoquidem non profert verba, quæ ſint materia, & forma eiuſdem; cum etenim Chriſtus Dominus non mutauerit naturam matrimonij, ſed dumtaxat conſenſus expreſſos contrahentium eleuauerit ad eſſe ſacramenti, ſequitur, quod ſi conſenſus irritante Eccleſia non ſint idonei ad contractum, nec ſint idonei ad eſſe ſacramenti, ſicque non dicuntur irritare ſacramentum, ſed proprie non contrahere. Quoad ſecundam partem etiam euincitur; quia ſic contrahens exiſtente impedimento dirimente ipſe non dirimit matrimonium, ſed ius ipſum ratione talis impedimenti illud irritat, ergo ipſe non irrogat iniuriam alteri coniugi; Neque dicas, quod, cum contrahens ſciat illud matrimonium non poſſe ratione impedimenti ſubſiſtere, irroget alteri iniuriam illud contrahendo, cum quodamodo illum decipiat, contra enim impugnaberis; quia vel alter ſcit adeſſe impedimentum, & nihilominus contrahit, & ſic debet ſibi potius imputare, quod contraxerit, quam alteri; vel fuit penitus ignarus, & ſic alter, qui ſciens impedimentum contraxit, quamvis ſecundum ſe peccaret contrahendo libere, excuſatur tamen à culpa ratione metus grauis ſibi illati; non enim tenetur ſubire damnum, quod ex illo, metu ſibi imminet, cum aliunde ſciat contractum illum non ſubſiſtere. Ratio tertiæ partis, quia hic nullatenus mentitur; Ea etenim verba, *accipio*

*Nõ peccat contra ſacramentũ, nec contra alterum coniugem.*

de

*te in vxorem* verificatur in eo ſenſu, *quantum eſt ex me te accipio*, & hoc veriſſimum eſt, cum verum conſenſum habeat, & ſi eſt irritum matrimoniũ, nó eſt ex parte ei uſdem, ſed ex diſpoſitione Eccleſiæ irritantis.

6 Peccat venialiter ſicte contrahendo.

Ratio ſecundæ partis reſponſionis ex eo deducitur, quia ſictè contrahendo aliud ore exprimit, aliud in corde retinens; nec ex hoc ſequitur culpa lethalis ratione grauis iniuriæ alteri illatæ; Non, inquam, ſequitur, quia non decipitur ab altero ſictè contrahente, cum etiam ſi verum conſenſum exhiberet, adhuc contractus ratione impedimenti eſſet irritus, ſed ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici irritantis.

7 Lethaliter ſi cum animo coſum mandi.

Ratio tertiæ partis ex eo deſumitur, quia exiſtente impedimento dirimente omnino fornicarium eſt illud conſummare, cum ſit accedere ad non ſuam; ergo etiam concurrente metu cadente in conſtantem virum erit peccaminoſum illud conſummare.

*Dices*, hæc ad ſummum verificari, quando eſſet impedimentum irritans de iure naturæ, ſecus quando eſſet tantum de iure Eccleſiaſtico, quandoquidem lex Eccleſiaſtica irritans exiſtente graui metu cadente in conſtantem virum non obligat cum tanto vitæ diſcrimine, ſicuti ſuperius innuebamus, non obligare ad obſeruantiam voti ſimplicis, & ſponſalium exiſtente eodem metu cadente in conſtantem virum. Sed contra in primis, quia ex ſolo metu cadente in conſtantem virum præciſo etiam alio impedimento matrimonium irritatur non ſolum de iure Eccleſiaſtico poſitiuo, ſed etiam de iure naturæ, prout latè tradidimus *tom 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib I. prænot. 5. ſect. V. num. 1.*, & latè docent *Couaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 3. § 5. num. 6. Nauarrus in ſumma c. 17. num. 30. Scotus in 4. diſt. 29. num. 2. Comitolus lib. 3. reſponſ. moral. q. 2. verſ. octauum Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 12. num. 269.* ex quo ſatis reſpondetur ad præſentem inſtantiam.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Deinde reſpondere poteſt iuxta *Sanchez lib. 7. diſp. 5. num. 4. propoſito*, quod licet regulariter verum ſit, quod leges Eccleſiaſticæ non obligent cum tanto diſcrimine, & cum grauiſſimo incommodo, hoc tamen fallat, quando huiuſmodi leges valdè expedirent ad bonum commune Reipublicæ, cuiuſmodi ſunt leges Eccleſiaſticæ irritantes matrimoniũ; quis enim diceret per copulam validum effici matrimonium contractum ſine Parocho, & teſtibus ex eo, quod copula fiat ex metu cadente in conſtantem virum?

Dices ſecundo, per illam conſummationem quantumvis metu extortam firmari matrimonium, adeoque carere culpa. Sed contra, quia gratis omnino dicitur per illam conſummationem firmari matrimonium ex impedimento dirimenti irritum, quinimmo illa conſummatio eſſet peccaminoſa lethaliter, cum ſit acceſſus ad non ſuam.

---

## §. IV.

### An copula habita inter irretitos impedimento dirimenti inducat ſpecialem malitiam neceſſario in confeſſione explicandam.

*SVMMARIVM.*

*Refertur facti ſeries in ſuis terminis.* 1.
*Impedimenta ſunt in duplici differentia, prout opponuntur, vel non opponuntur ſpeciali virtuti.* 2.
*Sententia aſſerens impedimenta quomodocunq; inducere ſpecialem malitiam,* 3.
*Copula habita inter irretitos impedimento dirimenti tunc tantum inducit ſpecialem malitiam, quando impedimentum opponitur diuerſæ virtuti ab honeſtate matrimonij.* 4.
*Coitus fidelis cum infideli probabilius inducit diuerſam malitiam.* 5.
*Item catholici cum heretica Ibid.*
*Coitus impotentis inducit malitiam diuerſam.* 6.
*Coitus cum fæmina rapta conſentiente, antequam conſtituatur in loco tuto non trahit ſecum diuerſam malitiam.* 7.
*Caſus in particulari, in quibus non contrahitur diuerſa malitia.* 8.

DISQVISITIO IV. *E*rant irretiti aliqua impedimento ſecundum ſe dirimenti Caius, & Theodorica, ratione cuius non poterant inter ſe contrahere matrimonium. Hoc tamen impedimento non obſtante copulam adinuicem habuerunt. Hic orta fuit controuerſia, an contraxerint aliquam ſpecialem malitiam diſtinctam à malitia ſimplicis fornicationis, quæ ſit ex neceſſitate in confeſſione exprimenda. 1 Refertur facti ſeries in ſuis terminis.

Impedimenta dirimentia matrimonium ſunt quodamodò in duplici differentia; alia, quæ habent oppoſitionem ad aliquam ſpecialem virtutem, ſeu quæ irritant matrimonium, eo quod iſtud ratione circunſtantiæ annexæ opponatur alicui ſpeciali virtuti, quæ pugnet cum eodem matrimonio; alia, quæ ſimpliciter repugnant matrimonio ex ſpeciali interdicto Eccleſiæ, Primi generis ſunt impedimentum ordinis, quod ratione caſtitatis annexæ prohibet nedum actum coniugalem, ſed etiam quemcunque fornicarium; 2 Impedimẽta ſunt in duplici differentia, prout opponuntur, vel non opponuntur ſpeciali virtuti diſtinctæ.

votum, quod proptèr eandem rationem, pugnat cum vſu quocunque, ſiuè coniugali, ſiuè fornicario; ligamen, quod ratione vinculi indiſſolubilis cum alio habet annexam iuſtitiam, ratione cuius corpus vni alligatum non poteſt alteri obligari; cognatio, quæ ratione ſpecialis honeſtatis propter ſanguinis coniunctionem trahit inter conſanguineos quandam obſeruantiam, ratione cuius indecens eſt coitus inter ipſos, intellige, ſi ſint in linea tranſuerſali in certo gradu ab Eccleſia præfinito; proptèr eandem rationem ſunt in eodem genere affinitas in certo gradu, cognatio item ſpiritualis proptèr reuerentiam debitam ſacramento, ex quo cognatio hæc originem duxit, & cognatio legalis; & publica honeſtas cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu; item impotentia proptèr repugnantiam, quam habet ad finem à matrimonio intentum, vnde coitus reducitur ad peccatum contra naturam; tandem cultus diſparitas propter Religionis dedecus; ſecundi generis ſunt error, conditio ſeruilis, crimen, & vis. Quibus pro notitia ſuppoſitis.

3
Sententia aſſerens impedimenta quomodocunque inducere ſpecialem malitiam.

Nonnulli abſolutè aſſerunt; In omnibus impedimentis dirimentibus copulam inter ſic impeditos inducere ſpecialem malitiam ex neceſſitate in confeſſione aperiendam. *Henriquez lib. 1. de pænit. c. 6. num. 3. in comment. lit. M.*, & alij apud *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 5. num. 6.* Mouentur primo, quia non alia ratione acceſſus ad conſanguineam in ſecundo, & vlterioribus gradibus inducit malitiam ſpecie diuerſam ex neceſſitate in confeſſione aperiendam, niſi, quia eſt ſpeciali iure ab Eccleſia interdictus, quod idem dicendum eſt quoad actus obſiſtentes impedimentis iure canonico inductis, ergò quotieſcunque inter certas perſonas matrimonium interdicitur ſub iure irritante copula inter eaſdem perſonas inducet ſpecialem malitiam neceſſariò in confeſſione exprimendam. Secundò, quia ceſſante prohibitione Eccleſiaſtica contrahendi matrimonium inter conſanguineos vltra primum, & vlteriores gradus iam coitus in illis gradibus non eſſet inceſtus, ergò in tantum eſt talis, in quantum adeſt talis prohibitio, ergò vbicunque eſt prohibitio Eccleſiæ ſub diſpoſitione irritanti contrahendi matrimonia coitus aduerſus talem prohibitionem inducet ſpecialem malitiam neceſſariò in confeſſione exprimendam. Tertiò, quia quando malitia ſpecifica actus non pendet ex matrimonij prohibitione ſublata ea prohibitione adhuc remanet malitia actus, vt videre eſt in eo, qui eſt alligatus vinculo voti ſimplicis, vel ſolemnis caſtitatis; hic etenim ſi præciſè diſpenſetur ad matrimonium,

Fundamenta principaliora huius ſententiæ.

& extra matrimonium coeat, adhuc contrahit ſpeciem ſacrilegij; cum igitur in cæteris impedimentis dirimentibus ijs ſublatis per diſpenſationem, vel abnegationem iuris prohibentis, & irritantis ceſſet ſpecifica malitia actus ſequitur, quod diuerſitas malitiæ ſpecificæ proueniat præciſè ex Eccleſiæ prohibitione. Nihilominus.

Reſpondeo, copulam habitam inter irretitos impedimento dirimenti tunc tantum inducere diuerſam ſpecificam malitiam ex neceſſitate in confeſſione aperiendam, quandò impedimentum eſt ex illis, quæ inducta ſunt ob motiuum alicuius ſpecialis virtutis, vel finis diſtincti à communi fine, & ſimplici honeſtate matrimonij. Ita ſentire videtur *D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 1. in corpore*, vbi aſſerit, quod quando non concurrit alia ſpecialis prohibitio copulæ, vt concurrit in cognatione, voto, ordine, & ligamine ſit ſimplex fornicatio ſoluti cum ſoluta, *Toletus lib. 5. ſumma c. 10. n. 5. Alcazar in ſua ſumma c. 20. pag. 1. §. el ſer la muger &c.* 4

4
Copula habita inter impeditos impedimento dirimenti tunc tantum inducit ſpecialem malitiam, quando opponitur diuerſæ virtuti ab honeſtate matrimonij.

Probatur primo contrahi ſpecialem malitiam, quando impedimentum eſt ex illis, quæ inducta ſunt ob motiuum ſpecialis virtutis, & finis &c. ex ijs, quæ communiter docent Theologi tum in quæſtionibus de actibus humanis, tum in quæſtionibus de vitijs, & peccatis nempe vitia, & peccata diuerſificari in ſpecie ex oppoſitione, quam habent ad diuerſam in ſpecie virtutem, & finem, ergò copula, quæ habita eſt inter impeditos impedimento dirimenti, & tali, vt reſpiciat motiuum ſpecialis virtutis, & finis diſtincti, inducet ſpecialem, & diſtinctam malitiam neceſſariò in confeſſione aperiendam eo, quia tunc illa copula habet oppoſitionem ad diſtinctam virtutem, & finem.

Diuerſe ſpecifica peccatorum à quo deſumatur.

Hinc in particulari copula habita inter obſtrictos voto caſtitatis, ſiuè ſimplici, ſiuè ſolemni, & item ordine ſacro eſt diſtincta in ſpecie malitia, & neceſſariò in confeſſione exprimenda, quia vltrà prohibitionem ſimplicem eccleſiæ interdicentis matrimonium inter iſtas habet oppoſitionem ad virtutem Religionis, per cuius læſionem contrahitur ſacrilegium. Item copula habita per coniugatum eſt diuerſa in ſpecie, & neceſſariò in confeſſione aperienda, quia habet oppoſitionem ad iuſtitiam, ratione cuius coniux tenetur alteri fidem ſeruare. Item eſt diuerſa in ſpecie malitia à ſimplici fornicatione coitus habitus cum conſanguineis intra gradus à iure prohibitos eo, quia opponitur ſpeciali obſeruantiæ, quæ eiſdem conſanguineis debetur, & expreſſè colligitur ex *c. ſexilla*, *§. cum ergo 36. q. 1.*, & proptèr eandem, & ſimilem rationem

Copula habita inter obſtrictos voto caſtitatis, ſiuè ſimplici, ſiuè ſolemni inducit diuerſam malitiam.

Item habita per coniugatum.

inuoluit malitiam ſpecialem exprimendam: coitus cum affinibus in gradibus prohibitis, & cum cognatis ſpiritualibus in eo gradu, in quo interdicitur matrimonium, eo quia opponatur reuerentiæ debitæ ſacramento, & coniunctioni ex illo reſultanti *D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 10. ad ſecundum, D. Antoninus 2. part. tit. 5. c. 2 ſtatim in princip. Silueſter verb. luxuria q. 8.* quorum aliqui peccatum illud vocant ſacrilegium ad modum inceſtus, alij inceſtum ſpiritualem, alij reductiuè inceſtum, & ſacrilegium; propter eandem, vel ſimilem rationem eſt diuerſa ſpecifica malitia coitus inter cognatos legales, cum ſit contra reuerentiam debitam patri adoptanti; item coitus cum conſanguinea propriæ ſponſæ de futuro in primo

Item inter coniugatos. gradu propter reuerentiam ſimilem, licet non ita rigoroſum fundatam in quodam coniunctionis genere orto ex conſanguinitate, vt tenet *Abbas in c. duo pueri n. 7. de de ſponſ. impub., & ibi Prapoſitus num. 4. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 55. art. 4. dub. 1., quod mouet circa ſolutionem ad ſecundum, §. nihilominus tamen.*

Hic eſt diſputatio inter DD., an coitus fidelis cum infideli importet malitiam ſpecificam diuerſam à ſimplici fornicatione, & item coitus impotentis, vel quia frigidus, vel quia eunuchus, & item

5 Coitus fidelis cum infideli probabilius inducit diuerſam malitiam. acceſſus ad raptam conſentientem, antequam in loco tuto conſtituatur. In ordine ad primam, videndum eſt, an ſit coitus fidelis cum infideli abſolutè puta cum pagano, vel pagana, an verò fidelis cum hæretica, qua poſita conſideratione probabilius exiſtimo importare in vtroque caſu malitiam ſpecificam neceſſariò in confeſſione aperiendam *Nauarrus in ſumma c. 16. n. 3. Henriquez lib. 5. de pœnitent. c. 6. num. 3. in commens. lit. M. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 3. n. 12., & 13.* Ratio ex eo deducitur; quia opponitur ſpeciali virtuti Religionis; ſicuti matrimonium ex diſpoſitione Eccleſiæ inter ipſos dirimitur, quia cedit in Religionis dedecus, ita ſpeciali iure, & motiuo intelligitur prohiberi etiam coitus illicitus, cum hic etiam cederet in religionis dedecus; vnde me-

Item catholici cum hæretica. rito Sanchez loc. cit. hanc ſpeciem reducit ad ſacrilegium; & licet per diſpoſitionem Eccleſiæ matrimonium fidelis cum hæretica non irritetur; prohibetur tamen ſub lethali ob iniuriam Chriſtianæ Religionis, vnde &c. In ordine ad ſecundam etiam probabilius ſentio importare ſpeciem ma-

6 Coitus impotentis inducit malitiam diuerſam. litiæ neceſſariò in confeſſione aperiendam, quia ille coitus caret debito fine, ad quem ordinatur congreſſus, vnde reducitur ad ſpeciem luxuriæ contra naturam. In ordine ad tertiam exiſtimo non importare ſpeciem malitiæ neceſſariò in confeſſione aperiendam, quandoquidem non eſt circumſtantia mutans ſpeciem, & licet illud matrimonium, ſi iniretur, eſſet irritum, non propterea ſequitur, quod copula cum illa fœmina conſentiente ſit diuerſa in ſpecie malitia, nam ratio prohibitionis matrimonij fuit ob plenam libertatem in ſtatu perpetuò deſideratam; quæ ratio non militat in copula illicita. Quod, ſi deinde illa copula non fuerit cum fœmina rapta conſentiente, ſed per vim extorta, tunc conſtituit ſpecialem malitiam ſtupri violenti, ſeu raptus. 7 Coitus cũ rapta conſentiente non conſtituit diuerſam malitiam.

Probatur iam ſecundò non contrahi ſpecialem malitiam neceſſariò in confeſſione exprimendam, quando impedimentum non eſt ex ſpeciali motiuo alicuius ſpecialis virtutis, ſeu finis; quia iura ſolum coniunctionem matrimonij illis prohibent, nec aliud eſt ius vetans concubitum, niſi ius vetans fornicationem, ergò ſimplici culpa fornicationis afficitur, qui irretitus huiuſmodi impedimentis copulam init. 8 Caſus, in quibus non contrahitur diuerſa malitia.

Hinc in particulari deducitur, quod, ſi quis etiam ignorans copulam habeat cum diuerſa perſona ab ea, cum qua intendit concumbere, dummodò illa non ſit affecta aliquo qualitate ex ijs, quæ inuoluunt oppoſitionem ad diuerſam in ſpecie virtutem, vel finem, non contrahet diuerſam in ſpecie malitiam. Ratio eſt, quia ex impedimento erroris ſolum irritatur matrimonium in fauorem errantis, ne teneatur ex errore vitam indiuiduam habere cum perſona, cum qua contrahere non intendit; ex eo autem, quod copulam fornicariam cum eadem habuerit, nec ſibi, nec alteri nocet, niſi in genere ſimplicis fornicationis, nec error ille quoad hoc aliquid confert. Secundò deducitur ob eandem rationem non contrahere quoque ſpecialem malitiam ex eo, quod fornicariè concumbat cum perſona affecta qualitate ſeruili. Hac item contrahit ſpecialem malitiam ex eo, quod coeat, cum impedimento criminis dirimentis, quandoquidem ius dirimens matrimonium ſolum reſpicit matrimonium in pœnam delicti, non autem reſpicit quamcunque aliam copulam fornicariam, cum hæc non aduerſetur ſecundùm ſe alicui ſpeciali virtuti, nec fini, qui ſecundùm ſe inuoluat ſpecialem malitiam.

Ex quibus omnibus habes, quid reſpondeam ad ea, quæ ex aduerſo obijciebantur; non enim in impedimento voti, cognationis, affinitatis, & aliorum, prout in præcedenti parte reſponſionis continentur, militat ſolum ratio prohibitionis Eccleſiaſticæ, ſed etiam oppoſitio ad aliquam ſpecialem virtutem, & finem diuerſum, & propterea &c. Satisfit rationibus contrarijs.

§. V.

## §. V.

An Sacerdos benedicens nuptias Solemnitèr tempore vetito, & ſponſi recipientes huiuſmodi benedictiones ſint punibiles, & quã pœna.

### *SVMMARIVM.*

*Exponitur factum in ſuis terminis.* 1.
*Parochus ſolemniter benedicens eſt punibilis, ſed pœna arbitraria.* 2.
*Sponſi ſcientèr recipientes benedictiones ſolemnes pro tempore feriato regularitèr ſunt ad tempus ſeparandi.* 3.
*Si adeſſet periculum incontinentiæ non eſſent ſeparandi.* 4.

1 Caſus expoſitus in ſuis terminis.

DISQVISITIO V. Ex dictis in præcedentibus inter ea, quæ prohibita ſunt tempore feriato potiſſimum ſunt benedictiones ſolemnes nuptiarum. Non obſtante tali prohibitione contractis nuptijs inter Caium, & Meuium Parochus pro tempore vetito illas benedixit, & quidem ſolemniter. Quæſitum hic fuit, an tam Parochus benedicens, quam ſponſi benedicti contrahant aliquam pœnam, & quamnam.

2 Parochus ſolemniter benedicens eſt punibilis, ſed pœna arbitraria.

Reſpondeo primo Parochum ſic benedicentem eſſe quidem punibilem, ſed pœna arbitraria *Paludanus in 4. diſt. 32 q. 1. art. 2. nu. 19. D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 17., & alij magis communiter*. Ratiò ex eo deducitur, quia Parochus ſic benedicens grauiter delinquit contra præceptum Eccleſiaſticum prohibens benedictiones pro illo tempore, ergo grauiter eſt punibilis, & quidem pœna externa, cum præceptum reſpiciat opus externum; ſed determinata pœna quoad hoc delictum non eſt in iure expreſſa, ergo arbitrio iudicis demandanda eſt arg. eorum, quæ tradit *Menochius lib. 1. de arbit. præmio nu. 3., & duplici ſequenti, Salzedo ſuper practicam Bernardi Diac. cap. 74. §. penultimo*.

3 Sponſi ſcientèr recipiẽtes benedictiones ſolemnes pro tempore feriato regularitèr ad tempus ſunt ſeparandi.

Reſpondeo ſecundò ſponſi ſcienter recipientes benedictiones ſolemnes pro tempore feriato, & vetito regulariter ad tempus ſunt ſeparandi in pœnam delicti. *Abbas cap. Capellanus num. 4. in fin. de ferijs, Paludanus in 4. diſt. 32. quæſt. 1. art. 4 num. 19. Aſtenſis in ſumma 2. part lib. 8. tit. 30. art. vnicò q 2., Silueſter verb. matrimonium 7. quæſt. 2. dict. 6.*, & alij magis communiter. Expreſſe deducitur ex *text. in cap non oportet el 3. 33. quæſt., 4*, & quidem congruè hæc pœna inducta fuit, vt in eo genere in quo audacter deliquerunt, puniantur. Dixi *ad tempus*; non enim æquum eſt, vt matrimonium ſecundum ſe validum ex illo delicto fruſtretur ſuo fine in perpetuum. Quantum autem debeat eſſe tempus, pro quo debent ſeparari, cum in iure determinatum non ſit arbitriò Iudicis debet remitti per tradita in præcedenti reſponſione.

4 Si adeſſet periculum incontinentiæ non eſſent ſeparandi. Limitatio reiecta.

Dixi *regulariter*; non enim negauerim, quod ſi periculum incontinentiæ in altero ex coniugibus imminetet, non eſſent ſeparandi. *Paludanus in 4 diſtin. 32 quæſt. 1. art. 4. num. 19. D. Antoninus 3. part. tit 1 cap. 17. ad fin. Roſella verb. impedimentum impedim. 17. in initio. Silueſter verb. matrimonium 7. quæſt. 2. dict. 6.*, non enim æquum eſt vt pœna, quæ ordinatur potius ad ſalutem, referatur ad perditionem æternam delinquentium. Quo in caſu, ne impunitum maneret delictum tranſgreſſionis præcepti, aliâ pœna iudici arbitraria eſſent plectendi delinquentes, prout docet *Turrecremata cap. non oportet el 2. 33. quæſt. 4 in fin*, & in ſimilibus nos etiam ſupra docuimus.

Limitant etiam nonnulli reſponſionem in caſu, quo iam eſſet matrimonium conſummatum, in quo aſſerunt, non eſſe ſponſos copulatos cum benedictionibus receptis in tempore feriato, & prohibitò ſeparãdos, quia ſemel conſummato matrimonio ſemper licitum eſt coire. Sed non libenter hanc limitationem admittunt communius DD., nam iura abſolute irrogant pœnam ſeparationis non ob culpam coitus, ſed ob benedictiones receptas in tempore feriato, & prohibito, quæ pœna non tollitur ex eo, quod ipſi poſteà conſummauerunt matrimonium, cum potius per hoc culpa augeatur, quam diminuatur.

## §. VI.

An vxor alligata votò ſimplici caſtitatis ex vi eiuſdem voti teneatur denegare gratiam reconciliationis marito adulteranti.

### *SVMMARIVM.*

*Suppoſitiones variæ, & caſus iuxta eaſdem expoſitus.* 1.
*Probabilius vxor viro emendato poteſt remittere iniuriam, qua poſita tenetur ad reddendum.* 2.
*Contrahens poſt votum caſtitatis non tenetur, ante conſummationem ingredi Religionem.* 3.
*Per illam reconciliationem directe non conſequitur ius ad copulam.*

Diſ-

1 Suppoſitiones vaſtæ, & caſus iuxta eaſdem expoſitus.

DISQVISITIO VI. Dictum fuit in præcedentibus ob crimen adulterij commiſſum ab altero coniuge poſſe innocentem à toro delinquentis per diuortium recedere, poſſe tamen eidem gratiam reconciliationis concedere. Dictum fuit vlterius obſtrictum voto ſimplici caſtitatis nõ poſſe licite matrimonium contrahere, bene tamen validè, eoque contracto teneri reddere debitum, non tamen petere. His ſuppoſitis Caia obſtricta voto ſimplici caſtitatis nupſit Andreæ, qui poſteà in adulterium incidit: Hic orta fuit controuerſia, an Caia viro adulteranti poſſet gratiam reconciliationis concedere, adeout eidem petenti teneatur reddere, an vero teneretur eidem eandem gratiam denegare ad effectum ſeruandi caſtitatem, quam vouit, in quantum poteſt.

Rationes dubitandi pro vtraq; parte.

Ratio dubitandi ex vna parte ex eo deducitur, quia obſtrictus voto caſtitatis tenetur, quantum in ſe eſt, ad obſeruantiam eiuſdem voti, qua ratione in præcedentibus docuimus, quod, quamvis hic nupſerit non obſtante eo voto, teneatur quidem ratione vinculi fortioris, & iuris ab altero coniuge acquiſiti eidem petenti reddere debitum, nullaſ tamen ratione poſſit ab eodem petere, quia, quantum in ſe eſt, ſaluo iure alterius tenetur votum exequi. Cum igitur in hac hypotheſi ex ſe poſſit gratiam reconciliationis alteri ob adulterium denegare, & ſic abſolutè ſeruare caſtitatem, ſine læſione iuris alterius, non eſt, cur non teneatur illam denegare, atque ita ſentire manifeſtum eſt *Bonacinam de matrimonio q. 3. punct. 14. num. 8. verſ. ſed mihi dicendum videtur*. Ex alia parte videtur poſſe gratiam reconciliationis concedere, quia nullum ius vetat, quin quiſque poſſit remittere iniuriam ſibi per alterum illatã, & ſi poteſt in alio quocunque genere, non video etiam, cur in hoc non poſſit; & ſic quamvis maritus ratione adulterij à ſe patrati amiſerit ius ad petendum facta tamen reconciliatione adhuc ius illud acquirit, ac proindè poterit iterum iuſtè petere. Sic ſentit *Rebellius lib. 3. q. 17. ſect. 2. num. 8*. Quid igitur in hoc ſentiendum?

2 Vxor poteſt remittere iniuriam, & poſtea tenetur reddere.

Reſpondeo probabilius eſſe Caiam viro emendato poſſe iniuriam remittere, & gratiam reconciliationis concedere, qua poſita tenebitur adhuc eidem viro petenti reddere. Ita *Rebellius*, qui ſupra, apud quem alios DD. inuenies hoc expreſſe aſſerentes. Ratio ex eo deducitur, quia nullum ius vetat læſum remittere iniuriam lædenti, quando ex illa remiſſione non imminet aliud damnum, ſeu aliud periculum, quinimmò ſic remittere eſt opus maximè meritorium, & paſſim in ſacris paginis commendatum. Dixi, *quando ex illa remiſſione non imminet aliud damnum, ſeu periculum*, nam, ſi ex illa remiſſione timeretur, quod lædens eſſet in grauia crimina, & forte grauiora prolapſurus, fieri non poſſet remiſſio, ſeu condonatio: ergo, nec etiam intelligitur vetare remiſſionem coniugi adulteranti, quando iam emendatus eſt, & ex illa remiſſione non imminet periculum vlterioris adulterij: ſtante autem illa remiſſione remiſſus poteſt iuſte petere debitum: Neque dicas obſtare votum caſtitatis in innocente reſpectu talis remiſſionis propter rationem ſuperius adductam in ratione dubitandi: contrà enim impugnaberis, quia ex vi voti tenetur quidem vouens ea adimplere quantum eſt ex ſe, quæ ex eodem voto formaliter proueniunt tanquam onera propria eiuſdem voti: non autem per hoc impeditur alia pietatis munera exercere, ad quæ ex diuerſo titulo ius habet, quæque maximè à Deo commendantur, potiſſimum ſi alter ſe emendatum exhibuerit, quantumvis ex illis muneribus ius reuiuiſcat in altero, quod plenè iam acquiſierat, ex quo obſtrictus tali voto caſtitatis teneretur iterum reddere. Ratio ex eo deducitur, quia remittens, ſeu alterum delinquentem reconcilians non intendit primo, & directe concubitum coniugis, à quo abſtinere vouerat, ſed pacificam, & amicabilem coniugis ſocietatem, quod eſt vnum ex tribus, quæ maxime Deo placent, & probata ſunt coram hominibus *Eccleſiaſt. 25.*, licet per accidens, & ſecundario copula ſequatur. Ità ferè ad verbum *Rebellius loc. quo ſupra*.

Remittere iniuriã eſt opus meritorium.

Per votum non impeditur alia pietatis opera.

Confirmari poteſt reſponſio, quia, ſi quis ante matrimonium vouerit caſtitatẽ ſimplici voto, & poſtea contraxerit matrimonium, quamvis grauiter peccarit contrahendo, non tamen eſt obligandus ad Religionem ingrediendam, antequam conſummet, ſed poteſt licitè reddere, quamvis non petere, ergo etiam obligatus voto caſtitatis poſt contractum matrimonium, illudque conſummatum non erit obligandus ad gratiam reconciliationis negandam coniugi adultero, potiſſimum ſi ſe emendatum exhibuerit. Antecedens communiter admitti teſtatur *Rebellius loc. cit. num. 3*. Conſequentia probatur, quia tota ratio, ob quam in hypotheſi conſequentiæ aſſeritur ab aduerſarijs non obligari innocentem ad concedendam reconciliationem eſt, quia quantum eſt ex ſe tenetur ſeruare caſtitatem omni modo, quo poteſt, adeoque cum poſſit non admittere reconciliationem, ex qua ſequeretur onus reddendi, teneatur non admittere, ſed ſi hæc ratio abſolutè, & ſine limitatione valeret, valeret etiam, quod contracto matrimonio, eoque non conſummato teneretur ingredi Religionem, ſiquidem, quantum eſt ex ſe, tenetur omnia me-

3 Paritate conuincenter deducitur aſſertũ.

dia

dia adhibere licita, & neceſſaria ad perfectè conſeruandam caſtitatem, quod tamen non admittitur, ergò &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, diſparem eſſe rationem in caſu antecedentis, ac in caſu conſequentiæ; quandoquidem in primo caſu non tenetur ad ſeruandam caſtitatem ſubire onus adeo graue, cuiuſmodi eſt onus Religionis, quod non militat in ſecundo; Non inquam, obeſſe poteſt, quia ſtante vinculo indiſſolubili matrimonij nimis durum eſſet, tàm ipſi obſtricto voto caſtitatis, quam alteri adulteranti, emendato tamen, permanere cum eodem ligamine matrimonij, & teneri vitam cælibem ducere in perpetuum, adeoque, ſi ratione grauis iugi Religionis non tenetur eam ingredi ad ſeruandam caſtitatem, ita ratione oneris grauis permanendi cum vinculo coniugali ſine iure, tàm reſpectu ipſius, quam alterius ad vſum poterit non negare reconciliationem, ratione cuius alteri reſtituatur ius ad petendum, & ſibi ipſi onus ad reddendum.

Confirmari poteſt ſecundo, quia per adulterium ab altero coniuge commiſſum non eſt ſimpliciter extinctum ius matrimonij, ſed ad ſummum ſuſpenſum, cæteroquin non poſſet remitti tale ius, niſi renouaretur per nouum conſenſum contractus matrimonialis, & facta remiſſione non ſolum committeret remittens peccatum lethale, ſed etiam redderetur actus fornicarius, quicunque coitus ſequeretur poſt talem remiſſionem, quod non eſt dicendum: nam ſicuti voto alligatus peccat ſolummodò contrahendo, non autem poſt contractum reddendo debi-
4 Per illam reconciliationem directè non confertur ius ad copulam. tum, vt eſt in confeſſo apud omnes, ità voto alligatus ad ſummum peccaret concedendo gratiam reconciliationis, non autem poſt eandem conceſſam reddendo, ergò reddendo delinquenti reconciliationem ratione adulterij non committit peccatum contra votum caſtitatis. Conſequentia probatur, quia per illam reconciliationem propriè, & directè non confert ius ad copulam, ſed duntaxat remouet prohibens executionem talis iuris per medium, quod ſecundùm ſe eſt meritorium, & maximè à Deo commendatum, & conceſſo ſemel iure, quod inſolubile eſt, nec ſolui poteſt niſi per mortem, maximè naturæ talis iuris conſentaneum eſt, vt concedantur, quotieſcunque concedi poſſunt, omnia, quæ requiruntur ad perfectam poſſeſſionem talis iuris maximè, vbi illa conferunt in remedium concupiſcentiæ, & apta ſunt ad remouenda peccata, quæ ex tali negatione de facili poſſent contingere, neque eſt imputandum culpæ eiuſdem obſtricti voto caſtitatis, quod ius illud in radice contulerit per contractum matrimonij, non quod eodem perfectè collato poſtea conferat ea, quæ neceſſaria ſunt ad executionem talis iuris, maximè, vbi id exigit ſtatus alterius contrahentis, qui ſi non dignaretur tali conceſſione, ſeù collatione maximè eſſet expoſitus fluctibus concupiſcentiæ, & periculis peccatorum.

---

## §. VII.

### Quomodo ſe gerere debeat Theologus, ſeù ſacerdos, ſi interrogetur, an matrimonium contractum cum voto ſimplicis caſtitatis teneat.

*SVMMARIVM.*

*Status difficultatis exponitur.* 1.
*Modi, quibus concipi poteſt interrogatio.* 2.
*Sententia aſſerens non eſſe reſpondendum.* 3.
*Si interrogatio fuerit in genere, an matrimonium initum cum voto caſtitatis ſit validum non referendo ad perſonam interrogantem non peccat reſpondens, ſi aſſerat eſſe validum, illicitum tamen.* 4.
*Si interrogatio fuerit relata ad interrogantem non peccat reſpondens, ſi aſſerat non poſſe contrahere.* 5.
*Si interrogatus ſpecialiter poteſt ſubterfugere reſponſionem, debet ſubterfugere.* 6.
*Si de voto ſpecialiter interrogantis interrogetur, & interrogatio cadat ſuper valorem, cuius reſponſionem non poſſet ſubterfugere, poteſt reſpondere contractum fore validum, ſed obnoxium grauiſſimæ culpæ.* 7.

DISQVISITIO VII. Obſtrictus erat Caius voto ſimplici, & perpetuo caſtitatis, ratione cuius ſe obligauit Deo ad quemcumque actum vitandum, ſiue in coniugio ſiue extra coniugium, qui poſſet aduerſari eidem caſtitati, quam vouit. 1 Status difficultatis exponitur. Hinc vel concupiſcentiæ ſtimulis actus, vel carnis allectus illecebris Theologum adit, quem interrogat, an ipſe, cum obſtrictus ſit tali voto, ſi contraheret matrimonium, validè contraheret; Quæritur iam, an Theologus conſultus teneatur reſpondere, quid re vera ſit, & quomodò ſe gerere debeat in tali interrogatione.

Ad normam interrogationis regulanda eſt reſponſio, & iuxta diuerſum modum, 2 Modi, quibus concipi poteſt interrogatio. quo illa poteſt concipi, poteſt iſta eſſe, vel licita, vel illicita; vndè vt clarius hac in re procedamus, & caſus omnes, qui in hac materia eſſe poſſunt comprehendamus, diſtinguimus modos, quibus concipi poteſt interrogatio; vel etenim interrogat

præ-

præciſè, an matrimonium contractum cum voto ſimplici caſtitatis validum ſit non referendo quæſitum ad ſe ipſum, nec aperiendo ſe eſſe obſtrictum voto caſtitatis, ſed quaſi doctrinæ gratia, & eruditionis; vel interrogat referendo quæſitum ad ſe ipſum aperiendo ſe voto alligari, & ſtimulis carnis agitari, aliaque, ex quibus interrogatus poſſit coniectari, quod interrogans intendat matrimonium, ſi poſſit. Rurſus, ſi interrogans refert quæſitum ad ſe ipſum, vel interrogat præciſè, an poſſit iniri matrimonium cum tali voto, vel interrogat abſolutè, an validum eſſet matrimonium cum tali voto. Porro, vel qui interrogat, quomodocunque interroget, eſt rudis, qui ex librorum lectione veritatem non poſſit dignoſcere, vel talis, qui ex ſe ex eorundem librorum indagine poſſit dubium diſſoluere. Tandem interrogatione quomocunque concepta, vel poteſt conſultus ſubterfugere reſponſionem, vel prudentèr quaſi diſſimulans, & aliud agens interrogationem eludere, vel non.

Hoſtienſis *in ſumma tit. de voto* §. *quot ſint ſpecies votorum num.* 5. aſſerit ad quæſitum non eſſe reſpondendum; nam ſi reſpondeatur matrimonium inualidum eſſe, committitur mendacium, ſi dicatur fore validum, via aperitur ad contrahendum matrimonium cum culpa læthali. Hoſtienſem hac in re ſequuntur *Albericus in ſuo dictionario lit. I. verb. impedimentum* 4. *in fin.*, *Aſtenſis in ſumma* 2. *part. lib.* 8. *tit.* 16. *art. vnico quæſt.* 9., *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *cap.* 16 §. 1., Nihilominus

3 Sententia aſſerens non eſſe reſpondendum.

Reſpondeo primo, ſi interrogatio fuerit in genere, an matrimonium contractum cum voto ſimplici caſtitatis ſit validum non referendo quæſitum ad perſonam interrogantem, nec aperiendo eam obſtrictam eſſe voto caſtitatis, non peccat Theologus, vel Sacerdos ſi reſpondeat matrimonium illud, ſi iniretur, fore validum, maxime ſi addat, fore tamen illicitum, & grauem noxam contracturum, qui ſic obſtrictus contraheret *Abulenſis cap.* 30. *Numer. q.* 63. *in fin.*, *Angelus verb. matrimonium* 3. *impedim.* 5. *in fin.*, *Manuel primo tom. ſumma in* 2. *edit. cap.* 241. *nu* 3., *Coninchus diſp.* 30. *dub.* 3. *nu.* 31., *Gutierez de matrimon. cap.* 85. *num* 5., Ratio ex eo deducitur, quia nec putat contra veritatem, nec in hac hypotheſi præbet proximam occaſionem peccandi: non primum vt ex ſe patet: non ſecundum, quia cæteroqui peccarent omnes Theologi in publicis licæis docentes votum ſimplex caſtitatis non eſſe impedimentum dirimens matrimonium, ſed dumtaxat impediens, & auctores palàm de hoc ſcribentes: vnde ſi interrogans in genere non referendo rem ad ſe ipſum occaſionem deſumeret ex illa reſponſione contrahendi matrimonium, non eſt imputandum culpæ reſpondentis, qui doctrinam in genere retulit non applicando &c., ſed malitiæ eiuſdem interrogantis, qui doctrina generali vſus eſt ad perniciem ſpiritualem ſibi inferendam.

4 Si interrogatio ſit in genere nõ peccat reſpõdens fore validum, ſed illicitum.

Non præbet proxime occaſionẽ peccandi ſic reſpondendo

Reſpondeo ſecundo, Si interrogatio fuerit particularis, & relata ad ipſum interrogantem, quem conſtat eſſe obſtrictum voto caſtitatis, ſed concepta ſit ſub his terminis *An ipſe obſtrictus voto caſtitatis poſſet contrahere matrimonium*, tunc ſi Theologus interrogatus reſpondeat, abſolutè non poſſe, rectè reſpondet, & nullo modo peccat. *Hoſtienſis in ſumma tit. de voto* §. *quot ſint ſpecies votorum nu.* 5., & in hanc reſponſionem exiſtimo omnes propendere. Ratio ex eo deducitur, quia ſic reſpondendo nec peccat contra veritatem, nec interroganti præbet occaſionem peccandi, ergo &c. Antecedens quoad ſecundam partem patet, quoad primam ſic euincitur, quia reſpondendo non poſſe id præſtat, quod iura, & ratio ſuadent, & definiunt, ſecundum quæ id dicimur non poſſe, quod iuſtè nõ poſſumus per textum *in leg Nepos Proculo ff de verb. ſignif.*

5 Si interrogatio fuerit relata ad interrogantem non peccat reſpondens, ſi aſſerat non poſſe contrahere.

Ex quibus infero, hoc idem intelligendum eſſe, quando interrogatio non eſt ita particularis, & expreſſa quoad perſonam interrogãtis eſt tamẽ talis vt interrogatus veriſimilitèr poſſit cognoſcere, quod ad illum referatur, cum cognouerit ipſum eſſe obſtrictum voto caſtitatis, & ex modo conijciat, quod intendat nubere. Ratiò ex eò deſumitur, quia tunc perindè eſt ac ſi interrogaret de perſona propria, & proinde idem præſumendum, ac quando interrogatio determinatè refertur ad ipſam.

Intellige quamvis interrogatio non eſſet expreſsè relata ad interrogantem.

Reſpondeo tertio Quando interrogatio refertur ad perſonam determinatam interrogantis, ſi interrogatus poſſit ſubterfugere reſponſionem, congruè, & iuxta dictamen rationis operaretur, ſi ſubterfugeret *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *cap.* 16. §. 1., *Silueſter verb. matrimonium* 7. *quæſt* 5. *dict* 9. *VeraCrux prima part ſpeculi art.* 5. *dub. vlt.* In hunc ferè ſenſum in caſu ſimili reſpondit D. Clemens Epiſt. 3. Origeni, prout refertur *in cap. mandatum diſt.* 43. *ad fin.* In hunc modum.. *Quod ſi ingeſſeris ſe, & prouocauerit dicere ea, quæ cum minus rectè agentem non oporteat audire prudenter cũ debemus eludere, nam nihil reſpondere auditorum cauſa vtile non videtur*. Ratio ex eo deducitur quia ex lege caritatis tenemur nedum non præbere proximo occaſionem peccandi, ſed etiam eandem occaſionem auertere.

6 Si interrogatus poteſt ſubterfugere reſponſionẽ, eque debit ſubterfugere.

7 Reſpondeo quarto Si ſpecialiter theologus interrogatus fuerit quoad perſonam interrogantis cum ſpecifica mentione voti eiuſdem, & procliuitatis ad con-

Nnn nubium,

Si interrogatio ſit ſpecialis cadat ſuper valore poteſt reſpondere fore validum, ſed maxime illicitum.

nubium, & interrogatio cadat ſpecificè ſupra validitatem contractus, adeòvt prudenter nequeat reſponſionem ad interrogata ſubterfugere, poteſt licitè reſpondere contractum fore validum, ſed obnoxium grauiſſimę culpæ *Sanchez lib.7.quaſt.11.num 12., Gutierez de matrimon. cap.85.nu.5., Coninchus diſp.30.dub.3.nu.32., Reginald. lib.1.cap.24.num.186., Matienzo lib.5. recop. tit 1.rub.gloſ. 1. num.* 152. Ratiò ex eo deducitur, quia hac reſponſione verum aſſerit, nec præbet occaſionem alteri peccandi, ſed potius remouet à peccato eidem opponendo grauitatem delicti; quod ſi ex hoc obſtrictus voto caſtitatis deſumat occaſionem contrahendi ipſi potius culpa imputanda eſt, qui ex vera doctrina extrahit dogmata iniqua, per quæ ſibi perniciem parat, quam reſpondenti, qui verum profatur obijciendo iniquitatem contractus, ſi ineatur.

Debet exagerare grauitatem delicti.

Reſpondeo quinto. Si interrogans ſit perſona rudis, quæ facile ex lectione librorum non poſſit veritatem attingere, facilius poteſt eludi per reſponſionem ambiguam; Quod ſi perſiſtat exigendo reſponſionem categoricam tunc poterit reſpondere ſecundum rei veritatem, ſed magis exaggerata grauitate delicti, vt à contrahendo deterreatur. Ratio vtriuſque partis facilis, eſt quia ex vna parte rudiores facilius eluduntur; ex alia ex grauitate culpæ ſibi manifeſtata magis deterrentur.

## §. VIII.

### An impediatur matrimonium per vſum coniugalem cum ſecundo marito viuente primo, quando ab hoc facta eſt ſeparatio, ſed primus appellauit.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur factum ſecundum ſuas circumſtantias.* 1.
*Sententia aſſerens inde oriri impedimentum criminis dirimens.* 2.
*Sententia excuſans ab impedimento criminis.* 3.
*Probabilius per ſecundum matrimonium etiam conſummatum non inducitur crimen dirimens.* 4.

1 DISQVISITIO VII. Contraxerant adinuicem matrimonium per verba de præſenti Titius, & Caia, Illudque forte conſummauerunt. Orta deinde controuerſia ſuper validitate eiuſdem Caia in prima cognitione obtinuit ſeparationem thori, & ſententiam ſuper nullitate matrimonij, à qua Titius appellauit. Pendente adhuc lite in cauſa appellationis Caià tranſiuit ad ſecunda vota, quæ etiam fuerunt conſummata. Rebus adhuc ſic pendentibus Titius è viuis abijt. Quæſitum fuit an ex illo obitu ſecundum matrimonium reconualeſceret.

Exponitur factum ſecundum ſuas circumſtantias.

2

Appellatio ſuſpendit iudicatum, & ſententiæ effectum.

Ratio dubitandi ex eo deſumitur, quia interpoſita appellatione per primum maritum viuentem ſuſpenditur iudicatum, & ſententia per textum *in leg.1.§ fin.ff ad Turpil., Oldradus conſ. 255. contra prouiſionem in princip.num.2.verſ., ſed in noſtro caſu*, & ita ſuſpenditur, vt partes redigantur ad ſtatum, in quo erant nondum prolata illa ſententia, *Caſtilus conſ.34. num. 2., Romanus conſ. 41. num.4., Bartolus in ſua quaſt.9., Iudex per imperitiam in princip.allegat.lib.1. in fin. ff ad Turpil.*, & appellatio nedum ſuſpendit iudicatum, ſed immo operatur, vt appellans fingatur non condemnatus per textum *in leg. 2. ff. de pæn., Federicus de ſenis conſ.198.nu 2. in fine.* Si igitur primus maritus conſtituitur in primo ſtatu, in quo erat ante ſententiam primi Iudicis, quinimmò in ſtatu, in quo erat immediate poſt litem conteſtatam, *Caſtrenſis conſ.141. viſa quadam num.2.verſ. ego allego lib.1.*, vbi adducit textum *in leg. ita demum cum ibi notat. C. de Procurat., Romanus conſ. 381. Quaſtio eſt nu. 2. verſ. ſecundo quia vbi apoſt. in verſ. prima*, manifeſte ſequitur, quod permaneat in poſſeſſione matrimonij, & proinde, quod mulier pendente adhuc appellatione inualide tranſierit ad ſecunda vota, & ſic conſummando matrimonium, cum ſecundo, adulterium commiſit cum fine viuente primo marito contrahendi cum ſecundo per quod inducitur impedimentum criminis dirimens, quod expreſſe colligitur per textum *in cap. cum haberet de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, & ex cap. relatum 31. quaſt.1. & c.1. & c. veniens de eo qui duxit.*

Videtur oriri impedimentum criminis.

3

Sententia excuſans ab impedimento criminis.

Ex alia parte hoc impedimentum criminis non videtur oriri, quandoquidem propter auctoritatem ſententiæ colligitur efficax præſumptio inualiditatis prioris matrimonij, prout adnotauit *Caſtrenſis cōſ. 354. verſ. item lib. 1.* quod etiam ex eo videtur colligi, quod vbicunque adeſt bona fides contrahentium, vt quia iuſte crediderunt primum maritum iam mortuū, non oritur impedimentum quaſi polluerit per adulterium, licet primus viuat, & ideo eo poſtea mortuo licet eis contrahere nihil obſtante eadem pollutione prout docet idem *Caſtrenſis d. conſ.354. num. 3. lib.1.* Cum igitur illa prior ſententia conſtituat ſecundo contrahentes in bona fide nullitatis prioris matrimonij videtur eoſdem

Digitized by Google

dem in ſtatu conſtituere, quo mortuo priori marito poſſunt validè, & licitè contrahere. Quid igitur concludendum?

Pro ſolutione aduerte, non ſolum pendente lite in prima cognitione ſuper impedimento dirimente, prius matrimonium, atque ita ſuper eius valore non eſse ad illud transeundum, vt euincitur *ex c. ex fraternitat. de ſponſa duorum, ſed etiam ex c. cum Apoſtolica de ſponſalibus*; & ſi transeatur ſecundum illud matrimonium ſeparandum eſt, ſed etiam pendente appellatione, prout euincitur manifeſte *ex c. ipſo fraternitat. de ſponſa duorum*. Ex eo autem, quòd pendente lite in cauſa appellationis non ſit transeundum ad ſecundum matrimonium, videndum eſt, an illud ſecundum matrimonium, ſi interim pendente lite ineatur, teneat, adeout ſi poſtea adiudicerit in ſententia appellationis fauore ipſius intelligatur in ſua origine validum, ex eo quod nullitas primi fuerit per nouam ſententiam confirmata, an vero non teneat ex eo, quod interim prius matrimonium ſupponeretur validum, & in ſuo robore ſubſiſtere; ſi enim inualidum ſupponatur prius matrimonium, & ſecundum validum non poteſt in rigore dici, quod conſummatio cum ſecundo fuerit adulterium, adeoque, quod nec inducat impedimentum criminis dirimens; ſi vero validum ſupponatur primum, & ex validitate eiuſdem inualidum ſecundum, tunc conſummatio ſecundi eſſet adulterium, adeoque &c.

Pendente lite non eſt ſecundum matrimonium contrahendum.

Difficultas in præſenti dubio conſiſtit in eo, an ex quo ex vna parte inualiditas prioris matrimonij reſultat ex ſententia, & ex alia eadem ſententia ſupponitur ſuſpenſa per interpoſitam appellationem ſupponatur in celebratione ſecundi matrimonij tale crimen interuenire, quod ſufficiat ad inducendum impedimentum dirimens inter ipſos ſecundo contrahentes, etiam ſi ex morte prioris coniugis pendente appellatione, nec in fauorem prioris, nec poſterioris matrimonij fuerit adiudicatum:

Sinopſis dubitationis, & diſquiſitionis.

Reſpondeo, probabilius eſſe per ſecundum matrimonium contractum, & conſummatum in ea hypotheſi non contrahi impedimentum dirimens, adeoque ipſum conualeſcere morte prioris mariti, & prolem ex eo ſuſceptam eſſe legitimam. Ita expreſſe *Caſtrenſi d. don. 554. num. 2. lib. 1. Taſcus in pract. concluſ. lit. M. concl. 275. num. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia ex eo quod fuerit ſeparata Caia à primo per ſententiam, & cum auctoritate Iudicis Eccleſiaſtici, & ſecundo nupſerit, debet cum eodem ſecundo remanere per textum *in c. fraternitatis circa medium verſ. prædicta de frigid.*, quia id quidem præſumitur pro ſententia *l. Herennius §. Gaius ff. de euict.*

4 Probabilius per ſecundum matrimonium etiã cõſirmatũ non inducitur crimen dirimens.

nec obeſſe poteſt appellatio interpoſita, & pendentia litis in cauſa eiuſdem appellationis; non, inquam, obeſſe poteſt; quia pendentia litis non impedit matrimonium contrahi per textum *in c. veniens de ſponſalibus*, vbi eſt ſermo, quando primo lis pendebat, nec vlla erat lata ſententia, nulluſque aderat color contrahendi; quæ per conſequens à fortiori verificantur in cauſa appellationis, ſecundum quam Caia iam habet vnam ſententiam pro ſe.

Nec item obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quòd in cauſis matrimonialibus ſententia nunquam tranſeat in rem iudicatam propter indiſſolubilitatem eiuſdem matrimonij. Non, inquam, obſtare poteſt, quia aſſumptum verificatur tantum in eo ſenſu, vt ſemper poſſint admitti probationes in contrarium; non autem in eo, vt non poſſit executioni mandari ſententia, antequam huiuſmodi probationes fiant palam; cæteroqui nunquam ſententia in cauſa matrimoniali mereretur executionem, & ſic tale iudicium cederet in ludibrium, quod non eſt dicendum *l. cum prætor ff. de iudic. c. fraternitatis de frig. Hoſtienſis in c. Lator. de re iudicata*, vbi dicit, quod talis ſententia non debet ſine magna, & euidenti cauſa reſcindi, nec pars admitti ad probandum cõtra ipſam, niſi accedentibus probationibus euidentibus.

In quo ſenſu verificetur, quod cauſa matrimonialis nunquã tranſeat in rem iudicatam.

Probatur ſecundo reſponſio, quia impedimentum criminis tunc tantum dirimit ſecundum matrimonium, quando eſt per adulterium viuente primo marito cum promiſſione futuri matrimonij, vel cum eodem actualiter contracto per ea, quæ ſupra diximus, dum de impedimento criminis dirimentis, ſed in hac hypotheſi non poteſt propriè dici, quod fuerit adulterium, ergo &c. Minor probatur; quia etiam pro nunc dato, quod ſecundum matrimonium à principio non valuerit, non tamen poſſunt dici, quod commiſerint adulterium, quia contraxerunt cum auctoritate Eccleſiæ, & ideo præſumuntur habuiſſe bonam fidem *arg. l. 1. & generaliter ff. de vſuc. l. iuſto poſſidet ff. de acqui. poſſeſ.* habentes autem bonam fidem, & ignorantes non committunt adulterium per textum *c. in lectum 34. q. 2. l. penult. ff. de adult.*, neque dicas, quod appellatio interpoſita deſtruat bonam fidem, & inducat ſaltem dubietatem, quæ non compatitur cum bona fide; contrarium impugnaberis, quia potius eſt deferendum ſententiæ latæ cum plena cognitione cauſæ, quam appellationi, cum illa conſtituat ius irretractabile, & conſtituat de nigro album, & de albo nigrum.

Propriè nõ interuenit adulteriũ.

Probatur tertio, quia dato etiam, quod Caia ratione appellationis interpoſitæ conſtituta fuerit in dubio, non propterea conſequitur, quod ſi alter fuerit innocens,

nec dubius de validitate matrimonij, quod cum eadem Caia contrahit; contrahat impedimentum dirimens, adeout mortuo primo viro diſſoluendum ſit idem ſecundum matrimonium, prout expreſſè colligitur *ex c. 1. de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, ergo ſi ſecundus, cum quo Caia contrahit fuerit inſcius validitatis primi matrimonij, vel de eius inualiditate non dubitat poſita præcipuè definitiua ſententia declaratoria nullitatis non contrahet impedimentum dirimens.

Ad hanc aſſertionem corroborandam maximè facit id, quod habetur *in c. veniens de ſponſalib.* vbi caſus exponitur in his terminis. Quædam puella tali, eoque maximo exardens amore erga iuuenem eidem coram teſtibus tribus matrimonium promiſit ſub iureiurando, & ab eodem repromiſſionem coram eiſdem, & ſub eodem iureiurando reportauit, quinimmo poſt promiſſionem aſſeruit, ſe ab eodem iuuene fuiſſe carnaliter cognitã, per quod antiquitus huiuſmodi promiſſiones tranſibant in matrimonium. Ignorantes parentes eiuſdem puellæ illius promiſſionis iuramento firmatæ, & veſtitæ copula ſubſequenti eandem inuitam, & reclamantẽ cuidam alij tradiderunt, à quo ita abhorruit, vt nunquam ab illo cognoſci permiſerit, & palam faſſa fuerit, ſe à priori viro fuiſſe cognitam. Re delata ad Epiſcopũ illius Diœceſis cũ cognouiſſet inter eandem puellam, & iuuenem, cum quo ipſa primo ſponte nupſerat adeſſe cõſanguinitatem in gradu, ſecundum quem non poterat inter illos eſſe matrimonium ipſos ab inuicem ſeparauit; ſed dum hæc cauſa tractaretur cum ſecundo, vel potius cum primo, & viro, cui tradita fuerat à parentibus; nollet conſentire, ipſe aliam in vxorem traduxit, & illa alteri publicè in conſpectu Eccleſiæ nupſit, à quo filium ſuſcepit. Excitata controuerſia ſuper validitate huius poſtremi matrimonij coram Romano Pontifice, ipſe ſtatuit, quod ſi prædicta mulier à priori viro iudicio Eccleſiæ fuerit ſeparata, & à tertio marito ſine contradictione Eccleſiæ in vxorẽ traducta, & ille, cui à parentibus fuerat copulata de præſenti vita deceſſerit, teneat vltimum matrimonium, in quo compellendi ſint perſeuerare ſub pœnis excommunicationis. Vbi vides in primis interceſſiſſe quoad primum matrimonium ſeparationem auctoritate Eccleſiæ, & pendente adhuc lite. Ibi *cæterum cum cauſa ipſa tractaretur*, eandem vxorem ad alia vota conuolaſſe, & tamen Pontifex irritum non declarat poſterius matrimonium, ſed iubet coniuges in eodem perſeuerare; ergo poſita ſeparatione auctoritate Eccleſiæ non obſtãte pendentia litis, ſi in faciẽ Eccleſiæ aliud matrimonium ineatur, erit validum, vel

**Comprobatio alia à iure deducta.**

ſaltem tale, vt eximat contrahentes, ſi illud inierint, & conſummauerint à ſorde adulterij.

---

## §. IX.
## An inceſtus cum propria conſanguinea impediat coniugium.

### *SVMMARIVM.*

*Proponitur facti ſeries.* 1.
*Sententia aſſerens etiam ex inceſtu cum conſanguinea propria oriri impedimentum impediens.* 2.
*Inceſtus cum propria conſanguinea non inducit impedimentum impediens.* 3.
*Satisfit rationibus ſententiæ oppoſitæ.* 4.

DISQVISITIO IX. Agentes de impedimentis ſimpliciter impedientibus inter cætera prouenientia à crimine numerauimus inceſtum, quod tamen impedimentum in præſenti per contrariam conſuetudinem abolitum aſſeruimus. Suppoſita tamen pro nunc maioris doctrinæ gratia exiſtentia vigoris talis impedimenti, cum Caius carnaliter cognouerit non conſanguineam vxoris ſuæ, ac proinde ſibi affinem in gradu à iure prohibito, ſed conſanguineam propriam; orta fuit controuerſia, an ex illa cognitione carnali cum propria cõſanguinea proueniat impedimentum impediens contrahendi cum quacunque altera, ſicuti proueniret, ſi cognouiſſet conſanguineam vxoris ſuæ, quod eſt idem, ac inquirere, an impedimentum ſimpliciter impediens ex inceſtu reſpiciat dumtaxat copulam cũ affini, ſeu cum conſanguinea vxoris ſuæ, an vero copulam etiam cum conſanguinea propria.

**1 Status difficultatis exponitur.**

Angelus *in ſumma in verb. inceſtus, Abbas in c. 1. de eo qui cognouit conſang. vxor.* abſolutè ſentiunt non ſolum ex inceſtu cũ conſanguinea vxoris ſuæ, ſed etiam cum conſanguinea propria oriri impedimentum impediens contrahendi cum quacũque alia; ad quod aſſerendum mouentur potiſſimum ex textu *in c. ſi duo viri 35. q. 6.* & vlterius ex eo quod maius delictum eſt carnaliter cognoſcere conſanguineam propriam, quam cognoſcere conſanguineam vxoris ſuæ, ſed ex inceſtu cum conſanguinea vxoris ſuæ conſurgit impedimentũ ſimpliciter impediens quodcunque aliud matrimonium per textum *in c. 1. & c. ex literis de eo qui cognoſcit conſanguineam vxoris ſuæ, & c. qui dormierit 32. q. 7.* ergo à fortiori conſurget ex inceſtu cum propria conſanguinea. Addo non ſolum contrahere hoc impedimentum, qui carnaliter cognoſcit conſanguineam

**2 Sententia aſſerens etiam ex inceſtu cũ conſanguinea propria oriri impedimẽtum impediens.**

vxo-

vxoris ſuæ; ſed etiam qui carnaliter cognoſcit fœminam illam, cum qua habet publicæ honeſtatis impedimentum, quod longè minus delictum eſt, ergò à fortiori contrahet cognoſcendo eam, quæ ſibi per conſanguinitatem carnaliter coniuncta eſt. Nihilominus

3 Non inducit impedimentum impediens.

Reſpondeo, inceſtum cum propria conſanguinea non inducere hoc impedimentum impediens *D. Thomas in 4. diſt. 34 q. 1. art. fin. D. Antoninus 3. part tit. 1. c. 16. §. 4. Silueſter verb. matrimonium 7. quantum ad impedimenta, quæ imped. tantum, & non dirimunt q. 6. dict. 3. Alphonſus à Caſtro lib. 1. de poteſt. legis pœnalis c 7 ad fin. Couaruuias de matrim. c 6. de iis, quæ matrimon. imped. n 4.* Ratio ex eo deducitur, quià iura inducentia hoc impedimentum loquuntur dumtaxat de inceſtu cum conſanguinea vxoris ſuæ, ſeù cum affine, non autem de inceſtu cum conſanguinea propria; ergò non ſunt extendenda ad inducendum impedimentum etiam per inceſtum cum conſanguinea propria. Conſequentia

Rationes euincentes aſſertum.

tenet, quià leges pœnales, cuiuſmodi eſt iſta de inceſtu non ſunt extendendæ vltra id, de quo leges ipſæ expreſsè diſponunt. Confirmatur, quià potiſſima ratio finalis, ob quam inductum eſt hoc impedimentum impediens per inceſtum cum conſanguinea vxoris eſt propter iniuriam, quæ infertur ex illo inceſtu matrimonio iam contracto cum propria vxore; ſed hæc iniuria non ſequitur ex inceſtu cum propria conſanguinea, ergò &c.

Satisfit rationibus ſententiæ oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur modo reſpondendum eſt, & quidem ad textum *in cap. ſi duo viri 35. q. 6.* dicendum eſt non facere ad rem, vt legenti eſt manifeſtum, quinimmò aſſerit *Silueſter loc. cit.* alia capitula, quæ adducit Angelus ad ſuum dictum firmandum mentem ſuam non comprobare, & ſi quem textum dicit eſſe clarum, ipſe aſſerit eſſe clarum in oppoſitum. Ad rationem primam, quæ ſubditur, dicendum eſt in pœnalibus non valere argumentum à minori ad maius, niſi fiat expreſſio in iure diſponente; ſic ex eo v. gr., quod in iure quodam ſinodali ſit reſeruatum crimen ſodomiæ non ſequitur, quod ſit reſeruatum crimen beſtialitatis, quantumvis hoc ex genere ſuo ſit grauius. Deindè, vt optimè ſuprà innuimus, & indicat etiam *D. Thomas in 4. diſt. 34. art. 5.* in eo, in quo quis peccat, punitur, ſed inceſtum committens cum conſanguinea vxoris ſuæ peccat contra matrimonium, non ſic committens cum conſanguinea propria, ergò in genere eiuſdem matrimonij debet puniri, adeoque priuari iure ad aliud ineundum; ex quo habes non eſſe eandem rationem prohibitionis in inceſtu cum conſanguinea propria, ac in inceſtu cum conſanguinea vxoris ſuæ. Addo *eum eodem D. Thoma loc. cit.* inceſtum inducere impedimentum non ſolum ratione culpæ, ſed etiam ratione affinitatis, quam cauſat, adeoque, cum per inceſtum cum conſanguinea vxoris inducatur affinitas cum eadem vxore, ſicque ſit contra matrimonium, ideo ex diſpoſitione iuris illud inducit impedimentum, per inceſtum autem cum conſanguinea propria non inducitur affinitas cum propria vxore, nec aliquo modo afficit matrimonium, adeoque &c.

Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, quod, ſi verum eſt, quod dicitur, habeat eaſdem reſponſiones, quas tribuimus præcedenti obiecto, vnde non eſt, cur immoremur. Difficultas eſt ſolummodò, an re vera contrahatur hoc impedimentum impediens per carnalem copulam cum ea, cum qua habet publicæ honeſtatis iuſtitiæ impedimentum; cui difficultati occurrit *Couaruuias de matrimonio d. c. 4. n. 4.* reſpondendo affirmatiuè; vbi tamen notat hoc impedimentum durare tantum durante vita alterius delinquentis per textum *in cap. duo pueri de deſponſ. impub.*

---

## §. X.

### An matrimonium contra prohibitionem Iudicis lite pendente initum teneat.

### SVMMARIVM.

*Facti ſeries in ſuis terminis.* 1.
*Rationes ſuadentes eſſe irritum.* 2.
*Ex eo præciſè, quod ſecundum matrimonium pendente appellatione ſit contra interdictum Eccleſiæ non eſt irritum.* 3.
*Si ſecundo contrahens crederet eſſe abſolutè validum ſecundum contractum pendente lite eſſet inualidum.* 4.
*Si contracto ſecundo matrimonio pendente appellatione manifeſtè conſtet primum eſſe validum, hoc eſt inſtaurandum, & diſſoluendum ſecundum.* 5.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 6.

1 Facti ſeries in ſuis terminis.

DISQVISITIO X. Contracto matrimonio inter Titium, & Caiam iuxtà terminos præcedentium paragraphorum orta eſt lis ſuper validitate eiuſdem ob præſumptam impotentiam Titij ex frigiditate, cum per triennium cohabitauerint, nec illud potuerint conſummare. Iudex cognita cauſa ſententiam tulit ſuper inualiditate, à qua Titius iuxta ſuprà dicta appellauit. Pendente appellatione, & Iudice eiuſdem appellationis interdicente

Digitized by Google

[illegible] Caſa ad ſecundas [illegible] cum alio contraxit. Quæritur [illegible] matrimonium ſecundum contra illud interdictum iudicis [illegible] vero ſolummodo [illegible] contrahendo, & [illegible] ſit ſeparandi.

2 Rationes ſuadentes eſſe irritũ.

[illegible] ex c. *ſua fraternitas de ſponſa duorum*, vbi dicitur, quod ſi qui contra interdictum Eccleſiæ [illegible] matrimonium tam præſumptuoſe contractum poſſit irritari, vbi notã illam particulam *poſſit irritari*, quæ intelligi dumtaxat debet de declaratione nullitatis, ſeu irritationis, non de ipſa irritatione; ſi etenim abſolute eſt validum, & conſummatum non poſſet per ſententiam Eccleſiæ irritari; nam *quos Deus coniunxit non poteſt homo ſeparare*; quæ ſi verificantur in eo caſu textus d. c. *ſua fraternitas*; vbi erat ſermo [illegible] de coniugio actuali, ſed præciſe de ſponſalibus, ſuper quę erat controuerſia, a qua fuit appellatum, non video cur [illegible] non debeat, vbi controuerſia, [illegible] a [illegible] eſſet ſuper priori coniugio [illegible].

3 Ex quo præcise [illegible] pendente appellatione non eſt irritum.

Reſpondeo ex eo prædicto, quod ſecundum matrimonium fuerit initum pendente appellatione, & contra interdictum Eccleſiæ non eſſe irritum *Caſtrenſis conſ. 354. num. 2.* [illegible] *Couarruuias de matrimon. c. 6. num.* [illegible] *Abbas in c. cum in Apoſtolica de ſponſalib.* Et quod colligitur ex *c. cum in* [illegible] *de ſponſalibus*, vbi dicitur, quod [illegible] ſuper matrimonio non impediat ſecundum matrimonium contrahi, ſi primum erat nullum. Ibi: *Verum quia* [illegible] *& mulierem, quam ſuper* [illegible] *pendente lite prioris uxoris*, [illegible] [illegible] *quod* [illegible] *viro pœnitentia* [illegible] *a pœnitentia tempus car-* [illegible] *remanere*, quod [illegible] *c.* [illegible] *de ſponſal.*

4 Si tamen ſecundo contrahẽs abſolute crederet priorem matrimonium eſſe validum, ſecundum ſoret inualidum.

[illegible] *pendente appellatione, & contra interdictum* [illegible] [illegible] matrimonium [illegible] matrimonium initum pendente appellatione eſſe abſolute irritum, quod [illegible] forma ſubſtantialis [illegible] requiſita [illegible] contrahente [illegible]

quandoquidem verum quidem eſt, quod coniugium contrahi non debeat contra prohibitionem iudicis, tamen ſi contrahatur valet contractus per textum in c. 1. *cum aliis concordantibus de matrimon. contracto contra interdictum Eccleſiæ.*

5 Si pendente appellatione expreſſe conſtat primũ eſſe validũ diſſoluendum eſt ſecundum, & inſtaurandum primum.

Quod ſi inquitas, quid erit, ſi contracto ſecundo matrimonio pendente appellatione manifeſte innoteſcat ipſum matrimonium, aduerſus quod lata eſt ſententia, ſubſiſtere eo quod non adſit illud impedimentum, ratione cuius lata eſt ſententia nullitatis? [illegible] tunc dicendum erit iuxta textum in c. *fraternitatis de frig. & malefic.* quod primum matrimonium ſit inſtaurandum, & ſecundum diſſoluendum, vbi ſic legitur: [illegible] *attendentes, quod* [illegible] *non erat perpetuum, quod* [illegible] *miraculum per opus humanum* [illegible] *periculo* [illegible] *per errorem* [illegible] *latam, cum pateat ex poſt facto, quod ipſa cognoſcibilis erat illi, cui* [illegible] *& adiornare ipſam*, [illegible] *matrimonium* [illegible], vt ibi dicitur, [illegible] in diſſoluendum ex quo [illegible] quod idem ſecundum matrimonium [illegible] ratione conſummationis, [illegible] ſit adulterium, eo quia [illegible] propter ſententiam declaratoriam nullitatis a tali culpa eximitur; vnde ſi poſtea primus coniux præmoreretur, ratione impedimenti criminis, quod non contraxerunt, non impedirentur ad inuicem contrahere.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad difficultatem, quæ in initio proponebatur dicendum eſt, quod per l. *poſſit irritari* [illegible] [illegible] ad irritandum, ſed [illegible] ad ſeparandum; cum vero, vt ſupra diximus, vel matrimonium ſic initum eſſet validum, & ſic non [illegible] humana poteſtatem irritari, vel eſſet inualidum, & ſic [illegible] irritatione, ſed ad [illegible] declarationem; cum igitur [illegible] Eccleſiæ [illegible] reddatur inualidum, ſed [illegible] interdicatur; [illegible] ſummum, quod poſſit in pœnam violationis [illegible] ſeparari [illegible], & quod [illegible] [illegible] debet intelligi [illegible] adhæreretur [illegible] contrariatur [illegible].

## §. XI.

### An interfectio proprij filij ſit inter impedimenta impedientia ſimpliciter dinumeranda.

*SVMMARIVM.*

*Refertur caſus ſecundum rei contingentiam. num.* 1.
*Rationes ſuadentes non oriri inde tale impedimentum.* 2.
*Ex ſpeciali iure ex filicidio, hoc impedimentum conſurgit.* 3.
*Mater non ſolum contrahit hoc impedimentum interficiendo filium iam in lucem editum, ſed etiam conſulto committendo abortum.* 4.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 5.

1 Refertur caſus ſecundum rei contingentiam.

DISQVISITIO XI. Ex Sempronio legitimo ſuo coniuge progenuit Caia filium, quem neſcio, quo furore percita proprijs manibus interemit. Mortuo poſtea Sempronio eadem Caia contendebat ad alia vota conuolare, Orta fuit immediatè controuerſia, an ratione illius filij internectionis impediretur aliud matrimonium inire.

2 Rationes ſuadentes non oriri inde tale impedimentum.

Videtur abſolute dicendum non impediri ad alia vota tranſire, quandoquidem iura inducentia impedimentum huiuſmodi loquuntur præcisè de vxoricidio, vt *in cap. interfectores 33. quæſt. 2., & in cap. admonere 33. quæſt. 2., & cap. quicunque eadem quæſt., & cauſ.*, vnde non ſunt extendenda vt potè pœnalia ad caſum diuerſum ab eo, quem exprimant, cum odioſa ſint reſtringenda. Hàc eadem ratione, nec improbabiliter, aſſerunt plerique DD., & præcipuè *Silueſter verb. matrimonium 7. quæſt. 6. dict. 1., Armilla verb. matrimonium num. 58., VeraCrux prima part. ſpeculi art. 24. concl. 3. Toletus lib. 7. ſumma cap. 15. nu. 3., Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 14. nu. 6., Bonacina de matrimon. quæſt. 3. punct. 14. num. 14.*, quod interfectio mariti præſtita ab vxore non inducat hoc impedimentum, tum, quia iura ſolum loquuntur de vxoricidio; tum quia non militat eadem ratiò de viricidio ac de vxoricidio, cum maſculi proniores ſint ad hoc crimen perpetrandum, quam fœminæ; cum igitur etiam iura non loquuntur de interfectione proprij filij, & fœminæ non ſint ita pronæ ad internectionem propriorum filiorum, ideò &c. Accedit, quod ad mentem *D. Thomæ in 4. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. ad ſecundum, D. Bonauentura ibid. art. 2. quæſt. 2. in corpore, Riccardi art. 2 quæſt. 2. ad vltimum, Turrecremata cap. interfectores art. 2. nu. 533. quæſt. 2.*, grauius eſt delictum matricidium, quam vxoricidiũ, & tamen hoc nõ illud inducit impedimentum impediens matrimonium, non niſi quia iura loquuntur de vxoricidio, non de matricidio, ergo, etiam filijcidium, quantumvis ſit graue delictum non inducet, hoc impedimentum; ex quo hanc aliam rationem deduces, quod ſcilicet mater, & filius ſunt ſibi correlatiui adeoque diſpoſitum in vno debet intelligi diſpoſitum in altero *Euerardus in ſuis topicis loc. à correlatiuis*, ergò ſi matricidium non inducit impedimentum impediens, nec illud inducet filijcidium. Nihilominus.

Scientia aſſerens vxorem occidentē virum non contrahere hoc impedimentum.

3 Ex ſpeciali iure ex filijcidio hoc impedimentum conſurgit.

Reſpondeo, quod quantumvis ex iuribus inducentibus impedimentum impediens, quoad vxoricidium non inducatur hæc pœna quoad filijcidium; ex alio tamen ſpeciali iure in filijcidio hoc impedimentũ inducitur, cũ aliqua tamen limitatione *Aſtenſis in ſumma 2 part. lib. 8. tit. 20. art. 1. ad fin., Ananias in cap. 1. num. 4. de his, qui filios occident. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 6. num. 12.*, Colligitur expreſsè *ex dict. cap. 1. de his qui filios occid.*, vbi de matre, quæ filium occiderat, ſic habetur. *Mandamus, quatenus eam labores inducere vt ad aliquod monaſterium tranſeat, in quo perpetua pænitentia ſua peccata deploret. ſi autem repugnante carnis fragilitate ad hanc induci noluerit ei licentiam nubendi in Domino tribuas.*, vbi Gloſa abſolutè aſſerit non eſſe concedendam licentiam nubendi, niſi timor eſſet incontinentię, ex quibus habes limitationem poſitam in reſponſione; & iure quidem congruo inducta eſt huiuſmodi pœna, nam ſicuti hæc mulier deliquit grauitèr contra bona matrimonij prioris ſcilicet contra prolem ex eodem progenitam, ita æquum fuit, vt in eodem genere matrimonij, in quo deliquit, puniretur; & cum delictum hoc ſit grauiſſimum, & facilè poſſet committi, niſi per graues pœnas cohiberetur, ideo congruum fuit &c. Nota tamen, quod hoc impedimentum non eſt ita rigoroſum, ſicut cætera, cum dicatur ſolummodò commiſſario, quod laboret, vt inducat in monaſterium, non abſolutè imperet, quod inducatur; proptèr quam rationem exiſtimo hoc regulariter per DD. non adnumerari inter cætera impedimenta ſimpliciter, & abſolutè impedientia.

Non men hoc impedimentum eſt ita rigoroſum.

4 Mater non ſolum contrahit hoc impedimentũ interficiēdo puerum iam in lucem editũ, ſed etiam conſulto committendo abortum fœtus animati,

Hinc aſsertionem ampliando deduces hanc pœnam contrahere matrem non ſolum, ſi interficiat proprium filium iam in lucem editum, ſed etiam, ſi conſulto abortum committat, poſtquam fœtus fuerit animatus cum hoc propriè, & in rigore ſit homicidium, & quidem grauius, quandòquidem eandem prolem priuat auxilijs ſpiritualibus, & luce ſpirituali per-

perpetua; non tamen ſi enecet per ſuffocationem puerum in lecto detentum, niſi hoc præſtet data opera: & ratio eſt, quià quamuis in lecto detinendo det operam rei illicitæ contra prohibitionem communitèr indictam in Eccleſia per ordinarios locorum, non tamen dicitur coſulto illud delictum perpetrare, vnde contraheret quidem alias pœnas ab ordinarijs indictas proptèr tranſgreſſionem præcepti; non autem hanc pœnam iuris, quę intelligi debet de filijcidio cum plena deliberatione commiſſo; Nec item contrahit hanc pœnam, ſi conſulat, ſuadeat, ſeù mandet proprij filij internectionem, quià pœnæ contra facientes inflictæ non intelliguntur afficere ſuadentes, conſulentes, & mandantes, niſi hoc in iure prohibente exprimatur. Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quod etiam in hypotheſi, quod delictum eſset formalitèr, & cum plena deliberatione perpatratum modo non contraheretur hoc impedimentum; cum omnia huiuſmodi impedimenta ſint contraria conſuetudine abolita.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ex quibus habes, quid reſpondeas ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur. Eſto enim, quod ex vi iurium præcipientium ſub impedimento vxoricidium non comprehendatur filijcidum, ſicuti non comprehenditur viricidium, & matricidium, comprehenditur tamen ſub alio iure ſcilicet *in d. c. 1. de his, qui filios occidunt*; & ſpeciali quidem iure debuit ſub hac pœna interdici filijcidium potius, quam matricidium, quamvis hoc videatur grauius delictum proptèr reuerentiam parentibus debitam, quià, vt in ſimilibus notarunt *D. Thomas in 4. diſt. 37. q. 2. art. 2. ad ſecundum, D Bonauentura ibidem art. 2. q. 2. in corpore, & Riccardus art. 2. q. 2. ad vltimum* filius debet matrem reuereri, & non eſt ita pronus ad eiuſdem matris internectionem; mater autem non reueretur filium, & proptèr incommoda poteſt facilius, & pronius protrahi ad eum interficiendum, adeoque iura ad eius inclinationis repreſſionem potius hanc pœnam inuexerunt aduerſus matrem, quam aduerſus filium.

## §. XII.

An prærequiratur ſententia Iudicis, vt inceſtus impediat matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ expoſitus.* 1.
*Sententia aſſerens non requiri Iudicis ſententiam ad incurrendum impedimentum inceſtus.* 2.
*Probabilius hac ſententia Iudicis requiritur, niſi inceſtus eſset notorius, & publicus.* 3.
*Satisfit rationibus contrarijs.* 4.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO XII. Contracto matrimonio inter Seium, & Caiam, eoque fortè conſummato Seius carnaliter cognouit conſanguineam eiuſdem Caiæ in gradu à iure prohibito, intra quem gradum ex diſpoſitione iuris contrahitur impedimentum ſimplicitèr impediens. Nulla de hoc interceſſit Iudicis ſententia; Mortua poſtea Caia intendebat Seius ad ſecunda vota tranſire; ſed obſtare videbatur inceſtus ab eodem commiſsus viuente adhuc prima vxore. Quæſitum fuit, an iuſtè potuerit ad ſecundas nuptias conuolare, an verò ratione talis inceſtus per Iudicem adhuc non declarati impediretur à contrahendo. Procedit quæſitum in ſuppoſitione, quod impedimenta à crimine prouenientia adhuc ſint in ſuo robore, & contraria conſuetudine non abolita.

2 Sententia negans requiri iudicis ſententiam ad incurrendum hoc impedimentum.

Sanchez *lib. de matrimonio diſp. 15. n. 14. Caſtro lib. 2. de lege pœnali c. 5. § rurſus quinto argumento, Petrus de Ledeſma de Matrimon. q. 58. art. 4. in fin.* ſuſtinent non requiri Iudicis ſententiam ad contrahendum hoc impedimentum. Mouentur potiſſimum primo ex eo, quod committens inceſtum cum conſanguinea propriæ vxoris priuatur iure petendi debitum à propria vxore etiam independentèr à quacunque Iudicis ſententia, vt latè allegatis DD., & iuribus docet *Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 30. num. 2.*, ergò etiam independentèr à quacunque ſententia priuatur iure mortua prima vxore contrahendi aliud matrimonium. Secundò, quià ad incurrenda impedimenta criminis dirimentia non requiritur, quod interceſserit ſententia Iudicis ſuper illa crimina, ergò neque ad incurrendum impedimentum inceſtus dirimens. Nihilominus

3 Probabilius requiritur ſententia Iudicis, niſi crimen fuerit notorium.

Reſpondeo, probabilius eſse præciſa quacunque Iudicis ſententia per inceſtum cum conſanguinea vxoris non contrahi hoc impedimentum ſimplicitèr impediens. *Palacios in 4. diſt. 34. diſp. 2. in fin., Simancas lib. inſtit. Cathol. tit. 9 num. 202.* Limitarem tamen in caſu, quo inceſtus eſset notorius, & publicus. Ratio ex eo deducitur, quia hoc impedimentum inductum eſt præciſe ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici in pœnam delicti, non conſurgens ex natura ſua; in ijs autem, quæ reſpiciunt forum externum, & ſunt præciſe in pœnam delicti, nemo tenetur in ſe ipſo exequi illam pœnam, niſi à Iudice eidem infligatur, vel ob euitandum ſcandalum teneatur ſe abſtinere

ab

Digitized by Google

Rationes euincentes intentum.

ab illo opere, quod in pœnam iniungitur, ergo &c. Confirmatur, quia præter delictum, quod in ipſo inceſtu conſideratur, ex eodem non iniungitur aliquis effectus, qui pugnet cum alio matrimonio ineundo, licet iniungatur quædam deformitas propter affinitatem inde conſurgentem, propter quam non poſſit petere debitum à primo coniuge, ſicuti ex voto præciſe ſimplici caſtitatis iniungitur, ſeu conſequitur effectus, qui ſecundum ſe pugnat cum alio quocunque matrimonio poſt tale votum ineundo, ergo non eſt eodem modo diſcurrendum de ipſo inceſtu, ſicuti de alijs relinquentibus effectum poſt ſe repugnantem cum alio matrimonio, adeoque ſi alia relinquentia talem effectum poſt ſe ratione eiuſdem non requirunt ſententiam, hoc, cum nullum effectum relinquat præter culpam, requiret talem ſententiam, ratione cuius impediatur à contrahendo.

4 Satisfit rationibus contrarijs.

Hinc patet, quid reſpondeas ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur; ad primam etenim dic, quod ex inceſtu cum conſanguinea propriæ vxoris proueniat effectus affinitatis, quæ inducit impedimentum præciſa etiam quacunque lege Eccleſiaſtica, cum ſit iuris naturalis, prout docet *Ioannes Andreas in c.1 num.3. de conuerſ. infid., & ibi Antonius num.2. oppoſ. unica Cardinalis in princip. num. 1. oppoſ. 1.*, & licet nos latè docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. 2. pranot. 11. aſſert. 5.* vinculum affinitatis, quod conſurgit ex copula fornicaria, non eſſe naturale, adeoq; præciſa quacunque lege Eccleſiaſtica non inducere vinculum naturalis amicitiæ, in quo conſiſtit affinitas; tamen tolli non poteſt, quin pariat effectum aliquem ex tali copula reſultantem, qui ex diſpoſitione ſaltem iuris poſitiui pugnet cum petitione debiti inter coniunctos legitimo matrimonio. Ad ſecundam idem fere reſpondendum eſt, quia in impedimentis inceſtus dirimentis idem effectus affinitatis producitur, qui ſecundum ſe pugnat cum matrimonio inter affines contrahendo, & propterea &c., quod non militat in impedimento ſimpliciter impediente.

# DISQVISITIONES II.

## A Prænotione ſexta ad decimam incluſiuè.

### §. I.

### An quandoque error in nobilitate, & virginitate tranſeat in ſubſtantialem.

*SVMMARIVM.*

*Singularis caſus expoſitus ad rem præſentem accomodus.* 1.

*In propoſito caſu matrimonium fuit inualidum.* 2.

*Rationes accomoda ad hoc aſſertum.* 3.

*Obiecta eidem aduerſantia, eorumq; ſolutio.* 4.

1 Singularis caſus expoſitus ad rē præſentem accomodus.

DISQVISITIO I. Quidam Belgicus diues quidem, ſed non nobilis venerat in hanc Ciuitatem Mediolanenſem, hic per aliquod temporis ad quęddam ſua negotia peragenda moraturus. Hic reperit fæminam quandam in re nomine Martham, & meretriculam, quæ ſe fingebat filiam cuiuſdam comitis nobiliſſimi, & valde opulenti, à quo aſſerebat ſe effugiſſe ob ſæuitiam, & tiranidem, qua ſe gerebat in ipſam. Nouerat Belgicus ille Comitem, cuius ſe filiam ſimulabat Martha, quæ etiam nomen mutauerat appellando ſe nomine filiæ eiuſdem Comitis. Nouerat item filiam eiuſdem Comitis ob ſæuitiam *P*atris ſe recepiſſe in quoddam monaſterium. Huc non acceſſerat Belgicus ad finem ducendi vxorem, ſed ad alia negotia; motus tamen deſiderio coniungendi ſanguinem cum ſanguine eiuſdem Comitis eandem fæminam ſimulantem ſe filiam eiuſdem duxit in matrimonium. Cognita deceptione, & rei veritate contendebat à matrimonio reſilire, aduerſus quem excipiebatur, quod error ille non erat in ſubſtantia, ſed in qualitate nobilitatis, & virginitatis, & quod propterea non erat aptus ad irritandum matrimonium. Quæritur iam quid iuris?

2 In propoſito caſu matrimonium fuit inualidum.

Reſpondeo matrimonium illud fuiſſe omninò inualidum, ac proinde exceptiones pro illius validitate eſſe omnino inſubſiſtentes *Sanchez lib 7 diſp.* 18. *num,* 25. *Nauarrus in manual. c.22. num.32. Reginaldus lib.31. nu. 95. Petrus Ledeſma q. 51. art.2. Coninchus diſp 31. dub. 1. Caramuel tom. 3. Theologica fundamentalis.*

Rationes plurimæ adducunt DD. ad

hanc reſponſionem per ſe certiſſimam confirmandam. Prima eſt, eaque meo videri efficax, quià iniens matrimonium non tenetur dirigere conſenſum in perſonam præſentem, ſed in perſonam, quam putat eſſe, prout latè probat *Sanchez lib. 7. diſputat. 18. num. 12., & 13.* ex diſcrimine, quod intercedit inter matrimonium, & cætera ſacramenta, quandòquidem matrimonium reſpicit indiuiduas perſonarum contrahentium conditiones, & iuxta illas determinat conſenſum,

2 **Prima ratio efficax reſponſionis ex diſcrimine inter matrimonium, & cætera ſacramenta,**

cum iſtæ conditiones ex ſe conferant ad indiuiduam vitæ conſuetudinem conſeruandam, quod eſt proprium munus matrimonij; in cæteris vero ſacramentis non ſpectantur indiuiduæ recipientium conditiones, cum hæ indiferentèr ſe habeant ad finem ſacramenti; vndè miniſtrans huiuſmodi alia ſacramenta, cum ſit indiferens ad conferendum, vel vni, vel alteri regularitèr determinat intentionem ad perſonam præſentem, ergò cum contrahens matrimonium, qui eſt miniſter eiuſdem, reſpiciat in contractu conditiones indiuiduales perſonæ, quam intendit ducere, ſi alteram ab ipſa ducat, nòn tenebit matrimonium, quandòquidem conſenſus ad illam non refertur, ſed ad aliam perſonam, cuius conſiderat conditiones indiuiduales non præcisè, vt qualitates, ſed vt determinantes talem perſonam, quam intendit, licet ex errore, & fraude exiſtimet eſſe hanc, quæ illi proponitur.

Secunda ratio deducitur ex ijs, quæ tradunt *D. Thomas in 4. diſt. 30. q. 1. art. 2. ad quintum, Abulenſis c. 27. Geneſis q. 7. in fin. Silueſter verb. matrimonium 8 q. 1 dict. 4. Sotus in 4. diſt. 30. q. 1. art. 1. paulo ante ſolutionem ad argumenta verb. reſpondetur, Philiarcus de offic. ſacerd. tom. 1 part. 2. lib. 2. c. 5. imped. 1.*

**Secunda ratio deſumpta ex intentione contrahentis.**

nempe ſi conſenſus contrahentis feratur in perſonam ibi præſentem directè, & formalitèr errorem in nobilitate, alijſque qualitatibus non pertinere ad errorem perſonæ, ſed dumtaxat qualitatis, ſi vero conſenſus feratur directè, & formalitèr in perſonam, cui illa qualitas ineſt, errorem pertinere ad perſonam, ſeù ſubſtantiam, quod potiſſimum verificatur, quando illa qualitas, in qua erratur deſignat indiuiduam perſonam, vt optimè notauit *Sanchez de matrim. lib. 7 diſp. 18 n. 27.*, maximè ſi errans notitiam habuerit præcedentem, vel ex fama, vel alio quocunque modo comitis, cuius filiam ſe ſimulat ille perſona, & eiuſdem filiæ *Ledeſma 2. part. 4. q. 53. art. 1. dub. 4. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 10. n. 2. in comment. lit. I. D. Bonauentura in 4. diſt. 30. art. vnico ad vltimum, & alij*; ſed Belgicus ille conſenſum direxit in illam perſonam, cui qualitas illa ineſt, in qua erratur, & intantum conſenſit, in quantum illa qualitas deſignabat indiuiduam illam perſonam, nempè filiam illius comitis, quem optimè nouerat, & concurrentia optimè indicabant indiuiduationem illius filiæ, cum ipſe ſciret è domo Patris ob ſæuitiem eiuſdē fugiuiſſe, ergò ſi in hoc ob fraudem fæminæ ſimulantis errauit, errauit in ſubſtantia, adeoque defectu conſenſus ſubſtantialis in illam perſonam, quæ ſe finxerat filiam illius Comitis, erit inualidum matrimonium.

Tertia ratio ex eo deducitur, quià in illo contractu inito inter illum Belgicum, & Martham ſe ſimulantem filiam illius Comitis, & fingentem nomen eiuſdem filiæ intelligitur generalitèr, & tacitè ineſſe illam conditionem, *ſi verè eſt talis*, nempè filia ipſius Comitis; non enim intendebat ille Belgicus nubere, niſi cum filia eiuſdem Comitis, ergò non purificata illa conditione contractus ille non erat validus, nec fuit talis.

**Tertia ratio deſumpta ex conſenſu conditionato, non abſoluto.**

Dices, ſi quis contrahat matrimonium cum aliqua, quæ ſe fingat filiam alicuius Regis, non adaperiens cuius regis ſit filia validè contrahit, nec poteſt matrimonium illud diſſolui, quantumvis illa deceperit ſimulando, ſe filiam Regis, cum eſſet filia pauperis, & etiam ignobilis, prout docent *D. Bonauentura in 4. diſt. 30. art. vnico q. 1. ad vltimum; Hoſtienſis in ſumma tit. de matrimon. §. qualitèr impediatur n. 26. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 14. art. 1. q. 2.* *Tabiena verb. impedimentum impediment. 1.* 4

**Inſtantia aduerſus aſſertum, eiuſque ſolutio.**

*q. 3. num. 4. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 18. n. 26.*; aſſerunt enim hunc errorem pertinere ad qualitatem, & non ad ſubſtantiam; conſenſus etenim maximè in matrimonio debet ferri in determinatā perſonam, non ad perſonam in vago, ſeù in genere apprehenſam; cum igitur non determinetur in illo contractu, cuius regis ſit filia, & per conſequens non proponatur indiuidua perſona, ſentiendum eſt conſenſum determinatè referri in perſonam ibi præſentem, adeoque ille error eſt quoad qualitatem apprehenſam in illa perſona, non quoad perſonam ipſam, ergò etiam ſi contrahat cum aliqua, quæ ſe fingat filiam comitis determinati, & noti perſonæ contrahenti, & deceptæ, erit validum matrimonium, cum conſenſus videatur ferri in perſonā præſentem, in qua apprehenditur ex dolo, & fraude illa qualitas, quæ re vera in ipſa non exiſtit. Sed contra admiſſo antecedenti neganda eſt conſequentia. Ratio negationis, & diſparitatis in eo conſiſtit, quod in caſu antecedentis per illam qualitatem expoſitam non deſignatur indiuidua perſona, quam potuerit apprehendere contrahens deceptus, cum exprimat ſolummodò indiuiduum in vago, & in genere; vnde cum conſenſus matrimonialis debeat eſſe indiuiduus, & determinatus quoad perſonam intel-



Digitized by Google

intelligitur determinari per perſonam præſentem, cum ex alio titulo non poſſit determinari; in caſu verò conſequentis deſignatur certa perſona nota ipſi contrahenti, quam indicat qualitas illa expreſſa cum alijs adminiculis eidem contrahenti notis; vnde conſenſus determinatur ad illam perſonam, quæ apprehenditur ab eodem contrahente; vndè ſi non eſt illa perſona, cum qua contrahit, ex defectu legitimi conſenſus illud matrimonium erit inualidum.

Dices ſecundò. Si quis contrahat cum aliqua ſe fingente filiam Regis Hiſpaniarum, cum tamen Rex Hiſpaniarum nullam habeat filiam validè contrahit, eo quià cum nulla adſit filia tali Regi non poteſt conſenſus ad ipſam referri, & per ipſam determinari; vnde cum conſenſus debeat eſſe determinatus dicendum eſt determinari per perſonam præſentem, ergò etiam hoc idem dicendum eſt in caſu præſenti, de quo loquimur; parum enim referre poteſt, quod perſona apprehenſa verè, & in re exiſtat, vel non exiſtat, aprehendatur tamen, vt exiſtens. Sed contra negandum eſt abſolutè in caſu antecedentis validè contrahere; quamuis enim filia Regis Hiſpaniarum, quam ſe ſimulat illa fæmina, non exiſtat; apprehenditur tamen à contrahente, vt verè exiſtens, & ad illam perſonam aprehenſam refertur, & determinatur conſenſus, & non ad aliam perſonam.

Alia inſtantia, eiuſque ſolutio.

---

## §. II.

### An intendens contrahere cum primogenita Caij valide cum eadem contrahat, ſi antea fuerit eidem exhibita vna pro alia.

*SVMMARIVM.*

*Refertur factum cum omnibus ſuis circumſtantijs.* 1.
*Variæ conſiderationes circa factum.* 2.
*Si fuerit oblata ſecundo genita cum negatione ſecundo genitæ, quamvis ſecundo genita fuerit oſtenſa pro primogenita tenet matrimonium contractum cum primo genita.* 3.
*Si ſecundo genita non fuerit denegata, ſed deſignata vna cum qualitate indiuiduali deſignante in indiuiduo primogenitum, & vna pro alia fuerit exhibita, adhuc tamen tenet contractus cum perſona per talem qualitatem indiuidualem deſignata.* 4.
*Si fuerit vna ex duabus promiſſa ſine qualitate indiuiduante, & vna exhibita, & altera tradita non tenet contractus.* 5.

Disqvisitio II. Intendebat Titius contrahere matrimonium cum filia primogenita Caij, vel forte etiam cum vna ex duabus filiabus Caij; eidem fuit denegata ſecundo genita, ſed oblata primogenita; non renuens oblationem petit eandem primogenitam, vel ſibi, vel amico exhiberi, vt dignoſcatur, an ſit formoſa, & an ſibi placeat. Cognoſcens Caius primogenitam eſſe deformem exhibet, vel eidem Titio, vel eius amico deputato ſecundo genitam formoſam, vel filiam alterius peruenuſtam pro ipſa primogenita. Captus Titius pulchritudine eius, quam vidit, vel quæ ſibi rapræſentata eſt ab amico, cum ea contrahere ſe determinat, ſibi ſuadens eſſe primogenitam, quæ ſibi fuerat à Patre oblata. Celebratur matrimonium cum primogenita Caij per verba de præſenti, nec Titius aduertit, an ſit illa, quæ ſibi, vel amico fuerat exhibita, cum forte eſſet velo obtecta, vel matrimonium fuerit celebratum per Procuratorem. Excitata hic fuit controuerſia apud *Tabienam verb. impedimentum impediment. 1. q. 4. n. 5.*, an illud matrimonium ſubſiſteret, vel eſſet omnino inualidum.

1 Refertur factum cum omnibus ſuis circumſtantijs.

Hic pro pleniori præſentis caſus diſcuſſione videndum eſt primo, an præcisè Titius poſtularit primogenitam eiuſdem Caij, ſeù eidem exhibita fuerit à Caio primogenita ſine negatione ſecundo genitæ, an verò, ſi ipſe poſtularit vnam ex duabus filiabus Caij eidem fuerit exhibita prima cum negatione ſecundæ, vel an Pater ipſe obtulerit primam negans ſecundam. Secundo, an eidem fuerit oblata primogenita deſignata cum aliqua qualitate indiuiduali, quamuis alia non fuerit denegata, & exhibita alia ab ipſa deſignata tali qualitate, an vero oblata aliqua ſine vlla deſignatione indiuidualis qualitatis, & an tunc vna fuerit exhibita, & alia eidem tradita in matrimonium. Quibus animaduerſionibus ſuppoſitis

2 Variæ conſideraciones circa factum.

Reſpondeo primo. Si fuerit à Caio oblata Titio primogenita cum negatione ſecundo genitæ, & ipſe oblationem acceptarit, quantumvis eidem fuerit oſtenſa ſecundo genita pro prima, tenet matrimonium cum prima, ſi cum eadem fuerit celebratum per verba de præſenti. Idem intellige, ſi Titius vnam ex duabus filiabus Caij petierit, & fuerit denegata ſecunda genita, & oblata prima *Tabiena verb. impedimentum imped. 1. q. 4. num. 5. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 18. num. 35. Coninchus diſp. 31. dub. 1. nu. 19. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 2. nu. 9. verſ. reſpondeo.* Ratio ex eo deducitur, quià talis error non eſt error circa ſubſtantiam, ſed tantum circa qualitatem pulchritudinis, ergò non eſt, cur irritetur illud matrimonium.

3 Si contractus fuerit initus pro primogenita negata ſecunda tenet matrimoniū, cum primogenita quamuis ſecundo genita fuerit oſtenſa pro prima.

nium. Antecedens probatur, quià conſenſus Titij non potuit ferri circa perſonam ſecundo genitæ Caij, cum illa eidem expreſsè fuerit denegata, ergò conſenſus debuit neceſſariò ferri in primogenitam, & cum verè illa, cum qua contraxit, fuerit talis, error, ſi qui fuerit, non erit circa ſubſtantiam, ſed dumtaxat circa qualitatem; Neque dicas, quod conſenſus fuerit directus circa perſonam, quæ eidem fuerat exhibita, quod ex eo euincitur, quod ſi fuiſſet ipſi exhibita primogenita deformis, non conſenſiſſet, quinimmò ex eo, quod ante contractum ipſam voluerit inſpicere, coniectandum eſt, quod conſenſum direxerit in perſonam exhibitam, & ex eo, quod cognita diuerſitate intendat reſilire, optimè conijcitur, quod voluntatem non habuerit cum ipſa contrahendi; contra enim impugnaberis, quià cum oblata fuerit primogenita, & denegata ſecunda genita, conſenſum non poterat ferre, niſi in eandem primogenitam, & illa qualitas pulchritudinis eidem exhibita in ſecundo genita non poterat eſſe qualitas neceſſario deſignans perſonam indiuiduam eiuſdem primogenitæ, nec eidem eſſentialitèr indiuidualitèr annexa, adeoque cum non niſi in primogenitam potuerit conſentire ex ſuppoſitione, quod vellet contrahere cum vna ex filiabus Caij, inde eſt, quod error ille non poſſit referri in ſubſtantiam, ſed ſolummodo in qualitatem; nec valet id, quod ſubditur, quod, ſi ſcilicèt eidem fuiſſet exhibita primogenita deformis, non contraxiſſet; non valet, inquam, quià attendendum eſt id, quod facit, non id quod feciſſet, ſi cognouiſſet, & ſuppoſito quod fecerit, attendendum eſt, an illud, quod fecit, ſit tale, vt inferat diuerſitatem ſubſtantialem, an vero tantum accidentalem, ſeù in qualitate; & ſi erit diuerſum in ſubſtantia, contractus erit nullus, ſecùs ſi tantum diuerſum fuerit in qualitate; ſecùs errans in quacunq; qualitate apprehenſa poſſet diſſoluere contractum, aſſerens quod ſi cognouiſſet, non contraxiſſet; & ſicuti, ſi fæmina corrupta omnem artem adhiberet, ne in primo concubitu cum marito, cum quo contraxit matrimonium, appareret corrupta, non propterea tribueret ſufficiens fundamentum marito recedendi à contractu, quamuis deperiatur corrupta, & deceperit maritum ſimulans virginitatem, adeovt nec poſſit maritus recedere, quantumvis aſſerat quod non contraxiſſet, ſi cognouiſſet, & hoc non alia ratione, niſi quià ille error eſſet dumtaxat in qualitate; ita ſi fæmina deformis deſignata tamen, vt talis fæmina cum indiuiduali qualitate per artem, ſeù ſimulationem apparuerit marito in primo aſpectu formoſa, non propterea poſt initum contractum, quantumvis deperiatur deformis, & deceperit maritum tribuit eidem ſufficiens ius ad recedendum à contractu, quantumvis ex hoc capite aſſerat, quod non contraxiſſet, ſi cognouiſſet, cum hic error etiam ſit ſolummodo in qualitate, & conſenſus propriè in perſonam ipſius fuerit directus.

*Conſenſus non poterat ferri niſi in primogenitá.*

*Deformitas pertinet ad errorem qualitatis.*

Reſpondeo ſecundo. Si ſecundo genita non fuerit denegata, ſed deſignata vna cum aliqua qualitate indiuiduali deſignante indiuiduam perſonam, puta primogenitam, & viro petenti, vel per ſe, vel per amicum inſpicere formoſitatem, vel deformitatem perſonæ, quæ per talem qualitatem offertur, exhibeatur alia pulchrior, & ipſe eo errore circumventus ducat fæminam prius ſibi oblatam valide ducit, nec poteſt à contractu recedere *Sanchez loc. cit.* aduerſus *Tabienam item loco cit.*, quamuis hic in hoc videatur hæſitare. Ratio ex eo deducitur, quià conſenſus fertur in eam perſonam, quæ ipſi contrahenti fuerit oblata, & ſolum defectus eſt in illa qualitate pulchritudinis deficientis per errorem exhibitum in alia perſona. Antecedens probatur, quià apprehenſio contrahentis erat ad perſonã cum illa qualitate deſignatam determinata, quæ apprehenſio adhuc permanet, & determinat conſenſum. Confirmatur, quià ſi fuerit fæmina deſignata cum qualitate primogenitæ Caij oblatæ Titio, & hæc ad tegendam propriam deformitatem vnguentis, varijſque, & inſolitis formis ſe ornauerit, vt formoſior appareret, & de facto talis apparuerit ſponſo eam videre cupienti, non eſt, cur matrimonium iſtius cum illo viro non ſubſiſtat, ergò etiam ſi fuerit deſignata filia Caij cum qualitate indiuiduali primogenitæ, & ad tegendam ipſius deformitatem alia formoſior fuerit exhibita loco ipſius non erit, cur, ſi illud matrimonium cum illa fuerit contractum, non debeat ſubſiſtere. Antecedens probatur, quià in ea hypotheſi conſenſus fuit in illam perſonam, & error fuit ſolum in qualitate pulchritudinis. Conſequentia probatur, quià quod illa perſona propriam deformitatem cælauerit, vel per fucos, vel per ſubſtitutionem alterius perſonæ formoſioris quantum ad effectum decipiendi paria ſunt; cum ſemper præſumatur, quod cõſenſus ſubſtantialis feratur in illam perſonam deſignatã illa qualitate indiuiduali.

*4 Etiam ſi non ſit denegata ſecunda oblata tamen ſit vna cũ qualitate indiuiduali.*

*Paritate euincitur.*

Dices diſparem eſſe rationem, quando exhibetur illa eadem perſona promiſſa cũ qualitate ficta, ac quando exhibetur alia perſona cũ qualitate vera in ipſa exiſtente, quæ nõ exiſtit in perſona, quæ pro ipſa ſupponitur, quandoquidẽ in primo caſu conſenſus fertur in illam perſonã, quæ exhibetur; in ſecundo fertur in perſonam præſentem

tem affectam illa qualitate vera; nec poteſt dici, quod conſenſus referatur ad perſonam deſignatam illa qualitate primogenitæ, à qua determinetur; non, inquam dici poteſt, quia non minus eſt qualitas illa primogenitæ, ac qualitas pulchritudinis exhibitæ in illa perſona ſecundogenitæ, & potius debet dici determinari conſenſus per illam præſentiam cum illa qualitate, quam per ſolam deſignationem qualitatis primogenitæ. Sed contra, quia ſuppoſita illa deſignatione perſonæ cum illa qualitate indiuiduali hæc debet dici obiectum illius conſenſus, quatenus fertur in perſonam illam deſignatam per titulum primogenitæ, & apprehenſio à qua dirigitur cõſenſus, fuit ſecundum quod obiectum fuit propoſitum, adeout, ſi propoſita primogenita, & acceptata traderetur ſecundogenita, contractus ex errore perſonæ eſſet inualidus, nec ſufficit, quod etiam acceptaſſet ſecundogenitam, ſi fuiſſet illi propoſita; non ſufficit, inquam, quia per alibi dicta attenditur id, quod geſtum eſt, non id, quod geſtum fuiſſet, cum requiratur conſenſus ad validitatem matrimonij in actu exercito *Henriquez lib. 11. c. 10. §. 4 lit. S. in textu, & gloſ. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 18. n. 6. Sotus in 4. diſt. 35 art. 2. verſ. quid autem ſi ingreſſus, Rebellius de oblig. iuſt. part. 2. lib. 3. q. 2. n 2. Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 2.* Ad illud, quod ſubditur, ſcilicet non minus pertinere ad qualitatem ratio primogenitæ, ac pertineat ad qualitatem ratio pulchritudinis, & quod potius debeat dici, quod conſenſus determinetur per præſentiam illius ſecundægenitæ cum qualitate pulchritudinis, quam per titulum illum primogenitæ; ad illud, inquam, dicendum eſt qualitatem primogenitæ appoſitam eſſe, & expreſſam ad deſignandam determinatam perſonam, quæ offertur, pulchritudo autem ſolum offertur ad deſignandas qualitates perſonæ: vnde error in illa pertinet ad ſubſtantiam, error in iſta ſolummodo ad qualitatem; vnde verum eſt, quod ſecundum ſe qualitas primogeniti, vel ſecundogeniti pertineat ad qualitatem, ſi tamen ſumatur, prout apponitur ad diſtinguendam vnam perſonã ab alia, tunc pertinet ad ſubſtantiam, cum ſit ratio contradiſtinctiua.

Inſtantiæ propoſitæ diſſolutio.

5 Si fuerit vna ex duabus promiſſa ſine qualitate indiuiduante, & vna exhibita, & tradita altera non tenet matrimonium.

Reſpondeo tertio. Si fuerit ſolummodo promiſſa vna ex duabus filiabus Caij Titio, illaque nulla nota indiuiduante deſignata, & eidem volenti inſpicere promiſſam ſibi ſponſam vna exhibeatur formoſa, & deinde alia tradatur deformis, tũc non teneret matrimonium *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 18. nu. 35. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 2. n. 9. Coninchus diſp. 31. dub. 1. n. 19.* Ratio tunc eſt, quia ille error non eſſet error ſimplex qualitatis, ſed ſubſtantiæ, ſeu perſonæ, quandoquidem cum nulla ſpeciali qualitate, & indiuiduante affecta fuerit promiſſa, apprenſio, quæ ad conſenſum determinat, determinaretur ex obiecto exhibito cum illa qualitate pulchritudinis, ergo ſi variaretur illud obiectum, variaretur quoque ſubſtantia, & ſic eſſet error in ſubſtantia, qui ex genere ſuo irritat matrimonium.

---

## §. III.

### An error nominis, cognominis, & patriæ irritet matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Extenſio expreſſa facti, quod contigit.* 1.
*Conſiderationes, & inſpectiones circa factum. nu.* 2.
*Matrimonium illud cum errore nominis, & cognominis, & patria validum fuit.* 3.
*Error nominis, & cognominis non vitiat actum, qui geritur, ſi de corpore conſtet.* 4.
*Excludantur omnes exceptiones fœminæ contendentis pro nullitate.* 5.

DISQVISITIO III. Dum Alexandriæ morarer, contigit caſus ſequentis tenoris videlicet. N. N. ex oppido Sancti Saluatoris delicta quædam perpatrauit enormia, de quibus fuit accuſatus apud Sanctæ Inquiſitionis tribunal in Vrbe Caſalenſi. Ad ſubterfugiendum eiuſdem Tribunalis iudicium ſe contulit in Ciuitatem Parmenſem, vbi mutato nomine, cognomine, & patria, ne cognoſceretur, diu vixit. Ibi captus amore cuiuſdam puellæ per ſe ipſum cum eadem egit de matrimonio contrahendo, & in contractu, quem cum eadem iniuit, ſeruato nomine, & cognomine, & patria, quæ fictè aſſumpſerat, dixit ſe eſſe Ioannem de Bonis ex Ciuitate Aſtenſi. Diu cohabitauit cum puella, quã duxerat, donec compoſito ſuper delictis quæ patrauerat, ſe contulit in propriam ſuam patriam oppidi S. Saluatoris ſecum ducens puellam, quam duxerat, quæque adhuc erat ignara fictionis nominis, & cognominis, & patriæ. Vt peruenerunt in dictum oppidum S. Saluatoris fœmina cognoſcens deceptionem in primo quaſi ingreſſu exclamauit dicens *Eh queſta è la Città d'Aſti*, & ſucceſſiuè etiam cognouit deceptionẽ nominis, & cognominis. Poſt modicum temporis, quo in dicto oppido commorata eſt illa fœmina, vel quia grauiter ſufferret illam deceptionem, vel quia ægrè ageretur à marito, ab eodem fugam arripuit, & ſe contulit in Ciuitatem Alexandriæ, ibique coram Vicario generali illius Diœceſis, cum Epiſcopus eſſet abſens, litem conteſtata eſt ſuper illo matrimonio pe-

1 Extenſio facti, contigit ſecundum omnes circumſtantias.

Digitized by Google

petens reciſcionem. Vicarius efformato proceſſu ſuper petitione, & examinatis teſtibus, vt rectius iudicaret conuocata Parochorum congregatione, quibus antecedenter in ſcriptis caſum propoſuerat, rogauit eorum ſententiam, quibus ferè omnibus concludentibus pro nullitate contractus Vicarius ipſe tandem definiuit matrimonium illud fuiſse nullum, & liberos eſse contrahentes ab onere coniugij, prout illos liberauit. Rebus ſic ſtantibus fœmina illa ſic liberata ſe contulit in quandam domum eiuſdem Ciuitatis Alexandriæ, ibique diu vixit in concubinatu cum quodam Amaſio, donec per Parochum agitata ad recedendum ab illo concubinatu ſtatuit cum eodem Amaſio alias nuptias contrahere, ad quas ineundas neſcio quo ſtimulo agitata ad Epiſcopum, qui redierat, confugit pro impetranda facultate nubendi cum illo Amaſio ad effectum declinandi à peccatis. Res mira? dum ageretur de illa facultate impetranda excitatum eſt dubium ſuper validitate ſententiæ, per quam declaratum fuerat nullum primum matrimonium. Super hoc dubio inter cæteros excitatus, & ego fui ab Epiſcopo, vt quid ſentirem calculo meo enuntiarem.

2 Conſiderationes, & inſpectiones circa factum.

Conſiderabam tunc, quomodo fœmina illa peteret facultatem nubendi cum Amaſio, qua nullatenus indigebat, cum eſset libera virtute illius ſententiæ, qua prius matrimonium nullum fuerat declaratum? Hinc arguebam, quod ſtimulis angeretur conſcientiæ ſuper petitione, quam fecerat, illius nullitatis. Ad quid enim petere facultatem nubendi cum Amaſio, ſi tuta fuiſset, nec conſcientia angeretur ſuper validitate illius ſententiæ, & ſuper nullitate iam declarata illius prioris contractus? Quamobrem mentem direxi ad inueſtigandam ſubſiſtentiam, vel inſubſiſtentiam illius ſententiæ, & item validitatem, vel inualidilatem illius prioris contractus, quod eſt baſis, & fundamentum illius controuerſiæ. Super qua reſpondi tunc, & nunc etiam

3 Matrimonium illud cum illo errore fuit validum.

Reſpondeo, & illud matrimonium fuiſse validum, & ſententiam ſuper illius nullitate prolatam nullo innixam iuris fundamento, ac propterea omninò nullam. Pro qua reſponſione conſiderabam primo, quod perſonæ, cuius nomen, cognomen, & patriam ficte aſſumpſerat ille, qui ſic nupſit cum hac fœmina, non erat in rerum natura, & ſi fortè fuerit, non erat cognita eidem fœminæ, nec per famam, nec per inſpectionem, nec alio modo, adeò vt potuerit mouere eandem fœminam ad dirigendum in ipſam ſuam apprehenſionem, & conſenſum. Secundò quod nec nomen proprium, nec cognomen eiuſdem contrahentis ſic decipientis, ſi eodem vſus fuiſset, non potuiſset mouere eandem fœminam ad diſſentiendum à matrimonio cum illo contrahendo, cum nec illius notitiam præcedentem habuerit. Tertio, quod ipſe decipiens in nomine, & cognomine, & patria per ſe ipſum egit in ordine ad talem contractum ſubdens propriam perſonam tanquam obiectum contractus, & conſenſus alterius, per quem in ipſum ferretur, & non in alium non cognitum.

4 Error nominis, & cognominis non vitiat actū, qui geritur, ſi de corpore conſtet.

Quibus ſuppoſitis ſic procedebam primo in probatione mei aſſerti. Error nominis, & cognominis non vitiat actum, qui geritur, ſi de corpore conſtet *l. in venditionibus 4. ff de contrah. empt.* Ibi *Plane, ſi in nomine diſſentiamus, verum de corpore conſtet, nulla dubitatio eſt, quin valeat emptio, & venditio; nihil enim facit error nominis cum de corpore conſtet*, & hoc idem habetur *in l. ſi in nomine C de teſtamentis*, & in terminis matrimonij docent ſpecialitèr *Antonius c. tua nu. 14. de ſponſalibus, Maior in 4. diſt. 30. q. 1. not. vlt. ante primam concluſionem, Ledeſma 2. part. 4. q. 53. art. 1. dub. 4. Caieta. repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 324. Lancellotus inſtit. iur. can. lib. 2. tit. de nupt. in fin.*, atque in præſenti hypotheſi fœminæ contrahenti conſtitit de corpore, quandòquidem ille fictor nominis, & cognominis per ſe ipſum egit, ſe ipſum conſtituit obiectum conſenſus illius fœminæ, quæ non poterat habere apprehenſionem ad aliud obiectum, cum illud vel non eſset, vel eidem determinatè non appareret, ergò &c.

Procedebam vlterius, quià in penitus ignotum, nec conſenſum, nec affectum dirigere poſſumus *arg. ex l. cum ab eo verſ. menſam, ff. de contrah. empt.*, *& l. tres fratres 36. ff. de pactis*, & *in lege ff de contrahenda emptione*, & in hoc fundamentum habet illud Phyloſophicum axioma *nihil volitum quin præcognitum*; vndè merito docent, *D. Thomas in 4. diſt 30. q. 1. art. 1. ad primum, & ibi Sotus q. 1. art. 1 in initio corporis, D. Bonauentura art. vnico q. 1. ad vltimum, Hoſtienſis in ſumma tit. de matrimonijs, §. qualitèr impediatur n. 26. Monaldus in ſumma, vbi de matrimonio tit. de errore perſonæ paulo poſt principium, Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 14. art. 1. q. 2.* nunquam poſse contingere errorem perſonæ, ſiuè aliquantèr illius perſonæ notitia, vel ex viſu, aut ſaltem ex auditu, vel fama, ergò cum illius perſonæ, cuius nomen, cognomen, & patriam aſſumpſerat ille ſimulator, illa fœmina nullam penitus notitiam habuerit, nec habere potuerit, cum vel non ſit in rerum natura, vel ſi fuerit, nunquam innotuerit eidem fœminæ, vtique ratione illius non potuit habere errorem perſonæ. Hanc rationem elucidabam his terminis. *Nihil*

Non poteſt voluntas ferri in incognitum.

*poteſt*

*poteſt eſſe volitum, quin fuerit præcognitum*; quo ſuppoſito principio reflectebam, quod non ſolum acceptatio, ſed etiam reprobatio, ſeu, quod idem eſt non ſolum conſenſus ad perſonam, ſed etiam poſitiuus diſſenſus ab ipſa ſunt actus voluntatis, ſiue acceptantis, ſiue reprobantis, quæ propterea debent præſupponere cognitionem eius, quod acceptatur, vel reprobatur; Cum igitur fæmina illa non habuerit cognitionem de illa perſona, cuius nomen, cognomen, & patriam ſimulauit illa, cum quo nupſit, nec notitiam habuit, non potuit eam perſonam per verum conſenſum eligere, nec perſonam ratione veri nominis, ſi illud expreſſiſſet, reprobare, cum illud nomẽ ipſa nec cognouerit, nec perſonam determinatam ratione eiuſdem nominis, ergo præſumendum eſt, quod conſenſum direxerit in illam perſonam præſentem.

**Illud nomen, cognomen non deſignabat perſonã diſtinctã ab ea, quæ erat præſens.**

Vlterius procedebam, quod illud nomen, cognomen, & patria non deſignabat indiuiduam perſonam diſtinctam ab ea, quæ ibi præſens erat, adeovt poſſet deducere alium cõtrahentẽ in appræhenſionem alterius perſonæ ab ea, quæ ibi exhibebatur, ſed quando qualitas illa, in qua erratur, non deſignat indiuiduam perſonam, tunc non eſt error quoad ſubſtantiam, ſed dumtaxat quoad qualitatem. *D. Bonauentura in 4. diſt. 30. art. vnico q. 1. ad vlt. Hoſtienſis in ſumma tit. de matrimon. §. qualiter impediatur num. 26. Toletus lib. 7. ſummæ c. 3. num. 2. diſt. 3.*, ergo &c. Maior probatur, quia de facto contraxit cum hac perſona deſignata illo nomine ficto, nec potuit cogitare de alia perſona ſub illo nomine, quandoquidem, nec illud nomen, nec alia perſona, ad quam poſſet dirigi conſenſus, erat nota tali fæminæ contrahenti. Confirmabam vlterius, quia ad validitatem contractus nihil refert, ſiue perſona determinata ad contrahendum proprio nomine notetur, vel aliquo alio ſigno, dummodo perſona ipſa exhibeatur contrahenti, & ipſe in eam conſentiat *ex c. licet ex quadam de teſtib., & arteſt. verb. teſtes, & l. ſi in rem aliquis ff. de rei vendicat.*, ergo cum illa perſona per ſe ipſum egerit de matrimonio illo contrahendo cum illa fæmina, ſeque perſonaliter ſubiecerit tanquam obiectum conſenſus, parum referre poterit, ſiue ſe ſubiecerit, ſiue ſub proprio nomine, ſiue ſub ficto, cum illud nomen quomodocunque ſumeretur, quoad perſonam conſentientem non poſſet, niſi deſignare illam perſonam, quæ ſe exhibebat, licet ſub illo nomine ficto.

Ex his procedebam ad eludenda ea, quæ ex proceſſu ſuper petitione fæminæ emanabant; & primo, quod illa fæmina ſtatim, ac peruenerit oppidum D. Saluatoris præſentibus aliquibus teſtibus altà voce exclamarit, *Eh queſta è la Città d'Aſti?* Secundò, quod cognito etiam errore nominis, & cognominis ſe arripuerit è Marito, & ſe contulerit in ciuitatem Alexandriæ, & ſteterit coram Iudice petens diſſolutionem coniugij; in quibus videbatur ſiſtere mens Iudicis, qui tale matrimonium inualidum declarauit; ipſe 5
enim aſſerebat, quod ex his coniectabatur, quod fæmina illa non conſenſerit, niſi ſub illis conditionibus, ſi ſcilicet fuerit ex ciuitate Aſtenſi, & fuerit talis, qualem indicabat illud nomen, & cognomen. Eludebam, inquam, quia illa exclamatio arguebat quendam dolorẽ propter deceptionem, ſed cum illa deceptio fuerit in qualitate talis patriæ mariti, non in ſubſtantia perſonæ, non poterat tribuere ſufficiens fundamentum ad illudendum, & diſſoluendum contractum, ea proportionali ratione, qua quis exiſtimans ducere Virginem duceret corruptam; ſi enim in primo concubitu cognoſcens errorem exclamaret. *E così ſei vergine?* non propterea haberet ius ad diſſoluendum matrimonium, quia etiam illa deceptio eſſet ſolummodo in qualitate; quod idem dic quoad errorem, & deceptionem cognitam nominis, & cognominis, quantumuis enim ſtatim receſſerit à marito, & ſe ſteterit coram Iudice indicat quidem dolorem quoad illam deceptionem, ſed cum ſit ſolum in qualitate non tribuit ius ad reciſcionem, quinimmo, nec poterat eſſe iuſtus dolor de illa deceptione, quoad nomen, & cognomen, cum de alio nomine, & cognomine notitiam nõ haberet, & parũ eidem referri poſſit, quod tali, vel tali nomine, & cognomine maritus noncupetur.

**Excluduntur omnes exceptiones fæminæ contendentis pro nullitate.**

## §. IV.

### An Epiſcopus cognita inualiditate ſententiæ à vicario ſuo prolatæ ſuper illo matrimonio poſſit illam reuocare

### *SVMMARIVM.*

*Dependenter à prædictis in præcedenti paragrapho refertur ſtatus controuerſia*. 1.
*Rationes ſuadentes Epiſcopum non poſſe reuocare ſententiam ſui Vicarij*. 2.
*Potuit, & poteſt Epiſcopus in ea hypotheſi ſententiam ſui Vicarij retractare*. 3.
*Sententia in cauſis matrimonialibus nunquam tranſeunt in rem iudicatam*. 4.
*Vbi vertitur periculum animæ poteſt quis venire contra factum ſuum*. 5
*Reuocatio ſententiæ eſſet per modum querelæ*. 6.
*Soluuntur rationes oppoſitæ*. 7.

Dis-

1 Dependentèr à præ. dictus in præcedēti paragrapho refertur ſtatus [illegible]uer-

DISQVISITIO IV. Attento matrimonij in præcedenti diſquiſitione expoſiti valore, & inualiditate ſententiæ ſuper ipſius nullitate prolatę ratio poſtulat, vt quęcunque alterius matrimonij ſpes abigatur, & cohabitatio luxurioſa tollatur etiam per pœnas à iure præſcriptas, ſi oportuerit, irrogandas. Qua in re ad tollendum omne ſubterfugium concubinarijs (ſuppono etenim eandem fęminam, adhuc cum Amaſio in concubinatu perſeuerare) ex ſpe fortaſſe noui matrimonij contrahendi attenta prætenſa nullitate prioris matrimonij à Iudice declarata, agendo de remedijs iuſtitiæ contra prætenſam ſententiam inquiritur vtrum poſſit Epiſcopus non ignarus inualiditatis eiuſdem ſententiæ Vicarij ſui ſententiam reuocare cum conſtituat cum eodem vnum, & idem tribunal *ex c. 2. de conſuet. in 6.*, & quid expediat.

2 Rationes ſuadentes Epiſcopū non poſſe reuocare ſententiam ſui Vicarij.

Videtur *ex reg. iuris* 143. reuocari non poſſe, quia poſt latam ſententiam ſolemniter nihil eſt per eundem Iudicem in ea mutandum, ſed illi inhærendum per textum *in l. Iudex poſteaquam ff. de re iudic. Decius de reg. iuris in l., & ſi nihil* cum Iudex ſententiæ ea lata non poſſit amplius ſe intromittere *l. acta §. de re amplianda ff. de re iudicata* maximè ſi ſententia tranſierit in rem iudicatam, vt euenit in re præſenti, in qua intra debitum tempus ab eadem non eſt appellatum; nam res iudicata facit de albo nigrum, & de nigro album, falſumque mutat in verum, quoad effectum *Caſtrenſis conſ. 6. circa fin. verſ. cum igitur lib. 1. Romanus conſ. 504 in caſu verſ. ſecundo, quia Hypolitus Riminald. conſ. 41. num. 7.*, & ipſa res iudicata habetur pro veritate *l. ſi non ſortem §. hæredi ff. de condit. indeb. l. 1. C. quando pronocare*, facitque ius irretractabile inter partes *l. eleganter §. ſi quis poſt ff. de condic indeb. Pariſ. conſ. 23. num. 218. lib. 1.*, quæ potiſſimum verificantur in ordine ad eundem Iudicem, qui illam ſententiam protulit. Nihilominus.

3 Potuit, & poteſt Epiſcopus ſententiam vicarij in ea hypotheſi retractare.

Reſpondeo abſolutè poſſe, & potuiſſe Epiſcopum ſeruato iuris ordine, ſine vlla eiuſdem iuris læſione ſententiam ſui Vicarij pro nullitate illius matrimonij reuocare, & retractare cognito errore *Cardinal. c. lator. num. vnico verſ. in gloſa fin. de ſent., & re iudicata Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 100. num. 3.* Rationes plurimæ afferri poſſunt ad hanc reſponſionem comprobandam; ex principalioribus tamen nonnullas profero, & pro hac vrget primo, quod ipſe met Iudex ſi ordinarius ſit, ſententiam ſuam, quam contra leges tulit tanquam irritam poteſt reuocare *arg. l. ſi præſes C. quomodo, & quando Iudex l. ſi accuſationibus ff. de accuſat. Abbas in c. fraternitatis num.* 18 *de frigid.*, vbi ſingulariter notandum ait, quod licet ſententia iniuſtè prolata, niſi ab ea appelletur, tranſeat in rem iudicatam, eique, pro quo iudicatum fuit, acquiratur actio in factum iuxta *l. cum prolatis ff. de re indicata* fallat tamen, ſi ſententia ſit manifeſte contra leges lata, ſicuti conſtat *ex c. ſi cum inter C. quando pronocare non eſt neceſſe Innocentius in c. 1. de re indic.*, nec incongruè, nam ſententia manifeſtè iniuſta non eſt ſententia *l. vlt. C. de re iudicat. Clem. Paſtoralis §. vt igitur de re iudic. Tiraquel in l. bouet §. hoc ſermone limit. 1. num. 9. ff. de verb. ſignif.* Cum igitur ſententia lata pro nullitate matrimonij ſit contra *l. ſi in nomine C. de teſtament.* per conſequens ſequitur, quod non teneat, ſed poſſit retractari, etiam ſi non fuerit appellatum *Barb. in lib. 2. collect. decret. de ſent., & re indic. tit. 27.*, quinimmo ad annullandam ſententiam contra leges, canoneſq; prolatam hominis miniſterium non requiritur, & abſq; illo nullum habet effectum, vt per *Bartolum, & DD. communiter in l. prolatis Decius à num. 35. in c. quoniam contra de probat. Lancellotus lib. 3. inſtit. iur. can. ſub hoc tit. §. ſi nam* quoniam hominis miniſterium non requiritur, vbi lex eſt executor ipſius nullitatis, quam inducit, vt tradunt ſcribentes *in c. cum ſecundum de heret. in 6.*, ex quo infero cum *Barboſa in lib. 2. collect. decret de ſent., & re indic. tit. 27.*, quod ſi ſine hominis miniſterio ipſo iure annullatur ſententia, multo magis poſſit annullari per Iudicem, qui eam protulit, cum ſit Iudex ordinarius, qui citrà controuerſiam poteſt ſuam ſententiam retractare, quando conſtat de errore propter textum expreſſum *in l. 1. in fin. C in ſententia, & interloc., & in l. ſi præſes 6. C. quomodo, & quando Iudex.*

Sententia cōtra leges nō trāſit in rem iudicatam.

Vrget ſecundo, quod ſententiæ in cauſis matrimonialibus propter vinculi inſeparabilitatem nunquam tranſeunt in rem iudicatam, quantumvis bis fuerint confirmatæ, ſiue lapſus fuerit terminus ad appellandum, prout conſtat *ex c. lator de ſent., & re ind.*, vbi ſic legitur: *Mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit eos per Iudicium Eccleſiæ nō fuiſſe legitimè ſeparatos, Eccleſiamq; deceptam ipſos faciatis ſicut virum, & vxorem in ſimul permanere*, quod idem decernitur *in c. conſanguinei, & c tenor eod. tit., & c. fraternitatis de frig., & malef Nauarrus in compen. verb. ſententia in addit. num. 32. Gloſa in c. lator de ſent, & re iud. Coaruuias 4. decret. 2. pars. c. 8. §. 12. num. 12. in princip.*, nec contra matrimonium currit præſcriptio 33. q. 5., vnde *gloſa in verbo lator* ſubdit, quod quandocunque error ſententiæ detectus fuerit, ſit reuocandus *c. 1. de frigid, & malef. c. fraternitatis 35. q. 9.*, vbi addit nullo temporis tractu bene coniunctos ſeparandos eſſe, quia quos Deus coniunxit, homo ſeparare non poteſt.

4 Sententiæ in cauſis matrimonialibus nunquam tranſeunt in rem iudicatam.

Vrget

Digitized by Google

5 Vbi vertitur periculum animæ poteſt quis venire contra factum ſuum.

Vrget tertio, quod in terminis præcisè de matrimonio *Gloſa in d. c. lator de ſententia, & re iud.* ait, quod in cauſis, in quibus vertitur periculum animæ, poteſt quis venire contra factum ſuum, vt reuocetur ſententia, quam ferri procurauit, & ſi conſtiterit Eccleſiam fuiſse deceptam reuocabitur ſententia *cap. conſanguinei de ſent. & re indic., & c. ſicut de teſtibus, & c. loci §. his ità 33. q. 9 Panormitanus ſuper prima primi de elect. c. noſti, Nauarrus in compend. verb. ſententia in addit. num 29.* quinimmò ad ipſum Iudicem ex officio etiam inuita parte pertinet procedere ad retractandam huiuſmodi ſententiam, quinimmò teneri retractare ſuadet, *Sanchez lib. 7. diſp 100. n. 3. ex c. porrò ad finem de diuortijs*, hancque adducit rationem, quià ad Iudicem potiſſimum Eccleſiaſticum ſpectat peccata auferre; grauiſſimum autem eſt illegitimè coniunctos in matrimonio perſeuerare, aut legitimè coniunctos ſeparari, & ſeparatos manere potiſſimum, ſi ex illa ſeparatione conſequatur luxurioſa cohabitatio, & concubinatus, vt euenit in caſu præſenti.

6 Reuocatio ſententiæ eſt per viâ querelæ.

Vrget tandem, quod in hac reuocatione ſententiæ non agitur per viam appellationis, ſed ad ſummum per viam querelæ; vbi autem non proceditur per viam appellationis inter ſubditos ſuffraganei, Archiepiſcopus non eſt competens, vt eſt textus expreſsus *in c. 1. de offic. leg., & c. paſtoralis in princip., ff. de offic. Ordinarij, & c. venerabilibus in princip. de ſent. excommun.* Hæc autem querela, vel poteſt eſse ad inſtantiam partis, vel ex officio Iudicis reſultante cauſa querelę ipſis actitatis; & ſic proponi poteſt coram eo, qui adiri poteſt *Abbas c. ad reprimendum nu. 6. de offic. ordinarij, & c. lator n. 10. de ſent. & re ind. Coaruuias 4 decret. 2 part. c. 8. § 12. n. 12. verſ. 3.* Hic autem eſt ille, qui illam ſententiam primo protulit, *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 12. nu. 12. verſ. 3.*

7 Soluuntur rationes oppoſitę.

Ad rationes, quæ ex ſuperius allegatis afferuntur, dico in ſubiecta materia omnes fallere; fallit prima, quià ſententia, quamuis ſolemnitèr lata, cum ſit nulla, non eſt appellanda ſententia, neque parit effectum ſententiæ *l. 4. §. condenatum, ff. de re iudicata l. vltima C. de ſententia*; fallit ſecunda, nam Iudex ordinarius cognito errore ſententię poteſt eam reuocare per textum expreſsum *in l. 1. in fin. C. in ſent., & interloc.* Fallit tertia, quarta, & quinta, quià ſententia contra canones, & leges prolata non tranſit in rem iudicatam, cum ex ſupra allegatis non ſit propriè ſententia, ac proindè non facit ius irretractabile, nec mutat de falſo in verum pręcipuè in cauſa matrimoniali iuxta ſuperius allegata, vndè non video, cur non poſſit Epiſcopus eam ſententiam reuocare.

---

## §. V.

### An matrimonium iniens cum corrupta credens eſse Virginem teneatur conſummare.

*SVMMARIVM.*

*Refertur ſeries facti.* 1.
*Sententia aſſerens non poſſe compelli ad conſumandum.* 2.
*Si non deliberet de ingreſſu in Religionem tenetur conſummare.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſita.* 4.

DISQVISITIO V. Contraxerat matrimonium per verba de præſenti ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus Titius cum Caia, quam vtique credebat eſse Virginem. Ante conſummationem cognouit defectum integritatis, ſeu Caiam fuiſse corruptam. Hic orta fuit controuerſia, an ſi, Titius intra bimeſtre nolit deliberare de ingreſsu in Religionem, teneatur, ſeù poſſit compelli matrimonium illud conſummare. 1 Refertur ſtatus controuerſiæ.

Silueſter *verbo matrimonium 8. q. 1. dict 3. Supplementum ſumma Piſana verb. impedimentum impedimento 2. n. 1. Sotus in 4 diſt. 30. q. 1. art. 1. verſ. error fortuna, Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimonio c. 47. not. primo, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 52. art. 2. dub. 3. poſt concluſionem 2. §. aduertendum eſt etiam* docent non poſse compelli ad conſummandum ex duplici ratione, quam reſpectiuè adducunt. Altera eſt, quià per illam conſummationem teneretur ſubire pænas bigamiæ; altera eſt, quià ex illa cognitione defectus integritatis virginalis in fæmina poteſt iuſtè diſſoluere ſponſalia, ſi illa dumtaxat fuerint contracta, vt latè probauimus in quæſtionibus de ſponſalibus *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 2. pranot. 9. nu. 1.*, & diuortium intendere, ſi fuerit contractum matrimonium per verba de præſenti, ergò etiam poterit non conſummare, quià ſi poſt conſummatum poteſt intendere ſeparationem, ante conſummationem non poteſt compelli ad maritalem coniunctionem. Nihilominus 2 Sententia aſſerens nõ poſse compelli ad conſummãdum.

Reſpondeo, ſi non deliberaret de ingreſsu in Religionem intra tempus à iure definitum, teneri procedere ad conſummationem. *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 18. n. 20.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi defectus non eſt defectus quoad ſubſtantiam, ſed ſolummodo quoad 3 Si non deliberat de ingreſſu in Religionẽ tenetur ad conſummationem.

 qua-

Digitized by Google

qualitatem, qui ex ſuperius actitatis non irritat matrimonium, nec ius tribuit ad diſſoluendum, poſtquam contractum eſt, & ex alio capite non eſt aliquod ius, quod eximat deceptum ab onere conſummationis, ergo, ſi non deliberet de Religione, tenebitur conſummare. Antecedens quoad primam partem non vertitur in dubium, & latè probatum eſt; quoad ſecundam euincitur; tum ex eo, quod non eſt aſſignabile tale ius, & ſi hoc eſſet, poſſet ex quocunque defectu accidentali denegari conſummatio abſque ingreſſu in Religionem, ſeù onere in illam ingrediendi.

4 Soluuntur rationes oppoſitę. Neque rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, aliquid poſſunt officere; Non prima; quià quod ſubire teneretur huiuſmodi pœnas, hoc eſt ex conditione proprij infortunij ex conſequentibus ad contractum, quem quoad ſubſtantiam liberè iniјt, licèt quoad illam qualitatem negationis integritatis non fuerit conſenſus liber; vndè ſicuti proprio infortunio debet imputare, quod corruptam duxerit exiſtimans ducere virginem; ita debet eidem proprio infortunio imputare, niſi deliberet de ſtatu Religionis, quod teneatur conſummare, ac proindè ſubire illas pœnas bigamiæ; cum præcipuè illæ non ſint propriè pœnæ, ſed qualitas conſurgens proptèr negationem ſignificationis matrimonij Chriſti per carnem aſſumptam cum Eccleſia, quod vtique matrimonium vnum eſt, ſeù vna vnio non diuiſa, quam non poteſt ſignificare matrimonium cum corrupta initum, cum hæc per corruptionem præcedentem, & per matrimonium conſequens conſummatum diuiſa ſit in plures carnes, nec apta ſit ſignificare vnitatem indiuiſam Chriſti cum Eccleſia; nec ex hoc poteſt ſubterfugere onus conſummationis, quandòquidem ſuppoſita validitate matrimonij ex vi fortioris vinculi coniugalis tenetur petenti reddere, niſi declinet ante conſummationem per ingreſſum in Religionem; Non ſecunda, quià quamuis ex ſuperueniente cognitione fornicationis commiſſæ antecedentèr à ſponſa poſſit recedere à ſponſalibus; non tamen ex vi illius poteſt recedere ab onere matrimonij, quod eſt debitum coniugale; nam contractus ſponſalium cum conſiſtat in ſimplci promiſſione intelligitur tacitè initus ſub conditione, ſi res perſeuerent in eo ſtatu, ſub quo ſunt, vel apprehenduntur adeſſe, quibus propterea commutatis, vel apparentibus in diuerſo ſtatu, in quo fuerint apprehenſæ adeſſe, vel adfuiſſe, quando contractus fuit initus, non eſt onus perſeuerandi in eodem contractu; contractus verò matrimonij cum ex genere ſuo transferat ius in corpus alterius coniugis non intelligitur initus ſub illa tacita conditione conſummandi, ſi res permaneant in eo eſſe, & ſtatu, in quo apprehenduntur ineſſe, adeoque quamuis non inſint, ſeù deprehendantur non ineſſe, non propterea eximunt ab onere, ad quod ex genere ſuo obligat ille contractus abſolute initus, & ſicuti ex ſuperuenienti cognitione illius defectus integritatis non poteſt recedere à contractu, ita neque à debito, ad quod obligat idem contractus. Ad illud, quod ſubditur de diuortio nego poſſe illud intentari ex illa cognitione ſuperuenienti fornicationis præcedentis matrimonium, quandòquidem diuortium non conceditur niſi, vel ob adulterium conſequens, vel ob ſæuitiam mariti, vel ob alias cauſas aſſignatas, inter quas non numeratur fornicatio præcedens idem matrimonium, potiſſimum cum diuortium ſit ad declinanda mala, quæ contingunt poſt contractum aduerſus bona eiuſdem matrimonij, non pro præcedentibus. Diuortium non conceditur, niſi ob fornicationem ſubſequentem matrimonium.

---

## §. VI.

### Quomodo poſſit ſibi conſulere coniux, quando ex aliquo errore apprehenſo contra ipſius votum diſſolutum eſt matrimonium.

### SVMMARIVM.

*Refertur facti ſeries.* 1.

*In quo ſenſu verificetur, quod cauſa matrimonialis non tranſeat in rem iudicatam.* num. 2.

*Bis confirmata ſententia ſuper nullitate, vel elapſo termino ad appellandum, & non interpoſita appellatione, non poteſt coniux comperto errore per viam appellationis ſibi conſulere.* 3.

*Bis confirmata ſententia ſuper nullitate, vel non interpoſita appellatione poteſt laſus comperto errore procedere ad reciſcionem per viam querelæ.* 4.

*Debet nouam querelam, nouumque libellum efformare.* 5.

*Noua inſtantia debet eſſe cum veriſimili nullitatis ſententiæ ratione propoſita, coram Iudice.* 6.

*Hæc noua querela, ſi ſit inter ſubditos eiuſdem Epiſcopi non debet proponi coram Archiepiſcopo, ſed coram Epiſcopo, à quo fuit prolata illa ſententia.* 7.

Disquisitio VI. Inito ſolemnitèr matrimonio inter Titium, & Caiam ex interuallo ortum eſt dubium ſuper validitate ipſius, & delata controuerſia ad Iudicem diſcuſſis omnibus dictum 1 Refertur facti ſeries

ctum fuit de nullitate, & tunc, vel prima ſententia fuit confirmata per ſecundam, vel ab ea in tempore opportuno non appellatum. Proceſſu temporis compertus fuit error, ex quo ſententia illa emanauit, & ſine quo non emanaſſet. Quæſitum fuit quonam remedio Titius contra cuius votum lata fuit illa ſententia, & à qua non appellauit, poſſit ſibi conſulere, & coram quo Iudice.

2 In quo ſenſu verificetur, quod cauſa matrimonialis nõ tranſeat in rem iudicatam.

Tota baſis præſentis difficultatis conſiſtit in eo, quod communiter circumfertur nempe cauſas matrimoniales nunquam tranſire in res iudicatas, circa cuius explicationem in varias abeunt DD. opiniones; alij enim aſſerunt non tranſire in rem iudicatam, ſi ab ea intra debitum tempus non fuit appellatum, quatenus ſemper admittat aliquod remedium, ſi poſtea comperiatur error ſententiæ, non tamen remedium appellationis *Gloſa c. fraternitatis verb. fornicatio in fin. de frig., & malef., & ibi Abbas num. 21. Præpoſitus num. 9. Alexander de Neuo §. quamuis num 26. Abbas c. ad reprimendam verb. ſuſpendatur num. 6. de offic. ordin. Antonius c. lator num. 8. de ſent., & re iudic. Decius c. ſua ampliat. 4. num. 16. in noua editione de appellat. Coaruuias 4. decret. 2 part. c. 8. §. 12. verſ. ſententia vero.* Alij aſſerunt non tranſire in rem iudicatam, quoad veritatem, bene tamen quoad ſubtilitatem *Hoſtienſis in c. tenor in fin. de ſent., & re iudic.* Alij aſſerunt non tranſire in rem iudicatam in eo ſenſu, vt allegare volens nullitatem ſententiæ poſſit quidem hoc præſtare, non quomodocunque, & indiſcriminatim, ſed allegata prius aliqua veriſimili iniuſtitiæ cauſa, quæ iure primo Iudicem ad id credendum ducat; ſi enim talem veriſimilem cauſam prius non allegaret, non eſſet audiendus, nec admittendus ad probationes; & hoc iure merito videtur inductum; cæteroqui elapſo termino ad appellandum ſemper matrimonium illud eſſet in controuerſia, & lis in infinitum protraheretur *Innocentius c. tenor num. vnico ad medium de ſentent., & re iud. Abbas c. fraternitatis nu. 21. de frig., & malef. Alexander de Neuo in c. fin. in fine de clandeſt. deſponſ.* Alij aliter, & præcipuè, quod non tranſeat in rem iudicatam quoad coniugium, bene tamen quoad expenſas *Felinus c. lator num. 10. in declaratione 9. de ſent., & re indic. Ioannes Andreas c. venerabilibus paulo poſt principium verbo querimoniam de ſent. excommunicat. in 6. Antonius c. conſanguinei ad fin. de ſent., & re iud.*

Variæ opiniones.

Ad diſcutiendam igitur præſentem diſquiſitionem, & ea, quæ in ipſa continentur examinandum erit primo, an poſt ſententiam latam, & bis confirmatam, vel à qua intra tempus à iure præſcriptum non eſt appellatum, poſſit ille, aduerſus quem eſt lata illa ſententia comperto errore ſibi conſulere per viam appellationis ad ſuperius tribunal. Secundo, an ſibi conſulere per viam quærelæ; Tertio, an ſemper admittendus ſit ad procedendum per viam querelæ, an vero adhoc, vt admittatur, requiratur aliqua probatio præcedens. Quarto, an hanc nouam quærelam poſſit proponere coram eodem iudice, an vero poſſit coram Archiepiſcopo, & Superiore.

Rationes dubitandi.

3 Confirmata bis ſententia non datur locus appellationi.

Reſpondeo primo. Bis confirmata ſententia ſuper nullitate, vel elapſo tempore ad appellandum, & non interpoſita appellatione, Titius non poteſt comperto errore ſibi conſulere per viam appellationis. Ita DD. omnes prææallegati pro prima opinione, & vlterius *Immola clem. 1. num. 1. de ſent., & re iud. Francus c. venerabilibus §. porro num. 2. de ſent. excommun. in 6. Ancharanus c. tenor num. 4. de ſent., & re iud. Gloſa c. ad reprimendam verb. ſuſpendatur de offic. ordin.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vno capite congruum valde eſt, vt non intercludatur aditus in cauſis matrimonialibus ad diſſolutionem, vbi matrimonium minus legitime fuerit initum, vel ad reſtaurationem, vbi inualide fuerit diſſolutum, cæteroqui maximè fouerentur peccata, ſi quod legitime initum eſt ex iniuſta ſententia ſolutum ſemper deberet remanere, ſeu quod legitime, & valide contractum eſt deberet diſſolutum perſeuerare; ex alio capite iura denegantia appellationem poſt tempus à iure præſcriptum, & poſt confirmationem ſententiæ debent quantum fieri poteſt ſuſtineri, ergo cum alius ſuppetat modus, de quo in ſequenti reſponſione, quo poſſit occurri errori ſententiæ per viam ſcilicet querelæ, non eſt aperienda via ad appellationem, cum ſufficienter ſucurratur indemnitati læſi per illam ſententiam, & iura communiter admiſſa in negatione illius appellationis non corrigantur.

4 Poteſt in ea hypotheſi procedere ad reſciſionem per viam querelæ.

Reſpondeo ſecundo. Bis confirmata ſententia ſuper nullitate, vel non interpoſita appellatione intra tempus à iure præfinitum poteſt læſus comperto errore procedere ad reſciſionem per viam quærelæ *Gloſa in c. fraternitatis verb. fornicario in fine de frig., & malef. Hoſtienſis c. ex literis num. 13. de in integrum reſtit. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 12. verſ. ſententia vero.* Ratio ex eo deducitur, quia vbicunque conſtat de errore maximè in cauſis, quibus fouerent peccata, ſi error ille non corrigeretur, error ille abſolute corrigendus, ne ex perſeuerantia eiuſdem admittatur continuatio peccatorum, ergo læſus cognito errore poteſt efformato libello per viam quærelæ ad eundem errorem diſſoluendum procedere.

5

Hic tamen aduertendum eſt, quod adhoc, vt læſus poſſit procedere ad diſſol-

Debet nouus libellus, nouaq; querela eſformari.

uendam priorem ſententiam erroneam, debet nouam quærelam, nouumque libellum eſformare, nec præciſe poſſit agere in virtute priorum actorum, quandoquidem, cum à priori ſententia non fuerit in tempore opportuno appellatum, eadem ſententia, quoad primam inſtantiam cauſæ tranſijt in rem iudicatam, licet non quoad rei veritatem, quod eſt id, quod videtur innuiſſe *Hoſtienſis in c. tenor. in fin. de ſent., & re iudicat.*, atq; hoc videtur colligi *ex c. ex literis in fin de in integ. reſtit.*, vbi Pontifex aſſerit. *Et ad audientiã reſtituimus eam pro matrimonio poſtulantem*, vbi nota illam particulam *ad audientiam*, quę importat ſolummodo, vt de nouo audiatur quantum ad veritatem, non quantum ad ſubtilitatem.

6 Noua inſtãtia debet eſſe cum veriſimili nullitatis ſententiæ ratione.

Aduertendum vlterius, quod audiendus ſolummodo ſit, ſi antecedenter coram Iudice producat veriſimilem nullitatis ſententiæ rationem, qua iuſte poſſit moueri Iudex ad audientiam admittendam; non enim ad quamcunque inſtantiam ſine præuia cognitione debet Iudex admittere, cæteroqui in infinitum lites protraherentur in hoc genere, ſi ex qualibet inſtantia prætenſus læſus eſſet admittendus. Quamobrem Iudex debet præmittere ſummariam cauſæ informationem non citato altero contrahente, & apparente de veriſimili cauſa nullitatis ſententiæ debet citata parte admittere ad probationes. *Cardinal. c. tenor num. vnico verſ. oppone ad hoc de ſent., & re iud.*

7 Noua querela debet proponi coram Epiſcopo à quo ſententia nulla fuit prolata.

Reſpondeo tertiò. Hæc noua quærela ſi ſit inter ſubditos Epiſcopi ſuffraganei non debet proponi coram Archiepiſcopo, ſed coram Epiſcopo à quo fuit prolata illa ſententia *Coarruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 12. num. 12. verſ. 3. Alexander de Neuo c. lator num. 10. de ſent., & re iud.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Archiepiſcopus non eſt competens Iudex in cauſis ſubditorum ſui ſuffraganei, niſi in cauſa appellationis per textum *in c. 1. de offic. leg., & c. paſtoralis in princip. de offic. ordin., & c. venerabilibus in principio de ſent. excommun. in 6.*, quando autem proceditur per viam quærelæ non proceditur per viam appellationis, adeoq; &c. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia quærela proponenda eſt coram eo Iudice, qui poteſt adiri *Abbas c. ad reprimendam nu. 6. de offic. ord., & c. lator num. 10. de ſent., & re iud.*; ille autem, qui poteſt adiri per viam quærelæ ille eſt, qui primam protulit ſententiam, aduerſus quam indicitur quærela *Coarruuias, & Alexander de Neuo loc. cit.*

## §. VII.

### An teneat matrimonium, ſi fęminæ ſcienti quem habere plures filios, & neminem cognoſcenti ſupponatur ſecundogenitus, pro primogenito.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur facti ſeries.* 1.
*Prima ſententia aſſerens validum eſſe illud matrimonium, & non dirimendum.* 2.
*Secunda aſſerens inualidum, & dirimendum.* 3.
*Præfertur hæc ſecunda ſententia.* 4.
*Si conuentio fuerit de ducendo primogenito eoq; mortuo fuerit ſecundo genitus ſubſtitutus non certiorata de hoc vxore non tenet matrimonium.* 5.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO VII. Nouerat Caia Titium plures habere filios omnes habiles ad matrimonium contrahendum, quorum tamen ſingularem notitiam diſtinctam non habebat. Alter eorum, qui erat ſecundo genitus eidem Caiæ ſimulans ſe primogenitum cum eadem contraxit matrimonium per verba de præſenti. Contracto matrimonio cognitus fuit ille error ſimulationis. Orta fuit controuerſia, an ex illo errore diſſoluendum eſſet matrimonium tanquam pertinenti ad ſubſtantiam, an vero non, cum ſolum pertineret ad qualitatem.

2 Primæ ſententiæ aſſerens illud matrimonium validum eſſe, & non dirimendum.

Aſtenſis *ſecunda parte ſumma lib 8 tit. 14. art. 1. q. 4. Monaldus in ſumma vbi de matrimon. tit. de errore perſonæ paulo ante fin Ioannes de Friburgo in ſumma confeſſorum lib. 4. tit. 3. q. 6.* aſſerunt matrimonium abſolute dirimendum non eſſe eo quod exiſtiment, illum non eſſe errorem perſonæ, ſed dumtaxat qualitatis, ad quod comprobandum adducunt ea, quæ nos ſuperius aſſerebamus, nempe non dari errorem perſonæ ſine præuia illius cognitione: cum autem hic ſupponamus Caiam non habuiſſe præcedentem cognitionem diſtinctam de primogenito, vel ſecundo genito, ſed dumtaxat confuſam, & generalem de pluribus eiuſdem Titij filijs, ſequitur, quod Caia in illo contractu non habuerit errorem perſonæ, ſed dumtaxat qualitatis primogeniti, vel ſecundo geniti.

3 Secunda aſſerẽs eſſe inualidum, & dirimendum.

Sanchez *vero lib. 7. diſp. 18. num. 29.* exiſtimat matrimonium illud dirimendum eſſe, atque pro hac ſua opinione refert *Gloſam 29. q. 1. in ſumma verb., quod autem Caldatinum c. 2. de coniug. ſeruor. Angelum verb. matrimonium 3. impediment. 4. num. 3. Tabienam impediment. 1. q. 1. num. 4. Ma-*

tienzo

Digitized by Google

*tienzo lib. 5. recopil. tit. 1. rubrica gloſ. 1. num.* 154., qui etiam reſpondet ad rationem præcedentis opinionis oppoſitæ aſſerens, quod ex neceſſitate non prærequiratur illa notitia præcedens, ſed ſufficiat notitia tunc habita, ratione cuius verificatur, quod fæmina errore ducta illi nubat exiſtimans eſſe perſonam primogeniti, quam appræhendit. Quod ergo ſentiendum?

4 *Hæc ſecunda ſententia præferenda eſt.*

Reſpondeo cum Sanchez probabilius eſſe illum errorem eſſe perſonæ, & quoad ſubſtantiam, ac proinde matrimonium illud eſſe inualidum. Ita præter ipſum docent *Emanuel sà verb. matrimonium nu. 1. Veracrux prima parte ſpeculi art. 28. dub. 2. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 2. num. 8. in fin.* Ratio eſt, quia conſenſus fæminæ contrahentis dirigitur non in perſonam, vbi præſentem, vt talem, ſed in perſonam appræhenſam ſub titulo, & ratione primogeniti, ergo variato quoad ſubſtantiam obiecto conſenſus ille nõ poteſt ſubſiſtere, adeoque deficiente forma ſubſtantiali contractus iſte nullam habere poteſt validitatem; Neque obeſſe poteſt id, quod ex aduerſo aſſerebatur ſcilicet ſine præcedenti cognitione non poſſe eſſe errorem, quoad ſubſtantiam, ſeu perſonam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet non præceſſerit cognitio quoad conditiones indiuiduales, per quas ſciat determinatè, quod primogenitus Titij ſit talis perſona, vt diſtincta à quacunque alia, præceſſit tamen talis cognitio, per quam optimè norit aliam eſſe perſonam primogeniti, aliam ſecundogeniti, & ſic ſucceſſiue filiorum eiuſdem Titij, & cum appræhenſionem direxerit ad perſonam, vt primogenitam, reſtrinxit conſenſum ad illam, & non ad aliam, quæ non ſit talis; nec verum eſt abſolutè, quod ad errorem perſonæ requiratur cognitio diſtincta perſonæ ſecundum illas qualitates indiuiduantes, per quas norit illam perſonam diſtingui ab alijs, ſed ſufficit cognitio confuſa, quod illa perſona primogenita vere exiſtat, & inter filios Titij connumeretur; cęteroqui, qui nuberet cum perſona, quam nunquam vidit, ſcit tamen exiſtere, & ad illam dirigit conſenſum, eamque duceret per Procuratorem, inualide nuberet cum non poſſet illam ab alia perſona diſtinguere, quod non eſt dicendum.

*Diuerſificatur obiectum conſenſus.*

*Nec ſufficit, quod æque contraxiſſet, ſi cognouiſſet.*

Confirmatur reſponſio ex his, quæ alibi diximus, quod ſi quis exiſtimans contrahere cum Berta, & ducat Calidoniam, quam etiam duxiſſet, ſi cognouiſſet eſſe Calidoniam, inualide contrahat non niſi, quia conſenſus in actu exercito directus fuit in ſolam Bertam per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſq. 6. §. 6, & 7. in fin.* & late docent *Henriquez lib. 11. c. 10. § 4. lit S in textu, & Gloſa Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp.* 18. *num 6. Sotus in 4. diſp. 35. articul. 2. verſ. quid autem ſi ingreſſus Rebellius de oblig. iuſt. part. 2. lib 3. q. 2. num. 2.*, ergo etiam ſi quis exiſtimans contrahere cum primogenito, & contrahat cum ſecundogenito inualidè contrahet, quia non minus eſt variatio perſonæ in primo, ac in ſecundo caſu, & in neutro extitit illa cognitio perſonæ diſtincta.

*Inſtantia ad prædicta, eiuſq; ſolutio.*

Neque ijs, quæ hic dicuntur, aduerſari poſſunt ea, quæ dicta ſunt in caſu relato ſupra *ſub hoc eod. tit. §. 3. verſ. procedebam vlterius*, nempè quando quis aſſumpſit nomen, cognomen, & patriam fictè, vbi diximus valere matrimonium illud, quia cum perſona decepta non habuerit præcedentem notitiam illius perſonę, cuius nomen, cognomen, & patriam fictor aſſumpſerat, non potuerit circa perſonam errare, adeoque valide contraxerit. Non, inquam, aduerſari poſſunt, quia ibi nulla aderat cognitio perſonæ, nec in confuſo, quinimmo, nec exiſtentiæ eiuſdem, vnde illud nomen, & cognomen ſit fictè aſſumptum poterat contrahentem ducere in cognitionem alicuius perſonæ diſtinctæ ab ea, quæ eidem obijciebatur per præſentiam; hic autem adeſt cognitio ſaltem confuſa perſonæ primogenitæ, quæ propterea poterat mouere contrahentem ad aſſentiendum ipſi, & non alteri.

5 *Si conuentio fuerit deducẽdo primogenito, eoq; mortuo fuerit ſecundogenitus ſubſtitutus nõ tenet contractus.*

Hic congruentèr excitatur noua difficultas, an ſcilicet, ſi poſtquam conuentum fuerit per Caiam de ducendo primogenito Titij, & antequam in actu exercito ineretur contractus, primogenitus occubuerit, & fæminæ ignoranti tunc ſupponatur ſecundogenitus per aſſertum, quod ipſe tunc ſit primogenitus teneat tunc contractus cum illo ſecundogenito. Cui difficultati reſpondendum exiſtimo contractum illum etiam in hac ſuppoſitione minimè tenere *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 14. art. 1. q. 3. Ioannes de Friburgo in ſumma confeſſorum lib. 4. tit. 3. q. 5. Sotus in 4. diſt. 30. q. 1. art. 1. paulo ante ſolutionem ad argumenta verſ. reſpondetur Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. q. 47., vbi de impedimento erroris ad fin. Bartolomæus à Ledeſma de matrimon. dub. 3. poſt tertiam concluſionem.* Ratio ex eo deducitur, quia conſenſus Caiæ contrahentis dirigitur ad obiectum, quod eidem primo propoſitum fuit in prima conuentione de primogenito ducendo, ergo ſi alius ſubſtituatur loco ipſius ad ipſum ille conſenſus non dirigitur, quandoquidem regulatur ad normam primæ conuentionis; Neque valet dici, quod cum primogenitus, ante actualem contractum mortuus fuerit verificetur verè pro tempore eiuſdem contractus, quod Caia contrahat cum primogenito Titij, cum ſecundogenitus tunc factus ſit primogenitus ex morte alterius primi;

Digitized by Google

primi; Non, valet inquam, quià conſenſus propriè dirigitur ad illum, qui tempore conuentionis erat primogenitus, & propoſitus, vt talis, nam, vbi aliud non agitur, intentio dirigitur ad obiectum prius propoſitum, quo propterea deficiente nouus conſenſus requiritur directus ad aliam perſonam, vt validus ſit contractus cum eadem, cum prima intentio, ſeù conſenſus ſit limitatus ad primum obiectum, ſeù perſonam indiuiduatam titulo primogeniti; Nec item obſtat, ſi aſſeratur, quod ſi Caia cognouiſſet præmortuum primogenitum, vtique conſenſiſſet in ſecundogenitum potiſſimum, cum in eodem eſſet ratio primogeniti; Non, obſtat, inquam, quià ad validitatem matrimonij non ſufficit conſenſus habitualis eius, quod feciſſet, ſed conſideratur id, quod fecerit, cum requiratur conſenſus actualis, & determinatus, prout in ſimilibus docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſqu. 6. §. 6., & 7. in fine* per DD., & rationes ibi allegatos, ſeù allegatas. Deinde ſuppoſita validitate prioris conuentionis cum primogenito tunc exiſtente ſaltem in vim ſponſalium non potetat ſecundogenitus valide conſentire cum eadem ob impedimentum publicæ honeſtatis.

Conſenſus dirigitur ad primogenitum pro tempore conuentionis.

---

## §. VIII.

### An matrimonium inter duos habiles initum ſubſiſtat, ſi alter eorum crederet ſubeſſe impedimentum.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ expoſitus.* 1.
*Sententia aſſerens matrimonium illud ſubſiſtens.* 2.
*Fundamenta oppoſita tali ſententiæ.* 3.
*Rationes euincentes talem ſententiam.* 4.
*Sententia adſtruens matrimonium illud non ſubſiſtere.* 5.
*Si falsò credens adeſſe illud impedimentum abſolute contraxit cum illa credulitate non tenet matrimonium.* 6.
*Si contrahat ſub conditione tenet.* 7.
*Soluuntur rationes aduerſæ.* 8.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO VIII. Nullum re vera aderat impedimentum dirimens inter Titium, & Caiam, atque vterque erat habilis ad contrahendum. De facto ad inuicem contraxerunt, ſed Caia certo credebat illi matrimonio ſubeſſe impedimentum dirimens, quandò contraxit. Hic excitata fuit controuerſia, an illud matrimonium initum cum illa credulitate impedimenti dirimentis exiſtentis teneat, an verò omnino irritum ſit.

Proponit hanc difficultatem examinandam *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 7. n. 2.*, vbi ſtatuta propria ſententia aſſerente matrimonium illud ſubſiſtere, quam probat varijs argumentis, de quibus infra, refert quæ ex aduerſo poſſunt opponi, & ſoluit, & primo textum *in l. is, qui putat, ff. de acq. hæred.*, vbi dicitur, quod qui putat ſe hæredem neceſſarium eſſe, repudiare non poſſe, quamuis ſit hæres voluntarius, ergò etiam, qui putat ratione impedimenti dirimentis ſe non poſſe conferre ſui corporis traditionem, non poterit validè eam transferre, quamuis re vera habilis ſit ad transferendum. Secundo defectum conſenſus, nam ille, qui certo putat adeſſe impedimentum dirimens certo nouit ſibi impoſſibile eſſe illud matrimonium, adeoque efficacitèr non poteſt in illud conſentire cum nemo appetat id, quod ſibi impoſſibile cognoſcit. Tertio, errorem in ſubſtantia, ſeù in valore matrimonij, cum alter cognoſcat ſibi competere non poſſe ius ad transferendum in alterum poteſtatem in proprium corpus. Sed ad hæc omnia reſpondet, & quidem ad textum *in d. l. is, qui putat*, aſſerit in hypotheſi illius textus opinionem præferri veritati, quià ad eum actum eſt neceſſarium agentem ſcire, ex qua cauſa, & quo iure actum illum exerceat; hoc autem ad matrimonium non videtur requiri, cum tota ipſius validitas ſuppoſito legitimo conſenſu non à voluntate contrahentis dependeat, ſed ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici, quæ irritat, ſi illud impedimentum adſit, non irritat, ſi non adſit. Ad ſecundum aſſerit voluntatem quidem per conſenſum non poſſe ferri abſolutè in impoſſibile, benè tamen ſub conditione, & ad hoc ſufficit, ſi matrimonium illud intendat, in quantum poteſt. Ad tertium tandem aſſerit errorem circa valorem matrimonij illud non irritare, dummodò illud ineat animo contrahendi, quià tunc vires ſumit à conſenſu, quem præſtat, nec illa apprehenſio inualiditatis, apta eſt ad illud irritandum, ſicuti apprehenſio, quod baptiſmus non teneat, non irritat collationem eiuſdem baptiſmi. His ſic confutatis procedit ad probationem propriæ ſententiæ hoc pacto. Tota, & adæquata ratio, ob quam illud matrimonium non ſubſiſteret, ea eſt quià cum illa certa credulitate, & apprehenſione impedimenti dirimentis non poteſt ſubſiſtere conſenſus ad matrimonium, cum conſenſus efficax non poſſit eſſe ad obiectum apprehenſum, vt impoſſibile, enim vero vtpotè actus voluntatis debeat dirigi ab obiecto, vt apprehenſo

2 Sententia aſſerens matrimonium illud ſubſiſtere.

3 Fundamenta oppoſita tali ſententiæ.

4 Rationes euincentes talem ſententiam.

per

Digitized by Google

per intellectum; ſed hæc ratio nullo modo poteſt ſubſiſtere, quod varijs rationibus, & paritatibus probat; & primo, ſi contrahantur ſponſalia inualidè ratione conſanguinitatis exiſtentis inter contrahentes accedente conſenſu ad eadem ſponſalia oritur iuſtitia publicæ honeſtatis, ergò poteſt eſse conſenſus cum apprehenſione impedimenti dirimentis, quamvis hoc re vera non exiſtat, ergò illo re vera non exiſtente, quamuis apprehendatur exiſtere, poterit eſse validum matrimonium, hocque deducit *ex c. 1 de ſponſalibus in 6.* Secundò ex eo, quod habetur *in clemen. vnica de conſanguinitate*, vbi excommunicantur contrahentes in gradu prohibito; hæc autem excommunicatio non poteſt eſse ſine conſenſu, ergò ſupponitur poſse eſse conſenſus cum apprehenſione impedimenti dirimentis. Tertio, ſi quis credat baptiſmum eſse rem irriſoriam, & nihilominus illum ſuſcipiat, ſeù alteri conferat, & intentione efficiendi, id, quod facit, & intendit Eccleſia validè confert, & recipit, ergo cum apprehenſione, ſeù errore effectus impoſſibilis poteſt eſse conſenſus. Quibus ſuppoſitis vniuerſam ſuam rationem in hoc reſtringit argumento. Suppoſita habilitate contrahentium, & ſufficienti conſenſu ad contractum non eſt, cur ille contractus, ſi ineatur, non debeat ſubſiſtere, ſed in hac hypotheſi, de qua loquimur, ſupponitur eſse, vel eſse poſse conſenſus etiam cum apprehenſione erronea obiecti impoſſibilis, & re vera contrahentes ſunt habiles ſecundum ſe ad contrahendum, ergò &c. Coaruuiæ adhærent *Gloſa in c. cum in Apoſtolica verb. remanere de ſponſal. Roſella verb. impedimentum impedimento 12. in fin. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 9. in fin. Bartolomeus à Ledeſma de matrimon. dub. 12. concl. 3. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 55. art. 9. dub. 2 Sanchez de matrimon. lib 2. diſp. 33. n. 2. Bonacina de matrimon. q. 2. punct. 9. nu 8.*

5 Contraria ſententia aſtruens non ſubſiſtere.

Ex aduerſo *Vincentius c. cum in Apoſtolica de ſponſalib.*, *& ibi Ioannes Andreas num. 9. Ancharanus n. 5. Abbas n. 6. Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 5. concl. 3. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c. 47. vbi de impediment. conditionis, Coninchus diſp. 24. dub. 6.* tenent non ſubſiſtere, qui mouentur eiſdem fere rationibus, quas nu. præced. retulit, & impugnauit Coaruuias; quibus hanc vnam ego adderem, quià conſenſus eſt talis, qualis eſt apprehenſio obiecti, per quam voluntati idem obiectum proponitur, ergò cum apprehenſio ſit de obiecto impoſſibili conſenſus ad illud non poterit eſse efficax, cum reguletur ad normam apprehenſionis. Quid igitur hac in re concludendum?

Reſpondeo iuxta dicta *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. 1. Diſq. II §. 6. à n. 2. ad quintum*, cum diſtinctione; vel enim ille, qui falſo credit ſubeſse impedimentum dirimens abſolutè contraxit cum illa credulitate, & ſic non tenet matrimonium, ſi fuerit error facti, & ſcientia iuris irritantis; vel contraxit matrimonium ſub conditione, ſi non ſit impedimentum, quamuis ipſe falſo putet ineſse, & tunc re vera tenet matrimonium. Recole ea, quæ dicta ibi ſunt, non enim vacat in his immorari ea repetendo. Dixi, *ſi fuerit error facti, & ſcientia iuris*, quatenus ſcilicet falſo exiſtiment adeſse impedimentum dirimens, quod re vera non adeſt, & certo ſciant extante illo impedimento ius irritare; ſi enim errarent in facto exiſtimantes adeſse impedimentum, quod non adeſt, & etiam in iure, quatenus neſcirent ius exiſtente illo impedimento contractum irritare, tunc certè non eſset, quin ille contractus ſubſiſteret, quandò quidem tunc non apprehenderetur impoſſibilitas, & ſic conſenſus ferretur in obiectum poſſibile, & in ſe, & in apprehenſione. Rationes adductæ *d. tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. Diſq. II. §. 6. à n. 2. ad 5.*, vtramque partem reſponſionis concludentèr euincunt, quare ad ibi dicta vos remitto.

6 Si falſo credens ille adeſſe impedimentũ contrahat abſolutè cum illa credulitate contractus non tenet

7 Si contrahat ſub conditione tenet.

Solum hic remanent rationes, quæ à Coaruuia, & alijs pro ſua opinione adducuntur, diſsoluendæ, quæ tamen ſi rectè perpendantur procedunt iuxta noſtrum ſenſum, quandò ſcilicet præſtatur conſenſus ad illum contractum ſub conditione. Quatenus verò aſserantur procedere abſolutè, dicendum eſt, & quidem ad primam deſumptam *ex c. primo de ſponſalib. in 6.* illam rationem nullam vim prorſus habere in præſenti ſtatu poſt concilium Trident., quod *ſeſſ 24 c. 3.* decreuit ſponſalia irrita, vel ex inhabilitate contrahentis, vel ex alio quocunque defectu de iure irritante contractum non parere effectum, ſeù impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, prout docent *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 55. art. 4. dub. 1. Manuel 2. tom. ſumma 2. edit. cap. 234*; Ad ſecundam dicendum eſt contrahentes in gradu prohibito ibi excommunicari non quià efficacem conſenſum præbuerint ad contractum, ſed quià contra iura prohibentia auſi ſunt attentare illum contractum, & in pœnam attentationis. Ad tertiam dicendum eſt diſparem eſse rationem de conferente baptiſmum cum intentione, & errore, quod ille ſit quid illuſorium, dummodò tamen intentionem habeat id efficiendi, quod intendit Eccleſia, quia tota vis baptiſmi dependet à Deo, nec vim accipit quoad effectum cauſandi ſuum valorem ab intentione miniſtri; tota tamen vis contractus matrimonialis dependet ab intentione, & conſenſu con-

8 Soluuntur rationes aduerſæ.

Digitized by Google

contrahentium, cum in illo conſiſtat vis ſubſtantialis formę contractus. Quamobrē vno verbo ad rationem ſubſtantialem, & fundamentalem Coaruuiæ aſſero cum obiecto appręhenſo, vt impoſſibili non repugnare quidem cōſenſum inefficacem, benè autem efficacem requiſitum ad validitatem contractus.

---

## §. IX.

### An conditio ſeruilis in altero contrahente ſuperueniens matrimonio illud irritet.

*SVMMARIVM.*

*Sententia aſſerens liberum non poſſe ſe ipſum vendere inuito altero coniuge.* 1.
*Sententia aſſerens maritum poſſe ſe ipſum vendere etiam non conſentiente vxore.* 2.
*Peccaret tamen maritus ſe ipſum vendendo non tamen contra iuſtitiam.* 3.
*Suppoſito, quod maritus ſe ipſum venderet factum diſputabile proponitur.* 4.
*Si maritus ſe vendiderit inuita vxore non diſſoluitur matrimonium, nec ius oritur diſſoluendi.* 5.
*Vxor ex illa venditione non acquirit ius ad diuortium.* 6.
*Mulier ſi commode poteſt, tenetur virum venditum ſequi.* 7.

DISQVISITIO IX. Maxima eſt controuerſia inter DD, an liber, qui cum libera, ſeu ingenua contraxit matrimonium, poſſit poſt illud contractum ſe
1 Sententia aſſerens liberum non poſſe ſe ipſũ vendere inuito altero coniuge
venundare, circa quam eos diuiſos inuenio. Nonnulli argumento deducto *ex c. penul. 29. q. 2.* aſſerunt non integrum eſſe marito ſe venundare, & quia talis venditio eſſet in præiuditium debiti coniugalis, ad quod maritus ex debito iuſtitiæ tenetur, & quia vxor inuito viro non poteſt ſe ipſam vendere, quod idem videtur dicendum de viro reſpectu vxoris, cum in cauſis matrimonialibus ſint pares. Alij vero communius aſſerunt maritum valide ſe poſſe venundare *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica*
2 Sententia aſſerens maritum poſſe ſe ipſum vendere etiam nō conſentiente vxore.
*art. 3. in corpore, & ibi D. Bonauentura in expoſitione lit. num. 5. Riccardus art. 5. q. 1. in corpore Aſtenſis in ſumma ſecunda part. lib. 8 tit. 15. art 3. q. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 3. §. 1. Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3. concl. vnica Henriquez. lib. 11 de matrimon. c. 10. num. 5.*, quibus ſiſtendo in iure communi adhærendum cenſeo ea motus ratione, qua mouetur *D. Thomas loco cit.*, quia ſcilicet vir non ſubditur vxori, niſi quoad ea, quæ reſpiciunt debitum coniugale, nam in reliquis eſt ſui iuris, cum ipſe ſit caput eiuſdem vxoris, & familiæ, ſed ſe venundando nullum infert præiuditium vxori quoad debitum coniugale; tenetur enim eidem reddere, nec ei, cui venditus eſt, liberum eſt impedire talem vſum, cum ius vxoris ad illum ſit pręcedens ad venditionem, quę propterea eidem non poteſt obeſſe, ergo &c. Verum tamen eſt, 3 Peccaret tamen maritus ſe ipſum vēdendo, non tamen cōtra iuſtitiam.
quod ſe venundando inuita, ſeu non conſentiente vxore grauiter peccaret, quia talis venditio cederet in graue dedecus, & iniuriam eiuſdem vxoris; non tamen eſſet peccatum contra iuſtitiam, quia vteretur iure ſuo ſine præiuditio vxoris; Nec valent, quæ ex aduerſo afferebantur, quandoquidem textus *in illo c. penult. 29. q. 3.* ſolum innuit, quod illa venditio non poſſit præiudicare vxori, quatenus illa ſit dimittenda, quod potius firmat noſtrum aſſertum, quam minuat; nec currit paritas de vxore ſe ipſam vendente, quandoquidem ipſa ſubditur viro non ſolum quoad redditionem debiti coniugalis, ſed etiam quoad reliqua omnia, quæ ſpectant ad adminiſtrationem familiæ, in quibus lęderet ius mariti, ſi ſe ipſam venundaret *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. ad tertium Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 15. art. 3. q. 3. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 52. art 2. in primo argumento.*

Suppoſito igitur, quod maritus ſe ipſum venundaret inconſulta quinimmo inuita vxore oritur hic difficultas primo, 4 Facti ſuppoſitione, quod maritus ſe ipſũ venderet factum diſputabile.
an vxor ex illa ſeruitute mariti ſuperuenienti poſſit matrimonium diſſoluere, & ad alias nuptias tranſire. Secundo, an ex ſuppoſitione, quod non poſſit diſſoluere, poſſit tamen petere diuortium. Tertio ex ſuppoſitione, quod non poſſit petere diuortium, teneatur ſequi maritum, ſi per Dominum alio vendendum mitteretur.

Reſpondeo primo ex eo, quod maritus 5 Si maritus ſe vendiderit non ſoluitur matrimonium, nec ius oritur illud diſſoluēdi.
ſe vendiderit inconſulta, quinimmo inuita vxore, non oritur ius ad diſſoluendum idem matrimonium, nec de facto diſſoluitur, nec poteſt eadem vxor libera viuente illo, ſeu marito venundato ad alias nuptias tranſire. In hanc reſponſionem conſentiunt omnes quos viderim *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. in corpore. Supplementum ſumma Piſana verb. ſeruus num. vlt. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 2. in fin. Vinaldus candelab. ſacrament. prima part. de matrim num* 121. Ratio deducitur ex eo, quod matrimonium ſit indiſſolubile humana poteſtate, nec vetitum ſit ſub iure nullitatis marito ſe vendere, ergo ex venditione ſui non ſequitur, quod vinculum matrimonij diſſoluatur. Accedit primo, quod in reliquis impedimenta ſuperuenientia matrimonio non dirimunt matrimonium ipſũ, ergo nec &c. Accedit ſecundo textus *in c. penult. 29. q. 2.*, quod eſt ex concil. Tiburienſi, vbi dicitur *Iudicatum*

Digitized by Google

*dicatum eſt uxorem minimè debere dimitti*, & licet ibi dicatur *filijs procreatis* aſſerit tamen ibidem *Turrecremata art. 13. num. 4.* nihil ad rem referre filios procreatos eſſe, quia idem eſt ijs non exiſtentibus.

6 Vxor ex illa venditione non acquirit ius ad diuortium.

Reſpondeo ſecundo; nec etiam vxor ex eo capite precisè poteſt petere diuortium *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 23. num. 5.*, quod etiam intellige ſi in fraudem vxoris ſe vendiderit, aduerſus *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 10. num. 5. Petrum de Ledeſma de matrimon. q. 52. art. 3. in correl.* Ratio ex eo deducitur, quia inter cauſas diuortij in iure non numeratur, niſi adulterium corporale, vel ſpirituale, timor damni notabilis ob ſęuitiam mariti, aut morbus contagioſus, aut aliquid inducens ad peccatum, non autem venditio viri facta de ſe ipſo, cum in hoc, quantum ſpectat ad iuſtitiam, ſit ſui iuris, & ſe vendendo vtitur iure ſuo, ergo &c.

7 Vxor tenetur virum venditum ſequi, ſi cómode poteſt.

Reſpondeo tertio, quod, ſi vxor poſſit maritum commode ſequi, teneatur eum venditum, & ad alium locum tranſmiſſum comitari *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 23. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia per venditionem ſui ipſius preciſe vir quoad debitum coniugale non maius ius tranſtulit in Dominum, quam haberet in ſe ipſo ratione ſuę libertatis, ſed pro tempore ſuę libertatis poterat aliunde commigrare, & vxor, ſi commodè poteſt, tenetur eum comitari, ergo ratione dominij acquiſiti poterit eundem ſeruum alio venundare, illucque transferre, & vxor ſi commodè poteſt, tenebitur eum comitari; Neque dicas, quod ratione dedecoris, & iniurię ſibi illatę per venditionem poſſit ſe ſubtrahere ab illius conſortio; contra enim impugnaberis, quia ſicuti ratione talis dedecoris, & iniurię non poteſt diuertere per diuortium à thoro, & cohabitatione mariti, qui ſe ipſum vendidit, ita nec poteſt ſe ab illo comitando ſubtrahere.

## §. X.

### An vxor conſentiens venditioni mariti ſe ipſam inducat in ſeruitutem.

*SVMMARIVM.*

*Refertur facti ſeries in caſu particulari.* 1.
*Rationes ſuadentes ſic conſentiendo ſe ipſam redigere in ſeruitutem.* 2.
*Ex eo, quod vxor conſentiat venditioni mariti, non ſit ſerua eius, cuius ſit ſeruus maritus.* 3.
*Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitum.* 4.

Disqvisitio X. Contracto matrimonio inter Seium, & Caiam idem Seius ad ſubterfugiendum aliqua incommoda, & ad conſulendum egeſtatibus, quibus premebatur ſe ipſum vendere ſategit Sempronio; Per expreſſum ſuum conſenſum annuit Caia venditioni mariti. Hic orta fuit controuerſia, an per illum conſenſum Caia facta fuerit ſerua illius, cuius per venditionem factus eſt ſeruus Seius. 1 Refertur facti ſeries in caſu particulari.

2 Rationes ſuadentes ſic conſentiendo ſe redigere in ſeruitutem.

Ratio dubitandi ex eo deſumitur, quia vxor eſt ſub poteſtate viri in omnibus, quæ pertinent ad regimen familiæ, & ſolum eſt exempta in ordine ad debitum coniugale exigendum, in qua ratione eſt æqualis viro, ergo ex eo, quod eadem vxor conſentiat in venditionem mariti, videtur conſentire, vt transferat omnia ſua iura in Dominum, quæ ipſe habet, adeoque etiam iura, quæ habet in eandem vxorem, ſicque Dominus acquirit ius in opera, & miniſteria, præciſo debito coniugali, quæ habebat ante mancipationem idem maritus, ſicque conſtituitur ancilla eiuſdem Domini. Accedit, quod quoad ſeruitutem filij ſequuntur conditionem Matris, adeo, vt ſi mater ancilla ſit filij ſint ſerui eius, cuius mater eſt ancilla per textum *in c. fin. de ſeru. non ordin.*, *&* *l. partum 7. C. de rei vendicat.*, *&* *§. penult. Inſtit. de iur. perſ.*, *&* *§ ſed, & ſi quis Inſtit. de ingenuis*, & colligitur expreſſe *ex c. 21 Exodi*, vbi ſic legitur. *Si Dominus dederit ancillam ſuam alicui in vxorem, & pepererit filios, & filias, mulier, & liberi eius erunt Domini ſui*, ergo ſi vxor conſenſerit in venditionem mariti ſui, & ipſa fiet ancilla eius, cuius maritus ſit ſeruus per venditionem, in quam illa conſenſit. Conſequentia probatur, quia non minus eſt ſubdita vxor marito, quam filius matri, & ſicuti filius eſt pars certior matris, ita, & mulier eſt vna caro cum marito. Nihilominus.

3 Per conſenſum venditioni mariti non fit ſerua.

Reſpondeo ex eo, quod vxor conſentiat in venditionem mariti, non propterea ſit ancilla eius, cuius ſit ſeruus maritus per venditionem *Gloſa c. vltimo verb. ſecundum ſecularem 29. q. 2.*, *&* *ibi Turrecremata art. 3. num. 4. Paludanus in 4. diſt. 36. q. 1. art. 3. concl. 4. num. 20.*, *&* *ibi ſupplementum Gabriellis art. 3. dub. 4. ad fin. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 15. art 3. q. 2. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 3. §. 1. Sotus in 4 diſt. 35. q. vnica art. 3. ad ſecundum, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 23. num. 7.* Ratio huius reſponſionis ex eo deducitur, quia quoad humana commertia vir eſt independens à poteſtate vxoris, & ſolum illi quodamodo ſubeſt quoad debitum coniugale, ergo conſentiendo ipſius viri venditioni ad ſummum conſentit quoad ea, quæ ſui iuris ſunt, adeoq; ſolum in hoc, quod reſpicit debitum coniugale ſibi à marito præſtan-



Digitized by Google

Vir in ordine ad humana commertia eſt independens à poteſtate vxoris.

dum, & ſic in hoc ad ſummum per illum conſenſum videtur ſibi præiudicium inferre, ſed ex eo, quod cedat iuri ſuo in ordine ad petitionem matrimonij per conſenſum præſtitum venditioni mariti ad ſummum conſtituitur obnoxia Domino, cui maritus fit ſeruus in eo, quod propter debitum coniugale non poſſit impedire obſequia per eundem maritum præſtanda ipſi Domino, non autem proprie eiuſdem Domini addicta ſeruituti, ergo &c. ſubſumpta minor probatur. Quis enim diceret, quod ex eo, quod mulier pro certo tempore non poſſit exigere debitum à marito conſtituatur ſerua eius, cuius maritus eſt ſeruus, ergo &c. Confirmatur ex eo, quod maritus factus fuerit ſeruus iure captiuitatis in bello, non propterea vxor ſi libere ſe transferat in locum, vbi maritus detinetur, vt ſeruus, conſtituitur ancilla eius, cuius maritus eſt ſeruus, ergo etiam ex eo, quod maritus conſtituatur ſeruus titulo venditionis, cui conſentiat vxor, non propterea ipſa vxor conſtituitur ſerua eius, cuius maritus fit ſeruus. Confirmatur ſecundo, quia mulier per talem conſenſum, quem præſtat venditioni mariti, ad ſummum exemit ipſum maritum ab onere, quo premebatur reddendi eidem vxori debitum pro illo tempore, quo erat addictus obſequijs Domini, ſed eximendo maritum à tali onere non conſtituit ſe ipſam ſeruam, vt per ſe patet, ergo &c.

4 Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitũ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur in ratione dubitandi, dicendum eſt, & quidem ad primam libenter admitto vxorem eſſe ſubditam viro quoad ea, quæ pertinent ad regimen, & gubernationem familiæ; nego tamen, quod ex eo, quod conſentiat venditioni mariti transferat omnia iura, quæ habebat maritus in ipſam, in Dominum, cuius maritus fit ſeruus, quod non ſolum ex eo euinco, quod vxor eſt quidem ſubdita marito in eo, quod teneatur ad nutum eiuſdem mariti gerere curam familiæ, ſuaque obſequia impendere in eiuſdem familiæ fauorem, & vtilitatem, non verò in eo, quod poſſit per eundem maritum transferri in alterius obſequia, ſed etiam ex eo, quod conſenſus vxoris eo dumtaxat tendat, vt concedat facultatẽ quoad ea, quæ ſui iuris ſunt, vt maritus ſe transferat in poteſtatem Domini, quod non infert abdicationem vxoris in Dominum, cuius maritus fit ſeruus.

Vxor non eſt fructus mariti.

Ad ſecundam non currit paritas, quandoquidem fructus accedunt arbori, vel ſolo, cuius ſunt fructus, & propterea cedunt Domino, cuius eſt arbor, & ſolum, ſicque filij cum ſint fructus matris accedunt ei, cuius eſt mater, ſicque Domino matris, quod non militat in vxore reſpectu mariti, cum vxor non ſit fructus mariti, ſed ſocia.

## §. XI.

### An ſi vxor conſenſerit venditioni mariti ſit ipſa præferenda in vſu coniugali obſequijs Domini, an è contra.

*SVMMARIVM.*

*Elucidatur factum in terminis particularibus.* 1.

*Dominus propter propria obſequia non poteſt abſolute impedire ſeruum à debito coniugali.* 2.

*Nec debitum coniugale poteſt abſolute impedire ſeruum ab obſequijs Domini.* 3.

*Vrgente maiori neceſſitate pro debito coniugali, quam pro obſequijs Domini, tam Domino, quam coniuge pro eodem tempore exigente præferedum eſt debitum coniugale.* 4.

*Vrgente maiori neceſſitate pro obſequijs Domini, hæc præferenda ſunt. Ibid.*

*Vrgente æquali neceſſitate pro vtroq; debitum coniugale eſt præferendum. Ibid.*

*Quandonam in particulari ſit præferendum debitum coniugale.* 5.

*Quandonam è contra ſint præferenda obſequia Domini. Ibid.*

*Etiam ſi vterq; coniux fuerit ſeruus in æquali neceſſitate eſt præferendum debitum coniugale.* 6.

Disqvisitio. Iuxta terminos præcedentis paragraphi Caia conſenſit venditioni Seij ſui legitimi mariti in Sempronium factæ, ratione cuius conſenſus diximus, quod quodamodo ceſſerit iuri ſuo in ordine ad petitionem debiti, & aliqualitèr ad vſum coniugalem. Hic oritur controuerſia, an ratione talis ceſſionis præſtitæ per illum conſenſum (ſuppono enim non abſolutè ceſſiſſe) in concurſu obſequiorum per maritum Domino præſtandorum cum petitione vxoris debitĩ coniugalis ſit præferenda ipſa vxor in redditione talis debiti obſequijs Domini, an vero Dominus quoad ſua obſequia petitioni eiuſdem mulieris. 1

1 Elucidatur factum in terminis particularibus.

Suppono ex alibi dictis, non poſſe Dominum ita ſeruum diſtrahere, vt impediatur magis, quam par ſit, ad reddendum debitum vxori, ſiue matrimonium fuerit initum ignorante eodem Domino, & inuito, ſiue eodem conſentiente, vt ſentire videntur *D. Bonauentura in 4. diſt. 36. in expoſitione litteræ num. 6., & ibi Riccardus art. 4. q. 2. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 4. num. 15. Silueſter verb. ſeruitus q. 7.* quandoquidem ius vxoris ad debitum coniugale, quando ſeruitus ſuperuenit matri- 2

2 Nõ poteſt abſolute, ſeu magis, quam par ſit, impedire ſeruos à debito coniugali.

Digitized by Google

matrimonio iam inito non ſolum eſt anterius quoad poſſeſſionem actu apprehenſam in corpus coniugis, ſed etiam quoad ſuam primæuam originem, ex qua principium traxit, vireſque aſſumpſit ex iure naturali primæuo, quod vnuſquiſque habet ad poteſtatem ſui corporis tradendam per matrimonium, quodque prius eſt illo, quo aliqui in ſeruitutem redacti ſunt, cum ius naturæ ſit prius iuri gentium, & cuicunque poſitiuo.

3 Nec debitum coniugale poteſt abſolutè impedire ſeruū ab obſequijs Domini.

Suppono ſecundò, quod quantumvis ius matrimonij in ordine ad debitum coniugale ſit anterius, non propterea poſſit indiferentèr impedire obſequia domino præſtanda ratione dominij ſuperuenientis, quod acquirit aduerſus ſeruum, prout colligitur *ex c. 1. de coniug. ſeru.*, vbi dicitur. *Debita tamen, & conſueta ſeruitia non minus debent proprijs dominis exhibere.* Difficultas igitur tantum in eo conſiſtit, an quando pro eodem tempore Dominus exigit obſequium ſibi præſtandum per ſeruum, & vxor petit debitum coniugale, adeo vt vtrumque nequeat ſimul compati, teneatur ſeruus potius Domino mandanti, quam vxori exigenti debitum inſeruire; & quidem in præſenti hypotheſi fortius viget ratio pro parte aſſerente Dominum præferendum eſſe, quià ſcilicet vxor conſentiendo tali venditioni videtur ceſſiſſe iuri ſuo in ordine ad exigendum debitum. Quid ergo ſentiendum?

4 Iuxta maiorem, vel minorem neceſſitatem ſunt modo præferenda obſequia Domini modo debitum coniugale.

Reſpondeo non obſtante tali conſenſu præſtito per vxorem venditioni mariti ſecundum varias circunſtantias quandoque præferendum eſſe Dominum quoad ſua obſequia, quandoque vxorem quoad debitum coniugale; vbi vero circunſtantiæ eſſent æquales pro vtraque parte probabilius eſt præferendam eſſe vxorem. Prima pars eſt *D. Thomæ in 4. diſt. 36. q. vnica art. 2. ad tertium, & ibi D. Bonauentura art. 1. q. 1. ad vltimum, Antonij c. 1. nu. 10. de coniug. ſeru. Maior. in 4. diſt. 30 q. 1. ad fin. verſ. ad ſecundam partem dubij, Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 15. art. 2. q. 3. Palatios in 4. diſt. 30. diſp. vnica col. 10. dub. 6.* Secunda pars eſt *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 21. num. 15. in fin.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia concurrentibus pluribus pro eodem tempore, ad quæ quis obligatur ex iuſtitia, quæque ſimul non poteſt exequi, ea graduatio ſeruanda eſt, vt prius illius munus, ſeù debitum exequatur, cuius maior vrget neceſſitas; hoc enim ratio, & æquitas poſtulat, nec poteſt quis eſſe rationabilitèr inuitus, quod opus alterius præferatur, quando ſibi graue damnum non imminet, quod grauiſſimum alteri immineret, ſi illius opus non exequeretur; coniugium etenim non eſt tale, quod tollat ius ſeruitutis erga dominum: nec ſeruitutis eſt talis, vt demat ius coniugij, ergò concurrentibus circunſtantijs, quæ grauiorem inferant neceſſitatem pro redditione debiti erga coniugem erit adimplendum ius coniugij; concurrentibus verò circunſtantijs grauioribus pro obſequijs Domini eadem obſequia erunt adimplenda; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ius ad coniugale debitum proueniat ex fortiori vinculo naturæ, ius verò ad obſequia ratione ſeruitutis non niſi à iure gentium; ius autem naturæ præualet cuicunque iure gentium; Non, inquam obeſſe poteſt, quià, licet ius ad debitum coniugale proueniat à iure naturæ, non eſt tamen tale, vt obliget ad vſum pro quocunque tempore, ſed ſecundum debitos rationis limites; hoc autem prætergrederetur volens ſibi ſatisfieri poſtpoſita grauiori alterius neceſſitate.

Ius coniugij non tollit debitum ſeruitutis, nec ſeruitus ius coniugij.

5 Quandonam in particulari ſit præferendum debitum coniugale.

Hinc in particulari deduces primo, quod ſi immineat periculum incontinentiæ in altero coniuge, aut damnum petenti coniugi ex dilatione impendat teneatur prius coniugi petenti reddere. Secundò, quod eidem coniugi petenti teneatur prius reddere, ſi hoc exigat ſalus corporalis, cui non poſſit occurri, niſi per talem redditionem. Tertio è conuerſo, quod prius ſint adimplenda obſequia in fauorem Domini, ſi ex mora eadem adimplendi ob reddendum debitum coniugale coniugi redundaret graue damnum, ſeù detrimentum Domino in ſuis negotijs obeundis. Hæc tamen omnia intelligenda ſunt cum quadam moderatione, & prudenti dictamine; ſicuti enim ius matrimonij quomodocunque accepti etiā in libero non impedit, quominus maritus ad ſua negotia temporalia poſſit ad aliquod tempus à coniuge abeſſe, ita nec poteſt impedire, quin ad obeunda ſua negotia, vbi periculum incontinentiæ non vigeat, poſſit Dominus eundem diſtrahere ad modicum tempus, & è conuerſo ſicuti Dominus ratione dominij non poteſt impedire pro ſuo libero vſum matrimonij, ita nec talia imponere, ex quibus regularitèr vſus illius matrimonij impediatur.

Quandonam obſequia Domini.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià ius matrimonij in hac ſuppoſitione non ſolum eſt anterius quoad poſſeſſionem actu apprehenſam in corpus alterius coniugis, ſed etiam quoad ſuam primæuam originem, quæ ortum trahit à iure naturæ, ergo cæteris paribus tale ius præferendum eſt relatiuè ad ius dominij, quod habetur in Domino, quod poſterius eſt, & tempore, & iure, cum non ſit, niſi de iure gentium.

Ius coniugij eſt anterius quoad primæuam originem.

Dices in præſenti hypotheſi ea, quæ concurrunt ex parte coniugis, & ea, quæ concurrunt ex parte Domini non poſſe eſſe paria, cum coniux conſentiendo venditioni mariti ceſſerit iuri ſuæ anterioritatis, & per conſequens iuri prælationis, ergò præferendus eſt Dominus in ordine ad obſequia ſibi præſtanda per ſeruum. Sed contra primo,

Conſenſus fæminæ ad venditionem mariti quid operetur.

mo, quià ille conſenſus, quem præſtitit vxor venditioni mariti non refertur abſolutè ad negationem proprij iuris ad exigendum debitum, ſed ſolummodò ad hoc, vt maritus per talem venditionem poſset ſe obligare ad obſequendum Domino, cui ſe vendidit etiam cum hoc onere, vt vrgente grauiori neceſſitate Domini teneretur potius eidem obſequi, quam ſibi reddere debitum, & vt Dominus poſset in ordine ad ſua negotia abeunda ſeruum diſtrahere ſecundum debitos rationis limites; cum quo tamen ſtat, vt vrgente pari neceſſitate teneatur maritus potius eidem coniugi inſeruire, quam Domino; nam ceſſio intelligitur ſolummodò in ordine ad debita, & conſueta obſequia, non autem quando concurrit aliqua neceſſitas etiam reſpectu vxoris, nam ſemper debet præſumi facta cum animo, vt minus, quam par ſit, lædat ius coniugis cedentis; vndè illa ceſſio reſpexit quidem vtilitatem Domini ementis maritum, ſed ſemper cum moderamine, & cum relatione ad ius fæminæ anterioris de iure naturæ. Secundò, quià dato etiam, quod vxor non ſolum annueret venditioni mariti, ſed etiam ſe ipſam traderet in ſeruitutem eidem Domino, non propterea poſset Dominus vrgente æquali neceſſitate eorundem coniugum impedire vſum coniugij, vt ſibi per debita obſequia obſeruirent, quià ius coniugum quoad primæuam originem potius eſt, & anterius ad ius domini ratione dominij acquiſiti, ergò ex eo, quod præcisè annuerit venditioni mariti non poterit vrgente æquali neceſſitate impedire vſum coniugij, vt ſibi præſtent obſequia. Conſequentia tenet, quià maius ius acquirit Dominus ex eo, quod vxor non ſolum conſentiat venditioni mariti, ſed etiam ſe ipſam eidem tradat in ſeruitutem, quam ex eo, quod præcisè vxor aſsentiatur venditioni mariti. Tertiò, quià contracto matrimonio inter Seium, & Caiam poſt vinculum ſeruitutis, ſiuè conſentiente, ſiuè renuente Domino in pari cauſa neceſſitatis præferendum eſt ius matrimonij quoad ſolutionem debiti coniugalis iuri Domini quoad obſequia ſibi præſtanda, vt latè probat *Sanchez d. lib 7. diſp.21. n.15.*, ergò contracto prius matrimonio, & poſtea marito tradito in ſeruitutem conſentiente vxore in pari cauſa neceſſitatis præferendus erit vſus coniugij obſequijs Domini. Antecedens probatur ex ijs, quæ ſuprà dicebamus, quià ſcilicet ius coniugij quoad ſuam primæuam originem eſt anterius iuri Domini quoad obſequia, & Dominus non ſolum debet cedere coniugi, ſi conſenſerit matrimonio, eo quià conſentiens ceſserit iuri ſuo, & conceſſo principali conceſserit etiam acceſſorium, nempè ius ad vſum per textum *in c. prudentiam de offic. deleg.*, ſed etiam ſi non conſenſerit proptèr anterioritatem primæui

6

Etiam, ſi vterque coniux fuerit ſeruus inæquali neceſſitate eſt præferendum debitum coniugale.

iuris. Conſequentia verò etiam euincitur, quià in caſu eiuſdem conſequentiæ ius coniugis non ſolum eſt anterius quoad primæuam originem, ſed etiam quoad poſseſſionem actu apprehenſam, & ſi non obſtante, quod in caſu antecedentis Dominus non ceſserit iuri ſuo, ex eo, quod fuit inuitus ad illud matrimoniqm non poteſt in paritate impedire vſum coniugij, ita etiam non obſtante, quod vxor conſenſerit venditioni mariti non poterit impedire; tum quià non fuit ceſſio pro caſu neceſſitatis æqualis, ſed ſolummodò pro limitibus congruæ rationis; tum quià ius, quod tranſfert per illum conſenſum in Dominum non eſt maius illo, quod haberet idem Dominus, ſi illa femina æquè, ac maritus eſset ancilla ipſius.

---

## §. XII.

### An filius ſeruorum ſequatur conditionem Patris quoad honores, & nobilitatem.

***SVMMARIVM.***

*Status difficultatis expoſitus.* 1.

*Ratio ſuadens hanc difficultatem eſſe de ſubiecto non ſupponente.* 2.

*Filij, & filiæ ex legitimo matrimonio inter Patrem ſeruum, ſed nobilem, & matrem ancillam, & ignobilem ſequuntur conditionem Patris quoad nobilitatem, & honores.* 3.

*Attenta conſuetudine etiam filij naturales ſeruorum ſequuntur conditionem Patris quoad honores.* 4.

*Difficultas non eſt de ſubiecto non ſupponente, quià ſi ſeruus manumitteretur conſequitur ſuam nobilitatem, quam habet à ſanguine.* num. 5

*Filius conſequitur nobilitatem Patris, ſiuè Pater nobilis fuerit ſeruus, & mater libera, & ignobilis, ſiuè Pater nobilis fuerit liber, & mater ignobilis ancilla.* 6.

DISQVISITIO XII. Contraxerunt adinuicem matrimonium Caius addictus captiuitati, & Calidonia, item ancilla; ille erat ex genere ſuo nobilis, iſta vilis, ſeù ignobilis. Ex hoc matrimonio progeniti ſunt filij, & filiæ, de quibus dubitatum eſt, an nanciſcerentur honores, & nobilitatem Patris, an verò vilitatem, & ignobilitatem matris. 1

Senſus difficultatis expoſitus.

Hæc difficultas ſic in vniuerſum expoſita poteſt ſecundum diuerſas conſiderationes ſortiri varias definitiones; vel enim poteſt procedere ſecundum ſenſum, ſecundum quem illi procedant ex legitimo matrimonio inter ipſos inito; vel ſecundum ſenſum, ſecun-

Triplex ſenſus difficultatis.

Digitized by Google

ſecundum quam ab eiſdem procedant ex illegitimo concubitu; vel ſecundum ſenſum, quo Pater nobilis non ſit ſeruus, ſed liber, & fœmina ignobilis ancilla, ſeu è contra Pater nobilis ſit ſeruus, & vxor ignobilis ancilla, ſeu ſeruituti addicta.

2 Ratio ſuadens hanc difficultatē eſſe de ſubiecto non ſupponente.

Videtur prima fronte præcipuè quoad primum, & ſecundum ſenſum hæc controuerſia eſſe de ſubiecto non ſupponente, quandoquidem ſerui attento iure ciuili pro nihilo reputantur, & nullo in honore habentur, & incapaces ſunt honorum, & dignitatum per textum *in reg. quod attinet ff. de reg. iur. l. Barbarius ff. de offic. Prat., & c. 1. de ſeru. non ordin.*, atque ita ſentiunt *Iaſon. in l. ſi tibi homo §. cum ſeruus num. 2. ff. de leg. 1. Gregorius Lopez part. 4. tit. 5. in princip. verb. de ſu perſona.* Nihilominus.

3 Filij, & filiæ ex legitimo matrimonio ſerui, & ancillæ ſequuntur nobilitatē Patris, & honores.

Reſpondeo primo filios, & filias ex legitimo matrimonio procreatos ex ſeruo nobili, & ancilla ignobili ſequi conditionem patris, quoad nobilitates, & honores. *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 4. in corpore Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 24. num. 1.* Expreſſè colligitur ex textu *in l. cum legitimo ff. de ſtatu hominis*; nec incongruè hoc decernitur, quandoquidem cum partus principalitèr recipiat eſſe à Patre, principaliter etiam conſequitur eas conditiones, quæ cōſtante in idem eſſe, adeoque etiam honores, & nobilitatem præcipuè cum nobilitas ſit quoddam ius ſanguinis incommutabile per textum *in l. ius agnationis ff. de pactis*, & ſanguini dicitur inhærere *l. 3 ff. de interdict., & relegat.*, vbi dicitur. *Quæ vero non à patre, ſed à genere, à ciuitate, e rerum natura tribuuntur munera eis incolumia*, & iura ſanguinis nullo iure ciuili dirimi poſſunt *reg. iure ſanguinis ff. de reg. iuris.*

4 Etiam filij naturales ſeruorum ſequuntur conditionē patris quoad honores, & nobilitatem.

Reſpondeo ſecundo attenta conſuetudine etiam filius naturalis ſeruorum ſequitur conditionem patris quoad nobilitatem *Tiraquel. de nobilit. c. 15. num. 10. Couarruuias 4. decret. part. 2. c. 8. §. 4. Padilla l. naturalis num. 10. ff. de praſcriptis verb. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 24. num. 1.* Ratio ex eodem principio naturali deducitur, quo ſuperior reſponſio, quia ſcilicet etiam filius naturalis principalius recipit eſſe à Patre. Dixi *attenta conſuetudine*; ſi etenim attendamus ius commune ratione illegitimitatis videtur eidem iuri ad nobilitatem derogari, vt docet *Tiraquel de nobilitate c. 15. num. 10.* Dixi quoad Patris nobilitatem, nam quoad honores diſpar omnino videtur ratio, quandoquidem illi non conſurgunt ex iure ſanguinis, nec illi inhærent. *Gregorius Lopez in l. regia 1. tit. 11. part. 7. Auedano in diction. verbo Hijs natural. Perez l. 1. tit. 1. lib. 4. ordin.*

5 Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, ſcilicet controuerſias has eſſe de ſubiecto non ſupponente, dicendum eſt nequaquam eſſe de ſubiecto non ſupponente, quandoquidem licet de iure ciuili inductum ſit, vt ſeruus, qua ſeruus eſt, non gaudeat titulo nobilitatis, hoc tamen non tollit, quod ſi manumittatur non conſequatur eandem nobilitatem, cum ex ſuperius allegatis nobilitas ipſi inhæreat ſanguini, vnde ius ciuile non poteſt eandem dirimere, vt colligitur *ex d. reg. iura ſanguinis ff. de reg. iur.* poteſt tamen ad tempus durante aliquo ſtatu ſuſpendere, ea proportionali ratione, qua notus, & ſpurius à principe legitimatus eo ipſo ſit nobilis, ſine alio nobilitatis priuilegio, vt docent *Palaotus de noth., & ſpur. c. 26. num. 2*, vnde ſi quæ iura, & rationes in contrarium afferantur, intelligenda ſunt quoad obſtaculum ad tempus, non quoad abſolutam extinctionem.

Si ſeruus manumittatur conſequitur ſuā nobilitatē, quā habet à ſanguine

6 Procedit, ſiue Pater nobilis fuerit ſeruus, & fœmina ancilla, ſiue è cōtra.

Reſpondeo tertio, ea quæ dicta ſunt in præcedentibus reſponſionibus intelligenda ſunt quoad nobilitatem, & honores, ſiue Pater nobilis fuerit liber, & mater ancilla, ſiue Mater libera, & Pater nobilis ſeruus. Conueniunt omnes, qui conſentiunt in præcedentibus reſponſionibus. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia ſcilicet nobilitas, & honores ſunt indita iuri ſanguinis, quod eſt incommutabile per allegata iura, & filius principalius naſcitur eſſe à Patre tanquam à principio nobiliori, ſiue is fuerit liber, ſiue ſeruus, ergo filius à Patre procedens conditionem eiuſdem Patris debet conſequi quoad eandem nobilitatem, & honores, vnde ſi manumittatur ius illud nobilitatis, quod erat quodamodo nota ſeruitutis ſopitum, & tectum, reuiuiſcet ad priſtinum decorem; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod ſtatus ſemper nota quadam, & obſcuritate inficiatur, vtpote, qui memoriam priſtinæ ſeruitutis excitat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa obſcuritas & nota eſſet ad ſummum ex iure poſitiuo ciuili, quod potuit ad ſummum ſopire, & tegere ius illud nobilitatis, non autem penitus extinguere, vnde ſoluto per emancipationem, ſeu ſolutione à iure ſeruitutis viro, & eodem filio non video, cur ius ipſum nobilitatis, quod ſanguini adnectitur non debeat reuiuiſcere prout bene notat *Sanchez d. lib. 7. diſp. 24. num. 4.*

§. III

## §. XIII.

**An filij conſequantur conditionem matris quoad ſeruitutem, & libertatem.**

### SVMMARIVM.

*Refertur caſus in ſuis terminis.* 1.

*Ratio ſuadens ſequi conditionem patris.* 2.

*Filij quoad ſeruitutem ſequuntur conditionem matris.* 3.

*Intellige, ſiue filius fuerit ex legitimo matrimonio, ſiue ex illegitimo concubitu.* 4.

*Limita, niſi conſuetudo legitimè præſcripſerit, quod ſequantur conditionem Patris.* 5.

*Aſſignatur ratio, cur quoad honores ſequantur patrem; quoad ſeruitutem vero matrem.* 6.

1 Refertur caſus in ſuis terminis.

DISQVISITIO XIII. Contracto matrimonio inter Seium, & Caiam, quorum alter erat liber, alter ſeruus puta Caia libera, & Seius ſeruus, vel eſt contra ex eodem matrimonio durante in altero ſeruitute progeniti fuerunt filij, & filiæ. Orta fuit controuerſia, an ſi mater fuerit ſerua filij nanciciantur conditionem ſeruilem matris, & ſi libera ſtatum liberum eiuſdem, an vero conditionem patris, adeovt ſi ille fuerit liber, & filij intelligantur liberi, ſi ſeruus, & filij intelligantur ſerui.

2 Ratio ſuadens ſequi conditioné Prioris.

Ex dictis in præcedenti paragrapho videtur dicendum, quod teneantur ſequi conditionem patris; ſi enim ipſum ſequuntur in ea, quæ commodi ſunt, & vtilitatis, etiam ſequi videntur debere in ijs, quæ ſunt incommodi, & hoc quando Pater eſt ſeruus, & ſi ſequitur nobilitatem, cur etiam nō debet ſequi libertatem, cum ab eo principaliter dependeat? & hoc quando eſt liber. Nihilominus.

3 Filij quoad ſeruitutē ſequuntur conditionem matris.

Reſpondeo, quod quoad ſeruitutem filij ſequantur conditionem matris *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 4. in corpore Baldus in l. fin. paulo poſt principium ff. de ſeruis fugit. Salicetus in l. partum in fin. C. de re vendicat. Angelus § ſed ſi quis, qui in fin. Inſtit. de ingen. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 24. num 5. Gutierez de matrimon. c. 93. num. 5. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 3. num. 10., & alij magis communiter.* Rationes plurimas huius reſponſionis afferunt DD. Placet primo inter cæteras ratio *D. Thomæ loc. cit.*, qua aſſerit, quod partus ſecundum leges ciuiles ſequitur ventrem, & hoc rationabiliter, quia proles à matre ſumit ſubſtantiam corporis; ſeruitus autem corporalis conditio eſt, cum ſeruus ſit quaſi inſtrumentum Domini in operando. Placet ſecundo ratio *Baldi in l. final. C. de ſeruis fugit.*, qua aſſerit potiori iure ferri matrem in partum, quam patrem, quandoquidem Pater ſolum concurrit actiuè in genere cauſæ efficientis pro tempore conceptionis; mater vero, & tempore conceptionis, & partus, & medio inter conceptionem, & partum, adeoque congruentius partus debet ſequi conditionem eiuſdem matris. Placet tertio ratio, quam alij deducunt ex eo, quod mater pro tempore grauidationis redditur inepta ad obſequia Dño, & pro tempore partus ſubditur periculo mortis, quam ſi pateretur cederet in graue damnum Dño, ergo congruum eſt, vt Dñus, qui ex cauſa matris patitur illa damna ex cauſa eiuſdem conſequatur illa commoda partus, quæ ſcilicet ex illo prouenire poſſunt. Placet quarto ratio aliorum aſſerentium iura quoad partus reſpexiſſe ea, quæ certiora ſunt; certius autem eſt, quod proles ſit ex matre tali, quam ex patre tali; nec incongruæ rationi innituntur huiuſmodi iura, quandoquidem ſi mater fuerit libera nullum damnum patitur Dominus ſerui ſi proles ſequatur ipſius libertatem, quamvis pater ſit incertus, at graue damnum poſſet pati, ſi proles ſequatur patris incerti libertatem.

Seruitus eſt cōditio corporalis

Rationes euincentes aſſertum.

4 Intellige, ſiue filij fuerint, & legitimo matrimonio, ſiue ex illegitimo concubitu.

Hæc, quæ diximus de filio ſequente conditionem matris quoad ſeruitutem, & libertatem æque verificantur, ſiue proles fuerit ex legitimo matrimonio, ſiue ex illegitimo concubitu, quandoquidem rationes ſupra allegatæ æquam vim habent de vno, ac de alio, & hoc expreſſe habetur *in l., & ſeruorum verſ. ingenui ſunt ff. de ſtatu homin.*, quinimmo in fortioribus terminis quoad prolem illegitimam colligitur *ex c. fin. 32. q. 4*, vbi dicitur. *Si vero qui non ſunt de legitimo matrimonio matrem potius, quam patrem ſequuntur.* Neque ex hoc textu inferas, ergo qui ſunt ex legitimo matrimonio Patrem potius debent ſequi, quam matrem, quod etiam videtur colligi *per leg. l. cum legitima ff. de ſtatu homin.*, vbi dicitur *cum legitimæ nuptiæ factæ ſunt patrem liberi ſequuntur.* Non, inquam hoc inferas, quia ex eo, quod *in d. c. fin. 32. q. 4.*, dicatur, quod illegitimi ſequantur conditionem matris, non bene infertur, quod ſi fuerint legitimi, ſequantur conditionem patris, niſi quoad hunc ſenſum, quod ſequantur, quoad familiam, & agnationem, non autem quoad conditiones ſeruiles, vel liberas: in quo ſenſu etiam explicandus eſt textus *in d. l. cum legitima ff. de ſtatu homin.*

5 Limita niſi cōſuetudo legitimè præſcripſerit, quod ſequatur conditionē Patris

Hæc, quæ diximus intelligenda ſunt attento iure communi, ſi enim alicubi conſuetudo legitimè præſcripſerit, vt filius non matris, ſed Patris etiam quoad libertatem,

tatem, & ſeruitutem conditionem ſequatur, tunc certe talis conſuetudo ſeruanda erit; quandoquidem conſuetudines legitimæ derogare poſſunt cuicunque iuri poſitiuo humano per textum *in c. fin. de conſuetud., & ex c. licet de coniug. ſeruor.* prout etiam late docent *Cardinalis in c. fin. num. unico oppoſit. 2. de ſeruis non ordin. Paludanus in 4. diſt. 36. q. 2. art. 1. num. 12. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 3. in princip. Padilla l. naturalis num. 2. ff. de praeſcript. verb. Lancellotus Inſtit. iuris canon. tit. de nuptijs in lib. 2. ſi quis tamen verb. leges*, & alij magis communiter.

6 Aſſignatur ratio, cur quoad honores ſequantur Patrē, quoad ſeruitutem vero matrem.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt cum D. Thoma in ordine ad honores, & nobilitatem res diuerſimodo procedere, quia nobilitas, & honores ſpectant potius ad formam, quam ad materiam; proles autem habet à patre complementum formale, ſed à matre ſubſtantiā materialē, ſeu corporis, & ſicuti ſeruitus, quia pertinet ad eſſe corporeū tribuitur matri, eiuſque conditionem ſequitur, ita honores, & nobilitas cum pertineat, & conſequatur ad eſſe formæ, ſeu principij formalis debet tribui patri, eiuſque conditionem ſequi. Quamobrem vbique iure clamant, quod filij quoad ſeruitutem, & libertatem ſequantur iura, & conditionem matris, prout expreſſè colligitur *in c. fin. de ſeruis non ordin., & l. partum 7. C. de rei vendic., & Exod. 21.*, & alibi.

---

## §. XIV.

### An proles concepta, vel nata tempore libertatis matris, vel medio tempore inter conceptionem, & natiuitatem, pro quo mater gaudebat libertate, ſit libera, vel ſerua, ſi mater fiat ſerua.

### *SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ expoſitus.* 1.

*Textus, ex quibus deſumitur motiuum diſquiſitionis.* 2.

*Quomodocunque proles, vel concipiatur à matre libera, vel naſcatur pro tempore libertatis matris naſcitur libera, nec ſequitur matrem ſi hac fiat ſerua.* 3.

*Intellige quantum eſt ex vi praeciſe natalium.* 4.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO XIV. Gaudebat Caia libertate, quando prolem concepit, vel forte etiam ſi erat ſerua poſt conceptionem fuit manumiſſa, deinde ante partum fuit in ſeruitutem redacta, vel forte etiam immediate ante partum fuit manumiſſa, ſed immediatè poſt partum facta iterum ancilla. Hic excitata fuit controuerſia, an proles poſtea nata adhuc remaneat ſub ſeruitute, an vero ſit omnino libera.

2 Textus, ex quibuſde. ſumitur motiuum diſquiſitionis.

Occaſionem dederunt huius inquiſitionis textus *in l. 2. C. de liberis, & eorum liberis verſ. filij*, vbi filij quantumvis orti ex matre libera rediguntur in ſeruitutem, ſi eorum Pater in eadem redigatur, & item textus *in l. fin. C. de ſeru. fugit.*, vbi etiam ponitur caſus, in quo filij ex libera nati redacto Patre in ſeruitutem fiunt ſerui ſequentes in hoc conditionem Patris, item id, quod pluribus in iuribus definitur, quod ſcilicet ſi mulier prægnans iure belli fiat ſerua, & proles ab eadem naſcituri fiat mancipium, & ſerua. Nihilominus.

3 Siue proles fuerit concepta, ſiue nata à matre libera non ſequitur conditionē matris, hæc fiat ſerua.

Reſpondeo, prolem, quæ fuit concepta, vel nata à matre libera, vel ante partum inter tempus conceptionis, & natiuitatis extitit in vtero matris, exiſtēte matre libera licet ad modicum tempus, adeo vt poſt conceptionem immediate eadem mater facta fuerit ſerua, vel poſt conceptionem fuerit manumiſſa, & immediate poſt iterum in ſeruitutem redacta &c. naſci omnino liberam, nec ſequi conditionem matris, ſi hæc poſtea facta fuerit ſerua, quantum eſt ex vi natalium *Gloſa in c. fin. verb. deteriorem partem 32. q. 4. Hoſtienſis c. fin. nu. 1. de ſeruis non ordin., & ibi Ioannes Andreas num. 7. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 15. art. 4. q. 1. Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 4. verſ. addis verò, Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 33. ad fin, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 24. num. 10. Henriquez lib. 11. c. 10. Petrus de Ledeſma q. 52. art. 3., & 4. Bonacina de matrimonio q. 3. punct. 3. num. 12. in fin.* Expreſſe habetur per iura definitum *in §. ſed, & ſi quis Inſtit. de ingenuis, & l. , & ſeruorum verſ. ingenui ſunt ff. de ſtatu homin.*, & ratio inde deducitur, quia libertas eſt cauſa maximè fauorabilis, adeoque quantum fieri poteſt amplianda, ergo cum proles ipſa in ſua origine conſecuta fuerit libertatem, cum mater etiam ipſa tunc eſſet libera in eadem eſt manutenenda; nec officit, quod poſtea mater redacta fuerit in ſeruitutem, quia calamitàs matris non poteſt proli in vtero exiſtenti officere.

Libertas eſt cauſa maximè fauorabilis.

Explicatur in particulari quandonam proles naſcatur libera.

Hinc in particulari deduces, quod ſi mulier pro tempore, pro quo iam erat prægnans, vel ſe ipſam vendiderit, vel à Patre fuerit vendita proles poſtea ex eadem nata non conſtituatur ſerua, ſed remaneat libera, & in hoc vim habent iura mox allegata in probatione reſponſionis; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cum proles adhuc in vtero exiſtēs ſit pars viſcerum matris intelligatur eodem iure di-

uendi,

Digitized by Google

uendi, quo diuenditur mater, adeoque tranſire ſub poteſtate Domini, ſub qua conſtituitur mater, vt videtur colligi ex textu *in l. 8. §. 1. ff. de ventre inſpic*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, ſi hæ vera forent, incongruè iura allegata ſtatuiſſent prolem tempore conceptionis, vel poſt conceptionem ante natiuitatem ex matre libera, eſſe liberam, nam tunc etiam computaretur, vt pars viſcerum, & portio matris; quamobrem dicendum eſt, quod, cum verſemur in maxime fauorabilibus ipſe partus, vt conceptus reputetur quoad effectum libertatis conſequendæ, vt iam natus per textum *in l. qui in vtero ff. de ſtatu homin, & l. intelligendus ff. de verb. ſignif.* non ſic in odioſis, ex quo ſequitur, quod cum mater eum non habeat ante natiuiuitatem in ſua poteſtate, non poſſit illum diuendere, vt bene notant *Gloſa in l. 2. verb. vendiderit C. de Patribus, qui filios diſtraxer. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 24. num. 16. Bonacina de matrimonio q. 3. punct. 3. nu. 12. in fin.* E conuerſo deduces, quod ſi mulier fuerit diuendita, antequam prolem conceperit, & poſt venditionem conceperit, proles naſcatur ſerua *Gloſa l 2. verb. vendiderit, & ibi Salicetus num. 6. C. de patribus, qui filios diſtrax.* ſemper enim verificatur, quod originem habuerit ab ancilla formaliter, vt tali, cum antecedenter ad eius conceptionem per venditionem ſe talem conſtituerit.

4 Intellige quantū eſt ex vi præciſe natalium.

Dixi in reſponſione *quantum eſt ex vi natalium, ſeu ſtatus materni*; ſi enim ex alio titulo à iure approbato conſtitueretur proles ſerua, & ſub poteſtate Domini, tunc non renuerem affirmare naſci ſeruam, ſed hoc non obſtaret reſponſioni, quæ tantum procedit ex vi natalium; atq; ex hoc poſſunt diſſolui ea omnia, quę ex allegatis iuribus in contrarium afferebantur. Hinc ad textum *in l. 2. C. de libertis, & eorum liber.* dicendum eſt ea verificari, & quidem prolem ex matre libera pro tempore conceptionis, & fortè etiam natiuitatis fieri ſeruam, ſed hoc non eſt ex vi ſtatus materni, & iure natalium, ſed propter delictum ſummæ ingratitudinis commiſſæ à Patre aduerſus Dominum poſt manumiſſionem, ratione cuius ingratitudinis iterum reuocatur in ſeruitutem ipſe, & filij ſic lege permittente, & diſponente. Ad textum *in l. fin. C. de ſeruis fugit.*, idem ferè dicendum eſt; nam ibi erat ſermo de quodam delicto commiſſo à Patre, cuius filij iam nati erant, & ſic quod filij ſimul cum Patre redigantur in ſeruitutem non eſt ex vi natalium, ſeu ſtatus materni, ſed cum iam nati eſſēt, ex delicto Patris, cuius poſt natiuitatem ſequuntur conditionem ex delicto Patris ſic iure diſponente. Ad illud, quod ſubditur, aſſerendum eſt prolem in vtero conceptam non fieri ſeruam ex vi natalium præcisè, ſeu ſtatus materni, ſed quia iure captiuitatis in bello ſimul cum matre capta eſt, quæ ſicuti vna cum matre beneficium recepit, vt non interimeretur, ita vna cum eadem debuit ſubire damnum captiuitatis.

---

## §. XV.

### Quiſnam filium, ſeu prolem poſſit diuendere.

### SVMMARIVM.

*Facti ſeries in ſuis terminis.* 1.
*Solus Pater ex grauiſſima cauſa poteſt filios vendere.* 2.
*Aſſignatur cauſa reſtrictiuè, ob quam poſſit vendere.* 3.
*Pater vendens filium ſine illa cauſa quomodo dicatur ſanguinolentus.* 4.
*Semper tamen licitum eſt Patri filium venditum redimere.* 5.
*Quonam pretio tunc filius ſit redimendus.* 6.
*Sententia aſſerens filium ſic venditum non conſtitui in rigore ſeruum.* 7.
*Probabilius propriè conſtituitur ſeruus licet ſub ſpe ingenuitatis.* 8.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 9.
*Hoc ius vendendi filium, vel filiam etiam ex illa cauſa non competit matri.* 10.
*Nec auo reſpectu nepotis.* 11.

DISQVISITIO XV. In iure permiſſum eſt Patri ex graui, & legitima cauſa poſſe filium diuendere, & ſeruum titulo venditionis conſtituere. Hic oritur difficultas, an appellatione Patris, qui gaudeat hoc iure, veniat auus in ordine ad Nepotem, & etiam mater in ordine ad filium ex ipſa progenitum. 1 Facti ſeries in ſuis terminis.

Reſpondeo primo ſolummodo ex grauiſſima cauſa permitti Patri poſſe filium diuendere puta propter nimiam paupertatem, egeſtatemque victus cauſa, & non aliter. *Salicetus in l. 2. nu. 1. C. de patribus, qui filios diſtrax., & ibi Baldus num. 3, & Gloſa.* Expreſſe colligitur *ex d. l. 2. in princip.*, vbi ſic legitur *ſi quis propter nimiam paupertatem, egeſtatemq; victus cauſa filium ſanguinolentus vendiderit venditione in hoc tantummodo caſu valēte &c.*, vbi nota, quod ſi Pater ex alia, quam ex prædicta cauſa filium, vel filiam vendiderit, dicatur *ſanguinolentus*, quod quid importet diſſident DD. Gloſa *in d. l. 2. in verbo ſanguinolentus C. de patrib., qui filios diſtrax.* explicat per hoc, quod ſi ex alia cauſa vendiderit fiat reus ſanguinis, hoc eſt ſit capitalitèr puniendus, hancq; aſſerit eſſe mentem Azoti. Salicetus *vero in d. l. 2. in principio* reprobat hanc Gloſæ interpretationem tan-

2 Solus Pater ex grauiſſima cauſa poteſt filium vendere.

3 Aſſignatur cauſa reſtrictiuè, ob quam poſſit vendere.

Digitized by Google

4 Pater vendens filiũ ſine illa cauſa quomodo dicatur ſanguinolentus.

tanquam incongruam literæ, & nimis grauem pœnam; vndè aſſerit, quod congruentius dicatur ſanguinolentus quaſi agens contra ſanguinis inſtinctum, quandoquidem ſanguis contradicit neceſſitati famæ, quæ venditioni aſſentiebat, ſicque refert illud verbum ſanguinolentus non ad venditionem, quæ fieret ceſſante illa cauſa neceſſitatis, ſed ad venditionem etiam eadem cauſa impellente, quatenus ſcilicet iura ſanguinis ſemper illi venditioni obuiant; atque hanc explicationem congruentiorem, & mitiorem exiſtimo. Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quod quamvis vigente illa neceſſitate permiſſum ſit Patri filium, vel filiam vendere, intelligatur tamen ei permiſſum ſub ea conditione, vt ſemper liceat eidem Patri, vel filio ſe redimere offerendo pretium non quod ſolutum eſt in venditione, ſed quod congruum erit pro tempore redemptionis, vel ſubſtituendo aliud æquale mancipium, prout definitum eſt in textu *in d. l. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax*, & ſentiunt DD. tum allegati, tùm alij communitèr; iura etenim voluerunt ex illa conceſſione conſulere indemnitati Patris, cum moderamine tamen, vt per illam venditionem non fieret filius irreparabilitèr ſeruus, & mancipium.

5 Semper tamen licitũ eſt Patri redimere filium.

6 Quonã pretio tunc filius ſit redimendus.

Ex eo autem, quod filius ſic venditus non fiat irreparabilitèr mancipatus, ſeù ſeruituti addictus excitant DD. controuerſiam, an ex vi illius venditionis conſtituatur propriè ſeruus? Baldus *in d. l. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax*, vbi refert Nicola de Mat, dicit, quod non conſtituatur propriè ſeruus, ſed ſeruiens, nec ingenuitas propriè per illam venditionem ſublata ſit, ſed velata ad tempus, cæteroqui nunquam poſſet repetere ingenuitatem per textum *in l. intercidit, ff. de condit. & demonſtr., & l. ſeruus effectus, ff. de action., & obligat.*, filius autem venditus propriè dicitur repetere ſuam ingenuitatem; ſi autem repetit ſaltem in radice dicitur retinere, nam propriè meum repeto; alienum autem dicor petere. Gloſa autem *in d. l. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax. in verb. vendiderit* aſſerit eſſe propriè ſeruum, nec obſtare, ſi dominus liberare eum cogatur, quià hoc fit etiam in alijs, vt *in l. nemini C. de Epiſc. aud., & §. dominus inſtit. de nox., & l. fin. de capt., & poſtlim. reuerſ.* Probabilius ſentio eſſe proprè ſeruum licet ſub ſpe ingenuitatis; nec obeſſe poteſt illud, quod ex aduerſo afferebatur, quod ſcilicet non poſſet propriè repetere ingenuitatem, cum ſolum dicamur repetere illud, quod noſtrum eſt: Non, inquam, poteſt obſtare, quià ſicuti in mutuo dicimur repetere, quod noſtrum fuit, ità etiam dicimur in præſenti poſſe repetere ingenuitatem, quæ noſtra fuerat.

An filius venditus conſtituatur propriè ſeruus?

7 Sententia aſſerens nõ conſtitui propriè ſeruum.

8 Probabilius conſtituatur propriè ſeruus.

Maior obex quoad hoc videtur eſſe in eo; quod cum dicatur in hoc textu, quod non ſolum Pater poſſit filium diuenditum repetere, ſeù redimere, ſed etiam idem filius ſe ipſum non videatur hoc congruere cum ſeruitute propria; quandoquidem quidquid acquirit ſeruus formalitèr, vt talis acquirit Domino, adeoque non poteſt acquirere quo ſe redimat aduerſus eundem Dominum; Sed huic etiam obiecto facile poſſum occurrere; ſi aſſeram poſſe filio aliquid relinqui ſub ea dumtaxat conditione, vt ſe redimat à ſeruitute, qua ratione non acquiritur Domino, niſi ad effectum eiuſdem redemptionis, per textum *l. qui nummus de oper. libert.*

9 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Reſpondeo ſecundo hoc ius vendendi filium, vel filiam ex illis grauiſſimis cauſis prænnaratis non competit propriè matri. *Salicetus in d. l. 2. n. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax, & ibi Gloſ. verb. vendiderit, Baldus n. 4. Sanchez lib. 7. diſp. 24. n. 16. Pinellus C. de bonis matern. rub. part. 2. à n. 20.* Ratio eſt, quià mater non habet tantam poteſtatem in filium, & filiam, quantam habet Pater, prout colligitur *ex textu in l. tranſactione C. de tranſact.*, adeoque in hoc non venit nomine Patris, cui ſpecialitèr hoc priuilegium conceſſum eſt, quod cum ſit contra filium, adeoque contra ius tertij non eſt extendendum, ſed ſtrictiſſimè interpretandum. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur quod cum quoad ſeruitutem, & libertatem filius potius ſequatur conditionem Matris, quam Patris, cum ſeruitus ſequatur corpus, quod à Matre accipit proles, potius ab eadem Matre dependeat, vt quoad tale onus ſeruitutis per ipſam transferatur, quam per Patrem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià hoc verificatur dumtaxat quoad translationem iure ſtatus materni, & ex vi natalium, non autem quoad translationem alio titulo, cum poſtquam filius natus eſt potius conſtituatur ſub poteſtate Patris, quam Matris, & quoad gubernationem ad ipſum potius ſpectet, quam ad Matrem, vndè ex diſpoſitione patris poteſt potius eiuſdem filij cura committi alteri, quam Matri.

10 Hoc ius vendendi filium, vel filiam non competit matri.

Reſpondeo tertio, ius vendendi etiam ex prææallegatis cauſis non competit Auo reſpectu Nepotis. *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 24. n. 16. Baldus in l. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax, & ibi Salicetus num. 3. Montalnus l. 7. ad fin tit. 17. part. 4.* Ratio ex eo deducitur, quià quamuis appellatione Patris, quandoque veniat etiam auus *l. parentum appellatione, ff. de verb. ſignif.* in lege tamen ſtrictiſſima, in qua ex diſpoſitione iuris ſpeciale priuilegium conſiſtit, venit ſolummodo pater naturalis, & ſi in hoc non comprehenditur mater non video, cur debeat comprehendi auus reſ-

11 Nec auo reſpectu nepotis.

 pectu

Digitized by Google

pectu Nepotis, cùm filius ſit potius pars matris, quam Nepos pars aue.

---

§. XVI.

An vrgente graui neceſſitate poſſit Pater filium pro fundo commutare.

*SVMMARIVM.*

*Explicatur factum in ſuis terminis.* 1.
*Ratio ſuadens poſſe commutare.* 2.
*Probabilius Pater non poteſt ſic commutare.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſita.* 4.

1 Explicatur factum in ſuis terminis. DISQVISITIO XVI. Vrgebatur grauibus neceſſitatibus nimiæ paupertatis, & victus egeſtatis Titius, qui ex matrimonio cum Caia contracto progenuerat Sempronium. Propter eaſdem cauſas paupertatis, & victus ægeſtatis dictum fuit in præcedenti paragrapho, quod poſſit Titius proprium filium diuendere. Modo excitatur difficultas, an poſſit ex ſimili cauſa eundem pro fundo commutare.

2 Ratio ſuadens poſſe cōmutare. Videtur dicendum vtique poſſe, quandoquidem, ſi quæ ratio obſiſteret, ea eſſet, quia lex permittens ex prædictis cauſis venditionem loquitur præciſe in terminis venditionis, & cum hæc lex ſit maximè contra naturalem rationem, & in terminis ſtrictis non videtur poſſe extendi ad alios contractus, ſed hæc ratio non videtur poſſe ſubſiſtere, quandoquidem, vt admittunt *Gloſa in d. l. 2. C. de patribus, qui filios diſtraxer., & ibi Baldus num. 5. Salicetus num.* 1. extenditur etiam ad pignus, ergo &c. Accedit, quod, ſi poteſt in tali caſu vendi recepto pretio, cur non poterit permutari recepta ſpecie, ſeu fundo? Nihilominus.

3 Probabilius Pater non poteſt ſic commutare. Reſpondeo probabilius eſſe Patrem non poſſe ſic permutare *Baldus in d. l. 2. C. de patrib., qui filios diſtrax. num. 5., & ibi Salicetus nu.* 3. Ratio ex eo deducitur, quia lex permittens venditionem filiorum reſpectu Patrum conſiſtit maximè in priuilegio ex diſpoſitione iuris ciuilis, & eſt quodamodo contra ius naturale, ergo cum loquatur lex permittens priuilegium de venditione pro pecunia non de permutatione pro fundo non erit ad illam extendenda *arg. l. ſi vero §. de viro ff. ſolut. matrim l. filium habeo ff ad Macedon.* Confirmatur ratione, quam adducit *Salicetus loc. cit. nu* 3., quia non currit eadem ratio de venditione, ac de permutatione, quandoquidem venditio dumtaxat permittitur propter neceſſitatem famis de præſenti, & talem, quæ aliter euitari non poſſit, pro qua aliter pater fame periret, ſed permutatio cum prædio non poteſt eſſe ad obuiandum illi periculo mortis ex fame, vt per ſe patet, cùm ex illa non poſſit ſtatim occurri fami de præſenti, ergo &c. Confirmatur ſecundo *arg. ex l. fin. lib.* 11. *de præd. cur.* Confirmatur tertio ex ijs, quæ docuimus *tom.* 1. *ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot.* 4. *num.* 12., nempe iura prohibentia mutuum filijs familias extendi dumtaxat, quando eiſdem mutuatur pecunia numerata, non quando ſpecies prout expreſſe habetur *in l. ſed Iulianus §. mutui ff. ad Macedonianum*, ergo etiam iura permittentia venditionem proprij filij ex grauibus cauſis prænarratis non ſunt extendenda ad permutationem eiuſdem cum fundo, quandoquidem ſicuti in caſu antecedentis prohibetur translatio per mutuum pecuniæ in filium familias, non autem translatio ſpeciei, ita in caſu conſequentiæ ex eo, quod permittatur translatio filij per venditionem in pecunia numerata nō eſt arguendum, quod permittatur translatio eiuſdem per commutationem cum fundo prædiali. Conſequentia probatur, quia ideo in caſu antecedentis iura interdicentia mutuum filijs familias in pecunia numerata non extenduntur ad mutuum in ſpecie, quia cum ſint diſcordantia, & reſtrictoria iuris communis ſunt ad literam intelligenda, ſed etiam ius permittens alienationem filij eſt correctorium quodamodo iuris naturalis, & communis, ergo cum loquatur præcisè de venditione non erit extendendum ad permutationem cum fundo, ne fiat extenſio iuris reſtrictorij &c. Rationes ſuadentes reſpōſionē

4 Soluuntur rationes oppoſitæ. Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt valere quidem quoad pignus, quia cum iura permittant venditionem, quæ eſt quid maius, cum per ipſum transferatur dominium, non eſt ambigendum, quin permittant etiam oppignorationem, quæ eſt quid minus, cum non transferat propriè dominium *arg. l non debet ff. de reg. iur.*, vt bene notant *Gloſa in d. l. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax., & ibi Baldus nu* 5. *Salicetus nu.* 3., & hoc maximè præſumitur ex pia iuris diſpoſitione. Ad illud, quod ſubditur dicendum eſt non currere paritatem propter rationes ſuperius adductas; tum quia prædium non poteſt eſſe ita idoneum ad egeſtatem de præſenti; tum quia licet iura ex pia interpretatione poſſint quando ſunt in damnum alicuius perſonæ, & iuris extendi ad id, quod minus eſt reſpectu talis iuris, non tamen debent extendi ad ſimiles præcipue quando ſunt correctoria, vt videre eſt in ſimilibus.

§. XVII.

Digitized by Google

## §. XVII.

An ob alias cauſas à prænarratis poſſit Pater vendere filium.

*SVMMARIVM.*

*Aſſignatur duplex cauſa, ex qua dubitatur, an Pater poſſit filium vendere.* 1.
*Ratio ſuadens poſſe ex his cauſis vendere.* 2.
*Ob neutram ex allegatis cauſis poteſt Pater filium vendere.* 3.
*Limita, niſi ex ſeruitute iure belli immineret mors Patri ex fame.* 4.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 5.

1 Aſſignatur duplex cauſa, ex qua dubitatur, an Pater poſſit filium vendere.

DISQVISITIO XVII. Pater iure captiuitatis in bello fuerat ab hoſtibus acquiſitus, vel forte etiam ob delictum ab eodem Patre commiſſum conſtitutus ſub cuſtodia Præſidis in carcere plectendus pæna capitis, niſi intra menſem ſoluat certam quantitatem. Quæritur iam primo, an in caſu captiuitatis in bello poſſit Pater filium vendere, vt ſe redimat ab illa captiuitate. Secundo, an in caſu delicti poſſit eundem alienare, vt illam quantitatem extrahat, qua ſe liberet.

2 Ratio ſuadens poſſe ex his cauſis vendere.

Grauior videtur cauſa mortis, quæ imminet à ferro, & ab hoſtibus, quam quæ à fame, & vnuſquiſque potius eligeret aliqua fame torqueri cum poſſit eſſe ſpes periculum mortis effugiendi, quam ſubeſſe poteſtati Præſidis, vel hoſtium plectendus mortis pæna, vel perpetuis ſeruitijs, & iurgijs mancipandus: Quamobrem ſi iura permittunt venditionem proprij filij ob nimiam paupertatem, & victus egeſtatem, *vt in d. l. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax.* non video, cur etiam interpretatiuè non permittant ad euitandam mortem Patris à Præſide, vel perpetuam ſeruitutem cum morte quaſi perpetua ab hoſtibus. Nihilominus.

3 Ob neutrã ex allegatis cauſis poteſt à Patre filius diuendi.

Reſpondeo, ob neutram ex allegatis cauſis poſſe Patrem filium diuendere. *Baldus in l. 2. num. 6., & ſeqq; C. de patrib., qui filios diſtrax., & ibi Salicetus num.* 4. Expreſſe colligitur *ex d. l. 2.*, vbi ſic legitur. *Si quis propter nimiam paupertatem egeſtatemque victus cauſa filium, filiamve ſanguinolentus vendiderit venditione in hoc tantummodo cauſa valente,* vbi nota, quod per has vltimas particulas reſtringit textus facultatem ſolummodo, & taxatiuè ex cauſa nimiæ paupertatis, & egeſtatis cauſa victus, & excludit quamcunque aliam cauſam; nec incongrua quidem ratione hoc ſancitum eſt, nam in ordine ad pænam mortis ex delicto Pater ex proprio delicto ſibi hanc neceſſitatem impoſuit, & propterea ſibi debet imputare, quod tali pæna ſit plectendus per textum *in l., quod quamuis ff. de reg. iuris,* nec congruum eſt, vt filius portet iniquitatem Patris per textum *in auth. bona damnatorum C. de bon. damn. l. ſancimus de penis, & l. 3. de interd., & releg.*; in ordine vero ad ſeruitutem Patris cauſa belli ex eo deducitur, quod ex ſeruitute Patris ſecundum ſe eidem non imminet mors, ſed ſolummodo grauia incommoda, ob quæ leges hanc facultatem non permittunt. (Rationes ſuadentes reſp. õſionẽ)

4 Niſi ex ſeruitute iure belli immineret mors Patri ex fame.

Limitarem tamen reſponſionem, quoad ſecundam cauſam ex ſeruitute Patris iure belli, niſi ex illa ſeruitute immineret mors ex fame eidem Patri, tunc etenim non renuerem fateri poſſe Patrem filium diuendere, vt etiam ſuſtinent *Baldus, & Salicetus loc. cit.*, quandoquidem hoc expreſſè concedit ius *in d. l. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax.*, vbi præcisè ponderat paupertatem, & egeſtatem cauſa victus, nec ponderat vtrum illa egeſtas, ſeu paupertas prouenerit ex iniuria Patris, vel ex cauſa belli, vel ex quocunque alio titulo. Cum igitur in ea hypotheſi vere adeſſet egeſtas, & paupertas cauſa victus non video, cur ad eam non debeat extendi diſpoſitio legis.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ex quibus habes, quid reſpondeas ad rationes, quæ ſupra ex aduerſo afferebantur; non enim in his caſibus, ſi excipias egeſtatem ob captiuitatem in bello iuxta ſenſum mox expoſitum militant eædem rationes, quæ militant in cauſa *in d. l. 2.* allegata. Deinde in legibus, & ſtatutis exorbitantibus à regulis generalibus, & præcipuè à iure à natura indito non proceditur à ſimilibus ad ſimilem §. *item mixta Inſtit. de act., & per Dinum in c. in arg. de regul. iuris in 6.*, & quamuis hæc regula varie limitetur à nonnullis, & præcipuè *à Saliceto in l. illud C. de ſacroſanct. Eccleſijs, & plenius in l. 2. C. de noxa,* limitationes tamen ſunt ad ſummum admittendæ, quando quod procedatur à ſimilibus ad ſimilia eſt æquum, & fauorabile, non autem, quando eſt odioſum, vt in caſu noſtro, ſecundum quod maximè naturæ exoſum eſt, & iuri ſanguinis diſſonum, quod filius vendatur, & in ſeruitutem redigatur, quod optimè conſideraſſe videtur textus *in d. l. 2. C. de patribus, qui filios diſtrax.* per illam particulam *ſanguinolentus,* quæ iuxta expoſitionem in ſuperioribus factam refertur etiam ad caſum, quando Pater vendit filium, vel filiam ex nimia paupertate, & egeſtate cauſa victus.



Digitized by Google

## §. XVIII.

### An filij ex filia vendita nati intelligantur venditi, & an redempta matre intelligantur filij eodem pretio redempti.

*SVMMARIVM.*

*In quo ſenſu procedat titulus diſquiſitionis.* 1.
*Duplex difficultas circa titulum, & varia rationes dubitandi* 2.
*In iure permittente redemptionem filia, quando vendita fuit ob neceſſitatem famis eſt etiam permiſſa redemptio filiorum ex eadem progenitorum poſt venditionem.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſita.* 4.
*Filij non redimuntur eodem pretio, quo mater fuit vendita, ſed pretio, quo tunc valet mater cum filijs.* 5.
*Soluuntur rationes oppoſita.* 6.

1 In quo ſenſu procedat titulus diſquiſitionis.

DISQVISITIO XVIII. Non eſt dubium ſtantibus prçactis, quod, ſi filia prægnans, vel fuerit à Patre vendita, vt eidem permittitur *in d. l. 2. C. de patrib., qui filios diſtrax.*, vel ſe ipſam vendiderit ad participandum pretium, vt permittitur *in l., & ſeruorum ff. de ſtatu hominum*, filij poſtea ex eadem nati ex vi ſtatus materni non redigantur in ſeruitutem, eo quia tempore conceptionis erant à matre libera, quidquid ex aduerſo dixerit *Antonius Gomez tom. 2. variarum c. 2. num* 14. exiſtimans, quod, cum proles concepta ſit pars viſcerum, & portio matris eadem venditione veniat, quo venit ipſa mater, quem tamen, ſeu eius doctrinam ſupra confutauimus: Si vero fæmina tunc non eſſet prægnans, ſed effecta grauida poſt venditionem, tunc certum eſt iuxta ſuperius probata, quod proles ex eadem progenita conſtituatur ſub ſeruitutem, ſicuti mater. Quamobrem ſtante hac diſtinctione conceptionis prolis, vel ante, vel poſt venditionem matris enucleata remanet prior pars difficultatis quoad filios ex filia vendita natos, Potiſſima ratio, quæ hic remanet examinanda, eſt, an ſi redimatur mater eodem pretio, quo ipſa redimitur, intelligantur redempti & filij ex eadem progeniti, ex ſuppoſitione, quod fuerint concepti poſt venditionem; & quidem matrem poſſe redimi expreſſè colligitur *ex d. l. 2. C. de patrib., qui filios diſtraxerunt* per ea, quæ ſupra diximus, nec ſolus Pater, qui vendidit, poteſt filium, ſeu filiam redimere, ſed etiam idem filius, ſeu filia poteſt ſe ipſum, ſeu ipſam redimere, vt colligitur ex eodem textu, nec poteſt Dominus ad hanc redemptionem eſſe inuitus, & ſi renuat pretium recipere, poteſt obſignari, & deponi,

2 Duplex difficultas circa titulum, & variæ rationes dubitandi.

Sub hoc titulo duplex potiſſimum difficultas examinabitur; Prima erit, an ex eo, quod iura permittant filiæ venditæ à Patre, vel à ſe ipſa ius redemptionis, intelligantur etiam permittere eidem matri venditæ redemptionem filiorum, intelligendo de filijs conceptis poſt venditionem, nam de conceptis ante illam, non indigent redemptione. Secunda, an eodem pretio, quo redimitur mater, intelligantur etiam redempti filij ex eodem poſt venditionem concepti, & nati; & quidem in ordine ad primam videtur prima fronte dicendum eoſdem filios inuito Domino non poſſe redimi, quandoquidem regula generalis eſt, quod ſerui inuito Domino non poſſint libertatem expetere, quandoquidem Dominus ius plenum in eiſdem acquiſiuit, & ſi Patri, vel filiæ ſe ipſum vendenti permittitur talis redemptio, hoc eſt ex ſpeciali iure in fauorem filiationis, ne quod ex neceſſitate permiſſum eſt, fiat perpetuum contra ius ſanguinis, & naturalem æquitatem; quod autem ex ſpeciali priuilegio in fauorem certarum perſonorum inductum eſt non debet ad alios ab exceptis extendi; ius autem præcisè loquitur de filio, ſeu filia à Patre vendita ob egeſtatem, & cum in hoc caſu Pater filiæ ſit Auus filiorum filiæ non habet facultatem eoſdem vendendi, adeoque nec recuperandi, & reſpectu filiæ non videtur etiam hoc ius competere, cum filios in Dominum non tranſtulerit titulo venditionis, ſed iure ſtatus materni, & ex vi natalium. In ordine vero ad ſecundam ex ſuppoſitione, quod poſſit per redemptionem filios repetere à ſeruitute, videtur, quod ipſa, vel Pater eius poſſit eoſdem filios eodem pretio redimere, quo redimitur eadem mater; ſiquidem ſunt tranſlati in Dominum non titulo venditionis, ſed iure ſtatus materni, ſeù ex vi natalium; redempto autem tali ſtatu ratione redemptionis matris non eſt, cur non intelligantur redempti, & quidem eodem pretio, quo ipſa redimitur, & eidem filij Nihilominus.

3 In iure permittẽte redemptionẽ filiæ eſt etiam permiſſa redẽptio filiorũ eiuſdẽ.

Reſpondeo primo, probabilius eſſe in iure permittente redemptionem filiæ, quando vendita fuit ob neceſſitatem famis iuxta ſuperius allegata, permitti etiam redemptionem filiorum, qui ex eodem progeniti ſunt poſt venditionem. Hanc reſponſionem in nullo inueni, quos legerim; exiſtimo tamen eidem non modicum fauere *Gloſam in d. l. 2. C de Patribus, qui filios diſtraxerunt in verb. vendiderit*, vbi poſtquam dixerit filios à Patre venditos eſſe proprie ſeruos, quamvis poſſint

recu-

Digitized by Google

recuperari, ſubdit *idem dic de filijs ex filia vendita natis*, eidem etiam ſauere videtur *Salicetus in d. l. 2. C. de patrib., qui filios diſtraxerunt*, vbi inquirit, an eodem pretio, quo redimitur mater, intelligantur & filij redimi; dum enim ſub dubium vertit, an eodem, vel diuerſo pretio redimantur, vtique ſupponit poſse redimi, cæteroqui quæſtio excitata eſset illuſoria, & de ſubiecto non ſupponente. Rationem huius reſponſionis ex eo deſumo, quià iure matris intelliguntur filij in Dominum tranſlati, ergò redempta matre, prout iura permittunt, non eſt, cur redimi non poſſint filij, ſeù intelligantur redempti. Accedit primo, quod ius naturale exigit, quod filij educentur penes matrem, nec in alios diſtrahantur, niſi ex ſpeciali contractu, quem vtique ex ſuperius dictis inire non poteſt mater reſpectu filiorum, cum ius hunc facultatem dumtaxat Patri ex allegatis cauſis conceſserit; vnde, ſi filios tranſtulit in Dominum, hoc fuit dumtaxat ex ſtatu materno, ergò diſſoluto ſtatu mancipali matris per redemptionem præcipuè in ordine ad educationem non erit, cur non poſſit diſſolui ſtatus ſeruilis filiorum. Accedit ſecundo, quod filij quoad ſeruitutem, & libertatem ex ſuperius dictis ſequuntur conditionem matris, ergò vbi ex alio titulo, quam ex ſtatu materno, non fuerunt filij tranſlati in Dominum ceſsante per redemptionem matris iure quo Dominus acquiſiuit, non erit, cur non poſſint per redemptionem ad ſtatum matris tranſire.

Filij accedunt matri iure acceſſionis.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur ad hanc reſponſionem dicendum eſt iura permittentia, vel Patri, vel filiæ redemptionem eiuſdem filiæ permittere etiam implicitè, & in conſequentiam redemptionem filiorum filiæ, cum non alio iure intelligantur ſerui, quam iure ſtatus materni, & tanquam acceſſiones factæ eidem matri, vndè redempta matre, cui accedunt, non eſt, cur & ipſi non poſſint redimi, cum acceſſiones ſequantur iura eius, cui accedunt, & eodem quaſi iure acquirantur; Nec pater filiæ redimens filios eiuſdem filiæ redimeret iure venditionis, ſed iure acceſſionis ad matrē, & qui redimit principale trahit ſecum acceſsoria, quod idem dic de filia vendita à Patre redimente ſe ipſam; redimit enim in tali redemptione filios iure ſuitatis, & acceſſionis.

5 Filij non redimuntur eodem pretio, quo vendita fuit mater, ſed pretio, quo tunc valet mater cum filijs.

Reſpondeo ſecundo, probabilius eſse Matrem ſe ipſam redimentem, vel Patrem eiuſdem redimentem filiam, quæ facta eſt mater filiorum poſt venditionem non poſse ipſam, & filios ab eadem progenitos redimere eo pretio, quo tempore redemptionis valet præcisè mater ſecundum ſe, ſed eo pretio, quo valet mater tunc ſimul cum filijs progenitis. In hanc reſponſionem propendet *Salicetus in d. l. 2. num. 6. C. de patrib., qui filios diſtraxer.*, qui etiam trahit ad hunc ſenſum *Gloſam ibid.* Ratio ex eo deducitur, quià filij ab eadem matre progeniti intelliguntur tanquam acceſſiones factæ eidem matri, & ſic conſiderantur tanquam quid vnum, ſed redemptio matris non debet fieri reſpectu habito ad pretium, quo prius fuit empta, ſed ad pretium, quo modo valet attentis omnibus circumſtantijs, & acceſſionibus per textum *in l. 3. § Diuus, ff de iure fiſci*, ergo debet fieri ſecundum valorem, & pretium, quod meretur eadem mater ſimul cum filijs, ſiquidem in redemptione conſtituunt quid vnum cum illa. Confirmatur, quià ſi fundus aliquis vendatur tanti valoris, & pretij, & poſtea facta facultate redimatur, & ante redemptionem eidem fundo factæ fuerint acceſſiones congruum pretium non eſt, ſi erogetur id, quod fuit ſolutum in prima venditione, ſed debet erogari ſecundum quod valet factis illis acceſſionibus, ergo hoc idem dicendum eſt. Confirmatur ſecundo, quià ſi fœmina illa ſic vendita deterior fiat, ità vt minoris valeat pro tempore redemptionis tunc in eandem redemptione non erogandum eſt id, quod in venditione fuit ſolutum, ſed id, quod tunc valet, *Gloſa in d. l. 2. verb. poteſt valere*, ergò, ſi ratione acceſſionum filiorum in valore creuerit erit pretium illius valoris adauctum in redemptione perſoluendum, vt ſaluetur æqualis proportio in incremento, & decremento.

Computandæ ſunt acceſſiones.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo contra hanc reſponſionem afferebantur, patet, quid reſpondendum; quamuis etenim filij fuerint in Dominum tranſlati iure ſtatus materni, non propterea eodem pretio, qua mater ipſa ſecundum ſe redimeretur, poſsunt redimi, quià ipſa mater ex illa filiorum acceſſione facta eſt maioris valoris, & cum ipſa in redemptione conſideranda ſit ſecundum illum ſtatum, quem tunc habet vtique redimenda eſt pretio, quo tunc valet attentis illis acceſſionibus.

§. XIX.

## §. XIX.

Vtrum filius in æquali neceſſitate Patris, & filij proprij teneatur potius ſubuenire Patri, quam filio, quando non poteſt vtrique.

### SVMMARIVM.

*Status controuerſiæ expoſitus.* 1.
*Sententia aſſerens potius ſubueniendum Patri, quam filijs.* 2.
*Contraria aſſerens potius filijs, quam Patri occurrendum.* 3.
*Tertia ſententia media aſſerens in extrema neceſſitate potius Patri, quam filijs ſubueniendum, citra quam potius filijs, quam Patri.* 4.
*Etiam in extrema neceſſitate ſubueniendum eſt filijs.* 5.
*Soluitur prima ratio contraria deſumpta ex proportione amoris ad Deum.* 6.
*Soluitur ſecunda ratio deſumpta ex titulo gratitudinis.* 7.
*Soluitur tertia ratio deſumpta ex enormiori crimine occiſionis Patris, quam filij.* 8.
*Soluitur quarta ratio deſumpta ex iure patris ad vendendum filium, non eſt contra.* 9.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO XIX. Titius filius Caij, & Pater Andreæ conſtitutus eſt in biuio. Habet patrem ſummè indigentem, ita vt prope ſit ad fame pereundum, qua etiam neceſſitate premitur Andræas ipſius filius. Non habet, quo vtrique in extrema illa neceſſitate poſſit occurrere, ſed tantum alteri eorum. Quæſitum fuit, an potius Patri teneatur ſubuenire, an vero filio.

2 Sententia aſſerens potius ſubueniendũ Patri, quã filijs.

Salicetus *d. l. 2. num. 7. in fin. C. de Patrib., qui filios diſtraxer.* refert, qui aſſerat in ea hypotheſi potius eſſe ſubueniendum Patri, quam filio æqualiter indigenti, eaque potiſſimum ratione mouetur, quia propter extremam neceſſitatem famis pater poteſt vendere filium, non vero è contra filius poteſt ex eadem cauſa vendere Patrem arg. eorum, quæ dicta ſunt ſuperius, quod ſcilicet, nec mater poteſt vendere filium cum lex *in d. l. 2. C. de Patribus, qui fil. diſtraſſe,* hoc tantum ex ſpeciali priuilegio concedat patri ob patriam poteſtatem, ergo, ſi ad ſibi ſubueniendum poteſt filium vendere, cur non poterit ab eodem exigere vrgente extrema neceſſitate alimenta, & quidem priuatiue quoad filium eiuſdem filij? cum eidem filio filij non permittatur vendere Patrem ad ſibi ſubueniendum, Patri autem ad ſibi ſubueniendum permittatur vendere filium. Alij DD. ex alijs rationibus adherent eidem Saliceto, ſeu auctori ab eo relato, & præcipuè *D. Thomas quod lib. 6. art. 14. Silueſter verb. filij q. 22. ad fin. Azorius inſt. mor. lib. 2. q. 1. c. 3. Toletus lib. 5 ſumma c. pr. num. 3. Menochius de præſumpt. lib. 3. q. 29. num. 16. Surdus de alimentis tit. 1. q. 17.*, dum aſſerunt, quod non tam iure naturæ teneatur Pater alere filium, quam filium eodem iure teneatur alere patrẽ, nam natura correlatiuorũ eadem eſt in vtroque extremo; quinimmo attenta naturali ratione fortiori iure videtur teneri filius erga Patrem, quam Pater erga filium, nam quidquid filius habet, habet à Patre; pater autem nihil habet à filio, & ſic ius naturæ rationalis magis inclinat ratione beneficij accepti filium ad benefaciendum Patri, quam Patrem ad benefaciendum filio. Rationes huius ſententiæ.

3 Sententia aſſerens potius filijs ſubueniendũ eſſe, eiuſq; fundamenta.

E contra *Angelus verb. filius num. 24. ad fin. Azorius*, qui licet *loc. cit. c. 3. q. 1.* dixerit eſſe iuris naturæ, quod filij alant parentes, aſſerit tamen *c. 5. q. 13.*, quod quis in concurſu neceſſitatis Patris, & filij teneatur potius alere filium. *Roccafull. in ſua praxi. quid agendum part. 3. lib. 2. num. 45. Bartolus in l. nam quemadmodum ff. de lib. agnoſc., & ibi Bartolus, Palaotus in c. cum haberet de eo, qui duxit &c. Merlinus de legit. lib. 1. tit. 3. quæſt. deciſ. 5. num. 32. Franciſcus Maria Pratus in lib pract. obſeruat. obſ 891., & in annot. ad num. 65. c. 3. part. 2. Alexander in l. in ſuis num 7 ff. de lib., & poſth. Faber in § ius naturale nu. 3. inſtit. de iur. nat. Ancharanus in c. cum haberet num 13. de eo, qui duxit in matrimonium.* Rationes plurimas adducunt primo, quia magis vrget debitum aſcendentium erga deſcendentes, quam è contra, nam amor deſcendit, non aſcendit. Secundo, quia omnis ratio, & æquitas naturalis poſtulat, vt qui dat eſſe, det etiam neceſſario requiſita ad eſſe, maximè cum Pater conſeruetur in filio; nam quilibet tenetur primo ad ſui, ſuorumque conſeruationem per textum *in l. præſes C. de ſeruitut., & aq.* Tertio, quia bona patris cenſentur bona filij, non e contra *l. nam, & ſi parentibus ff. de inoff. teſtam.* Quarto, quia in Patris hæreditate ſuccedit filius, non pater *l. 1. §. 1. ff. ſi tabula teſtam. nul. ext., auth. in ſucceſſione ff. de ſuis, & legit.*

4 Tertia ſententia media aſſerẽs in extrema neceſſitate potius Patri, quam filio ſubueniendum, citrà quam potius filijs, quã Patri.

Diana *pars. 10. tract. 13. reſol. 3. verſ. ſed ego in eius fauorem*, media via procedit inter vtramque expoſitam opinionem, & aſſerit, quod in extrema neceſſitate potius ſit ſubueniendum Patri, quam filio non ſic quando extrema non vrget neceſſitas, quia tunc potius tenetur ſubuenire filio, quam Patri. atque huius opinionis ſunt ex iuriſtis *Cinus in l 2. in fin. C. de patribus, qui filios diſtrax. Aſcanius de patria poteſt.*

*poteſt. effectu 16. n. 34. Bellamera in c. parſimoniam l. 41. Propoſitus in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim. Surdus de alimentis tit. 1. q. 94. nu. 6.*, & ex Theologis *D. Thom. at 2. 2. q. 26. art. 9. ad tertium, Magiſter in 3. diſt. 29. Abulenſis Matthei c. 22. q. 311. Coninchus de caritate diſp. 25. nu. 109. Ouiedus de caritate contr. 8. punct. 5. nu. 107.* Quid ergo in hac difficultate concludendum?

5 Etiam ſtante extrema neceſſitate potius filijs, quam Patri, eſt ſubueniendam.

Reſpondeo etiam ſtante illa extrema neceſſitate vtriuſque potius eſse ſubueniendum filio, quam Patri. Vltra rationes ſuperius adductas pro probatione ſecundę opinionis, quam amplectimur, has ad eandem confirmandam deduco *ex D. Thoma*, quantumvis nobis aduerſanti *2. 2. q. 26. art. 9. in corpore*. Prima eſt, quià filius eſt magis coniunctus Patri, quam Pater filio, cum filius ſit pars patris, Pater autem principium filij, non pars, ergò pater plus tenetur conferre filio, quam Patri, quandòquidem ſicuti lex caritatis magis dirigit ad ſe ipſum, quam ad alios, ità magis dirigit ad ea, quæ ſui ſunt tanquam pars, quam ad ea, quę ſua non ſunt, ſed alterius. Secunda, quià amor Patris erga filium antiquior eſt, & diuturnior, cum Pater ſtatim diligat filium ac natus eſt, filius autem non diligit Patrem, nonniſi poſt longum tempus; amor autem antiquior, & diuturnior fortior eſt, & magis obligat. Tertia deduci poteſt ex illo Apoſtoli *2. ad Corinth. 2. Non debent filij theſaurizare parentibus, ſed parentes filijs*, ex quibus verbis deducitur, quod onus incumbit parentibus ſubuenire filijs, non filijs ſubuenire parentibus.

Fortior ratio ad confirmandam noſtram reſponſionem erit ſolutio argumentorum, quæ communitèr à Theologis circumferuntur. Prima, & potiſſima

6 Soluitur prima ratio contraria deſúpta ex proportione ad amorẽ Dei.

ratio ea eſt, quæ affertur *ex D. Thoma loc. cit.* qua dicitur ordinem amoris, & caritatis metiendum eſse ad ſimilitudinem, & propinquitatem cum Deo; Pater autem eſt conformior, & ſimilior Deo, quandòquidem ſicuti à Deo tanquam à primo rerum omnium principio recipimus eſse, ità illud recipimus quoad cauſas ſecundas à Patre tanquam à principio, ergò ſicuti tenemur plus diligere Deum, quam nos met ipſos, ita magis tenemur diligere Patrem, quam filios, quandòquidem amor Patris in filio comparatur ad amorem noſtrum ipſorum. Sed contra huic rationi facilè occurro, quia non currit paritas de amore erga Deum, ac de amore filiorum erga ſuos progenitores; nam Deus eſt ſuprema, & perfectiſſima ratio cuiuſcunque amabilitatis continens in ſe omnem perfectionem, & tum ratione productionis, tum ratione ſupremi dominij, tum ratione entis perfectiſſimi exigit ex genere ſuo ſupra omnia amari, & hoc inditum eſt ab ipſo lumine naturæ; at Pater in ordine creato, quantumvis ſit principium filij, non continet, niſi amabilitatem principij reſpectu amoris per filium præſtandi, & cum poſſit eſse perfectior amabilitas reſpectu formæ, quam ratione principij efficientis, ſi in illa non reluceat ratio ſummæ bonitatis, hinc eſt, quod ratio principij non ſemper trahit maiorem amorem. Ratio igitur amabilitatis in creatis debet eſse ſecundum ordinem bonitatis propriæ potius, quam alienę, adeovt ſicuti prius debemus nos met ipſos amare, quam alios, ita potius debemus amare noſtra, quam aliena, & in ordine noſtrorum ea, quæ nobis coniuncta ſunt ratione formę, & partis, quam quæ coniuncta dumtaxat ſunt ratione principij efficientis.

Secunda ratio ex eo deſumitur, quià à Patre recipimus maximum beneficium, 7

7 Soluitur ſecunda ratio deſumpta ex titulo gratitudinis.

quod eſt ipſum noſtrum exiſtere, quod eſt radix cuiuſcunque beneficij; à filio autem nihil recipimus, quin potius eidem beneficium impertimur, ergò ratione maximi beneficij à Patre accepti potius tenemur erga ipſum, quam erga filios. Sed huic etiam obiecto facile poſsum occurrere, quià quamuis titulo gratitudinis videamur magis erga Patrem teneri, quam erga filium, alio tamen titulo ſuperiori ab ipſa natura indito tenemur potius erga filios, quam erga patrem, nec ſemper iura gratitudinis præferenda ſunt cuicunque alij iuri in graduatione; cęteroqui ex hoc titulo teneremur exiſtente extrema neceſſitate in vtroque potius erga Auum, quam erga proprium filium, ſi valeret illa ratio beneficij, quandòquidem ab auo ſaltem mediatè recepimus beneficium exiſtendi, quod nec mediatè à filio recipimus, ſed potius tribuimus; & ſicuti ſi teneremur vni ex iuſtitia, alteri ex gratitudine, nec vtrique ſatiſfacere poſsemus, teneremur potius adimplere onus iuſtitiæ, quam gratitudinis, ità ſi titulus, quo tenemur erga filios præualeret titulo gratitudinis, quo tenemur erga Patrem, ille vtique eſset præferendus. Videndum eſt igitur, quonam titulo teneamur erga filios, & comparandus ad titulum gratitudinis, qui vtique, ſi iſti præponderet debet in executione præferri. Titulus igitur, quo tenetur Pater erga

Naturalis pietas præualet titulo gratitudinis.

filium eſt titulus naturalis pietatis, & cuiuſdam iuſtitiæ generalis, ratione quodamodo ſuitatis, ratione cuius ſicuti tenetur potius ſe ipſum conſeruare, quam Patrem, quamvis à Patre receperit eſse, ita etiam tenetur conſeruare potius ſua ideſt partem ſui, in qua propagatus eſt, & hoc fundatur in quodam iure naturali ſecundum quod nedum homines, ſed etiam animalia quæque inclinantur po-

Digitized by Google

tius ad conſeruationem prolis, quam parentum.

Quod, ſi dixeris, hoc verificari attento iure naturali in genere communi hominibus, & omnibus animantibus, non iure naturali rationali, ſecundum quod res ordinantur ad finem magis rationalem, & non pure ſenſibilem; ſtatim impugnaberis, quia ex genere ſuo fortius obligat ius, quod eſt commune hominibus, & animantibus, & cum hoc ſit inditum à Deo omnia dirigente ad ſuos congruos fines, & inclinante naturam ad ea, quæ rationabiliora ſunt, quæque eidem naturæ ſunt magis conformia, non congruè poteſt homo illud ius à Deo præordinatum, & naturæ inditum diuerſimodè ordinare, cum hæc ordinentur ad eiuſdem naturæ bona, & conſeruationem. Quamobrem cũ Deus inclinauerit quamcunque naturam magis ad conſeruationem filij, quam Patris, non poteſt homo, vt Deo ſubordinatus diuerſimodè dirigere, cæteroqui ordinem à Deo naturæ inditum inuerteret.

8 Tertia ratio ex eo deducitur, quia deformius peccatum eſt occidere, vel maledicere Patrem, quam occidere, vel maledicere filium, ergo fortius debitum eſt conſeruare Patrem, quam filium, ergo in extrema neceſſitate vtriuſq; tenemur potius Patri ſubminiſtrare alimenta, quam filio. Sed contra huic etiam rationi facile occurro; admiſſo etenim antecedenti neganda eſt vtraque conſequentia, quia filius tenetur reuerentiam exhibere Patri, tanquam ſuperiori, non filio inferiori, & ſubdito; pietatem tamen naturalem potius tenetur exercere in filium, quam in Patrem, quando commodè non poteſt in vtrumque. Natura igitur indidit in ordine ad diuerſa munera diuerſam inclinationem, adeo vt in ordine ad vnum munus inclinationem fortiorem direxerit ad vnum, in ordine vero ad aliud munus fortiorem propenſionem ad alterum. Cum igitur in Patre rationem ſuperioritatis ad filium indiderit, vtique in eodem filio ſubiectionem, & reuerentiam indidit procliuiorem, & cum Patrem ordinauerit ad propagationem, & conſeruationem ſui ipſius, & fecerit amorem deſcendere, non aſcendere, hinc eſt, quod ſi filius maledixerit Patri, vel eum occiderit grauius peccatum commiſerit, quam ſi maledixerit, vel occiderit filium, & quia illi non iſti eſt debita reuerentia; ſi vero filio extremè indigenti alimenta non erogarit, vt erogaret Patri, grauius peccatum committit, quandoquidem ex naturali pietate tenetur potius ſibi, ſuæque conſeruationi in filio conſulere, quam alteri, in quo ipſe non conſeruatur.

*Tertia ratio deſumpta ex enormiori crimine occiſionis Patris, quam filij.*

9 Quarta ratio eſt ea, quam innuimus ſupra in prima probatione primæ opinionis, quod ſcilicet Pater poteſt in extrema neceſſitate famis vendere filium, non ſic filius poteſt vendere Patrem. Sed huic obiecto reſpondet in primis *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimonij part. 2. c. 7. num 282.* non ex eo inferri non eſſe maiorem obligationem quoad alimenta in Patre ergà filium, quam in filio erga Patrem, id enim fuit inductum ratione patriæ poteſtatis, vt docent *Baldus, & alij ſcribentes communitèr in d. l. 2. num. 1. C. de patrib., qui filios diſtrax.* Deinde hoc eſt ſpeciale priuilegium de iure tantum ciuili conceſſum Patri quodamodo contra ius ſanguinis, vt dicitur in eodem textu *ſanguinolentas*, ideo non debet extendi, nec facit probationem aduerſus noſtram reſponſionem.

*Soluitur quarta ratio deſumpta ex iure, quod habet Pater vendendi filium non eſt cõtra.*

Cæterum non video, quomodo DD. præallegati in neceſſitate citra extremam ratione cuius, vel Pater, vel filius teneretur oſtiatim mendicare ſi per filium non erogarentur, ſeu non poſſent erogari alimenta, teneant potius teneri conſulere filio, quam Patri, & poſtea ſuſtineant in extrema neceſſitate teneri potius Patri, quam filio prouidere? Certe ratio accepti ſummi beneficij quoad exiſtentiam militat in vtroque caſu, quinimmo titulus reuerentiæ debitæ in caſu etiam neceſſitatis citrà extremam videtur magis obligare erga Patrem, quam erga filium. Si igitur per hos DD. ratio illa beneficij accepti in neceſſitate citra extremam non obligat filium erga Patrem in concurſu proprij filij talitèr indigentis, cur debet obligare erga eundem Patrem potius, quam erga filium in extrema neceſſitate vtriuſq?

*Reijcitur aliud aduerſantiũ obiectum.*

---

## §. XX.

### An ancilla pluribus communis, ſi ab vno manumittatur, & poſtea ante ſolutum alteri Domino pretium pariat, pariat liberum, an ſeruum.

*SVMMARIVM.*

*Facti ſeries in ſuis terminis.* 1.

*Vno ex dominis manumittente, tenentur cæteri, ſi pretium ad portionem offeratur, manumittere.* 2.

*Non intelligitur tamen facta manumiſſio ante ſolutum pretium.* 3.

*Quantumvis habens inferiorem partem manumittat, tenentur cæteri manumittere oblato ſibi pretio.* 4.

*Et hoc, ſiue vnus manumittat titulo gratuito, ſiue oneroſo.* 5.

Vno

Digitized by Google

*Vno ex ſocijs manumittente, & cæteris non manumittentibus ob non ſolutionem pretij, remanet adhuc ſerua, & ancilla quoad totum, donec pretium cæteris perſoluatur.* 6.

*Manumiſſio vnius, quem effectum operetur in ordine ad alios.* 7.

*Altero manumittente, ſi ante ſolutum cæteris pretium ancilla pariat, parit ſeruum.* 8.

*In redemptione tenetur etiam pretium offerre pro prole.* 9.

1 Facti ſeries in ſuis terminis.

DISQVISITIO XX. Aliquo iuſto titulo fuerat Caia facta ſerua duorum; poſt ſeruitutem facta fuit prægnans, & deinde ab altero ex Dominis ante partum manumiſſa, & interim non ſoluta altero ex Dominis parte pretij, quæ ad eum ſpectabat, cum ipſe non manumiſſerit peperit filium. Orta fuit hic controuerſia, an illa proles orta fuerit libera, an vero ſerua?

Varij articuli circa titulum examinandi.

Ad clarius explicandam, & diſtinctius hanc controuerſiam nonnulli ſunt excitandi, & examinandi articuli. Primus erit, an vno manumittente ex Dominis teneantur alij manumittere ancillam. Secundus ex ſuppoſitione, quod teneantur manumittere, an intelligatur manumiſſio ipſorum etiam ante ſolutum ipſis pretium. Tertius, an ſi plures ſint Domini puta quatuor, vel quinque, & vnus ex illis habens etiam minorem partem non ſolum comparatiuè ad omnes coniunctim, ſed etiam ad ſingulos ſingillatim manumittat quoad ſuam minorem portionem teneantur cæteri manumittere. Quartus, an onus manumiſſionis oriatur in cæteris ex manumiſſione vnius, ſiuè hic manumittat ex teſtamento, vel ex titulo gratuito, vel ex titulo oneroſo. Quintus, cur potius, quando ab vno manumittitur, & non ab alio, eo quià ipſi non eſt ſolutum pretium dicatur in totum manere ſerua, & non in totum libera, ſeù potius non dicatur remanere partim ſerua, & partim libera? Sextus, an ſi alter ex Dominis ſit minor, & manumittat valide manumittat, & obliget cæteros ad manumittendum. Tandem vltimus erit, an filius ortus ante pretium ſit ſeruus.

2 Vno ex Dominis manumittente tenentur cæteri, ſi pretium offeratur ad ratam; manumittere.

Reſpondeo primo, vno ex Dominis manumittente tenentur cæteri, ſi pretium ad portionem offeratur, manumittere. *Saliceus in l.1 n.1. C. de communi ſeruo manumiſſo, & ibi gloſ. verb. neceſſitatem, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 24. n. 17., & in hoc communitèr concordant ſcribentes.* Expreſsè colligitur *ex d. l. 1. C. de commun. ſeru. manumiſ. verſ. his itaque*, vbi ſic legitur, *& ſi plures ſint ſocij vno ex his libertatem imponere cupiente alios omnes neceſſitatem habere partes ſuas, quas in ſeruo poſſident, vendere &c.*, quod clarius paulo antè dixerat. Ibi, *Sed in omnibus communibus famulis libertatem quis legitimam imponere communi ſeruo voluerit, hoc faciat neceſſitatem habenti ſocio vendere partem ſuam*; nec quidem incongrua ratione hoc inductum eſt in fauorem ſcilicet libertatis.

3 Non intelligitur tamen facta manumiſſio ex parte ipſorum ante ſolutum pretium.

Reſpondeo ſecundo, quamuis vno manumittente intelligantur cæteri obligari ad manumittendum non intelligitur tamen facta manumiſſio ex parte ipſorum ante ſolutum pretium. Ita DD. prællegati, & præcipuè *Gloſa in d. l.1. verb. neceſſitatem*, vbi aſſerit non prius dari libertatem, quam pretium ſoluatur per textum *in l. Iulianus §. efferri ff. de aeq. empt.*, hocque implicite videtur colligi, *tum ex d. l.1. verſ. ſin autem ſocius, tum ex l. 2. in fin. de communi ſeru. manumiſſo*, vbi, cum dicatur, quod ſi nolit recipere, deponatur in æde ſacra, videtur innui pretium ante manumiſſionem, vel eſſe ſoluendum, vel deponendum. Ex quibus habes, quod ſi cæteri ſocij nolint recipere ſuas portiones pretij pro manumiſſione concedatur facultas deponendi illud pretium ſigillo impreſſo in ædem ſacram imponere, & eum habere pleniſſimam libertatem, prout colligitur, *tàm ex d. l. 1. quam 2.*

4 Quantumvis habens inferiorem partem manumittat tenentur cæteri oblatò pretio manumittere.

Reſpondeo tertio, ſi plures fuerint ſocij, puta quatuor, vel quinque, & altèr tantum ex illis habens minorem pàrtem tàm abſolutè, quam comparatiuè manumiſerit tenentur cæteri omnes oblato ſibi congruo pretio manumittere. Hoc expreſſe colligitur *ex d. l. 1. C. de commun. ſeru. manumiſ.* Ibi. *Sed in omnibus communibus famulis libertatem, quis legitimam imponere communi ſeruo voluerit hoc faciat neceſſitatem habente ſocio vendere partem ſuam, quantam in ſeruo poſſides, ſiue dimidiam, ſiuè tertiam, ſiue quantumcunque*, quod etiam clarius habetur in *l. 2. verb. duo vel plures, C. eod. tit.*, & hoc etiam clarè indicat, *Gloſa in d. l. 1. in verb. vno ex his*, vbi aſſerit non ſtari iudicio maioris partis per textum *in l. per fundum ff. de ſeruit. ruſtic. præd.*, & quidem ſpeciale eſt fauore libertatis, ratione cuius ſecernitur à diſpoſitis in alijs.

5 Et hoc ſiuè vnus manumittat titulo gratuito, ſiue oneroſo.

Reſpondeo quarto, vno ex dominis manumittente tenentur cæteri manumittere, ſiue ille manumittat ex teſtamento, vel donatione inter viuos, vel titulo gratuito, vel oneroſo ex ſuppoſitione, quod quantum pertinet ad ſe tali titulo oneroſo poſſit manumittere. Conſentiunt omnes hocque expreſſe deducitur *ex d. l. 1. verſ. his itaque C. de communi ſeruo manumiſſo* - Ibi - *ſiuè inter viuos, ſiuè in vltima diſpoſitione*, & cum per ly *inter viuos* non potius explicetur per donationem, ſeù per liberam remiſſionem, ac per alios contractus oneroſos, ſeù gratuitos non eſt, cur

cur nos ad aliquem ſpecialem titulum debeamus diſpoſitionem illius iuris reſtringere, cum potiſſimum textus procedat in fauorem libertatis, quæ ſemel in parte adepta ex quocunque titulo fuerit adepta; non eſt, cur non poſſit adipiſci in toto ſoluto cæteris pretio proportionaro.

6 Remanet ſerua quoad totum, donec pretium cæteris perſoluatur.

Reſpondeo quinto, vno ex ſocijs manumittente, & cæteris non manumittentibus ob non ſolutionem pretij remanet adhuc ſerua, & ancilla quoad totum, donec pretium cæteris perſoluatur. Ita expreſse *Gloſa in d. l. 2. verbo ex parte C. de communi ſeruo manumiſ. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 24. n. 17.* Ratio autem ex eo deducitur, quià ſeruitus eſt indiuidua, nec poteſt quis ex parte eſse ſeruus, & ex parte liber, vt probat eadem *Gloſ in l. 2. verſ. ex parte* per textum *in l. duobus, ff. liber. caus., & l indicare, ff. de except. rei iud., & l. cum filius, ff. de leg. 2.*

Dices ex eo, quod ſeruitus ſit indiuidua, nec vnus poſſit eſse ex parte liber, & ex parte ſeruus, non eſt maior ratio, cur altero ex ſocijs manumittente potius debeat dici remanere ſeruus quoad totum, quam liber quoad totum, quinimmò cum libertas ſit maximè fauorabilis deberet potius dici per manumiſſionem vnius liber abſolutè. Sed contra, quià potius dicendus eſt remanere ſeruus quoad totum, quià cum antecedentèr ad manumiſſionem illius eſset ſeruus, nec totum ius eſset penes ipſum manumittentem debet potius in eo ſtatu remanere, in quo prius erat, quam nouum ſtatum acquirere: vnde iura voluerunt quidem fauore libertatis conſulere, vt poſset libertatem ex illa manumiſſione acquirere, non autem eam acquirerere de facto non ſoluto pretio.

Ratio, cur potius remaneat ſerua quoad totum, quam libera quoad totum.

Vrgebis hac ratione fruſtratoria eſset illa manumiſſio, nec aliquem effectum conſequeretur. Sed contrà, quià hæc manumiſſio hunc effectum operatur, vt ſi ancilla velit offerre pretium alijs condominis, vt à ſeruitute liberetur, tenentur illi tale pretium acceptare, eamque liberare, quod alitèr non poſset efficere per textum *in l neque emere C. de iure delib., & in l. inuitum C. de contrahenda empt.*, atque hic effectus expreſsè habetur *in l. 1. C. de commun. ſeru. manumiſ.*

Effectus, quem cauſat illa manumiſſio.

7 Manumiſſio vnius quem effectum operatur in ordine ad alios.

Reſpondeo ſexto, quando vnus manumiſit, tenet manumiſſio, & hunc effectum operantur, vt cæteri, quantumvis vnus ſit minor, teneantur, *Gloſa in l. 1 C. de comm ſeru. manumiſſo in princip. verb. impuRent, & ibi Saliſetus in fin. princip. Albericus num 2. verſ item quæris gloſa, Baldus nu. 2 in fin. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 24. n. 17., & alij magis communiter.* Ratio ex eo deducitur, quià hæc venditio ſuppoſita manumiſſione per vnum facta eſt neceſſaria, cum fiat lege ſic diſponente, & cogente, ſed vbi venditio eſt neceſſaria non eſt neceſse decreto Iudicis, cum lex ipſa ſuppleat defectum ipſius, ergò &c. Confirmatur, quià etiam res Eccleſiaſticæ immobiles, ſeù mobiles pretioſæ, quæ ſeruando ſeruari poſsunt non poſsunt alienari ſine aſsenſu Apoſtolico per extrauag. Pauli II. incip. Ambitioſæ, & tamen quando alienario eſt neceſſaria non venit ſub hac prohibitione, ergo etiam &c. Verum tamen eſt, quod ſi ſit minor, qui manumittat, nec teneat manumiſſio, nec hunc effectum operatur, vt colligitur *ex l. 1. ff. de manumiſ. vindicta*, & ſi non tenet manumiſſio, nec cæteri ſocij obligantur ad vendendum cum ex contractu nullo, nullus poſſit ſequi effectus, nullaque obligatio.

Reſpondeo ſettimo. Altero manumittente, ſi ante ſolutum cæteris pretium 8
ancilla pariat proles naſcitur ſerua. Ita expreſsè ſentit *Sanchez d. lib. 7. de matrimon. diſp. 24. n. 17. in princip, & in fine*, & clare deducitur ex præactis, ſi enim ipſa ancilla non eximitur à ſeruitute quoad totum in ordine ad cæteros ſocios, donec ſoluerit ſingulis pro rata pretium, ergò proles, quæ ex ipſa naſcitur durante tali ſeruitute, erit ſerua, non libera, cum ex prædictis proles ſequatur conditionem matris pro tempore partus, ſiuè quoad ſeruitutem, ſiuè quoad libertatem. Quod

Altero manumittente, ſi ante ſolutum cæteris pretium fæmina pariat proles naſcitur ſerua.

ſi hic quæras, an in ſui redemptione poſt 9
partum teneatur eadem ancilla non ſolum offerre pretium pro ſe ipſa, ſed etiam pro prole cæteris ſocijs; tunc dicendum erit id quod ſupra dictum fuit teneri ſecundum, quod valet tunc eadem mater ſimul cum prole, quià tunc ex ipſa, & prole conſtituitur quid vnum, & pretium taxandum eſt ſecundum quod valer pro tempore redemptionis non pro tempore quo empta eſt. Si vlterius inquiras, an in tali redemptione non ſolum diminuenda ſit portio manumittentis quoad matrem, ſed etiam quoad prolem ſubindè ſuſceptam, probabilius diminuendam aſsero etiam quoad prolem ex quadam æquitate maximè, ſi mater, quando manumiſſa eſt, fuerit prægnans, quia tunc reputatur, vt pars matris.

In redemptione tenetur etiam pretiũ offerre, pro prole.

§XXI.

Digitized by Google

## §. XXI.

An fœtus ex ancilla ſtatu libera ortus, ante conditionem, vel tempus ſit liber, an ſeruus.

### *SVMMARIVM.*

*Quiſnam dicatur propriè ſtatu liber.* 1.
*Series præſentis diſquiſitionis.* 2.
*Proles ante tempus, vel conditionem purificatam nata eſt ſerua.* 3.
*Limita in hypotheſi, qua modicum tempus deficeret ad plenam libertatem conſequendam.* 4.
*Si data fuerit libertas ad certum tempus ſub modo proles intra illud nata eſt libera.* 5.

1 DISQVISITIO XXI. Suppono ex ſuperius dictis, quod ſtatu liber ille dicatur, qui ſtatutam, & deſtinatam habet libertatem in certum tempus, vel certam conditionem per textum *in l. 1. ff. de ſtatu liber.*, vt ſi dicatur permitto tibi libertatem poſt triennium, vel ſi talis res 2 euenerit. Hoc ſuppoſito ſuppono etiam vlterius, quod ancilla ſtatu libera concipiat, & pariat in tempore, ante præſcriptam, ſeu conceſſam libertatem, ſeu ante purificatam conditionem; hinc quæritur, an proles pro illo tempore nata, ante acquiſitam libertatem, ſeu ante illam conditionem purificatam ſit libera, an vero ſerua?

Quiſnam dicatur propriè ſtatu liber.

Series præſentis facti

3 Reſpondeo prolem, ante tempus, vel conditionem purificatam natam eſſe ſeruam. Conueniunt in hoc communiter DD., & de hoc ſatis clare *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 24. num. 18.* Ratio eſt, quia mater, ante illud tempus, ſeu conditionem adimpletam vere eſt, & remanet Ancilla, ergo proles, quæ ex illa naſcitur ante illud tempus, vel conditionem erit ſerua, quandoquidem ex ſupra dictis filius quoad ſeruitutem, & libertatem ſequitur conditionem matris. Antecedens probatur, tum quia ſi quis contrahat cum ſerua ſtatu libera, ante tempus libertatis conceſſæ, vel purificatæ conditionis ignorans conditionem ſeruilem inualide contrahit *Angelus verb. matrimonium 3. impedimento 4. num. 6. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 2. dict. 3.*, ergo quia vere pro illo tempore erat ancilla, tum quia hoc expreſſe habetur *l. ſtatu liberum ff. de ſtatu lib.* Hæc reſponſio clarè definitur *in l. ſtatu libera 16. ff. de ſtatu liberis, & l. cum libertatem C. de fideicom. libert.*

Proles ante tempus, vel conditionem purificata nata eſt ſerua

4 Limitant tamen aliqui reſponſionem in hypotheſi, qua modicum tempus deficeret, vt ſtatu libera plenam conſequatur libertatem, tunc etenim ſentiunt, quod ſicuti matrimonium cum illa initum ſubſiſteret, eo quia non militarent rationes, ob quas matrimonium cum ſerua ignoranter initum irritatur cum ratione illius modici temporis nullum ſequatur præiudicium conſiderabile, tum in ordine ad debitum, tum in ordine ad ſacramentum, & in ordine ad prolem, ita proles ex illa progenita proprie non naſcetur ſerua, cum modicum illud tempus, quod deficit ad libertatem à matre conſequendam, pro nihilo reputaretur, quam limitationem præcipuè in ordine ad validitatem matrimonij non improbabilem duco, eamque affert *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 19. num. 4. verſ. verum quamuis neminem*, vbi etiam reſpondet ad oppoſita.

Limita in hypotheſi, qua modicū tempus deficeret ad plenam conſequendam libertatem.

Hæc, quæ hactenus diximus in reſponſione, procedunt ſi per Dominum relicta fuerit libertas ad certum tempus, vel ſub conditione, ſecus ſi ſub modo, vt bene docet *Sanchez d. lib. 7. diſp. 24. num. 18.*, ergo quando eſt ſub modo ſerua immediatè conſequitur libertatem cum modus ex *dictis tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1. prænot. 5. sect. 11. aſſert* 4. non ſuſpendat actum, ſi modus fuerit honeſtus, & poſſibilis, qui ſi ſit in fauorem apponentis contractus ipſe immediate tenet, & alter tenetur adimplere modum, ſi vero fuerit appoſitus in fauorem alterius ab eo, qui talem modum opponit contractus tenet, non tamen ſecundum communem ſententiam conſurgit obligatio ad modum adimplendum, & quidem, quod modus non ſuſpendat, clare habetur *in l. cum ab eo 41. ff. de contrah. empt.*, quod modus ſit adimplendus, quando eſt appoſitus in fauorem apponentis habetur *ex l. Titio 70. in princip. ff de condit., & demonſtr.*, atque ita in vniuerſum ſentiunt *Paludanus in 4. diſt. 29. q. 2. art. 3. concl. 7. nu. 22. Silueſter verb. matrimonium 2. q. 12. Sanchez de matrimon. lib. 5. diſp. 29. num. 9. verſ. quare dicendum eſt Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contractu c. 10. num. 207.*

5 Si libertas data ſit ad certū tempus ſub modo proles intra illud naſcitur libera.

### §. XXII.

An facta promiſſione per Dominum de manumiſſione ancillæ ad tempus certum, eaque ab eadem ancilla acceptata, ſed intra tempus non adimpleta, proles poſt illud tempus naſcatur libera.

*SVMMARIVM.*

*Refertur factum in ſuis terminis.* 1.
*Sententia aſſerens ex tali promiſſione nullam oriri obligationem ciuilem, ſed tantum naturalem.* 2.
*Nec ſerua promiſſaria, nec filius ex ea natus poſt tempus, ad quod cadit promiſſio, fiunt ipſo iure liberi.* 3.
*Oritur tamen obligatio in manumittente etiam ciuilis ad manumittendum vtrumquè.* 4.
*Soluitur ratio oppoſita.* 5.

1 Refertur factum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XXII. Manebat ſub poteſtate, ſeu Dominio Caij Theodorica Ancilla, cui Caius libere promiſit libertatem, ſeu manumiſſionem poſt elapſos duos, vel tres annos, & Caij promiſſionem acceptauit Ancilla. Elapſis illis duobus, vel tribus annis Caius non adimpleuit promiſſionem, nec manumiſſionem promiſſam executus eſt, & poſtea ancilla partum edidit. Quæſitum fuit, an ille partus natus fuerit liber, an vero ſeruus.

Iura, ex quibus deſumitur ratio dubitandi.

Ratio dubitandi potiſſimum deducitur *ex l. interpoſitas 13. in fin. C. de tranſact.*, vbi dicitur inter Dominum, & ſeruum non oriri obligationem, quod ex alijs pluribus iuribus deducitur, & præcipue *ex reg. in perſonam ff. de reg. iuris*, vbi dicitur, *quod in perſonam ſeruilem nulla oritur obligatio.*

2 Sententia aſſerens ex tali promiſſione nullã oriri obligationem ciuilem, bene tamẽ naturalẽ.

Sanchez *dict. lib. 7. de matrimonio diſp. 24. num. 21. verſ. ſed dicendum eſt* aſſerit nullam ex tali promiſſione manumiſſionis oriri obligationem ciuilem, bene tamen naturalem, quod ex multis comprobat, & præcipuè ex textu *in l ſi, id. quod Dominus 64. ff. de condit. indeb.*, & ex *l. non ſolum 50. §. ſi ignorante ff. de pecul.*, & ex *l. naturaliter ff. de condit. indeb.* Nihilominus.

3 Nec ſerua promiſſaria, nec filius ex ea natus, vltrà illud tempus fiunt immediate liberi.

Reſpondeo primo filium, nec ſeruam vltra, tempus ad quod cadit promiſſio, non fieri immediate, & ipſo iure liberos. Conſentit in hoc *Sanchez loc. quo ſupra num 21. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia ſicuti promiſſio de contrahendo non eſt contractus, nec promiſſio de matrimonio eſt matrimonium, ita nec promiſſio de manumittendo è actualis manumiſſio, ergo ſicuti, ſi quis pro certo tempore promiſerit matrimonium eo elapſo non intelligitur addictus oneri actualis matrimonij, ita ſi quis promiſerit pro illo tempore manumiſſionem, & alter acceptarit promiſſionem elapſo illo tempore, nec ille intelligetur actu manumiſiſſe, nec iſte intelligetur exemptus per actualem manumiſſionem ab onere ſeruitutis, niſi re vera manumiſſio intercedat. Confirmatur, quia, ſicuti nec ſolis promiſſionibus, nec nudis pactis dominia rerum transferuntur, ſed traditionibus, & vſucapionibus, ita nec ſolis promiſſonibus fit relaxatio eorundem dominiorum, ſed traditionibus, ſeu actualibus manumiſſionibus.

4 Oritur tamen obligatio in manumittẽte etiam ciuilis ad manumittendum.

Reſpondeo ſecundo, quamvis elapſo tempore, ad quod cadit promiſſio manumiſſionis, non fiant mater, & filius immediate, & ipſo iure liberi, oritur tamen obligatio in manumittente etiam ciuilis ad manumittendum, ratione cuius poteſt compelli *Gloſa, & alij plurimi* relati à *Padilla in d. l. interpoſitas 13. in fin. C. de tranſact., & ibi etiam Bartolus.* Ratio ex eo deducitur, quia ſi quid legetur ſeruo in ordine ad ſeruitutem redimendam, legatum non acquiritur Domino, quia illud fuit fauore libertatis, & illo vtique poteſt ſeruus, ſi Dominus voluerit, ſe redimere, ergo in ordine ad libertatem poſſunt eſſe contractus inter Dominum, & ſeruum. Poteſt confirmari ex eo, quod habetur *in l. ſi ſeruum §. ſi quis hac lege verb. ſi quis dederit ff. de acq; vel omit. hered.*, vbi dicitur. *Si quis dederit nummos Domino, vt manumittatur, puto huic omnimodo eſſe ſuccurrendum*, quem textum licet diuerſimodè explicent DD., ſemper tamen extra propriam, & formalem ſignificationem extrahunt.

5 Soluitur ratio oppoſita.

Quamobrem ad ea, quæ ex aduerſo dicebantur *ex l. interpoſitas, & l. in perſonam* dicendum eſt ea procedere in alijs caſibus, præterquam in cauſa libertatis, quæ, cum maximè fauorabilis eſt, habet ſpecialia iura pro ſe.

§. XXIII.

Digitized by Google

## §. XXIII.

An votum caſtitatis emiſſum in Religione approbata in manibus ſuperioris non promiſſa obedientia, & paupertate ſit ſolemne, & irritet matrimonium ſubſequens.

*SVMMARIVM.*

*Factum in ſuis terminis expoſitum.* 1.
*Sententia aſſerens eſſe de ſubſtantia voti ſolemnis caſtitatis, quod coniungatur cum alijs duobus ſubſtantialibus.* 2.
*Sententia aſſerens non deficere à voto ſolemni ex eo, quod non coniungatur cum cæteris.* 3.
*Matrimonium initum poſt illud votum in manibus ſuperioris ſine alijs tenet.* 4.
*Votum obedientiæ in regula D. Benedicti inuoluit implicitè, & votum caſtitatis, & paupertatis.* 5.

1 Factum in ſuis terminis expoſitum.

DISQVISITIO XXIII. Caius ſe recepit in Religionem legitimè approbatam, ibique anno probationis præmiſſo in manibus prælati emiſit votum caſtitatis, non tamen Paupertatis, & obedientiæ, ad quæ noluit ſe obligare, & poſtea nullo habito reſpectu ad votum caſtitatis in Religione emiſſum contraxit matrimonium per verba de præſenti cum Theodorica. Excitata hic fuit controuerſia inter DD., an illud matrimonium ſubſiſteret, an vero ratione illius voti ſolemniter emiſſi in Religione eſſet abſolute irritum.

Tota ratio huius controuerſiæ dependet ab eo, an illud votum ſic emiſſum penes Prælatum in Religione legitimè approbata ſit proprie votum ſolemne, an vero, vt ſit tale, requiratur, vt coniungatur cum alijs duobus paupertatis ſcilicet & obedientiæ; qua in controuerſia nonnulli arbitrantur eſſe de ſubſtantia voti ſolemnis, quod cum cæteris ſolemnitatibus coniungatur cum alijs duobus votis, quod colligunt *ex c. vnico de voto in 6.*, vbi Pontifex explicans, quandonam ſit, & intelligatur votum ſolemne, & quando non, habet *Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis illud ſolum debere dixi votum ſolemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis*, & reliqua omnia declarat eſſe ſimplicia, quod etiam euincitur ex illa particula *ſolum*, quæ eſt taxatiua, & excludit quodcunque aliud, quod non eſt ibi expreſſum. Cum igitur Pontifex ad ſubſtantiam voti ſolemnis requirat profeſſionem ſolemniter emiſſam, per quam conſtituitur quis vere Religioſus, & ſtatus, & eſſentia Religioſi propriè ſumpti exigat tria vota, cum ad perfectionem acquirendam debeat omnibus viribus properare, & ſe auellere ab ijs omnibus, quæ poſſunt eidem perfectioni aduerſari, debet ex conſequenti ſe à carnis illecebris auocare, quod fit per votum caſtitatis, à mundi diuitijs, & voluptatibus auellere, quod fit per votum paupertatis, & ſe ipſum extra ſe ipſum trahere, quod fit per votum obedientiæ; atque in ijs conſiſtere eſſentiam profeſſionis, & Religionis ſuſtinent communius DD.

2 Sententia aſſerens eſſe de ſubſtantia voti ſolemnis, quod coniungatur cum alijs duobus votis ſubſtantialibus.

Alij vero ſentiunt, nec ad validitatem profeſſionis, & Religionis eſſe neceſſaria tria illa vota, quod in primis colligere videntur *ex c. fin., qui cleric. vel vouent.*, vbi fæmina quædam emiſit votum caſtitatis in manibus eiuſdem de fratribus S. Auguſtini eo adiecto tenore, vt in domo propria cum omni ſubſtantia ſua remaneret, & cum poſtea contraxerit matrimonium, dictum fuit per Pontificem ſeparandam eſſe à marito, & compellendam ad habitum dimiſſum reaſſumendum, & ad ſeruandum votum, quod emiſit. Deinde colligunt, ex eo quod in aliquibus ex Religionibus approbatis emittatur ſolummodo votum obedientiæ, & tamen ſic vouentes habentur pro veris Religioſis, & profeſſis.

3 Sententia aſſerens nõ deficere à voto ſolemni ex eo, quod nõ coniungatur cum cæteris.

Reſpondeo matrimonium initum poſt votum caſtitatis emiſſum in manibus Prælati Regularis etiam poſt annum probationis non poſitis tamen alijs duobus votis paupertatis, & obedientiæ re vera ſubſiſtere, nec irritum eſſe ex impedimento voti *Abbas c. rurſus in fin., qui cleric. vel vouent. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 25. num. 21.*, & alij magis communiter. Reſponſionem euincit ratio, quam adduximus pro priori opinione, quæ valde efficax eſt, & conuincens ſtante declaratione Pontificis *in illo c. vnico de voto in 6.*, quod votum non poſſit eſſe ſolemne, niſi fuerit ſolemnizatum per profeſſionem in legitima Religione emiſſam, & quod profeſſio non poſſit eſſe ſine tribus enuntiatis votis, vel implicitis, vel explicitis.

4 Matrimonium initũ poſt illud votum in manibus ſuperioris ſine alijs tenet.

Potiſſima ratio noſtræ reſponſionis erit ſolutio obiectorum. Arguunt igitur primo hoc pacto. Tota ratio, qua dirimitur matrimonium ſubſequens ad profeſſionem eſt ex voto ſubſtantiali caſtitatis, cui immediatè opponitur, non enim opponitur directè obedientiæ, aut paupertati, ſed in data hypotheſi eſſet votum caſtitatis,

&

& vtique ſolemnizatum, cum tradiderit ſe determinato ordini approbato in manibus illius Prælati, ergo eſſet ratio propriè irritans, adeoque non eſt, cur illud matrimonium non debeat dirimi. Sed contra fateor directè dirimi matrimonium ex voto caſtitatis præcedenti, & non ex alijs votis formalitèr, ſicuti alienatio bonorum irritatur ex voto paupertatis directè, & non ex voto caſtitatis cum eidem directe non apponatur, nego tamen dirimi ex eodem quomodocunque accepto, cæteroqui etiam ex voto ſimplici irritaretur, quod eſt contra communem DD. ſenſum, & praxim Eccleſiæ; ſed requiritur, vt votum illud ſit ſolemne, cum per illud ſolum fiat traditio vt ſupra latè dicebamus; ſolemne autem eſſe non poteſt, niſi ſolemnizetur per profeſſionem, ad quem tria vota explicite, vel ſaltem implicitè requiruntur; vnde alia duo vota non requiruntur, vt ipſa caſtitas propter oppoſitionem dirimat matrimonium, ſed vt conſtituant votum ſolemne, per quod ſolum matrimonia dirimuntur.

**Votum caſtitatis nō eſt ſolemnizatū niſi per profeſſionem.**

Arguunt ſecundo ex allegato textu *in c. fin., qui cleric. vel vouentes*, vbi non ſolum ſupponitur illud votum caſtitatis ſolemne, cum fuerit emiſſum penes Religioſum D. Auguſtini, vt ibi notat Gloſa, ſed etiam ibi exprimitur, quod matrimonium illud ſtante illo voto ſit omnino inualidum, cum Pontifex cogat habitum reaſſumere, & votum, quod emiſſerat adimplere. Ad hanc inſtantiam varie conantur DD. reſpondere. Aliqui aſſerunt, quod cum illa conditio appoſita de permanendo in propria domo, & retinendo res ſuas ſit turpis, & impoſſibilis cum ſtatu Religioſo habeatur pro non adiecta; Sed hæc ſolutio non placet, quia cum talis conditio ſit contra ſubſtantiam Religionis non vitiatur, ſed vitiat per textum *in c. cum ad Monaſterium in fin. de ſtat. monac. c. fin. de condit. appoſitis, & c. ſolet 32. q. 2., & arg. l. non ſolum ff. de action., & oblig.* Alij aſſerunt per illum textum *in c. fin. Qui cleric., vel vouentes* non irritari ſubſequens matrimoniū, quoad vinculum coniugale, ſed ſolummodo dici in pænam, quod teneatur illa, quę ſic vouit, habitum reaſſumere, & votū, quod emiſit adimplere; ſed etiam hæc ſolutio non placet, quia hic textus procedit de impedimento non ſolum impediente, ſed etiam irritante, vt colligitur ex titulo, & ex DD. communiter ſuper hoc capitulum ſcribentibus. Quamobrem clarior, & germanior ſolutio eſt illa, quam tradit *Gloſa in d. c fin. Qui Cleric., vel vouent. in verb., vt in domo propria, & in c. vlt. de conditionib oppoſ.*, ſcilicet illam conditionem, *vt in domo propria cum omni ſubſtantia ſua remaneret*, intelligendam eſſe non de proprietate ſubſtantiæ ſuæ, ſed de vſufructu, quatenus ex illo victum, & veſtitum haberet, adeo vt quidquid ſupereſt debeat eſſe, & ſit monaſterij, & ſi quid deſit, ei ſuppleatur à Monaſterio, prout in ſimilibus habetur *in c. ſi quis rapueiit 27. q. 1*, cum ſtatu autem Religionis repugnat quidem dominium rerum, non autem vſus rerum reuocabilis tamen ad nutum ſuperioris, prout colligitur *arg. c. de viduis 27. q. 1.*, nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in hac hypotheſi vſus ille non poſſet ad nutum ſuperioris reuocari, quandoquidem venit ſub conditione ante ingreſſum, ſeu ante votum illud ſolemne, quod debeant res illæ remanere in domo vouentis, & penes illam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in hac hypotheſi verificatur, quod illa conditio habeatur pro non adiecta, cum etenim vſus rerum ſuarum non pugnet cum ſubſtantia Religionis, & ex alio capite illa conditio ſit turpis, quandoquidem ſecundum quid limitat ius, & auctoritatem Prælati, & Religionis intelligitur vitiari, non vitiare. Nec in hac hypotheſi intelligitur deeſſe votum obedientiæ, quandoquidem, vt bene notat *Sanchez d. lib. 7. de matrimon. diſp. 25. num. 21. in fine* implicitè tale votum inuoluebatur, cum deberet illa fæmina in domo ſua habitare ſub Abbatis obedientia.

**Soluitur aliud argumentum.**

**Cum ſtatu Religionis repugnat dominium rerum non vſus.**

5 Ad illud, quod ſubdebatur, quod ſcilicet in aliquibus Religionibus à Sede Apoſtolica approbatis validè Religioſi profiteantur, & tamen in profeſſione ſolum vouent obedientiam, vt plurimi aſſerunt obſeruari in Regula D. Benedicti; Dicendum eſt hoc à nobis non inficiari, ſed non per hoc tollitur, quin interueniant omnia tria vota Religionis ſaltem implicitè, qui etenim ſic vouent, vouent obedientiam ad normam regulæ, ſecundum quam imponitur etiam paupertas, & caſtitas, & ſic vouentes obedientiam vouent etiam implicitè paupertatem, & caſtitatem, nec ad validitatem Religionis requiritur, quod expreſſe fiat profeſſio quoad ſingula vota, ſed ſufficit implicita, prout colligitur *ex d. c. vnico de voto in 6.*, vbi cum dicatur *per profeſſionem expreſſam, vel tacitam*, vtique intelligendum eſt de votis implicitis compræhenſis in aliquo tertio, quod hic contingit in voto obedientiæ.

**Votum obedientiæ in regula D. Benedicti inuoluit implicitè votum caſtitatis, & paupertatis.**

§ XXIV.

Digitized by Google

## §. XXIV.

### An vota ſolemnitèr emiſsa in Religione approbata penes ſuperiorem illius Religionis, quibus vouens non ſe obligat ad illam Religionem, ſed ad Religionem in genere ſint ſolemnia, & irritent matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur factum in ſuis terminis.* 1.
*Sententia aſſerens habere vim votorum ſolemnium, & dirimere matrimonium ſubſequens.* 2.
*Non habens vim ſolemnis profeſſionis, nec dirimunt ſubſequens matrimonium.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſita.* 4.

DISQVISITIO XXIV. Ingreſsus fuit quoddam Monaſterium D. Auguſtini Caius, ibique tyrocinium ad annum continuauit. Poſt annum probationis tria vota ſolemnitèr in manibus ſuperioris illius monaſterij emiſit, ſed cum animo nedum implicito, ſed etiam expreſso ſe non obligandi ad illam Religionem, ſed aliam in genere, nec determinatam. Quæſitum fuit, an illa vota ſubſtantialia Religionis ſic emiſsa habeant vim votorum ſolemnium, & an inducant impedimentum dirimens ſubſequens matrimonium.

1 **Proponitur factum in ſuis terminis.**

Communitèr docent, & habere vim votorum ſolemnium, & inducere impedimentum dirimens matrimonium. *Gofredus in ſumma tit. de Reg. n. 12. Abbas in c. cum virum in fin. de Regul. Ioannes Andreas c. conſul. n. 7. eod. tit. Ancharanus in c. conſtitutionem eod. tit. n. 2. not 4. Paludanus in 4. diſt. 32. q. 3. art. 5. n 33 Roſella verb. Nouitius n.* 19. Fundamentum deſumunt *ex c. conſtitutionem de Regali in 6.*, vbi dicitur. *Tacitè vero facta infra probationis annum per ſuſceptionem habitus, quo tantum profitentibus datur, non illi ſpecialitèr, cuius habitus eſt ſuſceptus, ſed generalitèr, Religioni alicui recipientem obligat, ſi ætatis apta ſit*, vbi vides textum hunc profitentem tacitè ante probationis annum per delationem habitus profeſsorum triduo obligare profitentem non illi Religioni ſpeciali, cuius habitus eſt ſuſceptus, ſed Religioni cuicunque, ergò obligabit Religioni cuicunque à fortiori, ſi in votorum emiſſione expreſsè ad illam ſe obligauerit; ſi enim delatio habitus Religionis talis, qui conceditur tali ordini ob profeſſionem habetur pro ſufficienti, & non ad illam, ſed ad quamcunque aliam obligat, cur non obligabit expreſsa votorum emiſſio cum intentione expreſsa obligandi ſe Religioni in genere? Nihilominus

2 **Sententia aſſerens habere vim votorum ſolemnium, & dirimere matrimonium.**

Reſpondeo illam votorum emiſſionem ſecundum allatas circunſtantias non habere vim ſolemnis profeſſionis, & propterea non inducere impedimentum dirimens ſubſequens matrimonium *Angelus verb. profeſſio n. 1., & 2. Armilla verb. Nouitius n. 9. Silueſter verb. Religio 3. q. 5., & 18. Nauarrus comment. 2. de Regul. n. 5. corrol.* 4. *Azorius lib. 12. inſtit. mor. c. 4 q. 5. in fin., & alij quos refert, & ſequitur, Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 25. num.* 22. Ratio ex eo deducitur, quià profeſſio in Religione eſt ſpirituale matrimonium quo profitens Religioni deſponſatur in vinculum perpetuæ caritatis, ſed matrimonium non poteſt eſse, niſi contrahentes mutuo ſibi fidem obligent, cum ſit in genere contractus, qui ex genere ſuo eſt vltro citroque obligatorius, ergò requiritur, quod non ſolum profitens ſe obliget Religioni, cui deſponſatur, ſed quod Religio obligetur eidem; ſed per profeſſionem emiſsam cum animo non ſe obligandi alicui peculiari Religioni, quæ acceptet promiſſionem, & repromittat, ſed Religioni in genere, nulla Religio eiuſdem acceptat obligationem, & eidem repromittit, ergò &c. Confirmatur, quià non tenet matrimonium, quo quis ſe obligat perſonæ indeterminatæ, & in genere, ſed requiritur certa perſona, ad quam dirigatur conſenſus, quæque acceptet, & repromittat, vt ex ſe patet, ergò nec poteſt ſubſiſtere profeſſio Religioſa, per quam quis ſe deſponſat Religioni, niſi dirigat vota per quæ promittit, ad determinatam Religionem, quæ acceptet, quæque repromittat.

3 **Non habent vim votorum ſolemniũ, nec dirimunt ſubſequens matrimonium.**

**Eſt matrimonium ſpirituale, quod exigit promiſſionem, & repromiſſionem.**

Ad rationem deſumptam ex *illo c. conſtitutionem de Regul. in 6.* dicendum eſt per illum textum non indicari, quod ratione illorum votorum ſic emiſsorum teneat profeſſio ratione alicuius Religionis, ſed tantum quod ratione eorundem obligetur in vim voti ſimplicis ad ingrediendum, & profitendum in aliqua Religione approbata, ſi illa velit ſe obligare ad illum recipiendum, & admittendum ad profeſſionem; quinimmò modo ſtante concilio Tridentino, ſi illa vota fuerint emiſsa ante annum probationis, nec poſsunt habere vim voti ſimplicis obligantis ad Religionem aliquam, quià illa vota ſic emiſsa nullius penitus roboris ſunt, quod autem nullum eſt nullam poteſt parere obligationem; hocque ſuſtinent omnes DD præallegati.

4 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

§. XXV.

## §. XXV.

An coniuges mutuo conſenſu ſe recipientes in Religionem teneantur pro eodem tempore emittere profeſſionem, & quid ſi alter prius emittat, & alter recedat à Religione.

### SVMMARIVM.

*Refertur caſus controuerſia in caſu particulari.* 1.

*Non eſt neceſſe, quod coniuges pro eodem tempore ſimul profiteantur, conſequentius tamen foret, ſi ſimul profeſſionem emitterent.* num. 2.

*Altero antecedenter profitente, altero ſubſequenter recedente profeſſio prioris non redditur irrita.* 3.

*Poteſt tamen ſic profeſſio ab altero reuocari.* num. 4.

*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 5.

*Reuocatus mortuo reuocante non poſſet ad alias nuptias tranſire.* 6.

*Viuente reuocante tenetur reddere, non tamen poteſt petere.* 7.

1 Refertur ſtatus controuerſiæ in caſu particulari.

DISQVISITIO XXVI. Duæ perſonæ nobiles, & magni nominis in vrbe quadam contraxerunt ad inuicem per verba de præſenti matrimonium, conſummarunt, & per multos annos in lætitia magna cordis, & voluptatibus cohabitarunt. Supremi numinis claritate perfuſi ſtatuerunt adinuicem vale dicere voluptatibus ſæculi, ſeque in antra deſerti Religionis recipere, vt ibi perfectius Deo vacarent, & cæleſtibus gaudijs, quibus etiam abundat in hoc ſæculo vita cælibs, & Religioſa perfruerentur. Fidem ſibi adinuicem dederunt de abrenuntiatione carni, & ſæculo, omnibuſque ipſorum vanitatibus, & de receptione in monaſterio ſtrictioris vitæ, & perfectioris obſeruantiæ; Promiſſionem, ſeù fidem, quam ſibi adinuicem oppignorauerant, adimpleuerunt, & alter ſe recepit in Monaſterium virorum, & mulier in monaſterium Sanctimonialium eiuſdem ordinis. Perſeuerante adhuc reſpectu vtriuſque anno probationis, cumque proximè accederent ad profeſſionem, & ad vota ſolemnia emittenda dubitatum fuit, an tenerentur pro eodem tempore vota ſolemnia emittere, & ſi alter præmiſerit, alter verò poſt eiuſdem profeſſionem, vel cedens laboribus, vel Dæmonis commotus ſuaſionibus ſtatuerit à Religione recedere, & ad inanes ſæculi pompas tranſire, teneatur, qui vota elicuit, eundem recedentem inſectari ratione vinculi indiſſolubilis matrimonij.

2 Non tenentur ex neceſſitate ſimul profeſſionem emittere, bene tamen ex congruentia.

Reſpondeo primo, non eſt neceſſe quod coniuges pro eodem tempore ſimul profiteantur; congruentius tamen foret, ſi ſimul profiterentur. Ratio eſt, quià nullum ius præcipit illam ſimultaneam profeſſionem, ſed tantum præcipiunt, vt ſi quis intendat poſt conſummatum matrimonium de licentia alterius ingredi Religionem, teneatur alter, ſi fuerit iuuenis, ingredi Religionem, vel ſi fuerit ſenex vouere continentiam, vt colligitur *ex c. cum ſis de conuerſ. coniug.* Ibi - *prohibentes ne virum, vel vxorem, niſi vterque ad Religionem migrauerit tranſire permittas. Verum ſi ita vxor ſenex eſt, & ſterilis quod ſine ſuſpicione poſſit, eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris, vt ea in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente ad Religionem tranſeat vir eiuſdem,* quod idem habetur *in c. vxoratus eod. tit., & in cap. ad Apoſtolicam eod.*, vbi ſic legitur. *Non eſt alter coniugum recipiendus ad obſeruantiam Regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat, ſed & vitam debet mutare, niſi fortè ſit eius ætatis, vt ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo remanere*, vbi vides, præcipi quidem vtrumque, ſi ſit iuuenis, debere in Religionem ingredi, nec poſse vnum recipi altero in ſæculo permanente, non tamen præcipi, vt ſimul profiteantur, quinimmò ibi ſolum dicitur, quod alter promittat, vel repromittat. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià cum poſſit contingere, quod altero profitente, alter à Religione ante profeſſionem reſiliat plura poſsent conſurgere incommoda, vt quod, vel prioris profeſſio irritaretur, vel profeſsus poſt profeſſionem à Religione auocaretur cum ſcandalo, & detrimento eiuſdem Religionis; vnde congruum eſſet, vt ſimul ſcilicet ſimultate morali profiterentur ad euitanda huiuſmodi incommoda,

3 Altero antecedentèr profitente, altero ſubſequentèr recedente profeſſio prioris nõ redditur irrita.

Reſpondeo ſecundo. Altero antecedentèr profitente, & altero ſubſequentèr recedente à Religione profeſſio prioris non redditur irrita, probabilius tamen eſt, quod poſſit reuocari à Religione, & tradi alteri recedenti. Ita quoad primam partem *Gloſſa cap. vxoratus verb. nullatenus de conuerſ. coniug. Gofredus in ſumma tit. de conuerſ. coniug n.5. Hoſtienſis in ſumma eod. tit. nu. 2. in fin. Aſtenſis ſecunda part. ſumma lib 8 tit. 11. art. 2. q. 11. Roſella verb. impediment. imped. 11. in initio. Durandus in 4. diſt. 32. q. 2. n. 6. Henriquez lib 11. de matrimon. c. 15 n 9. Azorius inſtit. mor. lib. 11 c. 1. q. 6. §. ſi quæras.* Quoad ſecundam *Gloſſa in c. 1. ad fin. de conuerſ coniug., & ibi Innocentius nu. vnico verſ. ſeruare, & verſ. hoc*

antem

*autem Cardinalis in fin. Henricus c. vxoratus n 8., & 10. de conuerſ. coniug. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. col 36.*

Ratio primæ partis deducitur *ex c. Agatoſa 27. q. 2.*, vbi legitur *experientia tua præcipimus, vt diligenti diſquiſitione diſcutias, ne forte cum eius voluntate conuerſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit, & ſi hoc repereris illum in monaſterio remanere prouideas,* vbi nota, quod Pontifex locutus eſt diſiunctiuè, ſi vxor conſenſum præſtitit, aut paritèr ſe mutare promiſerit, & in vtroque ſenſu Pontifex aſserit profeſsionem tenere. Hoc idem euincitur *ex c. ex parte el primo de conuerſ. coniug.*, vbi ſic legitur. *Quia vero prædictus vxore ſua remanente in ſæculo de iure ad Religionem proficiſci nequiuerit, ea tamen ſublata de medio votum ſine ſuæ ſalutis periculo non potuit violare. Mandamus, vt prædictum D. compellas, vt muliere dimiſſa* (intellige de ſecunda, quam duxerat) *ad ſuum monaſterium reuertatur ſub regulari habitu de cætero Domino ſeruiturus*, vbi nota præceſſiſse licentiam primæ vxoris de tranſeundo ad Religionem; item illum non potuiſse de iure tranſire ad Religionem, quod fuit ex cauſa, quià ſimilitèr vxor ingreſsa non eſt, nec emiſit votum continentiæ, & tamen ibi dicitur, quod non potuerit votum violare, & quod proptere a ſi aliam vxorem duxerit teneatur illam dimittere, quod non eſt niſi ratione illius profeſsionis, ſeù voti in eadem emiſsi; nec arbitrandum eſt hoc eſse ſolummodo ratione voti ſimplicis, in quod reſoluatur illa profeſsio; Non, inquam, arbitrandum eſt, quandòquidem, cum ibi dicatur *muliere demiſſa*, quod intellige de ſecunda ducta poſt illam profeſsionem, vtique non poteſt eſse ratione voti ſimplicis, cum votum ſimplex non dirimat matrimonium, nec cogat vxorem dimittere, ſed tantum efficiat, quod non poſsit petere, licet petenti teneatur reddere. Ratio autem fundamentalis horum omnium ea eſt; quià licet iura requirant, vt alter poſſit in Religione profiteri, quod alter inſimul profiteatur, ſi fuerit iuuenis, vel votum continentię emittat, ſi fuerit ſenex, profeſsio tamen alterius, ſeù votum continentiæ non eſt de ſubſtantia profeſsionis prioris, ſed tantum deſideratur, vt hæc licitè fiat, quando autem eſt omiſſio alicuius, quod non eſt de ſubſtantia, non vitiatur actus, vt per textum *in l. 1., & ibi Baldus C. de appel. Bartolus l. prolatam C. de ſent. Immola c. exhibita de iud.*, nec poteſt dici, quod per iura actus irritetur ex tali defectu, per quæ etiam irritantur plures contractus, quamuis ex genere ſuo eſsent validi; Non, inquam, dici poteſt, quia iura in hoc genere tantum præſcribunt, quæ fieri præcipiunt ad bene, & congruũ eſse talis actus, non tamen prohibent fieri ſub nullitate; Neque dicas nullitatem induci *ex c. vxoratus de conuerſ. coniug.*, vbi dicitur; *vxoratus ſine licentia vxoris inter vos nullatenus recipiatur, qua integræ opinionis exiſtat*, vbi dictio, *nullatenus*, irritat ipſo iure actum, vt multis probat *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 32. nu. 7.*, contra enim impugnaberis, quià ille textus ſolum prohibet recipi, non autem irritat receptionem, & profeſsionem, ſi forte emiſsa fuerit; nec ſemper verum eſt illam dictiorem *nullatenus* importare nullitatem, maximè, quando ex nullitate importaretur iuris alterius declarantis validitatem actus correctio. Deindè, quià in dicto textu ſupponitur, quod nulla interceſserit alterius coniugis licentia tranſeundi ad Religionem, & in ea profitendi, quod in noſtro caſu non euenit.

Rationes euincentes intentum.

Eſt omiſſio alicuius, quod non eſt de ſubſtantia.

Satisfit rationi oppoſitæ.

Dices, quando nulla interuenit licentia alterius coniugis, inualida eſt profeſſio alterius per textum *in c. notificaſti 33. q. 5., & c. veniens de conuerſ. coniug.*, vbi *Gloſa in verb. ſponte ſuppoſuit* dicit, quod ſi vir muliere inuita ingreſsus fuerit monaſterium inualidus ſit ingreſsus, & per textum *in c. placet eod. tit.*, vbi dicitur, quod ſi alter coniugum altero ignorante Religionem profiteatur, & propter hoc de monaſterio educatur, illo mortuo ad monaſterium redire non cogatur, ex quo deducitur, quod ſi redire non cogitur, non teneat illa profeſſio in ratione profeſſionis, ſolemniumque votorum, ſed dumtaxat ad ſummum in ratione voti ſimplicis, atque hoc idem ſentire videntur, *Rebellius lib. 3. q. 4. n. 15. Sanchez lib. 7. diſp. 34., & 35. nu. 1. Gutierez c. 95. n. 19., & 24.* dum aſserunt, quod ſi quis coniugatus profeſsus fuerit in Religione exiſtimans alterum coniugem deceſſiſse non teneat profeſſio, & altero ſuperueniente reuocatus nedum teneatur reddere, ſed etiam poſſit licitè petere; quo ſuppoſito ad rem noſtram ſic augmentor. Quando nulla eſt licentia alterius coniugis profeſſio, vnius eſt omninò inualida, ergo etiam erit inualida profeſſio vnius, quando ex communi conſenſu vterque ingreſsus eſt Religionem, & alter poſtea ab illa digreſsus rediuit ad ſæculum. Conſequentia probatur, quià quando vterque ſimul ex communi conſenſu ingreſsus eſt Religionem ad finem in eadem profitendi, vterque præſumitur illum conſenſum exhibuiſse ſub tacita conditione, ſi in illa perſeuerauerit, in eaque profeſsus fuerit, ergo non purificata illa conditione conſenſus ille nullum poterit ſortiri effectum, ac proinde talis erit, ac ſi non fuiſset poſitus, ſed quando nullus conſenſus eſt poſitus profeſſio alterius non tenet, ergo, nec &c. Sed contra, quià iura tantum reſpiciunt

Argumentum pro aduerſa parte ex iure deſumptum, & diſsolutum.

licentiam cum promiſſione voti continentiæ in ſene, vel ingreſsus in Religionem in iuuene; vnde ſicuti, qui facultatem conceſſit alteri cum voto in votis, & ex promiſſione non irritat profeſſionem alterius emiſsam cum debitis ſolemnitatibus ex eo, quod ante talem profeſſionem non emiſerit illud votum, & poſtea renuat illud emittere, ita qui facultatem conceſsit alteri ingrediendi in Religionem, & in illa profitendi, & cum eadem ingreſsus eſt ex eo, quod ante profeſsionem alterius non emiſerit profeſſionem, & poſtea renuat illam emittere non irritabit alterius profeſsionem; vnde merito iura ſtatuunt, quod poſsit compelli ad profeſsionem emittendam *Gloſa in c. qui vxorem in fin. 33. q. 5., & c. Agathoſa verb. vel ipſa in fin. 27. q. 2., & c. ex parte el primo verbo conſentiente de conuerſ. coniug. Roſella verb. impedim. impedim. 11. in princip. Angelus verb. matrimonium 4. n. 9. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 12. dict. 4. Sotus in 4. diſt. 27. qu. 1. art. 4 col. penult.* Deinde vel ille, qui ex coniugibus intendit recedere à Religione, & recedit, vel recedit ante profeſsionem alterius, vel poſt illam; ſi ante illam debuerat mulierem præmonere, ne profiteretur, & ſi non fuerit præmonita ipſa cum debitis conditionibus profeſſionem emiſit ſcilicet cum debita facultate, & ſic non eſt, cur non teneat profeſsio; ſi poſt, à fortiori hoc ſequitur, quià perſeuerante licentia hoc fecit; nec debet præſumi de illa conditione, de qua dicitur in inſtantia, cum licentia fuerit abſolutè concepta.

4 Poteſt tamen ſic [illegible]feſsus ab altero reuocari.

Ratio ſecundæ partis, (quæ tamen debet intelligi, quando alter à Religione recedit ex iuſta cauſa, puta, quià non poſsit continentiam ſeruare; ſi enim ex propriæ voluntatis arbitrio intenderet recedere, poſset obligari ad profeſsionem, vel in eadem Religione, vel in alia emittenda per allegata iura) deducitur *ex c. 1. de conuerſ. coniug.* Ibi *dicimus, quod niſi vxor ad Religionem tranſierit, aut perpetuo caſtitatem ſeruare promiſerit vir poteſt, & debet de monaſterio reuocari*, quod etiam colligi videtur *ex c. ex parte el primo eod. tit.*, vbi ex vno capite ſupponitur, quod, cum de iure in Religionem proficiſci nequiuerit ex eo, quod coniux, nec ingreſsa fuerit Religionem, nec votum continentiæ emiſerit, fuerit reuocatus ad coniugem, & ex alio, quod ea mortua ad alias nuptias tranſierit, & hic Pontifex damnat, quod alias nuptias contraxerit, & iubet, vt ea dimiſsa vxore redeat ad Religionem, per quod innuitur validitas profeſsionis, nihil tamen dicit de reuocatione, & acceſsu ad priorem coniugem, per quod quodamodo comprobat illam reuocationem. Hæc omnia inducta ſunt ad eum finem, ne ille, qui in ſeculo permanet, ſemper obnoxius remaneat periculis incontinentiæ cum graui creatoris iniuria, & detrimento ſalutis.

Finis poſtulatis ad reuocandum.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Neque obſtare poteſt textus *in d. c. Agatoſa 27. q. 2.*, vbi dicitur, quod, ſi vir voluntate vxoris ingreſsus fuerit monaſterium, vel ipſa ſe mutare promiſerit compellatur in monaſterium permanere non obſtante inſtantia vxoris, quæ licet facultatem dederit, non tamen ſe mutauit ingrediendo Religionem; Non, inquam, obſtare poteſt, quià in hoc textu ſupponitur, quod cum illa promiſerit mutare ſtatum renuat hoc præſtare ex propriæ voluntatis arbitrio, quare dicitur compellenda ad ingreſsum, & profeſsionem in Religionem, vt illo ſtatu ſibi conſulat in periculo incontinentiæ; in caſu autem, de quo hic loquimur, ſupponimus alterum, qui ingreſsus fuerat Religionem profeſsionem non emittere ex legitima cauſa, adeoque ab illa profeſsione emittenda excuſari; vnde ne ſubſit continuo incontinentiæ periculo poterit alium coniugem reuocare.

6 Reuocatus mortuo reuocante non poſſet ad alias nuptias tranſire.

Ex his tamen deduces, quod, ſi alter coniux, qui fuerat profeſsus reuocetur cauſa coniugis reuertentis ad ſæculum ex cauſa ante profeſsionem, non poſsit coniuge, qui ad ſæculum rediuit, è viuis decedente reuocatus ad alias nuptias tranſire eo quià ex vno capite profeſsio ab illo emiſsa ſupponitur valida, ex alio reuocatio fuit ad ſobueniendum periculo incontinentiæ alterius recedentis à Religione, & permanentis in ſæculo, quod periculum per illius mortem ceſsat. *Gloſa c. Agatoſa verb. debeat 27. q. 2. Hoſtienſis in ſumma tit. de conuerſ. coniug. nu. 8. Silueſter verb. diuortium q. 17. dict. 3., & ibi Armilla n. 12.*, quinimmò tenetur ad monaſterium redire, vt euincunt allegata iura, & DD.

7 Viuente reuocante tenetur reddere non poteſt petere.

Deduces ſecundo, quod ſic reuocatus, quantumvis vxori petenti teneatur reddere debitum, non poſsit tamen licitè petere, quià quantum eſt ex parte ſui tenetur vota, quæ valide elicuit, ſeruare, & ſi tenetur reddere eſt ex conditione iuris alterius.

§. XXVI.

## §. XXVI.

### An profeſsio coniugis emiſsa poſt conſummatum matrimoniũ ignorante altero, vel contradicente, ſi ſciuerit, teneat ſaltem in vim ſimplicis voti caſtitatis.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur ſtatus controuerſia.* 1.
*Duplex ſenſus, quo potuerint vota emitti.* 2.
*Si vota illa emiſerit ex fine immediato profeſſionis, profeſſio ipſa non reſoluitur in tria vota ſimplicia.* 3.
*Si vota illa in Religione emiſerit ſine fine illo primario permanendi in Religione, ſed animo ſe obligandi quantum poteſt tunc illa profeſſio obligat in vim voti ſimplicis caſtitatis.* 4.
*Coniux ſic inualide profeſſus altero non repetente non poteſt propria auctoritate exire.* num. 5.
*Inualide profeſſus, & per alterum reuocatus tenetur reddere, non tamen poteſt petere.* 6.
*Quamuis ambo antecedentèr ex communi conſenſu votum ſimplex caſtitatis emiſerint, ſi alter ſine licentia alterius profeſſionem emiſerit, poteſt per alterum reuocari.* 7.
*Reuocatus per alterum non tenetur eodem mortuo ad Religionem redire.* 8.
*Cur profeſſio vnius ſine licentia alterius reſoluatur in votum ſimplex caſtitatis, non Religionis.* 9.
*Poteſt tamen independentèr ab illa profeſſione votum ſimplex Religionis emittere.* 10.
*Qui inualide profeſſus eſt ob defectum conſenſus alterius, ſi poſt mortem reuocantis tranſierit ad alias nuptias validè tranſijt, non tamen licitè.* 11.
*Et in ea hypotheſi tenetur reddere, non tamen poteſt petere.* 12.

1 Status controuerſiæ expoſitus. DISQVISITIO XXVI. Contracto matrimonio, eoque conſummato inter Caium, & Meuiam Caius in corde ſuo ſtatuit ad Religionem tranſire, & forte etiam tranſijt ignorante Meuia, vel ſciente, & contradicente, in eaque profeſsonem emiſit. Hanc profeſſionem non ſubſiſtere ex prædictis, ſatis ſuperque conſtat. Hic iam quæritur, an illa profeſſio nullitèr ſic emiſsa reſoluatur in vota ſimplicia, & præcipuè caſtitatis; an verò ratione circunſtantiarum adnexarum retineat vim votorum ſolemnium; & dependenter ab hoc quæſito, ſeù huius quæſiti reſolutione multa alia diſcutientur, & primo, an ſi ſic inualidè profeſsus fuerit reuocatus non ſolum teneatur reddere debitum, ſed etiam poſſit petere, quantumvis non exigere; ſecundo, an nullitèr profeſsus poſsit per alterum reuocari, qui facultatem non dederat profitendi, quantumvis ipſe, qui reuocare intendit ex conſenſu alterius emiſerit præcedentèr votum caſtitatis ſimplex, & alia huiuſmodi.

Pro clariori intelligentia principalioris quæſiti ponderandum eſt, an ille coniux, qui ſic profeſsionem emiſit, & per conſequens vota, eadem vota emiſerit dependentèr ſolummodo à profeſsione, & ex fine immediato permanendi in Religione, vt alibi prænotauimus, an verò etiam independentèr ab illa ex animo ſcilicet ſe obligandi Deo, & ſe à voluptatibus carnis abſtrahendi, licet talia vota elicuerit ſimul cum profeſſione, quę intelligitur nulla; qua ſtante ponderatione. 2 Duplex ſenſus quo potuerint vota emitti.

Reſpondeo primo, ſi vota illa emiſerit dependentèr à profeſsione, & ex fine immediato eiuſdem, ſeù permanendi in Religione profeſsio illa non reſoluitur in vota ſimplicia, ac per conſequens ſic profitens ad nihil obligatur. In hanc reſponſionem propendet expreſsè *Sanchez de matrimon. lib. 7, diſp. 34. n. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia qui eligit media ex præciſa intentione alicuius finis eodem fine non aſsecuto euaneſcunt omnia illa media, quod præcipuè verificatur, quando tàm media, quam finis intentus dependent à voluntate eligentis finem, & preordinantis media ad illum finem; in tantum etenim vult illa media, in quantum conducunt ad illum finem, ergo ſi per illam actionem profitens non conſequitur valide finem profeſſionis, quem immediatè, & vltimato intendit, nec intelligitur obligari ad ea, quæ præciſè intendit ex intentione illius finis immediatè voliti. Verum tamen eſt, quod ſtante illa profeſſione ſic elicita, & non conſtante de intentione profitendi ex fine immediato permanendi in Religione iura præſumunt, quod voluerit ſe adſtringere, quantum potuerit, & de facto præſumit in ſimili de matrimonio inito per impuberes ineptos ad illud *in c. quidem, & cap. placet de conuerſ. coniug.* quare aſserit, quod ſi ex ineptitudine eorum actus non teneat in vim matrimonij, teneat ſaltem in vim ſponſalium. 3 Si vota illa emiſerit ex fine immediato profeſſionis non reſoluitur in vota ſimplicia.

4

Reſpondeo ſecundo, ſi vota illa in Religione emiſerit ſine fine illo primario permanendi in Religione, ſed animo ſe obligandi quantum poteſt, tunc illa profeſſio, quamvis non habeat vim votorum ſolemnium, obligat tamen in vim voti ſimplicis caſtitatis. Expreſsè colligitur *ex c. quidem, & c. placet de conuerſ. coniug.*



Digitized by Google

Si vota fuerit emiſſa non ex fine illo primario permanendi Religione ſed animo ſe obligandi quantũ poteſt profeſſio reſoluitur in vim voti ſimplicis caſtitatis.

in quibus iuribus dicitur ſic profitentem non obligari quoad ea, quæ dependent à voluntate, & poteſtate alterius coniugis, obligari verò quoad ea, quæ ſunt in poteſtate eiuſdem profitentis, licet inualidè, quod certè infert votum ſimplex caſtitatis, quod ex genere ſuo conſtante coniugio obligat vouentem ad ea obſeruanda, quæ ab ipſius voluntate dependent, licet non eximat ius alterius: Neque aduerſari poteſt, ſi aſſeratur, quod ordinatus ad ordines ſacros inualidè non obligetur ad votum ſimplex caſtitatis, quod eidem ordini adnectitur, ergo etiam profeſſus inualidè non obligabitur ad tale votum ſimplex; Non, inquam, aduerſari poteſt, quia votum eſt adnexum ordini ſacro ſolum ex diſpoſitione Eccleſiæ, vota autem in profeſſione ſunt de ſubſtantia, & formali ratione eiuſdem, vndè intendens profeſſionem intendit principaliter, ſeu ſaltem æquè primo votum, quod propterea ſi ex aliquo defectu rationis, quæ requiratur ad validitatem eiuſdem profeſſionis, non teneat in vim voti ſolemnis, tenet tamen quantum tenere poteſt, adeoque in vim ſimplicis; intendens autem ſacros ordines non intendit votum, niſi quatenus eſt ex diſpoſitione Eccleſiæ eiſdem ordinibus adnexum, adeoque illud non intendit principaliter ſecundum ſe, ſed acceſſoriè ratione ordinum, qui ſi propterea ex defectu ſubſtantiali non teneant, non eſt, cur obligent ſic inualidè ordinatum ad illud vinculum voti per textum *in l. 3. §. fin ff. de ſeruit. ruſt. præd. & l. cum principalis ff. de reg. iur.*

Diſpar ratio de voto annexo ſacris ordinibus, ac de voto annexo profeſſioni.

Coniux ſic inualidè profeſſo, an altero non petente poſſit propria auctoritate exire?

Hic oritur difficultas, an coniux ſic inualidè profeſſus altero non repetente poſſit propria auctoritate ad ſeculum redire. Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſp. 34. n. 15.* aſſerit vtique poſſe etiam altero non repetente propria auctoritate redire, tum ob inualiditatem profeſſionis; tum ne conferat alteri anſam incontinentiæ, & occaſionem peccandi; tum ob iniuſtitiam, qua ſe alteri abſtulit, vnde tanquam iniuſtus detentor rei alienæ debet ex iuſtitia eandem reſtituere etiam altero non repetente; tum ob textum *in c. vna ſola 33. q. 5.* vbi ſic legitur. *Nam & vouenda talia non ſunt à coniugatis, niſi ex conſenſu, & voluntate communi; & ſi præpoſterè factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſoluenda promiſſio.* Nihilominus probabilius ſentiendum eſt, alio non repetente non poſſe propria auctoritate exire. *Paludanus in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2. n. 15. Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. concl. 9. Silueſter verb. diuortium q. 14. ſtatim in principio, Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de conuerſ. coniug. in priori edit. conſ. 3. n. 3. & 4. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 5. n. 10.* Expreſsè colligitur ex *c. placet de conuerſ. coniug.* vbi prægnantibus verbis aſſeritur: *Reſpondemus, quod licet votum eius vſquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus ſe poterat obligare, promiſit enim intrando monaſterium, ſe non exacturum carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius; redire vero ad ſaculum non erat in ipſius poteſtate, ſed in poteſtate mariti, & ideo quantum ad ipſam tenuit votum; quo quid clarius ad rem noſtram?* Nec in hoc multum negotij faceſſit reſponſio *Sanchez loc. cit. in fin.* dum aſſerit mentem legiſlatoris in illo textu eo tendere vt non ſit in poteſtate ipſius in Religione manere, vnde aſſerit, quod per ly *redire ad ſaculum non eſſe in eius poteſtate*, intelligendum ſit vt reddat hunc ſenſum, vt non poſſit deſerto marito profiteri, nec velle redire ad priſtinam coniugalem vitam. Sed quiſque videt quam à germano, & recto ſenſu verborum textus declinet hæc reſponſio: Ibi ſermo eſt de iis, ad quæ obligatur inualidè profitens, & ad quæ non obligatur ratione voti ſimplicis caſtitatis, in quod reſoluitur illa profeſſio; Dicit textus, quod cum ſit in ipſius profitentis inualidè poteſtate non exigere carnis debitum, teneatur vtique à tali exactione abſtinere, & per conſequens dum ſubdit, quod non ſit in ipſius poteſtate redire ad ſeculum, ſed mariti, vtique voluit, quod repetente marito teneatur exire, propria tamen auctoritate non poſſit exire, cum hoc non ſit in ipſius poteſtate. Dicere deinde quod textus voluerit exigente marito reditum non poſſe profeſſum in Religione permanere eſt inanis, & ridicula explicatio; nullum etenim erat dubium, quod poſita inualiditate profeſſionis poterat per maritũ reuocari, nec poterat nolle eodem exigente non redire ad priſtinam vitam coniugalem; Dubium igitur erat in aſſignãdo (ſuppoſito voto ſimplici, quod in illa profeſſione inuoluebatur) quænam ex poteſtate vxoris inualidè profeſſæ poſſent ratione voti adimpleri, & quænam non, & dum textus dicit, quod poterat abſtinere à carnalis debiti exactione, non verò ex ſe redire ad ſeculum vtique ſentiendum eſt voluiſſe non poſſe ex propria auctoritate redire, ſed tantum repetente altero coniuge; & quidem recta ratione hoc textus definit, quandoquidem cum teneatur, quantum eſt ex ſe abſtinere ab exactione, quia quantum in ſe eſt tenetur votum adimplere, tenetur etiam quantum eſt ex ſe ea effugere, ratione quorum facilius poteſt moueri ad eiuſdem voti non obſeruantiam, ſeu non implementum, quod vtiquè contingeret, ſi propria auctoritate rediens ad ſeculũ ſe coniugi præſentaret.

Sententia affirmatiua

5 Sententia negatiua præfertur.

Reiicitur ratio Sanchez explicatis textum in c. placet de conuerſ. coniug.

Quamobrem ad rationes, quæ aduerſus hanc noſtram opinionem afferebantur, ex Sanchez dicendum eſt, & quidem ad

Digitized by Google

ad primam aſſerendum, quod licet ratione profeſſionis inualidæ non teneatur in illa Religione permanere cum inualidè ad illam ſe obligauerit, teneatur tamen ex conſequenti ratione voti, vi cuius quantum eſt ex ſe tenetur ea efficere, quæ poſſunt conducere ad eiuſdem perfectum implementum ſine læſione iuris alterius; per ſpontaneum autem non regreſſum eiuſdem alterius ius non læditur, cum ſi vellet, poſſet liberè reuocare. Ad ſecundum dicendum eſt, alteri non præbere anſam incontinentiæ, nec occaſionem peccandi, cum poſſet ſibi occurrere per ingreſſi reuocationem, vnde ſi incontinentiæ labes contraxerit, debet ſibi imputare, quod non reuocauerit, & ſicuti, ſi ex eo, quod alter obſtrictus voto ſimplicis caſtitatis non petat debitum, non excuſaretur alter ab incontinentia, ſi quam commiſerit, cum debeat ſibi imputare, quod non petierit, ita ex eo, quod alter profeſſus in Religione, licet inualidè ſpontè propria non redeat, non poterit à labe incontinentiæ excuſari, cum facile potuerit ſibi conſulere per reuocationem eiuſdem. Ad tertium dicendum eſt, hoc eſſe ſpeciale in contractu matrimonij, vt licet per eundem transferatur mutua poteſtas in corpus vtriuſque coniugis ad inuicem, quoad vſum tamen non ſemper obliget, ſed tantum ad petitionem alterius; vnde etiam non impedit, quo minus alter, quantum in ſe eſt, & quoad ea, quæ ſui iuris ſunt ex motiuo maioris perfectioris poſſit ſe Deo obligari, dummodo ſeruet ea, quæ iuris alterius ſunt, vnde conſtante etiam eodem matrimonio poteſt vinculum ſimplicis caſtitatis emittere, ratione cuius impediatur à petendo debito, & ad ſeruandam caſtitatem, quantum in ſe eſt, ſaluo tamen iure alterius. Cum igitur in hac hypotheſi ſe obligauerit Deo per votum ad ſeruandam caſtitatem, quantum in ſe eſt, non poteſt de hoc conqueri alter coniux, nec dolere, quod non redeat, ſicuti nec poteſt dolere, quod non petat, cum cæteroqui paratus ſit ad redendum, & reddendum, ſi alter petierit. Ad vltimum deſumptum ex textu *in c. vna ſola* 33. q. 5. dicendum eſt ea procedere, quæ ibi dicuntur quoad ea, quæ lædunt ius alterius non vouentis, cum ad hoc requiratur etiam ipſius conſenſus, ſine quo non poteſt lædi, non quoad ea, quæ ſunt in poteſtate ipſius vouentis; & hæc explicatio neceſſario admittenda eſt, cæteroqui iniuſtè diceretur *in d. c. quidam, & c. placet de conuerſ. coniug.*, quod inualidè profitentes propter non licentiam alterius coniugis obligarentur ad ea, quæ ſunt in poteſtate eorundem vouentium, ſeu profitentium, & præcipuè ad non exigendum carnis debitum.

*Soluuntur rationes ex aduerſo oppoſitæ.*

Reſpondeo tertio. Inualidè profeſſus ob non licentiam alterius coniugis, & per eundem à Religione reuocatus tenetur eidem reuocanti petenti reddere debitum, non tamen poteſt petere, nec à fortiori exigere. *Albericus in ſuo dictionario lit. V. verb. votum* 4 *Paludanus in* 4. *diſt.* 27. *q* 3. *art.* 2. *n.* 15. *Aſtenſis in ſumma* 2. *part. lib.* 8 *tit.* 11. *art.* 2. *q* 16. *Sotus in* 4. *diſt.* 27 *q.* 1. *art.* 4. *verſ. caſus autem, & alij magis communitèr* in aliqua parte contra *Nauarrum in ſumma c.* 12. *n.* 60. *Henriquez lib.* 12. *de matrimon. c.* 2. *n.* 9. in ea ſcilicet parte, qua aſſerimus, non poſſe petere; ipſi enim aſſerunt, quod licet non poſſit, *exigere*, quod importat coactam petitionem, poſſit tamen humiliter petere, & fundantur in eo, quod textus prohibentes petitionem vtantur titulo, & nomine exactionis, ſeù exigentiæ. Ratio ex eo deducitur, quià quantum in ſe, tenetur obſeruare votum caſtitatis, & tantum tenetur adimplere ea, quæ ſunt iuris alterius coniugis, ſed petendo debitum etiam, ſi humilitèr hoc præſtet, non obſeruaret caſtitatem quantum in ſe eſt, & ſicuti ex dictis in præcedenti difficultate non obſeruaret, ſi profeſſus in Religione, licet inualidè ex defectu licentiæ alterius coniugis egrederetur ex propria auctoritate, & non ad petitionem alterius, ità minus obſeruaret, ſi debitum ex ſe peteret, ergo &c. Neque obſtare poteſt, ſi dicatur, quod coniux, qui in matrimonio, ſeù conſtante matrimonio commiſit adulterium, poſſit petere, licet non exigere debitum, ergo etiam &c. Non, inquam, obſtare poteſt, quià qui commiſit adulterium priuatur iure exigendi debitum in fauorem alterius innocentis, cui iuri poteſt cedere ipſe innocens, reddendo, ſi alter ſupplex pro remiſſione confugiat, qui vero in profeſſione inualida emiſit votum ſimplex caſtitatis non priuatur iure exigendi debitum in fauorem alterius, ſed proptèr votum caſtitatis, quod ſeruare tenetur, quantum in ſe eſt; non ſeruaret autem, ſi peteret. Quamobrem ad ea, quæ dicebantur, dicendum eſt, quod ly exigere in iure pro eodem ſumatur, ac petere, & ſi quandoque vtantur verbo *exigere*, quandoque etiam vtuntur verbo *petere*.

6 *Inualidè profeſſus ob non licentiam alterius, & per eundé à Religione reuocatus tenetur reuocanti reddere non tamen poteſt petere, nec exigere.*

*Æquè impeditur petere, ac exigere.*

Reſpondeo quarto. Quantumvis ambo antecedentèr ex communi conſenſu votum ſimplex caſtitatis emiſerint, ſi alter ſine licentia alterius poſtea profeſſionem emiſerit poteſt per alterum reuocari, *Innocentius c. dudum n.* 4. *de conuerſ. coniug.*, & *ibi Ioannes Andreas nu* 7. *in fin. Antonius c.* 1. *n.* 6. *eod. tit. Aſtenſis in ſumma* 2. *part. lib.* 8. *tit.* 10. *art.* 2. *q.* 8. *Ioannes de Triburgo ſumma confeſ. lib.* 1. *tit.* 8 *q* 46. *in fin. Sotus in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1 *art.* 4. *ad fin. verſ. quod ſi contra*

7 *Si vterque communi conſenſu votum caſtitatis ſimplex emiſerit, & alter ſine licentia profeſſus fuerit poteſt per alterum reuocari.*

*tra arguas*. Ratio eſt, quià ex vna parte omnia iura *tot. tit. de conuerſ. coniugat.* requirunt ad validitatem profeſſionis vnius coniugis licentiam alterius; ex alia ex voto ſimplici caſtitatis adinuicem emiſſo ex vtriuſque conſenſu abſoluuntur quidem coniuges à debiti coniugalis vſu, non tamen eximuntur ab onere mutuæ cohabitationis, alijſque perſonalibus obſequijs, ad quæ obligat vinculum coniugale ob indiuiduam vitæ vnitatem, quam illud inducit, ergò altero tranſeunte ad vitam Religioſam per profeſſionem ſine licentia alterius vtique poterit reuocari. Verum tamen eſt, quod obligari non poſſunt ad mutuam cohabitationem in eodem lecto ob periculum incontinentiæ, cui aduerſatur idem votum ſimplex caſtitatis mutuo conſenſu emiſſum.

8
**Reuocatus per alterũ non tenetur eodem mortuo ad Religionẽ redire.**

Ex his deduces primo, quod, ſi coniux, qui ſine licentia alterius profeſſionem emiſit ab altero reuocetur, non teneatur poſtea eodem mortuo ad Religionem redire *Antoninus c. quidem, & ibi Abbas n. 4. Cardinalis n. 2. oppoſ. 4. de conuerſ. coniug. Roſella verb. impedimentum imped. 11. ad fin. principij. Lancellotus inſtit. iuris canon. lib. 2. tit. de diuort. §. quæſitum tamen eſt verb. teneri*. Ratio ex eo deducitur, quià licet in ea profeſſione inualidè emiſſa inuoluatur votum ſimplex caſtitatis per ſuperius probata, non tamen inuoluitur votum ſimplex Religionis, prout colligitur *ex c. quidam de conuerſ. coniug.*, vbi ſic habetur, *Votum non tenuit, vnde ratione voti non tenetur ad Religionem redire*, atque ſic docent, *Gloſa in c. Agatoſa verb. debeas 27. q. 2. Sotus in 4. diſtinct. 27 q. 1. art. 4. verſ. caſus autem, Lancellotus inſtit. iur. canon. lib. 2. de diuortijs, §. quæſitum tamen eſt verb. teneri, Innocentius eod. c. quidem in principio, & ibi Ioannes Andreas nu. 3. de conuerſ. coniug.* Si autem inquiras, cur votum caſtitatis in profeſſione emiſſum reſoluatur in ſimplex ob defectum licentiæ alterius coniugis, ipſa autem profeſſio non reſoluatur in votum ſaltem ſimplex Religionis, ſeù ingrediendi Religionem, cum potuerit; ſtatim reſpondebo, hoc ex eo prouenire, quià ſic ingreſſus ſine alterius licentia non erat perſona idonea ad ingrediendum, & profitendum, cum non haberet poteſtatem ſui corporis, quam in Religionem transferret, vouens autem habebat poteſtatem ſe obligandi ad non petendum debitum, adeoque &c. Quod ſi vrgeas, quod quantumvis non eſſet perſona idonea ad transferendum in Religionem dominium ſui corporis pro illo tempore, quo inualide profeſſus eſt, eſſet tamen perſona idonea ad promittendum de tranſlatione talis dominij pro tempore, quo alter coniux fuerit præmortuus, vel ſi præmortuus fuerit, ſtatim impugnaberis, quià vt bene notat *Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 34. nu. 10. prope medium* per illam profeſſionem actu emiſſam inualidè tamen ob defectum conſenſus alterius coniugis non inducitur obligatio permanendi perpetuo in Religione ſub obedientiæ, iugo in qua conſiſtit votum Religionis in profeſſione factum cum profeſſio dicat indiuiduam quandam obligationem ad vnicum actum permanendi ex tunc in perpetuum in Religione, quæ obligatio, ſi tunc non potuit induci ob inhabilitatem perſonæ, nec potuit induci quoad tempus futurum, cum ſit per modum vnius, ea proportionali ratione, qua ſi quis alteri obligatus per coniugium actu celebratum, & conſummatum, ſe obliget alteri per aliud coniugium ob inhabilitatem ratione matrimonij præcedentis, ex vi ſecundi coniugij nec contrahit obligationem de præſenti, nec de futuro, cum ſecundus ille contractus, nec habeat vim matrimonij, nec ſponſalium, & hoc quantum eſt ex vi illius ſecundi matrimonij conſtante primo, quod etiam verificatur in caſu, de quo loquimur, quantum eſt ex vi profeſſionis emiſſæ ſine licentia alterius coniugis conſtante cum eodem matrimonio.

9
**Cur profeſſio voius ſine licentia alterius reſoluatur in votum ſimplex caſtitatis, non Religionis**

**Adducitur expreſſa ratio, cur non reſoluatur in votum ſimplex Religionis.**

Non negauerim tamen, quod ſi independentèr ab illa profeſſione votum ſimplex Religionis emiſerit referendo implementum eiuſdem ad tempus poſt obitum alterius, vtique poſt talem obitum obligaretur eo, quià tunc ſolum obligatio implementi conſurgeret; at ex quo in illa profeſſione ſe obligauit de præſenti, & obligatio de præſenti ſit indiuidua, & inferat onus ad vnum actum permanendi perpetuo in Religione, nec poſſit in ea ratione ſubſiſtere, ſequitur, quod ſi in illo non teneat, nullo modo teneat, quod diuerſimode procedit in voto caſtitatis, quod patitur diuiduitatem quoad onera, quæ inducit, nempe quoad obligationem abſtinendi ab illicito concubitu, & coniugali & matrimonio ineundo, quæ onera vtique ſe cerni poſſunt, vnde cum conſtante adhuc matrimonio adimpleri poſſit in parte, licet non in toto, hinc eſt, quod in illa parte perſeuerat de præſenti, & quoad alias partes ſuſpendatur ad tempus, pro quo poſſit adimplere, adeoque &c. Quibus ſuppoſitis infero, ergò eodem inualidè profeſſo reuocato per alterum coniugem eodem mortuo non orietur in eodem reuocato onus iterum ingrediendi Religionem. Conſequentia probatur, quià illud onus ingrediendi Religionem iterum poſt obitum coniugis, nec conſurgit ex vi voti ſimplicis Religionis, quandoquidem iam probatum eſt hoc non conſurgere ex vi illius profeſ-

10
**Poteſt tamen independentèr ab illa profeſſione votum ſimplex religionis emittere.**

**Obligatio de præſenti in illa profeſſione eſt indiuidua.**

ſionis

Digitized by Google

ſionis inualidè emiſſæ; nec ex vi voti ſimplicis caſtitatis, cum hoc ex genere ſuo non obliget ad Religionem, & poſſit extra illam mortuo altero coniuge in toto perfectè adimpleri; Neque dicas ex ſuperius dictis, qui inualide emiſit profeſſionem altero coniuge non conſentiente, ſeù ex defectu conſenſus alterius coniugis, quamuis poſſit abſtinere à petendo debito coniugali, quinimmo teneatur abſtinere, non poteſt tamen propria auctoritate à Religione exire, vt ſe reddat ſuo coniugi per textum *in cap. placet de conuerſ. coniug.* ergò ſi fuerit reuocatus ad iaſtantiam alterius coniugis, & hic præmortuus fuerit tenebitur ad Religionem redire. Conſequentia probatur, quia ratio, ob quam non poteſt propria auctoritate exire, eſt, quia non eſt in ipſius poteſtate recedendi à Religione, & in tantum ei permittitur, in quantum alter, qui non conſenſit ad ius ſuum conſeruandum poteſt eum reuocare, ergo ceſſante iure alterius ob obitum tenebitur ad Religionẽ reuerti, quia egreſſus eſt ſolummodo ei permiſſus ex iure alterius; contra enim reſpondent aliqui illam obligationem redeundi per illam reuocationem caſſari. *Abbas in c. quidam n. 4. & ibi Cardinalis n. 2. oppoſit. 4. de conuerſ. coniug. Roſella verb. impedimentum imped. 11. ad fin. princip. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 12. dict. 5.* & propterea eam extinctam nõ amplius reuiuiſcere; hæc reſponſio, ſi verum ſupponeret, ſeu veritati inniteretur, vtique rectè euacuaret inſtantiam; ſed non ita certum eſt illam obligationem, ſi verè nata fuerit, reuocatione extingui, quandoquidem vel verè illa obligatio nata eſt, vel non; ſi nata eſt ſicuti profeſſio elicita cum conſenſu alterius, qui tamen ſi fuerit iuuenis non mutauit ſtatum, & ſi fuerit ſenex non emiſit votum continentiæ, non irritatur per reuocationem factam ab altero coniuge, ita ſi profeſſio inualide emiſſa, vere induxerit illam obligationem, illa obligatio non irritabitur per illam reuocationem, ſed ad ſummum ſupendetur ob obitum coniugis reuocantis, quo propterea decedente non erit, cur ad ſuum priſtinum ſtatum non ſit reducenda; ſi nata non eſt, non poteſt dici, quod illa reuocatione caſſetur, ſi quidem, quod non eſt, non poteſt extingui. Quamobrem directè ad inſtantiam reſpondeo, ideò non poſſe propria auctoritate exire, quia exeundo viuente coniuge, eodemque, non exigente regreſſum, quantum eſt ex ſe ea non præſtaret, quæ requiruntur, vt ſeruet quantum in ſe eſt caſtitatem, quam promiſit, cum ſe ſponte exponeret ſtatui, quo alter de facili peteret, & ſine quo non peteret; cui non ſe exponeret poſt reuocationem remanendo in ſæculo, ſi alter reuocans fuerit præmortuus; vnde, quod non teneatur poſtea ad Religionem redire expreſſe *ex c. quidam de conuerſ. coniug.*, & etiam *ex c. placet eod. tit.*, vbi non iniungitur onus redeundi, ſed tantum dicitur, quod conſultius foret, ſi rediret, quod eſt ob maiorem perfectionem, & ob tutius caſtè viuendum.

Illa obligatio non irritatur per illam reuocationem.

Deduces ſecundo, quod, ſi ille, qui inualidè profeſſus eſt ob defectum conſenſus alterius, & reuocatus ad eiuſdem petitionem mortuo reuocante ad alias nuptias tranſierit illicitè quidem tranſierit, ſed validum ſit matrimonium *Gloſa cap. Agatoſa verb. debeas 27. quæſt. 2., Gofredus in ſumma tit. de conuerſ. coniug. num. 3., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. quæſt. 16. Nauarrus in ſumma cap. 13. num. 16. Barboſa rub. ff. ſolut. matrim. 2. part. n. 101. Durandus in 4. diſt. 32. quæſt. 2. nu. 7., & ibi Paludanus q. 2. art. 3. num. 22.* Ratio ex eo deducitur, quia obſtrictus voto ſimplicis caſtitatis iniens matrimonium ſinè diſpenſatione ſuper illo voto validè contrahit, licet illicitè, cum illud ſit ſolummodo impedimentum impediens, non vero dirimens; Neque dicas, quod licet illud votum defectu ſubſtantialis conſenſus alterius non ſit propriè, & in rigore ſolemne, ex eo tamen, quod ſolemnitas fuerit emiſſa in certa Religione approbata habeatur pro ſolemni, & ſufficiens ſit ad irritandum ſubſequens matrimonium prout docet *Gloſa in cap. quidam verb. non exigere in priori reſponſo, & ibi Hoſtienſis nu. 2. de conuerſ. coniug., & ibi Antonius num. 8.* contra enim impugnaberis, quia ad rationem voti ſolemnis requiritur, quod fiat implicitè, vel in ſuſceptione ſacrorum ordinum, vel in profeſſione; illa autem profeſſio non eſt profeſſio adeoque &c.

11 Qui inualide profeſſus eſt ob defectum conſenſus alterius, ſi poſt mortẽ reuocantis tranſierit ad alias nuptias valide tranſijt, non tamen licitè.

Deduces tertio, quod ſi tranſierit poſt obitum primi coniugis ad ſecundas nuptias poſſit quidem reddere debitum eidem ſecũdo coniugi, nõ tamen poſſit petere ratione voti, quod perſeuerat, quodque ratione vinculi coniugalis non eximit quidem ab onere verſus alterum, eximit tamen à iure, quod habebat petendi ad effectum ſeruandi caſtitatem, quantùm poteſt, & in hoc etiam caſu dicenda ſunt, quæ cõmuniter dicuntur de contrahente matrimonium, qui obſtrictus ſit vinculo ſimplici caſtitatis, in hoc etenim diſpar non eſt ratio.

12 Et tenetur reddere non tamen poteſt petere.

§. XXVII.

## §. XXVII.

### An, ſi coniuges poſt contractum, & conſummatum matrimonium mutuo conſenſu voueant caſtitatem poſſint ſibi iterum conferre poteſtatem vſus coniugij, & quid ſi de facto conferant.

*SVMMARIVM.*

*Factum in ſuis terminis, & articuli examinandi.*

*Coniuges poſt votum mutuum caſtitatis non poſſunt ſibi remittere licite poteſtatem vſus coniugij, bene tamen validè.* 2.

*Illa renuntiatio efficit quidem, vt ſibi reddere poſſint, non tamen petere.* 3.

1 Factum in ſuis terminis, & articuli examinandi.

DISQVISITIO XXVII. Contracto matrimonio, eodemque conſummato inter Andræam, & Calidoniam ijdem mutuo conſenſu conuenerunt de voto ſimplici caſtitatis emittendo, prout de facto emiſerunt. Poſtea pænitentia moti remiſerunt ſibi adinuicem renuntiationem illam iuris petendi, & reddendi, quam vouendo fecerant conferentes exigendi poteſtatem. Hic multiplex ortus eſt articulus examinandus. Primus erit, an potuerint ſibi remittere illam renuntiationem non ſolum validè, ſed etiam licitè. Secundus ex ſuppoſitione, quod validè potuerint remittere, & non licite, an poſtea illa poſita poſſint libere ad inuicem petere debitum, & reddere. Tertius, an quamuis non poſſint petere, teneantur ſaltem reddere. Quartus, an poſita illa renuntiatione iuris petendi, & reddendi peccarint ſolummodo in illa renuntiatione, an verò in omnibus actibus petitionis, & redditionis ſubſequentibus.

2 Non poſſunt remittere ſibi renuntiationem licitè, bene tamen valide.

Reſpondeo primo, non potuiſse licitè ſibi adinuicem remittere illam renuntiationem, illam autem remiſſionem factam tenere. Conſentit in vniuerſum *Sanchez lib. 9. diſp 37. n. 15.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià obligantes mutuo conſenſu invicem Deo ad ſeruandam caſtitatem per votum ſimplex eiuſdem ſine vlla temporis limitatione ſe obligant quantum eſt ex ſe ad ea omnia, quæ poſſunt obſiſtere eidem voto caſtitatis tàm in petendo, quam in reddendo, ergò non poſſunt illi iuri Deo acquiſito per mutuum conſenſum renuntiare tribuentem ſibi facultatem petendi, & reddendi, quin ſacrilegi conſtituantur effractores voti, & per conſequens reus læſæ fidelitatis erga Deum. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià votum ſimplex caſtitatis non aufert corporis dominium, nec impedit tranſlationem eiuſdem in alium, vt videre eſt in matrimonio contracto per obſtrictum voto ſimplici caſtitatis, ergò ſi exiſtente voto caſtitatis ſimplici quiſque alteri tradet poteſtatem in ſui corpus validè tradit per matrimonium ſubſequens, ratione cuius tenetur reddere petenti, etiam eodem exiſtente voto, ſi alteri coniugi per renuntiationem remiſſionis tradat eadem poteſtatem poſt matrimonium iam initum valide tradit, adeovt ratione eiuſdem renuntiationis tenetur poſtea reddere. Neque obſtat, ſi dicatur, quod cum illud votum mutuo vtriuſque coniugis conſenſu fuerit emiſſum per vtrumque, fruſtratoriè vnus transferat ius proprij corporis in alium, quandòquidem alius ratione voti pariter à ſe emiſſi non poſſet petere, quod non militat, quando præcisè matrimonium init cum non obſtricto ſimili voto caſtitatis; Non, obſtat, inquam quià quamuis alter non poſsit licitè petere, & ſi peteret, ſacrilege peteret, non tollitur tamen quin talis actus eſset coniugalis, licet illicitus ex parte petentis ratione voti, quo obſtringitur, quod ſatis eſt ad hoc inſtitutum.

Per votum ſimplex caſtitatis nõ transfertur dominium.

3 Illa renuntiatio efficit quidè, vt ſibi inuicem reddere poſſint, non tamen reddere.

Reſpondeo ſecundo. Illa renuntiatio efficit quidem, vt ſibi inuicem reddere poſſint, non tamen vt licitè poſſint petere. Conſentit in vniuerſum *Sanchez lib. 9. de matrimon. diſp. 37. nu. 15.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia votum ſimplex caſtitatis non impedit validam tranſlationem proprij corporis, nec tollit, quin eo obſtrictus teneatur alteri reddere, vt eſt in confeſso apud omnes, ergò relaxato iure, quod alter ex coniugibus habet aduerſus alterum ne petat, quod præſtat per illam renuntiationem, altero exigente, quod impedire non poterit ratione eiuſdem renuntiationis tenebitur reddere, quod vice verſa dic de altero, qui ſimili voto obſtrictus intelligitur. Confirmatur, quià quantumvis quis non poſſit remittere iuri, quod iam eſt acquiſitum Deo poteſt tamen remittere quantum in ſe eſt, & ad ſe pertinet, ſed ad ſe pertinet impedire poſt mutuum vtriuſque conſenſum ne alter petat, ergò illi iuri poterit remittere, ſicque altero petenti tenebitur reddere, cum adhoc teneatur vinculo coniugij, quod præcedens eſt, & fortius. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià illud votum caſtitatis obligat Deo vouentem ad ſeruandam caſtitatem quantum in ſe eſt, & vtique in perpetuum, quod votum eſt negatiuum, & obligat ſemper, & ad ſemper, ergò obligat eundem vouentem ad non petendum, & ſi petet, erit reus ſacri-

Obligat ad ſeruandam caſtitatem quantum in ſe eſt.

ſacrilegæ violationis voti; neque obſtare poteſt illa renuntiatio iuris petendi, & reddendi, quia nemo poteſt renuntiare iuri alteri acquiſito, maximè Deo.

Toties peccaret ſacrilegè quoties peteret.

Ex dictis inferes, quid dicas ad tertium & quartum articulum excitatum; dic etenim ad tertium ſuppoſita illa renuntiatione vtrumque altero petenti teneri reddere propter rationes mox adductas; ad quartum dic toties vnumquemq; ex coniugibus peccare ſacrilegè quoties petit debitum; hoc etenim votum, vt aſſerebā, vtpotè negatiuum obligat ad ſemper, & pro ſemper, nec ex eo quod ſemel violatum fuerit, extinguitur, ſed ſemper viget.

---

## §. XXVIII.

### An altero coniuge præſtante conſenſum profeſſioni alterius iam emiſſæ ſine ipſius licentia eadem reddatur valida.

*SVMMARIVM.*

*Refertur factum in terminis particularibus. num.* 1.

*Illa profeſſio ſic inualidè emiſſa non reualidatur per ſubſequentem conſenſum alterius.* 2.

*Suppoſita inualiditate illius profeſſionis. & facultate alterius poſtea accedente poteſt ſic profeſſus quantum eſt de ſe exire, ſi alter profiteatur, vel ſi fuerit ſenex emittat votum continentiæ.* 3

*Si alter non profiteatur, vel non voueat continentiam non poteſt exire.* 4.

*In foro externo poteſt compelli ad veram profeſſionem.* 5.

1 Refertur factum in terminis particularibus.

DISQVISITIO XXVIII. Poſt contractum matrimonium, idemque conſummatum inter Theodoricum, & Caiam idem Theodoricus inconſulta Caia, vel ea ignorante, vel ſi ſciente contradicente ingreſſus eſt in Religionem, in eaque ſeruatis omnibus alijs iuribus, & ſolemnitatibus profeſſus eſt. Poſt talem profeſſionem emiſſam Caia eidem conſenſum præbuit, eandemque approbauit. Quæſitū fuit, an per illum conſensū poſtea præſtitum, & approbatum ſubſequentem Caiæ illa Theodorici profeſſio teneat.

2 Non reualidatur per ſubſequentem cōſenſum alterius.

Reſpondeo, illam profeſſionem ſic inualidè emiſſam à Theodorico non reualidari, nec fieri validam per ſubſequentem conſenſum præſtitum à Caia. Exiſtimo in hanc reſponſionem omnes ferè propendere, licet diſcrepent inter ſe quoad poteſtatem egrediendi, vel non egrediendi è Religione reſpectu illius, qui inualidè ſic profeſſus eſt, de qua re in ſequenti reſponſione. Expreſsè hanc ſuſtinet *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 34. n. 16.* Ratio ex eo deducitur, quia illa profeſſio in ſua radice fuit inualida, vtpotè elicita à perſona tunc inhabili ad profitendum, ergo per ſuperuenientem alterius coniugis conſenſum non poteſt conualeſcere; quia, quod ab initio inualidum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere ex vulgatis iuribus; neque dicas, inualiditatem non prouenire ex defectu conſenſus profitentis, ſed ex defectu facultatis, quæ requiritur ab altero coniuge; ergo accedente poſtea facultate alterius coniugis, quam præſtat per conſenſum omnino liberum, non erit, cur non reualidetur. Conſequētia probatur ex ijs, quæ docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1. praenot. 5. ſect. 3. n. 2.* de ſponſalibus initis per alterum cum conſenſu omnino ficto, quæ quamuis in origine fuerunt inualida, conualeſcunt tamen ipſo iure, & immediatè, ſi ille, qui fictum poſuit conſenſum, ponat nouum conſenſum internum, per quem fictum retractet, vt docent etiam *D. Thomas in addit. q. 47. art. 4. ad 2. Rebellius lib. 2. part. 2. q. 9. n. 1. Paulus Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 1. c. 6. n. 1. & part. 4. c. 14. n. 5. in fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 2. n. 38. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 32. n. 9. & ſeq.* & ratio eſt, quia in eo caſu nihil deeſſet, quod ad ſubſtantiam contractus requireretur, nam defectus conſenſus realis in altero, qui aberat in celebratione contractus, fuit ſuppletus per ſuperuenientem, ergo etiam hoc idem dicendum eſt in hypotheſi inualiditatis profeſſionis alterius coniugis ob defectum facultatis alterius coniugis, ſi talis facultas poſtea accedat, quandoquidem tunc nihil deeſſet, quod ad ſubſtantiam eiuſdem profeſſionis requiratur; nec item obſtare poteſt, quod illa facultas accedat ex interuallo; nam etiam conſenſus verus, & realis quoad ſponſalia accedit ex interuallo, & nihilominus eadem ſponſalia reualidat; Contra enim impugnaberis, quia qui ſic inualidè profeſſus eſt, erat pro eo tempore omnino inidoneus ad præbendum cōſenſum, ac proindè ille conſenſus præſtitus proinde eſt, ac ſi non fuiſſet poſitus, vndè poſtea accedente alterius facultate ponitur quidem quod requirebatur ex parte ipſius, & tunc deficiebat, non autem ponitur id, quod deficiebat ex parte profitentis; vndè non currit paritas quoad illa ſponſalia inualida ex defectu illius conſenſus veri, & realis, quandoquidem per nouum conſenſum verum, & realem ſuperuenientē ponitur quidquid deerat ex requiſitis ad validitatem actus, nempe ipſe conſenſus realis ex parte fictè conſentientis, qui tantum deficiebat, atque ille nouus

In radice inualidum non poteſt reuiuiſcere.

Non tenet paritas de ſponſalib. fictis ex parte vni accedente nouo ipſi conſenſu, & de profeſſione inualida accedente conſenſu alterius.



Digitized by Google

uus conſenſus ſatis eſt ad ea, quæ requiritur ex parte ipſius, cum ex parte alterius nihil deficeret; per illam autem facultatem ab altero coniuge præſtitam ſubſequenter non ponitur totum id, quod deerat, nam ponitur ſolummodo illa facultas requiſita ex parte alterius coniugis, non ponitur autem id, quod requirebatur ex parte profeſſi inualidè, nempè conſenſus, cum ille, qui fuit antecedenter poſitus in actu eiuſdem profeſſionis inualidè, vtpotè poſitus à perſona omninò inhabili perindè eſt, ac ſi non fuerit poſitus. Non negauerim tamen, quod ſi ſic inualidè profeſſus accedente alterius facultate, & conſenſu, vel poſt illum reiteraret conſenſum valida fieret profeſſio, eo quia tunc nihil deficeret.

Profeſſio non poteſt ſtare in pẽdenti.

Nec poteſt dici, quod illa profeſſio antecedenter ad facultatem habitam ab altero coniuge non fuerit omnino caſſa, ſed quod manſerit in pendenti vſquequo alter poſuerit conſenſum, & facultatem conceſſerit, vel quod fuerit emiſſa ſub cõditione, ſi alter conſenſerit, adeoque quod purificata illa conditione immediatè fiat valida, & ſortiatur effectum. Non, inquam, dici poteſt, quia profeſſio ipſa non poteſt ſtare in pendenti, nec eccleſia poteſt ſupplere conſenſum, vt valida poſtea fuit profeſſio, vt probat *Nauarrus lib. 3. conſul. tit. de Regul. in prima edit conſ. 32. n. 5.*, nec poteſt emitti ſub conditione de futuro, vt probat *Euerardus arg. à matrimonio carnali ad ſpirituale n. 10.* in quarta differentia, quam aſſignat inter vtrumque matrimonium.

3 Si e inualidè profeſſus accedente alterius facultate quantum eſt de ſe poteſt exire, ſi alter profiteatur, vel ſi fuerit ſenex, voueat continentiam.

Reſpondeo ſecundo, ſuppoſita inualiditate illius profeſſionis ex defectu facultatis alterius, eademque facultate poſtea accedente, quantum eſt ex vi illius profeſſionis, & in foro interno exire poteſt, ſi alter, qui facultatem ex interuallo conceſſit, ingrediatur Religionem, ſi fuerit iuuenis, vel votum continentiæ emiſerit, ſi fuerit ſenex, ſecus ſi ille nec Religionem ingreſſus fuerit, nec votum continentiæ reſpectiuè emiſerit; in foro tamen externo, & quantum eſt ex parte alicuius circumſtantiæ non poteſt exire, ſed poteſt compelli ad veram profeſſionem emittendam. Concordat cum ijs quæ ſupra ſparſim docuimus, & quoad primam partem conſentit *Sanchez d. lib. 7. diſp. 34 n. 16.* quamuis ipſe abſoluiè aſſerat ſine vlla limitatione liberum eſſe ſic profeſſo exire ratione inualiditatis profeſſionis: quoad ſecundũ concordat *Gloſa in c. mulier el primo verb. coniugium 33. q. 5. Henricus c. vxoratus n. 8. de conuerſ. coniug. Henriquez lib 11. de matrim. c. 6. in commento fin.* Quoad tertiam conſentit *Sanchez loc. cit.*

Ratio primæ partis deducitur *ex c. placet de conuerſ. coniug.* vbi dicitur, quod exire non ſit in poteſtate eius, qui inualidè profeſſus eſt; quem textum ſupra explicantes aſſeruimus hoc non ſtatui ratione eiuſdem profeſſionis, quatenus valida ſupponatur, ſed quia cum ratione voti ſimplicis caſtitatis, in quod reſoluitur illa profeſſio, teneatur, quantum in ſe eſt, eandem caſtitatem ſeruare, & ea omnia præſtare, quæ in ſe ſunt, per quæ eandem caſtitatem poſſit facilius adimplere, tenetur etiam, quantum in ſe eſt ea effugere, per quæ eadem caſtitas Deo oblata lædi poſſit; ſicque per ſpontaneum, & omnino voluntarium regreſſum non ſe exponere periculo, vt ab altero petatur ad reddendum, quod periculum ceſsat, ſi aliter conceſſa tali facultate ingrediatur monaſterium, vel reſpectiuè votum continentiæ emittat.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod habetur expreſsè *in d. cap. placet de conuerſ. coniugat*, nec tunc ceſsat illud periculum incontinentiæ, cui ſe exponit, ſiquidem redeundo ad ſæculum, & ſe reſtituendo ſpontaneè, & non requiſitus alteri manenti in ſæculo ſine voto continentiæ prouocaret quodamodo ipſum ad petendum debitum, & ſic quantum in ſe eſt, ſe exponeret periculo non ſeruandi caſtitatem, quam Deo vouit. 4 Si alter nõ profiteatur, vel nõ voueat cõtinentiam non poteſt exire.

Ratio tertiæ partis ex eo deſumitur, quià, ſi ille ſic profeſsus decepiſset Religionem ſimulans coniugium, tunc accedente alterius coniugis conſenſu poſset per Religionem cogi ad ratificandam profeſſionem, ſicuti ſi iniens matrimonium aliud ſimulans matrimonium antecedens, cui erat obſtrictus, & ſic decipiens ſecundum coniugem poteſt primo coniuge defuncto cogi ad contrahendum valide cum ſecundo, quem deceperat, prout colligitur *ex c. 1. de eo, qui duxit. in matrimon.* 5 In foro externo poteſt compelli ad veram profeſſionem.

---

## §. XXIX.

### An coniux ſine alterius licentia profeſsus, nec ab eo reuocatus in vita poſſit eo decedente egredi, & ad noua vota tranſire.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur caſus in terminis particularibus. num.* 1.

*Si poſt ſigna alterius inducentia facultatem profeſſus tandiu perſeuerauerit in Religione exercens munera eiuſdem, vt rationabilitèr inferatur ratificatio, non poteſt profeſſus amplius egredi.* 2.

*Non præſumitur ſufficiens licentia ex praeciſa diſſimulatione alterius.* 3.

*Si tamen coniungatur cum diutino tempore præſumitur.* 4.
*Præſumitur etiam, ſi manens in ſæculo eum crebo inuitet, & blandis alloquatur verbis.* 5.
*Actus, ex quibus ex parte profeſſi præſumitur ratificatio profeſſionis.* 6.
*Perſeuerantia per quinquennium inducit validam præſumptionem.* 7.
*Si poſt mortem vxoris, quæ facultatem, nec expreſsè, nec tacitè conceſſerat diu profeſſus perſeuerauerit exercens munera profeſſorum probabilius præſumitur ratificaſſe.* num. 8.
*Hæc diutina perſeuerantia ad hunc effectum debet eſſe quinquennalis.* 9.

1 Exponitur caſus in terminis particularibus.

DISQVISITIO XXIX. Conſummato matrimonio cum Caia Titius ad Religionem conuolauit, & inſcia Caia, vel ſi fuerit ſciens, reclamante in ea profeſſus eſt. Diu in eadem Religione perſeuerauit omnia profeſſorum munera exercens, nec vnquam Caia reuocationem intentauit. Mortua deindè eſt Caia Titius tunc è Religione egredi intendebat, & ad alias nuptias conuolare. Quæſitum fuit, an hoc licitè potuerit efficere.

Varios articulos efformat ſuper hunc caſum *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 34. num. 18.* quos ſingillatim, & efficacitèr diſcutit, vt ipſius moris eſt. Breuiori nos via procedemus, & ſupponentes, quod re vera coniux, qui præmortuus ſupponitur, nec explicitè, nec implicitè facultatem conceſſerit, ad hoc vnum difficultatem reſtringemus, vt inquiramus quandonam præſumatur validè facta ratificatio eiuſdem profeſſionis, & quandonam non præſumatur validè facta; ex hoc etenim tota vis quæſiti pendet; cum etenim defectu licentiæ alterius coniugis ſupponatur nulla profeſſio, vtique ſemper liber erit profeſſus ad recedendum, vbi non obſtat incontinentiæ periculum, quod certè ceſſat altero coniuge præmortuo; vnde intantum poterit eſſe valida profeſſio, & non poterit à Religione recedere, inquantum præſumetur ratificata profeſſio. Hæc autem ratificatio præſumptiuè, vel poteſt eſſe præcedentèr ad obitum alterius coniugis, quatenus præſumatur, quod per aliquem actum induxerit conſenſum, licet non expreſſum, quo ſtante alter ratum habeat actum, quem antecedentèr eliciuit, vel ſubſequentèr quatenùs habita notitia obitus alterius actus aliquos exerceat, per quos videatur habere ratam eandem profeſſionem prius elicitam, licet inualidè. Quibus ſuppoſitis.

Quandonã ſupponatur facta ratificatio profeſſionis, & quãdo non.

2 Reſpondeo primo, ſi coniux, qui in celebratione profeſſionis alterius, nec dedit licentiam expreſſam, nec tacitam poſtea actus aliquos exerceat, ex quibus rationabilitèr inferatur ipſius conſenſus, & licentia, & poſt eandem profeſſus diu perſeuerauerit præſumens de tali licentia, & exercens conſueta munera profeſſorum vſque ad obitum coniugis tacitè concedentis licentiam, & conſentientis probabilius eſt in foro externo, & præſumptiuè intelligi profeſſionem ratificatam, adeovt non integrum ſit ſic profeſſo egredi è Religione. Intellige tamen, dummodò inter talem tacitam licentiam, & obitum alterius coniugis tantum temporis tranſierit, quantum à iure præſcribitur ad talem præſumptionem ratificationis. Sic in ſimilibus ſentire videntur *Ioannes Andreas c. conſuluit in fin. de conuerſ. coniug., & d. c. quidam n. 2. eod. tit., & ibi Antonius n. 4. Ancharanus ad finem, & in d. c. conſuluit in fine, & ibi Cardinal. etiam in fin. Henricus c. placet nu. 4. de conuerſ. coning.* Fundamentum deſumitur ex eo, quod non ſolum licentia alterius coniugis, ſed etiam ratificatio profeſſi non eſt neceſſe, quod fiat per verba expreſſa, ſed poteſt fieri per ſigna æquipollentia; hæc autem ſigna quandòque certum, & expreſſum conſenſum inducunt, quandòque ſolum præſumptum, & interpretatiuum, & ſi ſint talia, vt ſecundum communem hominum exiſtimationem coniungantur aſſenſui, inducunt ad præſumendam pro eodem, & ſufficientia ad iudicandum reputantur per textum *in c. dixit Dominus 32. q. 1. l. filium, ff. de his, qui ſui vel alien. iur. ſunt, & c. literis de præſumpt.*, ergò ſi per actus ab vtroque elicitos, tàm ſcilicet à coniuge, qui licentiam non conceſſerat, quam ab altero inualide profeſſo inducantur ſigna, quæ ſecundum communem hominum exiſtimationem coniungantur cum conſenſu vtriuſque, aliaque concurrant requiſita, præſumendum erit, & pro licentia alterius coniugis, & pro ratificatione reſpectu inualidè profeſſi, adeoque non erit, cur illa profeſſio ſtantibus validis illis præſumptionibus non debeat valida reputari. Hac eadem ratione aſſeruimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1. pranot. 5. ſect. 12. per totum*, ſponſalia etiam valida præſumptiuè induci ex ſimilibus ſignis, ſeù conſenſu præſumpto, & interpretatiuo inducto per talia ſigna, quæ ex communi exiſtimatione coniunguntur cum aſſenſu;

Poſitis ſignis licentiæ alterius coniugis, & diutina perſeuerantia in religione non poteſt amplius egredi.

Signa, quibus inducitur conſenſus alterius.

Difficultas potiſſimum conſiſtit in aſſignando, quinam ſint actus, & ſigna, ex quibus valide conijciatur licentia alterius coniugis, & quinam ſit actus, & ſigna, ex quibus efficacitèr inducatur ratificatio inualidæ profeſſionis. Pro quo dico primo non intelligi tacitam licentiam ſufficientem, vt profeſſio alterius poſſit reualidari per hoc, quod coniux in ſæculo relictus, nec aſſenſum nec diſſenſum præſtitit,

3 Non infertur ſufficiens licentia ex præciſa diſſimulatione alterius.



Digitized by Google

ſtitit, ſed ſciens alterius profeſſionem diſſimulauit *Calderinus cap. 1. de conuerſ. coniug. Ioannes Andraas c. ex parte el primo eod. tit. num. 4. verſ. in 4 caſu, & ibi Ancharanus n. 2. verſ. in 4 caſu, Cardinal. nu. vnico oppoſ. vnica verſ. ſed pro intellectu, Brunellus de ſponſalib. concl 30 n. 9. Angelus verb. matrimon. 4. n. 12. Siluester verb. matrimonium* 8. *q.* 12. *dicto* 4. Ratio ex eo deducitur, quiâ diſſimulatio non eſt propriè licentia; ad validitatem autem profeſſionis quoad coniugatos requiritur alterius coniugis in ſæculo remanentis licentia ſaltem efficacitèr præſumpta. Dico ſecundo, quod, ſi coniux in ſæculo permanens toto vitæ ſuæ ſpacio, quæ diutina fuit à die emiſſę profeſſionis alterius non reclamarit, cum commodè reclamare potuerit, probabilitèr inducatur pręſumptio validæ licentię, vt colligi videtur *ex c.*

4 Si tamen coniungatur cum diutino tempore, & cum ſcientia præſumitur.

*conſuluit de conuerſ. coniug, & ita ibi docuit, Abbas antiquus num* 2., *& in fin. Roſella verb. impedimentum impedimento* 11 *in princip Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de conuerſ. coniug. in prima edit. conſil. 4. n 4. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. col* 34. *verſ. beſitas* 2. *Henriquez lib* 11. *de matrimon. c* 5. *num* 10. *Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon c.* 54., & ratio eſt, quiâ quamuis diſſimulatio ſecundum ſe ſumpta non ſit propriè licentia, prout coniungitur tamen cum adeo diutino tempore inducit pręſumptionem pro eadem; Non enim probabile eſt, quod pro tanto tempore voluerit ſilere, ſi ſpontè non acquieuerit tali profeſſioni. Verum tamen eſt in hoc caſu, quod hoc non ſufficiat ad validam profeſſionem alterius, niſi hic poſteà congruè ratificet ſaltem per conſenſum interpretatiuum, & efficacitèr præſumptum, vt infra. Dico tertio, pręſumi ſufficientem licentiam coniugis manentis in ſęculo, ſi poſt alterius profeſſionem ſine ſua licentia eum inuitet, blandis alloquatur verbis, & ſtatum eius commendet, nec aliquid dicat de reuocatione, quiâ huiuſmodi actus ſecundum communem exiſtimationem coniunguntur cum approbatione, & conſenſu. Dico quarto, pręſumi pro tali tacita, & interpretatiua licentia, ſi manens in ſęculo ex ſe actiones aliquas exerceat, quas elicere nequit, dum eſt in coniugio ſine alterius conſenſu; tunc enim videtur eligere ſtatum ſeparationis, & cedere vitę communi cum altero, & ſic illas actiones non exercet, vt coniux, ſed vt perſona priuata.

5 præſumitur etiam, ſi manens in ſæculo profeſſum inuitet, & blandis alloquatur verbis.

Quoad ratificationem autem profeſſionis reſpectu inualidè profeſſi ſuppoſita illa interpretatiua licentia alterius coniugis permanentis in ſæculo dico primo, tunc haberi pro ſufficienti, quando ipſe inualide profeſſus poſt habitam talem præſumptam, & efficacem conceſſionem licentiæ alterius diu in Religione perſeueret exercens conſueta munera profeſſorum pro tanto ſcilicet tempore, pro quanto iura præſumunt ratificationem. Quale autem, & quantum ſit hoc tempus, pro quo iura præſumunt ratificationem, concilium Trident. ſeſs. 25 de Regul. c. 19. habet hæc verba. *Quicunque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum Religionem, aut etiam dicat ante ætatē debitam profeſſum fuiſſe aut quid ſimile veliique habitum dimittere quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia ſuperiorum non audiatur, niſi intra quinquennium tantum à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit deduxerit coram ſuperiore ſuo, & ordinario.* Vbi vides concilium cum admittat probationem intra quinquennium, & non vltra, illud videri inducere præſumptionem pro ratificatione poſt quinquennium, & non ante illud cum ante illud admittat probationem in contrarium; & in hoc idem concilium videtur quodammodo corrigere ius antiquum *in c. 2. de regul.*, vbi decernitur puberem vi profitentem non poſſe poſtmodum anno tranſacto reſilire. Quandonam autem dictum quinquennium debeat incipere aſſerit *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp.* 37. *num.* 2. in profeſſione expreſſa incipiendum eſſe à die ipſo profeſſionis; in tacita vero à die, quo profeſſio tacita inducitur attento iure antiquo nempe à die, in qua Monachus eſt tacitè profeſſus per annuam delationem habitus nouitijs, & profeſſis communis, & ſolum occultè diſtincti, quod colligit *ex clem. fin. de regul.*, & ita docet *Nauarrus comment.* 4. *de regul. n* 76. *Azorius lib. 12. inſtit. moral. c.* 4. *q.* 10. Dico ſecundo, tunc haberi pro ſufficienti ratificatione, quod non ſolum per delationem habitus, & munera profeſſorum, quæ ſpontè exercet, oſtenditur talis, ſed etiam ſe profeſſum regularitèr nominet, & fateatur, ſed etiam ſe gerit, vt talem habita notitia præſumptæ facultatis alterius, hæcque præſtet ſpontè, non coactè, prout in ſimilibus docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. prænot. 3. n.* 20. de ſponſalibus impuberum, quæ rata ſufficienter habentur, ſi poſtquam peruenerint ad vſum rationis mutuo ſe appellent ſponſos, prout etiam docet *Roſella verb. impedimentum impedim.* 13. *n.* 8. *Angelus verb. matrimonium* 15. *impedim.* 14. *nu.* 12. *Siluester eod verb. matrimonium* 8. *q* 14. *dict.* 8. *Antonius Cucus lib.* 5. *inſtit. maior. tit.* 10. *n.* 12.

6 Actus, ex quibus ex parte profeſſi præſumitur ratificatio profeſſionis.

7 Perſeuerantia per quinquennium inducit validi præſumptionem.

Quandònam incipiat tale quinquennium.

Delatio habitus profeſſorum, & munera eorundem inducūt efficacem præſumptionē.

Reſpondeo ſecundo. Si poſt mortem vxoris, quæ permanſit in ſæculo quæque viuens non conceſſit facultatem profitendi profeſſus inualidè ſciens talem mortem perſtiterit in Religione, & munera profeſſo- 8

Perſeuerãtia diutina poſt mortem alterius, & munera exercita profeſſorũ inducunt ratificationem.

feſſorum exercuerit; probabilius eſt eandem ratificare, ſi diu in Religione, & in præfatis profeſſorum muneribus ſteterit *Ioannes Andreas d. c. conſuluit in fine de conuerſ. coniug., & d. c quidam n. 2. vbi Antonius num. 4. Ancharanus ad fin. Cardinali nu. 2. q. 3. Henricus c. places n. 4. de conuerſ. coniug. Innocentius c. quidam n. 21., & ibi Hoſtienſis n. 3. eod. tit.* Ratio ex eo deducitur, quià ex communi exiſtimatione ex illa perſeuerantia arguitur coniunctio cum conſenſu ad eandem profeſſionem, ſicuti ex diutina cohabitatione arguitur conſenſus ad ſponſalia. *Hoſtienſis c. literas de deſponſ. impub., & ibi Ioannes Andreas in fin. Alexander de Neuo num. 7., & 8. Brunellus de ſponſalib. concl. 5. num. 8.*

9 Hæc diutina perſeuerantia debent eſſe ad quinquennium.

Sed hic oritur difficultas qualiſnam, & quanta perſeuerantia requiratur adhoc, vt efficacitèr præſumatur illa ratificatio? Innocentius *in c. quidem n. 2., & ibi Hoſtienſis n. 3 de conuerſ. coniug*, aſſerunt ſufficientèr ratificari, ſi per momentum ſteterit in Religione. Sed hoc abſolutè non admitterem, niſi ille faciat propria profeſſis ſufficientia ad inducendam profeſſionem tacitam animo vere profitendi de nouo. Quamobrem, vbi expreſsè non conſtet de illo animo profitendi de nouo, ſentiendum eſt non eſſe præſumptionem efficacem ratificationis, niſi poſt quinquennium juxtà definitionem Concilij Trident., quod præſcripſit tale tempus, intra quod poſſit audiri, & vltra quod non amplius audiatur, non niſi, quià in rigore non præſumitur ratificatio, niſi poſt illud quinquennium; & licet antiquitus minus tempus præſcriberetur ad talem præſumptam ratificationem modo tamen ſtante tali declaratione hoc tempus attendendum eſt.

---

## §. XXX.

### An altero coniuge ſine licentia alterius profeſſo poſſit alter primo inuito ſimiliter in Religione approbata profiteri.

### SVMMARIVM.

*Exponitur ſtatus diſquiſitionis*, 1.

*Sententia aſſerens ante reuocationem, & reconciliationem profeſſi poſſe profiteri etiam ipſo inuito, ſecus poſt reuocationem, & reconciliationem*. 2.

*Sententia aſſerens etiam poſt reuocationem alterum poſſe profiteri, ſi inter ipſum, & reuocatum non fuerit ſecuta copula, ſecus ſi fuerit ſecuta*. 3.

*Sententia aſſerens poſſe profiteri, ſi poſt profeſſionem inualidam alterius vouerit continentiam, ſecus, ſi non vouerit*. 4.

*Si inualide profeſſus non fuerit reuocatus, nec reconciliatus probabilius alter eo inuito poteſt profiteri*. 5.

*Si fuerit reuocatus, & reconciliatus, quamvis poſtea non ſecuta fuerit copula, non poteſt profiteri*. 6.

*Si alter inualidè profeſſus fuerit reuocatus non poteſt alter, quantumvis emiſerit votum continentiæ profiteri ipſo inuito*. 7.

*Si vterque profiteatur mutua facultate non obtenta vterque tamen conſcius fuerit profeſſionis alterius vtraque profeſſio tenet*. 8.

*Si alter prius profeſſus fuerit altero ignorante, & poſtea hic conſcius factus profeſſionem emiſerit, tenet illius profeſſio*. 9.

*Si vterque fuerit ignarus profeſſionis alterius, ſiuè ſimul, ſiuè ex interuallo emiſſa neutrius tenet profeſſio*. 10.

*Reualidatur, ſi vterque habita notitia non reclamauerit, ſed perſeuerauerit in Religione*. 11.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO XXX. Poſt contractum matrimonij legitimè initi, & poſt eius conſummationem inter Meuium, & Seiam Meuius inconſulta vxore tranſiuit ad Religionem, & in ea profeſſus eſt. Sciens Seia talem profeſſionem & ipſa inuito, ſeu inconſulto Meuio tranſiuit ad monaſterium ſanctimonialium, in eoque profeſſa eſt. Quæritur iam, an Seiæ poſterius profitentis licita ſit profeſſio, & an teneat?

2 Sententia aſſerens ante reuocationem, & reconciliationem alterius poſſe profiteri, ſecùs poſt reuocationem, & reconciliationem.

Diſtinguunt aliqui hoc pacto, vel coniux, qui prius inualidè profeſſus eſt, fuit per alterum reuocatus, & eidem reconciliatus, & tunc aſſerunt non poſſe alterum primo inualidè profeſſo inuito tranſire ad Religionem, nec valide in ea profiteri, quià poſt perfectè inſtauratum matrimonium poſt illam reuocationem, & reconciliationem profeſſus omne ſuum ius recuperauit, & alter deductus eſt in priſtinam quodamodo ſeruitutem, nec culpa præcedens alterius in attentatione illius profeſſionis poteſt alteri prodeſſe, quandòquidem eandem culpam remiſit eundem reuocando, & ſibi reconciliando; vel coniux, qui prius profeſſus eſt non fuit reuocatus, nec reconciliatus, & tunc aſſerunt, quod vtique poſſit eodem etiam inuito, ſeù ignorante ad Religionem tranſire, in eaque profiteri, & ijs rationibus mouentur primo, quià licet iniuriam iniuria compenſare, & in eo, in quo quis peccauit, eum punire. Secundò, quià ille, qui prius profeſſus eſt licet inualidè, priuatus eſt ratione voti caſtitatis ſimplicis, in quod reſoluitur illa profeſſio, iure petendi, ergò, cum ipſe in ſæculo remanens non teneatur petere debitum, nullam alteri iniuriam inferet

ſe

ſe transferendo ad Religionem, in eaque profitendo, cum neutèr poſſit conqueri ſe ab altero ſpoliatum, ſed ſe ipſum proprio facto ſpoliauerit, atque ſic ſentiunt *Gloſa in c. quidam verb. non exigere de conuerſ. coniug., & ibi Hoſtienſis n.2. Gofredus in ſumma tit. de conuerſ. coniug. nu. 6. ArchiDiacon. c. mulier el primo in fin. 33. q. 5. Albericus in ſuo dictionar. verb. votum 4 ad fin. Henricus c. vxoratus n.13. de conuerſ. coniug Monaldus in ſumma, vbi de voto tit. de voto coniug. verſ. item quid ſi vterque.*

3 Sententia aſſerens poſſe etiã poſt reuocationem profiteri, ſi non fuerit ſecuta copula, ſecùs ſi illa fuerit ſecuta.

Alij aſserunt, quod ſi poſt reuocationem prioris inualidè profeſſi, & reconciliationem ſecuta fuerit copula inter reconciliantem, & reconciliatum non poſſit amplius reconcilians tranſire ad Religionem altero inuito, ſecus ſi copula non fuerit inter illos poſt reconciliationem ſubſecuta *Hoſtienſis in ſumma tit. de conuerſione coniug. n. 8. Ioannes de Triburgo in ſumma confeſſorum lib.1. tit.8.q.54.* Eorum ratio fortè ea eſt, quià poſt copulam ſubſecutam voluntariè non amplius res eſt integra reſpectu reconciliantis, cum per talem copulam ceſserit iuri ſuo acquiſito per illam inualidam alterius profeſſionem; qua copula non ſecuta res adhuc remanet integra, & læſus remanet adhuc in ſuo iure.

4 Sententia aſſerens poſſe profiteri, ſi poſt inualidam profeſſionem alterius emiſerit votum continentiæ, ſecùs, ſi non emiſerit.

Alij dicunt, quod, ſi poſt ingreſsum alterius, & inualidam ipſius profeſſionem alter vouerit perpetuam continentiam poſſit hic ingredi Religionem, & in ea profiteri altero etiam inuito, ſecus ſi continentiam non vouerit *Albericus in ſuo dictionar. verb. votum 4. ad finem*. Rationem ex eo deſumi exiſtimo, quià quandò iam vouit continentiam non poteſt ab altero petere, & cum etiam alter ratione voti ſimplicis caſtitatis, in quod reſoluitur illa profeſſio inualida, non poſſit petere, ſequitur, quod alteri iniuria non inferatur per ingreſsum, & profeſſionem iſtius. Quid ergò ſentiendum?

5 Si inualidè profeſſus non fuerit reuocatus nec reconciliatus alter poteſt profiteri eo etiam inuito.

Reſpondeo primo, ſi prius profeſsus licet invalidè non fuerit reuocatus, nec reconciliatus probabilius eſt poſse alterum valide ad Religionem tranſire, & in ea profiteri etiam non habito conſenſu ab altero antecedenter profeſso licet inualide. Conſentiunt DD. prælegati pro prima opinione, & fortior fit in noſtris principijs præactis. Probatur primo, quia alter profitendo etiam ſine alterius facultate, quantum eſt ex ſe, renuntiauit iuri, quod habebat ex vi vinculi matrimonialis & alterum coſtituit in plena libertate, quinimmò ſic profitendo tacitè alteri conceſſit facultatem efficiendi quid quid in votis ipſi fuerit, ergò alter tranſeundo ad Religionem, & in ea profitendo valide profitetur, quandòquidem vtitur iure, quod alter tacite ſibi conceſſit per illam profeſſionem licet invalidam. Secundò, quia ex iniuria, quam alteri irrogauit, quantum eſt ex ſe ex illa profeſſione inualida, non poteſt aliquod commodum reportare, ſed vtique reportaret, ſi illum poſset impedire ab ingreſsu in Religionem, & profeſſione in eadem, ſiquidem illum ſibi obſtrictum teneret, cum ſe, quantum ex in ſe, ab illo exemerit, ergo &c. Tertio quia *ex c. placet de conuerſ. coniug.* vt ſupra probauimus, ipſe ſic inualide profeſsus non poteſt propria libertate, & auctoritate ſe reſtituere ſpoliato, nec licite eo viuente è Religione exire, vt ad illum ſe conferat, ergo multo minus poterit alterũ ſpoliatum impedire, ne ad Religionem tranſeat, quià ſic impediendo conſtitueret ipſum in ſtatu, quo de facili ipſum reuocaret, & ſic, quantum eſt de ſe, operaretur ne caſtitatem, quam vouit in illa profeſſione inualida, illæſam ſeruaret. Neque hic audiendi ſunt *Inocentius d. c. quidam n. 2. & ibi Antonius in fin. Cardinal n 2. q 2. in fin. Aſtenſis in ſumma ſecunda part. libi 8. tit. 11. art. 2. q. 13. Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 24 n. 23. in fin.* aſserentes ſecundum coniugem, non poſse validè ad Religionem tranſire eo, quia prioris profeſſio non tenuit, nec delictum profeſſi præſtat ius alteri diuertendi, cum hoc delictum non numeretur inter cauſas ſufficientes ad diuortium. Non, inquam, audiendi ſunt, quandoquidem alter non tranſiret ad Religionem præcisè ex delicto, ſed ex conſenſu implicito ab altero præſtito in tali delicto, quod præſtitit tranſeundo ad Religionem ſine ipſius facultate, & contra plenum ius ab ipſo acquiſitum ex vi matrimonij rati, & conſummati.

Sic inualide profeſſus ceſſit iuri ſuo.

Ratione iniuriæ alteri illatæ non debet commodũ reportare.

Tranſiret ex conſenſu tacito inualidè profeſſi.

6 Si fuerit reuocatus, & reconciliatus, quãuis poſteà non ſecuta fuerit copula non poteſt alter reuocans profiteri.

Reſpondeo ſecundo, ſi alter poſt profeſſionem invalidè emiſsam fuerit per relictum in ſæculo reuocatus, & reconciliatus non poterit hic eodem reuocato inuito ad Religionem tranſire, & in eadem profiteri, nec ad hoc requiritur, quod poſt reuocationem fuerit ſecuta copula. Conſentiunt DD citati pro prima opinione aduerſus allegatos pro ſecunda. Ratio ex eo deduci poteſt, quia ex quo alter ſic inualidè profeſsum reuocauit à Religione, eumque ſibi reconciliauit, videtur eum remiſiſse, quantum eſt ex parte ſui, in iure, à quo deciderat per illum ingreſsum, & profeſſionem emiſsam cum iniuria eiuſdem reuocantis, ſed reſtaurato eodem iure, à quo deciderat non poteſt alter contra ipſius facultatem validè in Religione profiteri, ergo &c. Minor probatur, quia ius deperditum, & reſtauratum comparatiuè ad ius non deperditum non differt niſi connotatiue eo modo, quo differt nudus à ſpoliato, nam ius reſtauratum connotat amiſſionem;

ius

ius non deperditum nullã ſupponit amiſſionem, cæterum in re reſtauratum habet idem, quod habet ius non deperditum, ſed quando ius non eſt deperditum non poteſt alter ad Religionẽ tranſire eo inuito, cui ius non eſt deperditum, ergo etiam quando eſt inſtauratum non poterit alter eo inuito, cui ius eſt inſtauratum tranſire &c. Neque dicas, quod licet ius intelligatur reſtauratum, quantum eſt ex parte eius, qui reuocauit, & ſibi reconciliauit, non intelligi tamen reſtauratum quantum ad ius petendi, & exigendi debitum, ſicque cum inſtauratus, ſeu reuocatus non poſsit petere debitum, non poterit etiam alterum impedire, quin tranſeat ad Religionem, nam ratio, ob quam coniux poteſt impedire ingreſſum eſt ratione iuris, quod habet in corpus alterius, à quo poteſt petere debitũ cõiugale, ergo ſi ratione voti impliciti caſtitatis non poteſt petere debitum ab altero, nec poterit impedire ingreſsum illius in Religionem; contra enim impugnaberis, nam inſtaurato iure reuocati, quantum eſt ex parte reuocantis, & quoad ea, quæ ad ipſum reuocantem pertinent, intelligitur etiam inſtauratum quoad ius, vt alter, ſi velit ad Religionem tranſire, petat ab ipſo inſtaurato, ſeù reuocato facultatem, ſine qua irritus eſset ingreſus, & profeſſio in eadem Religione emiſsa; hoc etenim ius ſpectat ad ipſum reuocantem, quod propterea poteſt remittere; nec obſtat ad hoc, vt reuocatus non poſſit debitum petere, quandoquidem etiam qui emiſit ſimplex votum caſtitatis non poteſt debitum ab altero petere, & nihilominus hic alter non poteſt eo inuito ad Religionem tranſire, & in ea profiteri, cum obſtrictus tali voto poſſit velle vitã ſocialem coniugis quoad alia omnia obſequia coniugalia à iure petendi debitum per ea, quæ alibi docuimus.

*Ius reſtauratum reducit ad priſtinum ſtatum.*

*Sufficienter eſt ius inſtauratum quo ad ea, quæ pertinent ad reuocantem.*

Dixi, *nec ad hoc requiritur quod poſt reuocationem fuerit ſecuta copula*, quandoquidem ius non remittitur per illam copulam ſubſequentem ad reuocationem, ſed ex libera, & ſpontanea voluntate alterius coniugis, quæ voluntas vtique habetur ex eo præciſe, quod reuocauit; per reuocationem etenim quoad ea, quæ ſui iuris ſunt, reducit eundem inualide profeſſum ad priſtinam ſeruitutem, & per conſequens etiam ad primæua iura, quantum ſpectat ad ipſum reuocãtem; illa etenim reuocatio eſt remiſſio iniuriæ, & per conſequens etiam iuris, & ſicuti ius in prima celebratione contractus transfertur ex mutuo conſenſu etiam antecedenter ad copulam, ita etiam in illa reuocatione, ſeù inſtauratione iura, quæ pertinent ad ipſum reuocantem, transferuntur per ſolum conſenſum, qui habetur in illa reuocatione, ſeù per illam reſtitutionem.

*Ius non remittitur ex copula ſubſequenti, ſed ex libera volũtate alterius reuocantis.*

Reſpondeo tertio, quantumvis alter, qui manſit in ſæculo altero ſine ipſius licentia in Religione profitente vouerit continentiam non poterit ſine eiuſdem inualide profeſſi facultate ingredi in Religionem, & in eadem profiteri, ſi ille fuerit reuocatus, & reconciliatus ſecus ſi non fuerit nec reuocatus, nec reconciliatus. Deducitur expreſſè ex præcedentibus ſecundum vtramque partem; & ſolum reſponſio remanet probanda quoad illam particulam *quantumvis ille, qui manſit in ſæculo vouerit continentiam*, quæ ſic euincitur; per illud votum continentiæ, quod manens in ſæculo emiſit poſt profeſsionem inualidam alterius, impoſuit quidem ſibi onus non potendi debitum, non tñ exemit alterum à iure ſibi inſtaurato, ſi fuerit reuocatus, vt reſtaurans à ſe ipſo non recedat ſine ſui facultate, ergo non poteſt ſine eiuſdem inſtaurati, ſeù reuocati facultate ingredi in Religionem, & in eadẽ profiteri. Antecedens probatur, quia cõiux vouens caſtitatem non lædit ius alterius, ſed tantum proprium, ſeù quoad ea, quæ ad ipſum vouentem ſpectant, non quoad ea, quæ ad alterum pertinent, & ſicuti ſi ipſe ſimpliciter vouerit continentiam, & alter non fuiſet inualidè profeſsus, non poſset ad Religionem tranſire eo inuito, ſeù ſine illius facultate, ita nec poteſt tranſire quantumvis ſic vouerit non obſtante quod alter inualidè fuerit profeſsus, quandoquidem illa inualida profeſſio ſuppoſita reuocatione, ſeù inſtauratione nõ officit, cum eadem reuocatio reuocatũ conſtituat in primæuo ſuo iure quoad hũc effectũ, qui poteſt eſse independens à voto; & ſi ex voto continentiæ emiſso à relicto in ſæculo ſequatur, quod neuter poſſit petere, cum etiam inualidè profeſsus ſit implicitè obſtrictus tali voto, hoc tamen nõ tollit, quin ille, qui expreſsè vouit caſtitatem in ſæculo teneatur ab altero impetrare facultatem, cum alter poſſit velle vitam ſocialem, & coniugalem in alijs excepto iure petendi, quo priuatus eſt ob illud votum implicitum, quod emiſit in illa profeſſione inualida; & ſicuti ſi vterque in ſæculo votum caſtitatis emiſiſset vnus non poſset altero inuito ab eodem ſeiungi, & tranſire ad Religionem, ita nec in hoc caſu.

7 *Si alter fuerit reuocatus, quantumvis reuocans emiſerit votũ caſtitatis non poteſt profiteri.*

*Per votum illud non exemit alterũ à iure ſibi inſtaurato.*

Hic pro complemẽto oritur difficultas, an ſi vterque coniux mutua facultate non obtenta profiteatur, teneat profeſſio; intellige, ſiue vterq; fuerit conſcius profeſſionis alterius, ſiue ignarus. Cui difficultati iuxta dicta occurro aſserẽs primo, quod ſi vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius teneat vtriuſque profeſſio, & in hoc ſenſu exiſtimo locutos *Innocentium c. quidam n. 2. in fin. de conuerſ. coniug., & ibi Ioannem Andream n. 2. in fin. Antonium n. 5.*

8 *Si vterque fuerit conſcius profeſſionis alterius vtriuſq; profeſſio tenet.*

Digitized by Google

*tit.* 5. *Ancharanum ad fin. Albericum in ſuo dictionario lit V. verb. votum* 4. *ad finem. Henricum c. uxoratus n.* 13. *de conuerſ. coniug. Brunellum de ſponſal concl.* 30. *nu.* 15. *Aſtenſem in ſumma* 2. *part. lib.* 8. *tit.* 11 *art* 2. *q.* 14. Aſſero ſecundo, quod, ſi alter prius profeſſus fuerit altero ignorante, & poſtea hic conſcius alterius profeſſionis profeſſionem emiſerit eodem non reuocato teneat huius ſecundi profeſſio; atque iuxta hunc ſenſum locum habent ea, quæ tradunt *Gloſa in d. c. quidam verb. non exigere de conuerſ. coniug. nu.* 6., *& ibi Hoſtienſis n.* 2. *Gofredus in ſumma tit. de conuerſ. coniug. num.* 6. alijque DD. quos allegauimus in principio huius diſquiſitionis dum de prima opinione.

9 Si alter profeſſus fuerit altero ignorante, & hic poſtea conſcius profeſſus fuerit tenet iſtius profeſſio.

Aſſero tertio, quod, ſi vterque fuerit ignarus profeſſionis alterius, ſiuè ſimul, ſiuè ex interuallo emiſſæ nullius teneat profeſſio, ſi ab vtroque fuerit abſolutè emiſſa, teneat verò, ſi fuerit emiſſa ſub conditione, ſi alter reſpectiuè conſenſerit; atque ab hoc aſſerto exiſtimo non recedere *Sanchez lib.* 7. *de matrimon. diſp.* 24 *n.* 24 *in fine*.

10 Si vterque fuerit ignarus profeſſionis alterius, ſiuè ſimul, ſiuè ex interuallo emiſſæ nullius tenet profeſſio.

Aſſero quarto, ſi ab vtroque fuerit emiſſa, vtroque ignorante profeſſionem alterius reſpectiuè, & quidem conſenſu abſoluto, non conditionali, vt ſupra, probabilius reualidari vtriuſque profeſſionem, ſi vterque habita notitia profeſſionis alterius non reclamauerit, ſed in Religione perſeuerauerit.

11 Reualidatur, ſi vterque habita notitia pro feſſionis alterius nō reclamauerit, ſed in Religione perſeuerauerit.

Ratio pro primo aſſerto.

Aſſertum primum ex eo euincitur, quià quando vterque conſcius profeſſionis alterius reſpectiuè profeſſionem emittit, habentur ea omnia, quæ requiruntur ad validitatem eiuſdem profeſſionis reſpectu vtriuſque, ergo non eſt, cur non debeat præſumi, & dici valida. Antecedens patet, quià tunc concurrit proportionatus conſenſus reſpectu profitentium ad validam profeſſionem, & vterque habilis eſt ad illum actum profeſſionis emittendum, quià inhabilitas, ſi quæ eſſet, oriretur ex defectu iuris, cum ius illud per matrimonium fuerit tranſlatum in alterum coniugem ſine quo propterea non poſſet validè profiteri, ſed hoc ius reſtitutum intelligitur reſpectu vtriuſque profitentis, quandòquidem facto ipſo ſibi mutuam licentiam conceduut, ergò &c.

Rationes pro ſecundo aſſerto.

Aſſertum ſecundum ex ijs euincitur, quæ ſupra dicebamus, quia ſcilicet primo profitens etiam ſine alterius facultate quantum eſt ex ſe, renuntiauit iuri, quod habebat ex vi vinculi coniugalis, & ſic tacitè alteri conceſſit facultatem efficiendi quidquid ipſi in votis fuerit, ergo hic alter tranſeundo ad Religionem, & profitendo validè profitebitur, quandòquidem profeſſio eſt habita tacita licentia alterius. Vide quoad hoc aſſertum ea, quæ diximus in prima reſponſione huius diſquiſitionis, & in probationibus eiuſdem.

Rationes pro tertio aſſerto.

Aſſertum tertium quoad primam partem ex eo euincitur, quià ille conſenſus abſolutè præſtitus eſt omninò inidoneus ad validitatem profeſſionis, quandòquidem quamuis interueniat re vera tacita licentia alterius per profeſſionem, quam emiſit licet inualidè, illa tamen licentia ex eo, quod non fuerit cognita ab altero non poteſt ipſum mouere ad validè profitendum, & emittendum conſenſum proportionatum ad validam profeſſionem, nam vt alibi diximus conſenſus regulatur ad normam apprehenſionis conſentientis, ſed pro tempore, quo conſenſum præbet ad profeſſionem certo norit inualide conſentire, quandòquidem conſenſus refertur ad obiectum apprehenſum, vt impoſſibile, & inualidum nempè ad profeſſionem ſine licentia alterius, ergò &c. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra diximus nempè, quod, ſi quis contrahat matrimonium exiſtimans ſubeſſe impedimentum irritans, & dirimens matrimonium, quod tamen re vera non ſubeſt, valide non contrahat, quià conſenſus non poteſt eſſe efficax, cum feratur in obiectum apprehenſum, vt impoſſibile, ergo etiam &c. Quoad ſecundam partem ſic euincitur primo ex ijs, quæ ſupra docuimus *tom* [illegible] *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. Diſq. II.* §. 5 *à n.* 2. *ad quintum*, *& in hoc eodem tom ſub tit. Contractus XV. de Matrimon* 2. *Diſq.* 2. § 8 *verſ.* [illegible] *ideo iuxta dicta* nempe, ſi quis contraxerit matrimonium ſub conditione, ſi non ſit impedimentũ, quamuis ipſe falſo putat ineſſe, tenere idem matrimonium, quod etiam docent *Baſilius Pontius lib* 4. *c* 23. *Gutierez de matrimon. c.* 47. *nu.* 1. *Fillincius prima parte tract.* 10 *c* 3. *n.* 83. *Andreas Vallenſis in ſumma decret. lib* 4. *tit.* 4 *n.* 4 *verſ. poſtremò*, *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.* 2. *num.* 80., ergò etiam, ſi quis emiſerit profeſſionem ſub conditione, ſi fuerit conſenſus alterius, quamuis exiſtimet non adeſſe, tenebit eadem profeſſio, ſi verè ille conſenſus fuerit; non enim in hoc video fundamentum diſparitatis.

Profeſſio emiſſa ſub conditione tenet altero poſtea conſentiente.

Secundo, quià ſi quis dicat alteri. *Hic, & nunc tecum contraho, ſi poſſum contrahere, & habeam requiſita ad contrahendum*, validè contrahit, ſi habeat talia requiſita, quantumvis falsò putat ea non habere; continet enim conſenſus de illo actu conditionem de præſenti, ergò, ſi illa conditio quoad requiſita fuerit de præſenti, non erit, cur etiam de præſenti non ſubſiſtat ille actus, & licet illa conditio non innoteſcat, niſi ex interuallo, conſenſus tamen ſubſiſtit à principio, quià à principio purificatio illius conditionis aderat, & conſenſus eſt præſtitus relatiuè ad exiſtentiam illius conditionis, ergò etiam, ſi quis dicat *Profiteor in hac Religione, ſi poſſum*

*profi-*

Exempl's euincitur.

*profiteri, & habeam omnia requiſita ad validè profitendum* tenebit profeſſio quantumuis falſo exiſtimet ſe non habere omnia requiſita defectu facultatis alterius, cum conſenſus de illa profeſſione contineat conditionem de præſenti, quæ re vera exiſtit, & cum extiterit à principio, à principio efficit validam illam profeſſionem. Tertio, quià ſi quis contrahat ſponſalia ſub conditione honeſta, & poſſibili de præſenti, vt ſi dicat contraho tecum, ſi Patri tuo placeat, tenent ſponſalia de præſenti, ſi verè placitum Patris tunc interueniat, quantumvis ignoretur à contrahentibus, quinimmò quantumvis promittens falsò putet non adeſſe. *Sotus in 4. diſt. 29. q. 2. art. 1. verſ. ſit ergo ſecunda concluſio. Corduba in ſumma q. 46. Sanchez de matrimon. lib. 5. diſp. 7. nu. 1. Ludouicus Lopez 2. parte inſtruct. noui materia de matrimonio cap. 42.*, quod etiam nos latè probauimus *tom. 5 ſub tit Contractus XIV. de ſponſalib. 1. pranot. 5. ſect. 9. nu. 9.*, ergò etiam, ſi quis emittat profeſſionem ſub conditione honeſta, & poſſibili, *ſi meo coniugi placeat* tenebit eadem profeſsio, ſi verè adſit de præſenti conſenſus ſaltem implicitus alterius coniugis, prout adeſſe ſupponitur ex vi illius profeſſionis, licet inualidè emiſſe.

Rationes pro quarto aſſerto.

Aſſertum quartum ex eo euincitur, quià poſt emiſsam ab vtroque coniuge profeſſionem, vtroque reſpectiuè ignorante, ſi poſteà vtrique innoteſcat, & vterque acquieſcat, & perſeueret vterque videtur approbare factum alterius, & ſic vtriuſque conſenſus videtur concurrere. Verumtamen eſt, quod cum illa profeſſio, vtpotè abſolutè emiſsa fuerit in radice inualida ad effectum, vt conualeſcat, non ſufficiat licentia vtriuſque, ſed cum conſenſus præſtitus per eoſdem profitentes fuerit inanis, & inidoneus, requiratur nouus vtriuſque conſenſus, ſiuè expreſsus, ſiuè interpretatiuus iuxta conditiones ſuprà appoſitas.

## §. XXXI.

### An profeſſio ordinum militarium irritet ſubſequens matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur diſquiſitio in ſuis terminis.* 1.
*Votum equitum Melitenſium eſt caſtitatis virginea, & ſolemne.* 2.
*Sententia aſſerens non dirimi matrimonium ex voto aliorum ordinum à Melitenſi, quià Pontifex minuit ſolemnitatem.* 3.
*Profeſſio aliorum militarium ordinum à Melitenſi, non ideo non irritat matrimonium ſubſequens, quià ſolemnis non ſit.* 4.
*Ideo non irritatur matrimonium ſubſequens aliorum militarium ordinum, quià votum illorum non eſt votum caſtitatis adæquatæ.* num. 5.

Diſqvisitio XXXI. Varij in Eccleſia Dei extant ordines militares à Summis Pontificibus approbati, vt ſunt equites Calatraux, & D. Iacobi in Hiſpania, D. Stephani in Etruria, Sancti ſpiritus Romæ, Equites Militenſes, ſeù Hieroſolimitani &c., & alij in diuerſis orbis partibus inſtituti. Hi regularitèr profeſſionem emittunt in manibus magni Magiſtri, vel alterius de commiſſione. Hic diſputant DD., an per talem profeſſionem inducatur impedimentum dirimens ſubſequens matrimonium. 1 Exponitur diſquiſitio in ſuis terminis.

Difficultas hęc ex duplici titulo poteſt examinari; primo ex eo, vt dubitetur, an illi equites cuiuſcunque ordinis ſint verè Religioſi, & per eorum profeſſionem vota, quæ emittunt, fiant ſolemnia, nec ne. Secundo ex ſuppoſitione, quod illi ſint verè Religioſi, & ex ſuo genere vota illa ſint ſolemnia non irritent ſubſequens matrimonium ex eo, quod votum caſtitatis, quod in illa profeſſione emittitur non ſit adæquatum, quatenus non ſit de caſtitate virginea, ſed tantum de coniugali, & licita. Votum, quod in profeſſione Equitum Sancti Ioannis Hieroſolimitani, quos Melitenſes vocant, eſſe caſtitatis virgineæ docent communitèr DD., nec vllus eſt, qui ambigat. Votum verò cæterorum ordinum militarium, quod in eorum profeſſione emittitur, non eſſe caſtitatis virgineæ, ſed regularitèr tantum coniugalis, & licitæ, adeo vt non poſſint ſine ſacrilegio fornicariè commiſceri ſuſtinent etiam DD. communitèr iuxtà eorundem ordinum inſtituta. 2 Votum Equitum Sancti Ioannis Ieroſolimitani eſt caſtitatis virgineæ, & ſolemne.

Caramuel *lib. 3. Theologia fundamentalis fundamento 70. impedim. 3. votum verſ. praterea tametſi votum ſolemne, Diana part. 3. tract. 2. de dub. regul. reſol. 30. verſ. quarto notandum eſt*, docent reliquorum ordinum militarium ab ordine Melitenſium votum caſtitatis emiſſum in eorum profeſſione non dirimere ſubſequens matrimonium, non quia ſolemne non ſit, ſed quia ſummus Pontifex præſcripſit illi modum, & formàm minuendo ſolemnitatem eius, quoad hoc, vt profitentibus in huiuſmodi ordinibus, & poſtea nubentibus matrimonium non ſit caſſum. 3 Sententia aſſerens non dirimi matrimonium ex voto aliorum ordinum à Melitenſi, quia Pontifex minuit ſolemnitatè.

Reſpondeo primo, profeſſionem aliorum militarium ordinum à Melitenſi non ideò non irritare matrimonium ſubſequens, quia illa ſolemnis non ſit, nec ſic profitentes non ſint propriè Religioſi. Ratio ex eo deducitur quia illorum profeſſio verè ſolemnis eſt, & in rigore pro- 4 Profeſſio aliorum militarium ordinum ſolemnis eſt.

Xxx priè

priè dicuntur Religioſi, *Sanchez in ſumma tom 1.lib 4 cap.16.n. 11., Hieronimus de Cenedo tract. de pauperi. Relig dub.60.nu. 12.,& ſeqq., Baſilius Ponſius in tract de impedim. matrim. cauſa 27.quaſt. 2.§.4.,*vbi aſſerit *eſſe vera , & ſubſtantialiter Religioſos adeo certũ exiſtimo, vt propoſitum iudicem nimis licentioſè dictum, ne dicam grauius,*cum pleno ore literæ Pontificiæ eos appellent Religioſos, & etiam cum caſtitate coniugali vera Religio conſtare poſſit eo quod ſicut in *paupertate latitudo eſt, ita etiam in caſtitate*. Hoc idem ſentiunt *Mota de confir. Ord. D.Iacobi lib 2. c.2.§.29. Sancius in ſuis pract. diſp. diſp.49.n.11. Flores de Mena lib. 2 q.21. n. 205. Diana part. 3. tract. 2. de dub. Reg. reſol.30. Caramuel loc. cit. & alij magis communiter*,ergo non ideo ſubſequens matrimonium non irritatur,eo quia illi Religioſi non ſint, nec eorum vota ſolemnia.

5
Ideo non irritatur matrimonium ſubſequens aliorum militarium ordinum, quia votũ, quod in illis emittitur non eſt caſtitatis adæquatæ.

Reſpondeo ſecundo. Ideo non irritari matrimonium ſubſequens aliorum ordinum militarium à Melitenſi, quia votum, quod in profeſſione talium ordinũ emittitur, non eſt caſtitatis adequatæ, ideſt virgineæ, ſed tantum coniugalis; ideo vero irritari in ordine militari melitenſi, quia votum quod in profeſſione eiuſdẽ emittitur eſt caſtitatis adæquatæ, ideſt virginalis. Ita ſentio ſentire *Rodriquez in explicat bulla §.9. n.128. Nauarrum in indic. Eccleſ ſub fine Caramuelem Theolog. Regul. tom.2 Epiſt. 11. p. 129. nu. 2601. Antonium Cotonium in ſumma verb. Religioſi milites n.4.* Ratio ex eo deducitur, quia profeſſio, qua profeſſio etiam ſolemnis eſt, non conſiſtit quoad onera, quæ inducit in profitentibus, in indiuiſibili, ſed obligat ad magis, & minus, ſecundum quod magis, & minus obligant inſtituta, ad quæ profitens ſe obligat, & ex eo, quod ad minus obliget non deſinit eſſe ſolemnis, ergo cum inſtituta militariũ ordinum à Melitenſi obligent quidem ad caſtitatem, ſed non quomodocunque, at tantum ad coniugalem profitentes idem inſtitutum ſolummodo obligabuntur ad talem caſtitatem, nec propterea eorum profeſſio deſinet eſſe ſolemnis, nec profeſſi deſinent eſſe Religioſi, ergo ideo non irritatur ſubſequens matrimonium, quia votum non eſt caſtitatis adæquatæ, ſeu virgineæ, ſed tantum coniugalis. Antecedens non vertitur in dubium, quia ſicuti paupertatis plures poſſunt eſſe gradus, ita & caſtitatis, & ſicuti non ceſſat eſſe ſolemnis profeſſio ex eo, quod in vna Religione latior paupertas profiteatur, quam in alia, ita nec deſinet eſſe talis ex eo, quod in vna profiteatur caſtitas dumtaxat coniugalis, quantumuis in alia profiteatur virginea. Hinc è contrario ſenſu deduces argumentum ad probandum irritari matrimonium ſubſequens per profeſſionem emiſſam in ordine Melitenſium equitum, quandoquidem ſecundum inſtituta ordinis votum, quod in profeſſione emittitur, obligat ad caſtitatem adæquatam nempe virgineam.

Sicuti paupertatis plures sũt gradus, ita & caſtitatis.

Hæc ratio congruentius, & conformius explicat, quomodo per profeſſionem aliorum ordinum à Melitenſi non irritetur ſubſequens matrimonium, quam explicet ratio, & modus, quem inducunt Caramuel, & Diana loco cit. in princip. præſentis diſquiſitionis dum aſſerunt, ideo non diſſolui, quia Summus Pontifex præſcripſit illi formam, & modum minuendo ſolemnitatem eius. Congruentius, inquam, quia modus à nobis expoſitus eſt magis conſonus naturæ rei, tum quia Põtifex non minuit ſolemnitatem, ſed inſtitutis ſe accommodat eadem approbando, & ſicuti non dicitur minuere ſolemnitatem, ex eo quod in vna Religione arctior paupertas profiteatur, quam in alia, ita nec &c.

Aptior eſt hic modus quam alius Caramuelis.

---

## §. XXXII.

### An infideles, qui contraxerunt pro tempore infidelitatis in linea recta vltra primum gradum ſint ſeparandi, ſi conuertantur ad fidem.

*SVMMARIVM.*

*Refertur caſus particularis ſecundum ſuas circumſtantias.* 1.
*Sententia aſſerens non eſſe poſt conuerſionem ſeparandos.* 2.
*Vtique poſt conuerſionem ſunt ſeparandi etiam ſi ſint conſanguinei vltra primum gradum.* 3.

DISQVISITIO XXXII. Titius, & Caia vterque Paganus, vel vterque Hæbreus conſanguinei inter ſe in linea recta, adeout Titius reſpectu eiuſdem Caiæ etiam Proauus, & Caia reſpectu Titij proneptis contraxerant durante infidelitate matrimonium, & fortè ex eodem progenuerunt filios, & filias. Poſtea diuinæ gratiæ ſtimulis agitati ſe conuerterunt ad fidem. Quæſitum tunc fuit, an poſt talem conuerſionem ad fidem eſſent quoad vinculum coniugale ſeparandi, nedum quoad thorum, & habitationem.

1
Exponitur caſus particularis ſecundum ſuas circũſtancias.

Sanchez *lib.7. de matrimon. diſp.52.n.21. Veracrux prima part. ſpecul. art.43.in fin. & ſecunda part. art.25.§.ex omnibus iſtis, Bartolomaus de Ledeſma de matrimon. dub. 37. poſt quartam concluſionem §. ex dictis, Vega tom.2. ſumma c.34. caſ. 127. ad finem*, cenſent

2 Sententia aſſerens poſt conuerſionem non eſſe ſeparãdos.

ſent non eſſe poſt conuerſionem ſeparandos, eo quia arbitrentur de iure naturæ in linea recta aſcendentium; & deſcendentium non irritari matrimonium, niſi in primo gradu; qui per conſequens docet, quod, cum matrimonium illud pro tempore infidelitatis initum fuerit in radice validum, cum ius naturæ illi non obſtaret, nec ius aliquod Eccleſiaſticum, cum pro illo tempore contrahentes Eccleſiæ non ſubeſſent, vtique per conuerſionem non infirmetur, ſed debeat pleno iure ſubſiſtere, quandoquidem tempus celebrationis contractus attenditur, nec iura Eccleſiaſtica irritant poſt conuerſionem matrimonia, quæ de ſui natura in origine valida erant, & antecedenter inita. Nihilominus inhærendo noſtris principijs præhabitis *ſub hoc eodem titulo Contractus XV. de matrim. 2. pranot. 10. ſect. 2. in aſſertione, eiuſque probatione.*

Reſpondeo, vtique ſeparandos eſse, quantumvis fuerint cõſanguinei in linea recta vltra primum gradum, cuiuſmodi ſunt proauus, & proneptis in hypotheſi, de qua hic loquimur. Ratio ex ijs deducitur, quæ ibi dicebamus, nempè de iure naturæ irritari matrimonium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium in quocunque gradu etiam in infinitum, prout docet *Gloſa in expoſitione arboris conſanguinitatis verſ. quæro, an inter aſcendentes 35. q. 5. Gloſa in l. nuptiæ verb. ad infinitum, ff. de ritu nupt. Hoſtienſis in ſumma tit. de conſanguinitate n. 9., & n. 17. q. 9. D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 14. §. 2. Abulenſis lib. 1. Regum c. 8. q. 151. Toletus lib. 7. ſumma c. 6. in fin. Bellarminus lib. 1. de matrimon. cap. 28. paulo poſt principium*, quod etiam latè nos ibi probauimus, ad quæ propterea vos remitto, ergò ſi de iure naturæ in quocunque gradu in tali linea irritatur matrimonium, vtpotè nullum in ſua origine erit poſt conuerſionem diſſoluendum, & per conſequens coniuges ſeparandi; non enim alia ratione Auctores nobis aduerſantes aſſerunt matrimonium in primo gradu poſt conuerſionem eſse diſſoluendum, niſi quià illud obſtat iuri naturæ, ergò, ſi eidem iuri obſtet in quocunque gradu talis lineæ, in quocunque gradu erit ſeparandum.

Impedimẽtum eſt de iure naturæ.

## §. XXXIII.

An, ſi quis de præſenti contrahat in gradibus lineæ tranſuerſalis prohibitis Leuitici 18., qui nec aduerſantur iuri naturæ, nec aliquo iure poſitiuo Eccleſiaſtico prohibentur, peccet & quomodo.

### SVMMARIVM.

*Refertur ſtatus controuerſiæ ſecundum omnes circunſtantias, & modos, quibus poteſt examinari.* 1.

*Contrahere in ijs gradibus in quibus vetabantur matrimonia, quæque non repugnant iuri naturæ, nec iure eccleſiaſtico prohibentur modo, non eſt peccaminoſum. num.* 2.

*Si infideles contraxerunt pro tempore infidelitatis in illis gradibus Leuitici exceptis illis, qui repugnant iuri naturæ nullam noxam contraxerunt.* 3.

DISQVISITIO XXXIII. In textu Leuitici 18. continentur plures gradus lineæ rectæ, & tranſuerſalis, in quibus tunc licitum non erat ex diſpoſitione diuina contrahere matrimonia; Aliqui ex ijs gradibus videbantur pugnare cum matrimonio de iure naturæ; alij verò ſolummodò ex illis præceptis cæremonialibus; omnes tamen videbantur ex genere ſuo præferre quandam turpitudinem, ſi matrimonium intrà illos gradus celebraretur; nec ſolum ibi prohibebantur matrimonia in linea, ſiuè recta, ſiuè tranſuerſali conſanguinitatis, ſeù intèr conſanguineos; ſed etiam inter affines. Exiſtente modo lege Euangelica, prout impedimenta præcisè proueniebant ex præceptis illis cæremonialibus, ſeù iudicialibus ſublata ſunt, & ſolum vigent ea, quæ iuri naturæ aduerſantur, & deindè per legem Eccleſiaſticam intra certos gradus non prohibitos iure naturæ ex illis, quæ tunc vetabantur, matrimonia ſunt interdicta, & quoad reliquos nihil fuit diſpoſitum. In ijs gradibus, in quibus ius naturæ vetat matrimonia, cuiuſmodi ſunt primi gradus in linea recta in communiſſima ſententia, & vlteriores etiam in infinitum in noſtra ſententia non eſt dubium, quod etiam de præſenti contrahere ſit inualidè contrahere, & contrahentes ipſos graui noxa læthali infici, ſi taliter contrahant, nam per legem Euangelicam ſublata quidem ſunt præcepta ceremonialia,

1 Refertur ratio controuerſiæ ſecundum omnes circunſtãtias, & modos, quibus poteſt examinari.

nialia, & iudicialia, non autem ea, quæ ſunt de iure naturæ. Contrahere verò in ijs gradibus, in quibus Eccleſia ſublatis per legem Euangelicam illis præceptis cæremonialibus inducit per ſpecialia ſua iura impedimenta dirimentia etiam dubium non eſt præter inualiditatem contractus inducere noxam grauem in ſic contrahentes affectos huiuſmodi impedimentis, cum contrahant contra præcepta Eccleſiæ in re graui.

Ad quid reſtringitur titulus propoſitus

Difficultas modo inſurgit primo in inueſtigando, an ſi poſt legem euangelicam quis contraheret in illis gradibus, in quibus matrimonia non ſunt vetita de iure naturæ inter conſanguineos, præciſa lege Euangelica noxam contraheret, & an læthalem, an verò venialem tantum, quod potiſſimum inquiri poteſt in infidelibus, qui non ſubduntur legibus Eccleſiaſticis. Secundò, an etiam attenta lege Eccleſiaſtica, ſi quis contraheret in ijs gradibus affinitatis, in quibus de iure Leuitici vetabantur antiquitus matrimonia, nec tamen aduerſabantur iuri naturæ, nec modo per ſpeciale ius Eccleſiæ interdicuntur, contraheret aliquam noxam, & qualem.

2 Cõtrahere modo in illos gradibus, ſi non repugnent iure naturæ, nec iure Eccleſiaſtico prohibeantur non eſt peccaminoſum.

Reſpondeo primò. Contrahere in ijs gradibus, in quibus de iure antiquo Leuitici interdicebantur matrimonia, quæque tamen non aduerſabantur iuri naturæ præciſa quacunque lege Eccleſiaſtica ſpeciali iure vetante in certis gradibus huiuſmodi matrimonia non inducit aliquam noxam. Ita videtur ſentire *Villoria in relect. de matrimon. 2. part. nu 3. Sotus in 4. diſtinct. 40. q vnica art. 3. col. 4 verſ. igitur DD., & alij*, dum ſtatuunt modo nullam in illis gradibus adeſſe prohibitionem. Ratio ex eo deducitur, quià vbi ius naturæ non vetat matrimonium in certo genere, nec iura poſitiua Eccleſiaſtica non eſt aliquod caput, ex quo poſſit conſurgere noxa in contractu illius, ergò nulla eſt noxa contrahere matrimonium in illis gradibus, in quibus vetabatur de iure Leuitici, ſi illud non aduerſetur iuri naturæ, & ſi præſcindas à diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici; Neque dicas, noxam induci ob oppoſitionem ad legem diuinam poſitiuam expreſſam in Leuitico; contra enim impugnaberis, quià ex ſuperius dictis modo nulla dantur præcepta poſitiua diuina niſi quoad ſacramenta; cætera autem omnia per legem Euangelicam ſublata ſunt.

præcepta cæremonialia ſunt per legem Euangelicam abrogata.

Dices primo. matrimonia in illis omnibus gradibus prohibitis *Leuit.* 18 inferre ſecundum ſe aliquam turpitudinem, & indecentiam, cum natura ipſa dictet reuerentiam quandam conſanguineis in illis gradibus coniunctis deberi; vnde merito non defluerunt aliqui ex SS. Patribus, qui dixerint matrimonia in illis omnibus gradibus ibi enumeratis eſſe interdicta iure naturali, & ſic *D. Auguſtinus lib. 3. qq. in Leuiticum quæſt* 53. prohibitionem illam graduum in Leuitico expoſitorum reducit ad Decalogum tanquam in eo præconceptam, & D. Ambroſius Epiſt. 66. ad *Paternum* dicit illicitum eſſe iure naturæ, vt Patruus ducat Neptem, ergò ratione illius turpitudinis, & indecentiæ ſuaptè natura inducitur noxa.

Illa indecentia non afficit contrahentes in genere moris.

Sed contrà, quià illa indecentia, ſi qua eſt, non eſt talis, vt afficiat ſic contrahentes in genere moris, ſed ad ſummum in aliquo genere Phyſico, & pure Philoſophico; cæteroqui contrahentes in illis gradibus, in quibus de iure naturæ non vetantur matrimonia, & ſolum prohibentur iure Eccleſiaſtico, contraherent aliquam noxam, quantumvis contraherent ex diſpenſatione Romani Pontificis, quià diſpenſatio Romani Pontificis ſolum derogat iuri poſitiuo, non autem iuri naturæ; ſicuti igitur ſtante diſpenſatione Pontificis nullam contrahunt noxam contrahendo in illis gradibus, non niſi, quià ſolummodò per illam diſpenſationem ſublatum intelligitur ius poſitiuum eccleſiaſticum prohibens, ita contrahentes ſine illa diſpenſatione, quandò non ſubduntur iuri Eccleſiaſtico nullam debent noxam contrahere, quandòquidem pari paſſu procedunt contrahere, quandò nullum eſt ius prohibens, ac contrahere, quandò quidem eſt ius prohibens, ſed ſuper illud diſpenſatum, & ſi quandò eſt diſpenſatio non conſideratur turpitudo illa, vt afficiens in genere moris, nec eſt conſideranda in tali genere, quandò nullum eſt ius prohibens. Quamobrem ad ea, quæ dicebantur ex D. Auguſtino, & D. Ambroſio in inſtantia dicendum eſt ipſos intelligere per ly *de iure naturæ* non rigoroſum ius à natura inditum, & obligans, ſed quandam proportionem ſecundariam ad ſimilitudinem iuris naturæ, quæ tamen non obligat ſub aliquo præcepto; ſecus, ſi de iure naturæ rigoroſo procederet, nõ poſſet Pontifex diſpenſare, cum Pontifex nullum habeat ius quoad præcepta Decalogi, nec quoad præcepta naturalia rigoroſa.

Satisfit auctoritati D Auguſtini, & D. Ambroſij.

Dices ſecundo. Deus *Leuit.* 18. matrimonia contracta in his gradibus appellat execrationes, & ſcelera gentium. Ibi. *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminata ſunt vniuerſa gentes, & quibus polluta eſt terra, cuius ego ſcelera viſitabo.* Rurſus *Non faciatis ex omnibus abbominationibus iſtis; omnes enim exacrationes iſtas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam*, vbi vides, quod non ſolum intelligerentur prohibita huiuſmodi matrimonia ex vi illius præcepti, ſed præſuponerentur talia, & abhominabilia ex genere ſuo, etiam ante illud, adeoque vetita quodamodò iure naturæ. Sed

Verba non referuntur ad matrimonia, ſed ad cætera flagitia.

contra

contra repeto, quæ ſuperius dixi cum *Bellarmino lib. 1. de matrimon. c. 27.* nempe illa verba Domini non referri ad illa matrimonia in illis gradibus inita, in quibus de iure naturæ non vetatur, ſed ad cætera flagitia, nempè Idolatriam, Adulteria, ſodomiam, & ſimilia, quæ ibi numerauerat; non enim dixit ea omnia eſse abhominationes, execrationes, & ſcelera.

Infideles contrahentes in illis gradibus, qui non repugnant iuri naturę non peccant.

Ex quibus omnibus habes, quod, ſi infideles durante infidelitate contraherent matrimonia in illis gradibus prohibitis Leuit. 18. exceptis illis, in quibus de iure vetantur, cuiuſmodi ſunt gradus omnes in noſtra ſententia in linea recta, & in transuerſali primus gradus, nullam noxam contraherent, quandòquidem iura Leuitici fuerunt per legem Euangelicam ſublata, & iuribus Eccleſiaſticis pro tempore infidelitatis non ſubdebantur.

Reſpondeo ſecundo. Si quis ſit gradus, vel conſanguinitatis, vel affinitatis ex illis enumeratis Leuit. 18., qui non ſit prohibitus iure naturæ, nec iure Eccleſiaſtico non peccant fideles contrahentes intra illos. Eiſdem rationibus deducitur, quibus fuit probata præcedens reſponſio, & obiecta, ſi quæ afferantur, eiſdem reſponſionibus eluduntur.

---

## §. XXXIV.

### An conſanguinei, ſi alter diſtet à communi ſtipite tantum in primo gradu, & alius in quinto poſſint inter ſe validè contrahere matrimonium.

*SVMMARIVM.*

*Status controuerſiæ in ſuis terminis.* 1.
*Sententia aſſerens contractum in illa inæqualitate graduum non ſubſiſtere.* 2.
*Verius illud matrimonium ſubſiſtit.* 3.
*Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.* 4.

1 Status controuerſiæ in ſuis terminis.

DISQVISITIO XXXIV. Ex regula præhabita in precedentibus conſtat, quod conſanguinei tot gradibus diſtent inter ſe, quot gradibus diſtent à communi ſtipite, & quod diſtantia ad effectum irritandi, vel non irritandi matrimonium deſumenda ſit à remotiori gradu. His ſuppoſitis conſtituunt ſtipitem Caius, & Berta; ab eiſdem immediatè procedit Sempronius eorum filius ex vna parte, qui propterea ab ijs diſtat tantum in primo gradu; ab eiſdem vlterius ex alia parte procedit Theodorica filia; ex Theodorica Meuius, ex Mæuio Caius, ex Caio Andræas, ex Andrea Calidonia, quæ Calidonia comparatiuè ad Caium ſeniorem, & Bertam diſtat quinto gradu, vt per ſe patet. Contendebat poſteà Sempronius contrahere matrimonium, cum Calidonia, & tunc excitata fuit controuerſia, an illud matrimonium poſset ſubſiſtere?

2 Sententia aſserens contractũ in illa inæqualitate graduum non ſubſiſtere.

Viſum eſt *Fabro Inſtit. de nuptijs, §. inter eas nu vnico, Hoſtienſi in ſumma tit. de conſanguin §. vſque in quotum gradum num. 11. verſ., ſed numquid in quinto, Ioanni de Triborgo in ſumma confeſſorum lib. 4. tit. 6. q 7. Henrico c. non debet nu. 5. de conſang.* ipſos non poſſe inter ſe validè contrahere matrimonium, nec illud contractum ſubſiſtere. Fundant ſuum aſsertum in eo, quià filius, ſeu filia ſtipitis eſt cum eodem ſtipite vna caro, adeoque contrahere cum filio, ſeù filia immediata ſtipitis perindè eſt, ac contrahere cum eodem ſtipite; cum ſtipite autem non poteſt quis contrahere etiam, ſi per innumeros gradus diſtet per ea, quæ latè ſupradiximus, adeovt ſi Adam modo reuiuiſceret cum nulla poſset contrahere. Nihilominus

3 Verius illud matrimonium ſubſiſtit.

Reſpondeo Sempronium, & Calidoniam vtique poſse validè contrahere inter ſe matrimonium, & contractum ſubſiſtere. Hoc innuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. 2. pranot. 10. ſect. 3. in fine verſ. Ex his, & ex ſuperius dictis,* vbi tamen dictum non probauimus, nec purgauimus ab obiectis. Hoc idem ſtatuunt *Ioannes Andræas c. fin. nu. 2. de conſang, & ibi Antonius nu. 4. Anchar anus in c. tua nu. 2. eod. tit., & ibi Cardin. num. 3. Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 17. art. vnico q. 4. Roſella verb. impedimentum impediment. 5. in fin. Angelus verb. matrimonium 3. impediment. 6. in fin. Coarnuias 4. decret. 2. part. c. 6. in fin. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 9 n. 2. in fine, Toletus lib 7. ſumma c. 5. n. 4.* Ratio deſumitur ex generali reg. deſumpta *ex c. fin. de conſanguin.*, vbi dicitur, quod attenditur gradus conſanguinitatis penes diſtantiam remotioris à ſtipite; cum igitur matrimonia interdicantur ſolummodò intra quartum conſanguinitatis gradum, & Calidonia à ſtipite diſtet in quinto gradu, non eſt, cur non poſſit ſubſiſtere inter ipſam, & Sempronium verum, & validum matrimonium; nec iura aliquo modo limitant hac regulam, quandò vnus diſtat à ſtipite tantum in primo gradu, quam propterea, nec nos debemus militare, cum præcipuè hic agitur de impedimentis, quæ exoſa ſunt matrimonijs, & eorum libertati, quæ propterea ſunt reſtingenda, non extendenda.

Attenditur gradus remotior.

4 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt omninò gratis, & ſine fundamento dici filium ſtipitis eſse, & computari in vna carne cum eodem ſtipi-

Digitized by Google

ſtipite; non enim per viam generationis communicat ſuam carnem cum eodem ſtipite, ſicuti communicat maritus, & vxor per conſummationem, ſed ſolummodò accipit eſſe, & carnem ab eodem ſtipite, nec ipſe propriè conſtitueretur in primo gradu à ſtipite, ſi cum eodem eſſet vna caro, nec lineam tranſuerſalem inciperet comparatiuè ad fratres, & ſorores & ſic ſucceſſiuè quoad alios ab ipſis procedentes; quamobrem non eſt facienda comparatio ad ipſum, & alios ex diuerſa linea, quæ ſit inter iſtos, & ipſum ſtipitem, vt ex ſe eſt manifeſtum; & ſi hæc, quæ ex aduerſo dicuntur, valerent, filius Sempronij non diſtaret, niſi vnico gradu ab eodem ſtipite, quià non diſtaret niſi vnico gradu ab eodem Sempronio Patre, quià ipſe Sempronius cum ſtipite eſſet vna caro, quinimmò filius Sempronij non diſtaret vno gradu ab ipſo, quià eſſet vna caro cum ipſo, ſicuti Sempronius eſt vna caro cum ſuo Patre conſtituente ſtipitem.

---

## §. XXXV.

### An cognatio ſpiritualis ſuperueniens matrimonio impediat vſum ipſius.

### SVMMARIVM.

*Exponitur facti ſeries.* 1.

*Si Marius baptizauerit, vel tenuerit filium propriæ vxoris, vel communem vtriuſque in neceſſitate non priuatur iure petendi.* 2.

*Adhoc vt non priuetur tali iure requiritur, vt nullus alius adſit, qui poſſit, & velit baptizare.* 3.

*Suſcipiens etiam in confirmatione ex neceſſitate non priuatur iure petendi.* 4.

*Si maritus baptizet, vel ſuſcipiat ex propria voluntatis arbitrio nulla cogente neceſſitate probabilius probabilitate intrinſeca non priuatur iure petendi.* 5.

*Non tamen probabilitate extrinſeca.* 6.

1 Proponitur facti ſeries.

DISQVISITIO XXXV. Poſt contractū matrimonium inter Meuium, & Seiam legitimè, & ſeruato iuris ordine Meuius in confirmatione tanquam Patrinus ſuſcepit eandem Seiam, aut leuauit de ſacro fonte filium eiuſdem, vel communem vtriuſque, & propterea cognationem ſpiritualem contraxit cum eadem Seia vxore ſua. Tale matrimonium non diſſolui per ſuperuenientem illam cognationem ſpiritualem eſt certiſſimum, quandòquidem eſt ex genere ſuo indiſſolubile, nec vlla humana poteſtate poteſt irritari. Solum difficultas conſiſtit in eo, an vterque coniux conſcius illius cognationis ſpiritualis contractæ priuetur iure petendi, & reddendi debitum, an verò ſolummodò ille, qui ex culpa propria contraxit illud impedimentum, an verò nullus.

Hæc difficultas poteſt examinari ſecundum varias, eaſdemque diuerſas circunſtantias; primo conſiderando, an Meuius baptizauerit, vel ſuſceperit, vel ex neceſſitate, vel ex propriæ voluntatis arbitrio; Secundò, an ſuſceperit ex conſenſu Seiæ ſuæ coniugis, vel ex ſe ipſo eadem prorſus inſcia, vel ignorante, vel ſi ſciente, contradicente. Tertio, an Meuius ſuſceperit in fraudem propriæ vxoris, & ex malitia, an verò ſolummodò cum ſcientia. Quibus poſitis *(Variæ conſiderationes circà factum.)*

2 *(Si maritus baptizauerit, vel tenuerit filiū propriæ vxoris, vel cōmunem ex neceſſitate non priuatur iure petendi.)*

Reſpondeo primo. Si Meuius baptizauerit, vel tenuerit filium propriæ vxoris, vel communem vtriuſque in neceſſitate non priuatur iure petendi debitum ab eadem vxore. Quoad primam partem communitèr conſentiunt DD. *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. §. 3. Monaldus in ſumma tract. de matrimon. tit. de fraternitate ſpirituali ad fin. Sotus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. concl. 3. Petrus de Soto lect. 11. de matrimon. § ſecundum de hac cognatione, Nauarrus in ſumma c. 22. n. 40. ad fin. Lodouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c. 51. §. dubitari hic vſuvenit.* Quoad ſecundam partem, *D. Thomas 3. part. q. 67. art. 8. ad ſecundum, Abbas c. ſi vir nu. 2. de cognat. ſpirituali, & ibi, Præpoſitus n. 5. Alexander de Neuo n. 2. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. §. 3 Suarez 3. parte de baptiſmo q. 67. art. 8. §. ſed hinc oritur, Roſella verb. impedimentum imped. 6. n. 6.*, & alij magis communitèr aduerſus *Henriquez lib. 11 de matrimon. c. 15. n. 11., & lib. 2. de baptiſmo c. 18. in fine, & Petrum de Ledeſma de matrimonio q. 56. art. 1. dub. 1. in princip.*, qui tamen cantauit Pallinodiam in ſua doctrina Chriſtiana *cap. 2. de baptiſmo §. hà da auer* aduerſus hos, inquam, qui exiſtimarunt non poſſe eſſe eam neceſſitatem in ſuſcipiente, ac in baptizante, cum ſine ſuſceptore poſſit baptizari, & conſequi vitam æternam.

Prima pars expreſsè euincitur *ex cap. ad limina 30. q. 1.*, vbi etiam redditur ratio fundata in æquitate, ſecudum quam qui culpa immunis eſt, & conſulis indemnitati prolis, ne in ęternum pereat, non debet damnum ſubire, vt iure priuetur petendi debitum à ſua coniuge, & ex bono opere, quod exercuit, æquum non eſt, vt conſequatur in ſuis iuribus iacturam, & pœnam ſortiatur, vbi non deliquit. *(Æquum non eſt, vt iacturam patiatur ex bono opere.)*

Dubium ſolum hic eſt, quandonam intelligatur talis neceſſitas, ratione cuius Pater ſic baptizans eximatur ab onere carendi iure petendi debitum à propria vxore.

Digitized by Google

vxore. Nonnulli exiſtimant ſufficientem eſse neceſſitatem ad eximendum à tali onere, ſi proles periclitaretur, & nullus adſit Sacerdos, qui valeat baptizare, quantumvis alius adeſset, qui non eſset ſacerdos, & vellet baptizare, & fundamentum huius eorum aſserti deſumunt *ex d. cap. ad liminn* 30. *q.* 1., vbi eximitur à tali onere, qui *abſentia ſacerdotum nimia neceſſitate cogente baptizauit*, vbi textus ponderat præcisè deficientiam ſacerdotum, & non aliorum. Nihilominus communius ſentiunt, & rectius neceſſitatem eximentem à tali onere debere eſse talem, vt deficiat alius quicunque à Patre, qui poſſit, & velit baptizare, ſi enim alius adeſset, Pater baptizans non eximeretur à tali onere, ſic ſentiunt *Alenſis 2. part. q.* 170. *memb.* 3. § 2. *D. Bonauentura in 4. diſt.* 42. *art.* 1. *q.* 2. *n* 18., *& ibi ſupplementum*, *Gabriellis q.* 1. *art.* 2. *concl.* 4. *Hostienſis c. ſi vir num.* 3. *ſuper verſ. ſi ex malitia de cognat. ſpirituali*, *& ibi Ioannes Andreas n.* 4. *Henricus nu.* 3. Ratio ex eo deſumitur, quià non poteſt eſse neceſſitas ſalutis prolis baptizandæ, ne in æternum pereat, quandò adeſt alius, qui commodè poſſit, & velit baptizare, & ſi tunc Pater baptizaret, hoc præſtaret ex propriæ voluntatis arbitrio, non neceſſitate compellente. Limitarem tamen in caſu, quo Pater præuidens proximam mortem prolis inopinatus, & celer accurreret, nec reflectens ad perſonas ibi exiſtentes ex inſtinctu quodã naturali, vt proli conſuleret, baptiſmum eidem conferret; non enim in eo caſu delinqueret, ſed potius mereretur, atque etiam ſic limitat Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. diſp.* 26. *nu.* 2. Quamobrem ad textum *in d. c. ad limina* 30. *q.* 1. dicendum eſt ponderaſſe caſum tunc contingentem, vbi licet ſolummodo fiat mentio non exiſtentiæ ſacerdotum, non innuitur tamen exiſtentia aliorum, vndè cum ſupponatur nimia neceſſitas. Ibi. *Nimia neceſſitate cogente* ſupponitur etiam, ſeù inducitur vehemens præſumptio non exiſtentiæ aliorum.

3 Adhoc, vt non priuetur tali iure requiritur, vt deficiat quicunque alius à Patre, qui poſſit, vel velit baptizare.

Secunda pars ex eo deducitur, quià textus *in d. c. ad limina* 30. *q.* 1. non ſolum loquitur de baptizante, ſed etiam de tenente in neceſſitate, & licet in ordine ad ſalutem prolis non videatur eſse tanta neceſſitas in ſuſcipiente, cum ſine ſuſceptore poſſit validè conferri baptiſmus, quanta eſt in baptizante, cum ſine iſto non poſſit ſubſiſtere, eſt tamen neceſſitas ex præcepto, quod concurrat patrinus, ſeù ſuſcipiens, & licet in neceſſitate non requiratur in baptiſmo priuato, conſultius tamen eſt ad ſeruandam ſacramenti ſignificationem, vt interueniat, ergò, ſi alius haberi non poſſit, poterit Pater impunè illud munus exercere in ordine ad filium propriæ vxoris, vel communem vtriuſque. Confirmatur, quià in neceſſitate Patrem eſse patrinum vacat omni culpa, prout docet *D. Thomas 3. parte q.* 67. *art.* 8. *Viguerius lib. inſtit. c.* 16. §. 7. *verſ.* 9. *Veracrux prima part. ſpeculi art.* 57. *concl.* 4. *Ouandus in 4 diſtinct.* 42. *quaeſt. vnica propoſ.* 9. *Graffius prima part. deciſ. lib.* 2. *c.* 83. *in fin.*, ergò non eſt, cur debeat contrahere illam pœnam carendi iure petendi debitum à propria vxore. Neque dicas, amiſſionem huiuſmodi iuris petendi, & contractionem cognationis ſpiritualis non eſse in pœnam delicti, ſed ex iure quodam conſurgente ex generatione quodamodò ſpirituali, quæ confertur baptizato, quæ poteſt eſse, & eſt ſine illo crimine; contra enim impugnaberis, quià, quantumvis illa cognatio ſpiritualis conſurgat ex illo eſse ſpirituali, quod confertur, impedimentum tamen confert ex ſola diſpoſitione Eccleſiaſtica, prout docet *D. Thomas in 4. diſt.* 43. *q.* 1. *art.* 1. *in corpore* receptus ab omnibus; non eſt autem veriſimile, quod Eccleſia poſt contractum, & conſummatum matrimonium, ex quo plenum ius conſurgit petendi, vel reddendi debitum voluerit alterum priuare huiuſmodi iure, ſi ſine culpa, quinimmò ex animo benefaciendi, & conſulendi alteri in neceſſitate, vt ſacramentum legitimè fiat, & cum plena ſignificatione eius, ad quod inſtitutum eſt, concurrat ſuſcipiendo.

Patrinum adeſſe eſt ex neceſſitate præcepti.

Hic dubium aliud occurrit, an ſi Meuius maritus ſuſcipiat in confirmatione propriam vxorem in neceſſitate, quatenus nullus alius ſit, qui ſuſcipiat, contrahat impedimentum, ratione cuius non poſſit petere ab vxore eadem debitum. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod hoc ſacramentum non eſt ſacramentum neceſſitati, ſicuti eſt baptiſmus, &, ſi confirmanda non eſt in proximo mortis periculo, poteſt differri, quouſque alius adſit, qui ſuſcipiat. Nihilominus ſentio, etiam ſuſcipiendo in neceſſitate in confirmatione non contrahere onus non petendi debitum à propria vxore, quam ſuſcepit. Ratio ex eo deducitur, quià licet confirmatio non ſit ſacramentum neceſſitatis, ſicuti eſt baptiſmus, eſt tamen ſacramentum maximæ vtilitatis, quinimmò, nec negligi, nec omitti poteſt, ſi commoditas adſit illud recipiendi, ſine graui culpa, vndè poteſt Seia iuſte, & rationabilitèr velle confirmari, & vt ritè, & rectè fiat ſecundum diſpoſitionem Eccleſiæ, cum nullus alius adſit, non eſt, cur non poſſit concurrere maritus tanquam Patrinus; nec obſtare poteſt illud, quod ſubditur, nam cum non ita frequens ſit collatio confirmationis, cum à ſolo Epiſcopo poſſit conferri, nec ſemper adſit poteſt confirmanda

4 Suſcipiens etiam in neceſſitate quoad confirmationē propriam vxorem non priuatur iure petendi.



Digitized by Google

firmanda velle tunc confirmari, & nolle differre, ne poſtea ſubdatur periculo carendi tali beneficio, & remedio contra Dæmones paſſim occurrentes.

Reſpondeo ſecundo. Si Meuius bapti-
5 zauerit, vel ſuſceperit ex propriæ voluntatis arbitrio nulla cogente neceſſitate probabilius ex probabilitate intrinſeca non contrahere impedimentum, ratione cuius non poſſit petere debitum à propria vxore *Gloſa in d. c. ſi vir in verb. debitum de cognat. ſpirituali, & ibi Ancharanus, & Præpoſitus in fin. ArchiDiaconus c. noſſe* 30. *q* 1. *verſ. in prima gloſa, Raynerius in ſumma tit. de cognat. ſpirituali, §. vltimo verb. contractu, Durandus in* 4. *diſt.* 32. *q.* 1. *art.* 3. *n.* 11. *in fin. quibus adhærere videtur, Suarez* 3. *part. q.* 67. *de baptiſmo art.* 8. §. *quo circa liberè fatear*. Dixi *probabilitate intrinſeca* proptèr rationes magis congruentes, quæ hoc euincunt, *non extrinſeca*, quià plures ſunt DD. affirmantes priuari hoc iure petendi, quam negantes. Ratio autem potiſſimum deducitur *ex d. c. ſi vir de cognat. ſpirituali*, vbi ſic legitur, *ſiuè ex ignorantia, ſiuè ex malitia id fecerit non ſunt ab inuicem ſeparandi, nec alter alteri debet debitum ſubtrahere*; Neque dicas primo hunc textum loqui præcisè de redditione debiti, non de petitione; contra enim impugnaberis, quià cum ille textus loquatur de vtroque tenente, ſeù conſentiente ad ſuſcipiendum, & aſſerat alterum alteri non debere ſubtrahere debitum, vtique hoc intelligendum eſt etiam de petitione, nam cum vterque ſupponatur delinquens, ſi vterque priuaretur iure petendi, non eſſet locus, vt vnus alteri non debeat ſubtrahere debitum, quinimmò ex directo deberent ſubtrahere, cum nemo poſſet petere; Neque dicas ſecundo ex ratione eiuſdem textus potius euinci tenentem ſciẽtèr, vel filium propriæ vxoris, vel communem priuari iure petendi, non tamen onere reddendi, quandòquidem textus ipſe adducens rationem talis diſpoſitionis ſubdit. *Quià, ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur, ſi ex malitia, eis ſua fraus patrocinari non debet*, ex qua ratione *Abbas ibi n.* 3. efformat argumentum hoc pacto. Matrimonium illud ſuſtinetur, ne fraus doloſo patrocinetur, ſed non patrocinatur priuando iure petendi debitum, dum ex alio capite ſubdit oneri reddendi, ergò non eſt, cur ex ratione illius textus non priuetur tali iure petendi, quod clarius ex eo explicatur, & euincitur, quià malitia ſuſcipientis non poteſt in alio conſiſtere, niſi in eo, quod malitioſè delinquens intendat per illam ſuſceptionem eludere alterum coniugem, & ſe ſubtrahere ab onere erga illum, ſed ex eo, quod priuetur tantum iure petendi, & non eximatur ab onere reddendi, nullum patrocinium ſibi deducit, vt ex ſe eſt manifeſtum, ergò &c. Sed contra, quià textus primo ponit deciſionem, qua aſſerit non priuari, deindè ponit aliquam congruentiam talis deciſionis, non quià illa ſit adæquata, & ſola ratio, ſed quià, quandò vterque coniux concurrit, vt euenit in illo caſu, de quo loquitur textus, vterque priuaretur iure petendi, & nullo petente, cum non ſit onus reddendi, vtique ex illa malitioſa ſuſceptione patrocinium coniuges nanciſcerentur, quo ſe liberarent ab onere verſus alium coniugem. Cæterum ille textus indefinitè loquitur, & abſolutè comparat ignorantèr, ac ſcientèr ſuſcipientem; ex quo ſequitur, quod ſicuti ignorantèr ſuſcipiens non priuatur iure petendi, nec onere reddendi, ità nec ſcientèr tali iure priuetur, cum præcipuè textus intendat coniugium debere remanere illæſum, non eſſet autem illæſum quoad effectum, ſi alter iure petendi debitum priuaretur, vt ex ſe patet.

Etiam probabilius probabilitate intrinſeca nō priuatur, ſi baptizet, vel teneat ex propriæ voluntatis arbitrio.

Non probabilitate extrinſeca, & quare.

Obiecta, eorumque ſolutio.

Confirmatur vlterius noſtra reſponſio, quià impedimentum iuris petendi debitum ex cognatione ſpirituali ſubſequenti ad matrimonium eſt reſtrictiuum libertatis, & iuris conſequentis ad idem matrimonium, & ſecundum ſe maximè odioſum, & ſi quod eſt, non eſt à iure naturæ, ſed tantum à iure poſitiuo Eccleſiaſtico, ergò non eſt admittendum, vtpotè odioſum, & reſtrictorium, niſi expreſsè fuerit inductum per idem ius Eccleſiaſticum, ſed nullibi conſtat Eccleſiam tale impedimentum induxiſſe, & ſi fortè conſtabit, conſtabit etiam per ſubſequentia iura fuiſſe correctum, ergò &c. Quod, ſi afferas textum *in c.* 1., *&* 2. 30. *q* 1., vbi expreſsè hoc impedimentum inducitur; tunc dicam cum *Gloſa ibid verb. inſtitutum, ArchiDiacono eod. cap.* 1. *in initio, & Turrecremata n.* 1. illum textum correctum fuiſſe per textum *in d cap. ſi vir de cognat. ſpirituali*. Si vlterius afferas textum *in c. noſſe* 30. *q.* 1., vbi dicitur coniuges non eſſe ad inuicem ſeparandos, nec defraudandos, ſed reuerſuros in idipſum, ſi non ex vtriuſque conſenſu alter alterius filium de ſacro fonte leuauit, & deindè ex hoc textu inferas contrarium eſſe dicendum, quandò ex conſenſu vtriuſque id factum eſt; ſi, inquam, hoc aſſeras, & inferas; ſtatim patet ex hoc noſtram opinionem confirmari, quandò alter tantum tenet ſine conſenſu alterius, quod eſt præcipuus, ſcopus noſtræ reſponſionis, quandò vero, vel vterque tenet, vel vnus ex communi etiam conſenſu alterius iam patet allegatum textum quoad hoc correctum eſſe per *d. c. ſi vir de cognat. ſpirituali*, in quo clara eſt diſpoſitio, & quoad hoc locum habet ratio diſpoſitionis ibi adducta; ex

Altera probatio reſponſionis, aliorumq; obiectorũ ſolutio.

proprio

Digitized by Google

proprio enim dolo, & malitioſa ſuſceptione patrocinium deſumerent, nam cum eximerent à iure petendi priuarentur, ſeu liberarentur etiam onere reddendi.

6 Contraria ſententia eſt pluribus auctoritatibus ſuffulta, & in praxi ſeruanda.

Hæc omnia, vt aſſerebam, procedunt conſiderata re ab intrinſeco, ſecundũ quod iura, & rationes dependenter ab eiſdem iuribus ſuadent; cæterùm conſiderando rẽ ab extrinſeco, prout eſt ſuffulta DD. auctoritatibus, & communius in Eccleſia ſecundum praxim recipitur, non eſt recedendum in praxi à contraria ſententia in ea parte, qua vnus tantum ſine conſenſu alterius vltra caſum neceſſitatis ſcientèr, & malitioſè ſuſciperet; in ea etenim parte, qua vterque malitioſè concurreret, & ſcienter abſolutè eſt retinenda reſponſio, quandoquidem in hac hypotheſi habet expreſsè locum diſpoſitio *in d. c. ſi vir de cognat. ſpirit.* & ratio eiuſdem diſpoſitionis. Si autem cupias attingere DD. auctoritates, quæ crebrius, & magis fauent ſententiæ aſſerenti malitioſè, ſeu ſcienter ſuſcipientem priuari iure petendi, non tamen eximi ab onere reddendi conſule *Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 26. n. 7.* qui innumeros ibi refert, & ſequitur.

Nonnullæ illationes ex dictis.

Ex quibus habes, quid ſentias, quando vterque ſcientèr tenet, vel vnus ex conſenſu alterius; item quando vnus non ſolum ex ſcientia, ſed etiam ex malitia altero neſciente, & non concurrente ſuſcipit; in hoc etenim ſecundo caſu dirimenda res eſt ſecundum præcedenter dicta; conſiderata etenim re ab intrinſeco ſecundũ iura, & ſecundum rationes ab eiſdem iuribus deductas dicendum eſt non priuari iure petendi, quantumuis ſic tenendo grauitèr peccet; conſiderata vero re ab extrinſeco ſecundũ cõmuniorem ſcilicet ſententiã ſentiendum eſt priuari tali iure petendi, nõ tamen eximi ab onere reddendi, quæ in praxi tutior eſt.

---

## §. XXXVI.

An maritus, qui contraxit cognationem ſpiritualem cum vxore ante conſummatum matrimonium teneatur Religionem ingredi?

### *SVMMARIVM.*

*Refertur factum cum ſuis circunſtantijs.* 1.
*Cognatio ſpiritualis antecedens dirimit matrimonium, non ſic ſubſequens.* 2.
*Rationes ſuadentes teneri abſtinere ab vſu coniugij.* 3.
*Non tenetur ad Religionem tranſire, quantumuis contraxerit talem cognationem antecedentèr ad conſummationem.* 4.
*Solutio rationis dubitandi.* 5.

Disqviſitio XXXVI. Contraxerat per verba de præſenti matrimoniũ Philibertus cum Suſanna, quæ Sacramentum Confirmationis nondum ſuſceperat, vel fortè etiam ab alio marito prolem ſuſceperat, quæ nondum fuerat baptizata. Idem Philibertus, antequam matrimoniũ conſummaret, vel Suſannã ipſius coniugem in confirmatione ſuſcepit, vel prolem eiuſdem ex alio matrimonio progenitam à ſacro fonte leuauit. Per huiuſmodi ſuſceptiones cognationem ſpiritualem contraxiſſe cum propria vxore certum eſt. Quæritur iam, an ratione eiuſdem cognationis ſpiritualis ſic contractæ impediatur à conſummando, & cum iam matrimonium per verba de præſenti fuerit initum legitimè, & iuxta iura Eccleſiaſtica teneatur ad illud diſſoluendum ingredi in Religionem. 1

1 Exponitur factum, ſecundum ſuas circunſtantias.

2 Cognatio ſpiritualis antecedens dirimit matrimoniũ, non ſic ſubſequens.

Cognationem ſpiritualem antecedenter contractam ad matrimonium inter perſonas recenſitas *in Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon. c. 2.* dirimere idem matrimonium certum eſt apud omnes Catholicos, & expreſsè habetur *c. 1. de cognat. ſpiritual. in ſexto, & c. veniens eod. tit. & c. de eo, & c. ſi quis filiaſtrum 30. q. 1. & Nouiſſimè in Concil. Trident. loc. mox cit.* Ex quo autem modo in hypotheſi præſentis diſquiſitionis intelligatur contracta poſt initum ſubſtantialiter matrimonium per verba de præſenti, qua ratione propriè illud non dirimit, ſicuti non dirimit affinitas, aliaque impedimenta ſubſequentia, ſed ante conſummationem pro tempore, pro quo ille, qui illam contraxit, poteſt matrimonium diſſoluere per ingreſſum in Religionem, & per profeſſionem in eadem, tribuit fundamentum inquirendi, an cum ex vna parte non diſſoluat matrimonium antecedenter initum, & ex alia cum ille, qui contraxit talem cognationem ſpiritualem ſit liber ad diſſoluendum matrimonium ante conſummationem per ingreſſum in Religionem teneatur ratione illius cognationis ſuperuenientis ante conſummationem ingredi, illudque matrimonium diſſoluere.

Potiſſima difficultas in quo conſiſtat.

3 Rationes ſuadentes teneri abſtinere ab vſu coniugij.

Ratio fundamentalis dubitandi in eo conſiſtit, quod videtur quodamodo quantum eſt de ſe, teneri abſtinere ab vſu ratione illius cognationis cum proprio coniuge, ea proportionali ratione, qua tenetur ab eodem vſu abſtinere ratione affinitatis ſuperuenientis matrimonio rato, prout docent *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 15. Gutierez de matrimon. c. 87. n. 2. & 6. Paludanus in 4. diſt. 37. q. 1. art 3. n. 26. Angelus verb. matrimonium tertio impedim. 15. nu 2. Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 2. Couarruuias* 3



Digitized by Google

4. *decret.2.part.c.7.* §.2.*n.6.Celaia in 4.diſt.34.q.3.concl.2.Petrus de Ledeſma de matrim. q.55.art.6.dub.4. quod monet circa tertium ſtatum affinitatis*, quæ affinitas etiam conſurgit ex cognitione carnali conſanguineæ ſponſæ de præſenti, quantumuis matrimonium cum eadem ſponſa non fuerit conſummatum, prout habetur *ex c.1. & c. transmiſſa de eo qui cogno. conſang.* Ex eo autem, quod quantum eſt ex ſe, teneatur abſtinere à coniugio, & cum in ſe ſit etiam ſe eximere à redditione debiti ſine iniuria alterius per tranſitum ad Religionem, non eſt, cur non debeat ad illam tranſire. Nihilominus

4 Non tenetur ad Religionem tranſire, quantumuis contraxerit talē cognationem ante conſummationem.

Reſpondeo non teneri ad Religionem tranſire, quantumuis contraxerit talem cognationem antecedenter ad conſummationem. Ita in fortioribus terminis de affinitate ſuperuenienti matrimonio rato ex communi DD. docent *Petrus de Ledeſma de matrimon. q.55. art.6. verſ. nihilominus, Bonacina de matrimon. q.3 punct. 12. n.23. in fin.* quod deducunt *ex c. diſcretionem, & c. tua fraternitatis de eo qui cogno. conſang.* Ratio ex eo deducitur primo, quia ex genere ſuo per illam cognationem ſpiritualem ſuperuenientem non diſſoluitur matrimonium præcedens ratū, quantumuis non conſummatum, nec iura decernunt illud eſſe diſſoluendum per ingreſſum in Religionem, ſicut non decernunt eſſe diſſoluendum per talem ingreſſum ex ſuperuenienti affinitate matrimonio, licet non adhuc conſummato, dummodo ſit ratum de præſenti, ergo, cum iura non imponant hoc onus, nec nos imponere debemus. Secundo, quia ex ſuſceptione in Baptiſmo, & in Confirmatione poſt contractum matrimonium, ſiue fiat talis ſuſceptio ignoranter, ſiue ſciēter, non impeditur vſus matrimonij, nec ſuſcipiens priuatur iure petendi per ea, quæ ſuperius diximus in præcedenti diſquiſitione, ergo, cum nullum ius ipſi adimatur, licet grauiſſimè peccet ſic ſuſcipiendo, non poterit obligari ad ingrediendum in Religionem. Tertio, quia dato etiam, quod ſuſcipiens ex illa ſuſceptione cum ſcientia contraheret debitum carendi iure petendi, non tamen priuatur onere reddendi, & ex eo quod non poſſit petere nō oritur onus in Religionem ingrediendi, cæteroqui qui obſtrictus voto ſimplicis caſtitatis contraheret matrimonium per verba de præſenti ante conſummationem teneretur ingredi Religionem, quod nemo aſſeret. Quarto, quia non currit paritas de affinitate ſuperuenienti matrimonio rato, & non conſummato, ac de cognatione ſpirituali eidem ſuperuenienti, quandoquidem iura expreſſè inducunt tale impedimentum, ne poſſit debitum peti in illa, prout colligitur *ex c.1. de eo qui cognouit conſang.*; non ſic in iſta.

Rationes euincentes reſponſionem.

Quamobrem ad rationem dubitandi non eſt quid addamus ſupradictis, quandoquidem in primis etiam ex affinitate ſuperuenienti non oritur onus ingrediendi in Religionem, adeoque non eſt, cur debeat oriri ex cognatione ſpirituali ſuperuenienti; Deinde ex affinitate ex diſpoſitione iuris priuatur illam contrahens iure petendi, quantumuis illud matrimonium non fuerit conſummatum, ex cognatione autem ſpirituali ex eiuſdem iuris diſpoſitione contrahens illam non priuatur tali iure, vnde non currit paritas. 5

5 Solutio rationis dubitandi.

---

## §. XXXVII.

### An duo poſſint adinuicem eſſe patrini filij alterius? & an tunc duplici cognatione ſpirituali afficiantur? & an in diſpenſatione requiratur vtriuſque expreſſio?

#### *SVMMARIVM.*

*Titulus expoſitus in terminis particularibus.* nu. 1.

*Ex eo quod vnus leuauit ex ſacro fonte filium vnius non tollitur, quin hic poſſit leuare filium illius.* 2.

*Ex eo, quod vnus ſuſceperit filium alterius, & hic alter filium illius contraxerunt duplicem cognationem ſpiritualem.* 3.

*Iſti ſi contrahere adinuicem intendant debent in impetratione diſpenſationis vtramque cognationem ſpiritualem exponere.* 4.

*Rationes aduerſantes, earumque ſolutio.* 5.

DISQVISITIO XXXVII. Suſceperat Caius è fonte ſacri Baptiſmatis filiam Suſannæ, & cum poſtea ex Theodorica ſua vxore Caius filium progenuiſſet vocata eſt Suſanna, vt eſſet Commater eiuſdem filij Caij. Leuauit eadem Suſanna filium Caij ex fonte Baptiſmatis, & poſtea, cum prædeceſſerit maritus Suſannæ, & vxor Caij intendebant ad inuicem idem Caius, & Suſanna contrahere matrimonium. Hic multiplex orta eſt difficultas. Primo, an cum Caius prius leuarit è fonte ſacri Baptiſmatis filiam Suſannę potuerit eadem Suſanna ſubſequenter ab eodem fonte ſuſcipere, & leuare filium Caij. Secundo ex ſuppoſitione, quod iuſtè, & legitimè potuerit leuare, an tunc contraxerit aliam cognationem ſpiritualem ab ea, quam contraxerat cum eodem Caio per ſuſceptionem, quam præcedenter ipſe habuerat de filia eiuſdem Suſannæ. Tertio, an ſi contrahere adinuicem in-

1 Titulus expoſitus in terminis particularibus.

Digitized by Google

intentent matrimonium, & ad validitatem impetrare diſpenſationem ex neceſſitate in ſupplicatione debeant exprimere vtramque cognationem.

2 Ex eo quod vnus leuarit filium vnius non tollitur, quin hic poſſit leuare filiũ illius.

Reſpondeo primo. Ex eo, quod Caius leuarit ex fonte ſacri baptiſmatis filiam Suſannæ non impediri, quominus eadem Suſanna poſſit in baptiſmo ſuſcipere filium eiuſdem Caij *Abbas c. ſuper eo n. 2. de cognat. ſpirit., & ibi Alexander de Neuo n. 2. Præpoſitus n. 1. notab. 1. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 7. nu. 18. Emanuel Sà in ſumma verb. matrimonium, vbi de impediment. diriment. n. 5. verſ. poteſt quis, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 53. n. 17.* Ratio ex eo deducitur, quià quilibet fidelis, & in legitima ætate conſtitutus poteſt eſſe patrinus in baptiſmo præcipuè, niſi aliquo iure poſitiuo interdicatur, ſed nullum ius poſitiuum vetat, vt quis in baptiſmo ſuſcipiat puerum eius, qui prius filium proprium leuauit à fonte ſacro baptiſmatis, hoc enim ius non eſt aſſignabile, ergò &c. Neque dicas cognationem ſpiritualem deſumi per analogiam ad cognationem carnalem; & ſicuti per cognationem carnalem non poſſunt duo eſſe aduinuicem Patres in ordine ad filios vtriuſque reſpectiuè; ità nec per cognationem ſpiritualem duo videntur poſſe eſſe patrini filij alterius; contra enim impugnaberis, quià analogia præciſè conſiſtit in hoc; quod ſicuti Pater per cognationem carnalem confert eſſe naturale filio, ita Patrinus concurrit ad conferendum eſſe ſpirituale filio ſpirituali per baptiſmum regenerato, & ſicuti Pater carnalis tenetur ex naturali pietate conferre alimenta filio, ita Pater ſpiritualis teneatur eidem conferre educationem ſpiritualem per ſpiritualem inſtructionem, & documenta in miſterijs fidei; Cæterum non currit paritas in eo, quod ſicuti duo non poſſunt adinuicem eſſe pàtres filij alterius, ità nec duo poſſint adinuicem eſſe patrini &c. Non currit, inquam, quià cum in eſſe naturali filius vnius iam acceperit eſſe ab illo, non poteſt idem eſſe recipere ab alio, & vice verſa cum filius alterius eſſe naturale receperit ab alio, non poteſt ab iſto recipere; in eſſe vero ſpirituali cum non receperit eſſe à Patre carnali, nec vnus, nec alter non eſt, cur vnus non poſſit recipere ab vno, & alter filius iſtius non poſſit idem eſſe ſpirituale recipere ab illo, cuius filium ſuus Pater ſuſcepit in baptiſmate, eidemque eſſe ſpirituale quodamodò contulit.

Non currit in hoc analogia cognationis ſpiritualis ad carnalẽ

3 Sic ſuſcipientes ad inuicem filios contrahunt duplicem cognationem ſpiritualẽ.

Reſpondeo. Ex eo, quod Caius leuarit à ſacro fonte filiam Suſannæ, & Suſanna filium Caij contraxerunt duplicem cognationem ſpiritualem, vnam ex quo Caius eiuſdem Suſannæ filiam ſuſcepit; patrinus enim non ſolum contrahit cognationem ſpiritualem, cum baptizato, ſed etiam cum parentibus carnalibus eiuſdem baptizati; alteram, ex quo Suſanna leuauit filium eiuſdem Caij proptèr eandem rationem *Abbas c. ſuper eo num. 2. de cognatione ſpirituali, & ibi Alexander de Neuo n. 2. Præpoſitus n. 1. not. 1. Sanchez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quià quoad eſſe ſpirituale nulla eſt repugnantia, quin quis contrahat duplicem paternitatem, ſeù compaternitatem, alteram quaſi actiuè, alteram quaſi paſſiuè; actiuè, quatenus ipſe ſuſcipit è fonte filium alterius, ex qua ſuſceptione contrahit cognationem ſpiritualem compaternitatis etiam cum illo, cuius ſuſceptus, ſeù baptizatus eſt filius carnalis; paſſiuè quatenus ille alter, cuius ipſe ſuſcepit filium, modo ſuſcipit filium ſui ipſius, ex qua reſultat cognatio ſpiritualis iſtius ſuſcipientis etiam cum Patre ſuſcepti, ergò &c.

4 Et iſti ſi contrahere ad inuicem intendant in impetratione diſpenſationis debent vtrãque cognationem ſpiritualem exponere

Reſpondeo tertio. Præmortua vxore, & marito reſpectiuè ad Caium, & Suſannam, ſi iſti intendant inter ſe contrahere matrimonium, tenentur in literis pro impetratione diſpenſationis vtramque cognationem ſpiritualem exponere *Oldradus conſil. 247. dub. 2. n. 2. Alexander conſ. 60. ad fin., & conſ. 195. num 6. vol. 2. Decius conſ. 462. viſa legitimatione n. 7. vol. 4. Euerardus in ſuis topici loco à vi geminationis num. 11. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 9. num. 3. Mandoſius in ſignatura gratia verb. diſpenſationes matrimoniales ad fin. Rota Romana in nouiſ. vol. 3. lib. 1. deciſ. 117. n. 2., & lib. 2. deciſ. 70. n. 1.,* qui quamuis loquantur tantum in terminis conſanguinitatis, intelligendi tamen ſunt ex paritate rationis loqui etiam in terminis noſtræ reſponſionis, quæ ſic probatur primo, quià reſcriptum diſpenſationis ſemper præſumitur eſſe ad normam petitionis, quinimmò cum diſpenſatio ſit odioſa, vt late probabimus, dum de diſpenſationibus ſemper reſtringitur, nunquam autem extenditur ad non expreſſa, ergò, ſi fiat in petitione ſolummodò expreſſio vnius cognationis ſpiritualis, & non alterius, diſpenſatio cadet ſuper expreſſa, & non ſuper non expreſſa, ſicque vna quodamodò quoad effectum contrahendi per diſpenſationem caſſata altera vigebit, ratione cuius non poterit contrahere. Secundò, quià licet huiuſmodi cognationes ſpirituales geminatæ recipiantur in eodem ſubiecto non conſtituunt tamen vnam, & eandem cognationem, ſed geminatam, & diſtinctam, vt probauimus in ſecunda reſponſione; nec currit in hoc paritas de affinitate contracta ex iterata fornicatione cum eadem conſanguinea ſponſæ, ſeù vxoris ſuæ, quià in hoc non contrahuntur plures affinitates, ſed ſolummodò eadem magis firmatur; at in illa ſuſceptione baptiſmatum

Conſtituũt geminatã, & diſtinctam cognationem



Digitized by Google

diuerſorum plures cognationes contrahuntur in ordine ad diuerſa miniſteria, & in ordine ad diuerſa ſubiecta, quod præcipuè verificatur in præſenti hypotheſi, ſecundum quam vnam cognationem contrahit quaſi actiuè ſuſcipiendo filiam alterius, & alteram quaſi paſſiuè, quatenus alter, cuius filiam prius ipſe ſuſceperat, ſuſcipit è ſacro fonte proprium filium, ergò vna quodamodò ſublata per diſpenſationem altera remanebit, niſi & ipſius in ſupplicatione fuerit expreſſa, ratione cuius impediatur à contrahendo. Tertio, quià, ſi quis fornicetur cum duplici conſanguinea ſponſæ ſuæ, quæ vtraque ſit in eodem gradu conſanguinitatis cum eadem ſponſa non ſat præſtat, ſi in petitione diſpenſationis, exprimat affinitatem contractam per copulam fornicariam cum vna, quià adhuc remanet vinculum ratione fornicationis cum altera, nec in hoc video difficultatem, ergo etiam &c.

5 Rationes obſiſtentes reſponſioni. Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo poſſunt circumferri, quod ſcilicet non teneatur irregularis ex eo, quod ſæpius in excommunicatione celebrarit, in impetratione diſpenſationis exprimere numerum celebrationum, nec qui ſæpius idem votum caſtitatis iterauit exprimere quantitatem iterationis, nec qui pluries fornicatus eſt cum conſanguinea ſponſæ ſuæ explicare omnes, & ſingulas fornicationes eo, quià cum omnes iſtæ enuntiatæ actiones ſint intra eandem ſpeciem, & recipiantur in eodem ſubiecto non producunt niſi vnam, & eandem qualitatem, eo modo quo ex actionibus eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto non producitur, niſi vnum accidens, quantumvis magis intenſum. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià, vt ſupra innuebamus, diſpar omninò eſt ratio de iteratione celebrationis in excommunicatione, de replicatione eiuſdem voti, & fornicationum cum eadem conſanguinea ſuæ ſponſæ, ac de duplici cognatione ſpirituali iuxta hypotheſim, de qua loquimur; quandòquidem per iterationem celebrationis, voti, & fornicationum cum eadem non contrahuntur plures irregularitates, nec plura vota inducuntur, nec plures affinitates, ſed vna, & eadem repetitur, & firmatur per iteratos actus, cum ſint relati ad vnum, & idem ſubiectum, & habeant vnum, & eundem ordinem, quod non militat, quandò iterantur, cum diuerſa perſona puta in fornicationibus cum diuerſis conſanguineis ſponſæ, & in ſuſceptione diuerſorum ex ſacro fonte præcipuè, quandò cognatio ſpiritualis in ordine ad vnum conſurgit actiuè, & in ordine ad alterum quodamodò paſſiuè, quià tunc ratione diuerſi ordinis, quem inuoluunt huiuſmodi actiones non conſtituunt vnum, & eundem effectum, ſed diuerſum ſaltem in numero.

Earundem rationum obſiſtentiū ſolutio.

---

## §. XXXVIII.

### An contrahatur cognatio ſpiritualis in baptiſmo, & confirmatione cum parentibus illegitimis, & adoptiuis baptizati, vel confirmati.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur factum in ſuis terminis.* 1.
*Rationes ſuadentes non contrahi hanc cognationem, nec cum Patre illegitimo, nec cum adoptiuo.* 2.
*Baptizans, & patrini contrahunt cognationem ſpiritualem etiam cum Patre naturali, ſed illegitimo.* 3.
*Satisfit rationibus oppoſitis.* 4.
*Baptizans, & patrini non contrahunt hanc cognationem ſpiritualem cum patre legali, & adoptiuo etiam propriè ſumpto.* 5.

DISQVISITIO XXXVIII. Ex diſpoſitione *Concilij Tridentini ſeſſ. 24. de reformatione matrimon. c. 2.* habetur contrahi cognationem ſpiritualem intèr parentes baptizati, vel confirmati cum baptizante, vel confirmante, & cum patrinis. 1 Status controuerſiæ expoſitus. Hoc ſuppoſito Caius progenuit ex concubina filium, quem fortè ſibi adoptauerat Sempronius ſeruatis iuribus, quę circà hanc adoptionem diſponunt. Poſteà ille filius baptizatus eſt leuantibus eum de ſacro fonte tanquam patrinis Theodorico, & Berta. Hic quæſitum fuit, an baptizans, & Theodoricus, & Berta contraxerint cognationem ſpiritualem cum Caio parente illegitimo, & Sempronio Patre adoptiuo eiuſdem filij illegitimi, & naturalis.

Videtur prima fronte dicendum, nec cum Patre illegitimo, nec cum adoptiuo eundem baptizantem, & Patrinos contrahere cognationem ſpiritualem, eo quià cum impedimentum cognationis ſpiritualis ſit inductum præcisè ex diſpoſitione iuris poſitiui Eccleſiaſtici, & ſit limitatiuum libertatis, & iuris naturalis, quo vnuſquiſque gaudet ad contrahendum matrimonium, debet ſtrictè ſumi, vt referatur præcisè ad expreſsè recenſitos in iure inducente talem cognationem ſpiritualem, seù impedimentum eiuſdem, qui ſint propriè, & in omni rigore tales, prout recenſentur, & enuntiantur; ſi autem loquamur de Patre adoptiuo non eſt propriè, & in rigore talis, ſed ſolummodò 2 Rationes ſuadentes, nec contrahi hanc cognationem cum Patre illegitimo, nec cum adoptiuo.

modo per quandam accomodationem ex diſpoſitione iuris ad effectum dumtaxat ſuccedendi in bonis adoptantis, ſi verò loquamur de Patre naturali, & illegitimo, quamuis ſit naturaliter Pater cum eſſe naturale per veram generationem illi filio contulerit non habet tamen ea omnia onera in ordine ad eundem filium, quæ habet Pater naturalis, & legitimus, adeoque non videtur in ea diſpoſitione rigoroſa contrahendi cognationem ſpiritualē comprehendi. Nihilominus

3 Baptizans, & patrini cōtrahant cognationem ſpiritualem etiam cum Patre illegitimo.

Reſpondeo primo baptizantem, & Patrinos contrahere cognationem ſpiritualem ſecundum ſe impeditiuam matrimonij etiam cum Patre naturali, ſed illegitimo, *Gloſa c. 1. verb. & matrem de cognatione ſpirituali in 6. & ibi Francus n. 4. Nauarrus in ſumma c. 16. n. 34. in fin. & c. 22. n. 40. in fine & lib. 4. conſul. in prima edit. tit. de ſponſalib conſ. 53. n. 2. & in ſecunda tit. de cognat. ſpirituali conſ. 5. n. 2. Palacios in 4. diſt. 42. diſp. vnica col. 34. verſ. dubitas forſan, Ludouicus Lopez prima part. inſtructorij c 85. col. 2. verſ. cæterum, & 2. part. vbi de matrimonio c. 51. col. 3. Viualdus candelab. ſacramens prima part. vbi de Baptiſmo n 42. & vbi de Matrimonio n. 155. Sanchez de Matrimon. lib. 7. diſp. 53. n. 16.* Ratio ex eo deducitur, primo quia ante Concilium Tridentinum leuantes puerum de ſacro fonte Baptiſmatis, & baptizantes filium illegitimum contrahebant cognationem ſpiritualem non ſolum cum eodem filio illegitimo baptizato, ſed etiam cum eius parentibus, vt expreſsè docet *Gloſa in d. c. 1. verbo matrem de cognatione ſpirituali in 6. & ibi Francus n. 2.* Ergo etiam modo poſt idem Concil. Trident. contrahent, quandoquidem quantumuis idem Concilium plura innouarit circa hanc cognationem ſpiritualem, quoad hanc tamen qualitatem nihil de nouo ſtatuit, & per conſequēs reliquit in ſuo iure primæuo. Quod ſi dixeris Concilium Tridentinum ſtatuiſſe, quæ in hoc genere ſeruanda ſunt, & cæteris omnibus abrogaſſe; Si, inquam, hoc dixeris, ſtatim ego dicam, ex eo quod poſuerit cognationem cum Patre baptizati nihil exprimendo de legitimo, vel illegitimo vtrumque comprehenderit in illa diſpoſitione; Ex quo vlterius, & ſecundo euincitur reſponſio. Pater naturalis, quantumvis illegitimus eſt verè, & propriè Pater, cum per veram, & ſubſtantialem generationem contulerit eſſe eidem filio, ergo non eſt, cur non comprehendatur in illa diſpoſitione Tridentini ſtatuentis cognationem ſpiritualem inter ſuſceptores, & baptizatum, & Patrem eiuſdem baptizati; cum etenim Concilium non excipiat de parentibus ſolummodo legitimis, non eſt cur nos de iis ſolummodo excipere debeamus, præcipuè cum naturales ſint verè, & propriè Patres non ſolum ſecundum ſe, ſed ſecundum etiam communem acceptionem.

Concilium Trid. nihil quoad hoc innouauit, ſed reliquit in primæuo ſuo iure.

4 Satisfit rationibus oppoſitis.

Quamobrem ad ea, quæ ex aduerſo aſſerebantur, dicendum eſt, quod quantumvis Pater naturalis, & illegitimus non habeat ea onera in ordine ad filium illegitimum quoad ſucceſſionem in bonis eiuſdem Patris, quæ habet Pater legitimus in ordine ad filium legitimum, habeat tamen onera quoad naturalem pietatem, & cognatio ſpiritualis non conſurgit in ordine ad ſucceſſionem, ſed in ordine ad eſſe naturale, quod filio contulit, cum æquè filius naturalis, & illegitimus ſit pars patris, ac filius naturalis, & legitimus ſit pars patris legitimi.

5 Non contrahunt hāc cognationem, cū Patre legali, & adoptiuo.

Reſpondeo ſecundo baptizantem, & Patrinos non contrahere cognationem ſpiritualem cum Patre legali, & adoptiuo, quantumuis hic ſit in omni rigore talis ſecundum iurium diſpoſitionem *Gallego de cognatione ſpirituali c. 7. n. 12. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 53. n. 16.* Ratio ex eo deducitur, quia cognatio ſpiritualis per Baptiſmum inter baptizantem, ſuſcipientes, & inter baptizatum, & Patrem eiuſdem conſurgit propter vnitatem carnis, & ſanguinis, quæ eſt inter ipſum, & Patrem eiuſdem, ſed inter Patrem legalem, & adoptiuum, & filium adoptatum nulla eſt vnitas ſanguinis, ergo &c. Maior deducitur ex ſimili ratione, propter quam DD. agnoſcant congruentiam, ob quam ex iure Eccleſiaſtico inductum eſt impedimentum conſanguinitatis; aſſerunt enim *D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 154. art. 9. in corpore, & D. Auguſtinus lib. 15. de ciuitate Dei c. 16.* eſſe propter reuerentiam, quam cognati ſibimetipſis exhibere debent ob originem ab eodem ſtipite tractam, & ſanguinis communionem. Confirmatur, quia iura reſtrictiua libertatis matrimonij, & iuris ad illud contrahendum debēt intelligi de diſpoſitis quoad veram, & naturalem eorum naturam, non quoad accomodatitiam, & analogicam proportionem, ſed Pater legalis, & adoptiuus nō eſt vere Pater, & ſecundum naturam, ſed tantū fictione iuris, & per quandam accomodationem, & ſimilitudinem, ergo iura diſponentia de cognatione inter ſuſceptores, ſuſceptum, & Patrem ſuſcepti, quæ certè ſunt reſtrictiua libertatis debent intelligi de Patre ſecundum naturam, non ſecundum adoptionem. Confirmatur ſecundo, quia hæc cognatio ſpiritualis non eſt inducta in ordine ad Patrem ſuſcepti, & ſuſceptorem propter ius, quod habet ſuſceptus ad ſuccedendum in bonis proprij Patris, ſed propter eſſe, quod habuit à Patre, & propter curam, quam de illo ex naturali pietate debet habere Pater, ſed Pater legalis non confert, niſi ius ad ſucceden-

Rationes euincentes reſponſionem.

Digitized by Google

cedendum, nec extrahit adoptatum per adoptionem à cura, & gubernatione Patris naturalis, ergo per ipſum non contrahitur hæc cognatio ſpiritualis cum ſuſceptore, ſeu baptizante, quandoquidem ipſe non habet conditiones, ob quas illa eſt inducta.

---

## §. XXXIX.

### An baptizans, & tenens puerum in neceſſitate contrahat impedimentum dirimens ſubſequens matrimonium?

### *SVMMARIVM.*

*Quæſitum propoſitum, & explicatum ſecundum ſuppoſitionem.* 1.
*Sententia aſſerens non contrahi tale impedimentum.* 2.
*Probabilius in ſuppoſitione, quod per ſuſcipientem cõtrahatur hoc vinculum ex Baptiſmo priuato, baptizans, & ſuſcipiens illud in præſenti contrahunt.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 4.

1 Quæſitum propoſitũ, & explicatum ſecondum ſuppoſitioné.

DISQVISITIO XXXIX. Quamuis dixerim *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimonio II. prænot.10. ſect.4. aſſer.2. verſ. ad primam* probabilius eſſe ſuſcipientem in Baptiſmo priuato non contrahere cognationem ſpiritualem, licet eam contrahat baptizans propter rationes ibi adductas, ſuppono tamen pro nunc etiam ſuſcipientem eam contrahere, vel fortè melius ſuſcipientem tenere in baptiſmo ſolemni, quamuis conferatur in neceſſitate, adeo vt ſi talis neceſſitas non adeſſet, ipſe non teneret. Suppono vlterius ex his, quæ tradidimus *ſub hoc eodem titulo de matrimonio II. Diſq.II. §.35. in prima reſponſione, & in probatione eiuſdem* baptizantem, & tenentem filium propriæ vxoris, vel cõmunem ſibi, & eidem vxori non contrahere impedimentum, ratione cuius priuetur iure petẽdi debitum à propria vxore, prout ibi allegatis DD. & iuribus probauimus, & præcipuè *ex c. ad limina 30 q. 1.* Quibus ſuppoſitis efformo caſum in his terminis. Titius in caſu neceſſitatis baptizauit, vel tenuit filiam Sempronij, & Caiæ in baptiſmo; Mortuo poſtea eodem Sempronio matrimonium intendebat contrahere cum Caia ipſius vxore, vel cum filia, quam in neceſſitate baptizauit, vel tenuit in baptiſmo. Orta hic fuit cõtrouerſia, an per illum baptiſmum collatum, vel ſuſceptionem in eodem contraxerit impedimentum dirimens, ratione cuius non poſſit contrahere ſine diſpenſatione matrimonium, vel cum eadem Caia, vel cum filia eiuſdem.

2 Sententia aſſerens nõ contrahi tale impedimentum.

Videtur abſolutè dicendum non contrahere tale impedimentum, quod argumento à ſimili deducitur *ex d. c. ad limina 30. q.1.* & ex ratione eiuſdem; in tantum enim ibi dicitur, quod parentes baptizantes, vel filium alterius, vel communem vtriuſque non contrahant in caſu neceſſitatis impedimentum, ratione cuius priuetur iure petendi debitum, in quantum æquum non eſt, vt ex bono opere, quod exercent, contrahant illam grauem pœnam, & damnum ex beneficio reportent; ſed hæc eadem ratio militat in ordine ad matrimonium contrahendum ſubſequenter, ſi ex illa collatione baptiſmi, vel ſuſceptione in caſu neceſſitatis orietur illud impedimentum dirimens ſubſequens matrimonium, vel cum matre, vel cum filia, quandoquidem ex illo beneficio in caſu neceſſitatis præſtito ſubiret grauem pœnam, qua priuaretur libertate contrahendi cum eadem filia, vel matre eiuſdẽ, ergo &c.

Ratio, cui innititur.

Sententia Monaldi.

Propter hanc rationem quaſi hæſitans *Monaldus citato Rainerio in ſua ſumma de matrimon. vbi de cognat. ſpirituali tit. de paternitate* aſſerit ſanum fore conſilium, ſi ille, qui baptizauit in caſu illo extremæ neceſſitatis fuerit laicus, & intendat contrahere matrimonium vel cum filia, vel cum matre eius conſulat Romanum Pontificem, & non contrahat, antequam eius reſcriptum acceperit ex dubio diuerſitatis, quæ poteſt eſſe de baptiſmo in neceſſitate collato, & de baptiſmo ſolemni. Nihilominus

3 Probabilius ſic baptizans, & ſuſcipies (in ſuppoſitione, quod ſuſcipiens in baptiſmo priuato cõtrahat hãc cognationem) illam contrahunt

Reſpondeo, probabilius eſſe ſic baptizantem, vel ſuſcipientem in caſu neceſſitatis (in ſuppoſitione, quod ſuſcipiens in baptiſmo priuato contrahat cognationem ſpiritualem) contrahere impedimentum dirimens ſubſequens matrimonium contrahendum, vel cum filia, vel cum matre eiuſdem. *Hoſtienſis in ſumma tit. de cognat. ſpirituali §. & an aliquis n. 8. Aſtenſis in ſumma ſecunda part lib.8. tit.18. art. vnico q. 7. Couarruuias 4. decret. 2. part. c.6. § 4 n.4. Nauarrus in ſumma c.16. n.34 Paludanus in 4. diſt. 92. q. 1. art. 1 concl 1. n. 6. D. Antoninus 3. part. tit. 1 c. 15. §.3. Henriquez lib.11. de matrimon. c.11. n.1. Sotus in 4. diſt. 4. q vnica art.5. ad finem,* & alij magis communiter. Ratio ex eo deduci poteſt, primo, quia impedimentum cognationis ſpiritualis nõ eſt inductum in pœnam alicuius criminis præciſè, ſed propter quodam amicitiæ genus, & coniunctionis, quę conſurgit ex eſſe ſpirituali, quod confert baptizans, vel concurrit ad conferendum ſuſcipiens cum ipſo baptizante proli baptizatæ, & quidem ex diſpoſitione Eccleſiæ non ex ipſa natura baptiſmi, vt latè ſupra pro-

Digitized by Google

Rationes euincentes reſponſionem.

probauimus; ſed æquè confert hoc eſſe ſpirituale baptizans, & ſuſcipiens in neceſſitate, ac extra illam neceſſitatem, ergo, &c. Neque dicas, quod collatio baptiſmatis, & ſuſceptio in eodem, quando præcipuè fit ex neceſsitate non adimat ius petendi, ergo nec eadem collatio, & ſuſceptio quando fit ex neceſsitate adimet ius ad contrahendum; contra enim impugnaberis, quia difficilius tollitur ius, quod iam plenè inductum, & acquiſitum eſt, quam impediatur, ne acquiratur, iuxta illud vulgatum iuridicum effatum, *Turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes*, adeoq; conſtituto validè matrimonio nõ niſi ex delicto poteſt ipſius vſus impediri, & hoc ad ſummum; delictum autem nõ eſt, vbi puer baptizatur, vel ſuſcipitur in caſu neceſſitatis ad ſubueniendum ipſius ſaluti ſpirituali, ne in æternum pereat; eodem autem adhuc non conſtituto, etiã ſine delicto poteſt induci impedimentum ne contrahatur, ſi illa interueniant, ob quę Eccleſia ſtatuit, vt illud impedimentum inducatur; omnia autem ab Eccleſia diſpoſita interueniunt, quantumuis collatio, ſeu ſuſceptio fiant ex neceſſitate, vt per ſe eſt manifeſtum.

Neceſſitas conferendi non impedit hoc vinculum.

Secundo poteſt probari aſſertio, ſeu reſponſio, ex eo quod neceſſitas conferendi baptiſmum non impedit, quominus cognatio ſpiritualis dirimens ſubſequens matrimonium contrahatur, ergo conferens, ſeu ſuſcipiens etiam in neceſſitate nõ eximitur ab onere illam cognationem dirimentem contrahendi. Antecedens patet in Parocho ex vi oneris, & officij obligato ad conferendum ſolemniter baptiſmũ; Neque dicas diſparem eſſe rationem de neceſſitate, quæ reſpicit extremum baptizandi periculum, ne in æternum pereat, ac de neceſſitate, quam habet ex vi muneris proprij Parochus baptizandi ſolemniter ſuos ſubditos; quandoquidem in primis neceſſitas Parochi eſt ſpontaneè ſuſcepta, & libera in cauſa, neceſsitas verò ratione pueri baptizandi in extremis cõſtituti eſt coacta, cum alius modus non ſuppetat ipſi ſubueniendi. Deindè ex eo quod imponatur onus Parocho baptizãdi ſubditos imponitur etiam onus contrahendi ea, quæ conſequuntur ex baptiſmo, nam qui vult principale, vult etiam implicitè ea, quæ conſequuntur ad ipſum, ex eo autem quod quis ex neceſſitate ad ſubueniendum extremo periculo vitæ ſpiritualis alterius alterum baptizat, vel ſuſcipit, non intelligitur niſi velle ſalutem baptizati, vel ſuſcepti, & non alia onera, nec probabile eſt iura voluiſſe eidem hoc onus imponere; contra enim impugnaberis, quia ratio, propter quam aduerſarij contendunt baptizantem, ſeu ſuſcipientẽ in neceſſitate eximere ab onere contra-

3 Onus impoſitum Parocho baptizandi ...dum non eximit ab onere contrahendi cognationem.

hendi impedimentum dirimens ſubſequẽs matrimonium ea eſt, quia æquum nõ eſt, vt quis ſubeat pœnam ab opus meritorium, quod tenetur vel ex caſtitate, vel ex alio titulo neceſsario exercere; ſed hæc eadem ratio militat quoad Parochum ex officio baptizantem, qui non ſolum ex officio, ſed etiam ex onere iuſtitiæ tenetur baptizare, ergò &c.

Tertio probari poteſt, quià omnia iura clamant baptizantem, & ſuſcipientem contrahere impedimentum cognationis ſpiritualis dirimentis matrimonium ſubſequens, nec diſtinguunt inter baptizantem, & ſuſcipientem liberè, & baptizantem, & ſuſcipientem in neceſſitate, vel ex neceſſitate, ergò, nec nos diſtinguere debemus, præcipue cum in hoc impedimento contrahendo non militet ratio pænæ proptèr delictum.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, patet, quid reſpondendum ad obiectum non enim currit ratio, & paritas ad non incurrendum impedimentum, ne baptizans, & ſuſcipiens poſt matrimonium ratum, & conſummatum poſſit petere, & ad non incurrendum ante illud initum impedimentum, ne poſſit matrimonium contrahere; quandòquidem ad illud incurrendum requiritur delictum, quod vbi non eſt, non poteſt impedire; ad iſtud verò incurrendum non requiritur culpa &c. 4

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

---

## §. XL.

### An per ſacramentum penitentiæ contrahatur cognationis vinculum, ratione cuius ſit explicanda illa circunſtantia in confeſſione, ſi copula habita fuerit cum filia confeſſionis.

### *SVMMARIVM.*

*Exponitur caſus in ſuis terminis*. 1.
*Si ſacramento pænitentiæ vſi fuerint tanquam medio ad illum actum fornicarium non contrahunt inter ſe cognationem, contrahunt tamen noxam ſpecie diſtinctam à ſimplici fornicatione*. 2.
*Si non vſi fuerint ſacramento, vt medio, ſed ex interuallo fornicationem commiſerint non contrahunt malitiam diſtinctam neceſſariò in confeſſione aperiendam*. 3.

1 Exponitur caſus in ſuis terminis.

DISQVISITIO XL. Aſſueta erat Caia peccata ſua expiare apud Theonem ſacerdotem ad ordinario approbatũ ad confeſſiones. Cum eadem Caia poſtea carnalitèr commixtus eſt idem Theon; 1

Digitized by Google

Theon; & hinc quæſitum fuit, an per illam carnalem commixtionem contraxerint aliquam ſpeciem luxuriæ diſtinctam à ſimplici fornicatione ratione alicuius cognationis ſpiritualis, quam fortè contraxerint ex ſacramento pœnitentiæ.

Conſiderationes circa caſum.

Pro cuius difficultatis reſolutione aduertendum eſt, an Caia fornicaria, & Theon ſacerdos vſi fuerint ſacramento pœnitentiæ tanquam medio ad conſequendum illum actum, quatenus vel acceſſerint ad illud ſacramentum, vt de illo actu conuenirent ad inuicem, vel in eodem ſacramento, quantumvis ad hunc finem non acceſſerint, conuenerint: an verò eo medio vſi non fuerint, ſed facta, & recepta confeſſione, in qua nihil ſit per actum, nec cogitatum de illo actu fornicariò, poſteà ex interuallo fornicati inter ſe fuerint, & carnalitèr commixti.

2 Si vſi fuerint ſacramento tanquam medio ad illũ actum non cõtrahunt cognationem, benè tamen noxam lethalem diſtinctam.

Reſpondeo primo. Si ſacramento pœnitentiæ vſi fuerint tanquam medio modo ſupra expoſito ad illum actum fornicarium obtinendum non contrahunt quidem inter ſe aliquam cognationem ſpiritualem, contrahunt tamen noxam ſpecie diſtinctam à ſimplici fornicatione neceſſario in confeſſione exprimendam. Prima pars eſt *D. Thomæ in 4. diſtinct. 42. q.1 art.2. ad* 8., & aliorum magis communitèr. Secunda pars eſt *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp.54. n. 1.*, & eſt communis apud omnes.

Pœnitentia non confert gratiã per modũ ſpiritualis regenerationis.

Prima pars expreſsè habetur *in c. fin. in fin. de cognat. ſpiritual. in 6.*, & ratio eſt, quam adducit *D. Thomas loc. cit.*, quià cognatio ſpiritualis deſumitur per quandam analogiam ad cognationem carnalem, quæ ſicuti deſumitur ex eo, quod ex vno tanquam principio conferatur eſſe naturale per naturalem generationem, & regenerationem, ita ſpiritualis deſumatur ex eo, quod ex alio, ſeù alijs tanquam principio conferatur eſſe ſpirituale per ſpiritualem regenerationem, ſed ſacramentum pœnitentiæ, licet conferat eſſe ſpirituale per gratiam, non confert tamen per modum ſpiritualis regenerationis, ergò &c.

Irrogant grauem iniuriam ſacramento.

Secunda pars ex eo euincitur, quià dum vtuntur ſacramento pœnitentiæ tanquam medio ad hunc turpem finem conſequendum, quatenus ſcilicet, ad ipſum ſacramentum accedunt, vt de iſto conueniant, vel ſe inuicem in confeſſione ſollicitent, & in eadem conſentiunt grauem irrogant iniuriam, & irreuerentiam ſacramento, ergò non eſt, cur non contrahant malitiam ſpecie diuerſam à ſimplici fornicatione per illum actum fornicarium, quæ malitia eſt ſpecies ſacrilegij. Confirmatur, quià ſacrilegium conſiſtit in abuſu, ſeù violatione rerum, & legum ſacrarum, quod non ſolum deſumitur per ordinem ad obiectum ſacrum ſecundum ſe, ſed etiam in ordine ad obiectum ſacrum ratione circunſtantiarum, vt videre eſt non ſolum in ablatione rei ſacræ, ſed etiam ex ablatione rei in loco ſacro, ſed illa fornicatio, ad quam fornicantes conſequendam vſi ſunt ſacramento tanquam medio habet annexam circunſtantiam rei ſacræ nempè ſacramenti, ergò habet ſecundum ſe circunſtantiam ſacrilegij annexam, adeoque malitiam eiuſdem in ſe contrahit; vbi autem in peccato inuoluitur malitia ſpecie diuerſa ab ea, quam inuoluit idem peccatum nudè ſumptum eſt neceſſariò in confeſſione explicanda, ergò &c.

3 Si non fuerint vſi ſacramento tanquam medio non cõtrahunt diſtinctam malitiam.

Reſpondeo ſecundo, ſi non vſi fuerint ſacramento pœnitentię tanquam medio, ſed facta, & recepta confeſſione ex interuallo fornicationem ad inuicem commiſerint, probabilius eſt non contrahere malitiam ſpecie diuerſam, adeoque eandem non teneri in confeſſione aperire. *Emanuel Sà in ſumma verb. confeſſio nu. 26. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art. 2. dub. vlt.*, *& in ſumma de ſacramentis*, *vbi de ſacramento pœnitentiæ c. 19. verſ. digo lo ſecondo*, *Vaſquez in 3. part. tom. 4. q 91. art.1. dub.2. n.20. Rodriquez in ſumma tom. 1. c. 209. num. 1. Pontius tract. de impediment. matrimonij cauſ. 30 c.24. §. 2. verſ. atque hac, Sancius in pract. diſp. 11. num. 3.*, *& ſeqq. Azorius part.3. lib. 3. c. 9. q. 5. Fay in addit. ad 3. part. q. 9. art. 2. diſp. 8. concl. 2. Bonacina de matrimon. q. 4. punct. 16. num. 7.*, quidquid ex aduerſo dixerint. *Homobonus de examin. Eccleſ. part. 1. tract. 5. c. 12. q. 75. Ragucius in lucerna Parochorum de ſacrament. pœnit. c. 43. Acugna de confeſſ. ſollecit. q. 5 n. 53. Nugnus in addit. ad tertiam partem tom. 2 q. 9. art. 2. dub. 3. in fine*, *Coninchus de ſacrament. diſp. 31. dub. 2. n. 23. Sanchez de matrimonio tom 2. lib 7 diſp. 55. n. 4.*, *& alij plures*. Nouiſſimè tenet noſtram reſponſionem, *Diana part. 1. tract. 7 reſol. 12.*

Rationes euincentes intentum.

Ratio ex eo deducitur, primo quià, ſi Eccleſia non induxiſſet cognationem ſpiritualem inter baptizantem, ſuſcipientes, baptizatum, & parentes baptizati non eſſet peccatum ſpecie diſtinctum, ſi baptizans, vel ſuſcipiens carnalitèr commiſceretur cum filia baptizata, vel matre eiuſdem; tota etenim inhoneſtas eſt ex diſpoſitione Eccleſiaſtica, ſed in ſacramento pęnitentiæ nulla eſt inducta cognatio ſpiritualis, nec ſpirituale vinculum, ergò non eſt malitia ſpecie diſtincta, ſi confeſſarius carnalitèr commiſceatur cum pœnitente. Verum tamen eſt, quod aliundè eſt malitia ſpecie diuerſa neceſſariò in confeſſione aperienda, quatenus confeſſarius eſt ſacerdos, & ſic eſt violatio voti implicitè annexi in ſuſceptione ſacrorum ordinum, ſed hæc malitia non eſt qua confeſſarius eſt, ſed

qua

Digitized by Google

qua ſacerdos eſt. Secundo ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. 2. Diſq. II. §. 33. in reſponſ. prima* nempe nullam fore noxam contrahere matrimonium in ijs gradibus, in quibus de iure antiquo *Leuitici 18.* interdicebatur, vbi non eſt oppoſitio ad ius naturæ præciſa quacunque lege Eccleſiaſtica ſpeciali iure vetante in certis gradibus, ergò neque eſt ſpecialis malitia ſpecie diſtincta à ſimplici fornicatione commiſceri cum aliqua, vbi non eſt ſpecialitèr interdicta de iure naturæ, nec ex diſpoſitione Eccleſiæ inductum eſt aliquod ſpeciale vinculum ſpirituale, quale non eſt inductum ratione ſacramenti pœnitentiæ. Tertiò ex eo deducitur, quià non poteſt aſſignari, quale foret illud peccatum diſtinctum à ſimplici fornicatione, ſeù ſacrilegio ratione ſacerdotij: Non enim poteſt dici, quod ſit aliud ſacrilegium, quandòquidem nullum ius violatur diſtinctum ab eſſe ſacerdotali, quià confeſſio præcedens nullum effectum, nec vinculum ſpirituale relinquit inter confeſſarium, vt talis eſt, & pœnitentem, cæteroqui etiam committeret ſacrilegium, qui ſimul cum confeſſario alia peccata, puta vindictæ committeret, quod nullus aſſerit: Nec etiam dici poteſt, quod ſit inceſtus, quandòquidem ex prædictis nulla cognatio ſpiritualis conſurgit ex ſacramento pœnitentiæ. Non negauerim tamen, quin talis circunſtantia quodamodò aggrauet peccatum, ſed circunſtantiæ aggrauantes ex alibi dicendis non ſunt neceſſariò in confeſſione aperiendæ.

*Non eſt aſſignabile in qua ſpecie foret illud peccatum.*

---

## §. XLI.

**An affinis, ſeù conſanguineus, ſiuè cognatione carnali, ſeù ſpirituali, qui ſuper illis impedimentis impetrauit diſpenſationem contrahat diuerſam in ſpecie malitiam, ſi ante matrimonium fornicetur, vel cum affini, vel cum conſanguinea.**

### SVMMARIVM.

*Refertur ſtatus controuerſia.* 1.
*Rationes ſuadentes non contrahi ſpeciem inceſtus diſtinctam à ſimplici fornicatione. num.* 2.
*Per illam commixtionem carnalem ante contractum matrimonium per verba de præſenti non obſtante illa diſpenſatione contrahitur malitia inceſtus.* 3.
*Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.* 4.

DISQVISITIO XLI. Affinis erat, vel fortè conſanguineus conſanguinitate carnali, vel ſpirituali Titius cum Caia. Intendentes poſteà inter ſe contrahere matrimonium ex communi conſenſu diſpenſationem à Romano Pontifice ſuper illo impedimẽto, quo irretiebantur diſpenſationem impetrarunt. Succeſſiuè ea iam impetrata, antequam matrimonium per verba de præſenti contraherent, carnalitèr ſe commiſcuerunt. Quæſitum fuit, an per illam carnalem commixtionem commiſerint ſpeciem inceſtus diſtinctam à ſimplici fornicatione ex neceſſitate in confeſſione aperiendam, an verò ſimplicem fornicationem? 1

*1 Refertur ſtatus controuerſiæ.*

Videtur dicendum, non contrahere diuerſam in ſpecie malitiam, quandòquidem ſublato illo impedimento affinitatis, vel cognationis, ſiuè carnalis, ſiuè ſpiritualis per diſpenſationem ceſſat ratio affinitatis, & conſanguinitatis, & ſicuti iuxta ſuperius dicta ſecluſa lege Eccleſiaſtica non contraheret inceſtum, qui commiſceretur cum ea, quam leuauit à ſacro fonte baptiſmatis, vel cum matre eius, nec diuerſam in ſpecie malitiam, qui contraheret matrimonium in gradibus prohibitis Leuit. 18., ſi non eſſent interdicti poſtea iure Eccleſiaſtico, ita nec contrahere dicendus eſt, qui obtenta diſpenſatione concumberet cum affine, & conſanguinea, ſiquidem ipſa diſpenſatio deſtruit legem Eccleſiaſticam, & eum effectum præſtat in ordine ad ipſam affinitatem, & conſanguinitatem, ac ſi lege Eccleſiaſtica non interdicerentur. Nihilominus

*2 Rationes ſuadentes non contrahi ſpeciem inceſtus diſtinctam à ſimplici fornicatione.*

Reſpondeo per illam commixtionem carnalem cum affine, & conſanguinea ante matrimonium contractum per verba de præſenti non obſtante illa diſpenſatione contrahere ſpeciem inceſtus neceſſariò in confeſſione aperiendam. In hanc reſponſionem videtur conſentire *Sanchez lib 8. de matrim. diſp 31. n. 7., & 11.* dum aſſerit, quod, ſi quis fuerit diſpenſatus in voto caſtitatis, & Religionis ad matrimonium ineundum, & fornicationem commiſerit reus fiat voti caſtitatis violati. Ratio reſponſionis noſtræ ex eo deſumitur, quià ex communi DD. conſenſu diſpenſatio eſt ſtrictiſſimi iuris, prout habetur expreſsè *in c. 1. §. ille verò de filijs præſbit. in 6.* nam lex, quæ omnibus eſt æqua, ſi ius commune lædat ipſum corrigens, eſt odioſa, & reſtringenda per textum *in reg. quæ à iure de reg. iur. in 6.*, ergò conceſſa ad effectum matrimonij ineundi non debet trahi ad alium effectum, adeò vt, ſi fornicetur diſpenſatus fornicans eximatur à noxa ſacrilegij, ſi fuerit diſpenſatus in voto, vel à nota inceſtus, ſi fuerit diſpenſatus in affinitate, vel conſanguinitate.

*3 Per illam commixtionem ante matrimonium cõtrahitur malitia inceſtus.*



Digitized by Google

Diſpenſatio eſt præciſè conceſſa ad finem matrimonij.

Confirmatur primo, quià diſpenſare ſuper legem ad aliquem effectum non eſt omninò legem illam abrogare, ſed ſolummodò diſpenſatum reddere habilem non obſtante illa lege, vt poſſit conſequi illum effectum, ad quem diſpenſatur, ergò, ſi lex illa abſolutè non abrogatur diſpenſatus illa lege tenebitur, præter quam ad effectum ratione cuius diſpenſatur, ergò, ſi diſpenſatus intelligitur præciſè quoad matrimonium ineundum, manebit tamen adhuc obſtrictus tali lege in ordine ad alios effectus, in quibus non intelligitur diſpenſatus. Confirmatur ſecundò, quià non eſt præſumptio, quod diſpenſans, qui moueri debet ex cauſa, prout docet *Rebuffus in concordatis in forma mandati Apoſtolici ſuper verb. diſpenſationum verſ. iuſta diſpenſationis, Mandoſius in praxi ſignaturæ verb. diſpenſationes verſ. hic quæri poſſet. Manuel qq. Reg. tom 2. q. 45. art. 2.* voluerit relaxare legem ad habenas laxandas ſceleribus, ergò diſpenſatio præſumenda eſt facta ad effectum præciſè matrimonij, quod ſtante diſpenſatione licitè poteſt iniri, non ad fornicationes, vt eximantur à labe ſacrilegij, vel inceſtus, ſi committantur.

Eſſet relaxare habenas ſceleribus.

Dices ex eo, quod commiſceatur carnalitèr cum ea, quæ ſibi in ſponſam deſtinata eſt, & cum qua ad contrahendum impetrata eſt diſpenſatio videri eximi à labe inceſtus, quandòquidem videtur illa commixtio ordinari ad futurum matrimonium cum ipſa contrahendum. Sed contrà, quià quantumuis illa fœmina ſit ſponſa de futuro non tollitur tamen, quin commixtio cum illa ſit fornicaria antecedentèr ad matrimonium, cum ratione ſolius matrimonij de præſenti potuit eſse licita copula inter ſponſos, & cum ex alio capite diſpenſatio, vt potè ſtricti iuris, non cadat niſi ſuper matrimonio, nec tollat legem in ordine ad alios actus, vtique illa fornicatio habet admixtam circunſtantiam affinitatis, & conſanguinitatis, quæ propterea non poteſt non euadere inceſtuoſa.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

4 Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.

Ex his habes, quid reſpondeas ad oppoſita; dic etenim per diſpenſationem abſolutè, & totalitèr non tolli legem, ſed ſolummodò ſuſpendi eius effectum in ordine ad actum, ſuper quo diſpenſatur; ex quo corruunt ea omnia, quæ ibi dicebantur; ſecluſa etenim lege Eccleſiaſtica inducente impedimentum cognationis ſpiritualis certè non eſset inceſtus concumbere cum filia, quam de ſacro fonte leuauit, nec cum matre eius, quià nulla eſset lex, quæ ſub ſpeciali motiuo illum concubitum vitaret, quod idem dic in contrahente in gradibus prohibitis Leuitici 18., vbi non eſt oppoſitio ad legem naturæ, nec eſset ad aliquam legem poſitiuam Eccleſiaſticam; at per diſpenſationem non ſupponitur ſecluſa lex Eccleſiaſtica abſolutè, nec quoad omnia relaxata, ſed ſolummodò quoad eum effectum, qui intenditur in tali diſpenſatione; vndè quoad reliquos, ſuper quos non cadit diſpenſatio remanet in ſuo robore.

---

## § XLII.

### An cognatio legalis ſuperueniens matrimonio impediat debitum peti.

*SVMMARIVM.*

*Ex præcedentèr dictis efformatur caſus, & explicatur.* 1.

*Rationes ſuadentes per illam cognationem legalem ſuperuenientem oriri impedimentum ad debitum petendum.* 2.

*Ex cognatione legali ſuperuenienti non oritur priuatio iuris petendi debitum.* 3.

*Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.* 4.

DISQVISITIO XLII. *Sub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon. II. pranot. 10 ſect. 5. verſ. huius cognationis legalis triplex eſt ſpecies*, dictum fuit eſse quandam cognationis legalis ſpeciem per modum cuiuſdam affinitatis ad formam affinitatis naturalis, atque hæc eſt inter adoptantem, & vxorem adoptati, vel inter adoptatum, & vxorem adoptantis per textum *in l. adoptiuus 14 ff de ritu nupt.* Rurſus ibid. dictum fuit, aliam eſse quaſi rectam, & deſcendentium, atque hanc eſse inter adoptantem, & adoptatum, & filios ipſius adoptati; hancque ſecundum ſe dirimere ſubſequens matrimonium inter ipſos contrahendum. Supponamus iam, quod Caius duxerit in matrimonium filiam ſecundogenitam Theodorici, & quod poſteà idem Caius eundem Theodoricum ſibi ſeruatis omnibus iuribus adhoc requiſitis adoptauerit, ſeù arrogauerit. Oritur hic difficultas, an ratione cognationis legalis, quæ ratione talis adoptionis conſurgit non tantum inter Caium, & Theodoricum, ſed etiam inter eundem Caium, & filios, & filias eiuſdem Theodorici, & per conſequens etiam inter vxorem propriam, quæ eſt filia eiuſdem impediatur Caius à petitione debiti reſpectu propriæ vxoris?

1 Ex præcedentèr dictis efformatur caſus, & explicatur.

Videtur ex duplici capite abſolutè dicendum vtique priuare Caium iure petêdi debitum à propria vxore. Primo quia regulariter omne impedimentum, quod præcedens matrimonium illud ſimpliciter dirimeret, ſi ſequantur, dirimit illud 2

ſecun-

**Rationes ſuadentes per illam cognationem legalem ſuperuenientem oriri impedimentum ad debitũ petendum.**

ſecundum quid, nimirum in eo, quod impediat ipſius vſum, vti notauit *Silueſter verb. matrimonium* 8. *q.* 7. *diſt.* 2. ſed cognatio legalis præcedens matrimonium in linea recta deſcẽdentium illud dirimit ſimpliciter, non ſolum inter adoptantem, & adoptatum, ſed etiam inter adoptantem, & deſcendentes adoptati vſque ad quartum gradum, prout docent *D Thomas in* 4. *diſt.* 42. *q.* 2. *art.* 3. *Reginaldus lib.* 31. *n.* 162. *Gutierez de matrim. c.* 102. *n.* 4. *&* 6. *Bonacina de matrim q.* 3. *punct.* 5. *n.* 5. & colligitur *ex c. per adoptionem* 3. *q.* 3. *& c. vnico de cognat. leg.* §. *ergo non omnes Inſtit. de nuptijs & l. quin etiam* 55. *ff. de ritu nupt.* ergo ſi ſubſequatur, dirimet ſecundum quid, hoc eſt quoad eius vſum. Secundo, quia cognatio legalis ſuperueniens dirimit ſponſalia præcedentia, *Ioannes Andreas c. veniens in fin. de cognat. ſpirituali, & ibi Hoſtienſis, & Antonius etiam in fin. Ancharanus n* 2. *Cardinalis in fin. Alexander de Nevo c.* 2. *n* 5 *eod. tit. Roſella verb impedimentum impediment.* 6. *n.* 16. *Sanchez de matrim. lib.* 7. *diſp* 68. *n.* 20. ergo etiam dirimet matrimonium ſecundum quid, hoc eſt quoad ipſius vſum. Conſequentia videtur tenere, quia impediendo quoad vſum ſimpliciter non ſoluit vinculum coniugale, quod eſt inſolubile, & cauſæ, quæ ſunt ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia, videntur etiam ſufficere ad impediendum vſum matrimonij, licet non matrimoniũ ipſum quoad ſubſtantiam. Nihilominus

3
**Ex iſta cognatione ſuperuenienti non oritur priuatio iuris petendi debitum.**

Reſpondeo Caium ratione cognationis legalis ſuperuenientis non priuari iure petendi, ſeu exigendi debitum à propria vxore. *Petrus de Ledeſma de matrimonio q.* 57. *art* 2. *ad finem*, *Sanchez de matrimon q.* 7. *diſp.* 68. *n.* 19. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebantur de cognatione ſpirituali ſuperueniente matrimonio, quæ ideo non impedit vſum illius etiam quoad ius petendi, quia in iure non inuenitur de hac priuatione diſpoſitum, ſed etiam non inuenitur diſpoſitum quoad cognationem legalem ſuperuenientem matrimonio iam rato, & conſummato, ergo &c. Confirmatur, quia ius i. n perfectè acquiſitum non poteſt adimi, nec ſolui, niſi vel in pœnam, vel propter oppoſitionem aliquam conſurgentem ad vſum talis iuris; ſed ob cognationem legalem ſuperuenientem ex neutro ex allegatis capitibus poteſt conſurgere priuatio iuris petendi, ergo &c. Minor quoad primam

**Rationes ſuadentes aſſertum.**

partem probatur, quia nullum conſurgit delictum, ex eo quod quis poſt contractum matrimonium ſibi adoptet patrem vxoris ſuæ, vt per ſe patet, ergo titulo pœnæ non poteſt illo iure priuari, quia non poteſt eſſe pœna abſque delicto; quoad ſecundam ſic euincitur, quia illa oppoſitio non conſurgit ex iure naturæ, vt per ſe patet, cum cognatio legalis ſolum dirimat matrimonium ex iure humano poſitiuo, per ea, quæ ſupra docuimus; neque ex iure humano poſitiuo, quandoquidem hoc ius humanum poſitiuum vtpotè reſtrictorium libertatis eſt reſtringendum, nec extendendum vltra verba, per quæ inducitur; verba autem, per quę inducitur reſpiciunt matrimonium contrahendum, quod vtique dirimunt, non iam contractum, neque quoad vſum, cum nullus textus hoc indicet, ergo &c.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, & quidem ad primam dicendum eſt illud aſſumptum à Silueſtro loco citato deſumptum non habere vim, niſi vel vbi illud impedimentum, quod dirimit ſimpliciter contrahendum, habet oppoſitionem ex natura rei vel cum ipſo matrimonio, vel cum vſu ipſius, vel vbi ita inductum eſt à iure Eccleſiaſtico, vt non ſolum ex diſpoſitione ipſius pugnet cum contrahendo, ſed etiam expreſsè pugnet cum vſu poſt contractum, quod neutrum militat in terminis noſtræ reſponſionis, vt per ſe patet. Ad ſecundum fateor cognationem legalem ſuperuenientem dirimere ſponſalia præcedentia, quandoquidem cum hæc ſint ſolummodo futuri matrimonij promiſſiones, ſicuti cognatio legalis præcedens matrimonium illud impedit, ne contrahatur, ita etiam diſſoluit præcedẽtia ſponſalia, cum reddat impoſſibilem ipſorum executionem, cum reddat impoſſibile matrimonium, ad quod illa dirigũtur tanquam ad ſuum vltimum finem, & impoſſibilitato matrimonio cum aliquo non poſſunt eſſe ſponſalia cum ipſa; at ex hoc non ſequitur, quod poſt contractum matrimonium reddatur impoſſibilis ex illa cognatione ſuperuenienti illius vſus, cum ſemel adepto iure ad illum, nemo ſit ſpoliandus, niſi vel in pœnam, vel ex diſpoſitione expreſſa Eccleſiæ, de qua diſpoſitione nullibi conſtat, & in hoc verificatur, quod facilius impeditur ius, ne contrahatur, quam quod contractum auferatur, ſeu impediatur.

4
**Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.**

---

## §. XLIII.

### An, & quomodo ſoluatur legalis cognationis impedimentum.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur ſpeciatim caſus diſcutiendus.* 1.
*Species recta cognationis legalis deſcendentiũ quantum ad effectum impediendi, ſeu dirimendi ſubſequens matrimonium nunquam diſſoluitur.* 2.



Digitized by Google

*Species cognationis legalis per modum affinitatis quoad dirimendum ſubſequens matrimonium nunquam diſſoluitur.* 3.

*Species lineæ tranſuerſalis dirimit quidem ſubſequens matrimonium, non in perpetuū, ſed quouſque perſeuerat adoptio.* 4.

*Matrimonium initum in ſpecie tranſuerſali durante adoptione, reſoluta adoptione non fit immediatè validum.* 5.

*Quænam requirantur ad tollendam legitimè adoptionem.* 6.

1 Proponitur ſpeciatim caſus diſcutiendus.

DISQVISITIO XLIII. Diximus in præcedentibus, & præcipuè loc. cit. in præcedenti diſquiſitione triplicem eſſe cognationis legalis ſpeciem; alteram quaſi rectam deſcendentium, alterā quaſi lateralem, alteram ad modum affinitatis. Quæritur modo, an triplex illa ſpecies poſſit diſſolui, adeout eadem diſſoluta poſſint liberè, qui tali vinculo ligabantur, cōtrahere inter ſe, & quomodo poſſit diſſolui an morte adoptantis? an aliquo iure poſitiuo ſeruatis certis conditionibus? an aliqua alia ratione?

2 Species recta deſcendentiū quoad cognationem legalem nunquam diſſoluitur.

Reſpondeo primo primam ſpeciem cognationis legalis quantum ad effectum impediendi, & dirimendi ſubſequens matrimonium nunquam diſſolui; atque hæc eſt ſpecies recta quaſi deſcendentium, adeout ſoluta etiam adoptione, ſi fieri poteſt, non poſſit adoptatus cum adoptante, eiuſque vxore, neq; adoptans cum adoptato, vel vxore ipſius matrimonium contrahere, & in hoc omnes conueniunt, vt teſtatur *Sanchez lib. 7. de matrimonio q 68. n. 24.* Expreſsè colligitur ex textu *in l quin etiam 55. ff. de ritu nupt. & § ergo non omnes Inſtit. de nuptijs*, & ratio ex eo deducitur, quia ſemel facta legitimè adoptione conſurgit debitum reuerentiæ, quam debet exhibere adoptatus, & vxor ipſius adoptanti, & vxori eius, quod debitum reuerentiæ vtique non ceſſat, quantumvis ceſſaret adoptio, vel ex morte adoptantis, vel ex alio titulo, ergo eiſdem amplius liberum non erit contrahere, quandoquidem debitum illud reuerentiæ ſemper obſtabit; atque de hoc ſatis conſtat *ſub hoc tit. de matrim. 2. Præn. 10. ſect. 5 aſſert. 2.*

3 Neque diſſoluitur ſpecies per modum affinitatis quoad talem effectum.

Reſpondeo ſecundo, tertiam ſpeciem cognationis legalis per modum cuiuſdam affinitatis quoad præfatum effectum impediendi, & dirimendi ſubſequens matrimonium nunquam diſſolui. *Hoſtienſis in c. vnico de cogn. leg. & ibi Ioannes Andreas n. 5.* expreſsè colligitur *ex l. quin etiam, & l. adoptiuus 14. ff. de ritu nupt.*, & ſic nunquam poterit eſſe matrimonium inter vxorem adoptantis, & filium adoptatum, vel inter adoptantem, & vxorem adoptati propter idem vinculum reuerentiæ inter ipſos ſeruandæ. Vide quæ diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. 2. prænot 10 ſect 5. aſſertione tertia per totum.*

Reſpondeo tertio, ſecundam ſpeciem lineæ tranſuerſalis in cognatione legali dirimere quidem ſubſequens matrimoniū, ſed non in perpetuum, ſed tantum quouſque perſeueret adoptio. Vide quæ latè docui *loc. cit. aſſert. 4. per totum*, & quidem dirimere ſubſequens matrimonium habetur *ex c. vnico de cognat. leg., & l. qui in adoptionem ff. de adopt.* quod autem non dirimat in perpetuum habetur ex eod. *c. vnico de cogn. legal. & c. per adoptionem 30. q 3. & l. per adoptionem 17. ff. de ritu nupt., & § inter eos Inſtit. de nuptijs.* 4 Species lineæ tranſuerſalis dirimit, ſed non in perpetuum.

5 Matrimonium initū in ſpecie tranſuerſali durante adoptione reſoluta adoptione non fit immediatè validum.

Hic ſuboritur difficultas, an ſi non obſtante tali cognatione legali in linea tranſuerſali affecti tali vinculo, durante adhuc adoptione contraxerint matrimonium, quod certè inualidum eſt *ex d. c. vnico de cognat. legal.* & poſtea fuerit ſeruatis iuris regulis adoptio reſoluta intelligatur immediatè illud matrimonium conualeſcere. Reſpondendum eſt negatiuè, quia quod in radice fuit inualidum non poteſt tractu temporis conualeſcere, niſi remoto impedimento conſtituatur de nouo per ea, quæ ſubſtantialitèr requiruntur ad ipſius conſtitutionem, ſed contracto matrimonio præcedenti cognatione legali, quæ adhuc perſeueret in eodem eſt abſolutè inualiditas, ergo illud non poteſt conualeſcere, niſi de nouo conſtituantur ea, quæ ad ipſius ſubſtantiam pertinent, nec ſufficit, quod remoueatur illud impedimentum per ablationem adoptionis.

6 Quænam requirātur ad tollendam legitimè adoptionem.

Ad tollendam autem in hac hypotheſi adoptionem tanquam impedimentum ad matrimonium debent in eiuſdem diſſolutione ſeruari debitæ ſolennitates à iure requiſitæ. Inter cæteras autem hæc eſt potiſſima, vt ſicuti eadem adoptio, ſi ſit propriè talis non inducitur, ſine auctoritate magiſtratus per ea, quæ ſuperius cōmendauimus, ita nec diſſoluatur ſine eiuſdem auctoritate arg. communis regulæ, vt omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur per eaſdem etiam diſſoluatur per textum *c. omnis res de reg iur.* ſecundo, vt ſicuti eadem nō inducitur, niſi per plenam libertatem adoptantis, ita nec tollatur, niſi per eandem omnimodam libertatem. Quamobrem, ſi non ſeruetur plena eiuſdem iuris forma in huiuſmodi diſſolutione, adhuc impedimentum perſeuerat, nec poterit matrimonium contrahi, prout latè docent *Hoſtienſis in c. vnico ad finem de cognat. legal. & ibi Ioannes Andreas in fin. Alexander de Neuo n. 8. & Præpoſitus item n. 8.* Nec ſolum per auctoritatem magiſtratus, & plenam libertatem adoptantis diſſoluitur adoptio, ſed etiam alijs ſex modis, quos enumerant *Paludanus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 2 Armilla verb. adoptio nu. 10.* Enumerantur modi quibus diſſoluitur.

10. & ſunt naturali morte adoptatis, morte eius ciuili, ob inceſtuoſas nuptias, ob dignitatem Epiſcopalem, & ob emancipationem.

# DISQVISITIONES III.

## Ad reliquas omnes de Matrimonio II. Prænotiones.

### §. I.

Explicatur in caſibus particularibus quomodo affinitas non pariat affinitatem.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur ſtatus diſquiſitionis.* 1.
*Ex copula habita inter maſculum, & fæminam non oritur affinitas inter conſanguineos vtriuſque.* 2.
*Maritus mortua vxore ſua ſine impedimento affinitatis poteſt ducere illam, quæ fuerat vxor fratris prioris vxoris ſuæ.* 3.
*Nonnulli caſus in particulari afferuntur, ex quibus elucet affinitatem non parere affinitatem.* 4.

1 Proponitur ſtatus controuerſiæ in ſuis terminis.

DISQVISITIO I. Theodoricus copulam habuit cum Berta. Bertæ erant conſanguinei Florius, Meuius & Suſanna. Theodorico autem erant conſanguinei Domitilla, Flauia, & Theodorus. Rurſus Theodoricus duxit in vxorem Calidoniam, quæ Calidonia habebat ſororem nuptam Franciſco, & etiam Fratrem, qui nupſerat Semproniæ. Mortua Calidonia vxore ſua intendebat Theodoricus ducere Semproniam vxorem fratris Calidoniæ. Hic orta eſt controuerſia primo, an Theodoricus, qui copulam habuit cum Berta ità induxerit affinitatem cum conſanguineis proprijs, & conſanguineis eiuſdem Bertæ, vt adinuicem non poſſint contrahere matrimonium. Secundò, an idem Theodoricus mortua Calidonia vxore ſua poſſit licitè ducere Semproniam vxorem fratris Calidoniæ, qui fratèr prædeceſſerit.

2 Ex copula duorum ad inuicem non oritur affinitas inter conſanguineos, vtriuſque inter ſe.

Reſpondeo primo, ex copula habita per Theodoricum cum Berta non oriri affinitatem inter conſanguineos eiuſdem Theodorici, & conſanguineos Bertæ ratione cuius non poſſit inter ipſos eſſe matrimonium. *Reginaldus lib. 31. nu. 145. Emanuel Sà de impedimentis matrimonij n. 4. Henriquez lib 12. de matrimon. c. 10. num. 1. Gutierez de matrimon diſp. 32. dub 4. n. 56. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 67. nu. 2. Coaruuias 4. decret. c 6. §. 7. n. 6.* Probatur ex illa communi Regula, quæ circunfertur inter Canoniſtas, & Theologos, quod ſcilicet affinitas non pariat affinitatem, prout definitum eſt *in concil. generali Lateranenſi*, & habetur *c. non debet de conſanguinitate, & affin.* ſed Theodoricus ſolummodò per carnalem concubitum, cum Berta ſit affinis cum conſanguineis eiuſdem Bertæ, ſicuti Berta ſit affinis conſanguineis eiuſdem Theodorici, ergò ex tali affinitate Theodorici cum conſanguineis Bertæ, & vice verſa non conſurgit affinitas conſanguineorum vtriuſque inter ſe: Neque obeſſe poſſunt textus *in c. porrò, & c. de propinquis 35. q. 3*, vbi tria aſſignantur genera affinitatis; primum intèr perſonam cognoſcentem carnalitèr aliam, ſiuè licitè, ſiuè illicitè, & conſanguineos perſonæ cognitæ, & vice verſa inter perſonam cognitam, & conſanguineos cognoſcentis; ſecundum inter verum affinem, & maritum, & vxorem ſui affinis, vt ſi v. gr. Theodoricus ſit affinis Bertæ eo quod hæc fuerit vxor fratris eiuſdem Theodorici, & defuncto fratre eiuſdem Theodorici Berta nubat cum altero, tunc Theodoricus fit affinis ſecundi mariti, quem duxit Berta, tertium eſt inter verum affinem, & vxorem ſecundi mariti, vt ſiv. gr. in allegato mox exemplo Theodoricus ſit verus affinis Bertæ vxoris fratris ſui, & defuncto fratre Berta tranſeat ad ſecundas nuptias cum altero, & deindè prædeceſſerit ad ſecundum maritum Berta, & ſecundus maritus tranſeat ad alia vota cum alia fæmina tunc etiam Theodoricus dicitur affinis cum hac tertia fæmina, quam duxit ſecundus maritus poſt obitum eiuſdem Bertæ; iuxtà primum ſenſum Theodoricus dicitur affinis conſanguineorum ſuæ vxoris in primo genere. Iuxta ſecundum in ſecundo genere cum ſecundo marito Bertæ. Iuxta tertium cum illa vxore ſecundi mariti in tertio genere, & ſic in ſecundo, & tertio genere affinitas, parit affinitatem, vt per ſe patet, ergò ex illo axiomate non benè infertur, quod inter conſanguineos Bertæ, & conſanguineos Theodoricæ non poſſit eſſe affinitas ratione cuius inter ſe non poſſint contrahere matrimonium; Non, inquam, obeſſe poteſt in primis, quià ille textus allegatus *in d. c. porrò, & c. de propinquis 35. q. 3.* modo correctus eſt quoad ſecundum, & tertium genus per dictum textum *in c. non debet de conſanguin., & affin.* Deindè dato etiam, quod in præcitatis caſibus in ſecundo, & tertio genere conſurgeret affinitas, quod tamen non eſt aſſerendum; hoc eſſet ex ſpeciali diſpoſitione illius textus; hoc tamen non eſſet extendendum ad caſum, de quo hic loquimur,

Affinitas non parit affinitatem

Enumerantur tria genera affinitatis.

Textus correctus eſt quoad ſecundum, & tertium genus.

Digitized by Google

mur, quandòquidem cum lex inducens affinitatem, & impedimenta matrimonij ſit reſtrictiua libertatis, & iuris naturalis eſt reſtringenda, non extendenda vltra caſus expreſſos.

Reſpondeo ſecundò. Theodoricus mortua vxore ſua ſine impedimento affinitatis poteſt ducere illam, quæ fuerat

3 Maritus mortua vxore ſua poteſt ducere illam, quæ fuerat vxor fratris prioris vxoris ſuæ.

vxor fratris prioris vxoris ſuæ. Conſentiunt in hoc *Sanchez d. diſp. 67. n. 2. Gutierez, loc. cit. n. 6. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 12. n. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià Theodoricus per matrimonium conſummatum cum vxore ſua factus eſt quidem affinis cum conſanguineis vxoris, non autem cum affinibus eiuſdem proptèr vulgare illud dictum mox allegatum, quod affinitas non pariat affinitatem per textum *in cap. quod ſuper his de conſanguinitate, & affinitate*, ſed vxor Theodorici non eſt conſanguinea cum vxore fratris ſui, ſed tantum affinis proptèr illam vulgatam regulam qua dicitur, quod qui carnalitèr commiſcetur, ſiuè per copulam licitam, ſiuè per illicitam cum alio contrahat affinitatem cum omnibus conſanguineis eius dumtaxat, & vice verſa, ergò ratione affinitatis non interdicitur mortua vxore ſua, & fratre eiuſdem marito alterius fœminæ contrahere cum eadem fœmina.

Ex dictis inferes nonnullos ſimiles caſus, in quibus ex affinitate non interdicitur matrimonium inter certas perſonas; & primo, quod, ſi Theodoricus duxerit Bertam habentem filiam ex alio matrimonio, vel ex illicito concubitu cum alio, & ipſe ex alia vxore, vel ex illicito coitu

4 Nonnulli actus in particulari afferuntur, in quibus elucet affinitatem non parere affinitatem

habuerit filium, vel fratrem poſſit hic filius, vel frater ſine nota affinitatis dirimentis ducere filiam Bertæ ex alio matrimonio, vel concubitu ſuſceptam. *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 67. nu. 2.* Ratio deducitur ex mox dictis in præcedentibus reſponſionibus, quandòquidem Theodoricus ex carnali conſummatione cum Berta ſit quidem affinis cum conſanguineis eius, non tamen conſanguinei ipſius fiunt affines cum conſanguineis vxoris. Secundo, quod duo fratres poſſunt ſine periculo affinitatis ſibi in matrimonium copulare duas ſorores, ſiuè ſimul, ſiuè ex interuallo proptèr eandem rationem, quià frater ducendo ſororem alterius, & cum illa conſummando matrimonium fit quidem affinis omnibus conſanguineis eiuſdem ſororis, quam duxit in matrimonium, non tamen conſanguinei eiuſdem fratris fiunt affines conſanguineis vxoris eiuſdem fratris, & hoc habetur expreſsè *in d. c. quod ſuper his de conſang., & affin.*, Tertiò, quod vnus poteſt ſucceſſiuè ducere duas fœminas, quæ nupſerunt duobus fratribus; vt ſi v. gr. Titius frater Pauli duxerit Antoniam, & Paulus duxerit Semproniam poteſt tertius poſt obitum Titij ducere Antoniam, & ipſa defuncta, & item Paulo iterum ducere Semproniam proptèr eadem rationem, quià hic tertius nubendo primo cum Antonia, & conſummando matrimonium cum ipſa contraxit quidem affinitatem cum omnibus conſanguineis ipſius, non autem cum eius affinibus; Sempronia autem erat dumtaxat affinis cum eadem Antonia proptèr matrimonium, quam ipſa contraxerat cum Paulo, adeoque &c. Quartò, quod, ſi Theodoricus duxit ſororem Andreæ, & Andræas aliam fœminam, nec ſibi, nec eidem Theodorico coniunctam, & poſtea vtrumque matrimonium fuerit diſſolutum per mortem ſororis Adreæ, & vxoris Theodorici, & per mortem eiuſdem Andreæ poſſit Theodoricus nubere cum illa fœmina, nec ſibi, nec Andreæ coniuncta, quià Theodoricus nubendo cum ſorore Andreæ contraxit, quidem affinitatem cum eodem Andræa, non autem cum vxore eiuſdem.

---

## §. II.

### An ſit inceſtus acceſſus ad conſanguineam eius, cum qua quis fornicatus eſt, vltra ſecundum gradum.

*SVMMARIVM.*

*Proponitur caſus iuxta diſpoſitionem Concil. Trid.* 1.

*Rationes ſuadentes indè inferri ſpeciem inceſtus.* 2.

*Cognoſcens fornicariè fœminam, & ſucceſſiuè conſanguineam eiuſdem in tertio gradu non contrahit ſpeciem inceſtus diſtinctam à ſimplici fornicatione.* 3.

*Soluuntur rationes oppoſita.* 4.

DISQVISITIO II. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de matrimonio c. 4.* reſtrinxit impedimentum affinitatis ex copula illicita conſurgens ad ſecundum gradum, quod fortè antiquitus ex textu *in c. nullum, & c. æqualitèr 35. q. 3.* ſimul cum affinitate conſurgente ex copula licita, & coniugali extendebatur vſque ad tertium gradum, licet poſtea per textum *in c. non debet de conſang., & affinit.* ad quartum gradum fuerit redactum. Suppoſita iam tali Tridentini reſtrictione Caius, qui fornicariè cognouerat Suſannam ſubſequentèr etiam ſic cognouit Flauiam conſanguineam eiuſdem Suſannæ in tertio, vel quarto gradu. Hic orta fuit controuerſia in inquirendo, an per illam

1 Proponitur caſus iuxtà diſpoſitione Concil. Trid.

Digitized by Google

illam carnalem cognitionem Flauiæ poſt cognitionem ſimilem Suſannæ Caius contraxerit inceſtus, an verò ſimplicem fornicationem?

Ex his, quæ docuimus in præcedentibus videtur abſolutè dicendum, contraxiſſe ſpeciem inceſtus neceſſariò in confeſſione exponendam, quandòquidem ſicuti facta diſpenſatione ſuper impedimento conſanguinitatis, & affinitatis inter conſanguineos, & affines non eximuntur à culpa inceſtus, ſi adinuicem commiſceantur ante contractum matrimonium, non niſi, quià illa diſpenſatio non eſt totalis, ſed ſolummodò partialis ad effectum, vt intèr ipſos præcisè poſſit licitè iniri matrimonium, ita reſtricto impedimento ſuper impedimento affinitatis prouenientis ex copula illicita ad ſecundum gradum præcisè per Concil. Trient. mox allegatum non erit, cur affines eximantur ab eadem culpa inceſtus, ſi commiſceantur carnalitèr adinuicem etiam vltra illum ſecundum gradum, nam concilium Tridentinum reſtrinxit illam affinitatem ad effectum ſolummodò, vt extra illum ſecundum gradum non impediret matrimonium, & hoc ſpeciali fauore libertatis eiuſdem matrimonij non autem ad effectum, vt extra illum gradum impediret peccatum inceſtus, ſi fornicariè commiſcerentur; non enim præſumendum eſt, quod voluerit relaxare habenas peccatis, ſed tantum matrimonijs fauere, & licet poſt talem reſtrictionem Tridentini ceſſet impedimentum in affinitate quoad matrimonium ineundum, non ceſſat tamen ipſa affinitas ſecundum ſe; commiſcere autem affinibus ex genere ſuo eſt peccatum inceſtus diſtinctum à ſimplici fornicatione. Nec in hoc audiendus eſt *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp 67. num. 9.* dum aſſerit, quod ſublato per diſpenſationem impedimento affinitatis, vel conſanguinitatis intèr affines, & conſanguineos ad effectum contrahendi matrimonium, ſi ante matrimonium commiſceantur, eoſdem non contrahere ſpeciem inceſtus, quod probat ex doctrina *Caietan. in ſummâ verb. inceſtus in initio, Armilla ibid.*, & *Vega 2 tom. ſumma c. 5. caſ. 1. in initio* aſſerentium inceſtum eſſe, quandò inter conſanguineos, & affines fit commixtio, abſque diſpenſatione matrimoniali; Non, inquam, audiendus eſt, quandòquidem expreſsè ſibi contradicit, nam *lib. 8. de matrimon. diſp. 31. n. 7.*, & 11. docuit, quod, ſi quis fuerit diſpenſatus in voto caſtitatis, & Religionis ad matrimonium ineundum, & fornicationem commiſerit reus fiat voti caſtitatis violati, nec in hoc locum habet doctrina Caietani, & aliorum mox allegata, quandòquidem quamuis dicant eſſe inceſtum commixtionem conſanguineorum, & affinium abſque diſpenſatione matrimoniali, non proptereà aſſerunt non eſſe inceſtum, quandò eſt impetrata diſpenſatio matrimonialis, & commixtio fit extra matrimonium. Vide, quæ circà hoc latè egimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon II. Diſq. 2. §. 41. per totum*. Nihilominus

*2. Rationes ſuadentes inde inferri ſpeciem inceſtus.*

Reſpondeo, Caium poſt carnalitèr, & fornicariè cognitam Suſannam accedentem carnaliter ad Flauiam conſanguineam eiuſdem Suſannæ in tertio gradu non contrahere ſpeciem inceſtus diſtinctam à ſimplici fornicatione. *Alcozer in ſumma c 20. verſ. el penitente, Manuel primo tomo ſumma in 2. edit. edit. c. 209. n. 2. concl. 2. Petrus de Ledeſma de matrimon c. 55. art. 3. dub. 5. Gutierez lib. 1. qq. canon. c. 23. nu. 3. Veracrux appendice ad ſpeculum, vbi de impedimento affinitatis ad finem, Sanchez de matrimon lib. 7 diſp. 67 n. 8.* Probatur ex ijs, quæ docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. 2. Diſq. 2. §. 38. per totum* nempe, quod, ſi quis contrahat in ijs gradibus, in quibus de iure antiquo *Leuit. 18.* interdicebantur matrimonia, & modo non ſint vetita, vel iure naturæ, vel iure Eccleſiaſtico non contrahit aliquam noxam, quandòquidem ſublata per legem euangelicam illa lege ceremoniali, ſeù iudiciali nullum eſt ius vetans, & illa iura antiqua perindè eſt, ac, ſi non fuiſſent, quinimmò *ſub eod. tit. §. 41. verſ. ex his habes* diximus, quod non ſit peccatum diuerſum in ſpecie à ſimplici fornicatione, ſi illi adinuicem commiſceantur, vbi etiam aſſeruimus, quod ſecluſa lege Eccleſiaſtica inducente impedimentum cognationis ſpiritualis non eſſe inceſtum concumbere cum filia, quam de ſacro fonte leuauit, nec cum matre eius, ergò etiam, ſi quis contrahat, & commiſceatur cum aliqua in gradibus affinitatis, in quibus de iure antiquo interdicebantur matrimonia, & modo ſunt abſolutè ſublati non contrahet aliquam noxam diſtinctam à ſimplici fornicatione, quandòquidem per idem ius, per quod inducta eſt affinitas vetans matrimonia in illis gradibus, eſt etiam ſublata nempè per diſpoſitionem Eccleſiaſticam; Neque dicas Eccleſiam per illam diſpoſitionem Concilij Tridentini quoad affinitatem prouenientem ex copula illicita, & fornicaria ſuſtuliſſe quidem eandem vltra ſecundum gradum in ratione impedimenti dirimentis, non autem in ratione affinitatis ſecundum ſe; contra enim impugnaberis, quià ſublato illo impedimento abſolutè affinitas, ſi quæ remanet, materialitèr ſe habet in ordine ad conſtituendam diuerſam in ſpecie malitiam, & ſicuti, ſi in iure anti-

*3 Cognoſcēs conſanguineam eius in tertio gradu, quā antea fornicariè cognouerat, non contrahit ſpeciem inceſtus.*

*Sublato impedimento affinitas materialitèr ſe habet ad conſtituendū diuerſā ſpeciem fornicationis.*

quo

Digitized by Google

quo *c. nullum, & c. æqualitèr* 35, ſecundum quod impedimentum affinitatis extendebatur vſque ad ſeptimum gradum, & in iure nouiori *d. c. non debet de conſanguin., & affinit.* ſecundum quod reſtringitur ad quartum gradum, non contraheretur inceſtus, ſi in illo quis cognoſceret affinem vltra ſeptimum gradum, & in iſto vltra quartum gradum nemine contradicente, quamvis in illo gradu extenſa eſſet affinitas; ita cum in iure nouiſſimo Concil. Trident reſtringatur impedimentum ad ſecundum gradum, quando affinitas conſurgit ex copula fornicaria, quantumvis vltra illam perſeueret affinitas, ſi quis vltra illum gradum fornicetur, non contrahet ſpeciem inceſtus diſtinctam à ſimplici fornicatione, quià affinitas vltra illum gradum ad nihilum confert in genere moris, cum non conſideretur à iure; & ſicuti, ſi nullum eſſet inductum ius inducens vinculum affinitatis vltra primum gradum, qui in multorum ſententia ſupponitur eſſe de iure naturæ, nullus eſſet inceſtus concumbere cum affine vltra illum primum gradum, quemadmodum non eſt inceſtus per ſuperius dicta coniunctio carnalis confeſſarij cum filia ſpirituali ex vi ſacramenti pænitentiæ ex ea ratione, quod cognatio ſpiritualis à iure non eſt inter ipſos inducta, ità quantumvis fuerit inductum, cum tamen ſit totalitèr abrorogatum per nouam diſpoſitionem iuris, nullus poteſt eſſe inceſtus per concubitum cum affine extra gradum abrogatum.

Affinitas vltra ſecūdum gradū ad nihilum confert in genere moris.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur deducta ex ijs, quæ nos ſupra docuimus, dicendum eſt eſſe omninò diſparem rationem, quandòquidem per diſpenſationem ad effectum matrimonij contrahendi non fit abſolutè, & totalitèr abrogatio iuris, ſed tantum ius ſuſpenditur partialitèr quoad illum effectum, ne impediat; cæterum quoad alia perſeuerat; Hic autem abſolutè per diſpoſitionem Concilij Tridentini ius in affinitate vltra ſecundum gradum, quandò prouenit ex culpa, ſeù copula fornicaria intelligitur ſimplicitèr, & abſolutè abrogatum, & ſublatum, quod merito conſideraſſe videntur, *Maior in 4. diſt 40 q. 2. arg. 4 propoſ 8, & Callego de cognation. ſpiritual. c. 24. n. 18 verſ. tertiò*, dum dicunt diuerſum eſſe iudicium, quandò lege communi, ac quandò priuilegio ſpecialis diſpenſationis tollitur impedimentum affinitatis, & conſanguinitatis, nam quandò fit per legem communem, & generalem tollitur abſolutè affinitas in eo gradu, quandò verò fit per ſpeciale indultum, ſeù per priuilegium diſpenſationis non tollitur abſolutè, ſed dumtaxat ſuſpenditur quoad illum actū. Minus obeſſe poſſunt ea, quæ ſubduntur, quod ſcilicèt non præſumendum ſit Concil. Trident. laxaſſe habenas peccatis; minus, inquam, obſtat, quià vt bene notat *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 67. n.* 8. concilium Tridentinum, quod in alijs magis neceſſarijs reſtrixit libertatem matrimonij, vt in clandeſtino, raptu & alijs, voluit in hoc, vt potè minus neceſſariò fauere libertati eiuſdem, nec propterea anſam tradidit peccatis, ſed quiſque ob ſuam malitiam indè peccandi liberius anſam ſumeret, quod non intendit Eccleſia, vnde delinquens debet propriæ peruerſitatis delicto, ſi quæ indè committeret, imputare, vt videre eſt in alijs ſimilibus puta in crimine abortus, circa quod Sixtus V. grauiſſimas pænas iniunxit, quas tamen in parte ſuſtulit ipſius ſucceſſor, nec indè dici debet, quod ipſe ſucceſſor anſam dederit delinqendi in illo crimine per illam abrogationem, ſed quod delinquentes ex ſua peruerſitate facilius indè delinquant.

Occaſio peccati ex peruerſitate peccantis.

## §. III.

### An conſurgat impedimentum publicæ honeſtatis, qu ndò quis frigidus, vel maleficiatus contrahit ſponſalia in tenella ætate, in qua nō poſſit cognoſci impotentia ex illis cauſis.

*SVMMARIVM.*

*Exponitur in quo ſenſu procedat titulus in caſu particulari.* 1.

*Exponitur mens D. Thomæ ſentientis ex illis ſponſalibus contrahi impedimentum publicæ honeſtatis.* 2.

*Ex illis ſponſalibus ſic initis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quantumvis impedimentum tunc non fuerit cognitum.* 3.

*Conciliatur noſtra opinio cum aſſerto D. Thomæ.* 4.

DISQVISITIO III. Aderat re vera impedimentum impotentiæ perpetuæ ratione frigiditatis, & maleficij in Caio puero tenellæ ætatis, qui tamen attigerat annum ſeptimum, & perfectum vſum rationis; hæc tamen impotentia explorari per experientiam non poterat. Contraxit hic ſponſalia cum Calidonia ſeruatis in hoc genere, quæ ex diſpoſitione iuris ſunt ſeruanda; poſtea inualeſcente ætate cognitum fuit illud impedimentum, & ex ſignis concludentèr euincentibus eſſe perpetuum. Quæſitum fuit 1

1 Exponitur in quo ſenſu procedat titulus in caſu particulari.

Digitized by Google

ſui, tan ex illis ſponſalibus ſic contractis ortum fuerit impedimentum publicæ honeſtatis, ratione cuius Calidonia non poſſet matrimonium contrahere cum fratre eiuſdem Caij?

*Ratio fundamentalis dubitationis.*

Hæc difficultas locum habet potiſſimũ poſt Concilium Tridentinum, ſecundum quod ſublatum eſt impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus quomodocũque inualidis; nam ante Concilium Tridentinum ſponſalia ex alio titulo inualida inferebant hoc impedimentum, præterquamquod ſi eſſet talia ex defectu conſenſus ſubſtantialis. Cum igitur ſtante illo impedimento impotentiæ perpetuæ, quãtumuis tunc non cognito non poſſit eſſe inter eundem Caium, & Calidoniam verum matrimonium, nec inter eoſdem videntur poſſe ſubſiſtere ſponſalia, ſicque illa eſſe inualida, & quidem non præciſè pro tempore, pro quo cognoſcitur illud impedimentum, ſed pro tempore, pro quo fuerunt celebrata illo exiſtente, quãtumuis non cognito; vnde merito *D. Thomas in 4. diſt. 41. q. vnica art. 1. quæſtiuncula 4. ad tertium*, ait, *Omnia impedimenta, quæ faciunt ſponſalia non eſſe ſponſalia non permittunt ex pactione nuptiarum affinitatem fieri, vnde ſiue habens defectum ætatis, ſiue habens votum ſolemne continentiæ, aut aliquod huiuſmodi impedimentum ſponſalia de facto contrahat, ex hoc non ſequitur aliqua affinitas, quia ſponſalia nulla ſunt, nec aliquis affinitatis modus*; per hunc autem affinitatis modum intelligunt DD. iuſtitiam publicæ honeſtatis. Quod autem à principio illa ſponſalia fuerint inualida, quantumuis nec tunc fuerit cognitum illud impedimentum, nec potuerit cognoſci, ex eo deducitur, quia impedimentum ipſum irritat, non cognitio eiuſdem; & licet ante talem cognitionem nulla detur actio ad diſſolutionem, eadem tamen habita tunc non fit diſſolutio, ſed declaratio nullitatis exiſtentis in ipſa origine contractus.

*Exponitur mens D. Thomæ ſentientis ex illis ſpõſalibus cõtrahi impedimentum publicæ honeſtatis.*

D. Thomas *in 4. ead. diſt. q. art. ad tertium* habet expreſſa hæc verba: *Si tamen aliquis minor frigidus, vel maleficiatus habens impedimentum perpetuum ante annos pubertatis poſt ſeptennium contrahat ſponſalia cum adulta, ex tali contractu contrahitur publicæ honeſtatis iuſtitia, quia adhuc non erat in actu impediendi, cum in ætate puer frigidus, & non frigidus quantum ad actum illum fuit æqualiter impotens.* Ex quibus verbis dilucidè mens D. Thomę eſt, quod ſcilicet & illa ſponſalia fuerint valida, & contulerint impedimentum publicæ honeſtatis; D. Thomam ſequuntur *Siluester verb. matrimonium 8. q. 14. dict. 1. Sotus in 4. d. diſt. 41 q vnica art. 2. col. penult vers. aliud vero, Ludouicus Lopez 2. part. instruct. vbi de matrimon. c. 50 col. 1. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 68. n. 12.* Quod igitur concludendum? Magnam vim facit auctoritas S. Doctoris Angelici, quæ non videtur poſſe eludi, ex eo quod dicatur, quod locutus fuerit ſecundum diſpoſitionem iuris antiqui, ſecundum quod ex ſponſalibus ex alio quocunque titulo, præterquam ex defectu conſenſus inualidis oriebatur publicę honeſtatis iuſtitia, & quod modo ipſius dictum non poſſit ſubſiſtere ſtante diſpoſitione Concilij Tridentini, ſecundum quã ſtatuitur, quod ex ſponſalibus quomodocunque inualidis non oriatur impedimentum publici honeſtatis; Non, inquam, poteſt eludi, quandoquidem in alio motiuo ab inualiditate ſponſalium vim facit D. Thomas, in eo ſcilicet quod ille puer in tenella illa ætate æque ſit impotens ad actum coniugalem, ſiue fuerit frigidus, ſiue non frigidus, quod motiuum præſcindit tum à iure antiquo, tum à iure nouo Cõcil. Trident. Nihilominus

*Fundamentum D. Thomæ.*

Reſpondeo ex illis ſponſalibus initis in tenella ætate per Caium cum Calidonia non oriri impedimentum publicæ honeſtatis, quantumuis impedimentum illud impotentiæ perpetuæ ratione frigiditatis, vel maleficij tunc non fuerit cognitum. Ita in ſimilibus terminis docent Sotus *in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2. verſ. ſed perconctatis, Petrus de Ledeſma de matrim. q. 52. art. 1. dub. 2. verſ. ſecunda ſententia. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 2. dict. 6. Nauarrus lib. 1. conſil. tit. de his qui vi in prima edit. conſ. 2. n. 8. Veracrux prima part. ſpeculi art. 29. ad fin. Gutierez de matrimonio c. 47. n. 2.* qui ſtatuunt, quod ſi contrahentes ſponſalia arbitrarentur contractum eſſe validum, cum tamen ex impedimento occulto eſſet inualidum, quantumuis ſit remotum illud impedimentum neſcientibus ipſis contrahentibus, non redduntur valida, niſi cognito errore expreſſa fuit ratificatio; ex quibus infero primo, ergo ſponſalia inita cum impedimento dirimente, quantumuis non cognito pro tempore celebrationis contractus ſunt abſolutè irrita; ſi enim non redduntur valida remoto impedimento per ratificationem, niſi cognoſcatur error, quo fuerunt primo contracta; vtiq; ſupponuntur antecedenter inualida; infero ſecundo, ergo ex illis non conſurgit impedimentũ publicæ honeſtatis. Hæc conſequentia probatur, quia ex diſpoſitione Concil. Tridentini ex ſponſalibus quomodocumque inualidis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ergo cum illa ſponſalia ſupponantur inualida ex illo impedimento perpetuæ impotentiæ ratione frigiditatis, ſeu maleficij vtique non poterunt &c. Confirmatur, quia cognitio interuenientis impedimenti perpetui, & dirimẽtis non eſt neceſſaria vt ſponſalia, & ma-

*3 Ex illis ſponſalib. non oritur impedimẽtum publicæ honeſtatis.*

*Illationes ex reſponſione.*

trimonium ſint inualida, dummodo illud impedimentum re vera interueniat in celebratione contractus; nam ſi quis contraheret ſponſalia cum conſanguinea in gradu conſanguinitatis dirimentis, & etiã matrimonium, vtique illa, ſeu illud ſunt inualida, ſeu inualidum in origine ſua nemine diſcrepante, ergo ſi re vera illud impedimentum perpetuæ impotentiæ ratione frigiditatis, ſeu maleficij interceſſerit, quamuis tunc non fuerit cognitum, nec potuerit cognoſci, non inducent ſponſalia cum illo contracta impedimentum publicæ honeſtatis propter rationem ſuperius adductam.

Tota difficultas reducitur in concilianda reſponſione noſtra, & ijsquæ in ea dicuntur cum aſſerto D. Thomæ ſupra allegato. Dic igitur primo D. Thomam præcedere ſecundum diſpoſitionem iuris antiqui, ſecundum quam ſponſalia inualida

4 Conciliatur noſtra opinio cũ aſſerto D. Thomæ.

ex quocunque alio titulo, præter quam ex defectu conſenſus ſubſtantialis inducebãt impedimentum publicæ honeſtatis, quod modo non militat; quod ſi deindè in allegata per ipſum ratione hoc videretur ex alio titulo inferre, nempe ex eo, quod nõ poſſet probari impedimentum perpetuũ, cum in illa ætate, ſiue frigidus fuerit, ſiue non fuerit talis, non poſſet experiri de potentia, hoc abundè præſtitit procedendo ſecundum præſumptionem iuris, ſecundũ quod quiſque præſumitur aptus, niſi expreſsè probetur ineptus; regulariter enim aptitudo eſt omnibus à natura indita, & qualitates naturales ſemper præſumuntur ineſſe, niſi probetur contrarium; cum igitur ſecundum rei veritatem ſupponatur ineſſe illa qualitas impotentiæ perpetuæ, non eſt, cur re vera non irritet ſponſalia, & per conſequens non inducat impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis; nec eſt mirum quod D. Thomas in eo loco procedat abundè probando etiam, quod publica honeſtas tunc oriatur ex præſumptione validitatis ſponſalium; nam in verbis præcedentibus dixerat, quod ex quocunque defectu ſubſtantiali ſponſalia inualida non gignant affinitatem, nec modũ ſimilem affinitati; vnde congruenter agẽdo debuit probare, quod ſi illa ſponſalia gignerent publicam honeſtatem, quæ eſt modus ſimilis affinitati, vtique eſſent ex præſumptione valida, ſicque procedit in ſuppoſitione validitatis eorundem. Dic ſecundo, vt mox innuebamus rationem D. Thomæ procedere in foro externo, & quoad præſumptionem; non in foro interno, & quoad veritatem, per quam reſponſionem optimè conciliatur aſſertum noſtrum cum ſenſu D. Thomę; vnde vbi conſtiterit illam impotentiam perpetuam ratione frigiditatis, & maleficij adfuiſſe tempore celebrationis contractus, ex tũc ſupponemur inualida ſponſalia, nullamq; adeò iuſtitiam publicæ honeſtatis, vbi vero conſtiterit ſubſecutam fuiſſe, tunc re vera iudicabitur contractus ſponſalium ſubſtitiſſe, & ortum fuiſſe impedimentum publicæ honeſtatis, licet poſtea ex tali impedimento ſuperueniente eſſent eadem ſponſalia diſſoluenda.

---

## §. IV.

### An contrahentes ſponſalia ſcienter cum impedimento dirimente, ratione cuius ſunt inualida, contrahant publicam honeſtatem.

*SVMMARIVM.*

*Facti ſeries elucidata in terminis particularibus.* 1

*Sententia aſſerens attento iure antiquo contrahentes cum ſcientia impedimenti non contrahere publicam honeſtatem.* 2.

*Sententia aſſerens non obſtante illa ſcientia contrahi illam honeſtatem.* 3.

*Præfertur prima ſententia.* 4.

*Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.* 5.

*Attento iure Concil. Trid. contrahentes cum ſcientia impedimenti non contrahunt publicam honeſtatem.* 6.

DISQVISITIO IV. Exiſtebat impedimentum dirimens occultum nõ ignoratum tamen ab ipſis contrahentibus inter Titium, & Caiam, ratione cuius non poterant inter ſe validè contrahere matrimonium. Non obſtante tali impedimento, & tali ſcientia ſolemniter contraxerunt inter ſe ſponſalia. Dubitatum tunc fuit, an ex illis ſponſalibus cum tali ſcientia contrahentium de tali impedimento orta fuerit inter ipſos iuſtitia publicæ honeſtatis?

1 Facti ſeries elucidata in terminis particularibus

Difficultas vel procedit attento iure antiquo, vel nouiſſimo Concil. Trid.

Hæc controuerſia poteſt examinari, vel attento iure antiquo, ſecundum quod ex quocunque titulo præter quam, quod ex defectu conſenſus ſponſalia inualida inferebant impedimentum publicæ honeſtatis, vel attẽto iure nouiſſimo Concilij Tridentini; ſecundum, quod ex inualiditate ſponſalium ex quocumque titulo illa proueniat nullum tale impedimentum inducitur; & quidem procedendo iuxta ius antiquum lis maxima eſt inter DD. an inducant ſponſalia quando inita ſunt per contrahentes, cum tali ſcientia impedimenti dirimente talem honeſtatem nec ne. Nonnulli expreſse ſentiunt talem effectum non producere, inter quos numeratur

2 Sententia aſſerens attento iure antiquo cōtrahētes cū ſcientia impedimēti non contrahere honeſtatem.

tur *Anchavanus in cap. ad audientiam num. vltimo de ſponſalib., & c. vnico eodem. tit. in 6 nu. 3., Durandus in 4. diſt. 41. q 2. nu 5. Vera Crux prima part. ſpeculi art. 52. concl. 3.*, qui ea mouentur ratione, quia ex quo contrahentes ſciuerint ſe non poſſe validè contrahere ratione illius impedimenti intercedentis, & nihilominus conſenſerunt, ille conſenſus vtpotè relatus ad obiectum impoſſibile non poteſt ſubſiſtere *arg. l. non dubium C. de legib.*, ergo, cum attento iure antiquo ſponſalia non gignerent impedimentum publicæ honeſtatis, quando erant inualida ex defectu conſenſus nec illud gignere dicenda ſunt in præſenti hypotheſi, in qua ſupponitur deeſſe talis conſenſus. Alij è contra, inter quos *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 68. num. 7.*

3 Sententia aſſerens nō obſtante illa ſcientia contrahi illam honeſtatem.

ſentiunt abſolute, quod ſtante præcisè eodem iure antiquo ex illis ſponſalibus illud impedimentum pullularet, & plerique mouentur rationibus, primo quia iura antiqua indiſtinctè loquuntur, nec diſtinguunt, quando illa ſponſalia ineuntur, cū ſcientia, vel cum ignorantia impedimenti. Secundo, quia tunc magis ſupponitur conſenſus, quando proceditur, cum ſcientia, quam quando proceditur, cum ignorantia, quia nihil magis eſt contrarium conſenſui, quam ignorantia, & error per *textum in l. ſi per errorem ff. de iuriſd. omniū Iud.* Quid igitur hoc in controuerſia concludendum?

4 Præfertur prima ſententia.

Reſpondeo, probabilius eſſe attento iure antiquo ex illis ſponſalibus initis cum illa ſcientia non oriri impedimentum publicæ honeſtatis. Ita DD. omnes prælegati pro prima opinione, & ratio pro ea adducta efficaciter euincit intentum. Nihilominus adhuc ſic roboratur, quia contrahantes cum ſcientia impedimenti dirimentis non poſſunt habere voluntatem efficacem ad illum contractum, quia non poteſt eſſe voluntas efficax ad obiectum, quod cōcipitur, & eſt impoſſibile, nec poteſt quis habere animum ſe obligandi ad id, quod ex genere ſuo eſſe non poteſt, ergo ille contractus erit inualidus, non ſolum quia adeſt illud impedimentum dirimens, ſed etiam quia non eſt voluntas efficax adeoque neque conſenſus ad illum contractum, ſed quando inualiditas contractus prouenit ex defectu conſenſus ſufficientis attento iure antiquo non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis ergo &c. Confirmatur, quia contrahentes ſponſalia falſo arbitrantes eiſdem ſubeſſe impedimentum dirimens inualidè contraherent, quantumvis illud impedimentum re vera non ſubeſſet *Vincentius c. cum in Apoſtolica de ſponſalib. & ibi Ancharanus nu. 5., Abbas nu. 6. Præpoſitus nu. 3 in fin. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 13., Nauarrus in ſumma cap. 22 nu. 56., Antonius Cucus lib. 5. Inſtit. maior. tit. 12. nu. 233., Sotus in 4. diſt. 37. quæſt. vnica art. 5. concl. 3.*, & nos etiam docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de Sponſalib. 1. Diſq. 2. §. 6. nu. 2.*, non alia ratione, niſi quia cum apprehenſio ſit ad impoſſibile, etiam conſenſus, qui dirigitur ad normam apprehenſionis, eſt ad impoſſibile, adeoque ad contractum inefficax, ſicque inualiditas eſt defectu conſenſus ergo etiam contrahentes ſponſalia, cum certa cognitione impedimenti verè exiſtentis inualidè contrahent non ſolum ex illo impedimento, ſed ex inefficacia, & inualiditate conſenſus.

Non poſſunt habere voluntatem efficacem ad illum contractum.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Neque obeſſe poſſunt ea, quę ex aduerſo afferebantur; non primum quia ex quo iura exemerant ab onere contrahendi illud impedimentum publicæ honeſtatis contrahentes ſponſalia ex defectu conſenſus implicite etiam exemerunt ab eodem onere contrahentes cum ſcientia inualiditatis contractus, quandoquidem tunc poſſunt habere conſenſum efficacem ad illum contractum; Neque dicas, quod hac ratione eximeretur etiam ab onere contrahendi illud impedimentum Monachus, qui contraheret ſponſalia, quandoquidem ſupponitur hic nouiſſe ſe non poſſe illa contrahere, & tamen illi oneri expreſsè ſubditur per textum *in cap. vnico de ſponſalib. in 6., & ibi Gloſa verb. diſſoluendum Francus num. 3., & per Aſtenſem 2. part. ſumma lib. 8. tit. 24. art. vnico quæſt. 3.*, & per alios apud *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 68. nu. 6.*, contra enim impugnaberis, quia non ita certum, eſt vt ſupponitur Monachum profeſſum per ſponſalia per ipſum inita contrahere illud impedimentum, vt contrarium, nec certè incongruè à pluribus aſſeratur, & precipuè à *Calderino cap. ad audientiam de ſponſalib.*, Deinde dici poteſt, quod ſubdatur illi impedimento ex ſuppoſitione, quod non reflexerit illum contractum ſibi eſſe impoſſibilē quia tunc quantum eſt ex ſe præſtat conſenſum ſufficientem, & abſolutū. Nec item obeſſe poteſt ſecundū, quia licet tūc ſupponatur conſenſus, eſt ſolummodo talis apparenter, & inefficaciter, cum nemo poſſit efficaciter velle id, quod certo norit ſibi eſſe impoſſibile, quod nō militat quādo cōſenſus eſt cū ignorantia, quia tunc talis cōſēſus fertur in obiectū apprehenſum vt ſibi poſſibile, nec vllum habet obicem, ratione cuius impediatur à vero conſenſu quantum eſt ex parte ſui.

Nec currit paritas de monacho contrahente.

6 Attento iure Concil. Trid. contrahentes cum ſcientia impedimenti non contrahunt publicam honeſtatem.

Reſpondeo ſecundo, attento nouiſſimo iure Concilij Tridentini certum eſt contrahentes cum ſcientia illius impedimenti dirimentis non contrahere illud impedimentum publicæ honeſtatis; & ratio in promptu eſt, quià idem Tridentinum in hac parte correxit ius antiquum, & abſtulit à ſponſalibus quomodocunque inuali-

dis onus illud impedimentum contrahendi; ſed huiuſmodi ſponſalia non ſolum ſunt inualida ratione illius impedimenti præexiſtentis, & cogniti, ſed etiam ex defectu conſenſus efficacis, ergò &c.

---

## §. V.

### An ſit peccatum læthale promittere matrimonium celebrandum poſt mortem coniugis, & an illa promiſſio teneat?

*SVMMARIVM.*

*Exponitur ſeries facti.* 1.
*Grauitèr peccat coniux conſtante priori matrimonio promittens alteri futurum coniugium poſt mortem prioris coniugis.* 2.
*Etiam grauitèr peccat promiſſarius acceptando talem promiſſionem* 3.
*Illa promiſſio omninò irrita eſt, nec parit aliquem effectum obligationis ad eam ducendam.* 4.

1 Exponitur ſeries facti

DISQVISITIO V. Contracto, & perſeuerante matrimonio inter Titium, & Caiam idem Titius captus formoſitate Suſannæ eidem promiſit futurum coniugium quaſi conditionate poſt obitum ſcilicet Caiæ vxoris ſuæ, quod eſt idem, ac dicere, ſi Caia vxor ipſius ipſi præmoreretur. Acceptauit Suſanna promiſſionem Titij. Hic tria dubia excitata ſunt. Primum, an grauitèr peccarit Titius viuente vxore propria ſic promittendo Suſannæ. Secundum, an etiam peccarit Suſanna acceptando talem promiſſionem. Tertium, an illa promiſſio teneat, & ſit obligatoria, adeo vt Titius adueniente morte Caiæ prioris vxoris ſuæ, ſeù purificata illa conditione adiecta pendente de futuro teneatur nubere ex vi illius eidem Suſannæ promiſſariæ.

2 Grauiter peccat cõiux durante priori matrimonio promittens alteri futurum coniugium poſt mortem prioris coniugis.

Reſpondeo primo, grauitèr peccare Titium conſtante priori matrimonio promittentem Suſannæ futurum coniugium poſt obitum Caiæ prioris vxoris ſuæ *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 79. n. 40. Rebellius lib. 3. q. 8. n. 9. Bonacina de matrim. q. 3 punct. 6. nu.* 10. Hæc reſponſio expreſsè habetur in textu *c. final. de eo, qui duxit*, & indè euincitur, quià graue peccatum eſt captare mortem alterius, & anſam tribuere eam captandi, proptèr quam rationem etiam in iure grauitèr prohibetur filio vendere futuram hæreditatem Patris, ſeù ius, quod habet ad illam, quià ſcilicet daretur anſa emptori captandæ mortis Patris, ſed per illam promiſſionem de futuro matrimonio contrahendo cum Suſanna poſt obitum Caiæ Titius tribueret anſam Suſannæ captandæ mortis Caiæ, quinimmò, quantum eſt ex ſe, & ipſe captaret, ſeù ſaltem ſe exponeret periculo eiuſdem mortis captandæ, ergò &c.

3 Etiam grauiter peccat promiſſarius acceptando illam promiſſionem.

Reſpondeo ſecundo, etiam grauitèr peccare Suſannam acceptando illam promiſſionem Titij. Conſentiunt DD. præallegati. Ratio ex eo deſumitur, quià ſic acceptando quantum eſt ex ſe ſe exponit periculo captandæ mortis eiuſdem Titij, & in vehementiori periculo conſtituit, vt captetur ab eodem Titio promittente: ſi etenim ipſa reprobaret talem promiſſionem vtique nullum foret periculum, vt Titius mortem vxoris captaret ex vi illius promiſſionis; in tantum etenim captaret, in quantum intenderet futurum matrimonium cum Suſanna; ſed illud non poſset efficacitèr intendere, ſi Suſanna reprobaſset promiſſionem, ergò &c. Confirmatur, quià Titius ſic promittendo ex dictis in præcedenti promiſſione grauitèr peccaret, ergò, & grauitèr Suſanna acceptando peccaret. Conſequentia tenet, quià ſic acceptando cooperaretur peccato Titij promittentis: Neque dicas, peccatum Titij iam eſse adimpletum per promiſſionem antecedentèr ad acceptationem Suſannæ, adeoque Suſannam quantum eſt de ſe, non cooperari illius peccato acceptando; contra enim impugnaberis, quià licet peccatum Titij fuerit per illam promiſſionem conſummatum quodamodò in intentione ipſius, ipſa tamen Suſanna acceptando cooperaretur executioni illius; verſamur etenim in actu, qui in executione à duobus pendet, & non ſolum eſt peccatum cooperari intentioni actionis peccaminoſæ, ſed etiam executioni.

4 Illa promiſſio omnino irrita eſt, nec parit aliquẽ effectum obligationis.

Reſpondeo tertio, illam promiſſionem omninò irritam eſse, nec parere aliquem effectum obligationis ad eandem Suſannam ducendam poſt obitum Caiæ *Abbas c. fin. n. 2. de eo, qui duxit, & ibi Alexander de Neuo n. 4. Ancharanus c. ſuper hoc n. 2. eod. tit. Lancellotus Inſtit. iuris canon. lib. 2. tit. de diuortijs, §. cum ea autem verb. dederint, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 79. n. 40.* Ratio ex eo deducitur, quià promiſſiones de re illicita ex genere ſuo ſunt irritæ; & non obligatoriæ ex allegatis antecedentèr iuribus, ſed illa promiſſio de futuro matrimonio viuente prima vxore facta Suſannæ eſt de obiecto omninò illicito, ergò erit omninò irrita, & non obligatoria; Neque dicas, illam promiſſionem non eſse de obiecto illicito, cum ex vno capite non inducat impedimentum dirimens, cum ex crimine hoc non conſurgat, niſi vel cum promiſſione coniugatur adulterium, vel

Digitized by Google

vel machinatio mortis alterius ad effe-ctum poſteà contrahendi matrimonium, quod neutrum in hac hypotheſi euenit; ex alio autem capite illa promiſſio refertur ad tempus habile ad contrahendum, nempe cum Caia fuerit præmortua; contra enim impugnaberis, quià quantumvis impedimentum dirimens ex illa promiſſione non interueniat, & referatur ad tempus habile, in radice tamen illa promiſſio euellitur ex diſpoſitione iuris irritantis promiſſionem illam, & reſiſtentis executioni ipſius, vt caueatur anſa captandæ mortis alterius coniugis, vt conſtat ex *d. c. fin. de eo, qui duxit, & ex l. fin. ff. de pactis*; Neque hoc eſt nouum in iure, quod promiſſiones, quantumvis quoad executionem referantur ad tempus habile irritentur, quandò habeat adnexum aliquod periculum mortis alterius captandæ, quandòquidem ſimili iure *in l. 1., & 2. C. & ff. ad macedonian.* irritantur promiſſiones, quas præſtant filij familias mutuantibus de reſtituẽdo mutuo poſt obitum Patris, quæ tamen referuntur ad tempus habile ſcilicet ad illud, pro quo ijdem filij familias erunt ſui iuris, & hoc non alia de cauſa, niſi, quià talibus promiſſionibus eſt adnexum periculum captandæ mortis parentum ad effectum effectuandarum ipſarum promiſſionum.

*Promiſſiones illicitæ ſunt ex genere ſuo irritæ.*

---

## §. VI.

### An inter infidelem, & fidelem conſurgat impedimentum criminis dirimentis, quandò interceſſit promiſſio, & adulterium, ſed alterum ante conuerſionem infidelis, alterum poſt?

*SVMMARIVM.*

*Proponitur caſus ſecundum duplicem ſenſum.* 1.
*Infidelis, qui vel ante conuerſionem fidem dederat fideli ſine adulterio, vel adulterauit cum eodem fideli ſine promiſſione, ſi poſt conuerſionem addiderit, vel adulterium, vel fidem non poteſt cum eadem contrahere matrimonium.* 2.
*Si vterque fuerit infidelis, & non poſita vtraque conditio poſt conuerſionem non contrahunt impedimentum dirimens.* 3.
*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 4.

DISQVISITIO VI. Conſtabat matrimonium legitimè initum intèr Theodoricum, & Caiam, ambo fideles. Rurſus inter Amurat, & Artemiſiam infideles. Aderat iuxta eorum ritum, & formam coniugium. Amurat antequam ad fidem conuerteretur, vel fidem, ſeù promiſſionem dedit Caiæ de ipſa ducenda poſt obitum Theodorici mariti ſui, & mortem Artemiſiæ vxoris ſuæ, vel fortè cum eadem Caia adulterauit non data ipſi fide de matrimonio contrahendo; poſtea vel data fide ſine adulterio, vel commiſso adulterio ſine fide, ſeù promiſſione matrimonij ad fidem conuerſus eſt, & tunc, ſi prius tantum fidem dederat de futuro matrimonio, etiam adulterium adiunxit, vel ſi prius durante infidelitate tantum adulterium commiſerat, fidem de futuro matrimonio adiunxit. Poſteà mortuus eſt Theodoricus, & fortè etiam Artemiſia, vel ſi iſta ſuperſtes fuerit renuit ad fidem conuerti, vel cohabitare ſine iniuria creatoris. In præcedentibus dictũ eſt ad effectum, vt ratione criminis inducatur impedimentum dirimens per adulterium, & promiſſionem, non eſse neceſse, vt vtrumque ſimul interueniat, ſed ſufficere, ſi interueniat ex interuallo. Quæritur iam, an Amurat conuerſus ad fidem poſſit validè matrimonium contrahere cum Caia mortuo Theodorico priori ipſius marito, an verò ratione illius criminis interdicatur ab illo matrimonio?

*1 Proponitur caſus ſecundum duplicem ſenſum.*

2

VeraCrux *prima parte ſpeculi art. 34. poſt nonam concluſionem* caſum in aliquibus ab expoſito diuerſum refert, quandò ſcilicet vterque, promittens ſcilicet, & promiſſarius eſt infidelis, & ante baptiſmum præmittunt promiſſionem abſque adulterio, vel adulterium ſine promiſſione, & poſteà vtroque ad fidem conuerſo coniungitur, cum promiſſione præcedenti adulterium, vel cum adulterio præcedenti promiſſio, & ſic quærit, an inter ipſos ſit impedimentum dirimens illud matrimonium promiſsum, & concludit affirmatiuè; quod multis rationibus conatur euincere, & primo, quià ad inducendum hoc impedimentum dirimens requiritur ſcientia coniugij exiſtentis in promittente, & tamen, ſi præmittatur promiſſio ante ſcientiam talis coniugij, & poſtea habita tali ſcientia ſubſequatur adulterium conſurgit inter ipſos tale impedimentum, ergò etiam cum ad hoc impedimentum contrahendum requiratur fides per baptiſmum ſufficiet, quod vel promiſſio, vel adulterium præcedat eundem baptiſmum, dummodò eodem ſuſcepto ſubſequatur poſtea adulterium, ſi promiſſio tantum præceſserit, vel ſubſequatur promiſſio, ſi præceſserit adulterium. Secundò, quià promiſſio matrimonij futuri ante ſcientiam prioris, & conſtantis coniugij non impediebat matrimonium, impedit tamen ſuperuenienti adulterio poſt ſcientiam, ergò etiam eadem

*Expoſitio caſus in diuerſis terminis.*

Digitized by Google

eadem promiſſio ante baptiſmum nõ impediet, impediet tamen ſuperueniente adulterio poſt baptiſmum. Tertio quia machinatio mortis coniugis tempore infidelitatis habita nocet infideli, ne fidelis factus poſſit inire matrimonium cum vxore coniugis interfecti, vt communiter ſtatuunt DD., ergo adulterium tempore infidelitatis habitum nocebit infideli, ne poſſit contrahere matrimonium cum ea, cum qua adulterauit.

2 Iuxta vtrumque caſum expoſitum, ſcilicet in facti ſerie in diſquiſitione explicata, & in ſerie relata à Veracruce maioris doctrinæ gratia in præſenti rem examinabimus. Quamobrem

Infidelis ſi vnam, vel alteram cõditionem poſuerit, cum fideli ante conuerſionem, & poſt conuerſionem alteram cõditionem addiderit non poteſt contrahere.

Reſpondeo primo, iuxta primum ſenſũ expoſitum in titulo Amurat poſt conuerſionem ad fidem, licet ante fidem, vel præmiſerit ſolam promiſſionem ſine adulterio, vel adulterium ſine promiſſione, dũmodo poſt eandem fidem ſuſceptam per baptiſmum, alterum quod deerat adiunxerit, non poſſe contrahere matrimonium cum Caia promiſſaria poſt obitum Theodorici ipſius mariti. *VeraCrux prima parte ſpeculi art.* 34. *poſt nonam concluſionem dub.*3. *Vega* 2. *tom ſumma c.*34. *caſ.*123. *Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 79. *n.*43. qui hanc reſponſionem appellat indubitatã. Ratio ex eo deducitur, quia quantumuis poſſit eſſe dubium, an infidelis, qui non conſummauit plenè delictum requiſitum ad illud impedimentum inducendum pro tempore habili, illud plenè contraxerit, non eſt tamen dubium, quin Caia fidelis illud plenè contraxerit, cum concurrant omnes conditiones à iure requiſitæ ad hunc effectum inducendum reſpectu ipſius, ergo ratione impedimenti exiſtentis in eadem Caia Amurat conuerſus ad fidẽ non poterit validè cum ipſa contrahere;

Fidelis plenè delictũ conſummauit.

Neque dicas, quod, cum lex inductiua huius impedimenti ſit reſtrictiua libertatis, & quodammodo correctoria iuris naturæ vnicuique indito ad poſſe matrimonium contrahere, quinimmo maximè pœnalis, & odioſa, debeat intelligi de delicto ex vtraque parte conſummato; cum igitur non ſit conſummatum pro tempore habili ex parte Amurat infidelis reſpectu neutrius videtur hoc impedimentum inducere; contra enim impugnaberis, quia impedimenta etiam de iure Eccleſiaſtico inducta quoad matrimonia contrahenda poſſunt ſe tenere ex parte vnius dumtaxat, dummodo ex parte eiuſdem concurrant omnes conditiones requiſitæ ad illud inducendum, & licet ad hoc delictum duo requirantur, cum non poſſit eſſe promiſſio, nec adulterium, niſi inter duos hoc vtrumque quantum ad effectum adulterij, & promiſſionis in hac hypotheſi interuenit; quis enim denegabit eſſe adulterium ſi fœmina fidelis coniugata commiſceatur carnaliter cum infideli? quis inficiabitur eſſe promiſſionem ex eo, quod procedat ab infideli promittente ad fidelem promiſſariam, aut è contrà? Si igitur eſt propriè adulterium, & promiſſio reſpectu Caiæ, & ipſa ſubditur iuribus Eccleſiaſticis, quomodo ſubtrahetur ab onere per Eccleſiam inducto ratione talis criminis?

Impedimẽta poſſunt ſe tenere ex parte vnius, & non alterius.

Confirmatur, quia poſita machinatione de marito coniugis fidelis interficiendo ad effectum contrahendi matrimonium inter eandem coniugem fidelem, & alterum infidelem pro tempore infidelitatis iſtius non poteſt hic conuerſus ad fidem illam ducere per textum *in c.* 1. *de conuerſ. infid.*, ergò etiam &c. Si etenim in illo caſu infidelitas, ſeù tempus infidelitatis, pro quo facta eſt ex communi conſilio illa machinatio, non obeſt, quominus reſpectu coniugis fidelis contrahatur illud impedimentum, nec eadem infidelitas, ſeù tempus ipſius obeſſe poterit, quominus illud contrahatur ex promiſſione habita in eadem infidelitate, vel matrimonio commiſſo in illa &c.

3 Si vterque fuerit infidelis, & poſita fuerit vna conditio tempore infidelitatis, & altera poſt tempus cõuerſionis nõ contrahitur impedimentum dirimens.

Reſpondeo ſecundo, iuxtà ſenſum expoſitum, & relatum à Veracruce loc. cit. nullum oriri impedimentum, quandò vel promiſſio, vel adulterium præceſſit vtriuſque contrahentis conuerſionem. Ità expreſsè *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *diſp.*79. *n.*43. *in fine* Ratio ex eo deducitur, quià ad contrahendum hoc impedimentum, nec ſufficit ſola promiſſio, nec ſolum adulterium, ſed vtrumque ſimul, nec Eccleſia vnum ſine altero grauat illo onere impedimenti; ſed in hac hypotheſi reſpectu vtriuſque, vtrumque ſimul non concurrit pro tempore, quo poſſit ab Eccleſia puniri, cum neuter pro tempore infidelitatis ſubdatur legibus Eccleſiaſticis, vndè alterum poſitum pro tempore infidelitatis in ordine ad hunc effectum perindè eſt, ac ſi non fuerit poſitum, cum non ſit poſitum pro tempore habili, ergò &c. Confirmatur, quià, ſi quis liber ante contractum alterius matrimonium ipſi promiſerit matrimonium, & deindè poſito eiuſdem matrimonio cum eodem adulterium commiſerit, non contrahit illud impedimentum, niſi eandem promiſſionem conſtante matrimonio renouauerit, non niſi, quià primam promiſſionem non poſuit pro tempore habili, pro eo ſcilicet, pro quo eccleſia ſtatuit debere interuenire, vt pariat illum effectum, ergò etiam, ſi infidelis promiſerit alteri infideli futurum matrimonium, quamuis hoc præſtiterit conſtante priori non contrahet nec ipſe, nec alter promiſſarius hoc impedimentum, quandòquidem hoc

præſtitit

Digitized by Google

præſtitit pro tempore, pro quo Eccleſiæ legibus non ſubdebatur, & per conſequens pro tempore inhabili ad contrahendum illud.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad ea, quæ ex aduerſo per VeraCrucem loco cit. afferebantur dicendum eſt, & quidem ad primum non currere paritatem, quod idem dic ad ſecundũ; in vtroque etenim caſu; & promiſſio, & adulterium contigit pro tempore habili, ſcilicet pro tempore conſtantis matrimonij, vtroque exiſtente ſubdito Eccleſiæ, & licet deficiat pro tempore promiſſionis ſcientia præcedentis matrimonij reſpectu vnius, non deficit tamen reſpectu alterius, qui alligatus eſt tali matrimonio, quod ſufficit ad inducendum impedimentum ſaltem reſpectu iſtius, & reſpectu alterius adulterantis poſt ſcientiam matrimonij alterius ſupponitur renouata implicitè promiſſio, vel acceptatio promiſſionis in ipſo actu adulterij. Ad tertium dicendum eſt rectè procedere, ſed non obeſſe noſtræ reſponſioni, quandòquidem in caſu textus *cap. 1. de conuerſ. infidelium*, alter, qui conuenerat in illa machinatione erat fidelis, qui propterea contraxit illud impedimentum, & ratione eiuſdem impotens erat ad contrahendum cum altero infideli, qui etiam machinatus fuerat poſt conuerſionem eiuſdem ad fidem per baptiſmum; atque hæc omnia docet *Sanchez de matrimon. d. lib. 7. diſput. 79. n. 42. in fin.* aduerſus *Veracrucem loc. cit.*

---

## §. VII.

### An teneat matrimonium inter fidelem, & infidelem fictè baptizatum.

### SVMMARIVM.

*Facti ſeries in ſuis terminis expoſita.* 1.
*Sententia aſſerens matrimonium illud ſubſiſtere.* 2.
*In foro interno matrimonium illud non ſubſiſtit.* 3.
*In foro externo matrimonium illud præſumeretur pro valido.* 4.

1 Proponitur caſus in ſuis terminis.

DISQVISITIO VII. Amurat infidelis captus amore Suſannæ fæminæ pulcherimæ fidelis ad effectum contrahendi cum ipſa matrimonium, cum alitèr eadem nollet eidem matrimonio conſentire fictè baptizatus eſt, ideſt cum animo non ſuſcipiendi baptiſmum; quo ſtante baptiſmo ficto cum eadem Suſanna conſentiente nupſit. Contractis deindè nuptijs, eiſque fortè conſummatis declarauit mentem ſuam de intentione formali non ſuſcipiendi baptiſmum, ſeque eundem fictè ſuſcepiſse ad effectum conſequendi nuptias cum eadem Suſanna. Hic excitatum fuit dubium, an in foro interno illud matrimonium ex ſuppoſitione, quod re vera animum non habuerit ſuſcipiendi baptiſmum, ſubſiſtat; ſecundo quid in foro externo tunc ſit peragendum.

2 Sententia aſſerens matrimonium illud ſubſiſtere.

Quoad primum *ArchiDiaconus in c. non oportet n. 4. 29. q. 1., & ibi Bellamera nu. 3.* abſolutè aſſerunt matrimonium illud ſubſiſtere, qui fortè ea mouentur ratione, quià, cum hoc impedimentum ſcilicet diſparitatis cultus inductum ſit dumtaxat ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici, vt nos etiam latè docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimonio 2. prænot. 14. aſſert. 2.*, & docent *Sanchez d. lib. 7. diſp. 71. num. 7. Scotus in 4. diſt. 39. quæſt. vnica art. 2., & ibi D. Bonauentura art. 1. q. 1. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 5. punct. 3. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 7. n. 2. in princip., & verſ. dixi de iure Eccleſiaſtico* videtur, quod ſeruatis ijs omnibus, quæ ab Eccleſia in hoc genere præſcribuntur, vtique debeat ſubſiſtere, præcipuè cum Eccleſia de internis non iudicet. Nihilominus

3 In foro interno matrimonium illud non ſubſiſtit.

Reſpondeo primo matrimonium illud inter Amurat, & Suſannam ex ſuppoſitione, quod animus ſuſcipendi baptiſmum in illo non interuenerit, quinimmo intentio fuerit formalis non ſuſcipendi, non ſubſiſtere ratione impedimenti diſparitatis cultus in foro interno *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſput. 71. num. 3.*, Ratio ex eo deducitur quia ſecundum rei veritatem, quam præciſe reſpicit forum internum animæ, Amurat verè non eſt fidelis, nec ille baptiſmus ſubſiſtit, cum non habuerit omnia eſſentialitèr ad ipſum requiſita, ergo ſemper verificatur, quod illud matrimonium ſit initum inter fidelem, & infidelem, ergo ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici non ſubſiſtit ex impedimento diſparitatis cultus; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur num. præcedenti; quantum vis enim impedimentum illud ſolũ dirimat ex diſpoſitione iuris Eccleſiæ, & hæc nõ iudicat de purè internis, nihilominus facta illa diſpoſitione per ius Eccleſiaſticum exigens fidelitatẽ in vtroque coniuge, & ſine illa in altero eorum inualidans matrimonium, vtique ſi illa fidelitas in altero ex coniugibus non reperiatur matrimonium per illum contractum non poteſt ſubſiſtere, nam ipſe inhabilis factus eſt ad contrahendum; nec obſtat, quod illa inhabilitas ſit ſolummodo ratione actus interni, quem Eccleſia non conſiderat, cum per actum externum eidem conſtet de fidelitate, & habilitate poſito illo baptiſmo ſolemnitèr facto: Non obſtat, inquam, quia quantum vis illa inhabi-

habilitas ſit ſolummodo ratione actus interni deficientis, re tamen vera in ipſo exiſtit, & quamvis Eccleſia non poſſit de ipſa iudicare; ſequitur, ad ſummum, quod coram ipſa non præſumatur pro ipſa inhabilitate, non quod ſecundum rei veritatem illa non inſit in ſubiecto, eſt non inualidet in foro interno. Res declaratur Exemplo. Affinitas non eſt inducta, prout dirimit matrimonium, nonniſi iure Eccleſiaſtico, ſi in multorium ſententia excipias primum gradum; Hæc poteſt orta eſſe ex copula fornicaria occulta, quæ nullo modo appareat coram Eccleſia; ſi quis contrahat cum tali affinitate, certe inualidè contrahit, & tamen illud impedimentum non eſt inductum, niſi per ius Eccleſiaſticum, & Eccleſiæ non conſtat, ergo etiam in noſtra hypotheſi &c. Quod ſi dicas, diſparem eſſe rationem, quia in noſtra hypotheſi eſt per actum mere internũ inhabilitas; in hypotheſi autem aſſumpti impedimentum eſt per actum externum licet occultum; ſtatim impugnaberis, quia quoad iudicium externum Eccleſiæ, ſi præſcindas à foro pœnitentiali, parum referre poteſt, quod impedimentum illud ſit ex cauſa merè interna, vel ex cauſa externa, ſed merè occulta, & in foro interno æque afficiunt delinquentem actus mere interni circa præcepta mere Eccleſiaſtica, ac actus externi, ſed occulti. Quis enim diceret non peccare circa præceptũ audiendi ſacrum in die feſti, qui haberet intentionem merè internam non ſatisfaciendi præcepto? Propter hanc rationem merito Sanctiſſimus D. N. Innocentius Pontifex nunc regnans in generali Congregatione Sanctæ Romanæ inquiſitionis habita die 2. Martij 1679. damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in numero 45. qua dicebatur *præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*, & tamen ſacrilega manducatio poteſt eſſe ſolummodo ratione actus interni.

*Res explicatur exemplo.*

*Quoad iudicium externum parum refert, quod impedimentum ſit ex cauſa interna, vel externa occulta.*

4 *In foro externo matrimonium illud præſumeretur pro valido.*

Reſpondeo ſecundo, in foro externo matrimonium illud præſumeretur pro valido. Conueniunt, ſeu conuenire in hoc debent omnes, qui ſuſtinent matrimonium fictè contractum, hoc eſt ſine animo contrahendi, & ſe obligandi reſpectu vnius valere, & ponere obligationem, vinculumque coniugale inducere in foro exteriori, ſeu, quod idem eſt in foro exteriori præſumi pro vero, & valido *Couarruuias de ſponſalib. 2. part. cap. 2. nu. 2., & ſeqq. Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 1. nu. 33. 37., & 38 Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 32. num. 8., Ioannes Valerius in ſuis diſ. verb. matrimonium diſ 4. D. Thomas in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. ad primum*, ſi enim iura præſumunt pro validitate contractus, quando ad ipſum omnia concurrunt, quæ ex diſpoſitione iuris requiruntur, & ſolum deficit conſenſus internus, eo quia, ſi iura aliter præſumerent, omnes contractus, omnes actiones, & obligationes prouenientes ab iiſdem contractibus facile irritarentur, quandoquidem quicunque pœnitens de contractu poſſet aſſerere, ſe conſenſum internum non præſtitiſſe; ita etiam eadem præſumere non eſt dubitandum pro validitate, quando impedimentum diſparitatis cultus eſt ſublatum per baptiſmum ſuſceptum ſecundum omnes iuris formalitates, & cætera omnia ad matrimonium requiſita concurrunt, licet infidelis baptizatus aſſerat ſe fictè ſuſcepiſſe baptiſmum, ſi etenim illa fictio in foro externo non præſumitur in primo caſu, nec debet præſumi in ſecũdo, & ſi illa quantum eſt ex foro externo contractum non inualidat, quantumvis conſenſus verus internus, & realis ſit forma immediata eiuſdem contractus, ita multo minus iſta poterit inualidare, cum non ſit forma immediata contractus conſenſus internus, quem negat, ſed ſolummodo quid requiſitum ad validitatem baptiſmi.

## §. VIII.

### An ſubſiſtat matrimonium initum inter Apoſtatam à fide, & infidelem?

*SVMMARIVM.*

*Titulus exponitur ſecundum terminos particulares.* 1.
*Sententia aſſerens illud matrimonium ſubſiſtere.* 2.
*Illud matrimonium abſolute non tenet.* 3.
*Solluuntur rationes oppoſitæ.* 4.
*Si fidelis contrahat cum Apoſtata à fide tenet contractus.* 5.

DISQVISITIO VIII. Caius catholicus à fidea Apoſtatauit, & ad ſectã paganorum conuerſus eſt. Hinc matrimonium, cum quadam Saracena contraxit ſeruatis iuribus, & ritibus, quæ, ſeu qui in tali ſecta, ſeu lege præſcribuntur. Dubitatum, hic fuit, an illud matrimonium inter ipſos ſic initum ſubſiſteret, an verò ex impedimento diſparitatis cultus irritaretur? 1

*Titulus exponitur ſecundum terminos particulares.*

Videtur dicendam, neutiquam irritari, quandoquidem ex quo ille apoſtatauit à fide renuntiauit omnibus iuris Eccleſiaſticis, & ſic matrimonium illud iniuit ſecundum diſpoſitionem iuris naturæ, ſecundum quod inter infideles tenet; quinimmo ſecundum rei veritatem Caius 2

*Sẽtẽtia aſſerens illud matrimonium ſubſiſtere.*

pro

Digitized by Google

pro tempore contractus erat infidelis, cũ fides in ipſo amplius non remanſerit ratione apoſtaſiæ, nec ratione fidei præcedentis in rigore ille poteſt dici catholicus, niſi ad ſummum ſecundum quandam denominationem externam, & ſecundum præſumptionem; ſicuti autem ex dictis in præcedenti diſquiſitione, quando eſt mera præſumptio fidei ratione baptiſmi fictè ſuſcepti deficiente conſenſu reali vero, & interno non eſt validum matrimonium in foro interno, ita è contrario quando eſt mera denominatio, & præſumptio fidei, quando quis apoſtatarit à fide, ſed re vera non eſt fides, erit verum matrimonium, quandoquidem ſecundum veritatem dicendum eſt, quod matrimonium illud fuerit initum inter duos infideles. Nihilominus

3 Illud matrimonium abſolutè non tenet.

Reſpondendum eſt, illud matrimonium abſolutè non tenere. *Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 13. num 4. in fin. Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 71. num 4.*, Ratio ex eo deducitur quia ex quo ille baptizatus eſt, per baptiſmum vere, & legitimè ſuſceptum conſtituit ſe ſubditum Eccleſiæ, & omnibus iuribus Eccleſiaſticis; vndè eſt per Eccleſiam punibilis non ſolum propter apoſtaſiam, ſed etiam propter aliã delicta aduerſus eadem iura Eccleſiaſtica, ſi aduerſus ea defecerit; ex quo enim quis factus eſt ſemel Eccleſiæ per baptiſmum, Eccleſia nunquam dimittit ius, quoad illum, nec ipſe poteſt renuntiare, ſeù ſe ſubtrahere à iuribus, quibus ſponte ſe ſubmiſit, cum quodamodo per baptiſmum iriterabilem matrimonium ſpirituale indiſſolubile contraxerit cum eadem Eccleſia, & ſicuti ſi quis per matrimonium inſolubile alteri ſe obligauerit, eiuſque obſequijs, & legibus matrimonialibus, & deinde ab eodem receſſerit poteſt reuocari, cum per illum receſſum non eximatur à

Remanet adhuc ſubditus Eccleſiæ, & eſt punibilis ob Apoſtaſiã.

iuribus, quæ alter acquiſiuit, ita ſi quis per baptiſmum ſpontè ſe Eccleſiæ coniunxerit, eiuſque legibus ſe ſubdiderit licet per Apoſtaſiam ab eodem receſſerit, poterit reuocari, cum per eandem non potuerit à legibus Eccleſiaſticis ſe ſubtrahere, eadem Eccleſia renuente, ergo cum adhuc remaneat ſubiectus iuribus Eccleſiaſticis, & inter cætera ſit ius dirimens matrimonium inter baptizatum, & infidelem vtique contrahendo contra tale ius inualide contrahet, nec poterit ſubſiſtere matrimonium.

4 Soluuntur rationes ſudentes oppoſitum

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quod ſcilicet ille re vera non ſit fidelis, niſi ſecundum quandã denominationem ab eo, quod fuit, non ab eo, quod eſt, & ſecundum præſumptionem quandam extrinſecã, adeoque quod ſemper ſecundum rei veritatem illud matrimonium non ſit initum inter fidelem, & infidelem, ſed inter duos infideles, inter quos poteſt ſubſiſtere: Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia licet coram Deo, quinimmo, & coram Eccleſia ille ſit infidelis propter apoſtaſiam à fide, non intelligitur tamen exemptus à iuribus Eccleſiaſticis propter baptiſmum irriterabilem, ratione cuius non potuit ab eadem Eccleſia recedere, & ſi de facto receſſerit, Ius ſemper retinet Eccleſia eum reuocandi, nec per talem receſſum ſe exemit ab oneribus, & iuribus eiuſdem Eccleſiæ. Quamobrem Eccleſia, cum conſtituerit impedimenta dirimentia in ordine ad omnes ſuos ſubditos, quos ſibi tenet deuictos, vtique, & in ordine ad iſtum conſtituiſſe cenſenda eſt, ipſumque obligare.

Ex quibus ex aduerſo poteris deducere, quod ſi fidelis etiam durante apoſtaſia, cum iſto nupſerit, vtique teneat matrimonium, licet quandoque ob periculum peruerſionis peccarit, cum ipſo contrahendo; ſi enim computatur pro fideli, quando contrahit cum infideli, non niſi quia adhuc remanet ſubditus Eccleſiæ, ita computari debet propter eandem rationem pro tali, quando contrahit cum fideli, ſicque in hoc caſu tenebit matrimonium. 5 Si fidelis contrahat cum Apoſtata à fide tenet contractus.

---

## §. IX.

### An Sacerdos, qui ſimul profeſſus eſt fornicans teneatur vtramque circumſtantiam in confeſſione explicare?

### SVMMARIVM.

*Refertur ſtatus diſquiſitionis*: 1.

*Sententia aſſerens votum ſolemne profeſſionis, & votum inhibitum in ordine ſacro differre ſpecie*. 2.

*Sententia aſſerens in genere moris non differre ſpecie præfertur*: 3.

*Sacerdos profeſſus fornicans non tenetur in confeſſione exprimere vtramque circumſtantiam profeſſionis, & ſacerdotij, ſed ſufficit ſi alteram exprimat*. 4.

*Sacerdos profeſſus, qui fornicatus eſt ſufficiẽter ſatisfacit, ſi dicat ſe obſtrictum eſſe voto caſtitatis*. 5.

DISQVISITIO IX. Titius profeſſionem ſolemniter emiſit in Religione ſeruatis omnibus iuribus ad eam requiſitis, deinde ordine etiam Sacro Sacerdotij initiatus, & inſignitus eſt. Tandem in fornicationem incidit. Expiaturus propria peccata anxius erat an teneretur vtramque circumſtantiam, & profeſſionis, 1 Refert ſtatus diſquiſitionis.

& ſacerdotij explicare, an vero ſufficeret, ſi alteram earum exponeret, an vero vtraque reticita ſufficeret ſi præciſe aſſereret ſe voto caſtitatis eſſe obligatum.

2 Sententia aſſerens votum ſolemne Religionis, & votum, quod imbibitur in ordine ſacro differre ſpecie.

Difficultas potiſſimum dependet ab eo, an votum ſolemne profeſſionis ſpecie differat à voto ſolemni, quod imbibitur in ordine ſacro, & an vtrumque ab ordine ſimplici caſtitatis. Qua in controuerſia videtur abſolutè dicendum diferre ſpecie inter ſe, quandòquidem per profeſſionem ſolemnem transfertur dominium proprium corporis in Deum miniſterio ſuperiorum vices Dei gerentium, & acceptantium nomine eiuſdem idem dominium per veram, & actualem traditionem factam ab ipſo profitente, & ſolemnitèr vouente; per ſuſceptionem autem ſacrorum ordinum non eſt illa perfecta traditio dominij corporis in Deum, ſed ſolummodò promiſſio ad modum voti ſimplicis, quod ſolum per accidens, & extrinſecè ſolemne dicitur ex eo, quod habeat effectum potiſſimum ex eccleſiaſtica conſtitutione annexum voto ſolemni, qui eſt ſubſequens matrimonium dirimere; per votum autem ſimplex nulla fit traditio, nec habetur aliquis effectus, nec ex natura ſua, nec ex aliqua Eccleſiæ diſpoſitione, per quem matrimonium ſubſequens dirimatur; vndè per profeſſionem ſolemnem ex natura ſua dirimitur ſubſequens matrimonium; per ſuſceptionem ſacrorum ordinum ſolum ex diſpoſitione Eccleſiaſtica; per votum vero ſimplex nullo iure dirimitur, quantumvis impediatur. Diuerſa autem videtur ſpecies in actu, quo transfertur dominium per ſe, ac in actu, quo ſolum per accidens ac tandem in actu, quo nullo modo transfertur *Sotus lib. 7. de iuſtit. quæſt. 2. art in ſolut. ad primũ, Aragonius ſecunda ſecundæ quæſt.* 88. *art. 7. ad finem, Manuel primo tom ſumma in 2. edit. cap. 53. num. 5., & colligitur ex D. Thoma in 4. diſt. 38. q 1. art. 2. quæſtiuncula 1, in corpore*, vbi ait diſtingui hæc vota tanquam ſenſitiuum, & vegetatiuum. Nihilominus

3 Sententia aſſerens in genere moris non differre ſpecie.

Hac in controuerſia aduertendum eſt, quod, quantumvis illa vota ſecundum circunſtantias ſolemnitatis, vel per ſe, vel per accidens, vel ſimplitatis in ordine ad maius ius, quod transferunt, diferant in ſpecie materialitèr, & in eſſe Phyſico, non videantur tamen differre inter ſe in genere moris, & in eſſe morali, cum non habeant ſecundum ſe oppoſitionem ad diuerſam in ſpecie virtutem, ſed vni, & eidem virtuti Religionis opponantur, ea proportionali ratione, qua plerique, nec incongruè docent, ſacramentum Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis differre ſpecie à ſe ipſo ſub ſpeciebus vini, ſi materialitèr & in eſſe Phyſico conſiderentur, non tamen, ſi conſiderentur, ſub vna, & eadem ratione formali ſpiritualis refectionis, Hac eadem ratione docent *Caietanus in 2. 2 q 154. art. 9., & Fauſtus tom 1 lib. 4 q. 95. & Diana part. 1. tract. 7. reſol. 31., & part. 3. tract. 4. reſol. 67. §. in reſol 31., & part 4. tract. 4. reſol 134., & part. 5. tract. 14 reſol 56. § quæro ſexto, & part. 11. tract 6. reſol. 34., & tract 8. reſol. 63.* copulam naturalem etiam in diuerſa linea, & gradu non differre ſpecie in genere moris, & in iudicio ſacramentali, quamuis in linea recta, & in gradu proxiori ſtipiti videatur maximè augere malitiam, prout etiam docent *D. Thomas 2 2. q. 154. art 9. Gypetius tract. de caſibus reſeruat. c. 8. nu. 5. Megala in prima parte lib. 5. c. 12. n. 9.*, & alij plures quos refert, & ſequitur *Diana d part. 1. tract. 7. reſol 31.*, & hoc certè non alia ratione indicant, niſi quià hæc copula naturalis in quocunque gradu, & linea ſit, habet oppoſitionem non ad diuerſam, ſed ad eandem numero virtutem.

Reſpondeo igitur primo, Sacerdotem profeſſum fornicantem non teneri in confeſſione exprimere vtramque circunſtantiam profeſſionis, & ſacerdotij, ſed ſufficere, ſi alteram ipſarum exprimat *Pitigianus in 4 ſent tom 2. diſt. 16 q. vnica art. 5. Henriquez lib. 5. de penit. cap. 5. n. 6. in gloſ. lit. G. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 27. n 27 Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. c. 37. n. 13. Ioannes della Crux in direct. conſcient. part. 1. tract 6. art. 6. dub 8. concl 3. Leſſius lib. 4. c. 3. dubit. 12. nu 87. Molfeſius in ſumma tom. 1. tract. 7. c. 12. n 66, & 68. Caraffa in part. 2. q. 7. art. 3. n. 27., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quià peccata in genere moris deſumunt ſuam ſpecificam vnitatem, & diſtinctionem per oppoſitionem, vel ad eandem, vel ad diuerſam in ſpecie virtutem, nec ſufficit ad conſtituendam diuerſam in ſpecie malitiam, quod actus, vel magis, vel minus eidem virtuti opponatur, ſed peccatum fornicationis à ſacerdote profeſſo commiſſum, tàm ratione ſacerdotij, quàm ratione profeſſionis habet ſolummodò oppoſitionem ad eandem in ſpecie virtutem caſtitatis, vt per ſe patet, ergò eſt vnum, & idem in ſpecie quamvis ratione circunſtantiæ vtriuſque magis augeatur.

4 Non tenetur vtramque circunſtantiam exprimere.

Eſt oppoſitio ad eandem in ſpecie virtutem.

Neque obeſſe poteſt primo, quod per votum ſolemne non ſolum ſit promiſſa caſtitas Deo, ſed etiam in ipſum tranſlatum dominium corporis vouentis; per votum autem ſimplex ſolummodò ſit facta promiſſio. Non, inquam, obeſſe poteſt, quià tàm promiſſio, quam traditio ſunt ex eodem fine virtutis caſtitatis, & vtraque transfert ius in Deum, licet illa minus perfectum, iſta perfectius, vnde conſtituunt quidem grauius, vel minus graue peccatum, non tamen in ſpecie diuerſum

Promiſſio, & traditio ſunt ex eodem fine.

uerſum ſicuti, magis lædit ius ſanguinis peccatum inceſtus in linea recta, & gradu proximiori, quam in linea tranſuerſa, & gradu remotiori, & tamen, quià vtrumque peccatū eſt contra eandem virtutem reuerentiæ debitæ ſanguini non diuerſificat in ſpecie peccata.

Neque obeſse poteſt ſecundò, ſi aſseratur, quod votum ſolemne caſtitatis emiſsum in profeſſione irritet matrimonium de iure diuino naturali; votum autem ſolemne in ſacro ordine, non niſi ex diſpoſitione Eccleſiæ, & votum ſimplex ex neutro iure irritat, licet ex diſpoſitione Eccleſiæ impediat, ergò peccatum contra eadem vota erit diuerſum, prout vota quibus opponitur, ſunt diuerſa; Non, inquam, obeſse poteſt, quià ex diuerſitate iurium, quæ afficiunt actus in aliqua virtute ſpecifica in ordine ad aliquem effectum non arguitur diuerſitas ſpecifica in ordine ad ipſos actus, ſed tantum efficitur, vt aliquis actus effectus vna qualitate pariat talem effectum, alius non affectus tali qualitate non efficiat talem effectum. Quod deindè vnus actus affectus tali qualitate irritet de iure diuino, alius affectus alia qualitate in eodem genere non niſi iure Eccleſiaſtico non facit ad rem quoad præſens inſtitutum diuerſitatis ſpecificæ, quandòquidem etiam cognatio in linea recta per ſuperius dicta irritat de iure naturæ, & etiam in multorum ſententia in linea tranſuerſa in primo Eccleſiaſtico, & in alijs ſolùmmodò de iure naturali, & tamen peccatum commiſſum in linea recta non differt in ſpecie à peccato in linea tranſuerſa, dum conſideratur ſolum oppoſitio in ordine ad eandem virtutem in ſpecie.

Ex diuerſitate iurū, quæ afficiant actus non arguitur diuerſitas ſpecifica actuū.

5 Sacerdos profeſsus, qui fornicatus, eſt ſufficientèr ſatisfacit, ſi dicat ſe obſtrictum eſse voto caſtitatis.

Reſpondeo ſecundò. Sacerdotem profeſsum, qui fornicationem commiſit ſufficientèr ſatisfacere oneri confeſſionis quoad expreſſionem peccati, ſi exponat ſe eſse alligatum voto caſtitatis non exprimendo, nec ſacerdotium, nec profeſſionem *Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. dub. 37. n. 13. Henriquez lib. 5. de penit. c. 5 n 6. in gloſ. lit. G. Fagundez de pracept. Eccl. tract. 2. lib 4. c. 3. n. 6. Llamas in ſumma part. 3. c. 8. §. 14. Megala in prima part. lib. 5. c. 11. nu. 8. Fillincius tom. 2. tract. 30. c. 9. nu. 124. Diana part. 1. tract. 7. reſol. 4.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſuprà dicebamus, quià peccatum, ſiuè ſit in habente votum ſolemne caſtitatis, ſiuè in habente tantum ſimplex ſemper eſt in ordine ad eandem ſpecie virtutem, nec diuerſitas modi, quo afficitur tali voto inducit aliquam in ſpecie diuerſitatem; Neque dicas, quod ſacerdos profeſsus ſit duplici voto alligatus, adeoque, quod ratione vtriuſque teneatur vtramque circunſtantiam neceſsariò in confeſſione aperire; contra enim impugnaberis, quià in rigore non eſt duplex votum, ſed idem ſæpius repetitum, licet in diuerſis actionibus; quotieſcunque autem idem votum repetitur, licet millies repetatur, non contrahitur diſtincta obligatio, ſed actus tantum renouatur, prout docet *Medina prima ſecunda q. 72. art. 6. col. 2. verſ. ſed dices, Ouandus in 4. diſt. 25. q. vnica poſt nonam propoſitionem corrol. 2. Henriquez lib. 5. de pœnitent. c. 5. n. 6. Azorius lib. 11. inſtit. moral. c. 14. q. 1. ad fin.*

Diuerſitas modi non inducit diuerſam ſpeciem.

---

## §. X.

### An, & quomodo vir poſſit, vel ſine, vel de licentia vxoris ſacros ordines ſuſcipere.

*SVMMARIVM.*

*Factum in ſuis terminis expoſitum cum articulis examinandis.* 1.

*Coniugatus, ſiuè matrimonium fuerit præcisè ratum, ſiue conſummatum non poteſt ad ſacros ordines tranſire ſine licentia libera vxoris.* 2.

*Nec poteſt ſacros ordines ſine tali licentia ſuſcipere, etiam ſi habeat animum poſteà profitendi in Religione.* 3.

*Si promotus fuerit ſine tali licentia poteſt per coniugem reuocari.* 4.

*Sic reuocatus tenetur, reddere non poteſt tamen petere.* 5.

*Sic promotus ſine licentia alterius, ſi matrimonium non fuerit conſummatum, poteſt quidem, ſi velit ingredi Religionem, non tamen ad hoc tenetur.* 6.

*Adhoc, vt licitè poſſit promoueri ad ſacros ordines non ſufficit licentia libera vxoris, ſed vlterius requiritur, quod ipſa emittat votum continentiæ.* 7.

*Vxor, quæ conſenſum præſtitit marito ſuſcipiendi ſacros ordines, & vouit continentiam non poteſt mortuo marito ad alias nuptias tranſire.* 8.

*Adhoc, vt maritus poſſit ad Epiſcopatum promoueri, vxor debet ingredi, & profiteri Religionem.* 9.

*Vt promoueatur ad Cardinalatum ſufficit votum continentiæ.* 10.

DISQVISITIO X. Titius ſibi in matrimonium copulauit Mariam; deindè in votis habuit promoueri ad ſacros ordines. Hic multiplex excitatus eſt articulus examinandus. Primus eſt, an poſſit tranſire ad ſacros ordines, ſiuè matrimonium fuerit præcisè ratum, ſiuè conſummatum abſque licentia vxoris ſpontanea. Secundus, an ſi tranſierit ſine tali licentia poſſit ab vxore reuocari. Tertius, an, ſi

1 Factum in ſuis terminis expoſitum, cum articulis examinandis.

trimonium ſint inualida, dummodo illud impedimentum re vera interueniat in celebratione contractus; nam ſi quis contraheret ſponſalia cum conſanguinea in gradu conſanguinitatis dirimentis, & etiã matrimonium, vtique illa, ſeu illud ſunt inualida, ſeu inualidum in origine ſua nemine diſcrepante, ergo ſi re vera illud impedimentum perpetuæ impotentiæ ratione frigiditatis, ſeu maleficij interceſſerit, quamuis tunc non fuerit cognitum, nec potuerit cognoſci, non inducent ſponſalia cum illo contracta impedimentum publicæ honeſtatis propter rationem ſuperius adductam.

Tota difficultas reducitur in conciliãda reſponſione noſtra, & ijsque in ea dicuntur cum aſſerto D. Thomæ ſupra allegato. Dic igitur primo D. Thomam præcedere ſecundum diſpoſitionem iuris antiqui, ſecundum quam ſponſalia inualida ex quocunque alio titulo, præter quam ex defectu conſenſus ſubſtantialis inducebãt impedimentum publicæ honeſtatis, quod modo non militat; quod ſi deindè in allegata per ipſum ratione hoc videretur ex alio titulo inferre, nempe ex eo, quod nõ poſſet probari impedimentum perpetuũ, cum in illa ætate, ſiue frigidus fuerit, ſiue non fuerit talis, non poſſet experiri de potentia, hoc abundè præſtitit procedendo ſecundum præſumptionem iuris, ſecundũ quod quiſque præſumitur aptus, niſi expreſsè probetur ineptus; regulariter enim aptitudo eſt omnibus à natura indita, & qualitates naturales ſemper præſumuntur ineſſe, niſi probetur contrarium: cum igitur ſecundum rei veritatem ſupponatur ineſſe illa qualitas impotentiæ perpetuæ, non eſt, cur re vera non irritet ſponſalia, & per conſequens non inducat impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis; nec eſt mirum quod D. Thomas in eo loco procedat abundè probando etiam, quod publica honeſtas tunc oriatur ex præſumptione validitatis ſponſalium; nam in verbis præcedentibus dixerat, quod ex quocunque defectu ſubſtantiali ſponſalia inualida non gignant affinitatem, nec modũ ſimilem affinitati; vnde congruenter agẽdo debuit probare, quod ſi illa ſponſalia gignerent publicam honeſtatem, quæ eſt modus ſimilis affinitati, vtique eſſent ex præſumptione valida, ſicque procedit in ſuppoſitione validitatis eorundem. Dic ſecundo, vt mox innuebamus rationem D. Thomæ procedere in foro externo, & quoad præſumptionem; non in foro interno, & quoad veritatem, per quam reſponſionem optimè conciliatur aſſertum noſtrum cum ſenſu D. Thomę; vnde vbi conſtiterit illam impotentiam perpetuam ratione frigiditatis, & maleficij adfuiſſe tempore celebrationis contractus, ex tũc ſupponentur inualida ſponſalia, nullamq; adeſſe iuſtitiam publicæ honeſtatis, vbi vero conſtiterit ſubſecutam fuiſſe, tunc re vera iudicabitur contractus ſponſalium ſubſtitiſſe, & ortum fuiſſe impedimentum publicæ honeſtatis, licet poſtea ex tali impedimento ſuperueniente eſſent eadem ſponſalia diſſoluenda.

4 Conciliatur noſtra opinio cũ aſſerto D. Thomæ.

## §. IV.

### An contrahentes ſponſalia ſcienter cum impedimento dirimente, ratione cuius ſunt inualida, contrahant publicam honeſtatem.

*SVMMARIVM.*

*Facti ſeries elucidata in terminis particularibus.* 1
*Sententia aſſerens attento iure antiquo contrahentes cum ſcientia impedimenti non contrahere publicam honeſtatem.* 2.
*Sententia aſſerens non obſtante illa ſcientia contrahi illam honeſtatem.* 3.
*Præfertur prima ſententia.* 4.
*Soluuntur rationes oppoſita ſententia.* 5.
*Attento iure Concil. Trid. contrahentes cum ſcientia impedimenti non contrahunt publicam honeſtatem.* 6.

1 Facti ſeries elucidata in terminis particularibus

DISQVISITIO IV. Exiſtebat impedimentum dirimens occultum nõ ignoratum tamen ab ipſis contrahentibus inter Titium, & Caiam, ratione cuius non poterant inter ſe validè contrahere matrimonium. Non obſtante tali impedimento, & tali ſcientia ſolemniter contraxerunt inter ſe ſponſalia. Dubitatum tunc fuit, an ex illis ſponſalibus cum tali ſcientia contrahentium de tali impedimento orta fuerit inter ipſos iuſtitia publicæ honeſtatis?

Difficultas vel procedit attento iure antiquo, vel nouiſſimo Concil. Trid.

Hæc controuerſia poteſt examinari, vel attento iure antiquo, ſecundum quod ex quocunque titulo præter quam, quod ex defectu conſenſus ſponſalia inualida inferebant impedimentum publicæ honeſtatis, vel attẽto iure nouiſſimo Concilij Tridentini; ſecundum, quod ex inualiditate ſponſalium ex quocumque titulo illa proueniat nullum tale impedimentum inducitur; & quidem procedendo iuxta ius antiquum lis maxima eſt inter DD. an inducant ſponſalia quando inita ſunt per contrahentes, cum tali ſcientia impedimenti dirimente talem honeſtatem nec ne. Nonnulli expreſſe ſentiunt talem effectum non producere, inter quos numeratur

Digitized by Google

tur *Anchar anus in cap. ad audientiam num. vltimo de ſponſalib.*, *& c. vnico eodem. tit. in 6 nu. 3.*, *Durandus in 4. diſt. 41. q 2. nu 5. Vera Crux prima part. ſpeculi art. 52. concl. 3.*, qui ea mouentur ratione, quia ex quo contrahentes ſciuerint ſe non poſſe validè contrahere ratione illius impedimenti intercedentis, & nihilominus conſenſerunt, ille conſenſus vtpotè relatus ad obiectum impoſſibile non poteſt ſubſiſtere *arg. l. non dubium C. de legib.*, ergo, cum attento iure antiquo ſponſalia non gignerent impedimentum publicæ honeſtatis, quando erant inualida ex defectu conſenſus nec illud gignere dicenda ſunt in præſenti hypotheſi, in qua ſupponitur deeſſe talis conſenſus. Alij è contra, inter quos *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 68. num. 7.* ſentiunt abſolute, quod ſtante præciſè eodem iure antiquo ex illis ſponſalibus illud impedimentum pullularet, & pleriſque mouentur rationibus, primo quia iura antiqua indiſtinctè loquuntur, nec diſtinguunt, quando illa ſponſalia ineuntur, cū ſcientia, vel cum ignorantia impedimenti. Secundo, quia tunc magis ſupponitur conſenſus, quando proceditur, cum ſcientia, quam quando proceditur, cum ignorantia, quia nihil magis eſt contrarium conſenſui, quam ignorantia, & error per *textum in l. ſi per errorem ff. de iuriſd. omniū Iud.* Quid igitur hoc in controuerſia concludendum?

2 Sententia aſſerens attento iure antiquo cōtrahētes cū ſcientia impedimēti non contrahere honeſtatem.

3 Sententia aſſerens nō obſtante illa ſcientia contrahi illam honeſtatem.

Reſpondeo, probabilius eſſe attento iure antiquo ex illis ſponſalibus initis cum illa ſcientia non oriri impedimentum publicæ honeſtatis. Ita DD. omnes præallegati pro prima opinione, & ratio pro ea adducta efficaciter euincit intentum. Nihilominus adhuc ſic roboratur, quia contrahantes cum ſcientia impedimenti dirimentis non poſſunt habere voluntatem efficacem ad illum contractum, quia non poteſt eſſe voluntas efficax ad obiectum, quod cōcipitur, & eſt impoſſibile, nec poteſt quis habere animum ſe obligandi ad id, quod ex genere ſuo eſſe non poteſt, ergo ille contractus erit inualidus, non ſolum quia adeſt illud impedimentum dirimens, ſed etiam quia non eſt voluntas efficax adeoque neque conſenſus ad illum contractum, ſed quando inualiditas contractus prouenit ex defectu conſenſus ſufficientis attento iure antiquo non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis ergo &c. Confirmatur, quia contrahentes ſponſalia falſo arbitrantes eiſdem ſubeſſe impedimentum dirimens inualidè contraherent, quantumvis illud impedimentum re vera non ſubeſſet *Vincentius c. cum in Apoſtolica de ſponſalib. & ibi Ancharanus nu. 5.*, *Abbas nu. 6. Præpoſitus nu. 3 in fin. Silueſter verb. matrimonium 8. q. 13.*, *Nauarrus in ſumma cap. 22 nu. 56.*, *Antonius Cucus lib. 5. Inſtit. maior. tit. 12. nu. 233.*, *Sotus in 4. diſt. 37. quæſt. vnica art. 5. concl. 3.*, & nos etiam docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de Sponſalib. 1. Diſq. 2. §. 6. nu. 2.*, non alia ratione, niſi quia cum apprehenſio ſit ad impoſſibile, etiam conſenſus, qui dirigitur ad normam apprehenſionis, eſt ad impoſſibile, adeoque ad contractum inefficax, ſicque inualiditas eſt defectu conſenſus ergo etiam contrahentes ſponſalia, cum certa cognitione impedimenti verè exiſtentis inualidè contrahent non ſolum ex illo impedimento, ſed ex inefficacia, & inualiditate conſenſus.

4 Præfertur prima ſententia.

Non poſſunt habere volūtatem efficacem ad illum contractum.

Neque obeſſe poſſunt ea, quę ex aduerſo afferebantur; non primum quia ex quo iura exemerant ab onere contrahendi illud impedimentum publicæ honeſtatis contrahentes ſponſalia ex defectu conſenſus implicite etiam exemerunt ab eodem onere contrahentes cum ſcientia inualiditatis contractus, quandoquidem tunc poſſunt habere conſenſum efficacem ad illum contractum; Neque dicas, quod hac ratione eximeretur etiam ab onere contrahendi illud impedimentum Monachus, qui contraheret ſponſalia, quandoquidem ſupponitur hic nouiſſe ſe non poſſe illa contrahere, & tamen illi oneri expreſsè ſubditur per textum *in cap. vnico de ſponſalib. in 6.*, *& ibi Gloſa verb. diſſoluendum Francus num. 3.*, *& per Aſtenſem 2. part. ſumma lib. 8. tit. 24. art. vnico quæſt. 3.*, & per alios apud *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 68. nu. 6.*, contra enim impugnaberis, quia non ita certum, eſt vt ſupponitur Monachum profeſſum per ſponſalia per ipſum inita contrahere illud impedimentum, vt contrarium, nec certè incongruè à pluribus aſſeratur, & præcipuè à *Calderino cap. ad audientiam de ſponſalib.*, Deinde dici poteſt, quod ſubdatur illi impedimento ex ſuppoſitione, quod non reflexerit illum contractum ſibi eſſe impoſſibilē quia tunc quantum eſt ex ſe præſtat conſenſum ſufficientem, & abſolutū. Nec item obeſſe poteſt ſecundū, quia licet tūc ſupponatur conſenſus, eſt ſolummodo talis apparenter, & inefficaciter, cum nemo poſſit efficaciter velle id, quod certo norit ſibi eſſe impoſſibile, quod nō militat quādo cōſenſus eſt cū ignorantia, quia tunc talis cōſēſus fertur in obiectū apprehenſum vt ſibi poſſibile, nec vllum habet obicem, ratione cuius impediatur à vero conſenſu quantum eſt ex parte ſui.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ ſentētiæ.

Nec currit paritas de monacho contrahente.

Reſpondeo ſecundo, attento nouiſſimo iure Concilij Tridentini certum eſt contrahentes cum ſcientia illius impedimenti dirimentis non contrahere illud impedimentum publicæ honeſtatis; & ratio in promptu eſt, quia idem Tridentinum in hac parte correxit ius antiquum, & abſtulit à ſponſalibus quomodocunque inualidis

6 Attento iure Concil. Trid. contrahentes cum ſcientia impedimenti non contrahunt publicam honeſtatem.



dis

dis onus illud impedimentum contrahendi; ſed huiuſmodi ſponſalia non ſolum ſunt inualida ratione illius impedimenti præxiſtentis, & cogniti, ſed etiam ex defectu conſenſus efficacis, ergò &c.

---

## §. V.

### An ſit peccatum læthale promittere matrimonium celebrandum poſt mortem coniugis, & an illa promiſſio teneat?

*SVMMARIVM.*

*Exponitur ſeries facti.* 1.
*Grauitèr peccat coniux conſtante priori matrimonio promittens alteri futurum coniugium poſt mortem prioris coniugis.* 2.
*Etiam grauitèr peccat promiſſarius acceptando talem promiſſionem* 3.
*Illa promiſſio omninò irrita eſt, nec parit aliquem effectum obligationis ad eam ducendam.* 4.

1 Exponitur ſeries facti

DISQVISITIO V. Contracto, & perſeuerante matrimonio inter Titium, & Caiam idem Titius captus formoſitate Suſannæ eidem promiſit futurum coniugium quaſi conditionate poſt obitum ſcilicet Caiæ vxoris ſuæ, quod eſt idem, ac dicere, ſi Caia vxor ipſius ipſi præmoreretur. Acceptauit Suſanna promiſſionem Titij. Hic tria dubia excitata ſunt. Primum, an grauitèr peccarit Titius viuente vxore propria ſic promittendo Suſannæ. Secundum, an etiam peccarit Suſanna acceptando talem promiſſionem. Tertium, an illa promiſſio teneat, & ſit obligatoria, adeo vt Titius adueniente morte Caiæ prioris vxoris ſuæ, ſeù purificata illa conditione adiecta pendente de futuro teneatur nubere ex vi illius eidem Suſannæ promiſſariæ.

2 Grauitèr peccat côiux durante priori matrimonio promittens alteri futurum coniugium poſt mortem prioris coniugis.

Reſpondeo primo, grauitèr peccare Titium conſtante priori matrimonio promittentem Suſannæ futurum coniugium poſt obitum Caiæ prioris vxoris ſuæ *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 79. n. 40. Rebellius lib. 3 q 8. n. 9. Bonacina de matrim. q. 3 punct. 6. nu. 10* Hæc reſponſio expreſsè habetur in textu *c. final. de eo, qui duxit*, & indè euincitur, quià graue peccatum eſt captare mortem alterius, & anſam tribuere eam captandi, proptèr quam rationem etiam in iure grauitèr prohibetur filio vendere futuram hæreditatem Patris, ſeù ius, quod habet ad illam, quià ſcilicet daretur anſa emptori captandæ mortis Patris, ſed per illam promiſſionem de futuro matrimonio contrahendo cum Suſanna poſt obitum Caiæ Titius tribueret anſam Suſannæ captandæ mortis Caiæ, quinimmò, quantum eſt ex ſe, & ipſe captaret, ſeù ſaltem ſe exponeret periculo eiuſdem mortis captandæ, ergò &c.

3 Etiam grauitèr peccat promiſſarius acceptando illam promiſſionem.

Reſpondeo ſecundo, etiam grauitèr peccare Suſannam acceptando illam promiſſionem Titij. Conſentiunt DD. præallegati. Ratio ex eo deſumitur, quià ſic acceptando quantum eſt ex ſe ſe exponit periculo captandæ mortis eiuſdem Titij, & in vehementiori periculo conſtituit, vt captetur ab eodem Titio promittente: ſi etenim ipſa reprobaret talem promiſſionem vtique nullum foret periculum, vt Titius mortem vxoris captaret ex vi illius promiſſionis; in tantum etenim captaret, in quantum intenderet futurum matrimonium cum Suſanna; ſed illud non poſſet efficacitèr intendere, ſi Suſanna reprobaſſet promiſſionem, ergò &c. Confirmatur, quià Titius ſic promittendo ex dictis in præcedenti promiſſione grauitèr peccaret, ergò, & grauitèr Suſanna acceptando peccaret. Conſequentia tenet, quià ſic acceptando cooperaretur peccato Titij promittentis: Neque dicas, peccatum Titij iam eſſe adimpletum per promiſſionem antecedentèr ad acceptationem Suſannæ, adeoque Suſannam quantum eſt de ſe, non cooperari illius peccato acceptando; contra enim impugnaberis, quià licet peccatum Titij fuerit per illam promiſſionem conſummatum quodamodò in intentione ipſius, ipſa tamen Suſanna acceptando cooperaretur executioni illius; verſamur etenim in actu, qui in executione à duobus pendet, & non ſolum eſt peccatum cooperari intentioni actionis peccaminoſæ, ſed etiam executioni.

4 Illa promiſſio omninò irrita eſt, nec parit aliquẽ effectum obligationis.

Reſpondeo tertio, illam promiſſionem omninò irritam eſſe, nec parere aliquem effectum obligationis ad eandem Suſannam ducendam poſt obitum Caiæ *Abbas c. fin. n. 2. de eo, qui duxit, & ibi Alexander de Neuo n. 4. Ancharanus c. ſuper hoc n. 2. eod. tit. Lancellotus inſtit. iuris canon. lib. 2. tit. de diuortijs, §. cum ea autem verb. dederint, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 79. n. 40.* Ratio ex eo deducitur, quià promiſſiones de re illicita ex genere ſuo ſunt irritæ; & non obligatoriæ ex allegatis antecedentèr iuribus, ſed illa promiſſio de futuro matrimonio viuente prima vxore facta Suſannæ eſt de obiecto omninò illicito, ergò erit omninò irrita, & non obligatoria; Neque dicas, illam promiſſionem non eſſe de obiecto illicito, cum ex vno capite non inducat impedimentum dirimens, cum ex crimine hoc non conſurgat, niſi vel cum promiſſione coniugatur adulterium,

vel

Digitized by Google

Prom-iſſiones illicitæ ſunt ex genere ſuo irritæ.

vel machinatio mortis alterius ad effectum poſteà contrahendi matrimonium, quod neutrum in hac hypotheſi euenit; ex alio autem capite illa promiſſio refertur ad tempus habile ad contrahendum, nempe cum Caia fuerit præmortua; contra enim impugnaberis, quià quantumvis impedimentum dirimens ex illa promiſſione non interueniat, & referatur ad tempus habile, in radice tamen illa promiſſio euellitur ex diſpoſitione iuris irritantis promiſſionem illam, & reſiſtentis executioni ipſius, vt caueatur anſa captandæ mortis alterius coniugis, vt conſtat *ex d. c. fin. de eo, qui duxit, & ex l. fin. ff. de pactis*; Neque hoc eſt nouum in iure, quod promiſſiones, quantumvis quoad executionem referantur ad tempus habile irritentur, quandò habeat adnexum aliquod periculum mortis alterius captandæ, quandòquidem ſimili iure *in l. 1., & 2. C. & ff. ad macedonian.* irritantur promiſſiones, quas præſtant filij familias mutuantibus de reſtituẽdo mutuo poſt obitum Patris, quæ tamen referuntur ad tempus habile ſcilicet ad illud, pro quo ijdem filij familias erunt ſui iuris, & hoc non alia de cauſa, niſi, quià talibus promiſſionibus eſt adnexum periculum captandæ mortis parentum ad effectum effectuandarum ipſarum promiſſionum.

---

## §. VI.

### An inter infidelem, & fidelem conſurgat impedimentum criminis dirimentis, quandò interceſſit promiſſio, & adulterium, ſed alterum ante conuerſionem infidelis, alterum poſt?

### SVMMARIVM.

*Proponitur caſus ſecundum duplicem ſenſum.* 1.

*Infidelis, qui vel ante conuerſionem fidem dederat fideli ſine adulterio, vel adulterauit cum eodem fideli ſine promiſſione, ſi poſt conuerſionem addiderit, vel adulterium, vel fidem non poteſt cum eadem contrahere matrimonium.* 2.

*Si vterque fuerit infidelis, & non poſita vtraque conditio poſt conuerſionem non contrahunt impedimentum dirimens.* 3.

*Soluuntur rationes oppoſitæ.* 4.

DISQVISITIO VI. Conſtabat matrimonium legitimè initum intèr Theodoricum, & Caiam, ambo fideles. Rurſus inter Amurat, & Artemiſiam infideles. Aderat iuxta eorum ritum, & formam coniugium. Amurat antequam ad fidem conuerteretur, vel fidem, ſeù promiſſionem dedit Caiæ de ipſa ducenda poſt obitum Theodorici mariti ſui, & mortem Artemiſiæ vxoris ſuæ, vel fortè cum eadem Caia adulterauit non data ipſi fide de matrimonio contrahendo; poſtea vel data fide ſine adulterio, vel commiſſo adulterio ſine fide, ſeù promiſſione matrimonij ad fidem conuerſus eſt, & tunc, ſi prius tantum fidem dederat de futuro matrimonio, etiam adulterium adiunxit, vel ſi prius durante infidelitate tantum adulterium comiſerat, fidem de futuro matrimonio adiunxit. Poſteà mortuus eſt Theodoricus, & fortè etiam Artemiſia, vel ſi iſta ſuperſtes fuerit renuit ad fidem conuerti, vel cohabitare ſine iniuria creatoris. In præcedentibus dictũ eſt ad effectum, vt ratione criminis inducatur impedimentum dirimens per adulterium, & promiſſionem, non eſse neceſse, vt vtrumque ſimul interueniat, ſed ſufficere, ſi interueniat ex interuallo. Quæritur iam, an Amurat conuerſus ad fidem poſſit validè matrimonium contrahere cum Caia mortuo Theodorico priori ipſius marito, an verò ratione illius criminis interdicatur ab illo matrimonio?

1 Proponitur caſus ſecundum duplicem ſenſum.

VeraCrux *prima parte ſpeculi art. 34. poſt nonam concluſionem* caſum in aliquibus ab expoſito diuerſum refert, quandò ſcilicet vterque, promittens ſcilicet, & promiſſarius eſt infidelis, & ante baptiſmum præmittunt promiſſionem abſque adulterio, vel adulterium ſine promiſſione, & poſteà vtroque ad fidem conuerſo coniungitur, cum promiſſione præcedenti adulterium, vel cum adulterio præcedenti promiſſio, & ſic quærit, an inter ipſos ſit impedimentum dirimens illud matrimonium promiſſum, & concludit affirmatiuè; quod multis rationibus conatur euincere, & primo, quià ad inducendum hoc impedimentum dirimens requiritur ſcientia coniugij exiſtentis in promittente, & tamen, ſi præmittatur promiſſio ante ſcientiam talis coniugij, & poſtea habita tali ſcientia ſubſequatur adulterium conſurgit inter ipſos tale impedimentum, ergò etiam cum ad hoc impedimentum contrahendum requiratur fides per baptiſmum ſufficiet, quod vel promiſſio, vel adulterium præcedat eundem baptiſmum, dummodò eodem ſuſcepto ſubſequatur poſtea adulterium, ſi promiſſio tantum præceſserit, vel ſubſequatur promiſſio, ſi præceſserit adulterium. Secundò, quià promiſſio matrimonij futuri ante ſcientiam prioris, & conſtantis coniugij non impediebat matrimonium, impedit tamen ſuperueniemi adulterio poſt ſcientiam, ergò etiam

Expoſitio caſus in diuerſis terminis.

eadem

eadem promiſſio ante baptiſmum nõ impediet, impediet tamen ſuperueniente adulterio poſt baptiſmum. Tertio quia machinatio mortis coniugis tempore infidelitatis habita nocet infideli, ne fidelis factus poſſit inire matrimonium cum vxore coniugis interfecti, vt communiter ſtatuunt DD., ergo adulterium tempore infidelitatis habitum nocebit infideli, ne poſſit contrahere matrimonium cum ea, cum qua adulterauit.

2 Iuxta vtrumque caſum expoſitum, ſcilicet in facti ſerie in diſquiſitione explicata, & in ſerie relata à Veracruce maioris doctrinæ gratia in præſenti rem examinabimus. Quamobrem

*Infidelis ſi vnam, vel alteram cõditionem poſuerit, cum fideli ante conuerſionem, & poſt conuerſionem alteram cõditionem addiderit non poteſt contrahere.*

Reſpondeo primo, iuxta primum ſenſũ expoſitum in titulo Amurat poſt conuerſionem ad fidem, licet ante fidem, vel præmiſerit ſolam promiſſionem ſine adulterio, vel adulterium ſine promiſſione, dũmodo poſt eandem fidem ſuſceptam per baptiſmum, alterum quod deerat adiunxerit, non poſſe contrahere matrimonium cum Caia promiſſaria poſt obitum Theodorici ipſius mariti. *VeraCrux prima parte ſpeculi art.* 34. *poſt nonam concluſionem dub.*3. *Vega* 2. *tom ſumma c.*34. *caſ.*123. *Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 79. *n.*43. qui hanc reſponſionem appellat indubitatã. Ratio ex eo deducitur, quia quantumuis poſſit eſſe dubium, an infidelis, qui non conſummauit plenè delictum requiſitum ad illud impedimentum inducendum pro tempore habili, illud plenè contraxerit, non eſt tamen dubium, quin Caia fidelis illud plenè contraxerit, cum concurrant omnes conditiones à iure requiſitæ ad hunc effectum inducendum reſpectu ipſius, ergo ratione impedimenti exiſtentis in eadem Caia Amurat conuerſus ad fidẽ non poterit validè cum ipſa contrahere;

*Fidelis plenè delictũ conſummauit.*

Neque dicas, quod, cum lex inductiua huius impedimenti ſit reſtrictiua libertatis, & quodammodo correctoria iuris naturæ vnicuique indito ad poſſe matrimonium contrahere, quinimmo maximè pœnalis, & odioſa, debeat intelligi de delicto ex vtraque parte conſummato; cum igitur non ſit conſummatum pro tempore habili ex parte Amurat infidelis reſpectu neutrius videtur hoc impedimentum inducere; contra enim impugnaberis, quia impedimenta etiam de iure Eccleſiaſtico inducta quoad matrimonia contrahenda poſſunt ſe tenere ex parte vnius dumtaxat, dummodo ex parte eiuſdem concurrant omnes conditiones requiſitæ ad illud inducendum, & licet ad hoc delictum duo requirantur, cum non poſſit eſſe promiſſio, nec adulterium, niſi inter duos hoc vtrumque quantum ad effectum adulterij, & promiſſionis in hac hypotheſi interuenit; quis enim denegabit eſſe adulteriũ ſi fœmina fidelis coniugata commiſceatur carnaliter cum infideli? quis inficiabitur eſſe promiſſionem ex eo, quod procedat ab infideli promittente ad fidelem promiſſariam, aut è contrà? Si igitur eſt propriè adulterium, & promiſſio reſpectu Caiæ, & ipſa ſubditur iuribus Eccleſiaſticis, quomodo ſubtrahetur ab onere per Eccleſiam inducto ratione talis criminis?

*Impedimẽta poſſunt ſe tenere ex parte vnius, & non alterius.*

Confirmatur, quià poſita machinatione de marito coniugis fidelis interficiendo ad effectum contrahendi matrimonium inter eandem coniugem fidelem, & alterum infidelem pro tempore infidelitatis iſtius non poteſt hic conuerſus ad fidem illam ducere per textum *in c.* 1. *de conuerſ. infid.*, ergò etiam &c. Si etenim in illo caſu infidelitas, ſeù tempus infidelitatis, pro quo facta eſt ex communi conſilio illa machinatio, non obeſt, quominus reſpectu coniugis fidelis contrahatur illud impedimentum, nec eadem infidelitas, ſeù tempus ipſius obeſſe poterit, quominus illud contrahatur ex promiſſione habita in eadem infidelitate, vel matrimonio commiſſo in illa &c.

Reſpondeo ſecundo, iuxtà ſenſum expoſitum, & relatum à Veracruce loc. cit. nullum oriri impedimentum, quandò vel promiſſio, vel adulterium præceſſit vtriuſque contrahentis conuerſionem. Ità expreſſè *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *diſp.*79. *n.*43. *in fine* Ratio ex eo deducitur, quià ad contrahendum hoc impedimentum, nec ſufficit ſola promiſſio, nec ſolum adulterium, ſed vtrumque ſimul, nec Eccleſia vnum ſine altero grauat illo onere impedimenti; ſed in hac hypotheſi reſpectu vtriuſque, vtrumque ſimul non concurrit pro tempore, quo poſſit ab Eccleſia puniri, cum neuter pro tempore infidelitatis ſubdatur legibus Eccleſiaſticis, vndè alterum poſitum pro tempore infidelitatis in ordine ad hunc effectum perindè eſt, ac ſi non fuerit poſitum, cum non ſit poſitum pro tempore habili, ergò &c. 3

*Si vterque fuerit infidelis, & poſita fuerit vna conditio tempore infidelitatis, & altera poſt tempus cõuerſionis nõ contrahitur impedimentum dirimens.*

Confirmatur, quià, ſi quis liber ante contractum alterius matrimonium ipſi promiſerit matrimonium, & deindè poſito eiuſdem matrimonio cum eodem adulterium commiſerit, non contrahit illud impedimentum, niſi eandem promiſſionem conſtante matrimonio renouauerit, non niſi, quià primam promiſſionem non poſuit pro tempore habili, pro eo ſcilicet, pro quo eccleſia ſtatuit debere interuenire, vt pariat illum effectum, ergò etiam, ſi infidelis promiſerit alteri infideli futurum matrimonium, quamuis hoc præſtiterit conſtante priori non contrahet nec ipſe, nec alter promiſſarius hoc impedimentum, quandòquidem hoc

præſtitit

Digitized by Google

præſtitit pro tempore, pro quo Eccleſiæ legibus non ſubdebatur, & per conſequens pro tempore inhabili ad contrahendum illud.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ. Ad ea, quæ ex aduerſo per VeraCrucem loco cit. afferebantur dicendum eſt, & quidem ad primum non currere paritatem, quod idem dic ad ſecundũ; in vtroque etenim caſu; & promiſſio, & adulterium contigit pro tempore habili, ſcilicet pro tempore conſtantis matrimonij, vtroque exiſtente ſubdito Eccleſiæ, & licet deficiat pro tempore promiſſionis ſcientia præcedentis matrimonij reſpectu vnius, non deficit tamen reſpectu alterius, qui alligatus eſt tali matrimonio, quod ſufficit ad inducendum impedimentum ſaltem reſpectu iſtius, & reſpectu alterius adulterantis poſt ſcientiam matrimonij alterius ſupponitur renouata implicitè promiſſio, vel acceptatio promiſſionis in ipſo actu adulterij. Ad tertium dicendum eſt rectè procedere, ſed non obeſſe noſtræ reſponſioni, quandòquidem in caſu textus *cap. 1. de conuerſ. infidelium*, alter, qui conuenerat in illa machinatione erat fidelis, qui propterea contraxit illud impedimentum, & ratione eiuſdem impotens erat ad contrahendum cum altero infideli, qui etiam machinatus fuerat poſt conuerſionem eiuſdem ad fidem per baptiſmum; atque hæc omnia docet *Sanchez de matrimon. d. lib. 7. diſput. 79. n. 42. in fin.* aduerſus *Veracrucem loc. cit.*

---

## §. VII.

### An teneat matrimonium inter fidelem, & infidelem fictè baptizatum.

*SVMMARIVM.*

*Facti ſeries in ſuis terminis expoſita.* 1.
*Sententia aſſerens matrimonium illud ſubſiſtere.* 2.
*In foro interno matrimonium illud non ſubſiſtit.* 3.
*In foro externo matrimonium illud præſumetur pro valido.* 4.

1 Proponitur caſus in ſuis terminis. DISQVISITIO VII. Amurat infidelis captus amore Suſannæ fœminæ pulcherimæ fidelis ad effectum contrahendi cum ipſa matrimonium, cum alitèr eadem nollet eidem matrimonio conſentire fictè baptizatus eſt, ideſt cum animo non ſuſcipiendi baptiſmum; quo ſtante baptiſmo ficto cum eadem Suſanna conſentiente nupſit. Contractis deindè nuptijs, eiſque fortè conſummatis declarauit mentem ſuam de intentione formali non ſuſcipiendi baptiſmum, ſeque eundem fictè ſuſcepiſſe ad effectum conſequendi nuptias cum eadem Suſanna. Hic excitatum fuit dubium, an in foro interno illud matrimonium ex ſuppoſitione, quod re vera animum non habuerit ſuſcipiendi baptiſmum, ſubſiſtat; ſecundo quid in foro externo tunc ſit peragendum.

Quoad primum *ArchiDiaconus in c. non oportet n. 4. 29. q. 1., & ibi Bellamera nu. 3.* abſolutè aſſerunt matrimonium illud ſubſiſtere, qui fortè ea mouentur ratione, quia, cum hoc impedimentum ſcilicet diſparitatis cultus inductum ſit dumtaxat ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici, vt nos etiam latè docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimonio 2. prænot. 14. aſſert. 2.*, & docent *Sanchez d. lib. 7. diſp. 71. num. 7. Scotus in 4. diſt. 39. quæſt. vnica art. 2., & ibi D. Bonauentura art. 1. q. 1. Valentia 4. part. diſp. 10. q. 5. punct. 3. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 7. n. 2. in princip., & verſ. dixi de iure Eccleſiaſtico* videtur, quod ſeruatis ijs omnibus, quæ ab Eccleſia in hoc genere præſcribuntur, vtique debeat ſubſiſtere, præcipuè cum Eccleſia de internis non iudicet. Nihilominus 2 Sententia aſſerens matrimonium illud ſubſiſtere.

Reſpondeo primo matrimonium illud inter Amurat, & Suſannam ex ſuppoſitione, quod animus ſuſcipendi baptiſmum in illo non interuenerit, quinimmo intentio fuerit formalis non ſuſcipendi, non ſubſiſtere ratione impedimenti diſparitatis cultus in foro interno *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſput. 71. num. 3.*, Ratio ex eo deducitur quia ſecundum rei veritatem, quam præciſe reſpicit forum internum animæ, Amurat verè non eſt fidelis, nec ille baptiſmus ſubſiſtit, cum non habuerit omnia eſſentialitèr ad ipſum requiſita, ergo ſemper verificatur, quod illud matrimonium ſit initum inter fidelem, & infidelem, ergo ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici non ſubſiſtit ex impedimento diſparitatis cultus; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur num. præcedenti; quantum vis enim impedimentum illud ſolũ dirimat ex diſpoſitione iuris Eccleſiæ, & hæc nõ iudicat de purè internis, nihilominus facta illa diſpoſitione per ius Eccleſiaſticum exigens fidelitatẽ in vtroque coniuge, & ſine illa in altero eorum inualidans matrimonium, vtique ſi illa fidelitas in altero ex coniugibus non reperiatur matrimonium per illum contractum non poteſt ſubſiſtere, nam ipſe inhabilis factus eſt ad contrahendum; nec obſtat, quod illa inhabilitas ſit ſolummodo ratione actus interni, quem Eccleſia non conſiderat, cum per actum externum eidem conſtet de fidelitate, & habilitate poſito illo baptiſmo ſolemnitèr facto; Non obſtat, inquam, quia quantum vis illa inhabi- 3 In foro interno matrimonium illud non ſubſiſtit.

Digitized by Google

habilitas ſit ſolummodo ratione actus interni deficientis, re tamen vera in ipſo exiſtit, & quamvis Eccleſia non poſſit de ipſa iudicare ſequitur, ad ſummum, quod coram ipſa non præſumatur pro ipſa inhabilitate, non quod ſecundum rei veritatem illa non inſit in ſubiecto, eſt non inualidet in foro interno. Res declaratur Exemplo. Affinitas non eſt inducta, prout dirimit matrimonium, nonniſi iure Eccleſiaſtico, ſi in multorium ſententia excipias primum gradum; Hæc poteſt orta eſſe ex copula fornicaria occulta, quæ nullo modo appareat coram Eccleſia; ſi quis contrahat cum tali affinitate, certe inualidè contrahit, & tamen illud impedimentum non eſt inductum, niſi per ius Eccleſiaſticum, & Eccleſiæ non conſtat, ergo etiam in noſtra hypotheſi &c. Quod ſi dicas, diſparem eſſe rationem, quia in noſtra hypotheſi eſt per actum mere internũ inhabilitas; in hypotheſi autem aſſumpti impedimentum eſt per actum externum licet occultum; ſtatim impugnaberis, quia quoad iudicium externum Eccleſiæ, ſi præſcindas à foro pænitentiali, parum referre poteſt, quod impedimentum illud ſit ex cauſa merè interna, vel ex cauſa externa, ſed merè occulta, & in foro interno æque afficiunt delinquentem actus mere interni circa præcepta mere Eccleſiaſtica, ac actus externi, ſed occulti. Quis enim diceret non peccare circa præceptũ audiendi ſacrum in die feſti, qui haberet intentionem mere internam non ſatisfaciendi præcepto? Propter hanc rationem merito Sanctiſſimus D. N. Innocentius Pontifex nunc regnans in generali Congregatione Sanctæ Romanæ inquiſitionis habita die 2. Martij 1679. damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in numero 45. qua dicebatur *præcepto communionis annuæ ſatiſfit per ſacrilegam Domini manducationem*, & tamen ſacrilega manducatio poteſt eſſe ſolummodo ratione actus interni.

Res explicatur exemplo.

Quoad iudicium externum parum refert, quod impedimentum ſit ex cauſa interna, vel externa occulta.

4 Reſpondeo ſecundo, in foro externo matrimonium illud præſumeretur pro valido. Conueniunt, ſeù conuenire in hoc debent omnes, qui ſuſtinent matrimonium fictè contractum, hoc eſt ſine animo contrahendi, & ſe obligandi reſpectu vnius valere, & ponere obligationem, vinculumque coniugale inducere in foro exteriori, ſeù, quod idem eſt in foro exteriori præſumi pro vero, & valido *Coarruuias de ſponſalib. 2. part. cap. 2. nu. 2., & ſeqq. Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 1. nu. 33. 37., & 38 Franciſcus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 32. num. 8., Ioannes Valerius in ſuis diſ. verb. matrimonium diſ 4. D. Thomas in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. ad primum*, ſi enim iura præſumunt pro validitate contractus, quando ad ipſum omnia concurrunt, quæ ex diſpoſitione iuris requiruntur, & ſolum deficit conſenſus internus, eo quia, ſi iura aliter præſumerent, omnes contractus, omnes actiones, & obligationes prouenientes ab iiſdem contractibus facile irritarentur, quandoquidem quicunque pænitens de contractu poſſet aſſerere, ſe conſenſum internum non præſtitiſſe; ita etiam eadem præſumere non eſt dubitandum pro validitate, quando impedimentum diſparitatis cultus eſt ſublatum per baptiſmum ſuſceptum ſecundum omnes iuris formalitates, & cætera omnia ad matrimonium requiſita concurrunt, licet infidelis baptizatus aſſerat ſe fictè ſuſcepiſſe baptiſmum, ſi etenim illa fictio in foro externo non præſumitur in primo caſu, nec debet præſumi in ſecũdo, & ſi illa quantum eſt ex foro externo contractum non inualidat, quantumvis conſenſus verus internus, & realis ſit forma immediata eiuſdem contractus, ita multo minus iſta poterit inualidare; cum non ſit forma immediata contractus conſenſus internus, quem negat, ſed ſolummodo quid requiſitum ad validitatem baptiſmi.

In foro externo matrimonium illud præſumeretur pro valido.

## §. VIII.

### An ſubſiſtat matrimonium initum inter Apoſtatam à fide, & infidelem?

### *SVMMARIVM.*

*Titulus exponitur ſecundum terminos particulares.* 1.
*Sententia aſſerens illud matrimonium ſubſiſtere.* 2.
*Illud matrimonium abſolute non tenet.* 3.
*Solluuntur rationes oppoſitæ.* 4.
*Si fidelis contrahat cum Apoſtata à fide tenet contractus.* 5.

DISQVISITIO VIII. Caius catholicus à fidea Apoſtatauit, & ad ſectã paganorum conuerſus eſt. Hinc matrimonium, cum quadam Saracena contraxit ſeruatis iuribus, & ritibus, quæ, ſeù qui in tali ſecta, ſeù lege præſcribuntur. Dubitatum, hic fuit, an illud matrimonium inter ipſos ſic initum ſubſiſteret, an verò ex impedimento diſparitatis cultus irritaretur? 1

1 Titulus exponitur ſecundum terminos particulares.

Videtur dicendum, neutiquam irritari, quandoquidem ex quo ille apoſtatauit à fide renuntiauit omnibus iuris Eccleſiaſticis, & ſic matrimonium illud iniuit ſecundum diſpoſitionem iuris naturæ, ſecundum quod inter infideles tenet; quinimmo ſecundum rei veritatem Caius pro 2

2 Sẽtẽtia aſſerens illud matrimonium ſubſiſtere.

pro tempore contractus erat infidelis, cũ fides in ipſo amplius non remanſerit ratione apoſtaſiæ, nec ratione fidei præcedentis in rigore ille poteſt dici catholicus, niſi ad ſummum ſecundum quandam denominationem externam, & ſecundum præſumptionem; ſicuti autem ex dictis in præcedenti diſquiſitione, quando eſt mera præſumptio fidei ratione baptiſmi fictè ſuſcepti deficiente conſenſu reali vero, & interno non eſt validum matrimonium in foro interno, ita è contrario quando eſt mera denominatio, & præſumptio fidei, quando quis apoſtatarit à fide, ſed re vera non eſt fides, erit verum matrimonium, quandoquidem ſecundum veritatem dicendum eſt, quod matrimonium illud fuerit initum inter duos infideles. Nihilominus

3 Illud matrimonium abſolutè non tenet. Reſpondendum eſt, illud matrimonium abſolutè non tenere. *Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 13. num. 4. in fin. Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 71. num 4.* Ratio ex eo deducitur quia ex quo ille baptizatus eſt, per baptiſmum vere, & legitimè ſuſceptum conſtituit ſe ſubditum Eccleſiæ, & omnibus iuribus Eccleſiaſticis; vndè eſt per Eccleſiam punibilis non ſolum propter apoſtaſiam, ſed etiam propter aliâ delicta aduerſus eadem iura Eccleſiaſtica, ſi aduerſus ea defecerit; ex quo enim quis factus eſt ſemel Eccleſiæ per baptiſmum, Eccleſia nunquam dimittit ius, quoad illum, nec ipſe poteſt renuntiare, ſeù ſe ſubtrahere à iuribus, quibus ſponte ſe ſubmiſit, cum quodamodo per baptiſmum iriterabilem matrimonium ſpirituale indiſſolubile contraxerit cum eadem Eccleſia, & ſicuti ſi quis per mattimonium inſolubile alteri ſe obligauerit, eiuſque obſequijs, & legibus matrimonialibus, & deinde ab eodem receſſerit poteſt reuocari, cum per illum receſſum non eximatur à iuribus, quæ alter acquiſiuit, ita ſi quis per baptiſmum ſpontè ſe Eccleſiæ coniunxerit, eiuſque legibus ſe ſubdiderit licet per Apoſtaſiam ab eodem receſſerit. poterit reuocari, cum per eandem non potuerit à legibus Eccleſiaſticis ſe ſubtrahere eadem Eccleſia renuente, ergo cum adhuc remaneat ſubiectus iuribus Eccleſiaſticis, & inter cætera ſit ius dirimens matrimonium inter baptizatum, & infidelem vtique contrahendo contra tale ius inualide contrahet, nec poterit ſubſiſtere matrimonium.

Remanet adhuc ſubditus Eccleſiæ, & eſt punibilis ob Apoſtaſiã.

4 Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitum. Neque obeſse poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quod ſcilicet ille re vera non ſit fidelis, niſi ſecundum quandã denominationem ab eo, quod fuit, non ab eo, quod eſt, & ſecundum præſumptionem quandam extrinſecã, adeoque quod ſemper ſecundum rei veritatem illud matrimonium non ſit initum inter fidelem, & infidelem, ſed inter duos infideles, inter quos poteſt ſubſiſtere; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia licet coram Deo, quinimmo, & coram Eccleſia ille ſit infidelis propter apoſtaſiam à fide, non intelligitur tamen exemptus à iuribus Eccleſiaſticis propter baptiſmum irriterabilem, ratione cuius non potuit ab eadem Eccleſia recedere, & ſi de facto receſſerit, Ius ſemper retinet Eccleſia eum reuocandi, nec per talem receſſum ſe exemit ab oneribus, & iuribus eiuſdem Eccleſiæ. Quamobrem Eccleſia, cum conſtituerit impedimenta dirimentia in ordine ad omnes ſuos ſubditos, quos ſibi tenet deuictos, vtique, & in ordine ad iſtum conſtituiſſe cenſenda eſt, ipſumque obligare.

5 Si fidelis contrahat cum Apoſtata à fide tenet contractus. Ex quibus ex aduerſo poteris deducere, quod ſi fidelis etiam durante apoſtaſia, cum iſto nupſerit, vtique teneat matrimonium, licet quandoque ob periculum peruerſionis peccarit, cum ipſo contrahendo; ſi enim computatur pro fideli, quando contrahit cum infideli, non niſi quia adhuc remanet ſubditus Eccleſiæ, ita computari debet propter eandem rationem pro tali, quando contrahit cum fideli, ſicque in hoc caſu tenebit matrimonium.

---

## §. IX.

### An Sacerdos, qui ſimul profeſſus eſt fornicans teneatur vtramque circumſtantiam in confeſſione explicare?

*SVMMARIVM.*

*Refertur ſtatus diſquiſitionis.* 1.

*Sententia aſſerens votum ſolemne profeſſionis, & votum inhibitum in ordine ſacro differre ſpecie.* 2.

*Sententia aſſerens in genere moris non differre ſpecie præfertur.* 3.

*Sacerdos profeſſus fornicans non tenetur in confeſſione exprimere vtramque circumſtantiam profeſſionis, & ſacerdotij, ſed ſufficit ſi alteram exprimat.* 4.

*Sacerdos profeſſus, qui fornicatus eſt ſufficiẽter ſatisfacit, ſi dicat ſe obſtrictum eſſe voto caſtitatis.* 5.

Disqvisitio IX. Titius profeſſionem ſolemniter emiſit in Religione ſeruatis omnibus iuribus ad eam requiſitis, deinde ordine etiam Sacro Sacerdotij initiatus, & inſignitus eſt. Tandem in fornicationem incidit. Expiaturus propria peccata anxius erat an teneretur vtramque circumſtantiam, & profeſſionis, 1 Refert ſtatus diſquiſitionis.

 &

Digitized by Google

& ſacerdotij explicare, an vero ſufficeret, ſi alteram earum exponeret, an vero vtraque reticita ſufficeret ſi præciſe aſſereret ſe voto caſtitatis eſſe obligatum.

2 Sententia aſſerens votum ſolemne Religionis, & votum, quod imbibitur in ordine ſacro differre ſpecie.

Difficultas potiſſimum dependet ab eo, an votum ſolemne profeſſionis ſpecie differat à voto ſolemni, quod imbibitur in ordine ſacro, & an vtrumque ab ordine ſimplici caſtitatis. Qua in controuerſia videtur abſolutè dicendum differre ſpecie inter ſe, quandòquidem per profeſſionem ſolemnem transfertur dominium proprium corporis in Deum miniſterio ſuperiorum vices Dei gerentium, & acceptantium nomine eiuſdem idem dominium per veram, & actualem traditionem factam ab ipſo profitente, & ſolemnitèr vouente; per ſuſceptionem autem ſacrorum ordinum non eſt illa perfecta traditio dominij corporis in Deum, ſed ſolummodò promiſſio ad modum voti ſimplicis, quod ſolum per accidens, & extrinſecè ſolemne dicitur ex eo, quod habeat effectum potiſſimum ex eccleſiaſtica conſtitutione annexum voto ſolemni, qui eſt ſubſequens matrimonium dirimere; per votum autem ſimplex nulla fit traditio, nec habetur aliquis effectus, nec ex natura ſua, nec ex aliqua Eccleſiæ diſpoſitione, per quem matrimonium ſubſequens dirimatur; vndè per profeſſionem ſolemnem ex natura ſua dirimitur ſubſequens matrimonium; per ſuſceptionem ſacrorum ordinum ſolum ex diſpoſitione Eccleſiaſtica; per votum vero ſimplex nullo iure dirimitur, quantùmuis impediatur. Diuerſa autem videtur ſpecies in actu, quo transfertur dominium per ſe, ac in actu, quo ſolum per accidens ac tandem in actu, quo nullo modo transfertur *Sotus lib. 7. de iuſtit. quæſt. 2. art in ſolut. ad primũ, Aragonius ſecunda ſecunda quæſt. 88. art. 7. ad finem, Manuel primo tom ſumma in 2. edit. cap. 53. num. 5., & colligitur ex D. Thoma in 4. diſt. 38. q 1. art. 2. quæſtiuncula 2, in corpore*, vbi ait diſtingui hæc vota tanquam ſenſitiuum, & vegetatiuum. Nihilominus

3 Sententia aſſerens in genere moris non differre ſpecie.

Hac in controuerſia aduertendum eſt, quod, quantumvis illa vota ſecundum circunſtantias ſolemnitatis, vel per ſe, vel per accidens, vel ſimplitatis in ordine ad maius ius, quod transferunt, diferant in ſpecie materialitèr, & in eſse Phyſico, non videantur tamen differre inter ſe in genere moris, & in eſse morali, cum non habeant, ſecundum ſe oppoſitionem ad diuerſam in ſpecie virtutem, ſed vni, & eidem virtuti Religionis opponantur, ea proportionali ratione, qua plerique, nec incongruè docent, ſacramentum Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis differre ſpecie à ſe ipſo ſub ſpeciebus vini, ſi materialitèr & in eſse Phyſico conſiderentur, non tamen, ſi conſiderentur, ſub vna, & eadem ratione formali ſpiritualis refectionis, Hac eadem ratione docent *Caietanus in 2. 2 q 154. art. 9., & Fauſtus tom 1 lib. 4 q. 95. & Diana part. 1. tract. 7. reſol. 31., & part. 3. tract. 4. reſol. 67. §. in reſol. 31., & part 4. tract. 4. reſol 134., & part. 5. tract. 14. reſol 56. § quarto ſexto, & part. 11. tract 6. reſol. 34., & tract 8. reſol. 63.* copulam naturalem etiam in diuerſa linea, & gradu non differre ſpecie in genere moris, & in iudicio ſacramentali, quamuis in linea recta, & in gradu proxiori ſtipiti videatur maximè augere malitiam, prout etiam docent *D. Thomas 2 2. q. 154. art 9. Gypſius tract. de caſibus reſeruat. c. 8. nu. 5. Megala in prima parte lib. 5. c. 12. n. 9.*, & alij plures quos refert, & ſequitur *Diana d part. 1. tract. 7. reſol 31.*, & hoc certè non alia ratione indicant, niſi quià hæc copula naturalis in quocunque gradu, & linea ſit, habet oppoſitionem non ad diuerſam, ſed ad eandem numero virtutem.

4 Non tenetur vtramque circunſtantiam exprimere

Reſpondeo igitur primo, Sacerdotem profeſſum fornicantem non teneri in confeſſione exprimere vtramque circunſtantiam profeſſionis, & ſacerdotij, ſed ſufficere, ſi alteram ipſarum exprimat *Pirigianus in 4 ſent tom 2. diſt. 16 q. vnica art. 5. Henriquez lib. 5. de penit. cap. 5. n. 6. in gloſ. lit. G. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 27. n 27 Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. c. 37. n. 13. Ioannes della Crux in direct. conſcient. part. 1. tract 6 art. 6. dub. 8. concl 3. Leſſius lib. 4. c. 3. dubit. 12. nu 87. Molfeſius in ſumma tom. 1. tract. 7. c. 12. n 66, & 68. Caraffa in part. 2. q. 7. art. 3. n. 27., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quià peccata in genere moris deſumunt ſuam ſpecificam vnitatem, & diſtinctionem per oppoſitionem, vel ad eandem, vel ad diuerſam in ſpecie virtutem, nec ſufficit ad conſtituendam diuerſam in ſpecie malitiam, quod actus, vel magis, vel minus eidem virtuti opponatur, ſed peccatum fornicationis à ſacerdote profeſso commiſſum, tàm ratione ſacerdotij, quàm ratione profeſſionis habet ſolummodò oppoſitionem ad eandem in ſpecie virtutem caſtitatis, vt per ſe patet, ergò eſt vnum, & idem in ſpecie quamvis ratione circunſtantiæ vtriuſque magis augeatur.

Eſt oppoſitio ad eandem in ſpecie virtutem.

Neque obeſse poteſt primo, quod per votum ſolemne non ſolum ſit promiſsa caſtitas Deo, ſed etiam in ipſum tranſlatum dominium corporis vouentis; per votum autem ſimplex ſolummodò ſit facta promiſſio. Non, inquam, obeſse poteſt, quià tàm promiſſio, quam traditio ſunt ex eodem fine virtutis caſtitatis, & vtraque transfert ius in Deum, licet illa minus perfectum, iſta perfectius, vndè conſtituunt quidem grauius, vel minus graue peccatum, non tamen in ſpecie diuerſum

Promiſſio, & traditio ſunt ex eodem fine.

uerſum ſicuti, magis lædit ius ſangninis peccatum inceſtus in linea recta, & gradu proximiori, quam in linea tranſuerſa, & gradu remotiori, & tamen, quià vtrumque peccatũ eſt contra eandem virtutem reuerentiæ debitæ ſanguini non diuerſificat in ſpecie peccata.

Neque obeſse poteſt ſecundò, ſi aſseratur, quod votum ſolemne caſtitatis emiſsum in profeſſione irritet matrimonium de iure diuino naturali; votum autem ſolemne in ſacro ordine, non niſi ex diſpoſitione Eccleſiæ, & votum ſimplex ex neutro iure irritat, licet ex diſpoſitione Eccleſiæ impediat, ergò peccatum contra eadem vota erit diuerſum, prout vota quibus opponitur, ſunt diuerſa; Non, inquam, obeſse poteſt, quià ex diuerſitate iurium, quæ afficiunt actus in aliqua virtute ſpecifica in ordine ad aliquem effectum non arguitur diuerſitas ſpecifica in ordine ad ipſos actus, ſed tantum efficitur, vt aliquis actus effectus vna qualitate pariat talem effectum, alius non affectus tali qualitate non efficiat talem effectum. Quod deindè vnus actus affectus tali qualitate irritet de iure diuino, alius affectus alia qualitate in eodem genere non niſi iure Eccleſiaſtico non facit ad rem quoad præſens inſtitutum diuerſitatis ſpecificæ, quandòquidem etiam cognatio in linea recta per ſuperius dicta irritat de iure naturæ, & etiam in multorum ſententia in linea tranſuerſa in primo Eccleſiaſtico, & in alijs ſolũmodò de iure naturali, & tamen peccatum commiſſum in linea recta non differt in ſpecie à peccato in linea tranſuerſa, dum conſideratur ſolum oppoſitio in ordine ad eandem virtutem in ſpecie.

Ex diuerſitate iuriũ, quæ afficiant actus non arguitur diuerſitas ſpecifica actuũ.

5
Sacerdos profeſsus, qui fornicatus, eſt ſufficientèr ſatisfacit, ſi dicat ſe obſtrictum eſse voto caſtitatis.

Reſpondeo ſecundò. Sacerdotem profeſsum, qui fornicationem commiſit ſufficientèr ſatisfacere oneri confeſſionis quoad expreſſionem peccati, ſi exponat ſe eſse alligatum voto caſtitatis non exprimendo, nec ſacerdotium, nec profeſſionem *Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. dub. 37. n. 13. Henriquez lib. 5. de penis. c. 5 n 6. in gloſ. lit. G. Fagundez de pracept. Eccl. tract. 2. lib 4. c. 3. n. 6. Llamas in ſumma part. 3. c. 8. §. 14. Megala in prima part. lib 5. c. 11. nu. 8. Fillincius tom. 2. tract. 30. c. 9. nu. 124. Diana part. 1. tract. 7. reſol. 4.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſuprà dicebamus, quià peccatum, ſiuè ſit in habente votum ſolemne caſtitatis, ſiuè in habente tantum ſimplex ſemper eſt in ordine ad eandem ſpecie virtutem, nec diuerſitas modi, quo afficitur tali voto inducit aliquam in ſpecie diuerſitatem; Neque dicas, quod ſacerdos profeſsus ſit duplici voto alligatus, adeoque, quod ratione vtriuſque teneatur vtramque circunſtantiam neceſsariò in confeſſione aperire; contra enim impugnaberis, quià in rigore non eſt duplex votum, ſed idem ſæpius repetitum, licet in diuerſis actionibus; quotieſcunque autem idem votum repetitur, licet millies repetatur, non contrahitur diſtincta obligatio, ſed actus tantum renouatur, prout docet *Metina prima ſecunda q. 72. art. 6. col. 2. verſ. ſed dices, Ouandus in 4. diſt. 25. q. vnica poſt nonam propoſitionem corrol. 2. Henriquez lib. 5. de panitent. c. 5. n. 6. Azorius lib. 11. inſtit. moral. c. 14. q. 1. ad fin.*

Diuerſitas modi non inducit diuerſam ſpeciem.

## §. X.

### An, & quomodo vir poſſit, vel ſine, vel de licentia vxoris ſacros ordines ſuſcipere.

*SVMMARIVM.*

*Factum in ſuis terminis expoſitum cum articulis examinandis.* 1.

*Coniugatus, ſiuè matrimonium fuerit præcisè ratum, ſiue conſummatum non poteſt ad ſacros ordines tranſire ſine licentia libera vxoris.* 2.

*Nec poteſt ſacros ordines ſine tali licentia ſuſcipere, etiam ſi habeat animum poſteà profitendi in Religione.* 3.

*Si pomotus fuerit ſine tali licentia poteſt per coniugem reuocari.* 4.

*Sic reuocatus tenetur, reddere non poteſt tamen petere.* 5.

*Sic promotus ſine licentia alterius, ſi matrimonium non fuerit conſummatum, poteſt quidem, ſi velit ingredi Religionem, non tamen ad hoc tenetur.* 6.

*Adhoc, vt licitè poſſit promoueri ad ſacros ordines non ſufficit licentia libera vxoris, ſed vlterius requiritur, quod ipſa emittat votum continentia.* 7.

*Vxor, qua conſenſum præſtitit marito ſuſcipiendi ſacros ordines, & vouit continentiam non poteſt mortuo marito ad alias nuptias tranſire.* 8.

*Adhoc, vt maritus poſſit ad Epiſcopatum promoueri, vxor debet ingredi, & profiteri Religionem.* 9.

*Vt promoueatur ad Cardinalatum ſufficit votum continentia.* 10.

1
Factum in ſuis terminis expoſitum, cum articulis examinandis.

DISQVISITIO X. Titius ſibi in matrimonium copulauit Mariam; deindè in votis habuit promoueri ad ſacros ordines. Hic multiplex excitatus eſt articulus examinandus. Primus eſt, an poſſit tranſire ad ſacros ordines, ſiuè matrimonium fuerit præcisè ratum, ſiuè conſummatum abſque licentia vxoris ſpontanea. Secundus, an ſi tranſierit ſine tali licentia poſſit ab vxore reuocari. Tertius, an, ſi



Digitized by Google

vir fuerit reuocatus teneatur reddere, & poſſit pro libertate petere. Quartus, an ſi non poſſit tranſire abſque facultate vxoris, ſufficiat, vt licitè, & validè tranſeat, talis facultas, an verò quid aliud requiratur. Quintus, an ſi, poſita fuerit talis facultas vxoris, non tamen alia de iure requiſita, ſi quæ alia requirantur, poſſit vir ſacris initiatus per eandem vxorem reuocari. Sextus, an ſi vxor, quæ facultatem fecit marito, vt ſacris initiaretur, etiam votum caſtitatis emiſerit, poſſit mortuo eodem marito ad alias nuptias conuolare. Septimus, quid deſideretur, vt vir coniugatus poſſit ad Epiſcopatum, vel dignitatem cardinalitiam promoueri?

2 Coniugatus non poteſt promoueri ad ſacros ordines ſine licentia libera alterius coniugis.

Reſpondeo primo, Titius coniugatus non poteſt ad ſacros ordines promoueri, ſiue matrimonium fuerit tantum ratum, ſiue conſummatum ſine licentia libera, & ſpontanea vxoris. In hanc reſponſionem conueniunt communiter Theologi, & canoniſtæ; & expreſsè definitur *in cap. coniugatus de conuerſ. coniug.*, & congrua quidem ratione, quandoquidem vxor per matrimonij contractum perfectum ius acquiſiuit in corpus mariti, quod propterea non poteſt ab illa ſubtrahere ſine ipſius facultate; Neque dicas, hoc verificari ſolummodo, quando matrimonium iam conſummatum eſt, quia tunc vxor perfectum dominium acquiſiuit in corpus mariti: non ſic quando præciſe ratum eſt: contra enim impugnaberis primo, quia allegatus textus loquitur indiſtinctè de matrimonio non diſtinguens, quando præcisè ratum eſt, ac quando perfectè conſummatum, adeoque indiſtinctè de vtroque eſt intelligendus; Secundo, quia etiam de matrimonio rato eſt expreſsè definitum *in extrauag. antiq. Ioannis 22. de voto*. Tertio, quia eſt ſpeciale priuilegium Religionis, vt quis ante conſummatum matrimonium poſſit ad Religionem tranſire, quod propterea non eſt extendēdū ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum. Quarto quia licet ante conſummationem non ſit facta traditio, eſt tamen acquiſitum plenè ius à coniuge, adeoque &c.

Etiam ſi matrimonium non fuerit conſummatū.

3 Coniux ſine licentia vxoris non poteſt ad ſacros ordines trāſire etiam ſi habeat animum poſtea trāſeundi ad Religionē.

Si autem, hic quæras, an ſaltem poſſit maritus ſine licentia vxoris ad ſacros ordines promoueri, ſi animum habeat poſtea tranſeundi ad Religionem. Reſpondeam non poſſe ſine graui noxa læthali *Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 53 art. 4. dub. 1., Manuel primo tom. ſumma in 2. edit. cap. 224. num. 3., Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 38. nu. 3.*, Ratio ex eo deducitur, quia iura abſolute requirunt adhoc vt coniugatus poſſit licitè ad ſacros ordines promoueri, vt habeat facultatem à coniuge, & quod illa emittat votum continentiæ, vt infra videbimus, nec ſufficit ſolus animus ingrediendi in Religionem, ergo ſuſcipiendo ſine tali licentia, & ſine tali voto non ſe eximit à graui culpa, quod etiam definitum eſt *in eadem extrauag. Ioannis 22. de voto* per illa verba: *Diſtrictius inhibentes, ne quiſquam durante matrimonio, nondum etiam conſummato aliquem de ſacris ordinibus præſumat ſuſcipere niſi prout ſacris canonibus nouerit conuenire*, nempe petita licentia ab vxore, & ab eadem emiſſo voto caſtitatis, prout notat *Gloſa Ibid.*, quod præcipue verum eſt, cum de facili voluntas, quæ eſt deambulatoria, poſſit mutari, & conſummari matrimonium cum læſione graui Religionis ob ordinem ſacrū ſuſceptum.

Dixi *ſine licentia libera, & ſpontanea*, ſi enim extorta eſſet talis licentia per vim, vel per metum cadentem in conſtantem virum, vtique non ſuffragaretur, & quoad hunc effectum perinde eſſet, ac ſi non eſſet poſita.

Reſpondeo ſecundo, ſi promotus fuerit ad ſacros ordines, ſine tali licentia vtiq; poteſt per coniugem reuocari. In hoc etiam conueniunt communiter DD. hocque expreſſe euincit textus *in d. extrauag. antiqua Ioannis 22. de voto*; vnuſquiſque etenim rem ſibi perfectè deuictam poteſt ſibi per veram, & realem actionem de manibus cuiuſque vendicare, nec Deus acceptat ius alteri obligatū eodem prorſus inuito, & reluctante. Quod adeo verum eſt, vt plerique, quinimmo ſatis communiter doceāt euectum ad ſummū apicem Pontificatus ſine vxoris licentia poſſe per eādem reuocari, vt ſibi debitum reddat *Gloſa in cap. ſi quis pecunia verbo non Apoſtolicus diſt. 79.*, *Ioannes Andreas cap. conſtitutus in fin. de conuerſ. coniugat, & ibi Antonius in fin.*, *Abbas cap. vxoratus in fin. eod. tit., & cap. licet de vitanda nu. 4. de elect. Aſtenſis in ſumma 2 part. lib. 8. tit. 22. art. 2. quæſt. 1., & alij plures* quos citat, & ſequitur *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 38 num. 12.* 4

4 Si promotus fuerit ſine tali licentia poteſt per coniugem reuocari.

Reſpondeo tertio, ſi maritus ad ſacros ordines promotus fuerit per vxorem ex eo, quod ſine licentia fuerit promotus, reuocatus, tenetur petenti reddere, non tamen poteſt licitè petere. *D. Thomas in 4 diſt. 37. quæſt. 1 art. 2. ad primum, & ibi Paludanus quæſt. 1. art. 1 nu 9 Henricus Gandauenſis quodlib. 5. q. 38 D. Antoninus 3. part. tit. 1 cap. 8. ad fin. Sotus in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2 concl 4., Valentia 4. part. diſp. 10. quæſt. 5. punct. 3.* Quod autem teneatur reddere, ex eo facile liquèt, quia fruſtatoria eſſet reuocatio, ſi reuocatus non teneretur reddere, & in tantum poteſt reuocari, in quantum ſpoliatus reſtituendus eſt in iure, quod eidem per iniuriam ſublatum eſt. Quod autem non poſſit petere ex eo facile euincitur, quia ſuſcipiendo ſacros ordines, quantum eſt ex ſe obſtrixit ſe voto caſti-

5 Sic reuocatus tenetur reddere, non tamen poteſt petere.

caſti·

Digitized by Google

caſtitatis, ratione cuius, quantum poteſt, tenetur ſeruare eandem caſtitatem, dummodo non lædat ius alterius, ſed non petendo, quantum in ſe eſt, ſeruat caſtitatem, & petendo non ſeruat, ergo &c.

Hic oritur difficultas, an ſic promotus ad ſacros ordines ſine vxoris licentia ante reuocationem, vel forte etiam poſt reuocationem, ſed ante conſummationem, ſi non fuerat matrimonium antecedenter conſummatum, teneatur ingredi Religionem. Nonnulli tenuerunt, & quidem non incongrua ratione, quod teneatur ingredi, quia, quantum eſt de ſe, tenetur omnia media adhibere, vt ſeruet caſtitatē, cui ſe obligauit per ſuſceptionem illorum

6 Poteſt, ſi velit, ingredi Religionem, non tamen ad hoc tenetur.

ordinum *Hoſtienſis in ſumma tit. de conuerſ. coniug nu 6. verſ. ſolutio. ArchiDiaconus cap. deſponſatam 27 quæſt. 2. num. 4. D. Antoninus 3 part. tit. 1. cap 8. in fin. Petrus de Ledeſma de matrimon quæſt. 53. art. 4 dub. 2., quod monet circa primum ſtatum coniugati concl. vnica*. Nihilominus probabilius ſentiendum exiſtimo, vtique poſſe, ſi velit, ingredi Religionem, non tamen ad id teneri *Gloſa in d extrauag. antiqua Ioannis 22. de voto Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. cap. 50 § ecce iſte Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 5 nu. 10. Sanchez de matrimon. lib. 7 diſp. 38. num. 18.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ſic coniugatus ante ſuſceptionem ſacrorum ordinum, & ante conſummationem matrimonij poteſt licitè ad Religionem tranſire, ergo poterit etiā poſt ſuſceptionem eorundem, cum talis ſuſceptio nullo iure inducat impedimentum ad ingrediendum, quinimmo ratione voti adiecti tali ſuſceptioni videtur potius impelli. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, tum quia iura, ſi quæ loquuntur de tali ingreſſu, imponunt conſilium, non inferunt coactionem, & præcipuè *in d. extrauag. antiqua Ioannis 22. de voto* ibi, per *Diœceſanum inſtantes moneri præcipimus*; tum quia votum illud implicitum in ſuſceptione ſacrorum ordinum, quando ſuſceptio non eſt cum licentia expreſſa alterius coniugis non magis obligat, ac votum ſimplex caſtitatis, ſed obligatus ex voto ſimplici caſtitatis non tenetur ad illud ſeruandum ingredi Religionem, quandoquidem hoc eſt iugum nimis graue, & oneroſum, quod nemo debet ſubire ſine propriæ voluntatis arbitrio; nec poteſt dici, quod ſponte in cauſa ſe ſubiecerit illi oneri, ex quo voluit illos ſacros ordines; non, inquam, poteſt dici, quia potuit quidem velle ordines, non tamen velle Religionē, ſicuti potuit quis velle votum ſimplex caſtitatis, non tamen velle Religionem.

7 Reſpondeo quarto. Ad hoc vt licitè maritus promoueri poſſit ad ſacros ordinis non ſufficit licentia libera, & ſpontanea vxoris, ſed vlterius requiritur in vxore votum continentiæ, quod ſatis eſt, ſiue vxor fuerit iuuenis, ſiue ſenex *Gloſa c. Epiſcopus verb. ſequeſtrato diſt. 77. & c. quia ſūt verbo, nec Religioſam diſt. 28. Monaldus in ſumma vbi de voto tit de voto coniugat. verſ. item licet aliqui, Brunellus de ſponſal. concl. 30. n. 6 Gaieta repet. c. ad limina 30. q 1. §. 4. q. 195. n. 467. Maiolus lib 1. de irregul. c. 34. n. 3. verſ. in alijs autem*; expreſsè deducitur *ex c. coniugatus de conuerſ. coniug.* vbi ſic legitur. *Nullus coniugatorum eſt ad ſacros ordines promouendus, niſi de vxore profitente continentiam fuerit abſolutus*, vbi vides in primo non ſufficere licentiam ſine voto continentiæ vxoris permanentis in ſæculo; vides ſecundo ſufficere votum cōtinentiæ, nec à iure diſponi de ingreſſu in Religionem, & quidem æquum hoc eſt, vt non teneatur grauius iugum ſubire Religionis vxor, quæ obligatur ex cauſa alterius, ac ſubeat ipſe maritus promotus, qui obligatur ex cauſa propria.

Non ſufficit, quod vxor liberam det facultatem, ſed vlterius requiritur, quod emittat votum continentiæ.

Dices primo altero coniuge ingrediēte in Religionem de conſenſu alterius, alter ſi fuerit iuuenis tenetur item mutare ſtatum ingrediendo Religionem, vel vouere tantum continentiam, ſi fuerit ſenex, ergo etiam altero promoto ad ſacros ordines de conſenſu vxoris, tenebitur hæc ingredi Religionem, ſi fuerit iuuenis, vel vouere continentiam, ſi fuerit ſenex. Sed contra neganda eſt conſequentia propter diſparitatem rationis, nam dum vir in ſæculo promouetur ad ſacros ordines, tenetur vxori congrua alimenta ſubminiſtrare per textum *in c. omnino diſt 31.*, & errantē poteſt corrigere, cum ſit capax dominij ſuorum bonorum, nec incapax factus ſit volendi, & nolendi, ſicuti contingit in profeſſo in Religionem. Deinde iura loquētia de ingreſſu, & profeſſione alicuius coniugis in Religione expreſsè obligant alterum, ſi fuerit iuuenis ad mutandum ſtatū per profeſſionem in Religionem, per textum *in c. cumſic c. ad Apoſtolicam, & c. vxoratus de conuerſ. coniug.*; loquentia vero de promoto ad ſacros ordines non obligant expreſsè, niſi ad votum continentiæ indefinitè ſine vlla prorſus limitatione, & ſic, cum verſemur in odioſis, non eſt facienda extenſio, vbi non eſt expreſſio.

Iura diuerſimode loquuntur de profeſſo, ac de promoto ad ordines

Dices ſecundo, hanc expreſſionem poni *in c. Epiſcopus diſt. 77.*, vbi ſic legitur. *Sanè ſi coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtrato manſionis cubiculo, Religione promiſſa, poſteaquam pariter conuerſi fuerint, ordinentur.* Sed contrà, quia per hoc non infertur vxoribus onus ingrediendi, & profitendi in Religione; nam, vt benè notat *Gloſa ibid. verbo Religione, & ibi etiam Turrecremata nu. vnico*, per ly Religione promiſſa ſumitur finis pro medio, ſeu effe-

Explicantur iura obuiantia.

Digitized by Google

effectus pro cauſa, & importat idem, ac caſtitatem cum voto, & votum ipſum pertinet ad virtutem quodamodò Religionis.

Dubium remiſſiuè.

Reſpondeo quinto. Si vxor facultatem fecerit marito, vt promoueatur ad ſacros ordines, non tamen alia poſuerit à iure requiſita, hoc eſt non emiſerit votum continentiæ idem dicendum eſt, quod dictum fuit in præcedentibus de profeſſo in Religionem cum conſenſu alterius, qui tamen non emiſit votum continentiæ, ſi fuerit ſenex, vel non ingreſſus fuerit in Religionem, ſi fuerit iuuenis.

8 Vxor, quæ conſenſit promotioni mariti, & vouit caſtitatem mortuo marito nō poteſt ad alias nuptias tranſire.

Reſpondeo ſexto. Vxorem, quæ conſenſum præſtitit marito, vt promoueretur ad ſacros ordines, quæque votum continentiæ emiſit non poſſe marito defuncto ad alias nuptias tranſire. Moueor adhoc reſponſum, non quià me moueat aliqua ratio euincens, ſed propter communem auctoritatem DD. quos refert, & ſequitur *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp 40. nu. 2., & 3.*, & proptèr decretum *Gregorij Pontificis* relatum *in c. quià ſunt diſt. 28*, vbi cum eſſet ſermo de vxore, quæ conſenſum præſtiterat viro, vt ſacros ordines ſuſciperet, quæque poſt ipſius obitum alteri nupſerat, hoc expreſsè ſtatuit. *Si in coniugio Diaconi mulierem, de qua agitur, fuiſſe conſtiterit, ij qui malè ſociati ſunt, disiungantur.* Rationem diuerſimodè apponunt DD. huius reſponſionis, ſed aliam efficacem non inuenio, niſi quià Eccleſiaſtica conſtitutio ob reuerentiam ordinis à viro ex licentia vxoris vouentis caſtitatem eandem reddidit inhabilem ad contrahendum aliud matrimonium.

9 Adhoc, vt maritus poſſit ad Epiſcopatum promoueri vxor debet ingredi, & profiteri Religionē.

Reſpondeo ſeptimo. Adhoc, vt maritus poſſit ad Epiſcopatum promoueri neceſſarium eſt, vt vxor ingrediatur, & profiteatur Religionem *Gloſa in c ſi ſe verbo ſeparentur diſt. 28 Innocentius c cum ſis in fin., & c. coniugatus nu unico de conuerſ. coniug. Hoſtienſis in ſumma eod tit. n. 5 Roſella verb. impedimentum impedim 11. in init. Maior in 4. diſt. 32 q. 2. § pro illa rubrica, Palacios in 4 diſtinct. 27 diſp 2 col. 4. verſ. ſed quid, ſi facta, Azorius lib. 13 inſtit. mor. c. 13 q. 7.* Deſumitur expreſsè *ex c ſanè de conuerſ. coniug.*, vbi ſic legitur *Prohibemus, ne vxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi vxor prius profeſſa continentiam ſacrum ſibi, vel mox imponat, & Religioſam veſtem, & vitam aſſumat*, & hoc quidem congruè inductum eſt proptèr ordinis Epiſcopalis excellentiam, & ne Epiſcopi à fæminis viſitentur. Sed quid dicendum ſit, vt vxoratus poſſit ad Cardinalatus dignitatem promoueri, nonnulli ſtatuunt idem requiri, quod requiritur, vt ad Epiſcopatus apicem promoueatur; ſed congruentius exiſtimo cum *Sanchez d. lib. 7. diſp. 41. n. 4. in fin.* ſufficere, ſi vxor continentiam in ſæculo voueat, cum de hoc nullū ius diſponat, quod requiratur profeſſio in Religione, & iura de vno diſponentia non ſunt extendenda.

10 Vt promoueatur ad Cardinalatum ſufficit votum continentiæ.

---

## §. XI.

### An bigamia inducat irregularitatem, & quomodo.

### *SVMMARIVM.*

*Triplex genus bigamiæ aſſignatur, & proponitur ſtatus diſquiſitionis.* 1.

*Irregularitas ex bigamia non contrahitur ſine matrimonio, ſiuè valido, ſiuè apparenti.* 2.

*Ad irregularitatem ex bigamia requiritur conſummatio vel vtriuſque matrimonij, ſi ſit vera, vel cum vidua, ſi interpretatiua.* 3.

*Per bigamiam veram propriè inducitur irregularitas.* 4

*An contrahatur irregularitas, ſi duo matrimonia fuerint conſummata ante ſusceptionem baptiſmi remiſſiuè* 5.

*Per bigamiam etiam interpretatiuam inducitur irregularitas.* 6.

*Non eximitur ab irregularitate, qui bona fide contraxit matrimonium inualidum, illudque conſummauit, & deindè cognita inualiditate alias nuptias contraxit, & conſummauit.* 7.

*Nec item, qui diſſoluto priori legitimo matrimonio aliud ignarus impedimenti contraxit, & conſummauit.* 8.

*Incurrit irregularitatem, qui contrahit cum corrupta, quam virginem exiſtimabat.* 9.

*Non contrahit, ſi maſculus corruptus contrahat cum virgine, niſi fuerit corruptus ex alio matrimonio.* 10.

*Ducens fœminam corruptam à ſe ſolo defloratam non contrahit irregularitatem.* 11.

*Qui duxit virginem, quæ conſtante matrimonio adulterauit, ſi poſteà eandem cognoſcat etiam præcipiente Eccleſia non eximitur ab irregularitate.* 12.

*Per bigamiam ſimilitudinariam contrahitur irregularitas, ſiuè fuerit commiſſa per conſtitutum in ſacris, ſiuè per ſolemnitèr profeſſum.* 13.

1 Triplex genus bigamiæ aſſignatur, & indè exponitur factū

DISQVISITIO XI. Triplex genus bigamiæ communitèr aſſignant DD., alterum bigamiæ veræ, quæ conſurgit ex duplici matrimonio legitimo, & conſummato; alterum bigamiæ interpretatiuæ, quæ conſurgit quidem ex duplici matrimonio, & quidem vtroque conſummato, ſed vel vtroque inualido, vel altero ſaltem, vel cum quis ducit non virgi-

virginem, vel ſi virginem duxit eam poſt adulterium cognouit. Tertium eſt bigamiæ ſimilitudinariæ, quod tunc eſt, cum quis in ſacris conſtitutus, vel in approbata Religione profeſſus matrimonium init, & conſummat, etiam cum vnica, & virgine. Hic iam quæritur, an ex triplici hac bigamia indefinitè contrahatur irregularitas, quæ indicitur *in cap. debitum de bigamis cap. percipimus diſtinct. 34., & cap fin ead. diſtinct.*

2 Irregularitas ex bigamia non côtrahitur ſine matrimonio ſiue valido, ſiue apparenti.

Pro maiore claritate aduerte primo nunquam bigamiæ irregularitatê contrahi ſine matrimonio vel valido, vel irrito, prout colligi videtur *ex c penult. de bigam.* nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem adæquata ratio, ob quam inducta eſt bigamiæ irregularitas, ea eſt, quia id, quod inſtitutum eſt ad ſignificandam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia declinaret ab illa perfecta ſignificatione, ſed quando nullum eſt contractû matrimonium non eſt illa ordinatio ad ſignificandam illam vnionem indiſſolubilem, quia hæc fundatur in matrimonio, ergo &c.

3 Irregularitas ex bigamia non inducitur ſine conſummatione matrimonij.

Aduerte ſecundo ad contrahendam bigamiæ irregularitatem requiri conſummationem vtriuſque matrimonij, ſi ſit vera, vel cum vidua, ſeu corrupta, vel cum vtroque matrimonio, ſi alterum fuerit validum, alterum irritum, vel vtrumque irritum, ſi bigamia ſit interpretatiua, vel cum virgine, & vnica, ſi fuerit ſimilitudinaria, per profeſſum, vel ſacris initiatum, prout definitur *in d. cap. debitum de bigamia, & cap. fin. diſt. 34.*, & hoc in eadem ratione fundatur, in qua præcedens notabile, quandoquidem non niſi matrimonium conſummatum eſt aptum ſignificare illam perfectam vnionem, & indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, atque in hoc conueniunt *D. Thomas in 4. diſt. 27. quæſt. 3 art. 1. quæſtiuncula prima ad tertium, & ibi Paludanus quæſt. 4. art. 2. nu. 10., & ſeqq. Siluester verb. bigamia ſaltem in princip. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 4. col. 5 Toletus lib. 1. ſumma cap. 26. nu. 5 Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 66 art 3 concl 5.*, Quid autem requiratur ad hoc, vt illa ſit vera conſummatio in omnibus his caſibus dictum fuit ſupra.

4 Per bigamiam verã proprie cô trahitur irregularitas

Reſpondeo primo, per bigamiam verã propriè, & verè contrahi irregularitatem. In hoc conueniunt omnes, nec vllus eſt, quo dubitet, & iura allegata in primo notabili hoc expreſsè euincunt, & ratio, ob quam inducta eſt hæc irregularitas maniſeſtè, & concludenter euincit; ideo enim iura vetant bigamum ad ſacros ordines promoueri, quia cû promoti ſint inſtituti ſacramẽtorû miniſtri maxime decuit, vt in ſe non declinarent à perfecta ſacramentorum ſignificatione; maxime autem declinarent, ſi poſtquam duo matrimonia conſummauerint ſacris ordinibus initiarẽtur; nam ſignificatio alterius non eſt quam perfectæ, & indiſſolubilis vnionis Chriſto cû Eccleſia per carnem aſſumptam, quæ maximè vna eſt, & inuariabilis; quo modo autem poteſt hanc vnicam, & indiſſolubilem vnionem chriſti, cum Eccleſia ſignificare, qui fuit diuiſus in multiplici carne.

5 An contrahatur irregularitas ſi duo matrimonia fuerint conſummata ante ſuſceptionê baptiſmatis remiſſiuè.

Hic oritur difficultas, an ſiquis ante ſuſceptum baptiſmum duplex matrimoniû conſummaſſet, vel vnum ante baptiſmû, alterum poſt eundem, vel vnicam fœminam viduam, & corruptam ſibi in matrimonium copulaſſet, illudque cum illa conſummaſſet, contraxiſſet irregularitatem, ratione cuius non poſſet ad ſacros ordines promoueri. In hac difficultate diuiſos inuenio nonnullos ex SS. PP., & præcipuè D. Hieronymum à D. Ambroſio, & D. Auguſtino, dum ille *Epiſt. 83. ad Oceanum, & in Epiſt. D. Pauli primæ ad Thimot. 3. & in Epiſt. ad Titum* abſolutè ſuſtinet nullam in prædictis caſibus contrahi irregularitatem; tum quia actiones ad baptiſmum præcedentes in ordine ad futura onera non computantur, cû per baptiſmum côſtituatur baptizatus nouus homo; tum quia irregularitas inducta eſt dumtaxat per ius Eccleſiaſticum, quod nô afficit infideles ante baptiſmum; tum quia illa matrimonia ante baptiſmum conſummatum nô ſunt ordinata ad ſignificandam illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia. Atque D. Hieronimo adhærent *Gloſa ordinaria, & Lira 1. ad Thimoth. 3. Maior. in 4. diſt. 27. quæſt. 6. dub. vlt. Almainus in 4 diſt. 26. quæſt 1.* E contra vero *D. Auguſtinus in Epiſt. ad Titum, & de bono coniug. cap. 18., & D. Ambroſius lib. 1. de officijs cap. vlt.*, ſuſtinent poſt baptiſmum ex illis præcedentibus conſummationibus conſurgere irregularitatem, ratione cuius non poſſit ad ſacros ordines promoueri; tum quia illa irregularitas non eſt inducta in pœnam delicti, quæ debeat euacuari per baptiſmum; tum quia non obſtante, quod illa conſummatio præceſſerit baptiſmum, tollit tamen adhuc perfectam illam ſignificationem vnionis indiſſolubilis Chriſti cum vna Eccleſia; tum quia licet illa irregularitas ſit inducta per ius dumtaxat Eccleſiaſticum, quia tamen fundatur in illa ineptitudine ad ſignificandam illam perfectam vnionem, licet ante baptiſmum illam non inducat, inducit tamen poſt eundem baptiſmum. Quid igitur in hac controuerſia concludendum? Veneror horum magnorum, & SS. virorum auctoritatem, nec auſim rem inter ipſos decidere.

6 Per bigamiam interpretatiuam etiam inducitur irregularitas.

Reſpondeo ſecundo, per bigamiam etiã interpretatiuam regularitèr inducitur irregularitas; Vt clarius autem hac in re pro-

procedamus aduerte per DD. communiter aſſignari quatuor bigamiæ interpretatiuæ modos. Primus eſt, quando quis vnit duo matrimonia, alterum validum, alterum irritum, & vtrumque conſummat. Hunc modum inducere irregularitatem docent ex Theologis *Riccardus in 4. diſt. 27. art. 4. quæſt. 3. ad primum D. Antoninus 3 part. tit. 28 cap. 3. Toletus lib. 1. ſumma cap. 26. nu. 4. Bellarminus lib. primo de clericis cap. 24. col. penult. in 2. ſpecie Valentia 4. part. diſp. 7. quæſt. 19. punct. 3. in prima ſpecie irregularitatis, Ludouicus Lopez 2. part. inſtructor vbi de irregular cap. 22 in 1. ſpecie irregularitatis* ex iuris peritis *Goffredus in ſumma tit. de bigamis num. 1. Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 6. tit. 7. art. vnico quæſtiuncula 2. Angelus verb. bigamia num. 7. Nauarrus in ſumma cap. 27. num.* 195. Secundus eſt, quandoquis init duo matrimonia, ſed vtraque inualida, vtraque tamen conſummat; atque hunc modum inducere irregularitatem docent ex Theologis *D. Thomas in 4. diſt. 27. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula prima in corpore,* & omnes fere DD. præallegati pro primo modo, vlterius ex iuris peritis *Gloſa in cap 2. de bigamis verb. in bigamis, Speculator tit. de diſpenſat. §. iuxta nu. 5. Verſ. & ſcias, Goffredus in ſumma tit. de bigamis nu. 1. Archidiaconus c. vnico n. 1. de bigamis in 6.* Tertius eſt, quandoquis ducit viduam à priori viro carnaliter cognitam, vel per fornicationem ab altero violatam, & cum ea conſummat matrimonium. Hunc modum inducere irregularitatem habetur *in c. 1. & c debitum de bigamis, & c. vnico de cleric. coniug. in 6. & c. curandam diſt. 34. & c. præcipimus ead. diſt.* & in hoc conueniunt omnes DD. Quartus, quãdoquis duxit virginem, ſed poſtquam eandem cognouit adulterium commiſiſſe, eam iterum cognouit, atque hunc modum inducere irregularitatem habetur *in c. ſi cuius diſt. 34.* & docent *Riccardus in 4 diſt. 27. art. 4. q. 1. in corpore, & ibi Paludanus q. 4. art 2. n. 11 Abulenſis c. 19. Matthæi q 72. ad 2. Phyliarchus de offic ſacerdot tom. 1 part. 1, lib. 4. c. 7. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 6. n. 12.* & ex iuriſperitis *Goffredus in ſumma tit. de bigamis n. 8. & ibi Hoſtienſis n. 3. Ioannes Andreas c 2. n. 7. eod. tit Abbas c. ſi vir n. 2. de adulter. & ibi Anton. n. 2. Albericus in ſuo dictionario lit. B. verb bigamia.*

Aſſignãtur quatuor modi bigamiæ interpretatiuæ.

Ratio in vniuerſum noſtræ reſponſionis ex eo deducitur, quia hæc irregularitas bigamiæ, quæ dicitur *ex defectu* inducta eſt propter negationem perfectæ ſignificationis indiſſolubilis vnionis Chriſti cum vna Eccleſia, & vtique intacta, quæ negatio non ſolum attenditur ſecundum quod ſemper in iure ſubſiſtant duo matrimonia, quę per eundem conſummentur, ſed ſecundũ quod ex parte ſuæ voluntatis, & ex proprio affectu in plures ex iuris interpretatione diuidat ſuam carnem, ſed hæc negatio ſecundum iuris interpretationem conſurgit ex quocunque ex quatuor allegatis modis bigamiæ interpretatiuæ, ergo &c. Minor quoad primam partem, probatur, quia quandoquis conſummat duo matrimonia, alterum de iure, alterum de facto, quantum eſt ex propriæ voluntatis arbitrio in duplici matrimonio diuidit ſuã carnem, quia quantum eſt ex ſe duo matrimonia contraxit, & factus eſt cum duabus in vna carne partim vni, & partim alteri communicando; quoad ſecundam etiam eadem ratione euincitur, quia quãtum eſt ex ſe contraxit duo matrimonia, & vtraque conſummando carnem ſuam diuiſit in eas, cum quibus conſummauit. Quoad tertiam ſic euincitur, quia nubendo, & conſummando cum corrupta vtiq; communicat cum vna, quæ diuiſa eſt in plures carnes; ſicque illud matrimonium non poteſt eſſe repreſentatiuum vnionis indiſſolubilis Chriſti cum vna Eccleſia, & vtique intacta; quoad quartam eodem fere argumento deducitur, quo deducta eſt tertia pars. His ſic in vniuerſum ſtatutis.

Sic cõſummando declinat ad perfecta ſignificatione vnionis Chriſti cũ Eccleſia.

Circa primam, & ſecundam partem nonnullæ oriuntur difficultates. Prima eſt, an incurrat hanc irregularitatem, quãdoquis bona fide contraxit vnum matrimonium, illudque conſummauit, & poſtea cognita nullitate eiuſdem ad aliud tranſiuit, illudque conſummauit? Secunda, an incurrat hanc irregularitatem, quãdoquis diſſoluto priori matrimonio legitimo ignorans impedimentum aliud contrahit?

Dubia excitata.

Ad primam reſpondeo non eximi ab irregularitate, prout docet *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 84. n. 5.* & ratio facile ex eo deducitur, quia quantum eſt ex parte contrahentis per propriam voluntatem duplex matrimonium cõtraxit, & in duabus per conſummationem carnem diuiſit, quod officit illi ſignificationi, de qua ſuprà; nec obeſſe poteſt primo, ſi aſſeratur, quod iterationi baptiſmi ex diſpoſitione iuris annexa ſit irregularitas, & tamen ſi iteretur ex eo, quod prior baptiſmus fuerit irritus, non contrahatur hæc irregularitas, adeoque &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex diſpoſitione iuris non eſt inflicta irregularitas ob iterationem baptiſmi irriti, ſed dumtaxat validi, quinimmo eſt præceptum iterationis, quando matrimonium eſt inualidum, ex diſpoſitione autem iuris appoſita eſt irregularitas, quando ex diuiſione carnis tollitur illa rapræſẽtatio vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia, potiſſimum cum hæc neceſſaria non ſit ex aliquo præcepto, ſed ex mero arbitrio cõtrahentis. Nec obeſſe poteſt ſecundo, ſi aſſeratur, quod matrimonium nullum

7

Fit irregularis, qui bona fide nuptias inualidas cõſũmauit, & alias poſtea contraxit, & conſummauit.

Facta eſt diuiſio carnis.

perin-

perinde ſit, ac ſi non eſſet matrimonium, adeoque ſicuti non contrahit irregularitatem, qui fornicationem committit extra matrimonium, ita nec eandem contrahat, qui in matrimonio nullo carnaliter commiſcetur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia extra matrimonium non eſt aliquid, quod vel ex natura ſua, vel ex voluntate fornicantis ordinetur ad illam repræſentationem; in matrimonio autem quantumuis nullo adeſt, quod ad illam ordinetur non ex natura ſua, ſed ex affectu contrahentis.

8 **Non eximitur ab irregularitate, qui diſſoluto matrimonio ignarus impedimenti aliud contraxit, & conſummauit.**

Ad ſecundam aſſero, quod nec eximatur à tali irregularitate, qui diſſoluto priori matrimonio legitimo ignarus impedimenti contrahit aliud matrimonium, illudque conſummat. *Ioannes Andreas c. vnico nu.1. ſuper gloſa 3. de bigamis in 6. & ibi Ancharanus n.5. Antoninus c. nuper nu. 8. eod. tit. Angelus verb. bigamia n.9., & ibi Silueſter q. 7.* Ratio ex eo deducitur, quia etiam in hac hypotheſi interueniunt omnia, quæ requiruntur ad inducendam hãc irregularitatem, nempe diuiſio carnis in plures, & affectus talis diuiſionis in contrahente, & quamuis talis diuiſio non ſit culpabilis, in hoc tamen non deſideratur culpa, cum iura non reſpiciant affectũ delinquendi, ſed duplicis matrimonij conſecuti de facto, & conſummati; Ex quibus eludere poteris argumenta, ſi quæ afferantur, quæ vt plurimum procedunt ſub falſa ſuppoſitione, quod huiuſmodi irregularitas ſit inducta in pœnam delicti, quod falſum eſt.

**Dubia excitata circa tertiam ſpeciem bigamiæ interpretatiuæ.**

Quoad tertiam partem etiam nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, & prima, an eximatur ab irregularitate, qui contrahit cum corrupta, quam virginem exiſtimauit? Secunda, an corruptus contrahens cum virgine eandem incurrat. Tertia, an ducens fœminam à ſe ſolo defloratam incurrat irregularitatem?

9 **Contrahit irregularitatem, qui nubit corruptæ exiſtimans virginem.**

Ad primam reſpondeo, vtique irregularitatem incurrere, quia re vera illud matrimonium aptum non eſt ad ſignificandã illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cũ Eccleſia vna, eãque intacta, & defectus cognitionis violationis vxoris eximit quidem eundẽ à culpa, ſi quæ eſſet, nõ tamen à diſpoſitis quoad irregularitatem, nam reuera verificatur, quod illa fuerit corrupta, & diuiſa in plures carnes.

**Non contrahit irregularitatẽ corruptus, ſi contrahat cum virgine, niſi fuerit corruptus ex alio matrimonio.**

Ad ſecundam aſſero, non contrahere hanc irregularitatem, niſi fuerit corruptus in alio matrimonio. Communiter conueniunt in hac reſponſione, ſed valdè diſconueniunt in probatione, præcipuè in aſſignando, cur fœmina corrupta in eodẽ matrimonio inducat irregularitatem reſpectu viri cum eadem contrahentis, & vir corruptus in eodem matrimonio cum fœmina virgine eandem non contrahat. Placet præ cæteris ratio, quam aſſignat D. Thomas, quia actiones ſpecificantur à terminis, non à Quibus, ſed ad Quos feruntur, vt latè nos etiam probauimus in Phyſicis; cum igitur conſenſus mariti, eiuſque actio feratur in coniugem, ſequitur, quod, ſi illa fuerit corrupta, afficiat ſpecificè cõtractum; quod ſi inferas, quod hac ratione, quando conſenſus vxoris fertur in maritum corruptum, feratur in obiectum, ſeu terminum vitiatum, adeoque quod inducat irregularitatem, ſtatim impugnaberis, quia cum effectus irregularitatis inducatur in eum, qui mouetur ad talem terminum, & ille ſit incapax huius effectus, nempe fœmina, in hoc caſu defectu ſubiecti capacis non inducitur irregularitas. Huic rationi non acquieſcit *Bellarminus lib. 1. de Cleric. c.24. ad fin*, ſed aſſerit non in ordine ad terminum ad Quem, ſed à Quo deſumi hãc qualitatem irregularitatis, vt videre eſt quando quis contrahit duo matrimonia cum duabus virginibus, in quarum neutra eſt vitium præcedentis corruptionis, ſed tantum in viro eaſdem cognoſcente, & tamen in eodem cõſurgit effectus irregularitatis; ex quibus infert, quod quando quis ducit corruptam non contrahat irregularitatem ex bigamia, ſed præcisè ex diſpoſitione Eccleſiæ ſic determinantis. Sed facile poſſumus ſuſtinentes rationem D. Thomæ mox allegatam occurrere obiecto Bellarmini aſſerentes, quod quantumuis neutra ex præfatis fœminis ſit vitiata, terminus tamẽ formalis, ad quem, ſit vtriuſque corruptio, in quam voluntas maſculi in vtroque matrimonio tetendit.

Ad tertiam, probabilius aſſero, non cõtrahere irregularitatem, quia per illam præcedentem violationem factam ab eodem reſpectu neutrius facta eſt diuiſio carnis, ſicque illud matrimonium aptum eſt ſignificare illam vnionem Chriſti cum Eccleſia. *D. Thomas in 4. diſt. 27. q 3. art. 1. quæſtiuncula 3. ad 2., & ibi Paludanus qu. 4. art. 2. n. 10. D. Antoninus 3. pars tit. 18. ca. 3. Petrus de Soto lect. 28. de matrim. pag. 4. verſ. hac igitur in fin. Toletus lib. 1. ſumma c. 26. n. 5. Valentia 4. part. diſp. 7. q. 18. punct. 3. in ſpecie prima irregularitatis col. 1.* & ex iuriſperitis *Gloſa in c. debitum in fine de bigamis, & c. qualis verb. deſponſata 30 q. 5. & c. vnico verb. contraxerunt de Cleric. coniug. in 6. &* ibi *Francus n. 2 & Dominicus in princip. n. 6. Albericus in ſuo dictionario lit. B. verb. bigamia, Albertus Trottus lib. 2. de vero, & perfecto Cleric. c. 11. nu. 3. Farinacius in ſua practica tit. de inquiſitione q. 8. nu. 8.* Varia obiecta aduerſus hanc reſponſionem nonnulli afferunt, & primo textum *in c. qualis 30. q. 5.* vbi præſcribitur, quod ad hoc, vt vir non contrahat irregularitatem bigamiæ, debeat eſſe contractus cum virgine caſta, & deſponſata in virginitate. Secundo *c. vnicum de clericis coniugatis in 6.*

11 **Ducens fœminam à ſe ſolo defloratã non contrahit irregularitatẽ**

vbi dicitur, quod ſolummodò promouendi ſint ad ſacros ordines, qui cum vnicis,&virginibus contraxerint. Tertiò, quià huiuſmodi nuptiæ cum fæmina deflorata ab eodem conjuge antecedentèr ad matrimonium non poſſunt eſſe aptæ ad rapreſentandam vnionem Chriſti cum Eccleſia, cum re vera interueniat corruptio. Sed facilè poſſunt hæc omnia eludi, ſi dicamus virginitatem intantum requiri, in quantum vxor non poteſt eſſe diuiſa, nec debet eſſe talis in plures carnes; ex eo autem, quod ab eodem fuerit cognita non eſt in plures diuiſa.

Dubium nouum excitatum.

Circa quartam partem inſurgit etiam dubium, an ſi maritus, qui duxit virginem, quæ poſteà conſtante matrimonio adulterauit, eandem poſt adulterium carnalitèr cognoſcat compellēte Eccleſia per cenſuras, eo quod plenè adulterium non fuerit probatum, incurrat hanc irregularitatem, an verò ab eadem eximatur? Contendunt aliqui, vtique eandem non incurrere, tùm quià ad reddendum tunc tenetur ex præcepto Eccleſiæ; & ſicut eandem non incurrit, qui iterat baptiſmum inualidum, quià adhoc tenetur ex præcepto Eccleſiæ ità &c.; tùm quià ex eodem actu mereretur, & demereretùr; mereretur, quià adimpleret præceptum Eccleſiæ, demereretur, quià incurreret hanc irregularitatem. Nihilominus probabilius eſt, quod verè incurrat *D. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 3. ad quartum, Abulenſis cap 19. in Matthæum q. 27. ad quartum, D. Antoninus 3. part. tit. 28. c. 3. Sotus in 4. diſt 27. q 3. art 1. col. penult. concl. 7 Gloſ. c. 51 cuius in fin. diſt. 34. Hoſtienſis cap inquiſitione ſtatim in princip. de ſent. excommunicationis, Henricus c. 1. n 18. de bigamis, & c ſignificaſti n. 10. de diuort. Roſella verb. bigamia n. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià hic non agitur de excluſione ad ordines ob delictū, ad quem requiritur libera voluntas delinquentis, ſed ob ſignificationis defectum, ad quam ſicuti ex præcedentibus non requiritur ſcientia, ita nec requiritur plena libertas, cum ſtante tali diuiſione carnis ſemper verificetur, quod non valeat ſignificare illam vnionem Chriſti cum vnica Eccleſia, & vtique intacta. Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt eas procedere, quandò effectus aliquis inducitur in vim punitionis, & pænæ, ſic quandò conſurgit ex aliquo defectu ſine culpa operantis, vt in præſenti hypotheſi; vndè ad illud, quod ſubditur, de iteratione baptiſmi inualidi dico diſparem eſſe rationem, quià cum illa ſit neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, & à Deo ordinata, Deus aufert quemcunque effectum, & ſignificationem ab illo præcedenti baptiſmate inualido, vndè perindè eſt, ac ſi non

12
Qui poſt adulteriū propriæ vxoris eandem iterū cognouit non eximitur ab irregularitate.

fuerit poſitus; cum autem illa noua carnalis cognitio poſt adulterium ſit ſolummodò ordinata ex præcepto Eccleſiaſtico, & non neceſſaria, vt medium ad ſalutem, non aufert &c.

13
Per bigamiam ſimilitudinariā etiam contrahitur irregularitas

Reſpondeo tertio, per bigamiam ſimilitudinariam etiam regularitèr incurritur irregularitas, ſiuè commiſſam per conſtitutum in ſacris, ſiuè per ſolemnitèr profeſſum in Religione approbata, hocque ſiuè conſtitutus in ſacris, & profeſſus ducat viduam, ſiuè virginem; cum hoc tamen diſcrimine, quod quandò ducit viduam, ſeù corruptam contrahit ex defectu ſignificationis, quandò verò ducit virginem ex delicto.

Sacris initiatus hanc contrahit.

Per partes procedendo huius reſponſionis ſingulas expendo, & primo, quod ſacris initiatus ducendo viduam contrahat irregularitatem expreſsè deducitur *ex c. fin. de bigamis*, & in fortioribus terminis conſtat ex ſupradictis; ſi enim abſolutè contrahit hanc irregularitatem, qui ducit viduam, cur non debet contrahere eandem ducens ſacris initiatus, vel profeſſus in Religione approbata?

Etiam, ſi ducat virginem.

Secundò, quod eandem contrahat ducens virginem colligitur *ex cap. 1. qui cleric, vel vouentes*, vbi dicitur, quod Diaconus, qui vxorem duxerat poſt peractam penitentiam poſſit ab Epiſcopo diſpenſari, vt officium Diaconi exerceat; ſi enim, indiget diſpenſatione, ergò irregularitatem contraxit. Item *ex c. 2. eod. tit. Qui cleric. vel vouentes*, vbi de ſubdiacono dicitur, qui matrimonium inierat, quod, ſi velit tranſire ad Religionem, Epiſcopus permittat ad maiores ordines promoueri; ſin minus, eum expellat à ſuperioribus ordinibus, nec permittat in ordine ſubdiaconatus miniſtrare, ergò, quià irregularitatem incurrit; Ratio autem ex eo deſumitur, quià cum matrimonium ſpirituale cum Chriſto contraxerit, vel per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, vel per profeſſionem in Religionem ad aliud carnale tranſeundo, quantum eſt ex ſe, ipſam diuidit, atque veram bigamiam imitatur, ſic docēt *Gloſa fin c. cum ſacerdotes de clericis coniug. Abbas c 2. no. final. qui Cleric. vel vouentes, Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 6. tit. 7. art. vnico quæſtiuncula 2. Valentia 4. part. diſp. 7. q. 19. punct 3 in prima irregularitatis, Toletus lib. 1. ſumma c. 26. n. 7.*

Siuè fuerit profeſſus in Religione.

Tertio, quod eandem contrahat, ſiuè ille, qui ducit vxorem etiam virginem ſit in ſacris conſtitutus, ſiuè profeſſus in Religione ex eo deducitur, quià eſt par omninò ratio de vtroque, quià ratione voti caſtitatis annexi, tàm ſacris ordinibus, tàm profeſſioni vterque contraxit cum Chriſto ſpirituale matrimonium, & quidem quoad profeſſum, de quo aliqui du-

bitant

bitant habetur *ex c. quot quot 27.q.2* ,vbi ſic legitur. *Quot quot virginitatem pollicitam præuaricata ſunt profeſſione contempta inter bigamos, ideſt qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, haberi debebunt*, & quamvis hic textus loquatur ſolummodò de fæminis non eſt, cur non debeat procedere etiam de maſculis, cum in eiſdem ſit par, quinimmò fortior ratio; atque ita ſentiunt *Valentia 4.part.diſp.7.q 19.puncto 3.in prima ſpecie irregularitatis, Riccardus in 4. diſt.27. art.4. q.1. in corpore, Couarruuias clement., ſi furioſus de homicidio 1. part. §.2.nu.2. verſ. 3. Paludanus in 4. diſt. 37. q. 1. art.2. nu. 12. Speculator tit. de diſpenſat. §. iuxtà nu. 6. verſ., & ſcias Nauarrus lib. 1. conſil. tit. de bigamis in vtraque edit. conſil.1. n.6.*

Ducens virginem contrahit ex delicto.

Tandem, quod contrahat propriè irregularitatem bigamiæ, quandò ducit viduam, quandò verò ducit virginem nonniſi ex delicto facilè ex eo deducitur, quià in prima hypotheſi non poteſt haberi illa ſignificatio vnionis Chriſti cum Eccleſia; in ſecunda verò illa ſignificatio non deſtruitur; & textus adducti *in d. cap. 1. Qui clerici, & vouentes, & c. 2.eod. tit.* aſſerunt quidem ſic promotum nubentem cum virgine eſse irregularem, non tamen aſſerunt eſse bigamum.

## §. XII.

### An bigamiæ irregularitas tollatur per baptiſmum, & profeſſionem.

*SVMMARIVM.*

*Facti ſeries expoſita.* 1.
*An tollatur per baptiſmum remiſſiuè.* 2.
*Per profeſſionem in Religione non tollitur.* 3.
*Præbet tamen cauſam facilioris diſpenſationis.* 4.

1 Facti ſeries expoſita.

DISQVISITIO XII. Factus eſt Antonius Bigamus, vel quià duplex contraxit de iure, vel alterum de iure, alterum de facto, vel quià duxit corruptam, vel ſi Virginem eam poſt adulterium carnaliter cognouit, & hoc quidem, vel ante baptiſmum, vel ſi poſt baptiſmum ante profeſſionem emiſſam in legitima Religione. Poſteà baptizatus eſt, vel in Religione profeſſus. Quæſitum hic fuit, an per baptiſmum ſubſequentem tollatur irregularitas, & an per profeſſionem.

2 Per baptiſmum, in tollatur remiſſiuè.

Reſpondeo quoad primum quæſitum controuerſiam maximam eſſe, prout ſupra innuebamus inter D. Auguſtinum, & D. Ambroſium ex vna parte, & inter D. Hieronymum ex alia, inter quos nolo falcem imponere, cum vtriuſque venerer auctoritatem, & doctrinam. Diuo tamen Auguſtino, & D. Ambroſio videtur fauere *textus in c. ſi quis viduam el 1. diſt.34.*, vbi ſic legitur. *Si quis viduam licet laicus duxerit vxorem, ſiuè ante baptiſmum, ſiuè poſt baptiſmum non admittatur ad clerum; quià eodem vitio videtur excluſus; in baptiſmo etenim crimina dimittuntur, nō accepta vxoris conſortium relaxatur.* Hic autem textus eſt *Innocentij Papa epiſt.2. c.5., & epiſtola 22. c. 2.*

3 Per profeſſionem in Religione non tollitur.

Reſpondeo ſecundo, probabilius eſſe per profeſſionem in Religione approbata non tolli bigamiæ irregularitatem, illam tamen præbere cauſam facilioris diſpenſationis. *Abbas c. 2. in fine de Apoſtatis. Socinus c. ad audientiam col. vlt. de homicid. Silueſter verb. irregularitas q. fin. Sotus in 4. diſt. 25. q. 1. art. 3. col. 2. Flamin. de reſignat. benefic. lib. 5. q. 3. n. 194. Henriquez lib. 14. de irregul. c. 8. n. 10.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod dicitur *in d. c. ſi quis viduam el primo diſt. 34.*, vbi, ſi hoc verificatur ratione baptiſmi, non video, cur verificari non debeat ratione profeſſionis? Et quamvis proptèr auctoritatem D. Hieronymi non verificaretur ratione baptiſmi, non eſſet, cur verificari non deberet ratione profeſſionis, cum priuilegia ratione baptiſmatis non extendantur reſpectu profeſſionis, niſi expreſſa fiat mentio in iure. Deindè per profeſſionem in Religione non tollitur, niſi irregularitas reſpectu natalium, vt colligitur *ex cap. 1. de filijs præsbyter.*, vbi eſt ſpeciale decretum quoad defectum talium natalium, quod propterea non eſt extendendum ad alia, cum priuilegium ſit ſtricti iuris. Tandem, quià nullum eſt aſſignabile ius, per quod diſſoluatur tale vinculum irregularitatis in profeſſione Religioſa.

4 Præbet tamen cauſam facilioris diſpenſationis.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià profeſſio Religioſa eſt maximè fauorabilis, & in pluribus à iure priuilegiata; & maximè æquum eſt, vt qui iam quodammodò eſt ſacris addictus à ſacrorum miniſterio, ſemper impeditus remaneat, vndè aliqui voluerunt, intèr quos *Sotus in 4.diſt.25. q.1. art. 3. col.2.*, vſum obtinuiſſe, vt abſque alio profeſſus in Religione excepta bigamia, & homicidio voluntario promoueri poſſit ad ſacros ordines, quod non auſim dicere, cum non conſtet de tali vſu. Magis fauet huic noſtro aſſerto id, quod habetur *in c. 2. Qui clerici, vel vouentes* de ſubdiacono, vbi aſſeritur, quod, ſi tranſeat ad Religionem, Epiſcopus ei concedat aſſenſum ad ordines ſuperiores, quod, ſi tranſire nolit, minimè permittat eum in ſubdiaconatu miniſtrare; ex quo infero primo cauſam profeſſionis in Religione plurimum conferre ad promotionem ad ſacros ordines; ſecundo, quod ſi profeſſio efficit, vt qui iam ſubdiaconus



Digitized by Google

contraxerat matrimonium poſſit per Epiſcopum diſpenſari, vt ad maiores promoueatur, non promoueatur autem, ſi nolit ad profeſſionem tranſire, vtique eadem profeſſio efficiat, vt bigamus in quocunque bigamiæ genere congruè poſſit diſpenſare, & ex vi profeſſionis facilius ſit diſpenſandus.

---

## §. XIII.

### An impotentia, quæ non eſt naturalis, nec extitit in primo matrimonio præſumatur præceſſiſſe in ſecundo in quo nulla fuit proles?

*SVMMARIVM.*

*Caſus propoſitus cum omnibus ſuis, circumſtantijs.* 1.
*Sententia Caramuelis contendentis pro inualiditate.* 2.
*Illud matrimonium fuit abſolutè validum.* 3.
*Soluuntur rationes Caramuelis.* 4.

1 DISQVISITIO XIII. Aurelius contraxit matrimonium cum Camilla, quæ prius nupſerat Caio, à quo vberem prolem ſuſceperat. Cum eadem Camilla per annos viginti, & vltra Aurelius perſeuerauit, & cum eadem carnalitèr ſe commiſcuit nulla inde prole ſubſecuta. Circa vltimos annos cohabitationis Aurelius cœpit reclamare, indiƐtoque medicorum iudicio ab altero eorum teſtimonialem impetrauit in hanc formam *ConieƐtabatur materiam, quæ tendebat ad cutim raptum habuiſſe ob innouatum vſum venereum ad partes genitales eo, quod vna cum vrina excernebat materiam veluti ſeminalem, & fere putridam ſemper cum doloribus immenſis*; ab altero vero alteram ſequentis tenoris. *Adde, quod haƐtenus, aut ſane diſſimilibus ægritudinibus ab exceſſu caloris prouenientibus idem coniux, ex quo eiuſdem curationem ſuſcepi, diuexatus fuit, nempe acribus diſtillationibus, febribus putridis & Gonnorrhæa, quæ omnia caloris ſupradiƐti exceſſum ratione congreſſuum cum præfata coniuge comprobabant.* Ex his in iudicio coram Iudice Eccleſiaſtico contendebat comprobare impotentiã coniugis, cum qua contraxerat, tum ratione nimij caloris in eadem exiſtentis, tum ratione, quod illa verum ſemen non emittebat, tum ratione periculi, cui ſe exponebat Aurelius, cum illa congrediendo, & ratione eiuſdem nonniſi, cum peccato læthali. Quæritur iam, quid iuris? & an illud matrimonium tenuerit.

*Caſus propoſitus cũ omnibus ſuis circũſtantijs.*

Caramuel in quadam ſua allegatione hac de re edita reſol. 7. caſ. 2., per totum pluribus pro ſe citatis viſus eſt ſuſtinuiſſe illud matrimonium fuiſſe inualidum; eo quia matrimonium non poteſt ſubſiſtere, cuius vſus non poteſt eſſe niſi læthalitèr peccaminoſus; cum igitur ratione illius manifeſti periculi Aurelij congredientis vſus ſemper ſit illicitus ſemper matrimonium ſupponendum erit inualidum. 2

*Sententia Caramuelis cũ ſuis fundamentis.*

In hac faƐti ſerie interrogatus, tunc quid ſentirem abſolute reſpondi matrimonium illud fuiſſe validum, nec liberum fuiſſe Aurelio ab illo recedẽdo tranſire ad alias nuptias, & nũc etiam in eodem voto perſiſto. Pro quo conſiderabam primo præſumptionem non eſſe, quod impotentia, ſi quæ aderat, præceſſerit ad tempus, quo Aurelius nupſit cum eadem Camilla Vidua, ſed ad idem ſubſecuta fuerit; non enim talis impotentia naturalis eſt, quandoquidem non fuit perpetua, & quæ naturalia ſunt ſemper ineſſe præſumuntur *Menochius lib. primo de præſumpt. 14. nu. 3.* impotentia autem, quæ naturalis non eſt, ſed accidentalis in dubio non præſumitur præceſſiſſe, adeoque pro valore matrimonij ſentiendum eſt *Gloſa in ſumma 33. quæſt. 3. verb., quod autem in fin. Gofredus in ſumma tit de frig. & maleſic nu 8., Monaldus in ſumma traƐt. de matrimon. tit. de impotentia accidentali ſtatim in princip. Roman. Rubric. ff. ſol. matrimon. nu. 12. verſ. limita illud*: nec incongrua ſane ratione, cum enim natura Camillam potentem produxerit, vt proles ſuſcepta, & adhuc viuens ex primo matrimonio proclamabat Aurelio aſſerenti ipſam impotentem fuiſſe antecedenter ad matrimonium initum incumbit onus probandi, vtpote cui aduerſatur præſumptio à natura ipſa deſcendens *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 103. nu. 5., & latè lib. 1. diſp. 8. nu 17.* Cum autem Aurelius non probarit impotentiam illam, ſi quæ aderat, præceſſiſſe, cum probationes, quæ ex medicorum fide adduƐtæ fuerunt, reſpiciant non tempus initi matrimonij, ſed annos longe poſteriores ad idem tempus, ante quos pacificè pluſquam per decennium perſeuerauit in matrimonio, & aƐtus coniugales exercuit, vt ex ipſius confeſſione, & faƐti ſeriè ſingularum, iure præſumendum eſt eo antecedenti tempore non fuiſſe impotentiam, ſed præſũptio militabit pro naturali qualitate, quæ eſt potentia coeundi. 3

*Illud matrimonium fuit abſolutè validum*

*Illa impotentia non fuit naturalis, nec præſumitur talis, cum aduenerit.*

Conſiderabam vlterius aliam fortiorem præſumptionem in textu *c. licet ex quadã de teſtibus, & atteſt. in fin.* vbi habetur, quod non habita ſufficienti impotentiæ probatione, quæ matrimonium præcederet, ipsũ matrimonium iure diuino firmatum ex dubijs hominum teſtimonijs non ſit infirmandum: Ibi *Tolerabilius eſt aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam coniunƐtos legitimè contra ſtatuta Domini ſeparare.*

*Alia efficax præſumptio pro impotentia ſubſequenti.*

*parare*.

Conſiderabam vlterius, quod cum Aurelius diu perſeuerauerit in votis cum Camilla ante proclamationem de impotentia eiuſdem, & quidem diuturniori tempore, quam interceſſerit inter diſſolutionem prioris matrimonij ab obitum Caij prioris mariti eiuſdem Camillæ, ex quo prolem ſuſcepit, & celebrationem matrimonij ſecum initi potior præſumptio ſit, quod impotentia euenerit pro diuturniori illo tempore, pro quo ſecum habitauit, quam pro modico illo tempore, quo in ſtatu viduitatis permanſit. Certè *Sanchez d. lib. 7. de matrimon. diſp. 103. nu. 6.* limitat à nobis hucuſque aſſerta in caſu, quo breue tempus à matrimonio contracto vſque ad eius conſummationis intentionem tranſijſſet; non enim rationabilis præſumptio eſt, quod pro tam modico tempore impotentia ſuperuenerit, ergo ſi diuturnum tempus interceſſit, quale extenditur pluſquam ad decennium, firma erit præſumptio, quod intra illud tempus euenerit.

Perſeuerātia diutina ſine proclamatione

Quibus conſideratis inferebam validū fuiſſe illud matrimonium, nec diſſolubile quoad vinculum coniugale; ex impotentia etenim ſuperueniente matrimonium legitimum non diſſoluitur; maxime cum in hac hypotheſi ſupponatur conſummatum, vt ex ipſius Aurelij confeſſione, & ex mediocrum atteſtationibus, cum aſſerant ex congreſſu cum eadem Camilla graues diſtillationes contraxiſſe.

Ad rationem, quæ ex Caramuele aſſerebatur, dicendum eſt eas non ſubſiſtere, quandoquidem etiam ipſe fatetur validū eſſe matrimonium cōtractum inter duos obſtrictos voto ſimplicis caſtitatis, & tam vſus reſpectu vtriuſque ratione voti ſemper eſſet peccaminoſus. Deinde peto ab eodem Caramuele, an ſi Aurelius contracto legitimè matrimonio ignorans periculum vitæ commiſceretur cum Camilla ſic laborante, cuius vas penetraret, & ſemen intra illud emitteret, validè conſummaret, & contractus eſſet validus? Certè ratione peccati in vſu non inualidaretur, cum ibi nullum eſſet peccatum, & vſus ad conſummationem requiſitus eſſet completus. Quo poſito peto, An Aurelius ante conſummationem fuerit præmonitus? Certè quod non. Hoc fides medicorum exhibitæ euincunt, qui atteſtantur ex præcedentibus commixtionibus contraxiſſe diſtillationes, ergo fuit conſummatum per præcedentes concubitus ſine peccato, & per veram, & naturalem corporum commixtionem, ergo ex hoc capite non euincitur inualidum; matrimonium enim ſemel validè, & licitè conſummatum eſt ex natura ſua quoad vinculum inſolubile. Atque hæc quoad contractum matrimonij, eiuſque impedimenta dicta ſufficiant. Vtinam matrimonium cum Deo per gratiam inſolubile contrahamus, quod nulla noxa diſſoluatur, ſed firmiori nexu per gloriam perficiatur in cælis.

4 Soluuntur rationes Caramuelis.

# FINIS.

*Ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis, & Doctoris Gentium.*

Digitized by Google

# INDEX RERVM

C ſignificat Contractum, M. Matrimoniũ, P. Prænotionem, S. Sectionem, D. Diſquiſitionem, §. Paragraphum, n. Numerum marginalem, p. Paginam.

## A


ABBAS habens territorium priuatiuè poteſt aſſiſtero matrimonijs ſuorum ſubditorum, & delegare. C.15. P. 27. n.5. pag. 89

Abbas habens, vt ſupra, poteſt, vt ſupra etiamſi non ſit ſacerdos, nec Diaconus. ibid. n.6. p. 90

Abbas titutularis per quid differat ab Abbate comendatitio. ibid.

Abbas ſiuè titularis, ſiuè comendatarius poteſt aſſiſtere. ibid. nu. 7.

ABSENTIA diutina alterius coniugis non infert certò moralitèr ipſius mortem C. 15. P.15.n.7.p.417. & item mors non infertur per famam, nec per rumorem. ibid. n. 8.

ABSOLVTIO non eſſet nulla ex defectu iuriſdictionis, ſed ratione materiæ, ſi error eſſet communis C. 15. P. 30. nu. 8. pag. 100

Abſolutio ab excommunicatione habita ab inferiori obligat abſolutum, vt ſe preſentet ſuperiori ibid §. 36. nu 4. p. 280

ABSTINENTIA immdiata corrigenda, quandoque in altero coniuge C. 15. D 2. §.6.n.4. p. 215

ACTIO generatiua eſt actio potentiæ vegetatiuæ, vel ſenſitiuæ C.15.P.11 n.8. pag. 395

Actio, qua præſumitur ratificatio profeſſionis ibid. P. 17. D.2.§ 29. n.6. p. 524

ADAMO non peccante nullum fuiſſet ſacramentum C.15. P. 1 n. 3. p. 3., & 4.

Adamo non peccante vi præſentis decreti non fuiſſet decretum incarnationis, & conſequentèr non conſtituiſſet in ſignis ſenſibilibus rationem propriam ſacramentorum ibid n.3. p. 4

Adamus reſurgens nulli poſſet nubere ibid. P.10. S.3.n.4. pag. 369

ADOPTIO, quid ſit C. 15.P.10.S.5. nu. 1. p. 385., & explicatur. p. 386

Adoptio, & arrogatio, in quibus conueniant ibid. nu. 3. pag. 386

Adoptio, vt tollatur, quid exigat ibid. P.17.D. 2.§.43. num. 6 p. 548

ADVLTERIVM ſe ſolo inter adulteros non dirimit C.15.P.13 n.1. p. 401

Adulterium cum machinatione mortis alterius coniugis inducit impedimentum dirimens, quamuis non fuerit poſita promiſſio matrimonij ibid. n 2. non tamen dirimit quoad infideles ibid. n 3 p 402. vnde abiurata infidelitate poſſent valide contrahere ibid. n 4.

Adulterium cum promiſſione matrimonij inducit impedimentum ibid nu. 19. p. 405

Adulterium non fit impedimentum, ſi ante ipſum fuerit fides retractata ibid n 21. p 405. non autem, ſi poſt commiſſum retractetur ibid. n 22. p.406., & promiſſio debet eſſe mutua, vt impedimentum habeatur ibid. nu. 23. p. 406

ÆTAS requiſita ad validè contrahendum quænam ſit. C.15 P.40.n.2. p. 170

Ætas talitèr requiſita eſt tantum de iure eccleſiaſtico ibid n. 3 p. 171

Ætas requiſita &c. non poteſt diſpenſari ab Epiſcopo, ſed tantum à Pontifice ibid. nu. 4. p. 171

Ætas requiſita diſpenſari non poteſt, vbi non conſtat de malitia ibid n 5. p. 171

De Ætate, vide Ætas.

AFFINITAS non contrahitur à concumbente cum fæmina inepta ad generationem cum iſtius conſanguineis C.15.P.13.n.4. p. 45

Affinitas definitur ibid. P.11. n 1. p.391 eius nomina explicantur ibid. nu. 2.

Affinitas quomodo cognoſcenda ibid. n.3. p. 392

Affinitas non conſurgit ex matrimonio rato ſimplicitèr ibid P.11. n 6. p 394

Affinitas fundatur in vnitate duorum in carne vna ibid. num 6. p. 394

Affinitas oritur etiam ex copula fornicaria ibid. nu 7. pag. 395

Affinitas ex copula coniugali parit vinculum coniugale ibid. n. 8. p. 395

Affinitas ſiuè in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, ſiuè in tranſuerſali non irritat de iure naturæ in quocunque gradu ibid. n. 11 p. 396., & hic ſoluuntur quædam argumenta ibid. p. 397

Affinitas ex copula coniugali dirimit vſque ad quartum, ex fornicaria ſolum quoad ſecundum ibid. n. 12. pag. 397

Affinitas non parit affinitatem ibid. P.17. D 3. §.1. nu. 3. pag. 549.


Digitized by Google

Affinitas in genere triplex ibid.
Affinitas ultra ſecundum gradum ad nihilum confert in genere moris ibid D.3. § 2.n.3. pag.552
AMENS, ut amens non poteſt contrahere matrimonium C.15 D.1.§.13 n.3 p.190. uſque ad p. 191.
Amentia quoad conſenſum æquiparatur morti ibid. n.3. pag. 191
AMICITIA naturalis in fæmina fornicaria non conſurgit cum conſanguineis cognoſcentis C.15. P. 11. n. 10.p 396. illa enim unitas carnis non eſt fundamentum amicitiæ ibid. n. 10. p. 396
AMOR non eſt rationabilis, ubi non eſt ratio C. 15. D.1.§.14 n 3. p.193
ANCILLA pluribus communis manumiſſa ab uno poteſt ſoluto pretio coſtringere alium, ut manumittat C.15.P.17.D 2.§.20. n.2. p 504
Ancilla remanet ſerua quoad totum donec pretium cæteris perſoluatur ibid. n. 6. p.506
Ancilla pluribus communis manumiſſa ab uno, non ab alio, ſi parit, proles eſt ſerua ibid. n 8. p. 506., & in redemptione offerri debet pretium pro prole ibid n.9.
APPELLATIO ſuſpendit iudicatum, & ſententiæ effectum C.15 P.17.D.1.§.8 n.2. p.466
APOSTATA à fide remanet ſubditus eccleſiæ, & eſt punibilis ob apoſtaſiam C.15.P.17. D.3.§ 8.n.3. p.561.
ARCHIEPISCOPVS non poteſt immediatè aſſiſtere matrimonijs ſubditorum ſuffraganeorum, nec delegare ad hoc C. 15. P.27. nu 1. p. 87., & hoc intelligendum extra cauſam appellationis, & viſitationis ibid.
Archiepiſcopus quoad ſubditos ſuffraganeorum non eſt ordinarius ibid. p. 88
Archiepiſcopus in cauſa appellationis debet aſſiſtere, vel licentiam dare cognita cauſa ibid.
Archiepiſcopus cognita cauſa, & prolata ſententia non poteſt aſſiſtere niſi ſententia tranſierit in rem iudicatam ibid. n.2. p.88.
Archiepiſcopus, vel Epiſcopus in ſua Diœceſi per appellationem non definit eſſe Paſtor, & Ordinarius ibid. num. 2. pag 88
Archiepiſcopus in actu viſitationis diœceſis ſui ſuffraganei eſt Ordinarius reſpectu eiuſdem diœceſis ibid. n.2. pag. 89
Archiepiſcopus poteſt diſpenſare in ſua regione denunciationes ibid. P.37. n 15. p.145
ARCHIPRÆSBITER cathedralis alias poterat aſſiſtere matrimonijs, nunc autem non poteſt C. 15. P. 28.n.12. p.92 hoc idem de Archidiacono.
ARBOR cognationis legalis C. 15. P.10.S.5.n.6. p.387
Arbor affinitatis ibid. P. 11 nu. 3. p.394
ARROGATIO eſt ſpecies adoptionis C. 15. P. 10. S.5. num. 2. p. 386
Arrogatio, ut ſit legitima, quid exigat ibid. n. 4. p.386
ASSISTENTIA non eſt actus iuriſdictionis, ſed actus auctoritatiuus C.15.P. 29. nu.1. p. 95
Aſſiſtentia non eſt actio de formali parochi, ut parochi, ſed tantum de conſequenti ibid. p. 96
Aſſiſtentia Parochi non debet ex neceſſitate eſſe rogata ibid. P. 32. nu.10 p. 113., & hic conciliantur variæ declarationes Sac. Congr., & item afferuntur quidam caſus, in quibus matrimonium tenet. p.114
Aſſiſtentia Parochi, & teſtium etiamſi non ſit voluntaria, ſed coacta, & per dolum inducta eſt valida ibid num 13. pag.114
Aſſiſtentia Parochi ſupplet defectum teſtium alias inhabilium ibid. P. 36. n 5. p.137
Aſſiſtentia Parochi, & teſtium eſt ultimum complementum contractus ibid. D.3. §.21.n.3. p.256
AVVS, & proauus ſunt principium remotum generationis filij C.15.P.10 § 3 n.3. p.369
Auus non poteſt vendere nepotem ibid. P. 17. D. 2. §. 15. num 11. pag. 497
AVXILIA actualia, cur non dicantur res ſimul, & ſacramentum C. 15. P. 6. n.2. p.26

B

BAPTISMVS petitus ante dementiam conferri poteſt C.15. D.1.§.13. p.191
Baptiſmus confertur duplici ritui ibid. P 10.S.4.nu.21. pag. 379
BENEDICTIONES nuptiales ſunt ex præcepto adhibendæ in primis nuptijs C. 15.P.38. n.1.pag 156., & tale præceptum afficit etiam corruptos, ſi alias nuptias non contraxerint ibid.nu.2.
Benedictiones ut ſupra non obligant ſub lethali, ſi non ſit contemptus ibid. n. 3.
Benedictiones in ſecundis nuptijs non ſunt de iure canonico ibid. nu 8 p. 157., & hoc, ſiuè vterque, ſiuè alter eorum tranſeat ad ſecundas nuptias ibid.
Benedictiones in ſecundis nuptijs, cur prohibitæ ibid. pag. 158
Benedictiones in ſecundis nuptijs haberi poſſunt, vbi ſunt in vſu ibid. nu. 9. p. 158
Benedictiones innouantur, dum renouatur contractus cuius inualidationis cauſa erat notoria, ſecus non ibid. num. 10. p.158
Benedictiones ſunt repetendæ, ſi diſſoluto priori matrimonio inualido coniuges tranſeant ad alias nuptias ibid. nu. 11. p. 158
Benedictiones quoad nuptias inualidas ad effectus, ad quos ſunt ordinatæ, non poſſunt prodeſſe ibid. p 159
Benedictiones nuptiales faciendæ ſunt in eccleſia, niſi Epiſcopus, ſiuè Ordinarius diſpenſet ibid n.16.p.160
Benedictiones huiuſmodi debent fieri à proprio parocho ibid. nu. 16.
Benedictiones huiuſmodi de conſuetudine habendæ ſunt à Parocho fæminæ ibid.n.19. p.160
Benedictiones huiuſmodi non fiebant ante Conc. Trid. tribus anni temporibus videlicet ab Aduentu ad Epiphaniam: à ſeptuageſima ad octauam Paſchæ: à rogationibus ad Pentecoſtes ibid. n. 20. p. 160
Benedictiones huiuſmodi poſſunt fieri in diuerſis diei temporibus ibid nu. 25. p 162
Benedictiones huiuſmodi fieri poſſunt in nuptijs contractis per Procuratorem, non enim earum affectus pendet à loco ibid D.1. §.22. n.2. p 204
Benedictiones factæ in nuptijs per Procuratorem ad cautelam poſſunt iterari ibid.n.3. p.204
Benedictiones, cur poſſint in data hypotheſi, iterari non autem in diuerſis matrimonijs ibid. n 4. p 205
Benedictiones ſolemnes temporibus feriatis ſunt vetitæ ibid P. 3. nu. 2. p.310
Benedictiones ſolemnes quid ſint ibid n. 3.
Benedictiones de iure antiquo non poterant tempore interdicti, & de iure nouo niſi ſeruatis certis conditionibus recipi ibid nu. 17. p. 314
Benedictiones non poſſunt recipere interdicti, neque recipi in eccleſia interdicta ibid n. 18. p.314
Benedictiones poſſunt recipi pro quatuor ſolemnitatibus pro

Digitized by Google

pro quibus ſuſpenditur interdictum ibid. nu.19. p.315
BIGAMIA quid ſit C.15.§.5.D 5.n.2. p.181
Bigamia, quandonam contrahatur ibid.
Bigamia, quæ haberi non poteſt ſine matrimonio, vel valido, vel irrito parit irregularitatem ſuppoſita conſummatione matrimonij ibid.P.17.D.3.§.11. num.2., & 3. pag.567
Bigamia vera propriè parit irregularitatem ibid.
Bigamia etiam interpretatiua inducit irregularitatem ibid. num.6.
Bigamia interpretatiua quatuor modis habetur ibid. pag. 568
Bigamia ſimilitudinaria etiam parit irregularitatem ibid. num. 13. p.570
BIMESTRE, quando matrimonium ſit per procuratorem computandum eſt à die habita notitia contractus C.15.P.16.n.7. pag.53
Bimeſtre à iure præſcriptum non currit contra ignorantem. ibid., nec eſt neceſſarium experimentum conſummationis ibid.
Bimeſtre prorogari poteſt à iudice cognita cauſa ibid. num. 8. pag. 53
Bimeſtre incipit à die contractus, & in prorogatione à die deſignato à iudice, & computatur de momento in momentum ibid. n.9. p.53
Bimeſtre quomodo computandum in menſe Februarij anni biſextilis ibid. num. 10. pag.54
Bimeſtre, cur ſit computandum à momento in momentum ibid.n.10. p.54
Bimeſtre non eſt ad profitendum, ſed ad deliberandum de ingreſſu ibid. n. 11. pag. 54

C

CARDINALES etiam non ſacerdotes, nec diaconi in Eccleſijs sui tituli aſſiſtunt matrimonijs C.15. P.27. nu.6. p.90
CASTITAS habet plures gradus C.15.P.17.D.2.§.31. num. 5. p.530
CATHECVMENVS non eſt capax contrahendi matrimonium, vt ſacramentum C.15. P.2.n.3. p.7
Cathecumenus ſiuè baptizans, ſiuè ſuſcipiens puerum non contrahit cognationem ſpiritualem ibid. P. 10. S.4. n.36. pag.383
CAVSA moralis non debet actualitèr exiſtere, vt moueat C 15.P.9. n.9 p.36
Cauſa phyſica, quæ actu non eſt, non poteſt operari ibid. num. 9. p.37
Cauſa phyſicè non cauſat, quando ſecundum ſe non eſt ibid. P.11. n. 6. p. 41
Cauſa, ob quam Pontifex poteſt diſpenſare in matrimonio rato non exigit ex genere ſuo conſenſum vtriuſque partis ibid. D.2.n.5. pag 177
CAVSALITAS ſacramentorum in genere, quid in ſententia variorum C. 15. P.9.n.1. p. 32
Cauſalitas moralis in ſacramentis ab omnibus conceditur ibid num.2.
Cauſalitas ſacramentorum ad gratiam poteſt ſe habere, vel per ſe, vel per accidens, & quomodo ibid. nu. 3. pag 33
Cauſalitas phyſica facit, vt magis eluceat dignitas, & efficacia ſacramentorum ibid. n. 4. p. 33
CHRISTVS vnitus cum eccleſia dupliciter, per carnem aſſumptam ſcilicet, & per gratiam C.15. P. 3. num. 3. pag. 11
Chriſtus factus eſt vna caro cum eccleſia per vnionem hypoſtaticam. ibid.
Chriſtus abrogauit legem repudij ibid. n 6. p.13
Chriſtus dominus legiſlator, & dominus proprietatis, & iuriſdictionis ibid. n. 6. p. 13
Chriſtus non diſpenſauit ſuper indiſſolubilitate matrimonij rati per ſuſceptionem ſacrorum ordinum ibid. D. 1. nu. 6. p.176
Chriſtus dedit poteſtatem ad ædificationem, non ad deſtructionem ibid. § 6. D 6. n.2. pag.183
Chriſtus dicitur ſemen Abrahæ ibid. P.10. S.2. num. 3. pag. 369
CLAVSVLÆ appoſitæ in conceſſione priuilegij intelliguntur neceſſariæ ad conſequutionem eiuſdem C.15. D 3.§.10.nu 5. pag.238
Clauſula certiorationis de nouo conſenſu non apponuntur per modum conditionis, ſed admonitionis ibid. § 24. nu. 4. pag 262
CLERICVS intendens efficacitèr ſubdiaconatum falsò exiſtimans eidem eſſe annexum votum caſtitatis teneretur ad idem votum C.15. P.2.n.1. p. 6
Clericus in minoribus conſtitutus, ſi contrahat matrimonium priuatur beneficio C.15. P 16.num.11. p 423 non propter pœnam, ſed propter incompoſſibilitatem; intellige per verba de præſenti ibid. nu. 12 ſi validè contrahit ibid. nu. 13. item priuatur penſionibus, & priuilegijs clericalibus, ſi non ſeruet conditiones à iure præſcriptas ibid nu.14., & n.15. p.424
CONCILIVM Trid. damnat aſſerentes matrimonia clandeſtina fuiſſe irrita C.15. P.17 n.4. p.57
Concilium Trid potuit irritare matrimonium clandeſtinum ſine certis ſolemnitatibus ibid. P.18.n.1. p.57
Concilium Trid. irritauit matrimonium ſine præſentia Parochi ibid. nu. 4 p.59 . & huiuſmodi irritatio ſub aliqua ratione eſt pœna ibid. num 5.
Concilium prouinciale, vel ſinodale nequit irritare matrimonium ibid. P.19 nu. 5. p.60
Concilium Trid. irritat matrimonia clandeſtina hæreticorum, & hæretici cum catholica, vbi fuerit publicatum ibid P. 20. n 1. p.61., & exponuntur declarationes Sacræ Congr. p 62
Concilium Trid., vbi publicatum eſt, obligat etiam ignorantes quoad nullitatem, non quoad pœnas ibid. P. 21. n. 1. p.64
Concilium Trid. etiamſi ab initio non fuerit acceptatum tamen non fuit inculpabilitas ibid P.21. num.3. pag. 66
Concilium Trid. memoria obliteratum per decem annos non ſeruata eius forma in aliquo loco amplius non obligat.
Concilium Trid. quoad matrimonia vagorum, ſiuè alienigenarum appoſuit clauſulam irritantem ibid. P. 22. nu. 18. pag.75
Concil. Trid præcipit interrogare virum, & mulierem contrahentes &c ibid P.33.n.1. p.117
Concil. Trid. præcepit illa verba, ego vos coniungo &c. ibid num. 6. p 118
Concilium non abſtulit poteſtatem à Pontifice diſpenſandi contrahentes ſcienter in gradibus vetitis, ſed tantum declarauit non expedire ibid. P. 39. num. 15. pag. 167
Concilium Trid. non ſtatuit præſentiam Parochi &c. pro mandato faciendo procuratori à contrahente per ipſum ibid. D.1. §.8.num.3. p. 186

Con-

Digitized by Google

Concilium Tridentinum damnat matrimonium clandeſtinum, non damnat obuenientia ibid. D. 3. §. 1. nu 4. pag. 224
Concilium Trident. liberat clandeſtinè contrahentes à pœnis antiquis, & remittit arbitrio Epiſcopor. ibid. num. 5.
Concilium Trid. requirit mutuum conſenſum de præſenti ibid. D. 3. §. 21. nu. 2. pag. 255
Concilium Trid. præcipit Parocho, vt habeat librum matrimoniorum ibid. §. 49 nu. 2. pag. 297
Concilium Trid. abſtulit impedimentum ex cathechiſmo ibid. P. 4. n. 1. p. 320
Concilium Trid. vult, quod vnus, & non plures ſuſcipiant puerum in baptiſmo ibid. P. 10. S. 4. num. 10. pag. 376
Concilium Trid. quomodo diſcurrat de impedimento affinitatis ibid. P. 11. n. 12. p. 397
Concilium Trid., cur correxerit ius antiquum dicendo, quod ſponſalia inualida non pariant publicam honeſtatem, non ſic matrimonium inualidum ibid. num. 4. pag. 399
Concilium Trid. quoad cognationem ſpiritualem inter baptizantem, & Patrem illegitimum nihil innouauit ibid. P. 17. D. 2. §. 38. n. 3. p. 541
CONDITIONES requiſitæ, vt matrimonium dicatur ſolemne C. 15. P. 12. n. 3. p. 43
Conditiones irritantes non poſſunt induci per poteſtatem laicalem ibid. P. 19. nu. 1. p. 60. nam ius ciuile eſt correctum per ius canonicum ibid. nu. 2.
Conditio, an vitiet, vel ſuſpendat matrimonium ibid. P. 41. num. 9. pag. 174
Conditio in contractu matrimoniali exigit repetitionem formæ concilij dum illa purificatur ibid. D. 3. §. 21. num. 3. p. 255
Conditio matrimonialis ſufficit, quod purificetur coram contrahentibus ibid. n 4. p. 256
Conditio eſt impedimentum ad contrahendum ibid. P. 8. num. 1. pag 337
Conditio dicta quotuplex ibid. per totum.
Conditio ſeruilis cognita ab altero contrahente non inualidat contractum ibid. n. 13. p. 342
Conditio requiſita ad contrahendam cognationem ſpiritualem ibid. P 10. S. 4 n 20. p. 379
Conditio requiſita ad legitimam arrogationem quænam ſit ibid. P. 10. S. 5 nu. 4. p. 386
Conditio ſeruilis ſuperueniens coniugato non ſoluit matrimonium ibid. P. 13. D. 2. § 9. nu. 5. p 483
CONFESSIO veri facta in foro externo denegat intentionem dicentis ſe non habuiſſe C. 15. D. 3. §. 42. num. 4 p. 288
COGNATIO ſpiritualis antiquitus quomodo oriebatur C. 15. P. 4. n. 2. p. 320
Cognatio ſpiritualis quomodo extendebatur ibid. n. 3.
Cognatio carnalis, quid ſit ibid. P. 10. S 1. n. 1. p. 364
Cognatio carnalis habet ſuos gradus ibid. n 6. p. 365
Cognatio ſpiritualis prout dirimit matrimonium conſurgit ex ſolo baptiſmo, & confirmatione ibid. S. 4. num. 1 p. 373
Cognatio ſpiritualis definitur ibid nu 3.
Cognatio ſpiritualis quomodo antiquitus cognoſcebatur ibid n 4 p. 374, & quomodo ſe habeat ſecundum concilium Trid. ibid. nu. 7. pag 375
Cognatio ſpiritualis contrahitur ab omnibus tangentibus puerum in baptiſmo ibid. n. 8. p. 375
Cognatio ſpiritualis contrahitur tantum à primo tangente, non ab alijs, qui ſucceſſiuè tangerent puerum ibid. num. 13. p. 378., ſecus verò, ſi plures deſtinati tangerent ibid. n. 14.
Cognatio ſpiritualis contrahitur ſolum à deſtinatis per parentes ibid. nu. 16., & ſi vnus tantum eorum eſſet admiſſus à Parocho ille ſolus contraheret ibid nu. 17. & ſi omnes eſſent admiſſi, omnes contraherent ibid. num. 18. p. 378. hæc omnia tenenda ſunt proportionaliter de confirmatione ibid. nu. 19. p 379
Cognatio ſpiritualis, vt contrahatur, exigit conditiones ibid. num. 20. p. 379
Cognatio ſpiritualis non contrahitur, dum puer priuatim baptizatur domi à tenente ipſum ibid. num. 22. p. 379, nec quando ſupplētur publicè in eccleſia ceremonia ibid. n. 23. p. 380
Cognatio ſpiritualis contrahitur, quando renouatur baptiſmus cum præſumptione inualiditatis baptiſmi collati domi ibid nu. 25.
Cognatio ſpiritualis, vt contrahatur, exigit contactum, ſiuè baptizandus ſit infans, ſiuè adultus ibid. nu. 26. & quidem phyſicum, non autem moralem ibid. nu. 6. p. 381., & quidem per ſe, non per alium ibid. nu. 28. non exigit tamen reſponſionem patrinorum ibidem num. 29.
Cognatio ſpiritualis non contrahitur, quando adeſt error perſonæ ibid nu. 30. p. 381
Cognatio ſpiritualis non eſſet, niſi ſuſceptio in ſuſcipiente eſſet voluntaria ibid n. 30. p. 382
Cognatio iſta non contrahitur, quando eſſet error perſonæ, & intentio ſuſcipientis eſſet determinata ad talem perſonam, non ad aliam ibid. nu. 31., & 32.
Cognatio iſta regulariter poteſt contrahi ab omnibus fidelibus ibid. nu. 33.
Cognatio iſta non contrahitur ab infidelibus, ſiuè ſuſcipientibus, ſiuè baptizantibus ibid. nu. 35. p. 382
Cognatio iſta non contrahitur à cathecumeno, ſiuè baptiſmet, ſiuè ſuſcipiat ibid. n. 36. p. 383
Cognatio contrahitur à tenente habente vſum rationis ibid. nu 42. p. 383
Cognatio nō contrahitur à ſuſcipiente per procuratorem, ſicuti neque à procuratore ibid n. 43. p. 384., ſi procurator non intendat ſuſcipere nomine proprio ibid. num. 44.
Cognatio legalis definitur ibid. P. 10. S. 5. nu. 1. p. 385., & num. 6. pag. 387
Cognatio legalis triplex ibid. n. 7. p. 387
Cognatio legalis quomodo ſoluatur ibid. nu 9. p. 388
Cognatio legalis dirimens matrimonium conſurgit ex adoptione perfecta ibid. nu. 10. p 388
Cognatio legalis in linea recta dirimens &c. dirimit non ſolum inter adoptantem, & adoptatum, ſed etiam inter deſcendentes adoptati vſque ad quartum ibid. n. 11. p. 388. etiamſi adoptio fuerit diſſoluta ibid. num. 12. pag. 389
Cognatio legalis in linea recta dirimit inter vxorem adoptantis, & adoptatum, vel inter vxorem adoptati, & adoptantem ibid. n. 13 p. 389. etiamſi ceſſaret adoptio ibid. nu. 14.
Cognatio legalis in linea tranſuerſali dirimit matrimonium durante adoptione inter adoptatum, & filios naturales adoptantis ibid n 15. p 389
Cognatio tranſuerſalis non trahit tantam reuerentiam quantam trahat recta ibid.

Cognatio ſpiritualis ſuperueniens matrimonio non impedit vſum, & ius petendi &c. ibid P. 17. § 35. nu. 2. pag. 534. ſi tamen nullus alter ſit, qui baptizet ibid. num. 3. pag 535
Cognatio ſpiritualis antecedens matrimonium dirimit, non ſic ſubſequens ibid. §. 36. n. 2. p. 537
Cognatio ſpiritualis quamnam analogiam dicat ad carnalem ibid. num. 2. p 539
Cognatio duplex contrahitur inter ſuſcipientes ad inuicem filios ibid. n. 3. & hæc deberet explicari in impetratione diſpenſationis ibid. n. 4. p. 539
Cognatio ſpiritualis contrahitur in baptiſmo, & confirmatione cum patre naturali etiam illegitimo ibid. §. 38. num. 3. pag. 541
Cognatio ſpiritualis non contrahitur cum Patre legali, aut adoptiuo ibid § 38. n. 5. p. 541.
Cognatio ſpiritualis, (ſi contrahitur inter baptizantem, & ſuſcipientem in baptiſmo priuato) cauſat impedimentum dirimens ſubſequens matrimonium §. 39. num. 3. pag 542
Cognatio ſpiritualis non contrahitur etiamſi ſacramento pœnitentiæ vterentur tamquam medio fornicarij ibid. § 40. nu. 2. pag 544
Huiuſmodi fornicarij grauem iniuriam irrogant ſacramento ibid., & contrahunt diſtinctam malitiam ibid. num. 2., ſi verò non fuerint vſi tanquam medio non contrahunt illam ibid. nu. 3.
Cognatio legalis ſuperueniens non priuat iure petendi debitum ibid. §. 43. nu. 3. p. 547
Hic etiam exponuntur fundamenta ſententiæ oppoſitæ ibid. n. 2. p. 546, & 547. ſoluuntur nu. 4. ibid.
Cognatio legalis numquam ſoluitur quoad ſpeciem rectam deſcendentium ibid §. 43. num. 2. p 548
Cognatio legalis dirimit durante adoptione, intellige in linea tranſuerſali ibid. n. 3.
CONATVS ad copulam præciſè non impedit ingreſſum religionis in bimeſtri C. 15. D. 1. §. 19. num. 2. p. 199
Conatus, vt ſupra, non facit duo in carne vna ibid.
Conatus vt ſupra non impedit ingredi in religionem, etiamſi interfuerit firma deliberatio ibid. n. 3.
Conatus vt ſupra non impedit, vt ſupra, etiamſi damnum illatum eſſet ſponſæ ibid. nu 4. p. 200
CONIVX conſcius impedimenti occulti ab Eccleſia compulſus ad permanendum in coniugio non tenetur impetrare diſpenſationem, niſi ipſe poſuerit culpabiliter tale impedimentum C. 15. D. 3. § 26 n. 3. p 265
Coniux factus conſcius impedimenti, quod non poteſt in iudicio probare, & forte eſt indiſpenſabile, ſi compellatur ab eccleſia permanere in coniugio ante conſumationem non tenetur ingredi religionem ibid. § 27 num. 3. pag. 266
Coniux conſcius impedimenti, ſi conſumauerit, tenetur ad damna, quæ mulieri contigerunt ibid. n. 4., ſecus verò, ſi vxor ſciuerit ibid n. 5.
Coniux contracto matrimonio bona fide dubitans ſpeculatiuè de validitate matrimonij poteſt petere, & reddere debitum ibid § 37. nu. 4. p. 281
Coniux vt ſupra eſt in legitima poſſeſſione ibid.
Coniux vterque inito matrimonio ſuperueniente dubio ſpeculatiuo de aliquo impedimento poſſunt permanere in coniugio, ſecus, ſi dubium eſſet practicum ibid. §. 38. num. 4. pag. 283
Coniux tenetur reddere debitum pendente lite conditionis de ſeruitute ibid. P. 8. nu. 6. p. 339
Coniux poteſt accedere ad alterum affectu maritali dupliciter abſolutè ſcilicet, & limitatè ibid. n 6.
Coniux poteſt reuocare profeſſum ſine ſua facultate authoritate propria à religione ibid P. 9 n. 8. p. 355
Coniux profeſſus dependenter tantum à religione reuocatus poteſt petere, & reddere debitum ibid n. 9. p. 356
Coniux faciens votum caſtitatis in religione, cum animo ſe obligandi quantum poteſt, reuocatus tenetur reddere, non tamen petere debitum ibid n 10. p 356
Coniux reuocatus à religione non tenetur mortua vxore ingredi religionem ibid n. 11 p. 356. ex conſilio tamen poteſt redire, non autem ex præcepto ibid n 11. p. 357 immò etiam, ſi reuocans cedat iuri ſuo ibi. n 12. p 357
Coniux conſumato matrimonio non poteſt tranſire ad religionem, niſi alter, ſi fuerit ſenex, emittat votum continentiæ, vel ſi iuuenis ingrediatur religionem, ibid n. 19 p. 360 eius tamen profeſſio ſine talibus conditionibus non foret inualida ibid. n 20. p. 360 intellige, ſi anteceſſerit alterius licentia ibid.
Coniux profeſſus reuocatus ab alio ſuo coniuge mortuo reuocante tenetur redire ad religionem ibi. n. 23. p. 361
Coniux profeſſus, qui ex aliqua cauſa poteſt reuocari non poteſt propria auctoritate exire ibid n. 24. p. 362
Coniux manens in ſeculo, ſi fornicatus fuerit, non poteſt reuocare coniugem profeſſum ibid n. 26. p 363
Coniux verò profeſſus ſciens alterum adulterare poteſt exire ibid. nu. 27. p 363
Coniux tranſiens ad ſecundas nuptias ſuppoſito altero defuncto reſtituendus eſſet primo, ſi eſſet ſuperſtes ibid. P. 15 n 39 pag 418
Coniux, qui conſenſerat ad ingreſſum Religionis poteſt reuocare coniugem profeſſum, ſi ipſa receſſerit à religione ibid. P. 17. D. 2 § 25 n. 3 p 512. reuocatus tamen non poſſet petere, ſed tantum reddere debitum ibid. num. 7. p. 514
Coniux ſic profeſſus altero non petente non poteſt exire à religione ibid. n. 4. p. 516
Coniux ſic profeſſus, reuocatus per alterum non tenetur redire ad religionē moriente reuocante ibid. n. 8. p. 518
Coniux ſic profeſſus illicitè tranſiret reuocatus mortuo reuocante ad ſecundas nuptias ibid. n. 11. p. 519
Coniux ſine licentia alterius profeſſus non reuocatus ab alio viuente iſto moriente non poteſt egredi à religione ibid. §. 29. n. 2. p 523
Coniux altero profeſſo ſine ſui licentia poteſt profiteri ante reuocationem, & reconciliationem abſque illius facultate ibid §. 30. nu. 2. p 525. ſi tamen non fuerit ſequuta copula poſt reconciliationem, ſecus verò non ibid. num 3. p 526
Coniux non reuocans profeſſum poteſt alio inuito profiteri ibid. num. 5. pag 526
Coniux emittens profeſſionem ſub conditione, ſi alter conſenſerit validè profitetur, ſi conſenſerit ille ibid. §. 30. num 11. p. 528
Coniuges mutuo conſenſu ingredientes Religionem non tenentur niſi ex congruentia profiteri pro eodem tempore C. 15 P. 17. § 25. nu 2. pag 512
Coniuges poſt votum mutuum caſtitatis non poſſunt licitè bene tamen validè ſibi remittere vſum coniugij ibid §. 27. nu. 2. pag 520
Coniuges conſcij mutuæ profeſſionis tenentur ad profeſſionem ibid. § 30. n. 8 p. 527
Conſanguinei optimè impetrant diſpenſationem tacita copula antecedenter tentata C. 15. D. 1 §. 19. n 6 p 201
Con-

Digitized by Google

Conſanguinei, quorum vnus diſtas à communi ſtipite tantum in primo, & alius in quinto gradu validè contraherent matrimonium ibid. P.17 §.34.nu.3. p.533
Conſanguinei impetrata diſpenſatione contracto matrimonio per verba de preſenti contrahunt malitiam inceſtus, ſi fornicentur, & deberent eandem aperire confeſſario ibid. §. 41. n.3. p.545
CONTRACTVS ratio in matrimonio eſt inſeparabilis à ratione ſacramenti ex Chriſti inſtitutione C. 15. P.1.num.1. pag. 5
Contractus matrimonialis diſſolui poteſt per ingreſſum in Religionem, ſi nondum fuerit conſumatum ibid. P 3. num.2. pag.10
Contractus matrimonij inter fideles eſt omninò, & ſtrictè indiſſolubilis ibid P.4. n.1. p.20
Contractus matrimonialis ſignificat indiſſolubilem vnionem Chriſti cum eccleſia ibid.
Contractus externus habetur in matrimonio ibid. P.5.n.1 pag. 23
Contractus per procuratorem tenet, niſi lex obuiet ibid. P.8.n.2.p.29 etiam per litteras ibid. nu. 3.
Contractus matrimonialis ſoluitur per ingreſſum Religionis etiam poſt bimeſtre dummodò matrimonium non ſit conſummatum ibid. P. 16.nu.1. p.51
Contractus validitas, vel inualiditas attendenda eſt reſpectu loci, in quo celebratur contractus ibid. P. 21. num 5. pag.67
Contractus forum ſequitur in loco contractus ibid.
Contractus matrimonij regulariter loquendo non poteſt haberi coram Parocho originis, ſed coram Parocho habitationis ibid. P 24.n.1. pag.79
Contractus matrimonij celebrari poteſt ab eo, qui habet duplicem Parochum habitationis coram alterutro ibid.n. 3.p.79., & ratio habitationis non debet deſumi ab æqualitate matematica, ſed morali tantum ibid. num. 4. p. 80
Contractus matrimonialis factus clandeſtinè, vt diſſoluatur non exigit declarationem ibid. P.39.n.2.p.163., & vt iſte contractus renouetur cum iuris ſolemnitate non requiritur licentia Epiſcopi ibid. nu. 3.
Contractus matrimonialis non fit validè ab ineptis ad generationem etiam completa ætate debita ibid. P.40 num 6. pag.172
Contractus matrimonialis elicitus fictè debet per nouum conſenſum reualidari ibid. D.1.nu.4. pag.184
Contractus matrimonialis factus per Procuratorem poteſt inter contrahentes præſentes iterari ibid §.21. num.3.p.203. immo etiam omnis contractus ibid.n.4
Contractus matrimonialis eſt diſſolubilis pendente conditione ibid. D.3. §. 21. nu.3. p.255
CONTRAHENS matrimonium, vt validè contrahat, debet eſſe aptus ad generationem ibid. P. 40. num. 6. pag. 172
Contrahens præcisè ad explendam libidinem non vitat noxam venialem ibid. P. 42. nu.1. pag.174
Contrahens ſecundas nuptias non conſumatis primis coram Parocho, & teſtibus non incurrit pœnas clandeſtinè contrahentium ibid §.4.D.4 nu 2. p.179
Contrahens modo dicto incurrit pœnas contrahentium ſine denuntiationibus ibid.num.2. pag 180
Contrahens, & conſumans nouum matrimonium non ſolùm à priori non ſubterfugit pœnas extraordinarias ibid § 5 D.5 num 4. pag 182
Contrahens per procuratorem non tenetur facere mandatum coram Parocho, & teſtibus ibid. D.1.§.8 nu.3. p. 185., & hic afferuntur, & ſoluuntur obiecta vſque ad pag. 186.
Contrahens per procuratorem non tenetur eligere procuratorem in ſcriptis, ſed ſufficit ſolis verbis, ſicut ipſum poteſt iiſdem reuocare ibid. D. 1. §. 9. num. 3. pag. 188
Contrahens per ſe ipſum in peccato lethali non committit duplex peccatum lethale ibid.§ 16 num 3 p 196
Contrahens eadem actione recipit quà miniſtrat ſacramentum ibid. num. 4.
Contrahens quamuis miniſter non ſit conſecratus non committit duplex peccatum.
Contrahens factus conſcius inualiditatis ex fictione alterius tenetur eſſe in gratia, dum alter reuocat fictionem, ſecùs peccat ibid § 24.num.6 p.208., ſecùs, ſi non fuerit conſcius ibid. num 7.
Contrahens matrimonium cum prauo fine ſecluſo, quocunque alio fine intento à natura, & iure inualidè contrahit ibid. D.2.§ 8 num. 4. p. 217. intellige quocunque modo.
Contrahens principalis ex fine malo committit triplex peccatum ibid. num.7. pag. 218
Contrahens cum excommunicatione contrahit tantum vnum peccatum ibid. P.3. num.21. pag.316
Contrahens cum excomunicato denunciato peccat, ſecùs non ibid. num. 23. pag.316
Contrahens cum excomunicato minori excommunicatione tolerato non peccat, nec præueniendo, nec præuentus contrahendo ibid. num 29. pag.319
Contrahens excomunicatus excommunicatione minori, cum alio taliter excomunicato peccat præueniendo, & contrahendo, præuentus verò non ibid. num. 30. pag. 319
Contrahens ante ſeptimum annum inualidè contrahit etiamſi modicum deficiat ibid.n.3. pag 338
Contrahens liber cum ancilla, ſi cognita conditione ſeruitutis iſtius habet copulam cum illa intelligitur ratificare matrimonium ibid. P.8.nu.9. p.340
Contrahens liber cum libera quam ancillam credit validè contrahit ibid. nu. 17. p. 345
Contrahens cum corrupta cogitans contrahere cum virgine tenetur conſumare matrimonium, ſi non deliberat ingredi religionem ibid. P.17. D. 2 §. 5. num.3 pag. 481
Contrahentes matrimonium in peccato lethali, vel per ſe, vel per Procuratorem remouentes ipſo contractu obicem reciperent gratiam moraliter tantum reuiuiſcentia ſuppoſita C. 15. P.9.num. 9. p.36
Contrahentes matrimonium ſine teſtibus ante concilium Trid. peccabant lethaliter ibid. P.17. n.5. p.57
Contrahentes matrimonium clandeſtinum faciunt contra bonum cognationis, contra fidem coniugij, fauorem prolis, gratiam ſacramenti ibid. P. 18. num 2. pag. 58
Contrahentes euntes ad locum, vbi non fuit publicatum concilium, validè contrahunt matrimonium non ſeruata forma concil. Trid. P. 21. num.3. p. 68., & hic ſoluuntur obiectiones.
Contrahentes petentes diſpenſationem denuntiationum ab Epiſcopo illam negante cum non teneatur non poſſunt probabilius loquendo ſe appellare ad ſuperiorem ibid P.37.n.37 p.151 poſſunt tamen officium ſuperioris implorare ibid. nu 38.

Contrahentes conſumantes ante denunciationes peccant lethalitèr, quando ſunt poſtponendæ ibid. P.37. nu 41. pag. 152
Contrahentes, vt ſupra, peccant, vt ſupra, quià ſe exponunt periculo fornicationis ibid n.41. p. 152
Contrahentes ſine denuntiationibus ſine acceſſu ad Epiſcopum, quandoque peccant, quandoque non ibid. n.42 pag. 152
Contrahentes matrimonium habita diſpenſatione non tamen abſoluta denuntiationum peccarent lethalitèr, ſi conſumarent ante illas ibid. P. 37. nu. 43. p.153., & hoc non tantum prima vice, ſed toties, & quoties conſumarent. ibid. nu 44
Contrahentes clandeſtinè redduntur inhabiles ſolum quoad illum contractum ibid. P.39. n.1. p 163
Contrahentes clandeſtinè ſunt punibiles arbitrio Ordinarij. ibid, nu 4. p.163
Contrahentium clandeſtinè, vel alio titulo inualidè, filij ſunt illegitimi ibid. n.5. n.6, & nu. 7. p.164
Contrahentes ſcienter ſine denuntiationibus in gradibus vetitis carere debent ſpe diſpenſationis ibid. num. 13. pag 167., & hoc etiam loquendo de impedimento dirimente ibid nu. 14.
Contrahentes poſſunt ſibi mutuo exhibere conſenſum per interpretem ibid. §. 20. n.4. p.202
Contrahentes exiſtentes in lethali renouando contractum matrimonialem factum per Procuratorem non contraherent nouam noxam, ſi gratiam recepiſſent in prima productione contractus ibid. §. 21 nu 6. pag 203
Contrahentes conſcij nullitatis contractus ratione alicuius impedimenti peccant lethalitèr, ſi contrahant in lethali ibid. n.7. p 203
Contrahentes dubij de validitate matrimonij initi per Procuratorem poſſunt iterare non ſeruata forma concilij. ibid §. 23. n.3. p.206
Contrahentes clandeſtinè non euitant pœnas impoſitas ex fine iuris ibid D 3 § 1. n.4. pag 224
Contrahentes mutuo conſentientes ad impetrandam diſpenſationem non poſſunt recedere à perficiendo contractu, ibid. §.16. n.3 p.246., & recedens poſſet moderatè, non rigoroſè compelli ibid. n.4.
Contrahentes cum conditione ſeruatis ſeruandis, ſi ſe cognouerint affectu maritali pendente conditione non contrahunt matrimonium validum, ſi copula non fit coram Parocho, ſecus ſi palam fiat ibid §.21. num. 5, & 6, pag. 257
Contrahentes cum diſpenſatione in foro interno cognito iudicialitèr in externo impedimento tenentur quoad forum externum ſeparari ibid. §.44. n.2. p.290
Contrahentes ante contractionem, quid debeant diſcere. ibid. §. 48. nu. 3. p.296
Contrahentes temporibus feriatis, ſi recipiant ſolemnes benedictiones, grauitèr peccant ibid. P.3. nu.4. pag.310., & n. 5. aſſignantur pœna.
Contrahentes non ſunt ſpeciali conſecratione deputati. ibid. n 21. p.316
Contrahentes denuntiati excommunicati peccant contrahendo, praueniens vero etiam inducendo, & vterque grauitèr ibid. n. 31. p.320
Contrahentes in legitima ætate etiamſi ſint impotentes ad generandum validè contrahunt ibid. P.17. n.42. p 440
Contrahentes ex metu cum impedimento ſolummodò impediente non peccant ibid. D.1. §.3. nu. 2. p.457
Contrahentes, vt ſupra peccarent lethalitèr, ſi conſumarent ibid. nu. 4. p.458
Contrahentes in gradibus tranſuerſalibus prohibitis à Leuitico 18. non peccant ibid. §. 33. n. 2. pag. 532
Contrahentes, vt ſupra non afficiuntur indecentia in genere moris ibid.
CONSENSVS in matrimonio ad contractum eſt etiam ad ſacramentum C. 15. P.2 n.2. p. 6
Conſenſus mutuus requiritur in matrimonio ibid. P.5 n.1. pag. 23
Conſenſus mutuus in matrimonio poteſt haberi per Procuratorem, & per litteras ibid. P. 8. n.3. pag.29
Conſenſus intèr coniuges infideles ad conuerſionem importat repetitionem conſenſus ad matrimonium ſecundum quandam perfectionem ibid. P. 11. n.2. p.40
Conſenſus præſtitus inter coniuges infideles, ſi iſti conuertantur, fit quodammodò noua materia ſecundum nouum reſpectum ibid P.11. n.5. pag. 41
Conſenſus fidelium ad matrimonium fit materia purè eccleſiaſtica ibid. P.19 n.2. p.60
Conſenſus contrahentium non poteſt deferri ab interprete, vt interprete ibid. P.32 n. 4. pag. 1
Conſenſus, an requiratur ſimul ex parte vtriuſque ibid. n. 3. p 173., & alibi ibi.
Conſenſus conditionatus, an irritet ibid P. 41. n.9. p 174
Conſenſus ad ſponſalia, ſub modo demoſtratione, & cauſa, & quid hæc omnia operentur ibid. P. 41. n.11. p.174
Conſenſus interpretatiuus, an ſufficiat ibid n.12. obiectum conſenſus ibid n. 13.
Conſenſus exhibitus per interpretem non ſufficit ſecundum aliquos ibid D 1. § 20. n.2. p.201
Conſenſus, vt ſupra ſufficit, ſi fit coram Parocho præſentibus contrahentibus alienigenis ibid. n. 4.
Conſenſus poteſt mutuo exhiberi per interpretem inter contrahentes ibid. p.202
Conſenſus non eſt neceſſe, quod innoteſcat per verba, ſed etiam ſignis poteſt manifeſtari ibid D.2. § 3 n 4. p.227
Conſenſus ſufficientèr manifeſtatur per copulam factam affectu maritali apparentèr ibid. D 3. §.6. n.4. p. 232
Conſenſus de nouo requiritur ad faciendum validum contractum matrimonialem initum inter impuberes, & quidem tempore pubertatis, ex parte vtriuſque, ſi vterque erat impubes ibid. §.7. n.4. p.233
Conſenſus eſt repetendus, quando impedimentum eſt notorium, & quidem coram Parocho illo ablato ibid §. 8. nu.2 pag.233, & etiam quando eſſet periculum, ne impedimentum occultum fieret publicum in iudicio ibid. num 3. pag. 234
Conſenſus dum renouari debet habita diſpenſatione de impedimento dirimente renouandus iuxta conceſſionem ibid. §.10 n.3. p 238
Conſenſus intelligitur renouatus per copulam factam affectu maritali obtenta diſpenſatione de impedimento occulto ibid. §.15. n.2. p.244
Conſenſus præſtitus cum impedimento dirimente eſt inanis, vnde renouari debet remoto impedimento ibid. §. 16. nu.2. p.245
Conſenſus præſtitus inter contrahentes cum conditione, iſta pendente, reſoluitur in ſponſalia, & in conſenſum de futuro ibid. § 21. nu.2. p.255
Conſenſus transfertur in illam conditionem ibid. n.4 p.256
Conſenſus præſtitus per vim debet renouari, vt validetur matrimonium initum: non tamen eſt neceſſe, quod, qui verè conſenſit, vel ſimul cum illo, vel nouum eliciat conſenſum ibid. § 22. n.2. p.255

Con-

Digitized by Google

Conſenſus quomodo renouandus, quando timentur ſcandala ibid. D.3 § 24 n.4. p.262

Conſenſus fœminæ quoad venditionem mariti, quid operetur ibid. P.17. D.2. §.11. n.5. p. 492

CONSVMATIO matrimonij non habetur per effuſionem ſeminis extra vas naturale C.15. P.13. n.1. p.43. nec per nixum in copulam, nec per coitum ſodomiticum, nec per ſolam vaſis muliebris penetrationem ibid. n.2. p.44

Conſumatio reſpicit bonum prolis ibid.

Conſummatio non fit per ſolam ſeminis maſculini emiſſionem intra vas naturale ſine concurſu ſeminis fœminei ibid. P.13 nu.3. p 44

Conſumatio verè haberetur, ſi aliqua arte ſemen maſculi cum debitis diſpoſitionibus reciperetur in vas muliebre abſque penetratione vaſis &c. ibid num. 5. pag 45

Conſumatio dicitur ſufficiens, quando haberi poteſt generatio ibid. n.5. p.45

Conſumatio, vt ſit perfecta non requiritur vitalis communicatio ibid. nu.5. p.45

Conſumatio intelligitur, quando fœmina ſeminat etiam ſe excitando poſtquam maſculus ſeminauit ibid. nu.7. pag. 46

Conſumatio matrimonij ſecundum ſe ſumpta non eſt peccaminoſa ibid D.2 §.10. nu.2. p.220

Conſumatio matrimonij eſt actus iuſtitiæ ibid.

Conſumatio matrimonij, eſt actus meritorius ibid. num.4. pag.220

Conſumatio matrimonij in feriatis non eſt interdicta ibid. P.3. n.13. p. 312

Conſumatio matrimonij impedit ingreſſum religionis ibid. P.9. n.7. p.354

COPVLA ante matrimonium initum inter ſponſos non facit matrimonium conſumatum C.15. P.13. n 9. p 46

Copula, vt ſupra non impedit ſponſo ingreſſum Religionis ibid. num 9. pag.46

Copula non facit tranſire ſponſalia in matrimonium. ibid. n.10.

Copula vi extorta facit matrimonium conſumatum ibid. P. 14. p. 47

Copula vt ſupra ponit indiſſolubilitatem ex parte coarctantis, non autem ex parte coarctatæ ibid n.2. p 47

Copula vi extorta non impedit innocenti ingreſſum in Religionem ibid. n.3. p.48

Copula vi extorta ratione prolis ex eadem conceptæ per accidens poteſt impedire innocenti ingreſſum religionis. ibid. nu 4

Copula intra bimeſtre tentata præcisè non impedit ingreſſum Religionis ibid. D.1. §.18. nu. 3. p.199

Copula, vt ſupra non impediret, vt ſupra etiamſi eſſet illatum damnum ſponſæ ibid. n.4. p.200

Copula ſubſequens ad ſponſalia facta animo coniugali coram Parocho, & teſtibus facit verum matrimonium, etiamſi ſponſalia fuerint coram vno, & copula coram alio Parocho: hoc idem dic de teſtibus ibid. D.3. § 6. num 3. vſque ad 4. incluſiuè p. 231, & p.232

Copula habita affectu coniugali apparenti eſt ſufficiens ad manifeſtandum conſenſum ibid. n 4. p.232

Copula maritalis ſubſequens ad diſpenſationem de impedimento occulto eſt ſufficiens indicium conſenſus ibid § 15 n 2 p 244

Copula cum impedimento dirimente non poteſt eſſe niſi fornicaria ibid § 28 n.4. p.268

Copula inter ſeparatos per forum externum non eſt peccaminoſa, ſi ſit occulta, & habuerint diſpenſationem in foro interno ibid § 44. n.3. p 291

Copula coniugalis temporibus feriatis non eſt interdicta ibid. P.3. n. 13. pag.312

Copula fornicaria generat affinitatem ibid. P. 11. nu.7. p 395. etiamſi committeretur cum fœmina inuita, & dormiente ibid. nu 8.

Copula actualis non eſt de eſſentia matrimonij ibid. P.17 num. 9. pag.428

Copula non tentanda, quando maſculus non poteſt penetrare &c. ibid. P.17. n. 65. p.449

Copula poteſt haberi à maſculo etiamſi fœmina non retineat ſemen ibid. nu. 65. p.450

Copula cum impedimento dirimente inducit ſpecialem malitiam ibid. D.1 § 4. n 4. p.460

Copula inter obſtrictos voto caſtitatis inducit ſpecialem malitiam ibid. n.4. Item per coniugatum; inter conſanguineos, & probabilius inter fidelem cum infideli; inter catholicum cum hæretica ibid n 5. p.461

Copula impotentis inducit ſpecialem malitiam, non autem cum rapta conſentiente ibid n.6., & 7. p.461

CORPVS reale comparatur ad corpus miſticum C. 15. P. 18. num.3. pag. 58

CRIMEN impedimentum dirimens. C. 15. P. 13. nu 1 pag. 401.

Crimen commiſſum ab infidelibus non dirimit ibid. num. 4. pag. 402

Crimen commiſſum inter fidelem, & infidelem inducit impedimentum directè in fidelem, indirectè in infidelem ibid nu. 5.

Crimen, vt ſit impedimentum dirimens exigit ſortiri ſuũ effectum. ibid. nu 6.

Crimen vt contrahatur non exigit, quod mors fiat per eum, qui machinatur, ſed ſufficit, quod cooperetur conſulendo, vel mandando ibid nu 7. non tamen ſufficit ratihabitio mortis patratæ ibid nu 8. pag.403

Crimen contrahitur, ſiue machinetur mors mariti, ſiue mors vxoris moliatur ibid. nu.9.

Crimen hoc contrahitur altero tantum machinante cum promiſſione futuri matrimonij ibid. nu. 10.

Crimen hoc contrahitur, ſi tamen ſit machinatio mortis cum fine contrahendi ibid. nu. 11.

Crimen non contrahitur ſi machinatio fuit tantum ex fine liberius explendæ libidinis ibid nu. 12. pag.404

Crimen hoc præſumitur inductum probata coniugis interfectione cum adulterio ibid. nu. 14. pag.404

Crimen adulterij cum machinatione mortis alterius dirimit inter adulteros, non cum alijs ibid. n. 15. vnde ſi cum pluribus taliter quis adulteraſſet, non poſſet cum illis contrahere ibid nu 16.

Crimen non contrahitur ab eo, qui mortem intulit vxori cum fine contrahendi cum alia, cum qua non adulterauit ibid nu. 18. p.405

Crimen vt ſit impedimentum dirimens exigit in vtroque cognitionem coniugis ibid nu.26. pag.407

CVLTVS diſparitas quid ſit C. 15. P. 14. nu. 1. p. 408

Cultus diſparitas non eſt impedimentum de iure naturæ, ſed eccleſiaſtico ibid nu 5. pag 409


## D


DEBITVM coniugale interuenit in matrimonio C. 15. P. 5. nu. 1. pag 33


Debi-

Debitum reddendum ibid.

Debitum coniugale reddi debet expreſsè petenti ibid. D. 2. § 12. nu. 2. pag. 222

Debitum coniugale reddendum eſt fœminæ tacitè petenti ibid. nu. 3.

Debitum regulariter loquendo non tenetur reddere fœmina, niſi expreſſè à viro interpelletur ibid. num. 4. pag. 223

DEFECTVS mentis pluris habetur quam defectus nobilitatis C. 15. D. 1. § 14 nu 3. pag. 193

DELEGATVS ad vniuerſitatem cauſarum poteſt in caſu particulari ſubdelegare C. 15. P. 26. nu. 5. pag. 85

Delegatus ad vniuerſitatem cauſarum quinam ſit ibid.

Delegatus vt ſupra non poteſt ſubdelegare ad vniuerſitatem nec dare facultatem ſubdelegandi ibid. num 5. pag. 86

Delegatus habens titulum coloratum valide aſſiſtit matrimonijs ibid. P. 30. nu. 7. pag. 99

Delegatus per intruſum inualide aſſiſtit ibid. P. 30. n. 11. pag. 102

Delegatus in Vicecuratum ab epiſcopo excommunicato vitando inualidè aſſiſtit matrimonio ibid n. 8 p. 106

Delegatus aſſiſteret per auctoritatem ab eodem Parocho emanante ibidem nu. 4. p. 123

Delegatus ſi communi errore pro ſacerdote habetur quamuis talis non ſit valide aſſiſtit ibid., & haberet titulum coloratum, hic ſoluitur quædam inſtantia ibid.

Delegatus ad omnia ſacramenta poteſt valide aſſiſtere matrimonio ibid. P. 35. nu. 7. pag 128

Delegatus ad miniſterium eucharistiæ, & pænitentiæ non cenſetur delegatus ad aſſiſtendum matrimonij ibid. nu. 8. pag. 129

Delegatus ad aſſiſtendum poteſt aſſiſtere, ſi licentiam proprio motu Parochus conceſſerit, dummodo eidem innoteſcat per perſonam omni exceptione maiorem ibid. num 16. pag 132

Delegatus non poteſt aſſiſtere ante notitiam conceſſionis Parochi ibid num 18. pag 132

Delegatus gerit vices delegantis, vnde geſta coram primo ſupponuntur facta coram ſecundo ibid. D. 3. § 18. num. 4. pag. 248

Delegati poteſtas cur non expiret per mortem delegantis ibid. D. 4. § 4. nu. 3. pag 303

DEMENTIA non comparatur impotentiæ temporaneæ C. 15. D. 1 § 14. nu. 5. pag. 193

DÆMON ſuccubus per ſemen ab homine deciſum producit generationem reſpectu eiuſdem, à quo deciſum eſt C. 15. P. 13 nu. 6. pag 45

DENVNTIATIONES præſcriptæ à Concil. Trid. C. 15. P. 37. nu. 1. pag 139

Denuntiationes non ſunt de ſubſtantia matrimonij ibid. num. 2. pag. 140

Denuntiationes non ſunt præſcriptæ à Concil Trid. cum clauſula irritante ibid.

Denuntiationes regulariter fieri debent diebus feſtiuis ibid. nu. 3. quandoque fieri poſſunt diebus ferialibus ibid. num. 4. pag. 140

Denuntiationes regulariter fieri debent inter miſſarum ſolemnia, & confluente populo etiam ad Veſperas ibid. nu. 5. pag. 141

Denuntiationes poſſunt fieri tribus diebus feſtiuis immediate ſubſequentibus ibid. nu. 6. pag 141, & circa hoc explicatur diſpoſitio Conciliorum Prouincialium ibid.

Denuntiationes faciendæ regulariter tribus diebus feſtiuis continuis. ibid. n. 8. p. 141. tamen ſi fierent interruptè non læderetur grauiter diſpoſitio Concilij. ibid

Denuntiationes fieri debent in eccleſia, non tamen ex neceſſitate, cum fieri poſſint alibi ibid. n. 4. pag. 142

Denuntiationes fieri poſſunt in eccleſijs ſubordinatis Parochiali, dummodo ſit concurſus ibid. n. 10 p. 143.

Denuntiationes fieri debent in vtraque Parochia contrahentium, ſi ſint diuerſæ Parochiæ ibid. num. 11. pag. 143

Denuntiationes fieri debent in illa Parochia, in qua diutius contrahentes habitarunt. ibid. n 12. p. 143. & non eſt neceſſe illas repetere in Parochia paruæ habitationis ibid. nu. 12. pag 144

Denunciationes faciendæ ſunt per Parochum contrahentium, vel per delegatum ab ipſo ibid n 13. p. 144.

Denuntiationes fieri poſſunt per non ſacerdotem delegatum à Parocho ibid nu. 14. p 144

Denuntiationes antiquitus indiſpenſabiles ab Epiſcopo. ibid. n. 14 non tamen vrgente neceſſitate.

Denuntiationes diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo, ſeu ab Archiepiſcopo ibid n 15. pag. 145

Denuntiationes diſpenſari debent ab vtroque Epiſcopo, ſi contrahentes petentes ſint diuerſæ Diœceſis ibid. nu. 20. pag 146

Denuntiationes reſpiciunt alias perſonas à contrahentibus ibid. pag 147

Denuntiationes diſpenſari debent iuſta & legitima cauſa ibid. nu 21. p. 147 & cauſa non debet cognoſci in iudicio. vt docet praxis. ibid n. 22.

Denuntiationes diſpenſantur timore rationabili malitioſi impedimenti. n. 23 p 147. & exiſtente illo timore poteſt Parochus ex ſe, vel vnam tantum denuntiationem præmittere, vel immediatè aſſiſtere num. 24. pag 148

Denuntiationes ſolent diſpenſari vel ob nimium pudorem propter diſparitatem, vel ob vicinitatem temporis prohibentis nuptias, vel ob dignitatem contrahentium, vel ob ſcandalum, vel ob damnum ſpirituale, aut temporale. ibid. n. 26. & 27. p. 148. & n. 28. 29 30. pag. 149.

Denuntiationes quomodo poſſint cauſare damna ibid.

Denuntiationes gratis ſunt diſpenſandæ ibid. num. 33. pag. 149

Denuntiationes poſſunt omitti in ijs caſibus, in quibus epiſcopus tenetur diſpenſare, non autem ſi non tenetur &c. ibid. nu. 35. pag. 150

Denuntiationes quando non abſolutè omittendæ, ſint poſtponendæ ibid. nu. 40. pag 152

Denuntiationes præuiæ ad matrimonium non prohibentur pro tempore feriato ibid. P. 3. nu. 67. pag 311

DIACONVS electus Parochus eſt teſtis omni fide dignus C. 15. P. 24. nu. 1. pag 120

Diaconus Parochus quamuis non poſſet aſſiſtere poteſt tamen facultatem dare aſſiſtendi ibid. nu 2. pag. 121., & hic ſoluitur obiectio quædam.

Diaconus Parochus non poteſt delegare diaconum ibid. num 3. pag. 122

DISPENSATIO indiſſolubilitatis potuit eſſe in lege antiqua C. 15. P. 3. nu. 4. pag. 12

Diſpenſatio iuris naturalis non eſt extendenda vltra perſonas, ad quas eſt directa ibid. nu. 5. pag. 12

Diſpenſatio in matrimonio rato an poſſit haberi à Pontifice ibid. nu. 15. pag. 18


Diſpen-

Digitized by Google

Diſpenſatio dicta cur debeat eſſe ex legitima cauſa ibid. num 15. pag. 19

Diſpenſatio denuntiationum gratis facienda ibid P. 37. num 33. pag. 149

Diſpenſatio denuntiationum petita vel ratione concubinatus, qui praceſſit vel ratione Virginis deſloratæ poteſt mulctari aliqua pœna ab Epiſcopo ibid. nu. 34. pag 150

Diſpenſatio in matrimonio rato poteſt haberi ex timore grauis ſcandali ibid. §. 3. D. 3. num. 6. pag. 179

Diſpenſatio ſuper matrimonio rato non conſumato poteſt obtineri ratione ſterilitatis ſuperuenientis ibid D. 2. §. 7. nu. 2. pag 216

Diſpenſatio remanet in ſuo robore remanente voluntate concedentis vnde eadem vti poteſt ille in cuius fauorem eſt conceſſa tempore, quo eidem placuerit ibid. D. 3. § 17. nu 3. pag. 247

Diſpenſatio eſſet ſubreptitia, ſi non fieret mentio alterius diſpenſationis obtenta ſuper eodem impedimento cum altera ibid §. 19. nu. 2 pag 249., & hæc ſecunda eſſet in præiudicium primæ vxoris ibid. hic proponitur pulchra inſtantia, & ſoluitur. pag. 250

Diſpenſatio ſuper eodem cum ſecunda quoad vim illatiuam habet connexionem cum priori diſpenſatione ibid. nu. 2. pag. 250

Diſpenſatio ſuper voto caſtitatis, vel religionis obtenta à Pontifice remanet in ſuo robore antequam à Pontifice acceptetur renuntiatio implicitè, vel tacitè facta ab eo, qui eandem obtinuit ibid. §. 19. nu. 3. pag. 253

Diſpenſatio ſi fuerit commiſſa, nundum tamen executa poteſt renuntiat nolle adhuc illa gaudere, & petere exequtionem ibid. §. 20. nu 5. pag. 254

Diſpenſatio per Epiſcopum in aliquo caſu non ſolum poteſt haberi propter inopiam, ſed etiam propter dificilem acceſſum ad Pontificem ibid. D. 3. §. 31. num 2. pag. 271

Diſpenſatio ceſſante quoad principale eius facultas deuoluitur ad ordinarium ibid. num. 4. pag. 272

Diſpenſatio tollit inhabilitatem ibid. §. 36. nu. 3. pag. 280

Diſpenſatio habita in caſu neceſſitatis per inferiorem non obligat diſpenſatum ceſſante neceſſitate adire ſuperiorem ibid §. 36. nu 4. pag. 280

Diſpenſatio Epiſcopi ſuper impedimento occulto eſſet ſufficiens in foro externo ſi detegeretur impedimentum ibid. §. 45. nu. 3. pag. 292

Diſpenſatio preciſe conceditur ad finem matrimonij ibid. P. 17. D. 2. § 41. nu. 3. pag. 546

DIVISIO matrimonij ratione ſubiecti in matrimonium præciſe vt contractus, & in matrimonium vt contractus, & ſacramentum C. 15. P. 12. nu. 1. pag. 42

Diuiſio eiuſdem ratione obiecti in ratum, conſumatum, & legitimum ibid. nu. 2.

Diuiſio eiuſdem ratione formæ in ſolemne, & clandeſtinum ibid nu. 3.

DIVORTIVM non conceditur niſi ob fornicationem ſubſequentem matrimonium C. 15. P 17. D. 2. §. 5. nu 4. pag. 482

DISSOLVTIO matrimonij rati per ingreſſum Religionis habetur ex priuilegio C. 15. D. 1. nu. 5. pag 176

DOLVS, quo licentia extorta eſt, non officit C. 15 P. 35. n. 11 pag. 130

Dolus an irritet matrimonium ibid. P. 41. nu. 8. pag 174

DOMINIVM in vnum perfectè tranſlatũ de iure naturæ non poteſt in alterum tranſferri C. 15. P. 9. num 3. pag 352

Dominium rerum repugnat cum ſtatu Religionis, non autem vſus ibid. P. 17. D. 2. §. 23. nu. 4. pag. 510

DOMINVS grauiter peccaret prohibens matrimonium ſeruis C. 15. P. 8. nu. 23. pag. 346

Dominus non poteſt punire ſeruum eo, quod nupſerit ipſo inuito ibid pag 347

Dominus poteſt vendere ſeruum ante datam fidem de matrimonio contrahendo ibid. nu 24.

Dominus vtens iure ſuo non committit fraudem ibid. nu. 24. pag. 347

Dominus vendens ſeruum vt ſupra directè non impediret ibid. nu. 24. pag. 347

Dominus poteſt vendere ſeruum coniugatum ſi illum poteſt ſequi vxor propria in longinquas regiones ibid. nu. 25. pag 348

Dominus vendens ſeruum in longinquas regiones, dum poteſt vendere in loco, peccat grauiter ibid. num. 29. pag. 349

Dominus vendens vt ſupra lædit ius ſerui ſine ſuo comodo ibid. nu 29.

Dominus poteſt vendere ſeruum coniugatum cum ſerua alterius domini in loco iſtius ibid. nu 30. pag 349

Dominus non poteſt vendere ſeruum, ſi alter coniux eſt liber ibid. nu. 32. pag 349

Dominus non poteſt abſolute impedire vſum coniugij in ſeruis nuptis ante ſeruitutem: aliqualiter tamen poteſt ibid. P. 17. D. 2. § 11. nu. 3. pag 491

Dominus manumittens ancillam obligat condominum ad manumittendam ancillam pluribus communem ibid §. 20. nu. 2. pag. 505., & hoc ſiue vnus manumittat titulo gratuito, ſiue oneroſo ibid nu 5. pag 505

Dominus promittens ancillæ manumiſſionem, quam acceptat ancilla, obligatur etiam ciuiliter ad manumittendum pro tempore determinato ibid. §. 22. nu. 4. pag. 508

DOS non pertinet ad ſubſtantiam contractus matrimonialis C. 15. D. 1. § 11. nu. 2. pag 189

DVBIVM duplex aliud practicum, aliud ſpeculatiuum C. 15. D. 3. § 37. nu 2. pag. 281

Dubium aliud ſuſpenſiuum, aliud opinatiuum ibid. nu 3. pag. 281


## E


EBRIVS tempore ebrietatis inualide contrahit per ſe ipſum non ſic per Procuratorem electum C. 15. D 1. § 13. nu. 7. pag. 192

ECCLESIA potuit inducere impedimenta dirimentia matrimonium C. 15. P. 18. nu. 2. pag 58

Eccleſia poteſt diſſoluere matrimonium iam ratum, quamuis ſit ſacramentum ibid.

Eccleſia poteſt irritare indirectè, & directè ibid

Eccleſia tantum diſponit circa contractum ibid. num 3. pag. 59

Eccleſia irritat omnes alios contractus etiam ſtrictiores ſine certis conditionibus ibid nu 4. pag 59

Eccleſia cognoſcit, validitatem ſponſalium ibid. P. 19. num. 3. pag. 60

Eccleſia nullum poteſt compellere ad contrahendum per cenſuras matrimonium, ad quod nullo iure tenetur ibid. D. 3. §. 26. nu 3. pag. 265

Eccleſia non vetat, quæ coram Deo ſunt licita ibid. §. 44 num 3. pag 291

Eccleſia ſemper præſumit pro negatione peccati ibid P. 8. n.

8. num. 10. pag 341

Eccleſia non acceptat nomine proprio, ſed Dei ibid. P. 9. num. 3. pag. 3'3

Eccleſia latina, & greca in quo diferãt. ibid. P. 10. nu. 9. pag. 422

EPISCOPVS poteſt diſpenſare in matrimonio quoad denuntiationes C. 15. P. 12. nu. 4. pag 43

Epiſcopus poteſt imponere excomunicationem ſponſis vt intra bimeſtre vel matrimonium conſument, vel religionem ingrediantur ibid P. 16. nu 3. pag 51

Epiſcopus, & Parochus poſſunt etiam aſſiſtere extra territorium ibid. P. 25. nu. 2. pag. 83

Epiſcopus per appellationem in ſua diaceſi non deſinit eſſe paſtor, & ordinarius ibid. P. 26. nu. 2. pag. 88

Epiſcopus electo Vicario non poteſt auferre ab eodem remanente facultatem aſſiſtendi Matrimonijs ibid. nu. 9. pag. 92

Epiſcopus per quid intelligatur talis ibid. P. 28. pag 94

Epiſcopus per ſimplicem nominationem non aquirit ius aſſiſtendi Matrimonijs ibid. nu 1. pag. 94

Epiſcopus non conſtituitur à nominante, ſed à Pontifice ibid.

Epiſcopus electus tantum, & confirmatus licet non ſit conſecratus poteſt aſſiſtere, & delegare ibid num. 2. pag. 94

Epiſcopus electus vt ſupra habet ea, quæ ſunt iuriſdictionis ibid.

Epiſcopus per collationem factam à Pontifice acquirit actualem iuriſdictionem ibid. nu. 3. pag. 94

Epiſcopus excommunicatus ſuſpenſus &c. poteſt aſſiſtere matrimonijs. ibid. P. 29. n 1. p. 95.

Epiſcopus non deſinit eſſe talis, niſi deponatur. ibid. P. 29. n. 2. p. 96

Epiſcopus excommunicatus &c. poteſt delegare alium ſacerdotem excommunicatum ad aſſiſtendum matrimonijs. ibid. n. 4. p. 96

Epiſcopus delegans excommunicatum non peccat. ibid. P. 29. n. 5. p 97

Epiſcopus excommunicatus peccat benedicendo ſolemniter coniuges. ibid. n. 6. p 97

Epiſcopus ſine ſolemnitate benedicens coniuges, cum eſt excommunicatus, peccat tantum venialiter. ibid.

Epiſcopus aſſiſtens &c. cum titulo colorato, & errore communi validè aſſiſtit, & validè delegat. ibid. P. 30. n 6. p. 99

Epiſcopus excommunicatus non denuntiatus, nec publicus clerici percuſſor validè agit, quæ agit. ibid. P. 31. n. 6. p. 106

Epiſcopus poteſt delegare ſacerdotem alterius diœceſis ibid. P. 34. nu. 4. pag. 123

Epiſcopus poteſt diſpenſare denuntiationes. ibid. P. 37. n. 15. p. 145

Epiſcopus non poteſt ſibi reſeruare hanc facultatem priuatiuè ad Vicarium generalem. ibid. n. 17. p. 145

Epiſcopus poteſt delegare facultatem diſpenſandi denuntiationes. ibid. n. 18. p. 145

Epiſcopus in dubijs poteſt iudicare, an habeatur iuſta cauſa diſpenſandi. ibid. n. 35. p. 149

Epiſcopus exiſtente graui cauſa tenetur diſpenſare ſub pœna peccati. ibid. n. 32. p. 149

Epiſcopus poteſt mulctare petentem diſpenſationem denuntiationum ratione delicti. ibid. n. 34. p. 150

Epiſcopus eſt ſuplicandus (ſi comodè fieri poſſit) quãdo emittenda ſunt denuntiationes. ibid. n. 36. p. 150

Epiſcopus negat diſpenſationem denuntiationum in caſu, in quo non tenetur: quæritur an poſſit haberi appellatio ad ſuperiorem, & probabilior eſt pars negatiua. ibid. n. 37. p. 151

Epiſcopus antequam denuntiationes remittat debet informationes ſumere de impedimentis. ib. n. 39. p. 151

Epiſcopus omnes, vel aliquas iuxta qualitatem cauſæ denuntiationes remittere poteſt. ibid n. 40. p. 151

Epiſcopus non poteſt abſoluere ſacerdotem, qui aſtitit matrimonio clandeſtino, lata ſententia de ſuſpenſione. ibid. P. 39. n. 10. p 158

Epiſcopus non poteſt diſpenſare ſuper ætatem requiſitam ad contrahendum &c. ibid. P. 40. n. 4. p. 171

Epiſcopus in qua hypoteſi poſſit diſpenſare ſuper impedimento occulto. ibid. D. 3. §. 29. n. 3. p. 269

Epiſcopus in aliquo caſu poteſt diſpenſare ſuper impedimento occulto, ſed non exiſtante mala fide in vtroque. ibid § 30. n. 3. p 270

Epiſcopus vt ſupra poteſt diſpenſare ſi innocens impedimenti pateret ibid. nu. 5. pag 27. non autem ſi reus ibid nu. 6.

Epiſcopus poteſt ſuper impedimento occulto diſpenſare vrgente incontinentia eorum, qui iam contraxerunt, vel etiam imminente infamia ibid § 31 n. 2. p 271

Epiſcopus in ſentẽtia aliquorum non poteſt vt ſupra diſpenſare ſi facilis eſt acceſſus ad legatum Pontificis. ibid n. 3. p. 272 probabilius tamen poteſt. ibid. n. 4.

Epiſcopus poteſt delegare certam perſonam, vt ſuper impedimento occulto diſpenſet. ibid §. 33. n. 3. p. 274 non ſolum in caſu particulari, ſed etiam generaliter. ibid. n. 3. & 4. p. 275.

Epiſcopus non poteſt diſpenſare ſuper impedimentis matrimonij in omnibus caſibus, in quibus impediti excuſantur adire Romanum Pontificem. ibid. §. 34. n. 3. & 4. p 276 non enim currit paritas de poteſtate abſoluendi. ibid n. 6. p. 277

Epiſcopus tamen poſſet diſpenſare etiamſi facilis eſſet acceſſus ad Nuntium habentem ſpecialem facultatẽ. ibid.

Epiſcopus vrgente grauiſſima cauſa poteſt diſpenſare ſuper impedimentis etiam ante contractum matrimonij. ibid. § 35. n. 4. p 278

Epiſcopus quando vt ſupra diſpenſauit, ita diſpenſauit, vt ceſſante neceſſitate non ſit recurrendum ad Pontificem. ibid § 36. n. 3. p 279

Epiſcopus in dubio impedimenti dirimentis poteſt ad ſummum declarare non eſſe opus diſpenſatione, & ſi dubium eſſet practicum, non poſſet diſpenſare. ibid. §. 38 n. 3. p. 283

Epiſcopus poteſt diſpenſare in foro externo ſuper impedimento iam diſpenſato in foro interno, ſi non pateat aditus, vel ſi ſit inopia. ibid D. 3. §. 44. n. 5. p. 291

Epiſcopus ob legitimam cauſam poteſt interdicere ad tempus matrimonia ſubditorum ibid. P. 2. n. 2 p 308

Epiſcopus poteſt reuocare ſententiam Vicarij ſui cognita inualiditate illius, qua declaratum fuit inualidum matrimonium, & quod contrahens finxerit nomen, cognomen, & patriam diuerſam. ibid. P 17. D. 2. § 4. n. 3. p 480

ERROR eſt impedimentum irritans, ſi præcedat, & quidem de iure naturæ C. 15. P. 7. n 1. p. 334

Error etiã concomitans quoad ſubſtantiã irritat ib n. 2.

Error non connotat conſenſum. ibid n 2. p 335

Error qualitatis, ſeu dolus circa eundem dantem cauſam contractui illum irritat. ibid. n. 3. p. 335

Error qualitatis relinquit liberum conſenſum. ibid.

Error

Error ſeruitutis non æquiparatur ſecundum omnia errori perſonæ ibid. P.8.n. 14. p.344
Error ſeruitutis diſcriminatur à metu ibid.
Error, quo quis exiſtimat in matrimonio non eſſe vim ſacramenti, non inualidat ſacramentum, dummodò intendatur, quod intendunt efficere fideles in eodem C. 15. P. 2. n. 1. pag. 5
Error putatiuus contrahentium, circa Parochum ſine vero titulo quomodo habeatur ibid. P.30. nu.1. p. 99
Error ſupradictus non habetur ex eo, quod ſit in vno, vel in alio ibid. n. 2.
Error communis, & titulus putatiuus non tollitur vnius, vel alterius ſcientia ibid n.3. p. 99
Error communis non debet eſſe craſſus, & ſupinus, ſed probabilis ibid.n.5. p. 99
Error in virginitate, vel in nobilitate poteſt fieri ſubſtantialis, tum ex intentione contrahentis, tum ex conſenſu conditionato ibid. P. 17. D. 2.n.1. p. 473., & num.2., & 3. p.474
Error nominis, cognominis, & patria nõ vitiat actum, qui geritur, ſi de corpore conſtet ibid. §.3. n.3., & 4. p.478
Error doloſus erga fœminam, quæ cogitaret nubere primogenito præſentato ſecundo genito fingente primogenitum inualidaret matrimonium ibid. D.2. §.7. nu.4. p. 485., & hoc etiamſi mortuo primo fuiſſet ſubſtitutus ſecundus ibid. n.5.
ÆTAS requiſita ad valide contrahendum quanam C. 15.P.40.n.2. p.170., & P. 17.nu.40. p. 439
Ætas talis requiritur tantum de iure eccleſiaſtico ibid. num.3. p.171
Ætas requiſita non poteſt diſpenſari ab Epiſcopo, ſed tantum à Pontifice ibid.nu.4. p.171
Ætas, vbi non perfectè completa diſpenſari non poteſt, vbi non conſtat de malitia ibid.n. 5. p.171
EXCOMVNICATIO non demit de fide Parochum in neceſſarijs C.15. P.36. n.5. p.137
Excomunicatio contra omittentes benedictiones non afficit conſumantes ante illas, ſi poſtea recipiant ibid. P.38. num. 5. p. 157
Excomunicatio lata contra conſumantes ante illas afficit ibid n. 6.
Excomunicatio quandoque ſupponitur in eccleſia, & tamen non eſt ante Deum ibid. D.3. §.25. n.4. p.264
Excomunicatio non eſt impedimentum dirimens ibid. P.3. num.20. p. 315
Excomunicatio priuat participatione paſſiua ſacramentorum ibid., & hic duplex excitatur dubium.
EXCOMVNICATVS præuentus videtur gaudere E iure concedente communicare cum non excomunicato C.15. P.3. n.23. p.317
Excomunicatus non toleratus nullo modo gaudet, vt ſupra ibid.
Excomunicatus non vitandus, ſi præuenitur, non peccat dum communicat, bene quidem, qui præuenit ibid. num. 24. p. 318
Excomunicatus vitandus præuentus ab alio excomunicato vitando peccat leuiter, dum communicat Præueniens tamen grauius ibid. n.25. p. 318
Excomunicatus non vitandus inducens vitandum ad participandum peccat ibid. n 26. pag 319
Excomunicatus vitandus inducens non vitandum grauius peccat ibid n.27.
Excomunicatus maiori excomunicatione contrahens cum non excomunicata grauiter peccat ibid n.28.

F

FÆMINA conſtituitur in deteriori ſtatu, dum opprimitur à non mariro ſuo C. 15. D.2. §.2. n 3. p.210
Fœmina per ſigna ſufficienter petit actum coniugalem ibid § 12. n 3. p. 222
Fœmina regulariter non tenetur reddere debitum viro niſi expreſsè petenti ibid. n. 4. p.223
Fœmina quandoque tenetur reddere debitum etiam non expreſsè petenti, & quando ibid. nu.5. p.223
Fœmina, & maritus in petitione debiti non ſunt pares ibid. num 4.
Fœmina etiam inuitis parentibus poteſt nubere ibid. D.3. §.2. nu.2. pag. 225
Fœmina totis viribus reſiſtens, ſi opprimitur violenter, non peccat ibid. §.25. n.3. p.264
Fœmina non peccat, ſi violenter à viro cognoſcatur, dummodo nõ cõſentiat, & reſiſtat ibid D.3. §.28 n 4. p.268
Fœmina, an teneatur reſiſtere per clamorem ibid n. 5.
Fœmina ita arcta, vt non poſſit pati inciſionem, niſi cum diſcrimine vitæ cenſetur inepta ad matrimonium ibid. P.17. n.11. pag. 429
Fœmina, vt ſupra facta inciſione tenetur ratificare, vt matrimonium reualidet ibid. n.12 p 429, & hoc ſaltem actu implicito ibid.
Fœmina, ſi fuerit arcta reſpectu huius viri, videndum eſt vtrũ ſine vitæ periculo poſſit fieri apta ibi. n.14. p 429
Fœmina apta ad concumbendum cum viro ordinario non tenetur pati inciſionem pro extraordinario ibid. num. 15. p. 430
Fœmina, quæ nequeat alio modo aptari viro, cui nupſit, niſi per copulam cum alio cenſetur inepta perpetuo pro eodem ibid. n.16. p.430., ſi vero fuerit cognita ab alio ſimili non ita ibid. n. 17. p. 431
FIDES non eſt præſtanda in his, quæ pertinent ad externam gubernationem in propria cauſa C. 15. P. 35. n.12. p. 131., & hoc regulariter loquendo ibid. n.13.
Fides, ſi fuerit præſtita contrahentibus, & licentia non fuerit, non tenet matrimonium ibid. n. 14. p 131
Fides, ſi fuerit præſtita alteri contrahenti, qui non ſit omni fide dignus, & reuera licentia fuerit non tenet matrimonium ibid. n. 15. p. 131
FILII nati ex matrimonio clandeſtino reputato valido à parentibus non ſunt legitimi C. 15. P.39. n.5. p.164., & hoc etiam in caſu quo omittantur denuntiationes à iure requiſitæ n.6. imò hæc pœna intelligenda eſt de matrimonio inualido, quocunque titulo ibid. n.7.
Filij nati ex matrimonio inualido, ſi impedimentum non potuit per denuntiationes innoteſcere, non habentur illegitimi ibid. nu. 8. p. 165
Filij nati poſt approbationem cenſentur legitimi ibid. nu. 9. p. 166. etiamſi fuerint concepti ante approbationem ibid. n. 10.
Filij nati ex matrimonio clandeſtino legitimantur dum approbatur illud ab eccleſia ſuppoſito tamen, quod ſecundum ſe fuerit validum ibid. n. 12. p. 167
Filij adoptiui poſſunt validè inter ſe contrahere ibid. P. 10. S 5. n. 16. p. 390
Filius adoptatus validè contrahit cum illegitima adoptantis ibid n.17.
Filius procreatus ex ſecundo matrimonio conſumato ſupoſita morte alterius, qui re vera non eſſet mortuus, non eſſet adulter ibid. P.15. n. 10. p. 418
Filij ſuſcepti illegitimè fiunt ſufficienter legitimi per matrimonium initum in articulo mortis alterius ex parentibus ibid. P.17. n.32. p. 437
Filij legitimi ſequuntur nobilitatem Patris, & honores ibid. P.17. D 2. §. 11. n. 3. p.493
Filij naturales ſeruorum ſequuntur conditionem patris quoad honores, & nobilitatem ibid. n. 4.
Filij quoad ſeruitutem cõſequuntur conditionem matris ibid. §. 13. nu. 3. p.494 niſi conſuetudo præſcripſerit illos ſequi conditionem Patris ibid nu. 5.
Filij nati, vel concepti tempore libertatis ex matre facta ſerua ſunt liberi ibid. §.14 nu 3. pag. 495
Filij quandonã liberi naſcantur ibid. n. 3 p. 495., & 496



Digitized by Google

Filij à ſolo patre vendi poſſunt ex grauiſſima cauſa ibid. §.15.nu.2. p.496
Filij redimi poſſunt à Patre, & quonam pretio ibid.n.5., & num.6. p.497
Filij venditi, an conſtituantur propriè ſerui ibid. n.6.
Filij accedunt matri iure acceſſionis ibid.§.18.n.3.p.501
Filij non redimuntur eodem pretio, quo fuit vendita mater, ſed pretio quo tunc mater valet cum filijs ibid. num 5. pag. 501
Filij in æquali neceſſitate Patrum, & filiorum ſuorum tenentur ſubuenire potius filijs, quam parentibus ibid. §.19. n. 5. p.502. tùm ex proportione ad amorem Dei num 6. tum titulo gratitudinis n. 7. naturali pietati poſtpoſita p. 503.
FILIICIDIVM ex iure ſpeciali ponit impedimentum impediens C.15.P.17. D.1. §.11. n.3 p.471., & etiam de ſatu animato intelligendum eſt ibid. n. 4. p.471
FINIS intentus in matrimonio, tum à natura, tum à iure C.15.D.2. §. 8.n.3. p. 217
Finis lethaliter malus quomodo poſſit intendi ibid.n.2.
Finis prauus principaliter quomodo ſit intentus in matrimonio ibid. num.3.
Finis prauus non aduerſans bonis matrimonij quoad vim obligandi non inualidat contractum matrimonialem ibid.§.8.n.6. p.218
FORMA, & materia matrimonij exponitur C. 15. P.41. n.1. p.173
Forma concilij non eſt repetenda, niſi quando contractus fuit irritus, & ſecundum ſe, & ſecundum eccleſiam ibid.D.3.§.8.n.6. p.235
Forma concilij eſſet repetenda, ſi contrahentes contraherent coram parocho, & teſtibus omnibus ſcientibus impedimentum dirimens; ſecus, ſi omnes non eſſent conſcij &c. ibid.D 3.§.9. n.2. p.236
Forma concilij renouanda eſt quando expreſſè ponitur in conceſſione diſpenſationis habita de impedimento occulto, quo durante fuit initum matrimonium. ibid. §.10. n.3. p.238
Forma concilij non eſt renouanda quando impedimentum erat occultum, & non plenè probabile. ibid. §. 11.n.3. p. 239. & hoc intellige de quocumque impedimento occulto ibid per totum § 12.vſque ad p.241
Forma concilij non eſſet repetenda etiamſi impedimentum fuerit delatum ad forum contentioſum, non tamen probatum. ibid. §.13.n.2. p.241
Forma concilij obtenta diſpenſatione ſuper impedimento occulto non eſt renouanda, niſi ſit periculum, quod impedimentum fiat publicum ibid. §. 14. n.3 p.243
Forma concilij eſt repetenda purificata conditione contractus matrimonialis ibid. D.3.§.21.n.3. p. 255
Forma matrimonij debet fieri ſenſibilis: idem dic de materia ibid D.3. § 24 nu.3. p.261
FORNICATIO non eſt cauſa licita dimittendi vxorem, & ducendi aliam C. 15. P. 3. n.7. p.14., & hoc poſt legem euangelicam. Hic exponitur quomodo ſit intelligenda auctoritas iuxta varios auctores prolata à Chriſto ibid.
Fornicatio, quod non ſit cauſa legitima, vel ſufficiens ad dandum repudium ex iure habetur ibid nu 7. p.14
Fornicatio cum conſanguinea ſponſa de futuro non parit impedimentum ibid. P.5. n. 11. p. 324
Fornicatio cum conſanguinea ſponſa de præſenti parit impedimentum ibid. n.12. p.325
FRACTIO clauſtri virginalis præſumit ſeminationem C.15.D.2. §.1.n.2 p.209. hoc intellige, ſi fuerit facta modo debito, & licito.
FRIGIDITAS regulariter eſt ex parte viri C.15. P.17 num. 18. pag.431
Frigiditas quomodo cognoſcatur ibid.
Frigiditas remediabilis per pharmaca non eſt impotentia perpetua ibid. nu. 19. p. 432
Frigiditas, vt dirimat non eſt neceſſe, quod impediat erectionem membri, ſed ſatis eſt, quod impediat emiſſionem ſeminis ibid. n 20.
Frigiditas perpetua, ſi conſtat, ſtatim diſſoluit matrimonium ibid. n. 21., ſi non conſtat datur triennium.

G

GRADVS in cognatione carnali explicantur C. 15. P.10.S.1 num.6. p 365
Gradus quomodo computentur in linea tranſuerſali à iure ciuili, & canonico ibid. nu. 7.
Gradus quomodo computandi ibid. n. 8. p.365
Gradus quomodo computentur in iure ciuili in ordine ad ſucceſſiones ibid. nu. 9. p.366
Gradus primus conſanguinitatis in linea recta irritat matrimonium ibid S.2 n. 1. p.368. turpitudo tamen, quam importaret matrimonium in hoc gradu contractum poſſet ex diuina diſpenſatione depurari ibid. n 2
Gradus, in quibus de iure Leuitici erant prohibita matrimonia ibid. S.4.n.1. p.370
GRATIA non cauſabatur per matrimonium inſtitutum inter Adam, & Euam C. 15. P.1. n.4. P.4
Gratia in ſacramento matrimonij initi per Procuratorem, vel per litteras cauſatur etiam in contrahente dormiente ibid. P.8. p. 31
Gratia quomodo cauſetur à ſacramentis in virtute paſſionis Chriſti ibid. P.9. n 4. p 34
Gratia cauſatur à ſacramentis per virtutem extrinſecã communicatam à Deo entitati eorundem ſacramentorum ibid n.5.p.35., & hæc virtus eſt de genere qualitatis ſpiritualis ibid n. 6 p. 35., & n. 7. ibid.
Gratia cauſatur phyſicè cõcurrente procuratore legitimo ſimul cum altero contrahente ibid. n. 8. p. 35., & hic exponitur ſententia Cacherani.
Gratia non cauſatur niſi moraliter concurrente Procuratore nomine vtriuſque ibid nu.9. p 36
Gratia ſacramenti matrimonij tunc cauſatur, quando remouetur impedimentum conſenſus ficti in contractione ibid D.1 § 24 n 3. p.207
Gratia ex opere operato non cauſaretur, quando vnus ex contrahentibus fictè contraheret ibid. nu 4.
Gratia abſolutè facta non expirat morte concedentis ibid.D 4 §. 4. num.3. p. 303
Gratia quomodo cognoſci poſſit, quod ſit facta, an facienda ibid. pag.304

H

HÆBREI poſt legem euangelicam amiſerunt ius repudij C.15.P.3 nu 6. p.13
Hæbrei, & gentiles ſubduntur legi euangelicæ quoad ea, quæ ſunt omni ſtatui communia ibid. n 6. p. 13
HERMAPHRODITVS poteſt nubere ſecundum ſexum, qui præualet C.15 P.17. n.66. p 451
Hermaphroditus electo ſexu in æqualitate non poteſt alium eligere ibid.n 67. p. 67
Hermaphroditus variando ſexũ grauiter peccaret ibid.
HÆRETICI habitantes in locis catholicorum ſubduntur iuriſdictioni eccleſiæ C.15.P.20.nu.1. pag 62
Hære-

Digitized by Google

*Hæretici participant nomen fidelis ibid.* P.10. S 4.n.34. pag. 382

*Hæretici baptizantes, vel ſuſcipientes in baptiſmo non contrahunt cognationem ſpiritualem ibid* n. 35. p.383 *etiamſi poſtea abiurauerit ibid* n.37. pag. 383

*Hæretici non contrahunt cognationem cum fideli ſuſcipiente, vel baptizante eorum puerum ibid* n.39 p.383 *baptizans verò, qui eſt fidelis contrahit cum pubere ibid.num.*40.

*Hæretici, qui contraxerunt in linea recta vltra primum gradum, ſi conuertantur ſunt ſeparandi ibid.* P.17.D. 2. §.32.nu.3. pag. 531

*Hæretici contrahentes in illis gradibus, qui non repugnant iuri naturæ non peccant ibid* §. 33.n.2. p.533

*HONESTAS publica, quid ſit* C.15. P.12 *nu.* 1 p. 398

*Honeſtas publica eſt tantum de iure eccleſiaſtico ibid. num.* 2. p. 398

*Honeſtas publica conſurgit ex ſponſalibus validis, & dirimit tantum in primo gradu ibid.* n. 3.

*Honeſtas publica non conſurgit ex incertis perſonis ibid.*

*Honeſtas publica conſurgit ex matrimonio inualido niſi inualiditas ſit ex defectu conſenſus ibid.n.*4. p. 399

*Honeſtas publica non habetur, vbi deficit conſenſus ibid. num.*4.

*Honeſtas publica ex matrimonio, ſiuè valido, ſiuè inualido extenditur vſque ad quartum gradum in perpetuum ibid.* n.5.

*Honeſtas publica oritur, ſi frigidus, vel maleficiatus contraheret ſponſalia in tenella ætate in qua non poſſet cognoſci impotentia ex illis cauſis ibid.* P.17.D.3. §.3. *num.* 1. p.553

*Sententia negatiua præfertur ibid. n.* 3. p.553

*Honeſtas publica, an contrahitur quando quis contrahit ſponſalia cum impedimento dirimente ſcienter ibid.*§.4.n.2., & 3. *vſque ad* n.16. p. 555

## I

*IGNORANTIA inuincibilis excuſat à culpa* C.15 P.3. *nu.*13. p.17.

*Ignorantia contractus matrimonij per Procuratorem excuſat pro bimeſtri à iure præſcripto ibid.* P. 16. n.7. pag. 53

*Ignorantia contrahentis cum moniali profeſſa excuſat ad contrahendum impedimentum criminis ibid.* P.5. *num.* 33. pag.331

*Ignorantia ſeruitutis non ſolum antecedens, ſed etiam concomitans irritat ibid* P.8.nu.5. p. 339

*Ignorantia concomitans dum perſeuerat non intelligitur conſenſus ibid.*

*IMPEDIMENTVM, ſiuè proueniat ex delicto, ſiuè ex alio capite, ſi ſit in aliqua parte notorium debet conſcius illius aperire* C.15.P.37. n.45. p.154

*Impedimentum occultum obligat ad renouandum conſenſum ipſo ablato, & ſi notorium coram parocho, vel etiamſi ſit periculum ne probetur in iudicio ibid.* D. 3. §.8.n. 3., & 4. p. 234

*Impedimentum non poteſt probari, quando ſcitur tantum ab vno ibd.* § 9.n.3. p. 237

*Impedimentum reductum ad forum contentioſum non tamen probatum remanet adhuc occultum ibid.* § 13. *num.* 2. p. 242

*Impedimentum, quandò controuertitur, debet cognoſci ab ordinario ibid.*D. 3.§ 42.nu.2. p 287

*Impedimentum dirimens non poteſt induci niſi authoritate Pontificis ibid.*D.4.§.2.nu.2. p.301

*Impedimentum ſimpliciter impediens, quid & quotuplex ibid.*P.1. *nu.* 1. 2. 3. 4. 5. p.306

*Impedimentū ſine crimine, vel cum crimine, quid ſit ibid.*

*Impedimentum ſponſalium remiſſiuè ibid.*P.4.n.4. p.321.

*Impedimentum voti ibid. n.* 5. p. 321

*Impedimentum inceſtus habet ſua dubia ibid.* P.5. *nu.*1. pag. 322.

*Impedimentum raptus contrahitur, ſiuè ſponſa rapta fuerit talis de præſenti, ſiuè de futuro ibid* n.14. p.326

*Impedimentum raptus contrahitur per traductionem ſponſæ de vno ad alterum locum ibid nu.*16. p.326.

*Impedimentum raptus probabilius non contrahitur, ſi fœmina alienum ſponſum abducat ibid.n.*17. p.327

*Impedimentum vxoricidij, prout dirimit, & prout impedit ibid.nu.*18. p.327

*Impedimentum vxoricidij non contrahitur per necem vxoris deprehenſæ in adulterio ibid.* n. 19. p. 327., & *maximè, ſi fuerit occiſa authoritate Iudicis ibid. num.*20. p 328

*Impedimentum contrahitur non ſolum per ſuſceptionem, ſed etiam per collationem baptiſmatis, & per ſuſceptionem in confirmatione ibid.n.*25., & n.26. p. 329

*Impedimentum modo non oritur ex ſuſceptione in catechiſmo ibid.nu.*27. p. 329

*Impedimentum criminis non contrahitur ex præsbitericidio, niſi præsbitericida fuerit conuictus in iudicio ibid.num.*28.

*Impedimentum criminis nō oritur ex nece illata diacono parocho ibid.* n. 29. p.330

*Impedimentum criminis non contrahitur à marito per necem illatam præsbitero deprenſo in adulterio cum propria muliere ibid.n.*30.

*Impedimentum publicæ pænitentiæ, cur dicatur crimen ibid. num.*30

*Impedimentū publicæ pænitentiæ quantū duret ibid.n.*31

*Impedimentum criminis cum ſanctimoniali ibid. nu.* 31 *hic proponuntur quædam dubia.*

*Impedimentum hoc non inducitur niſi cum moniali profeſſa ibid. nu.* 32. p. 330

*Impedimentum hoc non contrahitur ab ignoranter contrahente ibid. num.*33. p. 331

*Impedimentum hoc non contrahitur à viuente in concubinatu cum ſanctimoniali ibid.n.*34.

*Impedimentum dirimens quotuplex ſit ibid.* P.6.n 1. p.331

*Impedimenta dirimentia alia ſunt de iure naturæ, alia de iure diuino, alia de iure eccleſiaſtico* C. 15. P. 6. *num.* 2. p. 332., & *hic enumerantur ſpectantia ad quodlibet ius.*

*Impedimenta, cur fuerint inducta quoad matrimonium non quoad alia ſacramenta ibid. n.*3. p.333

*Impedimentum cognationis legalis dirimens non eſt inter adoptantem, & parentes adoptati ibid.* P. 10. S. 5. *num.*18. p.390

*Impedimentum affinitatis, vide affinitas ibid.* P. 11. *num.* 1. pag.391

*Impedimentum publicæ honeſtatis oritur ex matrimonio rato ibid.*P.11.*nu.*6. p.394

*Impedimentum publicæ honeſtatis, vide honeſtas ibid.* P.12.*num.*1. p.398

*Impedimentum criminis, vide Crimen* P.13.n.1. p.401

*Impedimentum diſparitatis cultus, vide cultus ibid.* P. 14. p.408

*Impedimentum ligaminis, vide ligamen ibid. P.15. nu 1. pag. 414*
*Impedimentum ordinis, vide Ordo. ibid. P.16. num.1. pag. 419*
*Impedimentum impotentiæ, vide Impotentia.*
*Impedimentum dirimens quandoque habetur in viro ex nimia genitalium magnitudine ibid. P. 17. num. 15. pag. 430*
*Impedimentum duplex, prout duplici virtuti oppoſitum ibid. D.1. §.4. n.1. p. 459*
*Impedimentum inducit ſpecialem malitiam ibid. nu. 3. pag. 460*
*Impedimentum publicæ honeſtatis in quodam caſu D. 3. §.3 num.1. p. 553*
*Impedimentum poteſt ſe tenere ex parte vnius, non ex parte alterius ibid. § 6. num. 2. pag. 558*
*IMPOTENTIA duplex altera perpetua, altera temporanea C.15. P.17 num.1. p 426*
*Impotentia perpetua altera eſt abſoluta, altera reſpectiua ibid. num. 2.*
*Impotentia perpetua, quando præſumatur ibidem num. 3.*
*Impotentia perpetua antecedens dirimit matrimonium iure naturæ ibid. n. 4., ſiuè ſit cognita, ſiuè ignorata num. 5. p 427*
*Impotentia ad ſeminandum intra vas impedit ibid. n.7 pag. 427*
*Impotentia ad ſeminandum modo aſſueto intra vas fœminæ impedit ad contrahendum ibid. n.8. p.428*
*Impotentia temporanea (excipe ratione ætatis) non dirimit matrimonium ibid. n. 9.*
*Impotentia proueniens à natura, quandoque eſt perpetua, quandoque temporanea ibid. n 10. p 429*
*Impotentia in fœmina arcta, itaut non poſſit tolli niſi cum vitæ diſcrimine eſt inepta ad contrahendum ibid nu. 11., & liberè inciſioni ſubiacens, ſi non moriatur facta apta tenetur reualidare, & ratificare ibid n. 12 pag. 429*
*Impotentia arctitudinis in fœmina, ſi tolli poteſt ſine periculo vitæ cenſetur temporanea ibid. n. 13. p. 429*
*Impotentia ex frigiditate, vide Frigiditas.*
*Impotentia poteſt eſſe ex nimio calore ibid. n.21. p.432*
*Impotentia perpetua non habetur in maſculo emittente ſemen extra vas, ſi iterum poſſit congredi ibid. nu.22. pag. p 432*
*Impotentia ratione nimij caloris vix cenſetur perpetua ibid. p.433*
*Impotentia ex maleficio, quandoque perpetua, quandoque non ibid. n.24. p. 433*
*Impotentia quomodo arte diabolica inducatur euincitur exemplis ibid.*
*Impotentia ex maleficio perpetua dirimit ibid. num. 25. pag. 434*
*Impotentia autem ex maleficio quomodo poſſit eſſe perpetua ibid., & infra nu.26. p 434*
*Impotentia, quæ prouenit ex caſu, quandoque dirimit quandoque non ibid n.31. p 436*
*Impotentia proueniens ex morbo proueniente ex humorum intemperie non dirimit, quamuis morbus haberetur pro incurabili ibid n.32. p.436*
*Impotentia, quæ prouenit ex lepra non irritat ibidem num. 36. p. 438*
*Impotentia in ſpadonibus carentibus vtroque teſte dirimit, ſecus, ſi vno tantum careant ibid. 37. p. 439*
*Impotentia, quæ prouenit ex ſterilitate præciſè non irritat ibid n 38. p. 439*
*Impotentia ex ætate, quandoque irritat, quandoque non ibid. num. 39. p. 439*
*Impotentia inter coniugatos probanda per triennium ibid nu. 45. p. 441*
*Impotentia perpetua quibus ſignis probetur ibid. num. 46. pag 441*
*Impotentia ſuperueniens non dirimit matrimonium ibid. num. 62. p. 449. etiam in rato præciſè ibid.*
*Impotentia in dubio, an cenſenda ſit naturalis, vel accidentalis ibid. num. 63. p. 449*
*Impotentia ſubſequens non prohibet vſum coniugij ibid. num. 65. p. 449*
*Impotentia ſeminandi ſubſequens non impedit ibid. num. 65. p. 450*
*Impotentia ad edendam prolem viuam in fœmina, nec periculum pariendi cum vitæ diſcrimine obeſt ibid.*
*INCESTVS prout eſt impediens impedit contractum, cum quacunque C.15. P.5. nu. 2. p. 322*
*Inceſtus occultus probabilius non parit impedimentum ibid. num. 3.*
*Inceſtus non tam parit impedimentum in marito, quam in vxorem ibid. n 4 p. 323. imò etiam in conſanguineis vtriuſque ibid n.5.*
*Inceſtus cum conſanguinea vxoris, ſi ſit ignorantia conſanguinitatis, non parit impedimentum ibid n.6.*
*Inceſtus parit impedimentum, ſi ſit cum conſanguinea vxoris in ſecundo gradu ibid. n 7.*
*Inceſtus non oritur ex copula fornicaria cum cognata, vel legali, vel ſpirituali ibid nu.8. p.324*
*Inceſtus commiſſus per maritum cum conſanguineis proprijs non inducit impedimentum ibid. n.9.*
*Inceſtus commiſſus cum conſanguineis vxoris eadem mortua non inducit impedimentum ibid. n. 10. p.324*
*Inceſtus, vt ſit talis, debet eſſe conſumatus per copulam perfectam ibid nu. 13. p. 326*
*Inceſtus cum conſanguinea propria ponit impedimentum impediens ſecundum aliquos ibid. P.17. D.1. §. 9 n.2 pag. 468*
*Inceſtus, vt ſupra, non inducit hoc impedimentum ibid. num. 3. pag 469*
*Inceſtus, vt ponat impedimentum in matrimonio, an requirat ſententiam iudicis ibid §.12. num 1 p. 472. probabilius requirit ibid., ſi non fuerit notorius ibid. num. 3. p 472*
*Inceſtus non contrahitur per copulam, cum conſanguinea in tertio gradu, ſi iam fornicatio præceſſerat cum conſanguinea illius ibid. D.3. §.2. nu 3. p. 551*
*INDISSOLVBILITAS matrimonij contracti inter infideles prouenit ex iure naturali diuino C. 1. P 3. num. 1. pag. 9*
*Indiſſolubilitas ſupradicta non prouenit ex iure naturæ ſtrictè ſumpto, nec ex iure diuino poſitiuo, nec ex iure eccleſiaſtico ibid. n. 1. pag. 10*
*Indiſſolubilitas in matrimonio maior eſt, quà ſacramentum, quam quà contractus ciuilis eſt ibid. n 1. p 10*
*Indiſſolubilitas ſtricta eſt de matrimonio conſumato, & de præcepto diuino poſitiuo ibid.*
*Indiſſolubilitas matrimonij figurat vnionem indiſſolubilem Chriſti cum eccleſia ibid. n 2. pag 10*
*Indiſſolubilitas competens matrimonio poſt inſtitutionem Chriſti prouenit ex ſignificatione vnionis Chriſti cum eccleſia factæ inter iſtam, & illum per carnem aſſumptam ibid. n. 3. pag 11*

Indiſ-

*Indiſſolubilitas potuit diſpenſari à Deo in lege Moſaica ibid. nu.4* p. 12
*Indiſſolubilitas ſtricta etiam poſt legem euangelicam, non competit matrimonio infidelium.*
*Indiſſolubilitas matrimonij rati non procedit ex principijs per ſe notis ibid. n* 15 pag. 18
*Indiſſolubilitas eſt bonum matrimonij, vt ſacramenti ibid* P.4 *num* 4. pag.22
*Indiſſolubilitas nequit eſſe ſine ratione ſacramenti in matrimonio ibid nu.*5. pag.22
*Indiſſolubilitas in matrimonio maior ratione ſacramenti, quam ratione alia ibid.* P.6 *num* 1 p 25., & *quid ſpecialitèr ſignificet ibid.*
*Indiſſolubilitas poſt conuerſionem coniugum eſt rigoroſa ibid.* P.15. *n* 4. p.41
*Indiſſolubilitas introducta ad bonum prolis ibid.* P. 13. *num* 2. pag.44
*Indiſſolubilitas non oritur ex quocunque damno ſponſa, vt v gr. eius vaſis ſimplex penetratio ibid. P.13.nu.2.* pag. 44
*Indiſſolubilitas eſt ratione prolis legitimè concepta ibid. num*.10. pag.47
*Indiſſolubilitas matrimonij habetur ex parte mariti, quando intra bimeſtre voluntariè oppreſſit ſponſam non autem ex parte ſponſa oppreſſa ibid.* P. 15. *num* 1. pag. 49
*Indiſſolubilitas matrimonij clandeſtini ante concilium trid. &c. ibid* P.17.*num*.3. pag.57
*Indiſſolubilitas matrimonij non tollitur niſi per mortem ibid.* P.15.*nu*.10. p.418
*INTERPRES in re dubia nullius eſt fidei* C. 15. D. 1. §. 20 *num* 2. pag. 201
*Interpres non eſt teſtis, ſed declarator voluntatis contrahentium ibid.num.* 5. p.202
*Interpres loquens præſumitur contrahens loquens ibid. num*.6. p. 202
*INTERROGATIO prauia de conſenſu non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed tantum præcepti, & in ſuppoſitione, quod contrahentes non aperirent mutuum conſenſum* C.15 P.33.*n*.1. p.116
*Interrogatio non eſt neceſſaria ceſſante fine illius ibid. num*.1. pag. 117
*Interrogatio &c., quando ſit neceſſaria, vt Parochus vitet peccatum ibid n* 1. pag 117
*Interrogatio non eſt facienda prius vni, quam alteri ibid num*.3. pag.118
*Interrogatio fieri poteſt per interpretem ibid nu* 4. p 118
*INTERDICTVM ſimplex Pontificis ſine clauſula irritante non facit matrimonium inualidum ibid.* &C. 15. D. 1 *n*. 5. p. 454., & *hoc ſiuè fuerit per modum conſtitutionis, ſiuè præcepti ibid. n*.5.
*Interdictum, ſi fuerit ob tempus feriatum coniuges ſunt ſeparandi ibid nu* 3. pag. 456
*IRREGVLARITAS ex bigamia, vide Bigamia.*
*Irregularitas contrahitur ab eo, qui diſſoluto matrimonio ratione impedimenti, quod ignorauerat, contrahit aliud, & conſumat* C. 15. D. 3. §. 11. *num* 8. pag. 569
*Irregularitas contrahitur ab eo, qui nubit corruptæ exiſtimans virginem ibid.nu*.9.*non autem ab eo, qui aucit defloratam à ſe ſolo ibid nu*.11
*Irregularitas contrahitur ab eo, qui fuit corruptus per alium matrimonium, etiamſi contrahat cum virgine ibid num* 9. pag. 569
*Irregularitas contrahitur ab eo, qui poſt adulterium cognouit vxorem ibid. n*.12. p. 570
*Irregularitas contrahitur ab eo, qui ſacris initiatus ducit viduam, vel virginem ibid. n.* 13. p. 570. *idem dic de profeſſo ibid.*
*Irregularitas bigamiæ, an tollatur per baptiſmum dubium eſt apud SS. Patres ibid.* §. 12. *n*. 1. p. 571
*Irregularitas bigamiæ non tollitur per profeſſionem in religione ibid n*.3.
*IVDEX cognita cauſa poteſt bimeſtre prorogare* C. 15 P.16. *nu* 8. pag. 53
*Iudex prorogando terminum prorogat etiam pœnam ibid*
*Iudex laicus non poteſt interdicere matrimonium ad tempus etiam ex cauſa ibid* P. 2. *nu*.1. p. 307
*IVS repudij ceſſauit etiam Hebreis poſt legem euangelicam* C.15 P.3.*nu* 6. pag. 13
*Ius repudij abrogatum à Chriſto ibid.nu* 6. p.13
*Ius ciuile non poteſt inducere conditiones irritantes matrimonium eleuatum ad eſſe ſacramenti ibid.* P. 4. *num*. 3. pag 21
*Ius eccleſiaſticum ſe ingerit in matrimonio, vt contractu ibid.* P.4.*n*.3. pag.22
*Ius præſcribens bimeſtre ad deliberandum de religione quomodo ſit intelligendum ibid.* P. 16. *n*.2. p. 51
*Ius ciuile non poteſt irritare matrimonia ibid.P.19.nu* 2. pag. 60
*Ius canonicum abrogauit iura ciuilia, ſuper irritationem matrimonij ibid.*
*Ius laicale non poteſt inducere impedimenta dirimentia matrimonium ibid.* P.19. *n*.4. pag.60
*Ius laicale non poteſt inducere diſpoſitiones ad res ſacras ibid.* P.19. *nu*. 5. p.61
*Ius legis obliteratum per longum tempus infirmatur ibid.* P.21.*nu*.4. p. 66
*Ius, ſeu facultas, quæ competit aſſiſtendi, competit etiam dandi facultatem ibid.* P. 34 *nu*. 2. pag 121
*Ius attendit actum, non propoſitum agendi* D.1. §. 18. *num*. 3. p.200
*Ius non reſtringit expreſsè Epiſcopum non poſſe delegare certam perſonam, vt diſpenſet ab impedimento occulto, quod in tali caſu poteſt diſpenſare ibid* D. 3. §.33.*nu*.4. pag 275
*Ius, & ſubiectio ſunt ſibi correlatiua ibid*.§.44. *num*.2. pag. 290
*Ius deceptis, non deceptoribus ſubuenit ibid.* P. 8. *nu*.7. pag. 340
*Ius poſtliminij, per quod inducitur error ſeruitutis ibid. num*. 15. pag. 344
*Ius contrahendi eſt naturale, & eſt reſpectu poſſidentis, non reſpectu exterioris poteſtatis ibid n*.22. p. 346
*Ius naturale aliquando ſtrictius, aliquando minus ſtrictum vinculum habet ibid. n*.22. p.346
*Ius ſerui anterius eſt origine, & iure ibid. n*. 33. p.350
*Ius de nouo ſtatutum non tollit ius vetus, niſi de illo habeatur mentio* C.15. P.16. *nu*.12. p. 55
*Ius, quod ſolum irritat, & prohibet, non autem omne ius habet irritare ibid.* P. 17.*n*.3. pag.56
*Ius voluntarium exercetur etiam extra territorium, ibid.* P. 25. *nu* 1. pag. 82
*Ius. ſeu facultas diſpenſandi à denuntiationibus non eſt perſona, ſed dignitatis ibid.* P.37. *nu*.18. p 146
*Ius, ſeu facultas diſpenſandi, an ſit delegabilis etiam non ſacerdoti ibid.*, & *nu*. 19. *dicitur, quod ſic* &c. *ibid.*

Ius

Digitized by Google

*Ius non poteſt tolli inuito domino ibid. P.9.nu.7.* p.355
*Ius tum ciuile, tum canonicum quomodo computet gradus cognationis ibid. P.10.S.1.n.8.* p.365
*Ius ciuile quomodo computet gradus in ordine ad acceſſiones ibid. nu.9.* p.366
*Ius canonicum ſeruandum eſt in ordine ad matrimonia ibid. num. 10.* p.366
*Ius Leuitici niſi contineat naturale eſt abrogatum ibid.* P.10. *S.4.n.1.* pag.370
*Ius coniugij non tollit debitum ſeruitutis ibid. P.17.D.2. §.11. num.4.* pag.491
*Ius permittens redemptionem filiarum permittit etiam redemptionem filiorum ibid. §. 18.n.3.* p.500
*Ius reſtauratum reducit ad priſtinum ſtatum ibid. §.30. num.6.* p.527
*Ius non remittitur ex copula ſubſequenti, ſed ex libera voluntate alterius reuocantis ibid. n.6.* p.527
*IVRISDICTIO voluntaria Parochi exercetur etiam extra territorium* C.15. *P.25. n.1.* pag.82
*Iuriſdictio voluntaria Parochi exercita extra Parochiam non deſinit eſſe perſona publica ibid. n.2.* p.83., *& hic afferuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.*
*Iuriſdictio ordinaria duplex altera ſimplex, altera cohærens ibid.* P.27. *nu 8.* p.91
*Iuriſdictio diuerſo modo reſidet in Epiſcopo, ac in eius vicario ibid. idem dic de Vicarijs aliorum habentium diœceſim.*
*Iuriſdictio Vicarij ceſſat moriente Epiſcopo etiamſi eidem non denuncietur iuridicè mors eiuſdem ibid. P.31.n.10.* p.106
*Iuriſdictio competens perſona ratione officij & dignitatis eſt perpetua, & ordinaria ibid. D.3.§.33.nu.4.* pag. 275

L

*LEGATI, ſiuè Nuncij in ſua Prouincia poſſunt matrimonijs aſſiſtere, & facultatem dare aſſiſtēdi* C.15.P.27.n.3.p.89, *& quidem immediatè, nec ſolum in ſecunda inſtantia ibid. n. 4.*
*LEX præſcribens factum afficit etiam ignorantes* C. 15. P. 21. *num.* 1. p.64
*Lex non obligat niſi promulgata ibid.*
*Lex pænalis non afficit ignorantes ibid* p.65
*Lex habet vim obligandi ad acceptationem, & obſeruantiam ibid. nu 2.* p.65
*Lex aſſignans tempus ad obligandum afficit etiam ignorantes ibid. n.3.* p.65
*Lex pontificia habet aliquid plus lege laicali ibid.*
*Lex Conc. Trid. etiamſi ab initio non fuerit acceptata non tamen fuit inculpabilitas in renuentibus ibid. num. 3.* p.66
*Lex per longum tempus obliterata infirmatur ibid n. 4.*
*Lex patria non obligat extra patriam ibid. P. 21. nu. 5.* pag. 67
*Lex obligat etiam aduenas ibid. nu.8. p.69. maximè in contractibus.*
*Lex, quando eius ratio eſt expreſſa extenditur ad ea, in quibus militat ratio legis ibid.* P.39. *n.7.* p.165
*Lex charitatis obligat ad ſubueniendum proximo in periculo ibid. D.2.§.1*1.*n.2.* p.221
*Lex etiam iuſtitiæ obligat, vt ſupra ibid. n. 3.*
*Lex quandoque reſpicit factum, quandoque iuris effectum ibid. D.3. §.1. num 3.* p.224
*Lex noſi iuris non præſumit ignorantiam ibid.* P.15 *nu 3.* pag. 420
*LIBELLVS repudij in lege Moſaica permiſſus non autem in euangelica* C. 15.*n.3.* pag 7.
*Libellus repudij permiſſus à Gentilibus ibid*
*Libellus repudij apud catholicos non permittitur ob indiſſolubilitatem, quam importat matrimonium quæ ſacramentum eſt ibid*
*Liibellus repudij apud Hæbreos permiſſus ad minus malum, & vt quid licitum diſpenſante Deo ibidem num.4.* pag. 11
*Libellus repudij non fuit permiſſus ad maiora mala vitanda præcisè, & quare ibid. nu.4.* p. 12
*Libellus repudij non fuit pernicioſus iuxta opinionem noſtram inter gentiles ibid. n.5.* p. 12
*Libellus repudij poſt legem euangelicam non eſt amplius licitus Hæbreis, nec alijs infidelibus ibid. n.6.* p. 13
*LIBER ſtatu quiſnam propriè dicatur* C.15. *P.17.D.2. §.21. num. 1.* p.507
*LIBERTAS conceſſa ad breue tempus ſupponitur pro ſemper conceſſa* C.15. P.8. *n.1. p 337. intellige, ſi propriè fuerit conceſſa ibid. n. 2.*
*Libertas per decennium immò per quinquennium præſcribitur ibid. P.8. n.* 12. p.342
*Libertas ad principale eſt etiam ad acceſſorium* C. 15. P.2. *num.2.* p.6
*Libertas eſt cauſa maximè fauorabilis ibid.* P. 17. *D.* 2. §. 14. *nu.* 3. p.495
*Libertas ſtatus in quonam propriè detur ibid §.21. nu.1.* pag. 507
*LICENTIA generalis quomodo poſſit ſumi* C.15. P.35. *num 2.* pag.125
*Licentia tacita de futuro non ſufficit ad validitatem matrimonij, nec ſubſequens ad actum ibid. num. 3* pag 125
*Licentia tacita, vt ſupra, debet eſſe, quando fit actus ibid.*
*Licentia aſſiſtendi, ſi ſit dubia, an præceſſerit matrimonium præſumenda eſt pro validitate ſacramenti ibid. num. 4.* pag. 126
*Licentia tacita, vt ſi Parochus videat, & taceat, ſufficit ibid., vbi afferuntur declarationes Sac. Congreg.* pag. 126
*Licentia generalis ad exercenda omnia ſpectantia ad curam animarum in tali parochia ſufficit ad validè aſſiſtendum matrimonijs ibid. n. 6.* p 128
*Licentia in ſcriptis ad aſſiſtendum non eſt neceſſaria ibid. num.9.* p 129
*Licentia fictè ſolis verbis conceſſa eſt ſufficiens ibid n.*10. pag. 129
*Licentia per metum, ſeù per dolum extorta eſt ſufficiens ibid. num 11.p.* 130., *& hic aſſignatur diſparitas de matrimonio inito per metum, ac de huiuſmodi licentia ibid.*
*Licentia aſſiſtendi debet deputato innoteſcere aliundè quam per atteſtationem contrahentium ibid. num. 12* pag. 131
*Licentia aſſiſtendi, ſi fuerit conceſſa motu proprio Parochi ſufficit, ſi deputato innoteſcat per perſonam omni exceptione maiorem ibid. num. 16.* p. 132
*Licentia deputato conceſſa per nuntium, vel per procuratorem ſufficit, ſi commiſſario innoteſcat per vnum eorum ibid. nu 17.* pag.132

*Licen-*

Licentia conceſſa cum aliqua conditione exigit vt matrimonium teneat, quod illa conditio ſeruetur. ibid. n.20. p.132
Licentia quandoque conceditur ſub modo, quandoque ſub conditione ibid. n.20. 21. 22. p.133
Licentia conceſſa à Parocho, vel ab Epiſcopo exerceri poteſt extra Parochiam, vel Diœceſim ibid. num 23. pag 133., & hoc etiam, ſi Delegans dixerit in mea Parochia, vel in mea Diœceſi, dummodò non ſit limitata per tantum ibid. n.24., & nu.25. p.134
Licentia eſt reuocabilis ante contractum matrimonium ibid. nu. 26. p.134
Licentia reuocata debet intimari delegato per nuntium ibid. n.27. p.134
Licentia non eſt diſſimulatio ibid. P 9. n. 14. p. 358
Licentia, quæ requiritur antecedenter, non debet eſſe interpretatiua ibid.
Licentia aſſiſtendi certis nuptijs non expirat morte concedentis C.15. D.4. §.4. n 3. p. 303
Licentia, & mandatum quoad iuriſdictionem voluntariam diuerſimode ſe habent ibid.
LIGAMEN quid ſit. C.15. P.15. n.2. p.415
LINEA cognationis, quid ſit, & quotuplex. C. 15. P. 10. S 1. n 2. & 3 p.364
Linea recta duplex altera aſcendentium, altera deſcendentium. ibid. n.4. p.365
Linea tranſuerſalis alia eſt æqualis, alia inæqualis. ibid. n.5. p.365. & hic explicatur quid veniat nomine graduum. ibid. n.6.
Linea tranſuerſalis quomodo contineat gradus. ibid. n.7. & hoc tum ſecundum ius canonicum, tum ſecũdum ius ciuile ibid. nu.7.

## M

MAGISTER ſcholæ Salmantinæ poteſt aſſiſtere matrimonijs ſuorum ſcholaſticorum ſi re vera habeat hanc iuriſdictionem ſpiritualem. C.15. P.27. n. 15. p.93
MALEFICIVM quando cenſeatur perpetuum. C. 15. P.17. n.26. p.434
Maleficium ſolui non poteſt alio maleficio niſi per peccatum, ibid. n.28. p.435
Maleficium poteſt iniri cum duplici pacto, vel cum vnico, & quomodo. ibid. n.29. p.435
Maleficium inter coniugatos cenſetur perpetuum, quãdo per triennium non potuerunt congredi. ibid. nu. 30. p.436
Maleficium tolli poteſt ab vno, non ab alio. ibid. n.58. p.447.
MALEFICIATVS non poteſt petere ſolutionem maleficij altero maleficio à malefico parato. C. 15. P.17. n.28. p.435
Maleficiatus poteſt petere ſolutionem à malefico pollente arte ſoluendi. ibid.
Maleficiatus per quid diſcriminetur à frigido. ibid.
MALVM minus eligendum quomodo ſit intelligendum. C 15 D.3. § 24. n.3. p.263
MANVMISSIO ſerui non intelligitur facta ante ſolutum pretium. C.15. P.17. D.2. §.20. n.3. p.505
Manumiſſio quem effectum cauſet. ibid. n.7. p.506
MATERIA eccleſiaſtica matrimonij eſt conſenſus contrahentium. C.15. P.19 n.2. p.60
Materia, & forma matrimonij exponitur remiſſiuè. ibid. P.41. n.1. p 173
Materia, & forma debet fieri ſenſibilis. ibid. D. 3. § 34. n.3. p.261
MARITVS, qui ſponſam intra bimeſtre per vim oppreſſit non poteſt alteri nubere, ſi oppreſſa tranſeat ad monaſterium. C.15. P.15. n.1. p.49
Maritus vt ſupra ſi ingrederetur religionem inualidè profiteretur. ibid. n.3.
Maritus vt ſupra debet ſibi imputare, quod non poſſit nubere. ibid. n 4. p.50
Maritus præuidens incontinentiam in coniuge non petente debitum tenetur coniugalem actum adhibere. ibid. D.2. §.11. n 2. p.221
Maritus in data hypoteſi teneretur exhibere actum coniugalem, etiam cum dubio, quod illa exhibitio fuerit profutura. ibid. n.4. p.221. non autem obligaretur certus de non remouendo ab incontinentia. ibid. n.5. p.222
Maritus, & fœmina in petitione debiti non ſunt pares. ibid. n.4. p. 223
Maritus conſcius impedimenti, ſi conſumat, tenetur ad damna, quæ mulieri contigerunt ibid. D.3. §.27. n.4 p. 266., ſecus verò, ſi vxor ſciuerit ibid. n 5.
Maritus poteſt ſe ipſum vendere non conſentiente vxore ibid. P.17. D.2. §.9. num.2. p. 483
Maritus ſe gerens, vt ſupra, peccaret, ſed non contra iuſtitiam ibid. n 3. p.488
Maritus ſi ſe vendat matrimonium tamen non ſoluitur ibid. nu.5. p. 488
Maritus ſuſcipiens ex neceſſitate vxorem in Confirmatione non priuatur iure petendi debitum ibid. P. 17 D.2. §. 35. n.4. p.535
Maritus quamuis contraheret cognationem ſpiritualem cum coniuge ante conſumationem non teneretur ingredi religionem ibid. §. 36. n.4. p. 538
Maritus mortua vxore ſua poteſt ducere illam, quæ fuerat vxor fratris prioris vxoris ſuæ ibid. D. 3. §. 1. num.3. pag. 550
Maritus non poteſt initiari ſacris ordinibus ſine libera licentia coniugis ibid §.10. n. 2. p.564. etiamſi matrimonium non fuerit conſumatum ibid. etiamſi habeat animum deindè ingrediendi religionem ibid. n. 3.
Maritus promotus, vt ſupra, ſine licentia vxoris poteſt reuocari ibid. n.4. p. 564
Maritus reuocatus, vt ſupra, tenetur reddere, non tamen poteſt petere debitum ibid n.5. p 564
Maritus, vt ſupra poteſt, ſi vult, ingredi religionem ibid. nu. 6. p. 565., ſi vxor voueat continentiam ibid. num. 7. p. 565
Maritus vt poſſit promoueri ad Epiſcopatum vxor debet profiteri religionem ibid. §.10. n.9. p.566
MATRIMONIVM inſtitutum in ſtatu iuſtitiæ originalis in officium naturæ C.15. P.1. nu 1. p.3
Matrimonium, an fuerit inſtitutum ſolo iure naturæ abſque diuina voluntate, an verò à Deo ibid. n. 2. p.3
Matrimonium fuit verè inſtitutum à Deo non ſolo iure naturæ ibid.
Matrimonium non fuit pro tali ſtatu ſacramentum ibid. num. 3. pag.3
Matrimonium Adæ, & Euæ non habet rationem ſacramenti, cum non habeatur in ſcripturis ibid. n.3. pag.3 Hic explicantur aliqua auctoritates Apoſtoli.
Matrimonium inſtitutum in ſtatu iuſtitiæ originalis dictum ſacramentum per quandam analogiam, non per proprietatem ibid. n.3. pag. 3

Matri-

*Matrimonium in ſtatu iuſtitiæ originalis in officium naturæ, quando dictum fuit* adhærebit vxori ſuæ *&c. ibid. nu. 4.* pag. 4
*Matrimonium in remedium concupiſcentiæ commiſſo peccato inſtitutum, quando dictum fuit* creſcite, & multiplicamini *&c. ibid.*
*Matrimonium inſtitutum poſt lapſum inter Adam, & Euam non cauſabat gratiam ibid. nu. 4.* p. 4
*Matrimonium fuiſſe inſtitutum, vt ſacramentum tempore Adæ lapſi non conſtat ibid. nu 4.* p. 4.
*Matrimonium in ſtatu legis euangelicæ eleuatum fuit ad eſſe ſacramenti ibid. n. 5.* p. 5.
*Matrimonium fuit taliter eleuatum, quando Chriſtus dixit* Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet *ibid. n. 6.* pag. 5
*Matrimonium, vt ſacramentum validè contrahi poteſt in peccato lethali, ſed non licitè, & contrahens in lethali non conſequeretur gratiam ſacramentalem. ibid. P. 2. n. 1.* p. 5
*Matrimonium contractum cum errore, quo quis falsò exiſtimat in eodem non eſſe vim ſacramenti, non eſt inualidum, neque vt contractus eſt, neque vt ſacramentum eſt. ibid. n. 1.* p. 5
*Matrimonium contractum cum expreſſa intentione non conficiendi ſacramentum, nec eſt ſacramentum, nec obligat in vim contractus. ibid. n. 2.* p. 6
*Matrimonium eſt vnum numero ſacramentum in vtroque coniuge fideli, non tamen in vtroque, ſi vnus eorũ ſit infidelis. ibid. n. 3.* p. 7
*Matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem importat indiſſolubilitatem actu reſpectu fidelis, & in potentia reſpectu infidelis. ibid. n. 3.* p. 8
*Matrimonium inter infideles importat indiſſolubilitatem ex iure naturali diuino. ibid.* P. 3. *n. 1.* p. 9
*Matrimonium tantummodo ratum diſſolui poteſt per ingreſſum Religionis. ibid. n. 2.* p. 10
*Matrimonium poteſt diſſolui, ſi vnus infidelium coniugum conuertatur. ibid. n. 3.* p. 11
*Matrimonium ſi contractum fuerit inter infideles, & diſſolutum per libellum, & repudians alteri nupſerit, & poſtea conuerſus fuerit ad fidem, debet redire ad primam repudiatam. ibid. n. 8.* p. 15
*Matrimonium ratum poteſt diſpenſari à* Pontifice *iuſta de cauſa. ibid. n. 15.* p. 18
*Matrimonium conſumatum infidelium quando conuertuntur ad fidem poteſt diſpenſari à Pontifice. ibid.* p. 19
*Matrimonium poſt legem Euangelicam eſt contractus, & ſacramentum indiuiſibiliter. ibid. P. 4. n. 1.* p. 20
*Matrimonium Deiparæ fuit cum ordine implicito ad conſumationem. ibid.* p. 21
*Matrimonium vnde dicatur. ibid.* P. 5. *n. 1.* p. 22
*Matrimonium importat mutuum conſenſum, externum contractum, mutuam corporum traditionem, vinculum coniugale, obligationem reddendi debitum, vſũ, & conſumationem. ibid. P. 5. n. 1.* p. 23
*Matrimonium definitur vt contractus eſt. ibid. n. 2. p. 23. & n. 3. definitur vt ſacramentum eſt. ibid.*
*Matrimonium eſt productiuum gratiæ ibid. n. 3.* p. 24
*Matrimonium, vt productiuum gratiæ ad quem effectum ſpecialem ſit. ibid. n. 4.* p. 24
*Matrimonium in facto eſſe definitur. ibid n. 5.* p. 24
*Matrimonium dicit rem, & ſacramentum, & quid ſit res, & quid ſacramentum exponitur ibid. P. 6. n. 1* pag. 25
*Matrimonium, vt ſacramentum pro re dicit tantum gratiam, quam cauſat, & ſacramentum ſunt actus contrahentium ibid. n. 1.* p. 25
*Matrimonium pro re, & ſacramento dicit vinculum coniugale omninò indiſſolubile ibid.*
*Matrimonium pro effectu ſecundario dicit alia ab effectu primario ibid. n. 1.* p. 26
*Matrimonium, an ſit vnum, vel duplex ſacramentum ibid. P. 7. n. 1. p. 26. hic exponuntur variæ opiniones num. 2., & 3.*
*Matrimonium eſt vnum in fundamento, tamen eſt virtualitèr duplex ſacramentum ibid. n 4.* p. 27
*Matrimonium quomodo ſit vnum ibid, & quando ſit duplex ibid. p. 28., & hic conciliantur oppoſitæ ſententiæ n 5.* p. 28
*Matrimonium initum per procuratorem tenet ibid.* P 8. *n. 2. p. 29., & etiam per litteras ibid. n 3.*
*Matrimonium contractum, ſiuè per Procuratorem, ſiuè per litteras ſubſiſtit, tum ratione contractus, tum ratione ſacramenti ibid. nu. 4* pag. 30
*Matrimonium fit ſacramentum, quando per* Procura*torem, vel per epiſtolam fit applicatio conſenſuum coram Parocho, & teſtibus ibid. n. 5.* p. 30
*Matrimonium, vt ſacramentum cauſat gratiam etiam in contrahente dormiente, qui contraxit per Procuratorem, vel per litteras ibid.* P. 8 *n. 5.* pag. 31
*Matrimonium, vt ſacramentum, an cauſet gratiam phyſicè, an tantum moralitèr in contrahentibus ibid.* P. 9. *n. 3. p. 33. aſſeritur quoad vtrumque affirmatiuè ibidem nu. 4.*
*Matrimonium, quod cauſauit gratiam in prima ſui productione, non auget eamdem ex maiori diſpoſitione ſubſequenti ibid.* P. 10. *n 3.* p. 38
*Matrimonium verò, quod illam non cauſauit in prima ſui origine maiorem cauſat in reuiuiſcentia iuxta maiorem diſpoſitionem ibid.*
*Matrimonium infidelium in infidelitate contractum per conuerſionem ad fidem efficitur ſacramentum ibid. P. 11. n. 1.* p. 39
*Matrimonium ſupradictum non fit niſi ſecundum aliquam rationem nouum matrimonium ibid.*
*Matrimonium inter infideles fit ſacramentum poſt conuerſionem, etiamſi non ſit Parochus præſens ibid. P. 11. num. 3.* p. 40
*Matrimonium infidelium dicit rem, & ſacramentum in actu primo ibid. n. 4.* p. 40
*Matrimonium inter fideles nequit eſſe contractus ſine ſacramento ibid.* P. 11. *nu. 4.* p. 41
*Matrimonium per conuerſionem vtriuſque coniugis immediatè fit ſacramentum ibid. n 5.* p. 41
*Matrimonium contractum inter infideles factum ſacramentum per ſuſceptionem baptiſmi ab eiſdem non cauſat in eiſdem gratiam phyſicè, ſed tantum moralitèr ibid. nu 6.* p. 41
*Matrimonium ratione ſubiecti diuiditur in matrimonium, vt contractus præcisè, & in matrimonium, vt ſacramentum, & vt contractus ibid. P. 12. nu. 1.* pag. 42
*Matrimonium ratione obiecti in ratum, conſumatum, & legitimum ibid. n. 2.* p. 42
*Matrimonium ratione formæ in ſolemne, & clandeſtinum ibid. n. 3.*
*Matrimonium, vt præcisè contractus diſpenſabile humana poteſtate ibid. nu. 1., vt contractus, & ſacra-*
mentum

Digitized by Google

*mentum omninò indiſpenſabile, ſi fuerit conſummatum ibid.num.1.* p 42
*Matrimonium ratum tribuit ius ad vſum coniugalem: conſummatũ ius in re per actualem copulam ibid.n.2* pag. 42
*Matrimonium ſolemne eſt illud, quod fit in facie Parochi, & teſtium, vt ex Conc. Trid; clandeſtinum è contra, quod fit ſine tali ſolemnitate ibid. num. 3* pag. 42
*Matrimonium propriè non conſummatur ex ſola vaſis muliebris penetratione, ſine ſeminis effuſione in eodem ibid. P.13.n.1.* p 44
*Matrimonium intelligitur conſummatũ, quando coniuges facti ſunt vna caro per ſeminis commixtionem ibid. n. 2.* p 44
*Matrimonium conſummatũ indiſſolubile eſt ob bonum prolis ibid. n.2.* p 44
*Matrimonium non intelligitur conſummatũ per ſolam ſeminis maſculini emiſſionem intra vas fœmineum ſine concurrentia ſeminis fœminei ibid n. 3.*
*Matrimonium verè diceretur conſummatũ, ſi ſemen maſculi poſſet immitti abſque penetratione vaſis fœminei cum debitis diſpoſitionibus ibid. n.5.* p. 45
*Matrimonium verè dicitur conſummatũ, quandò haberi poteſt generatio ibid. n. 5. p.* p. 45
*Matrimonium intelligitur conſummatũ etiam per copulam vi extortam ibid. P.14.n.1.* p.47
*Matrimonium conſummatum ex parte mariti voluntarie, & ex parte vxoris per vim intra bimeſtre reſpectu illius eſt indiſſolubile, non autem reſpectu iſtius ibid. P.15.n.1.* p.49
*Matrimonium ſolui poteſt per ingreſſum in Religionem etiam vltra bimeſtre, ſi non fuerit conſummatũ ibid. P.16.nu.1.* p.51
*Matrimonium non diſſoluitur, niſi per profeſſionem ibid. num.12.* p.55
*Matrimonium clandeſtinum ſine teſtibus, & denunciationibus praciſo iure eccleſiaſtico non eſt per ſe prohibitum ibid. P. 17. nu. 1. p. 55. & p.56. ſoluitur ratio oppoſita.*
*Matrimonium clandeſtinum ante concilium Trid. prohibitum ibid. n.2.* p 56
*Matrimonium clandeſtinum ante conc. Trid. non erat irritum ibid. n. 3.*
*Matrimonium clandeſtinum non eſt adulterium, nec contubernium niſi præſumptiuè ibid. P.17 n.3.* p 57
*Matrimonium clandeſtinum celebratum ante Conc. Trid. mutuo conſenſu contrahentium fuit validum ibid. nu. 4.* p.57
*Matrimonium contrahere ante Conc. Trid. ſine teſtibus erat peccatum lethale ibid. n.5.* p 57
*Matrimonium clandeſtinum potuit irritari à Conc. Trid ibid. P. 18 n.1.* p. 57
*Matrimonium clandeſtinum eſt contra bonum cognationis, contra fidem coniugij, fauorem prolis, gratiam ſacramenti ibid. n. 2.* p 58
*Matrimonium clandeſtinum eſt irritum, tum ex parte formæ, tum ex parte efficientis ibid. P.18 n 5.* p 59
*Matrimonium Hæreticorum, vel hæretici cum catholica, vbi eſt publicatum Conc. Trid. ſine parocho, & teſtibus eſt nullum ibid. P.20. n.1.* p. 61
*Matrimonium hæreticorum tenet deficiente Parocho, vel Epiſcopo, vel ſubſtituto ibid. n.2.* p 62
*Matrimonium factum in articulo mortis cum Concubina in abſentia Parochi eſt validum ibid. n.3.* p. 62
*Matrimonium in facta hypotheſi exigit ſaltem duo, vel tres teſtes ibid. n. 4.* p. 63
*Matrimonium hæreticorum, vt ſupra, tenet, ſi Parochus, vel Epiſcopus ità lateant, vt ignorentur ibid. num. 5.* p. 63
*Matrimonium celebratum intra decennium, vbi fuit publicatum concilium non ſeruata forma irritum eſt ibid. P.21. n.4 p. 67. & obligatio talis formæ habetur ex non vſu per decennium ibid. n.5.*
*Matrimonium clandeſtinum, vbi Concilium Trid. non eſt publicatum, tenet, quantumvis contrahentes illuc ſe tranſtulerint animo vitandi talem formam ibid. P.21.n.8. p.68, & hic ſoluuntur obiectiones*
*Matrimonium eſt contrahendum regulariter coram Parocho habitationis, non originis ibid. P. 24. n. 1.* pag. 72
*Matrimonium ab eo, qui habet duplicem Parochiam habitationis, poteſt celebrari coram alterutro Parocho ibid. nu.3. p.79., & ratio habitationis non debet eſſe mathematica, ſed moralis ibid. n.4.* p.80
*Matrimonium celebrari poteſt coram Parocho alterius coniugis, quamuis celebretur in domo alterius extra Parochiam ibid. P.25. n.1.* p.81
*Hic exponuntur plures declarationes Sacræ Congregationis, & ſatisfit argumentis ibid.* p. 82
*Matrimonium inualidè recipitur à non habente titulum à Superiore quamuis communiter habeatur pro Parocho ibid. P. 30. n. 11. p. 101. non eſt eadem ratio de intruſo, & habente titulum à ſuperiore legitimo ibid.*
*Matrimonium, an validè contrahatur, vbi eſt dubium de legitimo titulo in Parocho, vel ſufficientis mandati in delegato ibid. nu.14. p. 102. & etiam, vbi fuerit defectus electionis.*
*Matrimonium initum coram Vicario generali, cuius Epiſcopus excommunicatus eſt vitandus tenet ibid. P. 31. nu. 7.* p. 106
*Matrimonium tenet quamuis Parochus præſens affectet non audire, vel percipere, quæ fiunt, dummodo percipiat ibid. P.32. n.5.* p. 111
*Matrimonium contractum in conuiuio coram teſtibus, & Parocho: tranſeunte Parocho per viam caſualiter &c. tenet ibid. P.32.n 10.* p. 114
*Matrimonium probabilius tenet, ſi contrahentes ſe præſentent Parocho progredienti ad altare &c. ibid. n.11.* pag. p. 114
*Matrimonium contractum coram Parocho celebrante aduertente &c. tenet ibid. n. 12.*
*Matrimonium non teneret, ſi Parochus, & teſtes aſſiſterent tantum ſponſalibus iuramento firmatis; vel contrahentibus impuberibus malitia non ſuplente ætatem ibid. n. 14.* p. 115
*Matrimonium non teneret ſubſecuta copula coram Parocho, & teſtibus, ſi præceſſerint clam ſponſalia ibid. num. 15.* p. 115
*Matrimonium præſumeretur, ſi haberentur ſponſalia, & copula coram Parocho, & teſtibus ibid. n. 16.*
*Matrimonium eſt verum ſacramentum etiam, ſi non præmittatur interrogatio de conſenſu contrahentibus à Parocho ibid. P. 33. n.1.* p. 116
*Matrimonium contractum coram Parocho, & teſtibus cogitantibus, non rogatis, & dicet inuitis tenet ibid. num.* p. 117

*Matrimonium non tenet, ſi non fuerit licentia aſſiſtendi &c. ibid. P. 35. n. 14.* p. 131
*Matrimonium non tenet, licet ſit licentia, vt ſupra, ſi fides fuerit præſtita alteri contrahenti, qui non ſit omni fide dignus ibid. n.* 15. p. 131
*Matrimonium celebrari poteſt eadem die, qua fuerit facta vltima denuntiatio ibid.* P. 37 n. 7. p. 141
*Matrimonium, ſi conſumatur ante benedictiones non inducit peccatum lethale ibid* P. 38. n. 4. p. 157
*Matrimonium clandeſtinum dum approbatur ab eccleſia, redditur ac, ſi fuiſſet ab initio ſolemne ibid.* P. 39. *num.* 11. p. 166
*Matrimonium clandeſtinum ſecundum ſe validum legitimat prolem antea ſuſceptam dum approbatur ab eccleſia ibid. nu* 12. p. 167
*Matrimonium contrahi poteſt ab omnibus illis, qui non ſunt affecti impedimento dirimente ibid.* P. 40. *num.* 1. p. 170
***Matrimonium valide contrahitur à non habentibus ætatem debitam, vbi præuenerit malitia ibid nu. 6.* p. 172., *& quanam ſint ſigna iſtius malitia ibid n. 7.***
***Matrimonium, an poſſit iniri per procuratorem ibid.* P. 41. n. 7.** p. 174
***Matrimonium, an ratione doli, vel erroris poſſit eſſe irritum ibid. n. 8.***
*Matrimonium eſt licitum, licet non ſit ſpes futuri concubitus, dummodò fiat cum fine legitimandi prolem antea ſuſceptam, vel reddendi honorem fæminæ corruptæ ibid* P. 42. n. 2. p. 175., *& hoc etiam &c., ſi adſit alter legitimus finis ibid n.* 3.
*Matrimonium ratum non diſſoluitur per poſterius conſumatum ibid. D.* 1. n 4. p. 176
*Matrimonium ratum ſoluitur per ingreſſum religionis ex ſpeciali priuilegio ibid. n.* 5.
*Matrimonium ratum non ideo diſſoluitur per profeſſionem, quià hæc æquiparatur matrimonio conſumato ibid n.* 7. p. 176
*Matrimonium non eſt, niſi ſit ratum, vnde ſi aliud poſterius eſſet conſumatum verè non diceretur matrimonium ibid. nu* 8. pag. 176
*Matrimonium prius ratum antiquitus ſoluebatur per aliud poſterius ibid* § 6 D 6. n 1. p. 182
*Matrimonium ratum ſecundum legem generalem dirimitur per profeſſionem ibid n.* 2. p. 182
*Matrimonium contractum ſine animo contrahendi non tenet in foro conſcientia ibid* D. 1. § 7. n. 2. p. 184. *tenet tamen in foro externo ibid n.* 3.
*Matrimonium initum per procuratorem etiamſi iſte non exhibuerit mandatum coram Parocho, & teſtibus ſubſiſtit ibid. D.* 1 § 9. n. 3. p. 187
*Matrimonium contractum per procuratorem, qui non obtinuit dotem præſcriptam, tenet ibid.* §. 11. *num* 2. pag. 189
*Matrimonium contractum poteſt irritari ratione qualitatis, ſi iſta ſit per modum conditionis ibid n.* 4. p. 190
*Matrimonium non tenet facta reuocatione procuratoris, etiamſi præceſſerit iuramentum de non reuocatione ibid* §. 12. n. 2. p. 190
*Matrimonium contractum per Procuratorem tenet etiamſi contrahens inciderit in dementiam ibid.* § 13 *num.* 5. p. 191
*Matrimonium cenſetur conſumatum, cum fuerit ſponſa traducta in domum mariti ibid.* §. 18 n. 2. p. 198
*Matrimonium non eſt credendum conſumatum altero aſſerente, altero negante, ſed ſtandum inſpectioni ibid. n.* 4. p. 198
*Matrimonium tunc fit ſacramentum, quando per Procuratorē fit applicatio conſenſuū ibid.* § 21. n. 2 p. 203
*Matrimonium tunc iteratur, quando factum per procuratorem, renouatur conſenſus à contrahentibus, & tunc probabilius noua gratia producitur ibid.* §. 21. *num.* 5. p. 203
*Matrimonium factum per Procuratorem poteſt non ſeruata forma Conc. Trid. iterari à contrahentibus dubijs de validitate illius ibid.* § 23. n. 3. p. 206
*Matrimonium inualidum, quando iteratur, producit gratiam, niſi ſit obex ibid.* § 23 n 2. p 206
*Matrimonium nullum propter impedimentum ſecretum validatur per ſecretum conſenſum ibid. n.* 3. p. 207
*Matrimonium non cauſat gratiam ex opere operato, ſi vnus contrahentium ficte contraheret ibid n.* 4. *ſed in contrahente verè haberetur aliqua gratia ex opere operantis ibid. n.* 5. p. 207
*Matrimonium non intelligeretur conſummatum, ſi ſponſus intra bimeſtre traderet ſponſam violandam conſanguineo ibid. D.* 2. §. 2. n. 2. p. 210
*Matrimonium non eſſet validum, ſi ſponſa contraheret cum animo non ſeruandi fidem ſuo coniugi, licet haberet intentionem reddendi debitum ibid* §. 9 n. 2. 3. 4 p. 219
*matrimonium habet ſua bona ſecundum duplicem conſiderationem ibid* n. 2.
*Matrimonium non fit, quando conſumatur, ſed quando ponuntur conſenſus ibid* §. 10. n. 4. p. 220
*Matrimonium teneret, etiamſi ſponſalia non fuerint facta coram Parocho, & teſtibus, dummodo matrimonium facta fuerint coram eiſdem ibid* D. 3. § 3. n 5. p. 227
*Matrimonium contractum ſine præuijs ſponſalibus in loco concilij, & conſumatum extra illum, non ſit validum, ſi initum fuerit non ſeruata forma concilij ibid.* D. 3. § 5 *nu.* 6. p. 230
*Matrimonium in data hypotheſi poteſt de nouo iniri nullo habito reſpectu ad primum ibid. n.* 7.
*Matrimonium initum inter impuberes reſoluitur in pura ſponſalia ibid* § 7. n 2. p. 232
*Matrimonium, vt ſupra, non fit validum per copulam habitam tempore pubertatis ibid., ſi re vera erant impuberes, quando contractum eſt, nam ſi apparebant puberes, & adulti, non requiritur nouus conſenſus ibid nu* 4. p. 233
*Matrimonium initum inter ſcientes impedimentum, eſſet irritum in ſe, non autem in facie eccleſiæ, ſi factum fuiſſet coram Parocho, & teſtibus inſcijs de tali impedimento ibid.* § 11. n. 3. p. 239
*Matrimonium intelligitur reualidatum per copulam factam affectu maritali habita diſpenſatione de impedimento occulto ibid* D 3 § 15. n 2. p. 224
*Matrimonium non reualidatur obtenta diſpenſatione niſi accedat vtriuſque contrahentis conſenſus ibid.* § 16 *nu* 2. p. 245
*Matrimonium non eſt propriè tale pendente conditione honeſta quamuis fuerit initum per verba de præſenti ibid.* § 21. n. 2. p. 255
*Matrimonium conditionale diuerſimodè ſe habet, ac ſponſalia cōditionalia ibid ſub eodem numero* p. 256
*Matrimonium initum inualidè per non præſtitum conſenſum internum validaretur, ſi quis præſtiterit per vim, vel fictitie ipſum renouaret ibid* § 22. n. 2. p. 258

Ma-

*Matrimonium initum per verba de præſenti inter ficlè conſentientes validaretur per renouationem conſenſus interni ibid. §. 23. n. 3. , & 4.* p. 259

*Matrimonium inualidum ratione impedimenti occulti, celebratum tamen cum omnibus requiſitis validaretur obtenta diſpenſatione per conſenſum expreſſum ex parte vtriuſque ibid. §. 24. n. 2. p. 260., & hoc etiamſi vnus ex contrahentibus fuerit tantum conſcius &c. ibid. n. 3.* p. 261

*Matrimonium contractum, & conſumatum ſoluto per Epiſcopum vinculo impedimenti eſt omni indiſſolubile ibid §. 36. n. 3.* pag. 280

*Matrimonium non impeditur, niſi ſit notorietas impedimenti ibid. §. 41. n. 3.* p. 286

*Matrimonium nouum non poteſt iniri à ſeparatis ab eccleſia ratione alicuius impedimenti ibid. §. 44. n. 4.* pag. 291

*Matrimonium eſt impediendum ab ordinario, quando agitur de impediendo peccato ibidem §. 45. num 4.* pag. 293

*Matrimonium non eſt denegandum à* Parocho *publicè petenti etiamſi eidem ſit notorium lathale peccatum petentis ibid. §. 46. nu. 3. p. 294. , & illud matrimonium teneret ibid. nu. 2.*

*Matrimonium quomodo deſcribendum in ſuo libro ibid. §. 49. num. 4.* 297

*Matrimonium celebratum coram parocho non induto ſacris veſtimentis, & coram teſtibus non rogatis eſt validum ibid. D. 4. §. 2. n. 2.* p. 301

*Matrimonium celebratum coram vicario parochi ad nutum Epiſcopi amouibili: etiamſi Epiſcopus illi prohibeat aſſiſtere, tenet ibid. §. 3. n 3. p. 302., & hic afferuntur declarationes Sacræ Cong.*

*Matrimonium quibus cauſis poſſit impediri ibid.* P. 2. *num. 4.* pag. 308

*Matrimonium attento rigore iuris non interdicitur tempore feriato ibid.* P. 3. *nu. 6.* p. 310

*Matrimonium tempore generalis interdicti in aliquo loco prohibetur celebrari ibid n. 14.* pag. 313

*Matrimonium non pendet ab aliquo exercitio ordinis ibidem.*

*Matrimonium pro tempore interdicti non prohibetur in eccleſia celebrari ibid n. 15.* p. 314

*Matrimonium etiam ceſſantibus diuinis officijs poteſt celebrari ibid num. 16.*

*Matrimonium contractum per excommunicatum excomunicatione maiori tenet, ſed ſic contrahens peccat ibid nu. 20.* p. 315

*Matrimonium cum ſanctimoniali dicit impedimentum criminis ibid.* P. 5. *n. 31.* p. 330

*Matrimonium contractum à ſeruo tempore ſeruitutis eſt inualidum ibid.* P. 8. *num 3.* p. 338

*Matrimonium publicè coram Parocho, & teſtibus debet ratificari ablata inualiditate ratione ſeruitutis notoria ibid* P. 8 *n. 11. p. 341. non autem, ſi talis inualiditas fuit occulta ibid. n. 11.* p. 342

*Matrimonium cum dicto errore non validatur per decennalem cohabitationem ibid nu. 12.* p. 342

*Matrimonium cum dicto errore fuit in radice inualidum ibid. n. 12.* p. 342

*Matrimonium eſt inualidum, quando erratur in pari, vel digniori conditione ibid. n. 16.* p. 344

*Matrimonium eſt irritum in primo gradu conſanguinitatis linea rectæ ibid.* P. 10. S. 2. *n. 1.* p. 368

*Matrimonium in quocunque gradu conſanguinitatis linea recta probabilius eſt irritum ibid nu. 3.*

*Matrimonium de iure naturæ eſt irritum in primo gradu linea tranſuerſalis ibid.* S. 4 *n. 2.* p. 370

*Matrimonium de iure naturæ non prohibetur in omnibus gradibus Leuitici ibid. n. 3.*

*Matrimonium in linea æquali non vetatur de iure naturæ etiam in quocunque gradu ibid. n 4.* p. 371

*Matrimonium in primo gradu tranſuerſalis irritatur de iure naturæ ibid. nu. 5.*

*Matrimonium de iure eccleſiaſtico nunc vetatur vſque ad quartum gradum conſanguinitatis ibid num. 6.* pag. 372

*Matrimonium validè contraheretur inter conſanguineos, ſi vnus ex contrahentibus diſtaret à communi ſtipite vltra quartum gradum ibid n 7.*

*Matrimonium poteſt eſſe inter filios illegitimos patris adoptantis cum filijs adoptiuorum ibid.* P. 10. S. 5. *num. 19.* p. 390

*Matrimonium inter fidelem, & infidelem eſt ipſo iure irritum ibid.* P. 14. *n. 2.* p. 408

*Matrimonium non tenet inter baptizatum, & cathecumenam: tenet verò inter fidelem, & hæreticam baptizatam apoſtatam à fide ibid n. 3., & n. 4.* p. 408

*Matrimonium contractum inter infideles non eſt ſoluendum de iure, ſi vnus eorum conuertatur: poſſet tamen diſſolui, ſi alter nolit cohabitare cum iniuria creatoris ibid. n. 7. p. 409., & conuerſus nolente infideli cohabitare cum iniuria creatoris poſſet tranſire ad ſecundas nuptias ibid. num. 8. p. 410., & ſi velit, ingredi Religionem ibid. n. 10.*

*Matrimonium quandonam diſſoluatur ex conuerſione alterius ad fidem ibid.*

*Matrimonium intelligitur diſſolutum inter infidelem conuerſum, & infidelem obſtinatum, ſi facta monitione infideli tranſierit ad ſecundas nuptias, vel ad Religionem, & emiſerit profeſſionem: ſecus, non; ibid. nu. 14., & n. 15. p. 411., & p. 412. eodem modo ſentiendum, ſi conuerſus ſine monitione alterius ſuſceperit ſacros ordines, & emiſerit ſimplex votum caſtitatis ibid nu. 16.*

*Matrimonium ſecundum durante primo non poteſt in ſtatu legis gratiæ contrahi ibid.* P. 15. *n. 2.* p. 415

*Matrimonium licitè contrahi poteſt à clerico minoribus initiato ibid.* P. 16 *n. 10. p. 422., & ſi bis contraheret videtur contrahere veniale ibid* p. 423

*Matrimonium contractum à clerico priuat ipſo iure eundem beneficio ibid. n. 11. p 423. proptèr incompoſſibilitatem, non pœnam ibid. intellige per verba de præſenti ibid. n. 12. p. 423., ſi tamen validè contraxerit ibid. nu. 13. p. 424., & item penſionibus datis in titulum, & priuilegijs clericalibus niſi ſeruet conditiones à iure præſcriptas ibid. num. 14., & num. 15* pag. 424

*Matrimonium eunuchorum inualidum ibid* P. 17. *nu 5. p. 427., ſecus verò, ſi careant tantum vnico teſte ibid. num. 6.*

*Matrimonium eſt inſtitutum per ordinem ad potentiam naturalem ibid.* P 17. *n. 8.* p. 428

*Matrimonium diſſolutum legitimè ratione maleficij non eſt inſtaurandum nouo contractu, & conſumato ibid. num. 58.* p. 446

*Matrimonium teneret etiamſi Ermaphroditus relicto primo alium ſexum eligeret ibid. nu. 68.* p. 451



Digitized by Google

*Matrimonium celebratum contra interdictum Pontificis cum clauſula generali, vel ſine clauſula non eſt inualidum ibid. D.1 n.5., & 6. pag. 454., & 455.*
*Matrimonium initum pendente lite eſt ſeparandum ibid nu. 6.* pag 456
*Si ad matrimonium ſubſequuta ſit lis poſſunt contrahentes in vſu illius permanere ibid n.7.* p 457
*Matrimonium nouum non eſt contrahendum cum alio pendente lite ibid §. 8. n.3.* p.467
*Matrimonium initum pendente appellatione contra prohibitionem Iudicis non eſt irritum ibid. §.10. n. 3* pag. 470
*Matrimonium ſecundum diſſoluendum eſt, ſi pendente appellatione conſtat primum eſſe validum ibid. nu.5.* pag. 470
*Matrimonium teneret cum primogenita negata ſecunda etiamſi ſecundogenita fuerit oſtenſa pro prima ibid. D.2. num 3.* p. 475
*Matrimonium diſſoluendum eſſet, ſi fœmina cogitaret nubere primogenito dum contrahit cum ſecundo genito, qui ſimulat ſe eſſe primum genitum ibid. D 2. §.7. n 2. p. 484, & p. 485, & hoc etiamſi mortuo primo fuiſſet ſubſtitutus ſecundus ibid n. 5.* p. 485
*Matrimonium contractum inter duos habiles, an ſubſiſteret etiamſi alter eorum crederet ſubeſſe impedimentum ibid. § 8. nu 2. p. 486. contractum abſolutè cum illa credulitate non ſubſiſtit, bene tamen, ſi ſub conditione ibid. n. 7.* p. 487
*Matrimonium initum poſt votum ſolemne caſtitatis ſine alijs duobus tenet ibid. §.23. n.4.* p. 509
*Matrimonium ſubſequens ad votum equitum melitenſium eſſet irritum non ſic in alijs ordinibus militaribus ibid §.31. n 4., & n.5.* p.529, & 530
*Matrimonium initum in ſpecie tranſuerſali durante adoptione, hac reſoluta non fit immediatè validum ibid. §.43. n.5.* p.548
*Matrimonium inter fidelem, & infidelem fictè baptizatum non ſubſiſtit in foro interno ibid. D.3. § 7. n.3. p. 559., ſecus in foro externo ibid. n. 4.* p. 560
*Matrimonium inter apoſtatam à fide, & infidelem non tenet ibid §. 8. n.3.* p 561
*Matrimonium inter apoſtatam à fide, & fidelem tenet ibid. num 5.*
*METVS, an irritet matrimonium C.15. P.41 n.5. p.173*
*Metus, vel dolus demit plenam libertatem ibid P.9. num. 25.* p. 362
*Metus excuſat à peccato contrahentem cum impedimento ſolummodo impediente ibid. D 1 §.3. num.2. pag. 457., & hoc ſi ſit animus contrahendi, nam ſi fictè ſe haberet, peccaret venialiter ibid n. 3.* p. 458
*Metus excuſaret etiam, ſi haberetur contractus cum impedimento dirimente ibid. n. 5.* p. 458
*MORS alterius coniugis non infertur certò moraliter per abſentiam diuturnam eiuſdem C.15 P.15. num 7., nec per famam, nec per rumorem ibid. n. 8., nec ex dicto vnius ibid. nu.9.* p. 418
*MVLIER concurrit ad generationem prolis C.15. P.13. num. 3* pag. 45
*Mulier, an poſtquam maſculus ſe retraxit à coitu poſſit ſe excitare ad ſeminandum ibid. n.7.* pag 46
*Mulier ſe excitans ad ſeminandum, vt ſupra conſummat ibid. num.7.* pag. 46
*Mulier extorta ad copulam, & per accidens impedita ad ingreſſum religionis, an teneatur reddere debitum viro petenti ibid. P.14. n.5.* p 48
*Mulier cognita per metum cadentem in conſtantem virum poteſt ingredi religionem ibid. n.6.* pag 48
*Mulier ſponſa intra bimeſtre per vim à marito oppreſſa non poteſt renuntiare vinculo coniugali, licet poſſit renuntiare toro, & cohabitationi ibid. P.15. n.4.* p.50
*Mulier vi oppreſſa, & intra bimeſtre non ingreſſa monaſterium poteſt adhuc ingredi non ſecuta copula voluntaria ibid P. 16. n. 4. p. 51., & item poteſt ingredi, ſi fuerit per vim oppreſſa poſt bimeſtre n. 5.*
*Mulier poteſt eſſe teſtis in matrimonio &c ibid. P. 36. nu. 6., & 7.* p. 138
*Mulier conſcia impedimenti, quod non poteſt probare in iudicio, & recedendo timet grauia mala quomodo debeat ſibi conſulere ibid. D.3. §.25. n.2.* p 263
*Mulier non probato impedimento, ſi compellatur per cenſuras reddere debitũ, non poteſt licitè reddere ibid.*

N

NOMEN *matrimonij, vndè habeatur C.15. P.5 num 1.* pag 22
*NVNTIVS non habet niſi illam facultatem in Prouincia, quam habet Epiſcopus in ſua Diœceſi C. 15. D.3. §.34 n.6.* p. 277
*NVPTIÆ poſt Con. Trid. celebrari non poſſunt ab aduentu Domini vſque ad Epiphaniam, & à Feria quarta cinerum vſque ad octauam Paſchæ C.15. P.38 num. 21.* p.161
*Nuptiarum prohibitio, an incipiat in primis veſperis dictorum temporum ibid. vſque ad nu. 22 23.*
*Nuptiæ contractæ per Procuratorem poſſunt licitè benedici ibid. D.1. §. 22. n.2.* p.204

O

OBEDIENTIA *in regula D. Benedicti inuoluit vota caſtitatis, & paupertatis C. 15. P. 17 § 23. num.5.* pag 510
*ORDO impedimentum C.15 P.16. n.1.* p. 419
*Ordines minores non dirimunt, nec impediunt matrimonium ibid n. 1.*
*Ordo ſubdiaconatus liberè ſuſceptus obligat ex voto ad continentiam ibid. n.2.* p.419
*Ordo ſubdiaconatus ſuſceptus etiam cum ignorantia annexionis voti caſtitatis obligat ex voto ibid. nu 3* pag. 420
*Ordo ſacer liberè ſuſceptus cum animo ſe non obligandi ad votum obligat ſuſcipientem ibid n.* p. 421
*Ordo ſacer ſuſceptus inualidè ex defectu ſubſtantiali non obligat ad votum ibid n 5.* p. 421
*Ordo ſacer ſuſceptus à non habente poteſtatem, & per vim, vel per metum non obligat ad votum ibid nu.6., & num. 7.*
*Ordo ſacer ſuſceptus à puero ipſum non obligat ad votum ibid. nu 8.*
*Ordo ſacer dirimit ſubſequens matrimonium ex ſolo iure eccleſiaſtico ibid. nu 9.* p. 423
*OSTIVM principale domus conſtituit ſubditum Parochiæ C.15. P.24. nu.7.* p. 80

P

PAROCHVS *per literas poteſt acceptare mutuum conſenſum contrahentium C.15. P.6. n.3.* p. 30

*Paro-*

*Parochus debet eſſe præſens dum contrahitur matrimonium, & nequit ad hoc diſpenſari ab ordinario ibid.* P.12.nu 4. p.43

*Parochus aſſiſtens &c. non eſt forma ſubſtantialis intrinſeca ibid.* P.20.n 3. p.63

*Parochus loci, in quo vagi contrahunt matrimonium validè aſſiſtit ibid.* P. 22.n.7. p.71

*Parochus loci, habet auctoritatem in tali loco ibid.*

*Parochus debet aſſiſtere, quando vnus contrahentium eſſet fixus, ita tamen, vt ex æquitate ſit proprius Parochus, & ex validitate ſufficiat quicumque Parochus ibid* n. 9. pag.73

*Parochus loci, in quo per tranſitum vagi degunt poteſt alterum delegare ad aſſiſtendum ibid* nu 13. p.74

*Parochus, vt aſſiſtat matrimonijs vagorum, quid requiratur ibid.n* 14.

*Parochus poteſt (non tamen congruentius) ex neceſſitate delegare non ſacerdotem ad faciendas denunciationes ibid.* P.37 nu. 14. p.144

*Parochus aſſiſtens matrimonijs vagorum, ſiuè alienigenarum ſine inquiſitione, & facultate grauitèr peccat, licet matrimonium teneat ibid.* n. 18. p.75

*Parochus ſic aſſiſtens contrahit pænam ſuſpenſionis triennalis ibid.nu.19.*

*Parochus, ſi vult poteſt aſſiſtere vagorum matrimonijs quamuis ſit deputatus alter ſacerdos ad omnia ſacramenta ibid.*P.23.nu 1. p.76

*Parochus habitationis non originis regularitèr habet ius, vt matrimonium in ſui præſentia contrahatur ibid.* P.24. num.1. pag.79

*Parochus alterius coniugis poteſt aſſiſtere quamuis matrimonium celebretur in domo alterius, quæ ſit extra Parochiam ibid.*P.25.n.1 p.81. *Hic expenuntur plures declarationes Sacræ Cong., & ſatisfit rationibus contrarijs ibid.* p. 82., *& non obſtat diſſenſus alterius Parochi ibid.*

*Parochus, & Epiſcopus poſſunt aſſiſtere etiam extra territorium ibid* nu.2. p.83

*Parochus extra Parochiam in ordine ad actus iuriſdictionis voluntaria non deſinit eſſe perſona publica ibid, & hic afferuntur argumenta, & ſoluuntur.*

*Parochus delegatus extra parochiam ad aſſiſtendum validè aſſiſtit extra illam ibid.* n 4. p.84

*Parochus aſſiſtens extra parochiam non peccat ibid.* n.5

*Parochus aſſiſtens, vt ſupra peccat benedicendo ſolemnitèr ibid* n.6. p.85

*Parochus in ordine ad aſſiſtendum &c intelligitur etiam Epiſcopus, Coadiutor, Vicarius perpetuus, & ViceCuratus ibid.* P.26.n 1 p.85., *& hi omnes poſſunt delegare ibid* nu.4. p.86

*Parochus poſt collationem Parochialis poteſt aſſiſtere matrimonijs ante poſſeſſum ibid.* P.28. n.2. p 94

*Parochus excommunicatus ſuſpenſus &c. poteſt aſſiſtere ibid* P 29.nu.1. p.95

*Parochus non deſinit eſſe talis niſi deponatur ibid.* P.29. num 2. p.96

*Parochus interdictus ab adminiſtratione ſacramentorum poteſt aſſiſtere matrimonijs ibid.*

*Parochus excomunicatus poteſt delegare ſacerdotem excommunicatum ad aſſiſtendum ibid* n.3. p.96

*Parochus excomunicatus &c. aſſiſtens &c. nullam contrahit culpam ibid* n.4.

*Parochus delegans excomunicatum non peccat ibid.* n.5. pag. 97

*Parochus excommunicatus benedicendo ſolemnitèr coniuges peccat ibid* num. 6. p. 97

*Parochus excommunicatus benedicens ſine ſolemnitate peccat tantum venialitèr ibid.* n.6. p.97

*Parochus aſſiſtens, ſi ſit excommunicatus, non contrahit irregularitatem ibid* nu.7. p. 98

*Parochus quomodo poſſit eſſe putatiuus ſine vero titulo ibid.* P.30. n.1. p. 98

*Parochus aſſiſtens cum errore communi validè aſſiſtit, & delegat ibid.* n. 6. p.99

*Parochus putatiuus cum errore communi validè aſſiſtit etiamſi contrahentes eſſent conſcij nullitatis tituli ibid.* P.30.n.8. p. 100

*Parochus legitimus, ſi deficiat ſubſtitutus per concilium loci ad adminiſtranda ſacramenta non validè aſſiſtit matrimonio ibid.* n.13. p.102

*Parochus, vt aſſiſtat matrimonio ſufficit, vt non cenſeatur moralitèr abſens ibid.* P.32.n 1. p.110

*Parochus debet eſſe præſens non tantum præſentia phyſica, & corporea, ſed requiritur moralis, rationalis, & humana ibid.* n.2. p.110

*Parochus, & teſtes non debet ex neceſſitate percipere omnibus ſenſibus, quæ fiunt ibid.* n. 3. p. 110

*Parochus, an debeat interrogare contrahentes de conſenſu ibid.* P.33. n.1. p. 116

*Parochus, quando debeat interrogare, vt vitet peccatum ibid* nu.1. p. 117

*Parochus dubitans de alterius libero conſenſu peccat lethalitèr, ſi non interrogat ibid.* n. 2 p. 117

*Parochus in celebratione contractus non tenetur interrogare de exiſtentia impedimenti ibid.*n.5. p. 118

*Parochus ommittens illa verba* ego vos coniungo &c. *ſine contemptu peccat tantum venialitèr ibid.* nu 7. pag 119

*Parochus (exhibito mutuo conſenſu per verba de præſenti) ſubiungens* Ego vos coniungo, &c. *non ſuſpendit matrimonium ibid.* n.8.

*Parochus etiam non ſacerdos poteſt validè, & licitè aſſiſtere ibid.* P.34. n. 1 p.120., *& hic ſoluitur argumentum ex verbis Conc. deductum.*

*Parochus debet delegare ſacerdotem, nec poteſt Diaconum ibid* n.2. p.121

*Parochus diaconus quamuis non poſſet aſſiſtere poteſt tamen facultatem dare aſſiſtendi ibid* n. 2. p.121., *& hic ſoluitur quædam obiectio, & hic exponitur qualitèr diſpoſitio Conc. ſtet reſtrictiuè, & habentur declarationes Sac. Cong.* p. 122

*Parochus, ſiuè ſacerdos, ſiuè diaconus non poteſt delegare diaconum ibid.* n.3. p. 122

*Parochus per qualitatem* Parochi *ſignificatur in ordine ad ſuos ſubditos tantum ibid.*

*Parochus aſſiſtens exiſtente rationabili timore malitioſi impedimenti omittens ex ſe denunciationes tenetur poſtea illas ponere dummodo illas Epiſcopus non diſpenſet ibid.* P. 37. n.25. pag. 148

*Parochus in ſupradicto caſu, ſi poſſet adire facilè ad Epiſcopum teneretur adire ibid* nu 25. p 148

*Parochus benedicens ſecundas nuptias, vbi non eſt conſuetudo illas benedicendi, incurrit ſuſpenſionem ab officio, & beneficio per ſententiam ferendam ibid.* nu. 12. p. 159. *talis autem ſuſpenſio non eſt reſeruata Pontifici ibid., & hæc non eſt pæna ordinaria, ſed arbitraria epiſcopo ibid* n. 14.

*Parochus ſacerdos poteſt delegare ſacerdotem alterius*

Paro-

Digitized by Google

*Parœcia ibid. n.4.* 123

*Parochus, ſiuè alius aſſiſtens matrimonio clandeſtino eſt triennio ſuſpendendus ibid.* P 39.nu.16. p.167., *& hac pœna non eſt lata ſententia, ſed ferenda ibid.* num. 17.

*Parochus, ſiuè alius ſacerdos aſſiſtens, vt ſupra de nouo, nouam contrahit ſententiam incipiendam non finito triennio ibid.* n 18. p.168 *& hac pœna intelligitur etiam de ſuſpenſione à beneficio ibid.* nu 19.

*Parochus, vt ſupra poteſt excuſari ratione ignorantiæ à tali pœna ibid.* n.21. p.168

*Parochi, & teſtium munus eſt ad teſtificandum, non ad inquirendum, & declarandum ibid.* D.1. § 9.nu.4. pag. 187

*Parochus ante conc. Trid. non erat miniſter ſacramenti matrimonij ibid.* §.17. n.2. p 197. *imò, nec de præſenti ibid. paulò infra.*

*Parochus modo electus ab eccleſia, vt aſſiſtat, ſi aſſiſtit in lethali non peccat lethaliter: hoc idem de teſtibus ibid.* §. 17. n.3.p. 197. *hoc idem dic de ſacerdote electo.*

*Parochus benedicens ſolemniter nuptias non peccat lethaliter ibid.* nu.4.

*Parochus poteſt teſtificari de conſenſu exhibito per interpretem præſentibus contrahentibus ibid.* § 20. num 6 pag. 202

*Parochus notorius fornicator non condemnatus validè aſſiſtit matrimonio, & non priuatur beneficio ibid.* D.3. §.39.n.3., & 4. p 284

*Parochus diaconus non promotus intra annum ad ſacerdotium validè aſſiſtit ibid.* § 40.n. 2. p.285

*Parochus probabilius non poteſt coniungere in matrimonium primo aſſerentes impedimentum, & vltimo negantes ibid.* §.41.nu.3. p. 285

*Parochus, ſi opponat impedimentum cognitum extra confeſſionem contrahentibus illud negantibus defendenda res eſt ad ordinarium ibid.* § 42. n.2. p. 287

*Parochus in data hypotheſi debet negare aſſiſtentiam quocumque modo petatur ibid.* n.3. p. 287

*Parochus non debet aſſiſtere., & debet recurrere ad ordinarium, ſi contrahent afferat etiam fictitiè vouiſſe ibid* n. 4. p. 287

*Parochus quomodo ſe gerere debeat cum publico petente habente impedimentum inferens infamiam ibid* § 42 num. 5. p 288

*Parochus ſciens in foro interno impedimentum, & diſpenſationem poteſt coniungere contrahentes nullo opponente ibid.* §.45 nu.3. pag.289

*Parochus non debet negare matrimonium publicè petenti etiamſi conſcius ſit alicuius peccati lethalis petentis ibid.* §. 47. n 3. p. 294

*Parochus in data hypotheſi debet monere contrahentem ibid.* nu. 4. p.295

*Parochus ad breue tempus poteſt impedire ignorantes rudimenta fidei ne contrahant ibid.* § 48.n.2. p. 293

*Parochus quomodo teneatur docere pueros rudimenta fidei ibid.* § 48.n.3. p.296

*Parochus tenetur habere librum matrimoniorum ibid.* §. 49. n.2. p. 297., *& quidem ſub pœna lethalis ibid.* num. 3.

*Parochus, an poſſit exigere aliquid pro danda fide in ſcriptis de matrimonio coram ſe inito ibid.* n 4.

*Parochus debet percipere conſenſum contrahentium ex auditu, ſi eos non videt ibid.* D.4.§. 1.n.2. p.299

*Parochus ob legitimam cauſam poteſt prohibere matrimonia ad tempus ibid.* P.2.n.4. p. 308

*Parochus benedicens ſolemniter nuptias temporibus feriatis grauiter peccat ibid.* P.3. n.4. p. 310

*Parochus tempore feriato benedicens ſponſos eſt punibilis pœna arbitraria ibid.* D.1. § 5.num. 1.p. 462., *& ſponſi ſunt ſeparandi in hoc caſu ibid.* n 3. *, ſi tamen non eſſet periculum incontinentiæ ibid.* nu 4.

*Parochus non eximitur ab onere contrahendi cognationem licet ex onere baptizet ibid* § 39 nu 3. pag.543

*PATER ſolus poteſt ex grauiſſima cauſa vendere filium* C.15. P.17.D.2.§. 15.nu. 3 pag 496. *non autem mater* nu.10. pag 197

*Pater vendens filium ſine cauſa cur dicatur ſanguinolentus ibid* nu 4. pag.497

*Pater ſemper licitè poteſt redimere filium ibid.* num. 5. pag. 497

*Pater probabilius non poteſt commutare fundum pro filio ibid.* §. 16 nu.3. 498

*Pater non poteſt vendere filium vt ſe redimat à captiuitate acquiſita in bello ibid.* § 17 nu 3 pag.499. *niſi ex ſeruitute belli immineret mors Patris ex fame ibid* num 4.

*Pater item non poteſt vendere filium vt pretio illius ſe liberet à morte inferenda ipſi ex decreto Iudicis ibid.* num. 5 pag 499

*PATRINVS eſt ex neceſſitate præcepti* C.15.P.17.§.35. num 3 pag.535

*Patrinus poteſt leuare filium alterius cum quo contraxerat compaternitatem ibid.* §. 37. n. 2. p.539

*PŒNA triennalis ſuſpenſionis, quando matrimonium eſt clandeſtinum correcta eſt per* Conc. Trid. C. 15.P.39.n.12. p. 169

*Pœna, vt ſupra remanet in ſuo robore, ſi ſit clandeſtinum defectu denuntiationum ibidem* n 23. p. 169

*Pœna, quando non habetur conſenſus à contrahentibus quanam ſit ibid.* P.41.n. 10. p.174

*Pœna antiqua impoſita à iure contrahentibus clandeſtinè ſtante Conc.Trid. locum non habet ibid.* D.3.§ 1 num. 5. p. 224

*Pœna, quam contrahunt contrahentes temporibus feriatis, ſi recipiant ſolemnes benedictiones ibid.* P.3. n 5. pag. p. 310

*PŒNITENTIA publica cur dicatur impedimentum criminis, & quamtum duret hoc impedimentum* C.15.P.5.nu.30., & nu 31. pag 530

*Pœnitentia non cauſat gratiam per modum regenerationis ſpiritualis* C.15.P.17.D. 2 § 4 nu.2. pag 54

*PERIVRII fit reus, qui reuocat Procuratorem electum ad contrahendum cum iuramento non reuocandi* C. 15.D.1 § 12. pag 190

*PERMISSIO aliquando bona aliquando mala* C. 15. D.3.§.25.num 3. pag 264

*POLIGAMIA quid ſit* C.15.§ 5.D 5nu.2. pag.181

*Poligamus quando nam quis dicatur ibid.*

*Poligami pœna enumerantur ibid* P.15.num.11. pag.418

*Poligami videntur ſuſpecti de hæreſi ibid.* pag. 419

*PONTIFEX non autem Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper ætatem ad contrahendum &c. ibid.* P. 40. n.4. pag. 171

*Pontifex diſpenſare non poteſt ſuper ætatem, vbi non conſtat de malitia contrahentium ibid.* n 5. p.171

*Pontifex ex legitima cauſa poteſt diſpenſare in matrimonio rato etiam altero diſſentiente ibid.* D. 2. nu 4. pag 177.


Pon-

Pontifex in data hypotheſi non pendet à voluntate partium ibid num. 5.
Pontifex non poteſt diſpenſare ex mutuo conſenſu praciſè ſed tantum ex cauſa ibid. num. 6. pag. 177
Pontifex poteſt ſuper matrimonio rato diſpenſare reſpectu magis digni inſcij deterioris conditionis alterius, ſecus non poteſt ibid § 3. D. 3 num. 3., & 4 p. 178, & hic ſoluuntur argumenta nu 4. à p. 178 uſque ad pag 179
Pontifex in data hypoteſi poteſt diſpenſare in magis digno, ſi ex caca affectione vel leuitate contraxerit ibid. num. 5. pag. 179
Pontifex nequit abrogare iuri diuino C. 15. P. 2. num 3. pag. 7
Pontifex poteſt diſpenſare in matrimonio rato ibid. num. 15. pag 18
Pontifex poteſt diſpenſare auctoritate communicata ibid.
Pontifex, cur poſſit diſpenſare in matrimonio rato tantum ex legitima cauſa ibid, nu. 15. pag. 19
Pontifex poteſt diſpenſare in matrimonio conſumato infidelium, quando conuertuntur ad fidem ibid.
Pontifex nequit diſpenſare quoad matrimonium conſumatum poſt fidem, & poſt ſusceptum baptiſmum ibid P. 11 nu. 4. pag. 41
Pontifex poteſt diſpenſare quoad aſſiſtentiam Parochi in contrahentibus matrimonium ibid. P. 12 n. 4. pag 43
Pontifex poteſt elapſo bimeſtri nō conſummato matrimonio diſpenſare, vt cōtrahentes ingrediantur religionem ibid P. 16 nu. 6. pag 52
Pontifex indefinitè poteſt diſpenſare in matrimonio rato ibid., & ſupoſito quod diſpenſet propter ingreſſum religionis diſpenſaret ex legitima cauſa ibid.
Pontifex poteſt ad inſtantiam coniugis innocentis diſpenſare ſuper ſecundo matrimonio rato ab altero cum alia propter infelices exitus &c. ibid §. 4. D 4. num 3. pag. 180
Pontifex probabilius loquendo poteſt diſpenſare in data hypoteſi ad inſtantiam mariti, qui inuita prima coniuge tranſiuit ad ſecundas nuptias ibid nu. 4. p. 180, & hic explicatur diſpoſitio Tridentini num 5.
Pontifex non poteſt condere legem, vt per ſecundum dirimatur primum matrimonium ratum ibid. §. 6. D. 6. num 2 p. 18., & qui contraheret vi iſtius legis, ſi fieret, non irritaret primum matrimonium ibid num 3. pag. 183
Pontifices anteceſſores Alexandri 3. non fecerunt hanc legem, ſed tantum deciderant in quibuſdam caſibus ibid num 4.
Pontifex poteſt diſſoluere matrimonium ratum deficiente conſenſu ibid D 1. § 7. nu 5. pag 184
Pontifex in quibus quærendis poteſt diſpenſare ibid n. 5. p. 184 ceſſet enim timor infelicis exitus ibid. pag 185
Pontifex poteſt diſpenſare, ſi ante conſumationem alter contrahentium venerit in cognitionem dementia alterius ibid § 14. num. 2. pag. 193
Pontifex ratione maximæ congruentia tenetur diſpenſare contrahentem, qui venerit in cognitionem dementia alterius in matrimonio rato ibid. §. 14. num. 4. pag 193
Pontifex poſſet diſpenſare ſuper matrimonio ſi vnus ex contrahentibus ante conſumationem impotentem ſe reddidit, etiam renuente coniuge, qua impotentem ſe fecit ſi impotentia ſit diu duratura ibid. D. 2. § 7. nu. 2., & 3. pag. 216
Pontifex regulariter loquendo non poteſt diſpenſare in hijs, quæ ſunt de iure vel naturali, vel diuino ibid. P. 6. num 4 pag 333
Pontifex in aliqua circumſtantia poteſt diſpenſare ſuper voto ſolemni ibid P. 9 nu. 3. pag 353
Pontifex non poteſt diſpenſare, vt vir habeat plures vxores ibid. P. 15. num 5 pag. 416
Pontifex an poſſit in pœnam reddere aliquam perſonam inhabilem perpetuò ad contrahendum ibid. D 1. num 1. pag. 453
Pontifex non poteſt hoc ibid nu. 2. pag. 454
Pontifex poteſt in pœnam grauiſſimi delicti ibid. num. 3. pag. 454
PRÆCEPTVM non conſummandi ante denuntiationes eſt negatiuum C. 15 P. 37. n 44 p. 153, & hic ſoluuntur rationes in oppoſitum.
Præceptum benedictionis in primis nuptijs afficit etiam corruptos, dummodo non contraxerint alias nuptias ibid. P 38 nu 2. pag 156
Præceptum dictum non obligat ſub lethali, ſi non adſit contemptus ibid. nu. 3
PRÆLATVS inferior Epiſcopo habens territorium priuatiuè poteſt aſſiſtere matrimonijs, & dare facultatem aſſiſtendi C. 15 P 27. nu. 5. pag. 89
Prælatus vt ſupra poteſt vt ſupra etiamſi non ſit ſacerdos nec diaconus ibid. nu 6. pag 90
PRÆSENTIA Parochi & teſtium debet eſſe ita vt nō cenſeantur moraliter abſentes C. 15. P. 32 n 1 pag 110
Præſentia eorundem debet eſſe non tantum phyſica, & corporea, ſed moralis, rationalis & humana ibid. n. 2.
Præſentia eorumdem debet poſſe iuſtificari ibid.
Præſentia debet eſſe cum actuali attentione ibid. num. 7. p. 111., & quid ſit attentio virtualis ibid.
Præſentia virtualis non eſt ſufficiens, vt poſſint teſtificari de viſu, & auditu ibid. pag 111
Præſentia Parochi, & teſtium debet eſſe ſimul tanta non ſucceſſiua ibid nu. 9. pag 112
Præſentia Parochi non eſt roganda ex neceſſitate ibid. nu. 10 p. 113., & hic afferuntur quidam caſus.
Præſentia prior Parochi, & teſtium trahitur ad legitimandum ſecundum conſenſum ibid. D. 3. § 8. num 6. pag. 236
PRÆSVMPTIO ſtat pro matrimonio clandeſtinè inito in articulo probationis ad euitandam culpam, ſecus non C. 15. D. 3. § 4. nu. 2., & 3. pag 228
Præſumptio ſtat pro vero voto ibid. D 3 §. 42. num. 4. pag 287
PRINCEPS videns, & tacens cenſetur conſenſiſſe C. 15. P 21. num. 4. pag. 66
PRINCIPALE trahit ſecum conſequens ibid. P. 10. S. 4 num 6. pag 385
PROCVRATOR contrahens in peccato lethali nomine principalis non peccat lethaliter C. 15. D 1 § 1. nu. 2. pag. 195
Procurator ſuſcipiens puerum in baptiſmo nomine alterius non contrahit cognationem ſpiritualem ibid P. 10. S 4. nu. 42. pag 384
PRODVCTIO quæ fit à Dæmone ſuccubo eſt vera generatio reſpectu hominis, à quo ſemen eſt decyſum C. 15. P. 13 nu 6. pag. 45
PROLES ante tempus vel conditione purificata nata eſt ſerua C. 15. P. 17. D. 2. § 21 nu. 3. p. 507 ſi non eſſet modicum tempus ad conſequendam plenam libertatem ibid. num. 4.

Pro-

Digitized by Google

*Proles nata ex ancilla, cui dominus promiſerat pro tali tempore manumiſſionem non eſt immediate libera ibid.§ 22.nu. 3.* pag. 508

*PROFESSIO religioſa dirimit matrimonium ratum de iure diuino C.15 §.*

*Profeſſio religioſa in quibus caſibus non obſtet matrimonio contrahendo ibid. P.9.nu 6.* pag 354

*Profeſſio religioſa facta per coniugem, qui conſumauit matrimonium non obligat in vim voti ſimplicis ibid. nu.11.* pag.356

*Profeſſio emiſſa ab altero coniuge non fit valida ex eo, quod conſentiat alter coniux, tenet tamen ſi alter coniux remanent in ſaeculo praeſtet neceſſaria ibid. nu.13.* pag. 357

*Profeſſio coniugis non tenet, quando alter, nec aſſentitur, nec diſſentitur ibid. n.14.* p. 358

*Profeſſio coniugum non tenet, quando vterque coniux eſt ignarus profeſſionis alterius ibid. n.15.* p.358

*Profeſſio coniugum teneret, ſi vterque coniux ſciret profeſſionem alterius ibid. n.16.* p.359

*Profeſſio coniugium non tenet, quando vterque factus eſſet conſcius ſucceſſiuè profeſſionis alterius ibid n 18* pag. 359

*Profeſſio emiſſa à coniuge de licentia alterius, ſed metu, vel dolo extorta non tenet ibid n.25.* p. 362

*Profeſſio eſt matrimonium ſpirituale exigens promiſſionem, & repromiſſionem ibid. P.17.D.3. § 24 nu.3.* pag. 511

*Profeſſio coniugum in religione non niſi ex congruentia, vt fiat eodem tempore ibid D 2. §.25 n.2.* p. 512

*Profeſſio coniugis emiſſa ab vno coniuge ex fine immediato profeſſionis non reſoluitur in tria vota ſimpliciter ibid. §.26.n 3. p. 515. ſecus verò, ſi fuerit tantum ex fine abſtinendi à venereis ibid. n.4.* p. 516

*Profeſſio vnius ſine licentia alterius, cur reſoluatur tantum in ſimplex votum caſtitatis, non religionis ibid n.9.* p.518

*Profeſſio emiſſa ab vno ſine licentia alterius coniugis non reualidatur per licentiam ſubſequentem ibid. § 28 n.2.* p.521

*Profeſſio dicta foret inualida in radice ibid., & paritas de ſponſalibus non tenet ibid. n. 2. p 521, & p.522.*

*Profeſſio enim non poteſt ſtare in pendenti ibid. n. 522.*

*Profeſſio quandonam intelligatur ratificata ibid §.29. num.1.* p 523

*Profeſſio per quinquennium intelligitur ratificata ibid. §.29.n.7.* p 524

*Profeſſio melitenſium Aequitum eſt ſolemnis ibid § 31. num.4* pag.529

*Profeſſio religionis facilitat diſpenſationem irregularitatis ex bigamia ibid. P 17. D.3 §.12.n.4.* p.571

*PROMISSIO facta in vtroque, vel in altero contrahente, an ſufficiat C.15 P.41.n. 4 p. 173, & loco ibi citato.*

*Promiſſio matrimonij, an poſſit fieri abſentis ibid. nu 6.* pag. 173

*Promiſſio de matrimonio celebrando poſt mortem coniugis, an teneat, & an ſit peccaminoſa P. 17. D. 3. §.5.n.1. p. 556. eſt irrita n.4 peccaminoſa n. 3. p. ibid.*

*Promiſſio illicita eſt ex genere ſuo irrita ibid.* p.557

*Promiſſio, & traditio ſunt ex eodem fine ibid. §.9.n.4.* pag. 562

Q

*QVALITAS phyſicè cauſatiua, nec actu exiſteret in ſe ipſa, nec in ſubiecto C. 15. P. 9. nu. 9.* pag. 36

*Qualitas productiua gratiae non transfertur in nexum coniugalem ibid.n.9.* p. 37

*Qualitas Parochi dignificat perſonam, cui inexiſtit in ordine ad ſuos ſubditos ibid P.34. n 3.* p. 122

*Qualitas adiecta in contractu matrimoniali per modum conditionis expreſſa irritat ibid. P.7. n.4.* p.335

*Qualitas dicta, quando nam tranſeat in errorem ſubſtantiae ibid. nn. 5.*

R

*RAPTVS impedimentum, vt contrahatur requiritur traductio ſponſae de vno ad alterum locum C.15.P.5.nu.16.* p 326

*Raptus impedimentum probabilius non contrahitur, ſi faemina alienum ſponſum adduxerit ibid.n.17.* p.327

*RAPTA, ſi nubat raptori, an amittat bona raptoris, quae ſibi ob raptum à iure ſunt deuoluta C.15.P.18 n.2. pag. 452. circa hoc quid de iure canonico erga iure ciuile ibid.n. 3. & 4.*

*RATIHABITIO ſolum aequiparatur mandato per fictionem iuris C 15. P.35.n 3.* pag.125

*RENVNCIATIO diſpenſationis obtenta ſuper impedimento poteſt reuocari durante voluntate concedentis C.15.D.2.§.17.nu.3* p.247

*Renuntiatio, vt ſupra facta in manu commiſſarij, ſeu delegati videtur, quod ſit ſufficienter acceptata, & conſequenter diſpenſati non poſſunt amplius vti diſpenſatione ibid. § 18. n 2, & 3.* p.248

*Renunciatio diſpenſationis obtenta ſuper voto quae renunciatio non ponit nouum votum caſtitatis ibid §. 19.nu.3.* p.253

*Renunciatio diſpenſationis, vt ſupra, ſi importat nouum votum renuntiani non poteſt gaudere eadem diſpenſatione ibid. n. 4.* p 254

*REPVDIANS alteram ducens, & conuerſus ad fidem tenetur redire ad primam C.15.P.3.n.8.* p. 15

*Repudians conuerſus ducens aliam fidelem non tenetur redire ad repudiatam infidelem, ſi renuerit conuerti etiamſi poſtea repudiata conuerſa fuerit ibid num.10* pag. 16

*Repudians conuerſus ad fidem interpellata vxore infideli licitè, & validè contrahit matrimonium ibidem.*

*Repudians conuerſus interpellans vxorem, vt conuertatur, ſi ipſa renuerit manet in ſua libertate omnino ibid.n. 10.* p.16

*Repudians, ſi conuerſus fuerit ad fidem repudiata prima vxore in ſtatu infidelitatis, & alia ducta hac reluctante poteſt ducere aliam fidelem ibid. num 12.* pag. 17

*Repudians, vt ſupra poteſt &c. etiamſi fuerit ignarus irritationis libelli repudij ibid n 13.* p.17

*Repudians infidelis repudiata per libellum prima, ducta ſecunda tempore Chriſti adhuc viuentis, conuerſus, an teneretur ad primam relicta ſecunda, ſi neutra voluiſſet conuerti ibid. nu. 14. p. 17. Reſponſio eſt negatiua ibid.* p. 18

ROTA

ROTA Romana non facitus in ſuis deciſionibus, ſed tantum conſtituit ſententias C.15.D.3.§ 8.n.6. pag.236

S

SACERDOS deputatus ad omnia ſacramenta poteſt aſſiſtere matrimonijs vagorum ſine excluſione Parochi ſi velit aſſiſtere C 15.P.23.nu 1 pag.76

Sacerdos habens poteſtatem per communicationem non tollit propriam Parocho ibid nu 1. pag.77

Sacerdote deputato cum excluſione Parochi, Parochus non poteſt aſſiſtere ibid. num 2. pag.77

Sacerdos deputatus ad confeſſiones non intelligitur deputatus ad aſſiſtendum matrimonio ibid n.3 p.77. niſi habeatur etiam extentio ad hoc ex præſumpta intentione concedentis ibid.nu. 4. pag.78

Sacerdos electus ad audiendas confeſſiones vagorum, & alienigenarum à Pontifice non tamen poteſt aſſiſtere eorundem matrimonijs ibid. nu 5. pag 78

Sacerdos electus pro miniſterio omnium ſacramentorum quoad certas perſonas, priuatiue quo ad alias probabilius eſt poſſe aſſiſtere eorum matrimonijs ibid. nu. 6. p.78. & contractum matrimonium cum alijs erit inualidum ibid.nu.7.

Sacerdos delegatus poteſt aſſiſtere extra territorium ſi locus eidem non ſit præfixus ibid.P 25.nu 3. pag.84

Sacerdos ſeu Parochus delegatus extra Parochiam ad aſſiſtendum valide aſſiſtit ibid.nu 4. pag.84

Sacerdos regularis non incurrit excommunicationem, bene tamen ſuſpenſionem reſeruatã Epiſcopo loci vbi coniunxit ſponſos ſine licentia ibid P.39.n. 24. p 169

Sacerdos vt ſupra non benedicens non incurrit excommunicationem ibid.nu.25. pag.170

Sacerdos fornicans etiam ſi ſit profeſſus non tenetur aperire vtramque circunſtantiam profeſſionis ſcilicet, & ſacerdotij in confeſſione ibid.P.17. D.3.§ 9.nu.4 pag. 562. ſed ſufficit ſi dicat ſe vouiſſe caſtitatem ibid. num 5. pag 563

SACRAMENTVM matrimonij inſtitutum à Chriſto quando dixit Quos Deus coniunxit homo non ſeparet C.15.P 1.num.6. pag 5

Sacramentum matrimonij validum ſine gratia ſacramentali ibid.P.2.nu.1. pag.5

Sacramentum ſine intentione miniſtri non ſubſiſtit ibid. num. 2. pag 6

Sacramentum matrimonij non excludit vt contractus eſt quã ſunt iuris ecclesiaſtici ibid. P.4.nu 3. pag 2

Sacramentum matrimonij per procuratorem vel per litteras cauſat gratiam in contrahente dormiente ibid. P.8.nu.5. pag 31

Sacramentum matrimonij an in contrahentibus cauſet gratiam moraliter vel phyſicè ibid.P.9.nu.3.pag 33., & concluditur quoad vtrumque affirmatiuè ibid n 4

Sacramentum matrimonij inter fideles nequit eſſe, quin vere ſit contractus, & ſacramentum ſimul ibid.P.11. num.4. pag.41

Sacramentum matrimonij factum tale per conuerſionem &c. cauſat gratiam ſacramentalem tantum moraliter ibid nu.6. pag 41

Sacramentum recipitur in contrahentibus non in procuratore ibid D.1.§.15.n.4 p 194

Sacramentum pœnitentiæ non cauſat gratiam per modum ſpiritualis regenerationis ibid. P. 17.D.2. § 40. num 2. p.544.

Sacramenta antiqua ſunt talia ex genere ſuo prout figuratiua ſacramentorum Chriſti C.15.P.1 nu.3 pag. 3

Sacramenta noua non fuiſſent Adamo non peccante ibid n. 3. p.3. & 4.

Sacramenta ſecundum propriam rationem accepta non fuiſſent Adamo non peccante, quia nec fuiſſet decreta vt præſentis decreti incarnatio verbi ibid n 3. p 4

Sacramenta, an habeant cauſalitatem phyſicam, vel moralem gratiæ ibid.P. 9 n.1. p.32., & eadem habere, cauſalitatem moralem omnes concedunt ibid nu. 2. pag. eadem.

Sacramenta ſunt inſtrumenta non ſolum Chriſti, ſed etiam effectiua Dei ibid. n.4. p.33

Sacramenta producunt ſecundum ſe tota iuxta ſuum modum exiſtendi ſcilicet ſucceſſiuè ibid n 4. p.34

Sacramenta quomodo dicantur cauſare gratiam in virtute paſſionis Chriſti, & tamen cauſent phyſicè ibid. num.4. p.34

Sacramenta cauſant gratiam per virtutem intrinſecam à Deo communicatam & inhærentem entitati eorundem ſacramentorum ibid. n. 5. p.35

Sacramenta non ſolum effectiua Dei, ſed etiam moralia Chriſti Domini ibid. n 9. p.36

Sacramenta regulariter reuiuiſcunt, remoto obice ibid. P.10. n. 1 p. 37., & reuiuiſcentia eſt ad proportionem diſpoſitionis, per quam aufertur obex ibid. num. 2.

SENES quantumvis decrepiti non arcentur à valida contractione matrimonij C. 15. P.17. n.44. p.441

SENSIBILITAS, quæ eſt de ratione materiæ, & formæ ſacramenti præſtatur per contrahentes, & tantum per procuratorem exhibetur C. 15. D.1.§ 15. num. 5. p 195

Senſibilitas primi actus inualidi non eſt ſufficiens ad validandum contractum matrimonialem inualidum ratione impedimenti occulti etiam obtenta diſpenſatione ibid. D 3. §.24. n.3. p.261

SENTENTIA contra leges non tranſit in rem iudicatam C.15. P.17.D.2. §.4.n.3. p.480

Sententia in cauſis matrimonialibus nunquam tranſit in rem iudicatam ibid.nu.4. p.480

Sententia reuocatur per viam querelæ ibid n 6. p 481

Sententia matrimonialis quomodo non tranſeat in rem iudicatam ibid.D.2. § 6. n 2. p.483

Sententia bis firmata impedit appellationem ibid nu. 3. in cauſis tamen matrimonialibus reſcidi poteſt per viam querelæ ibid n 5. p 484

SERVVS contrahens tempore ſeruitutis inualidè contrahit C.15. P.8. n.3. p. 338

Seruus coniugatus in longinqua regione vendi non poteſt à domino ibid. n 14. p.345

Seruus contrahens cum libera, quam ancillam credit validè contrahit ibid. n. 17. p 345., & hoc ex parte ſui ibid n.19.

Serui inuitis dominis poſſunt nubere ibid n.22. p.346

Seruus coniugatus, cum ſerua alterius vendi poteſt in eodem loco, non autem in longinquo ibid.n.30. & 31. pag. p 349

Seruus, ſi manumittatur ſequitur ſuam nobilitatem, quam habet à ſanguine ibid. P.17.D 2.§ 12.n 5. p.493

SERVA contracto matrimonio cum libero non poteſt reſilire, ſi liber nolit C.15.P.8 n.7. p.340

Serua in dicto caſu conſenſum præſtitit ibid.

Serua contrahendo cum libera quomodo libera fiat ibid. nu.20.p.345. non fieret tamen libera ſi fuiſſet dolus in domi-

domino vel ſi vterque fuiſſet conſcius ſeruitutis ibid.
Serua ſit libera quando ſeruus ex contractu ſit liber. ibid. num. 21. pag 345
SERVITVS adſcriptitia, ſeu originaria non dirimit matrimonium C. 15. P. 8. num. 4. pag. 338
Seruitus dicta compatitur cum matrimonio ibid. p. 339
Seruitus ſecundum ſe non aduerſatur bonis matrimonij, ſed tantum ſecundum quid ibid nu. 13. pag 343
Seruitus non irritat de iure naturæ, ſed tantum de iure eccleſiaſtico ibid. num. 15. pag 343
Seruitus abſolutè non impedit vſum coniugij ibid.
Seruitus ſuperueniens non tollit ius coniugij ibid. D 2. §. 11. num. 4. pag 491
Seruitus eſt conditio corporalis ibid. §. 13. nu 3. pag. 494
SIGNA ad copulam in fœmina præſumuntur tacita petitio debiti C. 15. D. 2. §. 12. num 13. pag 222
Signa, quibus antiquitus poſt ſponſalia reſultabat matrimonium ibid. D 3. § 3 num. 1. pag 226
SINODVS quomodo poſſit interdicere, & ſub quo onere C. 15. D. 4. §. 2. num. 1. pag 300
SPONSVS cognoſcens perfectè ſponſam ante matrimonio initum non facit matrimonium conſummatum C. 15. P. 13. num. 9. pag. 46
Sponſus vt ſupra cognoſcens vt ſupra intra bimeſtre poteſt ingredi religionem ibid.
SPONSA intra bimeſtre per vim oppreſſa poteſt ingredi Religionem C. 15. P. 15. nu. 1. pag 49
Sponſa vt ſupra ingrediens &c. poneret perpetuum diuortium abſque ſolutione Coniugij, ſi religionem profiteretur ibid nu. 2.
Sponſa vt ſupra non poteſt renuntiare vinculo coniugali ibid. num. 4. pag. 50
Sponſa non cogitur intra bimeſtre deliberare de ingreſſu in Religionem quamuis ſit interpellata ibid. D. 2. §. 3. num. 4. pag. 211
Sponſa intra bimeſtre per vim oppreſſa poteſt ex genere ſuo tentare ſine peccato ſeminis virilis expulſionem ſi cogitabat de ingreſſu in religionem ibid §. 45. n 3. pag. 213. intellige ſi non ſit peruerſa intentio ibid. n. 4 p. 214
Sponſa in data hypoteſi ſi ſemen iam receptum in matrice poſſet expelli, illud eijciendo grauiter peccaret ibid. num. 5. pag. 114
Sponſa in data hypoteſi poteſt conari ad extrahendum ſemen virile ibid. num. 6.
Sponſa ſe reddens impotentem per media illicita grauiter peccat ſi non intenderet religionem ibid. § 2. nu. 2. pag. 214
Sponſa vt ſupra grauiter peccaret etiamſi adhiberet media licita ſcienter ad hunc finem ibid nu. 3. pag. 215
Sponſa vt ſupra non peccaret ſi abſque fraude adhiberet media licita ad ſe redendam impotentem ibid. num. 4. pag. 215
Sponſa contrahens cum animo reddendi quidem debitum marito, non tamen ſe obligandi ad negandum alijs vſum ſui corporis quantumuis illa intentio fuerit tantum in mente inualide contrahit, ſi excluſit obligationem in radice ibid. D 2. § 9. n. 2. 3 4. pag. 219
Sponſa etiamſi metuat mortem negando debitum ratione nullitatis matrimonij, quam ſcit, & non poteſt probare in iudicio, debet potius mori, quam permittere vt cognoſcatur ibid. D. 3. §. 25. num. 5. pag. 264
Sponſa tempore feriato non poteſt traduci ſolemniter in domum mariti ibid. P. 3. nu. 8. p. 311. bene autem non ſolemniter ibid. nu. 9. pag. 312
Sponſa contrahit impedimentum raptus raptui conſentiens ibid. P. 5. n. 15. p. 326
Sponſus, ſi conaretur deflorare ſuam ſponſam cum animo non conſumandi, ſed ingrediendi religionem fieret reus delicti C. 15. D. 1 § 19 n. 4. p. 200
Sponſus agens, vt ſupra ingrediens religionem, ſi fieret profeſſus, profeſſio teneret ibid. n. 5
Sponſus habito conatu, vt ſupra, ſi ex alia cauſa peteret diſpenſationem tacito conatu, & illam impetraret talis diſpenſatio non diceretur ſubreptitia, vel obreptitia ibid nu. 6.
Sponſus aſſerens ſe penetraſſe, & fregiſſe clauſtrum ſuæ ſponſæ non tamen ſeminaſſe non eſt credendus, etiamſi eliciat iuramentum, & hoc in foro externo ibid. D. 2. § 1. n. 2. p. 209
Sponſus tradens intra bimeſtre ſponſam violandam conſanguineo, ſi ingrederetur religionem, & emitteret profeſſionem, profeſſio teneret ibid. D. 2. nu. 4. pag. 210
Sponſus grauitèr peccat, ſi intra bimeſtre cogeret ſponſam renuentem ad conſummandū etiamſi ipſa non manifeſtaret ſe velle religionem ingredi ibid. § 3. n. 3. pag. 211
Sponſus cognoſcens intra bimeſtre ſodomitice ſponſam conſentientem non impeditur ab ingreſſu in religionem, nec ratione conſummationis, nec ratione iniuriæ ibid §. 4. n. 3. p 212
Sponſus cognoſcens vt ſupra nō conſentiente ſponſa impeditur ab ingreſſu religionis ratione iniuriæ, ſi copula ſit notoria, ſecus vero, ſi ſit occulta ibid. n. 4
SPONSALIA per iuramentum non tranſeunt in matrimonium C. 15. P 32 nu. 14 p. 115
Sponſalia non fiunt matrimonium per copulam ſubſequentem etiam animo vxorio ibid.
Sponſalia, ſi præceſſerint neſciente Parocho: ſi poſteà ſequeretur copula coram Parocho, & teſtibus nullum eſſet matrimonium ibid. n 15. p. 115
Sponſalia cum copula contracta coram Parocho, & teſtibus præſumuntur pro matrimonio ibid. n. 16 p. 115
Sponſalia de futuro celebrata in loco concilij probabilius tranſeunt in matrimonium, ſi in alio loco contrahentes ſe cognouerint affectu maritali ibid. D. 3 §. 5. num. 3. p. 229
Sponſalia antiquitus tranſibant in matrimonium per copulam ſubſequentem ibid.
Sponſalia celebrata in loco concilij, non tamen ſeruata forma eiuſdem non tranſeunt in matrimonium, ſi vt ſupra ſe cognouerint &c., & hoc probabilius ibid. num. 4. p. 229
Sponſalia conditionalia diuerſimodè ſe habent, ac matrimonium conditionale ibid. D. 3. §. 21. n. 3. p. 256
Sponſalia celebrata ante matrimonium initum clandeſtinè ſufficiunt ibid. §. 50. n 3 p. 298, & hic proponitur dubium deſumptum ex concilio ibid. n. 2.
Sponſalia de futuro pro tempore feriato non prohibentur ibid. P. 3 n. 1. p 310
STATVS naturæ duplex C. 15. P. 1. p. 2.
Status gratiæ per Chriſtum reparatæ ibid. p. 2
Status innocentiæ nullum habuit ſacramentum ibid. n. 3. pag. 3
Status legis naturæ, & legis ſcriptæ ante Chriſti aduentum habuit matrimonium in remedium concupiſcentiæ, non tamen in ratione ſacramenti ibid. num. 4. p. 4, & hoc de mente D. Thomæ.

STI

Digitized by Google

*STIPES quid ſit* C.§.15.P.10.S.1.n.10. pag.369

*SVBIECTVM magis diſpoſitum magis recipit de effe-ctu in ſuo genere* C.15.P.10.nu.2. pag 37

*SVSCEPTIO prolis in baptiſmo, & cõfirmatione eſt impedimentum* C.15.P.5.nu.21. pag.328

*Suſceptio prolis prout dirimit, & prout impedit ibid.n.22*

*Suſceptio prolis, vt ſit impedimentum, debet fieri cum animo inſidiandi proprio coniugi ibid num.23. & hoc ſiue fuerit maritus, ſiue vxor ibid.num 24.*

*SVSPENSIO lata contra Sacerdotes benedicentes alienos parochianos contrahentes nuptias incurritur habita plena ſcientia* C.15.P.38.nu 18. pag.160

T

*TACITVM prout ab expreſſo contradiſtinctum quomodo ſumatur* C.15.P.35.nu.1. pag.124

*Tacita petitio debiti coniugalis in fæmina ſunt ſigna &c. ibid.* D.2.§.12.num.3. pag.222

*TACITVRNITAS in præiudicialibus non habetur pro conſenſu* C.15.P.35.num.4. pag.127

*TESTES ſunt in triplici genere* C.15.P.36.n.1. pag 135

*Teſtes duo requiruntur vltra Parochum ibid n.2.* p.135

*Teſtes duo non poſſunt ſupleri per vnum omni exceptione maiorem* ibid.nu. 3. pag.135

*Teſtes non requiruntur omni exceptione maiores ibid.n.4*

*Teſtes non omni exceptione maiores admittuntur in cauſis fauorabilibus ibid.num.4.* pag.136

*Teſtes dummodo ſint rationis compotes etiam alias inhabiles ſufficiunt ibid.nu.5.* pag.136

*Teſtes alias inhabiles admitti poſſunt excitata lite ſuper valore matrimonij contracti ibid* nu.6. pag 137

*Teſtes in matrimonio poſſunt eſſe Fæmina, parentes, conſanguinei &c.ibid.num7.* pag.138

*Teſtes omni exceptione maiores requiruntur ad diſſoluendum matrimonium* ibid.num.8. pag.138

*Teſtes aſſiſtentes matrimonio clandeſtino ſine denuntiationibus peccant* ibid.P.39.nu.26. pag.170

*Teſtes debent deponere de eo, quod norunt per proprium ſenſum ibid.* D.1.§.20. num.3. pag.401

*Teſtes debent percipere conſenſum contrahentium ex auditu, ſi eos non* vident ibid.D.4.§.1.n.2. pag.299

*THEOLOGVS interrogatus an matrimonium contractum cum ſimplici voto caſtitatis teneat quomodo ſe gerere debeat* C.15.P.17.D.1.§ 7. num.2. pag.465

*Theologus in data hypoteſi non peccaret reſpondendo eſſe validum, ſed illicitum, ſi interrogatio eſſet in genere ibid.num 4.* pag.465

*Theologus vt ſupra non peccaret ſi reſponderet interroganti non poſſe contrahere, ſi vellet, & ipſe contrahere ibid. num.5.*

*Theologus interrogatus vt ſupra poteſt ſubterfugere n.6.* pag. 465

*Theologus vt ſupra deberet exagerare grauitatem delicti vt ſupra ibid num* 7. pag.466

*TRADVCTIO ſponſæ non poteſt haberi temporibus feriatis ſolemniter* C.15.P.3. n.8. p.311

*Traductio non ſolemnis vero* poteſt haberi ibid.n.9.p 312

*Traductio ſolemnis quid ſit ibid* n.10. p.312

*Traductio ſolemnis non poteſt fieri tempore feriato quamuis benedictiones fuerint receptæ ante dictum tempus ibid.* n.11. p.312

*Traductio ſolemnis in dictis temporibus, an inferat noxam lethalem remiſſiuè ibid.nu.*12.

V

*VAGI propriè ſunt, quibus nulla ſedes eſt certa* C.15. P.22.n 1. p. 70

*Vagi verè ſunt, qui nullibi habent* domicilium habitationis ibid.n.2. p.70

*Vagi item ſunt, qui deſeruerunt propriam ſedem, quærentes, vbi figant alibi ibid* n. 3. p.70

*Vagi propriè non ſunt peregrini ibid.* n.4.

*Vagi contrahentes matrimonium non ſeruata forma concilij, vbi iſtud fuit publicatum, inualidè contrahunt, ibid.nu.5*

*Vagi contrahentes, vt ſupra, vbi publicatum non eſt validè contrahunt ibid. n.* 6. p.71

*Vagi habent pro domicilio proprio breuem permanentiam &. ibid.*

*Vagi delicto conſtituuntur ſubditi loci, vbi deliquerunt* ibid.num.8. pag 72

*Vagi contrahentes matrimonium coram Parocho loci, in quo ſunt per tranſitum etiamſi domicilium dimiſerint fraudulenter, validè contrahunt ibid.* n. 10. p.73

*Vagi accedentes ad locum cum animo ibi permanendi validè contrahunt coram parocho illius* loci *ibid.n.11 non autem, ſi haberent animum immediatè ſe transferendi* ad *locum ſuum ibid.*

*Vagi contrahentes,* vt *ſupra, non tenentur permanere pro maiori anni parte, vt validè &c.* ibid.n.12. p.74

*Vagi antequam contrahant, debent rigoroſè examinari propter poligamiam* &c. *idem dico* de *alienigenis, & habitatoribus originis, qui diu abfuerunt ibd. n.* 14. 15. 16. p. 74

*Vagi habent Parochum originis ibid* P.24.nu 1. p.79

*VALOR ſacramentorum non dependet ab euentu de futuro* C.15. P.35. nu. 3. p. 125

*VERBA, an ſint neceſſaria ad deferendum conſenſum contrahentium* C.15.P.41. n.2. p 173

*Verba quænam requirantur* ad manifeſtandum *conſenſum ibid.* P.41.n.14. p. 174

*Verba affirmatiua, vel negatiua, an ſufficiant ad hoc &c. ibid.* n.15. p.174

*Verba procuratoris, per quæ contrahit nomine ſui principalis, non ſunt de materia contractus, ſed tantum* cauſa applicant *conſenſum ibid* D. 1. § 15.n.3 p.194

*Verba Leuitici* 18. *non referuntur* ad matrimonia, ſed *ad cætera flagitia ibid* P.17.§.33 *nu.2.* p.532

*VICARIVS generalis Epiſcopi, ſiuè habentis diæceſim poteſt aſſiſtere, & delegare alios* ad *aſſiſtendum matrimonijs* C.15. P.27.n.8. p. 90

*Vicarius generalis habet iuriſdictionem* ordinariam. *ibid.n.8.* p 91

*Vicarius generalis habet idẽ tribunal cũ Epiſcopo ibid.*

*Vicarius generalis gerit vices Epiſcopi in eodem tribunali ibid.*

*Vicarius generalis quamuis non ſacerdos* poteſt *aſſiſtere, & facultatem aſſiſtendi concedere ibid. nu.* 10. p. 92

*Vicarius capitularis ſede vacante poteſt hoc idem ibid. num.* 11.

*Vicarius foraneus, qua talis inualidè aſſiſtit matrimonijs ibid.*P.27. n.14. p. 93

*Vicarius foraneus non eſt ordinarius, ſed delegatus ibid.*

*Vicarius foraneus poteſt, ſi ſit delegatus ab Epiſcopo aſſiſtere matrimonijs in ea parte diæceſis, in qua eſt Vicarius ibid., vel ſi habeat delegationem cognoſcendi omnes cauſas matrimoniales ibid:*

*Vicarius generalis amittit ſuam poteſtatem moriente Epiſcopo, vel ipſam eodem reuocante ibid.P.* 31 p.104

*Vicarius generalis moriente Epiſcopo non habet ius ad cauſas iam inceptas, nec* ad *delegatas, prout erat Vicarius, & ceſſante auctoritate Epiſcopi ceſſat pariter in eodem ibid.* n 2.3. p 104

*Vicarius capitularis, an poſſit perficere cauſas inceptas à Vicario Generali mortui Epiſcopi ibid. num. 4. cenſetur probabilis pars affirmatiua.* p 105

Vica-

Digitized by Google

*Vicarius generalis non deperdit ſuam iuriſdictionem in commiſſis ſua propria perſona, non intuitu dignitatis ibid. nu.5.* p 105
*Vicarius validè gerit, quæ agit, moriente Epiſcopo, ſi mors ipſius ignoretur, præterquam ab eodem Vicario ibid. num 11.* p 107
*Vicarius ſciens mortem Epiſcopi exercens actus ſuæ poteſtatis antecedentis non peccat ibid n.12.* p. 107
*Vicarius ignorans mortem Epiſcopi, ſi alij communitèr ſciant, inualidè agit, quæ agit ibid. n. 13.* p. 107
*Vicarius generalis mortuo Epiſcopo cum ignorantia dederit dimiſſorias, vel delegationes, ſi mors communitèr promulgetur re adhuc integra non valent ibid. P. 31. nu.14.* pag 107
*Vicarius reuocatus per Epiſcopum cum ſcientia communi, acta ipſius non tenent ibid. n 15.* p. 108
*Vicarius debet admoneri de reuocatione, & à quo, vel quomodo ibid. n.16.*
*Vicarius reuocatus ſciens reuocationem, ſi aliquid geſſerit, tenet, ſi error ſit communis ibid.n.18.* p. 109
*Vicarius generalis poteſt diſpenſare denunciationes ibid. P.37.n.15.* p.145
*Vicarius generalis intelligitur Ordinarius ibid.*
*Vicarius Generalis poteſt diſpenſare ſuper impedimento occulto, ſicuti Epiſcopus &c ibid. D. 3. §. 22. num 3. p. 273., & quidem etiam illo abſente ibid. num. 4. pag.* 274
*Vicarius Generalis conſtituit cum Epiſcopo idem Tribunal. ibid nu 3.* p.273
*VICECVRATI poſſunt aſſiſtere matrimonijs etiamſi adſit Parochus C.15.P.26.nu.2.* pag 87
*Vicecuratus non poteſt aſſiſtere &c. ſi adſit Parochus, quando eſſet deſtinatus limitatè ibid nu 3.*
*Vicecuratus poteſt etiam ad hoc delegare ibid. num 4. pag.* 85
*Vicecuratus conductus non poteſt ſubdelegare ibid.nu 9. pag* 87
*VINCVLVM naturale habetur ex copula coniugali non autem ex fornicaria C.15.P.11 nu 9, & 10. pag 395., & pag* 396
*VIR deflorans virginem prætextu matrimonij clandeſtini non tenetur eam ducere C.15.D 3.§ 2.nu.4.* pag 225
*Vir deflorans vt ſupra non tenetur ad integram dotem, ſed tantum ad quantum intereſt, quod non fuerit deflorata ibid num.5.* pag 226
*Vir de iure natura poteſt habere plures vxores ibid. P.15. num.4.* pag.416
*Vir tamen non poteſt diſpenſari à Pontifice vt habeat plures vxores ibid.nu.5.* pag 416
*Vir in ordine ad humana comercia eſt independens à poteſtate vxoris ibid.17.D.2.§.10.nu.3.* pag 490
*VIRGO permittens ſui deflorationem prætextu matrimonij clandeſtini ſibi imputet C. 15. D. 3. §. 2 num. 4. pag.* 226
*VOLVNTAS ſufficienti ſigno externo exprimatur C. 15. D.3 § 3.num 4.* pag. 227
*Voluntas non poteſt ferri in incognitum ibid. P.17. D. 2. §. 3.num 4.* pag. 478
*VOTVM caſtitatis annexum ordini ſacro de iure eccleſiaſtico ratio autem ſacramenti annexa de iure diuino matrimonio C. 15. P. 2. nu. 2.* pag.6
*Votum caſtitatis volitum eſt à volente initiari ſacris ibid.nu.2.* pag.6
*Votum virginitatis eſſet illicitum ſi matrimonium eſſet independenter à diuina voluntate ibid.n.2.p.6., & 7*
*Votum confeſſum in foro externo negat intentionem dicentis ſe non habuiſſe ibid. §.42 num.4.* pag.228
*Votum aliud ſolemne, aliud ſimplex ibid. P. 9. num. 2 pag.* 351
*Votum ſimplex non transfert dominium bene tamen ſolemne ibid.num 2.* pag.351
*Votum ſolemne caſtitatis dirimit matrimonium non ſolum de iure eccleſiaſtico, ſed etiam diuino ibid. nu. 3. pag.* 352
*Votum ſolemne dirimere matrimonium eſt de fide ibid.*
*Votum caſtitatis ſimplex emiſſum in ſocietate Ieſu non dirimit matrimonium ſi egreſſio ſit cum cauſa ibid. P.9 num.4.* pag 354
*Votum in ſocietate emiſſum non ſoluitur niſi per legitimum egreſſum ibid.P.9.nu.5.* pag 354
*Votum ſimplex in coniugatis diuerſimode ſe habet ac in religioſis ibid nu 11.* pag 356
*Votum ſacris ordinibus annexum non eſt per ſe ſolemne, ſed per accidens ibid.P.16.nu.9.* pag.422
*Votum caſtitatis non impedit opera charitatis vnde vxor obligata ſimplici voto caſtitatis poteſt meritorie remittere iniuriam marito, & eidem reddere debitum ibid D.1.§.6.nu.2.* pag.463
*Votum ſolemne caſtitatis in aliquorum ſententia coniugitur cum alijs duobus votis ibid D. 2. §.23 num. 2. pag* 509
*Votum caſtitatis non eſt ſolemnizatum, niſi per profeſſionem ibid §.23.nu.4.* pag 510
*Votum obbedientiæ vide Obbedientia.*
*Votum vel vota emiſſa in religione ſolemniter cum animo ſe obligandi ad religionem in genere non irritant matrimonium ſubſequens ibid.§.24.nu.2, & 3.* p.511
*Vota religionis emiſſa conſummato matrimonio ab vno, altero ignorante vel diſſentiente non ſunt vota ſimplicia ſi fuerint ex fine immediato profeſſionis ibid. §. 26. nu.3. p. 515 ſecus vero ſi fuerint tantum ex fine abſtinendi à venereis ibid nu 4.* pag 519
*Votum annexum ſacris ordinibus diſparis rationis à voto anexo profeſſioni ibid nu 4.* pag 516
*Votum ſimplex caſtitatis non transfert inter coniuges dominium ibid §.27.nu 12.* pag 520
*Votum equitum Hieroſolymitanorum eſt caſtitatis virginea, & ſolemne ibid §.31. num.2.* pag.529
*VXOR exiſtente periculo necis vel infamia non poteſt cohabitare cum marito ſi ſit periculum conſenſus interni ibid.C.15.D.3 §.28.nu.3.* pag 268
*Vxor virum interficiens non contrahit impedimentum criminis ibid. P.5.nu.21.* pag.328
*Vxor non poteſt de iure natura habere plures viros ibid. P.15.num 5.* pag.416
*Vxor alligata ſimplici voto caſtitatis poteſt remittere iniuriam marito, & petenti reddere debitum ibid. D.1.§ 6.num.2.* pag.463
*Vxor non acquirit ius ad diuortium etiamſi maritus ſe vendat ibid. D.2.§.9.num.7.* pag.489
*Vxor per conſenſum venditioni mariti non fit ſerua ibid. §.10 num 3.* pag.489
*Vxor non eſt fructus mariti ibid num.4.* pag.490
*Vxor conſentiens promotioni mariti ad ſacros ordines, quæ vouit caſtitatem mortuo marito non poteſt tranſire ad alias nuptias ibid. D.3.§.10.nu.8.* pag.566

*F I N I S.*

Digitized by Google